


Joh. Fr. Vande 1802 Dresda
velde LLD r.
imago auctoris, praefixa, eleganter ac summa arte sculpta est

Defecerunt præ lacrymis oculi mei Thren. X. XIII.



Venerabilis P. MONETA Cremonensis
ORDINIS PRAEDICATORUM
Causarum Fidei per Insubriam Quaesitor,
Catharorum, atque Valdensium Profligator
Jugi lacrymarum vi Luminibus captus
Floruit Anno Æ. C. MCCXXX.

VENERABILIS PATRIS

MONETÆ CREMONENSIS

ORDINIS PRÆDICATORUM

S. P. DOMINICO ÆQUALIS

ADVERSUS

CATHAROS ET VALDENSES

LIBRI QUINQUE

Quos ex Manuscriptis Codd. Vaticano, Bononiensi, ac Neapolitano

NUNC PRIMUM EDIDIT, ATQUE ILLUSTRAVIT

P. FR. THOMAS AUGUSTINUS RICCHINIUS
EJUSDEM ORDINIS
S. T. M. ac Collegii Casanatensis Theologus.



ROMÆ, MDCCXLIII.

EX TYPOGRAPHIA PALLADIS

EXCUDEBANT NICOLAUS, ET MARCUS PALEARINI.

PRÆSIDUM FACULTATE.

REVERENDISSIMO PATRI

F. THOMÆ RIPOLL

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORI

ATQUE UNIVERSI ORDINIS PRÆDICATORUM

MAGISTRO GENERALI.

F. THOMAS AUGUSTINUS RICCHINIUS EJUSDEM ORDINIS VITAM, ET FELICITATEM.



UM paterna tua de me præclare effuseque merendi voluntas eo jam creverit, ut nulli fere hominum debere plura me sentiam quam Tibi REVERENDISSIME PATER, *cogitare cœpi queis demum rationibus ad congestorum in me beneficiorum memoriam, quam semper sanctissime colam, præsentibus, posterisque declarandam aggrederer; nec alia opportunior visa est, quam si quidpiam e studiis meis tuo nomine haud prorsus indignum aliquando proferrem, sacrum tibi fore, dedicatumque statuerem. Igitur* Venerabilis MONETÆ *Ordinis nostri vetusti in primis, atque eximii Scriptoris Libros adversus Catharos, & Valdenses qualicumque industria, ac diligentia mea e situ & squallore vindicatos editurus, religione veluti obstrictus tibi offero, ac consecro; cumque non alia*

re possim, me alieno munere exsolvo. Ingratus vero sim, omnisque officii expers, si hac primum oblata occasione amoris ac beneficentiæ tuæ merita aperte non prædicem, atque commendem. Quid enim rationibus meis non dicam necessarium, sed consentaneum, honestumve excogitari poterat, quod ultro in me non contuleris, ut meritorum vacuum, ac ne rogantem quidem vel cogitantem amantissime prævenires, foveres, ornares, ac tantum non beneficiis obrueres? Quid ego homo umbraticus, ac velut in angulo positus sperare aut voto concipere majus poteram, quam a Te arcessiri, evocarique in earum sollicitudinum partem, quibus Ordinem nostrum sanctissime moderaris, ut lateri tuo comes hærens ac socius, non tam laborum curarumque particeps, quam virtutum tuarum testis fierem, atque admirator assiduus? Hoc vero honoris, summæque benevolentiæ argumentum, quo nihil supra optare potuissem, nova amoris accessione cumulasti, cum Theologorum Casanatensium Collegio adscriptum voluisti: quo quidem gravi tuo de me judicio cum me arctius obstrictum, tum impensius laborandum intelligo, ne amantissimi Patris opinionem, conceptamque de me fiduciam destituisse videar. Quid vero præstare valeam aut polliceri eo nomine dignum ingenii modicus, virium inops plane non video. Adnitar tamen perpetuo, ut labore, industria, ac diligentia, sin minus doctrina atque eruditione, amplissimo muneri, tuoque beneficio ex parte saltem respondeam. Atque hujus quidem voluntatis meæ primum veluti pignus ac specimen hoc ipsum exhibeo MONETÆ *Opus tenebris atque oblivioni ereptum, quod æquis bonisque rerum æstimatoribus probatum iri confido. Nam quanti sit acerrimum illum Hæreticorum Seculi* XIII. *profligatorem in lucem prodire, facile judicabit, qui universi fere Catholici dogmatis Controversias ab eo disputatas viderit tanta vi atque ubertate, ut qui adversus illas pestes copiosius scripserit, atque validius fortasse neminem habeamus. Nullius certe ex Familia nostra antiquioris extant Scriptoris monumenta aut dignitate & amplitudine argumenti;*

aut

aut etiam utilitate præstabiliora, ut sæpe miratus sim in Bibliothecarum pluteis tamdiu neglecta jacuisse. Quapropter cum e re nostra maxime sit ea demum in eruditorum conspectum, ac Polemicæ Theologiæ subsidium educi, tibi in primis gratissimum fore non dubito, cui nihil antiquius, aut jucundius quam rei literariæ incremento favere, & quæcumque ad Ordinis decus amplificandum pertinent, diligenter promovere. In id certe curas omnes cogitationesque tuas a suscepto regiminis clavo feliciter contulisti ea identidem proferens sollicitudinis tuæ monumenta, quæ nulla unquam ætate sint excisura. Semper enim posterorum oculis obversabitur amplissima Apostolicorum diplomatum seges, quam rebus nostris illustrandis, ingenti cura ac labore colligendam atque vulgandam curasti. Tuis etiam auspiciis accepta referetur Annalium Ordinis moles, cui Te volente cum prima manus admota jam fuerit, ad calcem etiam feliciter deducendam speramus. Quid, quod ipsi Cœlites nostri operæ ac diligentiæ tuæ promotum auctumque debent sui nominis cultum, quo eorum plures sacris aris admotos, alios vero proxime apotheosi donandos gratulamur? Vides, opinor, quam amplum mihi laudum tuarum spatium decurrendum pateat, si id mihi propositum esset, ut vel sola earum capita exornanda susciperem. Sed præstat modestiæ tuæ morem gerere, quam ea, quæ in ore omnium adspectuque sunt posita celebrare. Ea tamen præterire vix possum quæ in Dominicanam Familiam Te Præside, ac Moderatore fluxere commoda & ornamenta, ut divino quodam beneficio aureum Ordinis Seculum sub te cœpisse, aut rediisse videatur: Nam & sedentem in Romana Cathedra Pontificem unum, alterum vero Beatorum Fastis adscriptum, in Purpuratorum Patrum Senatum ascitos quatuor, inauguratos Episcopos plures, Scriptores egregios sane multos felicissimo Magistratus tui tempore numeravimus; Quæ tametsi in laudum tuarum parte ponenda sint, aliena magis videri possunt quam tua, si cum iis conferantur quæ virtutibus ipse tuis publicæ rei nostræ commoda,

atque

atque ornamenta attulisti; Nam ad difficillimam regendi artem cum a natura plane factus, ac longo rerum usu apprime institutus fueris, tam absolutam exhibes optimi Præsulis imaginem, ut multa quæ in te mirentur præsentes, plurima vero sint quæ Successores tui imitentur ac discant, nimirum in disciplina zelum sed sine acerbitate, in negotiis audiendis patientiam, in expediendis sollertiam, in consiliis gravitatem, in judiciis rectitudinem, in dispensatione justitiam, in subditos quasi parentis in liberos facilitatem, benevolentiam, sollicitudinem, in moribus fidem, integritatem, candorem, in omni vitæ parte æquabilitatem, innocentiam, ac veram sine fuco pietatem. Id vero quam mirabile, ac nisi oculis nostris usurparemus, vix credibile, hominem nonagenario majorem immutabili quadam vitæ ratione nihil de prioribus institutis, laboribus, curis immutasse, vel remisisse, sed ea alacritate, vigilantia, assiduitate operantem qua omnibus sit incitamento, & exemplo. Nimirum igneus ille animi vigor quo eximia semper fuisti in agendo vi, atque efficacitate non elanguit, non subsidit, annique supervenientes jus sibi nullum in mentis tuæ aciem, in memoriæ vim, in judicii firmitatem vindicare potuerunt. Sic Te D. O. M. ad extremam senectutem absque senectutis incommodis, sensibus integrum, viribus firmum, non vietum, non inertem, non languidum, sed validum, sospitem, operosum singulari munere, & exemplo perduxit. Faxint boni Superi, quorum fastis amplificandis continenter incumbis, ut rara adeo felicitate in publicum Ordinis commodum atque incrementum diu multumque fruaris: Nam quando pro immortalitate tam chari capitis vota illis nuncupare non possumus, diuturniora ævi mortalis spatia quotquot Te colimus Filii amantissimo Patri precamur eo certe animo, quo nostris etiam, si fieri posset, annos tuos produceremus. Ego vero communibus votis perennem beneficentiæ tuæ prædicationem adiiciam, & cum paribus tecum officiis certare non valeam, amore, fide, ac pietate, quamdiu spiritus hanc vitam reget, prorsus efficiam, ne unquam ingrato atque immemori benefecisse videaris. Vale.

AP-

APPROBATIO

ILLUSTRISSIMI, AC REVERENDISSIMI DOMINI DOMINI

FR. PLACIDI MARIÆ PEZZANCHERI

CASÆ MARII ABBATIS

Episcopi Tiburtini, & Pontificio Solio Episcopi Assistentis.

CUM Summam, qua Ven. MONETA Cremonensis, unus ex primis, clarioribusque Sancti Patriarchæ DOMINICI Asseclis, Catharorum, & Valdensium errores, immo deliramenta impugnavit, ac profligavit; ab *Admod. Rev. P. Fr. Thoma Augustino Ricchinio S. T. M. & Collegii Casanatensis Theologo*, pro sua in Patriam, atque in Ordinem pietate, non modo e pluteorum latebris erutam, verum etiam locupletissimis illustratam Prolegomenis, ac Notis, raptim, ut mihi licuit percurrerim: in illa quidem eximium Theologum, accuratissimumque Dialecticum; in hisce autem virum undecumque eruditum, ac sedulum suspexi: adeo ut hujusmodi Opus dignissimum putem, quod cum Christianæ, tum literariæ Reipublicæ commodo Typis mandetur. Dabam Tibure VIII. Idus Aprilis MDCCXLIII.

✠ *F. Placidus Maria Epis. Tiburtinus.*

APPROBATIO

ILLUSTRISSIMI, AC REVERENDISSIMI DOMINI DOMINI

NICOLAI DE SIMONIBUS

EPISCOPI MARCIANENSIS

Sacræ Congregationis super Disciplina Regulari Secretarii &c.

OPus Ven. MONETÆ Cremonensis Ordinis Prædicatorum adversus *Catharos*, & *Valdenses* ante quinque Secula lucubratum, & nuper ab *Adm. Rev. P. Mag. Thoma Augustino Ricchinio* ejusdem eximii Ordinis, ac Patriæ Viro Clarissimo illustratum locupletissimo Apparatu, & copia Adnotationum, libenter legendum suscepi, postquam placuit Rmo P. Nicolao Ridolfi Sac.Apost.Pal.Magistro meam de illo explorare sententiam. Innumera propemodum sunt pravorum Dogmatum portenta, quæ collectis summa peritia Sanctarum Scripturarum testimoniis irrefragabilibus prosternit Venerabilis Scriptor, tanto suavius veritatem Fidei Catholicæ Hæreticorum animis insinuans, quanto styli facilitatem, ac planissimam suæ ætatis methodum secutus. Ita vero inter se implexas partitur Hæreses Valdensium, & Catharorum, ut dum singulis confutandis,& ab omni defensionum genere denudandis incumbit,simul nobis illius laboribus bene utentibus parata adsint validissima argumenta ad vehementius comprimendos Socinianos, Calvinistas, Lutheranos, similesque pestes, in quibus adhuc Valdenses, ac Cathari palpitant. In tot autem rebus de Sancta Religione nostra versatus nulla in parte a recta Fidei, & Morum regula alienus invenitur. Digna egregio operi ornamenta superaddidit doctissimus P. M. Ricchinius. In Apparatu Vitam, & Gesta Viri Venerabilis a sinceris monumentis erutam exhibet, unde clarior, latiusque illius fama resplendeat. Historicam quoque narrationem de Valdensium, & Catharorum Hæresi singulari eruditione contexuit. Totum porro opus tam apte, diligenter, & docte illustrat, selectisque Adnotationibus ditat, ut ex iis non solum effluant Sacræ eruditionis copiosissimi latices, verum etiam MONETÆ Lectio utilior evadat, & ad torquendos hodiernos Hæreticos penetrantior. His omnibus perpensis mihi visum est æquissimum cum meo calculo opus probare, tum ipsam operis evulgationem enixe desiderare. Romæ Pridie Idus Maii MDCCXLIII.

Nicol. Epis. Marcianen. Sac. Cong. super Disciplina Reg. Secretarius.

APPROBATIO

CL. V. JOSEPHI CATALANI PRESBYTERI

V. J. D. & Sacræ Theologiæ Professoris.

SI cui minus compertum foret, exploratumque, quam eximios inclytus Ordo Prædicatorum, * *qui, velut Cælum micat sideribus, sic personarum numero, & virtute coruscat*, vel a primæva sua institutione Orthodoxæ fidei Athletas tulerit, atque propugnatores, quotve de profligatis doctrinæ gladio Romanæ Ecclesiæ hostibus triumphos egerit, id ex unius Ven. Monetæ Cremonensis inter primos Sancti Patris Dominici filios Clarissimi Commentariis, quos *Vir Clarissimus, Sacræ Theologiæ Magister, P. Thomas Augustinus Ricchinius* ejusdem Patriæ, & Ordinis decus, optimo sane consilio e tenebris vindicavit, conjicere posset luculentissime. Quinque Libris Adversus Catharos, & Valdenses disputat ille tam subtiliter, presse, ac nervose, ut portentosa utriusque Sectæ dogmata, erroresque convellat radicitus, ac vel suis ipsos armis, nulla evadendi spe relicta, confodiat. Id autem præstat brevi quidem, ac simplici, sed validissima methodo testimoniis Scripturarum opportune adeo, appositeque in eos contortis, ut de Opere illius universo jure affirmari possit, quod de S. Augustino S. Hieronymus (*Lib.* 1. *Epist.* 19. *Editionis nostræ Romanæ*) *Quidquid dici potest, & sublimi ingenio e Sacrarum Scripturarum hauriri fontibus in eo positum, ac dissertum est*. Dum vero præcipuas Fidei controversias, ac summa Religionis nostræ Capita, Ritusque, & Cæremonias Ecclesiasticas illustrat, tuetur, ac vindicat, per Catharorum, & Valdensium jugulum, recentiores hæreticos petit, qui ex illorum cineribus velut mali corui malum ovum prodiere, ut divino fere consilio in eos disputans, hos etiam antevertisse, ac præfocasse videatur. Quare, sicut dolendum est, tam præclarum Opus hactenus delituisse, ita gratia ab omnibus Theologis, ac rei Ecclesiasticæ studiosis habendas reor ejus Clarissimo Editori, qui luculento apparatu, atque eruditis annotationibus continenter illustratum publico Ecclesiæ bono, Patriæ, atque Ordinis sui Viris semper doctissimis abundantis, ac de Catholica Ecclesia optime meriti splendori atque ornamento nunc primum in lucem produxit, summaque cum laude protulit de thesauro suo nova, & vetera. Cum itaque universum Opus Reverendissimi Patris Magistri Sacri Palatii jussu a me recognitum ad puriores fidei, morumque regulas exactum sit, & omnigena eruditione refertum, ut in commune commodum quamprimum vulgetur, opto vehementer, ac probo. Romæ Kal. Maii Anno MDCCXLIII.

* *Johannes XXII. Constitutione* XVII. Inexplicabilis, *quod extat Tom.* II. *Bullar. Dominicani pag.* 143.

Josephus Catalanus Presbyter.

APPROBATIO ORDINIS.

NOS FR. THOMAS RIPOLL,

SAC. THEOLOGIÆ PROFESSOR,

Ac Totius Ordinis Fratrum Prædicatorum humilis Magister Generalis, & Servus.

QUo magis interest Ecclesiæ Catholicæ, ut Opus cui Titulus: *Ven. P. Monetæ Cremonensis, Ord. Prædicatorum, S.P. Dominico Æqualis, adversus Catharos, & Valdenses Libri quinque, ex MSs. Codd. Vaticano, Bononiensi, & Neapolitano, nunc primum editi, Prolegomenis, ac Notationibus illustrati*: Typis edatur, eo libentius tenore præsentium, nostrique auctoritate Officii, Tibi Rev. Ad. Patri S. Theologiæ Mag. Fr. Thomæ Augustino Ricchinio, Collegii Casanatensis Theologo, & Pro-Socio Nostro, opportunam hac de re facultatem concedimus, modo prius a duobus Sac. Theol. Mag. Ord. Nostri censorio judicio fuerit approbatum, & servatis aliis de jure servandis. In quorum fidem his Officii nostri Sigillo munitis subscripsimus. Romæ in Conventu nostro S. Mariæ Super Minervam die 31. Maii 1743.

Fr. Thomas Ripoll Mag. Ord.

L. ✠ S.

Registr. pag. 264.

Fr. Antoninus Bremond S. T. M., Provincialis Daciæ, Theologus Collegii Casanatensis, & Pro-Socius.

Ven.

VEn. *Monetæ Cremonensis* longe præclarissimum Opus Libris V. absolutum, nervosissimum adversus Principes ævi nostri Sectariorum hæreses, perinde atque contra sui temporis Valdenses, quibus parentibus Sectarii ipsi gloriantur, & contra Manichæorum pestem tunc renatam; quod hactenus Clariss. Scriptores admodum celebrarunt, sepultum tamen dolentes: post acre tandem studium e pluteis, in quibus ad V. Secula jacebat, provide a se erutum splendidis Dissertationibus, Notisque ad rem Historiæ Hæresum promovendam plurimum operantibus, illustravit P.M. Fr. Thomas Augustinus Ricchinius Casanatensis Theologus; mandante Rmo Ordinis Mag. Fr. Thoma Ripoll, subsecivis horis ingenti voluptate a me lectum, ita Orthodoxæ Fidei de credendis agendisque respondere visum est, ut Fidem ipsam quam validissime defendat, adornet, amplificet. Et in hoc duo plane animadversione digna demiratus sum. Primum: accuratissimæ dialectices vim ineluctabilem, Heterodoxorum omnium jugulum undique petentem, ac inde ipsis maxime invisam; quam iidem nec offendant nec timeant in nuperis lucubrationibus (utcumque hæ eruditione verbisque fluant ad eloquentiam compositioribus) editis per Polemicos illos, quos recens nata extima philosophandi methodus, non sine gravi & ipsorum & Thologiæ incommodo, primum formaverit. Alterum: Hæreticorum multiformium errores omnes aggredi, conterere, dissipare; & contra, pro Fidei veritatibus quibuscumque, impie ab illis conculcatis, propugnare argumentis ex Uno Dei Verbo Scripto tali ac tanto divini hujusce Verbi usu ductis, ut si quis eidem in Præfatione scribenti: *Ex Divinis testimoniis mihi sua Gratia inspiratis, suffragante orationum instantia &c.* Opus hocce perfecisse, fidem habere forte detrectet, illud certe fateatur oportet: Sacram Scripturam piissimi Auctoris menti ita donante bonorum omnium Largitore insedisse, quod pro re nata Hagiographa Oracula scribenti præsto adfuerint. Eapropter censeo, Opus ipsum, quod Theologis plurimam adferet lucem, indeclinabilia suppeditabit argumenta contra Sectarios, dignissimum quod publici juris fiat. Ita sentio &c.

Fr. Johannes Dominicus Agnani Mutinen. S.T.M. Ord. Præd. S. C. Indicis Consultor, ac Biblioth. Casanaten. Præfectus.

QUam de *Ven. Monetæ adversus Catharos, & Valdenses* Opere præclaram cœpi continuo opinionem, vel ex solo illud edendi consilio Claris. Viri Thomæ Augustini Ricchinii, Casanatensis Instituti nostri Theologi, confirmavi admodum pleneque; ubi Opus ipsum jussu Reverendissimi Patris nostri Thomæ Ripoll Magistri Ordinis legi. Nempe, quo nihil excellentius atque salubrius sumi ad scribendum aut ad legendum potest, universam propemodum, qua late patet, in eo deprehendi Sacrorum dogmatum Scientiam, in unum congestam corpus Doctrinæ, quod unum pene Viro Theologo sufficiat ad singula Fidei Capita vindicanda, omnesque cum vetustæ tum posterioris, nostræque etiam ætatis, quas una Catharorum, ac Valdensium pestis complexa est, hæreses profligandas. Id porro præstat Author Venerabilis simplici quidem humilique dicendi genere, ceu quod ipse exordio testatur ad capiendos contra quos disputat accommodatiori: At certe summa illi vis & acumen ingenii ubi ratione decertat; ubi vero Scripturarum Authoritate pugnat, tanta affluit locorum frequentia, tanta opportunitate illi obvia & præsto sunt, ut quod initio profitetur, divinitus sibi inspirata Sacrorum Librorum Testimonia, legenti facile probet. Tanto autem robore & copia argumentorum Adversarios vexat atque perstringit, seu Philosophum agat, seu Theologum, ut ne rimulam quidem illis elabendi sinat. Quare plurimam cum primis Ordinem Nostrum profiteor debere gratiam Clarissimo Editori, qui e situ & tenebris ad lucem, quam diu merebatur, educit gravissimi ac per antiqui Scriptoris nostri eximium Opus suis insuper iisque exquisitissimis locupletatum accessionibus: videlicet Historiæ Catharorum & Valdensium præmissa Synopsi, concinne atque elegantissime elaborata; tum perpetua Patrum consensione, continenter uberrimeque adjecta; ut qui Scripturis agere aut ratione velit, Authoris scriptum, qui Traditione malit, Editoris accessiones adire tuto possit. Reliquum est, ut magna cum laude assumtus perfectusque labor ad publicam utilitatem prælo committatur. Ita Censeo exoptoque.

Romæ apud S. Mariæ Super Minervam Idib. Augusti CIↃIↃCCXLIII.

Fr. Pius Thomas Schiara S.T.M. Ord. Præd. Casanatensi Bibliothecæ Præfectus.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

F. M. de Rubeis Archiep. Tharsen. Vicesgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Aloysius Nicolaus Ridolfi Ordinis Prædicatorum Sac. Palatii Apostolici Magister.

OPE-

OPERIS UNIVERSI PROSPECTUS.

LIBER SECUNDUS.

LIBER TERTIUS.

LIBER QUARTUS.

De Sacramentis Ecclesiæ, Resurrectione, & Judicio.

LIBER QUINTUS.

F I N I S.

APPARATUS
AD V. LIBROS
ADVERSUS CATHAROS ET VALDENSES
VENERABILIS PATRIS
MONETÆ
CREMONENSIS
ORDINIS PRÆDICATORUM.



PRÆFATIO.



QUÆSITUM est diu a gravissimis Viris plusne Christianæ Reipublicæ utilitatis ii afferant, qui novis ingenii fœtibus (si novi quidpiam in tanta editorum Voluminum luce adferri possit) Catholicas Veritates illustrant, an qui Veterum Ecclesiæ Scriptorum Monumenta diligentius conquisita e tenebris eruunt, ac multo studio recensita, aucta, & ornata in apertam diem producunt. Ac mihi quidem utrique de Sacra Eruditione optime meriti semper visi sunt, quippe qui Sacris Literis amplificandis, promovendisque Ecclesiasticis studiis, ut est in Evangelico monitu, proferunt de thesauro suo nova & vetera. Verumtamen etsi eorum magnopere commendandum sit studium, qui suis lucubrationibus veluti novas divitias in Ecclesiæ gazam important, operæ tamen pretium non mediocre eos facere arbitror, qui Veterum Patrum Opera e situ vindicant & squallore, ac præclaro in lumine posita publicæ eruditioni atque utilitati non invident. In quorum ego Scriptorum censu eos cumprimis numerare soleo, qui collata manu cum Fidei hostibus, ac profligatis eorum erroribus, summa Religionis nostræ capita asseruerunt feliciter ac vindicarunt. Nam in eorum operibus maximum ac præsentissimum Ecclesiæ præsidium constitutum intelligo cum adversus veterum tum recentium Hæreseon machinationes. Cum enim nullum sit tam nefarium ac pestiferum dogma quavis vetustate obsoletum, quod postquam oppressum ac sepultum jacuerit non emergat denuo, ac suis ipsis ex cineribus non excitetur identidem, ut de quavis Secta recens erumpente dici possit, quod Cassianus de Nestoriana Lib. de Incarn. *Nova est assertoribus, sed vetusta erroribus*, habent propterea Patrum, qui adversus veteres errores scripti sunt, Commentarii insignem hunc fructum, ut non antiquarum modo Hæresum notitiam, sed ad illas etiam ubi renatæ fuerint profligandas arma suppeditent, quibus cum primum nascerentur extinctæ sunt.

Admonuit me ea ratio, ac sane persuasit, ut latens atque neglectum per quinque Secula præclarissimum VEN. MONETÆ CREMONENSIS Opus adversus seculi XIII. Hæreticos in lucem proferrem, eique manum & operam qualemcumque meam adjicerem. Nam institutam ab illo Catharorum & Valdensium refutationem ad ista quoque tempora pertinere facile intellexi, nec quispiam secus judicabit, qui perversa eorum dogmata cum Recentium Hæreticorum blasphemiis comparabit; quod in notis ad MONETÆ Libros me præstiturum confido, veterum illarum ac posteriorum Sectarum collationem instituens. Quare nullum est ferme a Recentioribus Heterodoxis invectum erroris caput, quod in hoc opere ab Auctore nostro jamdiu occupatum non fuerit, ac validissime propulsatum, ut illud recte appellare queas Panopliam instructissimam, ac veluti promptuarium, unde Theologis adversus veteres novosque errores expedita sint arma.

 Eo

Eo in genere argumentoque ſcribendi multorum equidem Patrum labor vel paullo ante, vel inter ea tempora, fuit egregia cum laude verſatus. Nam, ut alios prætermittam, Jacobus Gretſerus S. J. Theologus poſt tres Libros Lucæ Tudenſis contra Albigenſes ejuſdem veluti ſuccedaneos vulgavit Tom. XXIII. Biblioth. Patrum Ekberti Abbatis S. Florini ſermones varios adverſus Catharos: Tum Tomo XXIV. Ebrardum Bethunienſem, Bernardum Abbatem Fontis Calidi, & Ermengaudum adverſus Valdenſium ſectam, Prolegomenis & Notis illuſtratos. Denique Tomo XXV. Petrum de Pilichdorfio, & Reinerum Sacchonum, qui eidem ſaxo manus admoverunt.

Hos tamen, eorumque ſcripta ut ut præſtantiſſima, ſi cum quinque MONETÆ Libris conferre velis, neminem fortaſſe reperies, qui tanta rerum copia, argumentorum pondere, ac vi adverſus eas peſtes diſputaverit, ac de illis plane triumphaverit. Non enim brevem ac perfunctoriam, ut plerique eorum, deſcriptionem ac refutationem illarum Hæreſeon MONETA inſtituit, ſed ſingula, atque etiam minora deliramenta proponit, momenta exhibet, rationes omnes accurate diſcutit, machinationes diſſolvit, univerſam demum impiorum dogmatum ſtructuram ab imo detegit, convellit, ac demolitur. Tam acer in diſputando ac ſubtilis, ut eum facile ad Auguſtinum contra Manichæos alioſve Hæreticos diſſerentem accedere putes; ejus certe methodum referre videas, qua in utramvis partem adverſarium urget, ac premit: aditumque omnem elabendi præcludit. Si Philoſophicas ac Theologicas quæſtiones magnifico rerum argumentorumque apparatu ab eo inſtitutas reputaveris, miraberis hominem ante S. Thomæ Aquinatis tempora ſcribentem, luculenter adeo ac ſubtiliter in ſcholaſtico pulvere verſatum. Quod demum attinet ad Sacrarum Scripturarum explanationem & uſum, ſingulari ac plane divino munere ſe in iis cælitus inſpiratum teſtatur in Præfatione ad hos libros, eoſque legenti, quam vere id de ſe affirmaverit, apparebit. Quare de eximio ejus opere affirmari poſſe crediderim, quod olim Photius Conſtantinopolitanus in Bibliotheca num. 140. ad Fratrem ſuum Tharaſium ſcripſit de Magni Athanaſii ſermonibus adverſus Arianos: *Hujus dictio ubique perſpicua, & brevis, & ſimplex. Acutus tamen, vehemens, ac profundus, & argumenta valide torquens, & in his tanta ubertas, ut ſit admodum ſane mirabilis. Dialecticis ad hæc uſus eſt argumentis, non illis tenuiter & juveniliter propoſitis, verum Philoſophorum more magnificeque prolatis. Sacræ quoque Scripturæ teſtimoniis, ac demonſtrationibus valide communitur; atque ut uno verbo abſolvam, ſolus hic liber ad Arianiſmum* (Manichæiſmum) *univerſum refellendum ſufficere queat.*

Erunt fortaſſe delicatiores nonnulli, ac moroſi, quorum palato ſimplex, incultus, & paullo rudior MONETÆ ſtilus non ſapiat. At quo Seculo ille ſcripſerit animadvertant velim, ac de MONETA repoſitum putent, quod olim Cicero de Catone dixit in Bruto cap. 4. *Antiquior eſt hujus ſermo, & quædam habet horridiora verba; ita enim tunc loquebantur. Id muta, quod tum ille non potuit, & adde numeros, & aptior ſit oratio, ipſa verba compone........ jam neminem antepones Catoni.* Sane qui Veterum Patrum Opera evolvere inſtituit, res ipſas appendat neceſſe eſt, non verba. *Bonorum ingeniorum* (inquit Auguſtinus lib. I. de Doctr. Chriſt. cap. II.) *inſignis eſt indoles in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodeſt clavis aurea, ſi aperire quod volumus non poteſt, aut quid obeſt lignea, ſi hoc poteſt; quando nihil quærimus, niſi patere, quod clauſum eſt?*

Quamquam & ipſa ſcribendi ſimplicitas velut certa ſanctiſſimæ antiquitatis nota, ut antiquis Numiſmatibus ærugo, venuſtatem quamdam ac pretium operibus addit penes æquos eorum æſtimatores, unde præclare Annalium Eccleſiaſticorum Parens Baronius ad A. 356. *Sicut effoſſum*, inquit, *informe aurum & rude eo carius eſſe ſolet, quod nihil videatur alterius metalli habere commixtum: ita egregia Monumenta ſua ipſius vetuſtate atque ſimplicitate micantia, quibus res potius quam verba in pretio eſſe ſolent, gratiora plane erunt, atque jucundiora quovis ſcripto recentioris auctoris, quibuſcumque eloquentiæ phaleris exornato. Quidquid enim obducitur fuco atque pigmentis ſuſpectum redditur, pulchriorque eniteſcit ipſa ſua puritate ſimplicitas, quæ quod mentiri neſciat, omne quamvis ad ornatum compoſitum velamentum abhorret.*

Sed & alia ſubit humilioris illius ſcriptionis cauſſa, quam vel ipſe MONETA ſubin-

ſubindicavit lib. I. cap. I. §. 4. Ei quippe cum Hæreticis res erat, qui ſe ſe in rude vulgus ſermone quodam ad ſimplicitatem compoſito facile ſubdoleque inſinuarent, quare infimo ac populari veluti ſtilo detegendi erant, ac refellendi. *Ne mireris*, inquit, *o Lector iſtum modum procedendi contra eum*, ſcilicet Manichæum, *oportet enim ut jam dixi verbis ſimplicibus ac minus artificialibus uti &c.* Idem ſane conſilium fuit Auguſtino adverſus ejuſdem furfuris homines, veteres nimirum Manichæos diſputanti, ut idem de ſeipſo teſtatur *lib.* I. *de Geneſi contra Manich.* in principio his verbis. *Si eligerent Manichæi, quos deciperent, eligeremus & nos verba, quibus eis reſponderemus; Cum vero illi & doctos litteris & indoctos errore ſuo perſequantur, & cum promittunt veritatem a veritate conentur avertere, non ornato politoque ſermone, ſed rebus manifeſtis convincenda eſt vanitas eorum. Placuit enim mihi quorumdam vere Chriſtianorum ſententia, qui cum ſint eruditi liberalibus litteris, tamen alios libros noſtros quos adverſus Manichæos edidimus cum legiſſent, viderunt eos ab imperitioribus aut vix aut difficile intelligi, & me benevolentiſſime monuerunt, ut communem loquendi conſuetudinem non desererem, ſi errores illos tam pernicioſos ab animis etiam imperitorum expellere cogitarem.*

Atque hæc de Operis pretio, utilitate, atque editionis conſilio. Jam vero, quid ab aliis tentatum, quid a nobis in eo recenſendo atque vulgando præſtitum ſit, paucis aperiam. Auctoris archetypum integrum adhuc fuiſſe Bononiæ apud noſtros ævo Leandri Alberti, hoc eſt circa A. MDL. idem ipſe teſtatur. At ſive alio translatum, ſive ſurreptum ſit, fatove aliquo interciderit autographum, certe illud deſideratur. Exſtat quidem apographum in folio parvo membranaceo ſcriptum Seculo, ut videtur, XIV. jam inclinante, quo in hac editione adornanda præcipue uſi ſumus: Servatur & ſimile Neapoli in Bibliotheca S. Dominici, cujus exemplar opera Cl. V. Dominici Gravinæ Ordinis Prædicator. Vicarii olim Generalis deſcriptum, Eminentiſſimi Cardinalis Gotti beneficio ad nos pervenit, & maximo ad ejuſdem Operis recenſionem adjumento fuit. Utrumque laudatum Codicem diligenter contulimus ad alium Bibliothecæ Vaticanæ in folio parvo Membranaceo MS. ut videtur ſeculo XIV., ac recenſitum ſub num. 421. qui jam pertinebat ad Bibliothecam Chriſtinæ Suecorum Reginæ, atque ad eam pervenerat ex Conventu Narbonenſi FF. Prædicatorum; Sic enim legitur pag. I. ejuſdem Cod. = *Iſta ſumma eſt FF. Prædicatorum Narbonen.* = Eſt autem inſcriptus = *Summa F. Monetæ Ordin. Prædicat. contra Catharos, & Pauperes de Lugduno* = Extat & alius in SS. Johannis & Pauli Venetiis, atque alterius a ſe viſi Viconii apud Præmonſtratenſes ad Valencenas meminit Alva apud Echard Tom. I. Script. Ord. Præd. denique ejuſdem Operis inſigne & antiquiſſimum exemplar vidit & laudat idem Echard in Regia Pariſienſi, quod ætatem præ ſe fert Auctoris.

Porro Cl. Jacobus Gretſerus cum ejuſmodi Codicem perantiquum nactus eſſet in Bibliotheca S. Emerani apud Ratisbonenſes, Operis pretium utilitatemque reputans, poſt Scriptores contra Valdenſes a ſe jam vulgatos publici juris facere non ſemel pollicitus fuerat: At P. Ferdinando Crendellio ejus ſtudiorum adjutore, qui MONETAM exſcripſerat, e vivis ſublato, datam fidem liberare non potuit.

Laudatus vero Gravina circa A. MDCXXX. deſcripto Codici manus admoverat, adjectiſque nonnullis ad primum Librum ſcholiis fila aliqua ad hanc telam ſubmittere coeperat, ſed vel aliis ſtudiis & negotiis abductus, vel morte præventus, ex Opere vix attacto manum ſummovit. Hanc tamen ei gratiam debemus, quod opus aliena oblivione atque incuria tineis blattiſque damnatum primus e forulis extrudere niſus ſit, ac zelo & induſtria ſua voluntati ac diligentiæ noſtræ præluſerit. Ejus ope Bononienſem Codicem non ſatis emendatum ad Neapolitanum, utrumque vero ad Vaticanum (quos ſemper ita appellabimus) ſumma fide contulimus, atque alterutrius lacunas ſupplevimus, loca reſtituimus, variaſque lectiones conciliavimus. De Cl. Viri adnotationibus, cum paucæ illæ quidem ad ſolum primum Caput Libri primi, ſed prolixæ admodum eſſent inſtar Commentarii ſcholaſtici, non magnopere ſolliciti fuimus, earumque plures omiſimus, paucas vero in breviorem formam contractas ſuis locis ſubjecimus. Quæ autem noſtro ſtudio, & labore adjectæ ſunt, aliæ loca indicat Veterum Patrum, cum quibus mirifice Mo-

MONETA consentit: Aliæ Catharorum & Valdensium cum Veteribus & Recentioribus Hæreticis collationem instituunt. Quæ quidem etsi Viris eruditioribus, ac longo Patrum, & Controversiarum studio subactis minus necessariæ videri possint, iis tamen qui hæc studia minus assecuti fuerint nec inutiles erunt, nec injucundæ. In iis autem colligendis cum operam ac diligentiam suam nobis humanissime contulerit eruditus P. Lector F. Thomas Mamachius Ordinis nostri, quantum ei debeamus hac publica significatione ingenue profitemur. Operi universo præluximus Auctoris Vita, ac duplici dissertatione, qua Catharorum, & Valdensium Historiam bono in lumine collocavimus. Utinam conatus noster ad Theologorum studia promovenda, illustrandam atque asserendam Catholicam fidem aliquid conferat; Nec enim alium qualiscumque hujusce laboris fructum quærimus, aut speramus.



DE VITA

DE VITA ET SCRIPTIS *VENERABILIS PATRIS* MONETÆ CREMONENSIS ORDINIS PRÆDICATORUM.



EN. MONETA Cremonam Insubrium seu Cenomanorum antiquam Civitatem illustrium omni ævo Virorum feracissimam Patriam sortitus est : qua vero familia ortum duxerit incertum plane & obscurum ; Nulla enim ejus gentis reliqua sunt apud Cremonenses Monumenta, quamquam ejusdem nominis familia honesta illa quidem ac liberalis exstet Mediolani, illuc fortasse ex Cremonensi deducta. Antonius Senensis in Chron. ad A. MCCXXX. MONETAM nostrum aliis Simonetam fuisse perhibet, quod cum aliorum perinde Scriptorum calculo firmatum non videam asserere non ausim. Ut ut de genere sit, quod sane honestum ex ipsa MONETÆ institutione conjici potest, magno illum ingenio præditum, & ad præclaras disciplinas omnes egregie formatum inde constat, quod ad tradendam Philosophiam in celeberrima Bononiensi Academia publico censu & suffragio sit evocatus. Quo in munere brevi adeo excelluit, ut inter omnes illius ævi inter Italiam Philosophos celeberrimus haberetur. At vir secularibus ac profanis literis deditus, divinorum ferme incuriosus, æternæque salutis non admodum memor ac sollicitus vivebat.

Bononiam circa An. MCCXVIII. Roma concesserat Vir Apostolicus B. Reginaldus ex Aurelianensis Ecclesiæ Decano S. P. Dominici in Ordine Prædicatorum recens instituto sodalis ac Filius, qui nervosas adeo ferventesque in ea Civitate Conciones habebat, ut non populares modo in viam justitiæ & pietatis, sed summos omnium ordinum Viros ad amplectendum Religiosæ Vitæ institutum adduceret. Quod secum aliquando reputans MONETA, atque subdubitans, ne ipse quoque Sancti viri eloquentia caperetur, ab ejus concionibus veluti a contagione quadam ita abhorrebat, ut ab iis plerosque notos & amicos cumprimis vero discipulos suos omni nisu distraheret, atque arceret.

Contigit porro, ut sacra Stephani Protomartyris die importunis usque precibus a discipulis rogaretur, ut Virum Dei concionantem vel semel audiret; quibuscum ne illiberaliter ageret, id se denique facturum spopondit, mox ut sacris interfuisset. Adeunt una simul S. Proculi templum, ubi post unam & alteram tertiam usque Missam excipiunt, & moras de industria nectentem MONETAM promissis urgent, ac ferme reluctantem ad majorem trahunt Ecclesiam, ubi ad Templi fores, præ circumfusa Reginaldo multitudine, eum audire coacti sunt. Primis fervidi Oratoris verbis, tanquam repentini fulminis ictu MONETA concussus ac prostratus est : Hujusmodi autem ea fuisse perhibentur. *Ecce video Cælos apertos: Ecce in præsentia aperti sunt Cæli introire volentibus. Væ miseris, qui Deo claudunt cor suum. Veniet hora quando Regnum Cælorum eis claudetur, & introire volent, nec poterunt*. Vix absoluta concione animo medullitus compunctus,

ctus, ſanctoque Numine afflatus, ad Reginaldi pedes non ſine uberrimis lacrymis provolutus MONETA, vitæ atque inſtituti ſui rationem aperit, ac Prædicatorum Ordini ſe ſe nomen daturum vovet, mox ut familiaribus rebus ac gravioribus quibuſdam negotiis proviſum ſerit. Recepta a Viro Dei benedictione & venia annum integrum ſolo corpore non vero animo in ſeculo egit, & qui alios a Reginaldi concionibus jampridem averterat, modo plures ad eum audiendum, atque ineundum Prædicatorum inſtitutum, exemplo atque hortationibus ſuis adduxit. Anno tandem elapſo hoc eſt circa An. MCCXX. ut recte conjicit Cl. Echard ſacræ Prædicatorum Familiæ adſcriptus eſt.

Dici vix poteſt quanta in novæ Vitæ inſtituto confeſtim ſanctitate profecerit, & doctrinæ celebritate claruerit. Qua die ſanctæ converſationis inſignia accepit, ſanctiſſimi Præformatoris ſui zelum æmulatus, bellum Hæreticis indixit tam acre, ut neque voci, neque calamo, neque laboribus, neque periculis unquam pepercerit, ut eos qua ſcribendo, qua diſputando urgeret identidem, ac vehementer exagitaret. Cauſſarum Fidei cenſor Mediolani conſtitutus (uti ſcribit Taegius in Monumentis Ordinis apud Fontanam par. I. cap. 2.) tanquam leo rugiens contra Catharos & Valdenſes late per Inſubriam effuſos inſurrexit zelo adeo vehementi, animoque ita impavido & inconcuſſo, ut nemini parcendo etiam in Nobiliores hæretica lue infectos animadverteret. Eminebat inter illos Peraldus quidam opibus & potentia, ſed vafritie magis inſignis, qui apoſtolicum MONETÆ zelum reformidans, eum quærebat ad necem, inſidias moliente altero Hæretico, qui pretio conductus vitam ſe illi ademturum ſpoponderat. Quo MONETÆ nuntiato, irruit ſpiritus Domini ſuper eum, & aſſumto Crucifixo, parva ſtipatus Catholicorum manu, Peraldum cum Sicario captum vinxit in carcere, & utrumque intentati ſceleris convictum ſeculari foro adjudicavit, a quo vivicomburio damnati ſunt maximo Hæreticis univerſis injecto terrore.

Quo anno & tempore illi muneri admotus ſit, & quamdiu illud exercuerit, altum ferme apud Scriptores Ordinis ſilentium eſt. Laudatus vero Taegius, MONETAM ab ipſo S. Patre Dominico eo in munere per Inſubriam Vicarium ſuum conſtitutum tradit; quo ſane efficeretur eum præiviſſe B. Gualæ Brixienſi, qui ab An. MCCXXII. ad Annum MCCXXV., quo ad Epiſcopatum Brixienſem aſſumtus eſt, Fidei quæſitorem egit apud Mediolanenſes.

Illud paulo exploratius videtur, quod ſcribunt Cavitellus in Annalibus Cremonen. Pellegrinus Merula in Chron. Antonius Campi Crem. Fid. lib. 2. MONETAM cum B. Rolando Concive ſuo circa An. MCCXXVIII. Cremonam veniſſe, ut naſcentem Ordinem in patriam urbem inveherent, ibique prima Prædicatorum Cœnobii ad S. Guillelmum fundamenta jacerent. Mantuani etiam Monaſterii ejuſdem Ordinis erigendi auctor fuit An. MCCXXXIII., exſtantque hujus rei documenta in S. Dominici Archivo ejuſdem Civitatis. Quod vero ſcribit Cavitellus auctore MONETA inſtitutum primum Ordinis Cœnobium in Calabria circa An. MCCLX., id mihi non ſatis firmum videtur, cum ad eum uſque annum vixiſſe MONETAM difficile credam: vel ſi ad ea uſque tempora dies protraxerit, eum jam ſenio confectum, atque luminibus captum, tanto operi moliendo parem fuiſſe minus veriſimile ſit.

Primum etiam ex Prædicatorum Familia, qui Pariſiis publice Theologiam profeſſus fuerit, MONETAM faciunt Bononienſium rerum Scriptores. At cum Rolando itidem Cremonenſi confundunt, cui certius quam MONETÆ id muneris contigiſſe teſtantur univerſi Scriptores Ordinis ex B. Humberto in Vitis FF. Parte I. cap. 5. §. I. Ille quidem Theologiam in pluribus Langobardiæ Cœnobiis atque in primis Bononiæ tanta cum laude ac nominis ſui fama eſt interpretatus, ut ad eum viſendum audiendumque multi Romani Proceres, aliique literati Viri confluerent, ut tradit Leander Albertus de Viris Illuſtr. Ordin. Prædicatorum fol. mihi 183. col. 2.

Denique aſſiduitate ſtudiorum, ac jugi lacrymarum vi, quas Vir piiſſimus uberrime fundebat, oculorum lumen amiſit, ſed vigente interiore mentis acie velut alter Didymus ſuperna ac divina impenſius contemplabatur. Diuturnam gravemque cæcitatem æquo animo ferens vir maximi conſilii, ſeverioris diſciplinæ, Apoſtolici

ſtolici pectoris, ac virtutum omnium abſolutum exemplar devexa jam ætate, relicta immortalis nominis fama, Bononiæ ſancto fine quievit. Ferunt S. P. DOMINICUM in MONETÆ cella & lectulo ejuſdemque veſtimentis indutum, cum propria quæ mutaret non haberet, diem clauſiſſe ſupremum, eumque uti amantiſſimum Filium ſuique plane ſimillimum plurimum dilexiſſe.

Mortis ejus annum Bononienſes Scriptores ſtatuunt MCCXXXV. At illius Summam luſtranti eum ſcripſiſſe apparet poſt An. MCCXL. Id enim colligitur ex Lib. 3. cap. 3. §. 2. & lib. 5. cap. 1. §. IV. Igitur cum eo Opere abſoluto diuturna cæcitate laboraverit, Vitam ad medium uſque Seculi XIII. produxiſſe veriſimile eſt.

Præter laudatam adverſus Catharos & Valdenſes Summam, ſcripſiſſe fertur Commentaria in Ariſtotelis Logicam: Aliam quoque Summam Caſuum, ut vocant, Conſcientiæ ei tribuit Leander Albertus in Deſcript. Ital. fol. mihi 630. Doctiſſimi ac piiſſimi Viri præconia celebrarunt plurimi cum domeſtici tum exotici Scriptores, quorum teſtimonia & judicia nonnulla ſubjicimus.

ILLUSTRIUM VIRORUM
DE VENERABILI MONETA
Ejuſque Scriptis teſtimonia.

I.

Ex Tractatu Ven. P. F. STEPHANI DE SALANACHO *Ordinis Prædicatorum apud Taegium in Chron. Minore, quod extat MS. in Bibliotheca Sanctæ Mariæ Gratiarum Mediolani.*

„ FR. MONETA natione Lombardus contra machinationes Hæreticorum magnam & validiſſimam Summam fecit. In hujus lecto decubuit B. DOMINICUS, quando ad Deum migravit, quia ipſe lectum non habebat, & in ejus Tunica, quia Beatus Pater cum qua mutaret aliam, præter eam quam diu portaverat, non habebat; ut ab ipſo Fr. MONETA narrante audivi.

II.

Ex brevi Chronico Magiſtrorum Generalium Ordinis Prædicatorum, quod eſt ad calcem Conſtitutionum ejuſdem Ordinis.

„ Magiſter quoque MONETA Religionem intravit famoſiſſimus in toto Orbe terrarum, qui Summam Theologicam contra Hæreticos compilavit.

III.

Ex Lib. IV. de Vitis Fratrum, qui circumfertur ſub nomine B. HUMBERTI DE ROMANIS *V. Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum.*

„ Fr. MONETA .... ingreſſus Ordinem, qualiter in omni Sanctitate fuerit, quantum in Verbo & Doctrina & Hæreſum confutatione profecerit, nec de facili ſcribi poſſit.

IV.

Ex GUALVANEO FLAMMA *in Chronico MS. ſervato in Bibliotheca Caſanatenſi* §. 26.

„ Eodem Anno Sal. MCCXIX. Magiſter MONETA, qui erat ſuper omnes Magiſtros Mundi famoſiſſimus, ſimiliter intravit in Ordinem.

V.

Ex S. ANTONINO *III. Parte Hist. Tit.* 23. *cap.* 6. §. 2.

„ Fr. Reginaldus quum Bononiæ ferventer prædicaret fere totam Civitatem salutari „ commotione commovit, multosque ad Ordinem traxit, & inter cæteros Fr. Mo- „ NETAM, vel Simonetam, qui in Artibus legens famosus habebatur .... Ipse „ Ordinem ingressus doctrina sua multos convertit.

V I.

Ex ANTONIO SENENSI *in Chron. ad An. MCCXXX.*

„ Fr. MONETA Cremonensis, qui tunc in Artibus legens Bononiæ per totam Lom- „ bardiam famosissimus erat, cum fuit a B. Reginaldo susceptus ad Ordinem, vir „ fuit ingenio excellens, doctrinæ fama percelebris, non solum in seculari, sed in „ Philosophia divina. Scripsit autem Summam quamdam perutilem ad Fidei Ca- „ tholicæ defensionem, & Hæreticæ pravitatis extirpationem contra Hæreticos „ Catharos, & alios..... quæ Neapoli habetur MS. in Conventu S. DOMINICI, „ & etiam Bononiæ, & dicitur Summa MONETA. Totam quoque Logicam di- „ lucide tradidit pro minus eruditis. Claruit An. MCCXXV.

V I I.

LEANDER ALBERTUS *Lib. V. Histor. in Moneta.*

„ Ea die qua (Fr. MONETA) Ordinem Prædicat. ingressus est, bellum Hære- „ ticis indixit tam acre, ut nunquam jam fessus fuerit, quin eos acriter urgendo „ expugnaret. Contra quos, & præcipue Catharos & Valdenses, volumen maxi- „ mum confecit, quod Summa MONETÆ Cremonensis vocatur contra Hæreticos, „ cujus archetypus adhuc in nostra Bibliotheca cernitur, quo Viri peritiam & „ eruditionem facile quisquis intueri potest. Fuit hic Vir venerandus, magni con- „ silii, Fidei pugil egregius, maximis fulgens miraculis. Antequam sacris in Or- „ dine nostro initiaretur magnus extitit Philosophus, postea maximus Theologus.

V I I I.

ANTONIUS FLAMINIUS *lib.* 3. *Vitæ S. Dominici.*

„ Ipse vero MONETA quantus Vir doctrina & sanctitate extiterit, non facile dici „ potest. Inter cetera, quæ illustrem illum fecere, adversus Hæreticos bellator „ fuit acerrimus, in quos etiam Librum, qui extat, ingeniosissimum scripsit. Tan- „ tum autem Beatus illum DOMINICUS dilexit, ut demum in ejus cubiculo & „ lectulo ægrotare, & vita excedere voluerit.

I X.

MALVENDA *in Annalibus Ordin. Præd. ad An. MCCXX. cap.* 4.

„ Pullulasse, & excrevisse per hæc tempora in Lombardia prava germina Valdensium, „ Catharorum, novorumque Manichæorum, adversus quos aciem Catholicam con- „ scripto egregio Commentario MONETA duxerit, abunde nimis exploratum ha- „ betur ..... Fuitque magnus hic Vir inter Ecclesiasticos etiam Scriptores ce- „ lebris.

X.

AMBROSIUS ALTAMURA *in Bibliotheca Ordin. Prædicatorum Centuria I. ad A. MCCXXII.*

„ B. MONETA Cremonensis Vir in tota Italia imo & Orbe notissimus, secularis „ legerat Bononiæ publice Artes, deinde nostris illum divina gratia efficaciter „ commovente adscriptus, Sanctitate conspicuus, brevi evasit, Sacra Doctrina

„ po-

„ politiſſimus, egregius Fidei Pugil, ac maximis fulſit miraculis. Edidit contra „ Catharos & Valdenſes Volumen maximum, quod Summa MONETÆ Cremonenſis vocatur contra Hæreticos.

X I.

JACOBUS GRETSERUS *Societatis Jeſu in Prolegomenis ad Scriptores contra Sectam Valdenſium cap. 9.*

„ Habeo in Bibliotheca S. Emerani apud Ratisbonenſes F. MONETÆ Cremonenſis, „ cujus meminit Antonius Senenſis in ſua Bibliotheca, Volumen grande contra „ Valdenſes in quinque Libros diſtinctum, quod cum his jam foras extruſiſſem, „ niſi Operis prolixitas & magnitudo me abſterruiſſet; ſed alia dabitur, ut ſpe„ ro, Auctoris hujus e tenebris in lucem vindicandi occaſio.

Idem ad calcem Libri F. REINERI SACCHONI *Ordinis Præd. contra Valdenſes editi Tom. XXV. Bibliothecæ Patrum.*

„ Abſurdiſſimos errores, quos hic catalogus continet, Reineruſque in ſuo Opuſculo „ commemorat; copioſiſſime refellit F. MONETA in Libro ſuo contra Valdenſes „ quem nunc ex membranis minutiſſimo & vix niſi lynceis oculis viſibili chara„ ctere exaratis exſcribendum curavimus, nec publico invidebimus, ſi otium rele„ gendi & recognoſcendi obtingat.

X I I.

PHILIPPUS LABBÆUS *Societatis Jeſu in nova Bibliotheca MSS. Parte I. Pagina 27.*

„ F. MONETI Ord. Præd. contra Pauperes de Lugduno ex MS. Cod. Petaviano. „ in Naudeano inſcribitur Summa contra Catharos & Valdenſes compilata a Fra„ tre MONETA Ord. Præd. ad Fidei Catholicæ corroborationem, & extirpatio„ nem hæreticæ pravitatis. *Idem ſupplem. X. pag. 369.* Summa F. MONETÆ, „ qui vivebat A. MCCXXV. fueratque in Seculo Profeſſor Artium Bononiæ, „ antequam Ordini Prædicatorum ſe manciparet.

X I I I.

CASIMIRUS OUDIN. *Comment. de Scriptoribus Eccleſiaſticis Sec. XIII. ad Annum MCCXX.*

„ MONETA Cremonenſis ex Ordine FF. Prædicator. hoc cognomine magis quam „ nomine notus, quem paullo ſerius collocaram ad A. MCCXL. in Supplemen„ to de Script. Eccleſ. *pag.* 502., floruit ab An. MCCXX. velut Dominico Or„ din. FF. Præd. ſynchronus, atque ex primis ejuſdem diſcipulis, ut Ambroſius „ de Altamura aſſerit. Hic in ſeculo Profeſſor Artium Bononiæ naſcenti horum „ FF. Præd. Ordini nomen dedit, illudque poſteritati futuræ commiſit, ſcriben„ do utilem Hæreſibus eradicandis Summam adverſus Catharos Hæreticos, & alios, „ quæ MS. extare dicitur tum Neapoli tum Bononiæ in Cœnobiis ejuſdem Ordin.

X I V.

FRANCISCUS ARISIUS *J.C. atque Hiſtoricus Cremonenſis Tom. I. Cremonæ literatæ ad An. MCCXXII.*

„ MONETA a Cremona Prædicatorum Inſtituti celeberrimi nitidiſſimum ſydus fuit.... „ Apud Mediolanenſes Inquiſitoris munus exercuit, fuitque legum peritiſſimus &c.

Præter laudatos Scriptores, MONETÆ meminerunt *Cavitellus* in Annalibus Cremonen. ad An. MCCXXXI. *Sigonius* de Epiſcopis Bononienſibus lib. 2. ad Annum MCCXXXV. *Ghirardaccius* Hiſtor. Bononien. parte 1. lib. 5. ad An. MCCXXXV. *Alidoſius* in libro cui titulus = *Li Dottori Foraſtieri*,

che in Bologna hanno letto = *Falleonius* Monum. Hiſtor. Eccl. Bononien. lib. 2. *Poſſevinus* in Apparatu Sacro Tom. II. p. 451. *Theophilus Spizelius* in Specimine Bibliothecæ Univerſalis. *Dupinius* in Tabula Chronologica Secul. XIII. *Cangius* in Elencho Scriptorum ad Gloſsarium mediæ & infimæ latinitatis. *Morerius* in Dictionario Hiſtorico. *Jacobus Echard* in Scriptoribus Ord. Præd. Tom. I. *Joſephus Breſſianus Hiſtoricus Cremonen.* in Libro cui titulus = *Corona d'Uomini, e Donne Cremoneſi in Santità, Prelature, e Virtudi inſigni* = *Alexander Macchiavellus* J. U. D. Publicus Bononiæ Legum Profeſſor in Kalendario honorifico perpetuo Archigymnaſii Bononienſi ad diem 2. Octobris, atque in Notationibus ad Rhythmum votivum Galvanei Braggiæ, aliique plures.



DIS-

DISSERTATIO PRIMA
HISTORICA
DE CATHARIS.
CAPUT I.
De Catharorum etymo, & origine.

I.

Cathari Manichæorum soboles.



ANICHÆORUM hæreseos, quæ tertio Ecclesiæ Seculo ex impuris Ethnicorum ac Gnosticorum lacunis Manete Persa antesignano emergens, diu lateque pervagata est, sobolem ac propaginem fuisse Catharos seu novos XII. & XIII. seculi Manichæos nemo dubitabit, qui utriusque Sectæ dogmata, mores, & disciplinam diligenter contulerit: nisi quod hi novis adjectis erroribus parentes ac præformatores suos nequitia & blasphemiis longe superarunt. Unde illis Catharorum nomen injectum dictu difficile est. Gretserus in Prolegomenis ad scripta contra sectam Valdensium illud nomen deducit a Germanica voce *Kazer* T. mutato in Z. more Germanis solemni, unde conjectat Catharos eosdem esse qui Chazari appellati sunt. Henschenius vero in notis ad Vitam S. Galdini Archiep. Mediolan. ad diem 18. Aprilis sic dictos putat a voce Germanica *Caters* idest feles ac Lemures ob nocturnas coitiones. At hæ conjecturæ sunt. Si quid tamen in re obscura affirmare liceat, crediderim ipsos se se Καθαροὺς idest puros appellasse, ut Veteres Novatiani, qui ut ait Prosper Aquitanus in *Chron. & Isidorus l. 8. orig. atque ex ipso Ebrardus Lib. 1. contr. Vald.* propter munditiam ita se nominaverunt: Hæreticis enim ab omni ævo solemne fuit speciosis titulis se suosque coetus insignire, unde Valentinianos falsi nominis Gnosticos idest sapientes appellat Irenæus lib. 1. c. 24. quod scientia omnigena se præ cunctis mortalibus præditos jactitarent, ut ait Clemens *Alex. l. 5. Pædagogi c. 6.*, & Manichæis jugiter exprobarat *Aug. l. de Hær. c. 46. & l. 19. c. Faustum c. 22.* quod Manetis nomen, ut apud Græcos significatio insaniæ vitaretur, geminata littera *n* Manichæum, quasi Manna fundentem appellarint; quin & electos seu perfectos societatis suæ non solum Catharos, hoc est puros, sed Catharistas, hoc est purificatores vocarent: qua philautia, ne dicam impudentia, laborant quoque nostri temporis Hæretici, qui se Reformatos, Evangelicos, Puritanos summo fastu appellare non erubescunt. In ea me sententia confirmat Rogerius Hovedenus qui in Annalibus Anglicis ad A. MCLXXVI. Hæreticos describens circa Tolosam grassantes, quos certe novos Manichæos fuisse constat: *Erant*, inquit, *in Provincia Tolosana quidam Hæretici, qui se appellari faciebant bonos homines:* quæ sane vox Catharorum appellationi synonyma est.

Catharorum nomen unde profectum.

Hæretici speciosa nomina affectant.

II. Quo vero auctore, & tempore, Europæ ferme universæ virus suum afflare coeperint incertum est. *Auctorem* (inquit Bern. serm. 66. in Cant. de Hæresibus sui temporis, quæ Manichæismi portio fuere) *neminem dabunt, neque enim per homines illas exceperunt, sed per immissionem & fraudem Dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium.* Mihi vero rem altius repetenti prorsus videtur novam hanc Manichæorum sectam a priscis usque Manichæis, occulta quidem, sed vix aut nunquam interrupta successione traductam fuisse. Nam etsi Catholicorum Principum legibus, sacrorum Antistitum vigilantia & doctrina vetus illa Manichæorum pestis extincta penitus ac deleta videretur, latuit tamen velut scintilla in cineribus suis, in Ecclesiæ perniciem mox eruptura, ut recte affirmare possis nullo Ecclesiæ Seculo desiisse, sed palam semper aut latenter viguisse Sectarum omnium foecundissimam atque exitiosissimam.

Catharorum auctor.

Manichæismi propagatio perpetua.

III. Ex

Manichæi in Africa fæculo IV.

III. Ex natali Afiæ folo pulfa in Africam conceffit Sec. IV., unde in ejus luto vel ipfe Auguftinus ingeniorum Aquila annis novem miferrime hæfit, ut de feipfo teftatus l. 2. contra Fauftum c. 19. & l. 4. Conf. c. 1. Vaftata vero per Genfericum Africa, & Catholicis alio pulfis, eorum fortunam fecuti funt Manichæi, quorum ingens numerus Lybicis oris incubabat, & ipfi Genferico minus probati. Quare per Catholicorum urbes mentita Religione, ut iis folemne erat, diftributi, Romam ipfam Fidei arcem invafere. At vero nefariæ & clancularìæ gentis impietatem exploratam habens Magnus Leo P. eam e latibulis fuis extrufit, ac Roma deturbavit A. C. 444. ut ipfe fcribit in Epiftola ad Epifcopos per Italiam conftitutos: Extant etiam rei geftæ acta in ejufdem S. Pontificis Sermone 40. qui eft 4. Quadragefimæ cap. 5.

Manichæifmus Romæ Seculo V. & VI.

IV. Eodem Seculo inclinante Romæ iterum emerferunt Manichæi A. C. 496. fub Gelafio P. a quo exilio mulctati, eorum vero codices igne deleti funt. Idem paucis poft annis præftitit Symmacus P. pari zelo, & feveritate in illos Romæ detectos animadvertens A. DIII. Hormifdas quoque clam infidiantes vigilantia fua prodidit, & flagellis cæfos Roma exturbavit A. DXXIII.

Idem in Oriente, ac rurfus in Africa.

V. Sed qui in Urbe inventi Apoftolica cenfura coerciti funt, in remotas Orientis plagas migrandi confilium iniere. Eos vero cognitos Juftinus Imperator Catholicæ Fidei ftudiofiffimus, plurimis eorum extremo fupplicio damnatis, penitus profligavit. Quin & Cabades Perfarum Rex per eadem tempora eos exagitavit trucidatis omnibus quotquot intra ejus regni fines fefe receperant, ut refert ex Cedreno Baronius ad A. DXXIII.

VI. Circa A. DXCII. Ecclefiam Africanam non minus Donatiftarum fchifmate quam Manichæifmo laboraffe, teftis eft Gregorius M. *lib. 2. Epift.* 25. quæ eft ad Johannem Epifcopum Scyllacenum Indict. x.

Manichæi in Armenia Seculo VII.

VII. Sequenti Seculo circa A. DCLIII. eadem Manichæorum Secta in Armenia reftitui cœpit, novam appellationem ac reformationem fortita a Paulo quodam Samofatæ oppido Syriæ orto, a quo Paulicianorum Hærefis, quæ Manichæorum infaniæ pars fuit, quarumdam blafphemiarum acceffione cumulatior, de qua fufe Cedrenus in *Compend. Hiftor.*, *Euthymius in Panopl. Tit.* 21. & Petrus Siculus in *Comment. ad Archiep. Bulgariæ*, quem latine reddidit Cl. Sirmondus. Adhuc fub Juftiniano Imperator hoc eft A. DCLXXXV. Manichæi in Armenia reperti funt, quos idem Imperator acriter infecutus eft, & flammis adjudicavit.

Manichæi ibidem Sec. VIII.

VIII. Ex Armeniæ Civitatibus ejecti, ad montes confugerunt: quos ibi degentes A. DCCXXII. Leo Ifauricus Imperator perfecutus eft, quanquam nec omnes delere potuerit; Nam velut immanis Hydra avulfis capitibus convalefcere videbantur in fobole, atque ex cladibus ipfis audaciores ac fœcundiores refurgere.

Manichæi Pauliciani in Oriente reftituti Sec. IX.

IX. Sub Nicephoro Imperat. qui, ut habet Cedrenus in *Compend. pag.* 379. *edit. Venet.* impenfe favit Manichæis, Sergius Paulicianorum Hærefim reftituit; quare per Phrygiam & Licaoniam conftituti, atque in omnem licentiam effufi, Manichæifmi lue multos contaminarunt circa A. 810. Michael vero Imp. qui Nicephoro poft annum fequentem fucceffit, reddita Ecclefiæ pace Paulicianos, qui & Attingani dicti funt, lege capitis adverfus eos lata, ex Orientis Provinciis exulare coegit.

Ibidem a Bafilio Imp. deleti.

X. Sed & Theodora Imp. A. DCCCXLV. idem cœpit de Manichæis extirpandis confilium; Nam Bulgarica Gente ad Chrifti fidem converfa, validiffimum exercitum adverfus Paulicianos late per Orientem effufos, Leone Argyro & Andronico ductoribus, movit, qua una expeditione centum Paulicianorum millia deleta funt, cæteris in fugam actis, ac publicatis eorum bonis. Sed ad eas Manichæorum reliquias tanta fenfim in Armenia multitudo confluxit ac brevi ad eam potentiam crevit, ut tres ibi munitiffimas urbes e fundamentis excitaverint, e quibus identidem erumpentes, Romani Imperii fines excurfionibus ac populationibus diu vexarunt, donec Bafilius Imp. A. DCCCLXXXVI. eos fub Theophrices Paulicianorum Civitatis Principe Chryfochire militantes bello fudit atque delevit.

Manichæifmus in Bulgaria Secul. X.

XI. Denique Seculo X. ex Armenia in Bulgariam tranflatum effe Manichæifmum facile fufpicor: Tum quod Seculo IX. id jam tentatum fuiffe fcribit Petrus Siculus in fuo Commentario adverfus Paulicianos: Tum quod in ea Provincia firmas adeo profundafque radices egerunt, ut inde in alias Europæ Provincias latiffime propagati fint, ut mox videbimus.

CAPUT

CAPUT II.

Catharorum per Europam diffusio.

I. MAnichæorum pestis, quæ jam Bulgaros incesserat, primum in Galliam facile transvolavit. Nam, ut refert Petrus de Marca in Historia Bearniensi, Galli Hierusalem potiti cum Tracibus & Bulgaris commercium iniere, haustoque ex eorum consuetudine Manichæismi quod hi jam ebiberant veneno, illud in Galliam derivarunt. Inde vero Petrobusiani, Henriciani, Apostolici, ac demum Albigenses vel iidem prorsus qui Cathari, vel eorum affines atque cognati, quos propterea Scriptores nonnulli, atque in primis Chronici Altisiodorensis Auctor, Bulgarorum nomine aliquando designarunt. Manichæismus in Galliam invectus Sec. XI.

II. Prima exitialis sectæ germina sub initium seculi XI. jam prodierant Roberto Hugonis Capeti Filio in Galliis regnante. Nam in urbe Aurelianensi circa A. MXXVII. vel ut aliis placet MXXII. Manichæorum errores Stephanus quidam & Lisojus præfatæ urbis Presbyteri cum aliis Clericis professi sunt: sed ad Synodum Aurelianensem delati pœnam ignis luerunt, cujus rei Historiam literis consignarunt Gaber Rodulphus lib. 3. Hist. c. 8. & Chron. S. Petri Vivi Senonen. edit. Spicilegii Dacheriani Tom. II. Ademarus Monachus qui per ea tempora vivebat ejusdem furfuris Hæreticos inventos esse apud Tolosam, & flammis damnatos scribit in Chron. apud Labbæum Tom. 2. Biblioth. pag. 180. quin & in Aquitania eodem tempore Manichæos erupisse colligit Baronius ex fragmento Historiæ Aquitanicæ editæ a Petro Pithono Tom. II. Habitum est contra hos Hæreticos Concilium Tolosanum, de quo agam hujus Dissertationis cap. ultimo. Cathari Aurelianenses; Tolosates, & Aquitani Sec. XI.

III. In Belgium quoque per ea tempora penetrasse Catharos accepimus ex Synodo Atrebatensi contra illos celebrata A. MXXV. quam ex Spicilegio Dacheriano laudabimus ad calcem hujus Dissertationis. Cathari in Belgio A. MXXV.

IV. In Germania vero circa medium seculum XI. detecti sunt ab Henrico IV. Imp. cum Goslariæ Urbis Sveviæ Natalem diem Domini celebraret. Quos, ne latius propagarentur, suspendio affecit; ut narrat Baronius ad A. MLII. Iidem in Germania A. MLII.

V. Sequenti Seculo Manichæis, qui postea Albigenses in Gallia dicti sunt, præludere visus est Petrus de Bruis, qui Provinciam primo, deinde Occitaniam, Aquitaniam aliasque Galliarum partes sub Honorio P. II. contaminavit; quem ejus discipulus ac buccinator Henricus secutus est Anno MCXLVII. Tum Apostolici, Manichæis quoque accensendi, quos omnes zelo & scriptis suis exagitavit S. Bernardus. Eos vero eadem ferme cum Manichæis docuisse tam erudite diserteque probat Cl. Bossuetus lib. XI. Variat. Eccl. Protest. ut actum agere videar, si id ostendere instituam. Manichæi in Gallia Seculo XII. Petrobusiani Henriciani Apostolici Manichæis accensendi.

VI. Porro Albigenses ab Alba Augusta sic primo appellatos in Concilio Lombariensi A. MCLXXVI., Manichææ sectæ propagines fuisse nemo in dubium revocaverit, qui Capitalia utrorumque dogmata expenderit: nec est quod pluribus id erudito Lectori persuadeam. Albigenses veri Manichæi.

VII. In Angliam quoque circa eadem tempora Manichæos venisse testatur Guillelmus Neubrigensis l. 2. Hist. Angl. c. 13. sic enim scribit ad A. MCLX. *In illis diebus erronei quidam venerunt in Angliam ex eorum ut creditur genere, quos vulgo publicanos vocant. Hi nimirum ex Gasconia habentes originem, regionibus pluribus virus suæ pertinaciæ infuderunt, quippe qui in latissimis Galliæ, Hispaniæ, Italiæ, Germaniæque Provinciis, tam multi ea peste infecti esse dicuntur, ut secundum Prophetam multiplicati esse super numerum arenæ videantur*: quibus sane, appellatione mutata, non alios quam Valdenses, aut novos Manichæos indicasse videtur, adversus quos celebratum est Concilium Oxoniense, de quo infra. Cathari in Anglia.

VIII. Primum vero Catharorum nomen novis Manichæis in Germania tributum invenio apud Chronici Hirsaugiensis Auctorem, qui ad A. MCLXII. hæc habet. *Abbas Egbertus Monachus S. Florini in Sconaugia per Clerum vocatus ad Coloniam ad disputandum contra novos Hæreticos, qui se græco vocabulo Catharos, idest* Cathari primo in Germania sic appellati.

idest Mundos nuncupabant , magnam eruditionis suæ gloriam reportavit , & Hæreticos confutavit . De eadem Hæresi circa Coloniam Agrippinam detecta scripsit Enervinus Steinteldensis Præpositus ad S. Bernardum Epistolam, quam Tom. III. veterum Analect. edidit Cl. Mabillonius.

Cathari in Italia. Unde Mediolanum advenerint.

IX. Latius vero in Italia Cathari propagati sunt, sed unde illuc adrepserint incertum est : Cl. Puricellus in Monum. Basilicæ Ambros. numero 245. eam Hæresim tempore schismatis quod contra Alexandrum III. Fridericus Imper. improbe fovit, e Germania, ac sigillatim Coloniensi Dioecesi advenisse arbitratur: Tum quod Scriptor Vitæ S. Galdini & post ipsum Gravina l. 4. Cathol. Præscript. dicant novos Catharos circa A. 1166 pullulare coepisse: Tum quod eodem tempore Dioecesim Coloniensem infectam tenuerint, inde vero Mediolanum deductos cum iis qui Raynaldum Archiepiscopum Colonien. insignem schismatis Federiciani fautorem in Italiam comitati sunt. At oppido hallucinatur Cl. Scriptor, constat enim ex Landulpho a S. Paulo ante A. MCXXX. eam Hæresim in Mediolanensem Provinciam invectam esse, latius vero propagatam tempore schismatis Ecclesiæ Mediolanensis. Quin etiam Manichæi germina fuisse errores *Gerardi Hæretici* ejusque sociorum, quos Heribertus Mediolanensis Archiepiscopus circa A. MXL. deprehendit grassantes in Castello Montisfortis Dioecesis Taurinen. suspicatur Cl. Muratorius To. 5. Antiquit. Italic. Dissert. LX. idque colligi posse arbitratur ex Landulpho Seniore l. 2. cap. 27. Histor. Mediol. Tom. 4. Rer. Italic. qui eorum dogmata literis consignavit. Neque satis firmum videtur quempiam ex Raynaldi comitibus quos quingentos dumtaxat milites fuisse perhibet idem Punicellus ex Morena, Catharorum labe respersum; cum laudatus Archiepiscopus in sua ipsa Dioecesi eorum insectator ac profligator fuerit, eique propterea Eckbertus Sermones suos adversus Catharos inscripserit.

Cathari veteres, ac novi apud Mediolanum.

X. Duo potius Catharorum genera apud Mediolanenses distinguenda esse crediderim, Veterum nimirum, qui & Patareni ac Poplicani seu Publicani apud ipsum Puricellum & Boscam in notis ad Martyrolog. Mediolan. ad diem 8. April. vocantur, & Recentiorum. Veteres illos, qui forte ante præfatum schisma prodiere (si quidpiam conjectare liceat) in Italiam ex vicina Dalmatia, aut Croatia, aut Bulgaria Manichæismi sede profectos esse verisimile est. Ex Oriente in Insubres, atque in ipsam Mediolani urbem delatum eorum venenum statuit Cl. Muratorius loco superius laudato. Ii certe prius in Italia quam in Germania visi sunt, quare aliunde quam ex ea Provincia Mediolanum deduci debent, nisi forte ex Gallia derivare velimus, in quam tamen ex Itala muliere invectum fuisse Manichæismum circa A. MXVII. testis est Glaber Rodulphus l. 3. Hist. c. 8. unde efficitur prius Italiam quam Galliam Catharos in suo sinu fovisse. Posteriores vero Catharos qui circa A. MCLXXVI. universam Insubriam invasere illuc e propinquis Galliæ Provinciis Tolosa nimirum & Alba Augusta confluxisse crediderim: Tum quod Insubres Catharos apud Reinerum Sacchonum, qui diu inter illos versatus est, Albanenses nuncupatos video, ab Albigio videlicet seu Alba, unde & Albigenses, qui in Galliis agebant Manichæi: Tum ob summam inter utrosque consensionem temporis & errorum. Quare prorsus assentior Malvendæ & Sandero, quorum primus in Annal. Dominic. ad A. MCCXXI. alter vero in Lib. de visibili Monarch. ad A. MCLIX. scribunt Catharos Lombardiæ non propriam Hæresim condidisse, sed Henricianorum portionem fuisse, ac forte eosdem cum Albigensibus.

Cathari in variis Italiæ Provinciis.

XI. Sed latius quam in sola Insubria aut Langobardia ea pestis grassata est. Nam per Æmiliam, Umbriam, Picenum, Tusciam, Marchiam Tarvisinam, & Vicentinam, aliasque Italiæ partes Catharorum synagogas constitutas memorat Reinerus Sacchonus eorum aliquando Episcopus. Ivo etiam Narbonensis in Epistola ad Gyraldum Archiep. Narbonen. apud Matthæum Paris in Annalibus Anglicanis pag. 589. se Novocomo ad fines usque Provinciæ Forojuliensis semper & ubique locorum a Catharis splendido ac lautissimo hospitio exceptum, quorum fidem religionemque simulabat, iter habuisse testatur. Denique Viterbii & in Patrimonio B. Petri ab Innocentio III. repertos Catharos A. MCCVII. atque ab eodem Pontifice exterminatos tradit Card. de Aragona in Vitis Pontif. To. 3. Rer. Ital. Script.

Cathari in Hispania.

XII. Nec Hispania caruit teterrimis hisce monstris. Extat enim Idelphonsi, seu Alphonsi

Alphonsi Aragonum Regis circa A. MCXCIV. sanctio qua eos e suis ditionibus exulare jubet, eorum fautoribus bonorum publicatione mulctatis apud Pegnam in Comment. Direct. Inqu. pag. mihi 281. Id etiam colligitur ex Neubrigensi L. 2. c. 13. relato Tom. x. Conciliorum.

CAPUT III.

De variis Catharorum sectis, earumque appellationibus.

Hæretici inter se pugnant opinionibus.

I. UNitatem & consensionem fidei solius Catholicæ Ecclesiæ Notam esse seu characterem, cæteras vero Hæreticorum synagogas semper discordes esse, turpiterque pugnare inter se doctrinis atque sententiis recte monuit Irenæus lib. 1. cap. 2. num. 5. ita de Gnosticis ac Valentinianis scribens *discrepant ab invicem & doctrina & traditione, & qui recentiores eorum agnoscentur affectant per dies novum aliquid adinvenire, & fructificare, quod nunquam quisquam excogitavit*. Et cap. 27. num. 4. *Ab his autem qui dicti sunt jam multæ propagines multarum hæresum factæ sunt, eo quod multi ex ipsis, immo omnes velint doctores esse, & abscedere quidem ab Hæresi in qua fuerant, aliud autem dogma ab alia sententia, & deinceps alteram ab altera componentes, nove docere insistunt, semetipsos adinventores sententiæ, quamcumque compeserint enarrantes*. Quæ nunquam aptius de ulla Hæreticorum secta, quam de Catharis, seu novis Manichæis, dicta sunt. Tanta inter illos opinionum seu verius deliramentorum varietas & dissensio, ut singulas in quas dissecti factiones fuere propriis nominibus designare valde operosum ac difficile sit.

Cathari se reciproce anathematizant.

II. Fr. Stephanus de Borbone al. de Bellavilla Ordinis Præd. qui floruit ab A. MCCXXII. ad Annum circiter MCCLX. ac diu caussarum Fidei Quæsitorem egit adversus sui sæculi Hæreticos, in præclaro opere MS. de septem donis Spiritus S., cujus fragmentum nobis edidit Cl. Echard Dissert. de scriptis Vincentii Bellovac. refert Parte 4. de dono fortitudinis Tit. 7. c. 30. septem diversarum sui temporis Sectarum Episcopos, nempe Catharorum, cum credentibus suis in majorem cujusdam Civitatis Lombardiæ Ecclesiam convenisse, ut eorum quilibet Sectam suam præ alia assereret ac vindicaret, cumque diu acriterque ab alterutris disputatum esset, singuli aliorum Sectam ut Hæreticam proscripserunt, damnarunt, mutuoque se se anathemate confodientes præclaram eam Synodum dissolverunt. Petrus etiam de Pilicdorfio qui per ea tempora adversus Catharos scripsit, Tractatus sui cap. 12. observat, quod Hæretici diversarum Sectarum damnant se mutuo.

Catharorum Sectæ variæ & nomine.

III. Porro ut opinionibus ita & nominibus inter se discrepabant. Reinerus olim eorum Episcopus cap. 6. Libri sui de Hæreticis, memorat ex iis Rumcarios, Sciscindenses, Ortlibenses, & Ordibarios, quorum alii a locis, alii a Magistris, alii aliunde appellationem sortiti sunt. Principes vero Catharorum Sectas tres ibidem designat, Albanensium nimirum, Concorrezensium, & Bagnolensium qui in Lombardia potissimum obtinebant, quarum dogmata exhibebimus capite sequenti. Pleraque alia eorum nomina recitat Concilium Lateranense III. c. 27. & Fridericus Imperator in Authentica de Statutis, & consuetudinibus, sed expressius in altera, quæ est apud Petrum de vineis lib. 1. Epist. c. 25. in qua proscribit *Patarenos*, *Speronistas*, *Leonistas*, *Arrianistas*, *Circumcisos*, *Passaginos*, *Joseppinos*, *Carracenses*, *Albanenses*, *Franciscos*, *Bannarolos*, *Comistas*, *Valdenses*, *Bulgaros*, *Commincellos*, *Barrinos*, *& Ortolevos*, *cum illis de Aquanigra &c.* quæ quidem nomina, si Valdensium & Leonistarum excipias, pleraque in Catharos recidunt, seu novos Manichæos. Qui vero eorum nominum interpretationem instituunt, hi divinatione magis agunt & conjecturis, quam certis verisque argumentis, quæ videri possunt apud Gretserum in Prolegom. ad Scripta contra Vald. & Ducangium in Glossario; Nec enim vacat singula persequi, aut incertis dubiisque etymologiis tempus & operam ludere.

Bulgarorum nomen cur Catharis affictum.

IV. Sed quando Bulgarorum & Paterinorum nomina frequentius apud Scripto-

 res

res illius ævi occurrunt, de iis pauca ſubiiciam abs argumento non aliena. Ex Bulgaria quæ olim Moeſia dicebatur in Galliam primum, ac in alias ſubinde Europæ Provincias derivatum Manichæiſmum obſervavimus: Ibi prima Catharorum Sedes, ubi Bartholomæum quemdam Pſeudo-Papam conſtituerant, ut refert Matthæus Paris ad A. MCCXXIII. Bulgarorum itaque, ſeu Burgarorum, Gallice *Boulgres* ſordidum quidem atque inhoneſtum nomen, quod adhuc perſeverat in Galliis; ex Bulgaria Cathari primò ſortiti ſunt, eaque non originis ſolum ſed contumeliæ & contemptus appellatio fuit.

Patareni unde dicti.

V. Patarenos ſic dictos ab alacri ſuppliciorum perpeſſione tradit Fridericus Imperator in ſua Conſtitutione quam refert Pegna ad calcem Direct. Inquiſit. *In exemplum, inquit Martyrum, qui pro Fide Catholica martyria ſubierunt, Patarenos ſe nominant veluti expoſitos paſſioni.* Aliam tamen fuiſſe illius appellationis originem ex Arnulpho Hiſt. Mediol. l. 4. c. 7. recte colligit Cl. Pagius in Crit. Baron. ad A. MLVIII. num.3. Primum enim Mediolani Patarinorum nomen auditum eſt circa A. MXLIV. cum S. Arialdus Fornicarios & Simoniacos Sacerdotes exagitare cœpit, quorum communionem qui vitabant Clerici cælibatus aſſertores, ab illis Patarini appellati ſunt, quod in locum Urbis qui Patarea, ſeu Pataria nuncupabatur, ad ſacra facienda ſeorſim convenirent. Igitur Arialdiſtis primum, hoc eſt Catholicis Romanæ Eccleſiæ diſciplinam tuentibus, ac novis deinde Manichæis affictum eſt, quos cum Catholici averſari, ac perſequi cœpiſſent, populus qui Patarinorum nomen retinuerat, licet ejus originis inſcius vel immemor, abſurda nomina excogitavit, ut quantum poſſet contumelioſe adverſus eos ageret. Sic in Gallia, inquit Cl. Pagius, Hæretici omnes, & infideles Hugonoti a populo nuncupati, & ante exortam Hæreſim Calvinianam Valdenſes dicti, quo nomine etiam nunc in quibuſdam Galliæ partibus Hæretici omnes deſignantur. Vide in hanc rem eruditiſſimum Muratorium *Tom. V. Antiquit. Italic. Diſſert. LX. pag.* 83. *& ſeqq.*

CAPUT IV.

Catharorum errores.

Manichæi omnium Hæreticorum peſſimi.

I. DE veteribus Manichæis tam diſerte, quam vere ſcripſit S. Leo M. Ser. 5. de Jejunio. *Cum Diabolus in cunctis perverſitatibus multiformem teneat principatum, arcem tamen ſibi in Manichæorum ſtruxit inſania, & latiſſimam in eis Aulam, in qua ſe exultantius jactaret invenit, ubi non unius pravitatis ſpeciem, ſed omnium ſimul errorum, impietatumque mixturam generaliter poſſideret, quod enim in Paganis profanum, quod in Judæis carnalibus cæcum, quod in ſecretis magicæ artis illicitum; quod denique in omnibus Hæreſibus ſacrilegum, atque blaſphemum eſt, hoc in iſtos quaſi in ſentinam quamdam omnium ſordium concretione confluxit, unde univerſas eorum impietates enarrare perlongum eſt, ſuperat enim verborum copiam criminum multitudo.* Quæ quidem aptiſſime ad novos Manichæos ſeu Catharos referenda ſunt, quippe qui novarum opinionum portentis ad veteris Manichæiſmi dogmata adjectis, parentes ſuos ita ſuperarint, ut eorum Hæreſis quemadmodum Valentiniana apud Iræneum Præfat. l. 3. ἀνακεφαλήωσις, ſeu recapitulatio omnium Hæreſum jure appellanda ſit. Horrendum eſt enim dicere quas blaſphemias in Sanctam Trinitatem, ſingulaſque ejus perſonas, in Chriſti humanitatem, Vitam, atque myſteria, in Sanctos V. T. Viros, necnon de Mundi creatione atque æternitate, de Corporum Reſurrectione, judicio extremo, Sacramentis Eccleſiæ: de aliis demum cum Fidei tum morum articulis, ut taceam de Sacris Scripturæ Libris, Traditionis, Conciliorum, Patrum, atque Eccleſiæ authoritate, impudentiſſime evomerent atque comminiſcerentur. Quæ quidem ſingula ad certa capita exigere difficile eſt: ſequemur tamen in eorum recenſione Reinerum qui cap. 6. Libri ſui de Hæreticis a communibus exorditur Catharorum opinationibus.

Communes Catharorum errores.

II. In eo itaque Cathari univerſi conſentiebant Diabolum aſpectabilis Mundi hujus eorumque omnium quæ in illo ſunt conditorem eſſe. Baptiſmum aquæ naturalis

ralis rejiciebant: Cætera vero Sacramenta Ecclesiæ nihil ad salutem conferre prædicabant, atque deceptoria, diabolica, & Ecclesiæ malignantium vocabant. Matrimonium carnale aversabantur cumprimis, ejusque usum peccatum mortale asserebant, nec gravius homines punitum iri in futuro ob adulterium vel incestum, quam ob legitimum conjugium. Futuram carnis Resurrectionem irridebant. Esum carnis ovorum vel casei urgente etiam necessitate tanqum lethale crimen vetabant, propterea quod ex carnali concubitu ea prodirent, & omnis caro apud eos immunda haberetur, & diaboli factura. Juramenta omnia illicita semper esse, ac mortale peccatum. Seculi Magistratus gravissime peccare animadvertendo in Malefactores, aut Hæreticos. Neminem extra eorum Sectam salutem consequi posse. Parvulos etiam Baptismali latice tinctos non levius æternum puniri quam latrones & homicidas. Sacrarum Imaginum, & Crucis cultum, ac ritus omnes Ecclesiæ, risu excipiebant. Purgatorium quoque ad fabulas amandabant. Ac ea quidem dogmata communia fuisse Italis Gallis & Germanis Catharis præter laudatum Reinerum testantur cæteri qui de illis scripsere Auctores Synchroni, Eckbertus in suis adversus Catharos Sermonibus: Petrus de Vallecernensi in Hist. Albig. Tom. 5. Hist. Franc. Duchesne: Cæsarius Heisterbacensis l. 5. Dialog. c. 21. ubi apposite observat Catharorum Duces atque Doctores quædam e priscis Manichæis hausisse, quædam ex erroribus Origenis in Peri-Archon, plurima tamen quæ de corde suo confixerant adjecisse.

III. Albanenses Cathari in duas secti erant factiones: Unius Caput *Balasinanza* (ut legit Martene in Reineri libro, vel *Gelesinanza*, ut placet Gretsero, vel *Belezmansa*, ut habent MSS. quidam Codices) Veronensis eorum Episcopus. Alterius vero Johannes de Lugio al. de Lugduno Bergomensis Catharorum Filius major, & ordinatus Episcopus. Prioris sectæ dogmata, præter antiquas Catharorum opiniones, hæc erant. Duo fuisse ab æterno boni ac mali principia. Patrem in Trinitate esse Filio & Spiritu Sancto majorem, illum vero solum Deum esse, hos autem creaturas. Utrumque principium seu Deum suos creasse Angelos, ac Mundum suum, hoc est quatuor alia elementa, Cælum aliud &c. ab aliis plane diversa. Mundum vero hunc aspectabilem a malo Deo esse. Diabolum cum suis Angelis in Coelum conscendisse, factoque ibi prælio cum Michaele Archangelo, cæterisque boni Dei Angelis, inde ejusdem Creaturarum tertiam partem detrusisse in humana corpora, immo & in bruta quotidie infundere, ac de uno corpore in aliud, donec omnes simul poenitentia expleta in Cælum reducantur.

Albanenses Cathari in duas sectas divisi.

IV. De Incarnatione ita sentiebant. Dei Filium corpus cæleste in uterum Virginis, quam Angelum fuisse credebant, de cælo tulisse, ac de illa nihil omnino traxisse, nec vere passum, mortuum, resurrectum, sed secundum speciem sensus ludificantem. Idipsum de ejus miraculis effutiebant, quæ ad spiritualem ac mysticum sensum prorsus detorquebant. Abraham, Isaac, Jacob, & Moysen, cæterosque Veteres Patres una cum Johanne Baptista, ut Dei inimicos, ac Diaboli ministros habebant. Veteris Testamenti Diabolum auctorem constituebant, exceptis Libris Job, Psalmorum, Sapientiæ, Ecclesiastici & Prophetarum. Prophetas tamen in alio Mundo prophetasse, eorumque libros in Cælo scriptos ante hujus Mundi constitutionem somniabant. Denique Mundum æternum futurum. Judicium jam factum esse, nec deinceps faciendum. Inferni poenas in isto non in alio Mundo constitutas, Has vero opiniones, quas adoptaverant Albanenses ab A. MCC. ad MCCXXX. communes fuisse Catharis Tholosanis, Albigensibus, & Carcassonensibus, immo plerisque ultramarinis, hoc est extra Italiam constitutis, monet Reinerus, quamquam & alia iis miscuisse deliramenta minime dubitandum sit.

Eorum Errores.

V. Cathari Johannis de Lugio auditores & asseclæ affirmabant Creaturas omnes sive bonas sive malas ab æterno fuisse cum Deo bono vel malo, qui eas non præcederet æternitate, sed causa vel natura, ut Sol præcedit radios suos. Deum bonum alterius Mundi dominum rectoremque constituebant, in quo alios homines, & alias creaturas hisce inferioribus & corruptibilibus non absimiles comminiscebantur, ibique fieri connubia fornicationes & adulteria inter Dei boni filios & mali filios, ex quibus orti fuerint Gigantes, & alii. Adamum & Evam in eo Mundo conditos, ibique sacri Codicis Libros omnes conscriptos: Ibi natum Christum, passum, & mortuum. Ibi veteres PP. Prophetas, & Jo: Baptistam vixisse: quæcumque demum in Scripturis narrantur, ibi esse peracta.

Errores Jo: de Lugio.

VI. Deum non esse omnipotentem blasphemabant, propterea quod ejus voluntas & potentia in creaturas suas a Deo malo ejus contrario impediatur, altero in alterutrum pugnante ab æterno. In Christo fuisse potentiam peccandi, ita tamen oppressam per summum bonum, ut effectu caruerit. Deum bonum non esse præscium alicujus mali ex vi suæ essentiæ, quia malum ab eo non fluit, sed illum præscire aliquando per adversarium suum, a quo etiam movetur ad illud inducendum. Denique animarum de corpore in corpus migrationem admittebant, pluraque alia quæ in volumine satis spisso præfati Johannis de Lugio se legisse testatur Reinerus.

Errores Concorrezensium.

VII. Cathari Concorrezenses de uno principio recte sentiebant, sed in fide unitatis & Trinitatis errabant. Deum ex nihilo creasse Angelos & quatuor elementa confitebantur, sed diabolum Deo consentiente visibilia omnia condidisse; corpus primi hominis efformasse, in quod Angelum pro anima infuderit, qui in modico peccaverat, atque ex illo Angelo cæteras rationales animas deinceps esse traductas. Vetus Testamentum universim rejiciebant, cujus auctorem diabolum autumabant, iis solum verbis exceptis, quæ a Christo & Apostolis in novo Testamento laudata sunt. Moysen damnabant, de cæteris Patriarchis & Prophetis subdubitabant. Christum non assumsisse animam humanam, sed solam carnem de B. Virgine affirmabant. Nazarius vero eorum Episcopus antiquissimus B. Virginem Angelum fuisse docebat, & Christum non humanam habuisse sed Angelicam naturam; quem errorem hauserat a Catharis Bulgariæ, ut scribit Reinerus.

VIII. Cathari vero omnes, qui Christum assumsisse verum Corpus humanum confitebantur, illud tamen glorificandum vel glorificatum fuisse negabant, sed Christum in die Ascensionis suæ illud deposuisse in Cœlo aereo dicebant illud resumturum in die Judicii, quo peracto, velut cadaver in præjacentem materiam resolvetur. Denique B. Virginis omniumque Sanctorum animas in gloria non futuras usque ad diem judicii, nunc antem esse in quodam loco aeris hujus cum Jesu Christi Corpore effutiebant.

Errores Bagnolensium.

IX. Bagnolenses, seu Bajolenses Cathari in omnibus ferme cum proxime superioribus consentiebant, nisi quod animas a Deo creatas ante Mundi constitutionem credebant, & tunc etiam peccasse. Sentiebant vero cum Nazario B. Virginem Angelum fuisse, & Christum ipsum non humanam sed Angelicam naturam sumsisse, & corpus Cœleste habuisse.

Mediolanensium Catharorum Secta, ejusque errores.

X. Aliam Catharorum Sectam Mediolani exortam paullo post A. C. MCLXXIII. patefecit Bonacursius quondam eorum Episcopus & Magister in Opusculo quod Tomo I. Spicilegii Dacheriani 2. Edit. Paris. extat sub titulo *Vita Hæreticorum* Errores qui in eo recensentur aliis ferme Catharis communes sunt. Duo enim admittebant rerum principia. Diabolum de limo terræ Adamum fecisse, eoque Angelum lucis in eo summa vi inclusisse, qui subinde cum Eva concubuit, atque inde Cain genitus, de cujus sanguine natos esse canes fabulabantur. Ex Filiabus Evæ cum diabolo congressis Gigantes exortos; quæcumque dicta vel facta à Patriarchis Veteris Testamenti, a diabolo dicta vel facta esse. Miracula etiam in antiqua Lege diaboli opera patrata esse. Prophetias quasdam a spiritu maligno profectas. Davidem damnatum esse: Eliam a diabolo in curru igneo raptum, eumdemque diabolum Zachariæ Patri Johannis Baptistæ esse loquutum, Johannem ipsum a diabolo delusum, atque damnatum. Christum Anima destitutum vera vitæ opera non exercuisse. Dextrum, seu pœnitentem, latronem in Infernum detrusum esse. Corpus Christi verum nec in Infernum descendisse, neque resurrexisse, neque in Cœlum ascendisse. Filium Dei esse Patre minorem. Crucem esse characterem Bestiæ in Apocalypsi descriptæ. B. Silvestrum Antichristum esse, atque ab ejus tempore Ecclesiam defecisse. Neminem in Conjugio posse salvari. Doctores omnes damnatos esse; damnari quoque omnes, carnes ova caseum comedentes. Per Baptismum aquæ Spiritum Sanctum conferri non posse. Transubstantiationem in Eucharistia impossibilem esse. Omne juramentum esse peccatum. Neminem salvari nisi per ipsorum manuum impositionem, quam vocabant Baptismum, & Spiritus Sancti renovationem. Diabolum esse Solem comminiscebantur, & Lunam Hevam, quos singulis mensibus coire ac fornicari dicebant. Stellas omnes dæmones esse, denique sine ipsis Catharis neminem posse salvari.

XI. Præstat autem hoc loco egregium illud documentum referre, quod vir doctissimus

ctiſſimus Ludovicus Antonius Muratorius tranſtulit in LX. Diſſertationem *Tom.* V. *Antiquitatum Italicarum ex Cod. MSS.* Peregrini Priſciani, qui tempore illo floruit, quo hæreſis Catharorum late longeque graſſabatur. Atque opportune quidem indicabo loca, in quibus MONETA Noſter dogmata hæreticorum ejuſmodi numerata a Peregrino refellit. Nolo tamen quiſquam exiſtimet eos tantum errores Catharis placuiſſe, quorum meminit Peregrinus; cum pleroſque alios refutet MONETA, qui non ſunt a Priſciano relati. Ergo poſteaquam Priſcianus teſtimonia quorumdam orthodoxorum attulit, qui Armannum Pungilupum vita functum anno 1269. in hæreſim fuiſſe lapſum teſtati ſunt. *Et quoniam*, inquit, *in hæreſim Bagnolenſem Armannum prolapſum fuiſſe teſtes ſuprafcripti affirmant; idcirco neceſſarium duximus hæreſeos ipſius Capitula & errores, breviſſime tamen, ſcribere, ut plene omnino habeatur Hiſtoria iſta, & medullitus intelligatur. Non prætereuntes & eiſdem fere temporibus tres viguiſſe Sectas, Albigenſium ſcilicet, illorum de Bagnolo, & illorum de Concoretio. Quas per characteres A. B. C. ſignabimus; A. Albigenſem denotante: B. Bagnolenſem: C. Concoretianam. Et quamquam inter ſe aliquantulum diſcrepent, & nonnumquam conveniant, breviter tamen & perpulcre diſcrepantia & concordantia apparebunt in ordine tabulæ ipſius.*

Quod duo ſunt Principia. Unum penitus Bonum: alterum penitus Malum A. & B. Moneta lib.I. cap. 1. §. 1. *& ſeqq.*

Quod Deus bonus non creavit iſta viſibilia corpora. A. & B. Moneta lib. I. cap. 8. §. 1. *& ſeqq. & lib. II. cap.* 2. *&* 3.

Quod tantum uni Deo non ſubjiciuntur omnia. A. & B.

Quod Deus bonus non eſt Creator omnium rerum. A. & B. Moneta lib. I. cap. 8. *& lib. II. cap.*2. *&* 3.

Quod Chriſtus non eſt major omnibus. A. B. C. Moneta lib. III. cap. 3.

Quod Deus non damnabit æternaliter. A. & B. Moneta lib.V. cap. 9. §. 5. *& cap.* 10. §. 1.

Quod Deus non infundit, nec creat novas Animas. A. Moneta lib. I. cap. 4. §. 1. *& ſeqq.*

Quod modo non vadunt homines ad requiem, vel infernum. A. B. C. Moneta lib.V. cap. 9. §. 5.

Quod Chriſtus non habuit noſtras pœnalitates. A. B. C. Moneta lib. III. cap. 3. §. 10. 11. 12.

Quod Deus non facit, nec fecit aliquid periturum. A. B C.

Quod Chriſtus non duxit carnem de Cœlo. A. & B. Moneta lib. III. cap. 3. §. 4.

Quod Chriſtus non eſt Deus. A. B. C. Moneta lib. III. cap. 1. §. 1. *& ſeqq.*

Quod Chriſtus non eſt filius Beatæ Mariæ. A. & B. Moneta lib. III. cap. 3. §. 7.

Quod Chriſtus non ſumſit carnem de Beata Maria. A. & B. Moneta ibidem.

Quod Beata Maria non fuit mulier. A. & B. Moneta lib. III. cap. 2.

Quod Chriſtus non fuit verus homo. A. & B. Moneta lib. III. cap. 3. §. 10. *& ſeqq.*

Quod Chriſtus non comedit corporaliter. A. & B. Moneta l. c. §. 11.

Quod Chriſtus non fuit paſſus in Cruce, vel in carne. A. & B. Moneta ibidem §. 10.

Quod Chriſtus non fuit mortuus vere. A. & B. Moneta ibidem.

Quod Chriſtus non aſcendit in carne in Cœlum. C. Moneta l. c. §. 15.

Quod Chriſtus non reſurrexit, & quod non fuit mortuus. A. & B. Moneta l. c. §. 10., *&* §. 14.

Quod non reſurrexit in carne. C. Moneta ibidem.

Quod non deſcendit ad inferos. A. B. C. Moneta l. c. §. 13.

Quod Spiritus Sanctus non datur in Baptiſmo manus vel aquæ. A. B. C. Moneta lib. III. cap. 5. §. 7.

Quod Johannes Baptiſta fuit malus. A. & B. & quidam C. Moneta lib. III. cap. 1. §. 3.

Quod non fuit homo carnalis. A. & B. & quidam C. Moneta ibidem.

*Quod non eſt reſurrectio corporum. A. B. C. Moneta lib. IV. cap.*8. §. 1. *& ſeqq.*

Quod parvuli non poſſunt ſalvari. A. B. C. Moneta lib. IV. cap. 1. §. 5.

Quod

Quod Lex Moysis non est bona, nec Prophetæ. A. B. C. Moneta lib. II. cap. 7. & cap. 8.
Quod Patres antiqui Veteris Testamenti non salvantur. A. B. C. Moneta lib. II. cap. 9.
Quod vetus Testamentum non est a Deo bono. A. B. C. Moneta lib. II. cap. 7.
Quod Moyses fuit malus. A. B. C. Moneta lib. II. cap. 8. §. 1. & seqq.
Quod per Legem Moysis non fuit nec est ullo modo salvatio. A.B.C. Moneta ibid.
Quod Deus bonus non eduxit Populum Israelis de Ægypto A.B.C.
Quod Deus Pater bonus non est loquutus Patribus antiquis. A. B. C.
Quod Deus bonus non dedit Circumcisionem. A. B. C.
Quod Adam non fuit a Deo. A. B. C.
Quod ante adventum Christi non fuerunt aliqui boni. A.B.C. Moneta lib. II. cap. 8 §. 2.
Quod Christus non est æqualis Patri. A. Moneta lib. III. cap. 3. §. 2.
Quod res istæ visibiles non sunt a Deo. A. B. C. Dicunt tamen illi de Concoretio, quod a Deo sunt creaturæ: idest, quod fecit quatuor Elementa, & ex iis quatuor postea Lucifer disposuit creaturas quaslibet in suo genere, sicuti sunt. Alii vero dicunt, quod nec materia, nec dispositione, nec forma fecit Deus aliquid visibile. Et si aliquando concedunt fecisse visibilia, dicunt de illis, quæ sunt Angelis visibilia. Moneta lib. II. cap. 2. §. 1. & seqq.
Quod secundum Vetus Testamentum inimicus non est diligendus. A.B.C.
Quod Angeli, qui ceciderunt, sunt oves, de quibus in Evangelio. A. & pars illorum de B. Moneta lib. I. cap. 4.
Quod Baptismus aquæ nihil est, & nullius efficaciæ. A. B. C. Moneta lib. IV. cap. 1. §. 3.
Quod sine impositione manuum non datur Spiritus Sanctus. A. B. C. Moneta lib. V. cap. 5. §. 5.
Quod in Ecclesia Dei non sunt boni, & mali. A. B. C. Moneta lib. V. cap. 5. §. 5.
Quod obest subdito & sacrato mala vita Prælati. A.B.C. Moneta lib. V. cap. 5. §. 3.
Quod in Ecclesia Dei non debent esse Sacerdotes, & Diaconi, scilicet mali. A. B. C. Moneta ibidem §. 2.
Quod mali Presbyteri non possunt ministrare. A. B. C. Moneta ibidem §. 4.
Quod Ecclesia non debeat possidere aliquid, nisi in communi. A. B. C. Moneta lib. V. cap. 7. §. 1. & seqq.
Quod nullus malus potest esse Episcopus. A. B. C. Moneta lib. V. cap. 1. §. 2.
Quod Ecclesia materialis non est bona, nec ibi orandum. A. B. C. Moneta lib. V. cap. 8. §. 1.
Quod Ecclesia non debet persequi malos. A. B. C. Moneta lib. V. cap. 13. §. 2.
Quod Ecclesia non potest excommunicare. A. B. C. Moneta lib. V. cap. 1. §. 6.
Quod in Ecclesia non debent esse Subdiacones, nec Acolythi. A. B. C.
Quod Ecclesia non potest facere Constitutiones. A. B. C. Moneta lib. V. cap. 6. §. 2.
Quod non debent fieri ...... sepelitiones mortuorum. A. B. C.
Quod unctio Olei Sancti nihil est. A. B. C. Moneta lib. V. cap. 5.
Quod Sacramentum Altaris nihil est. A. B. C. Moneta lib. IV. cap. 3.
Quod Eleemosynæ non debent dari nisi bonis. A. B. C. Moneta lib. V. cap. 12. §. 2.
Quod non est orandum, nec cantandum præter Dominicam Orationem. A. B. C. Moneta lib. V. cap. 8. §. 7.
Quod peccatum non est a libero arbitrio. A. B. C. Moneta lib. I. cap. 5. §. 12.
Quod Originale Peccatum nihil est. A. B. C.
Quod Homo non potest pœnitere post peccatum. A. B. C.
Quod non potest fieri peccatum, nisi quod factum fuit in Cælo. A. & B.
Quod aliud non est opus Diaboli, quam Peccatum. A. B. C.
Quod ignis Purgatorii nihil est. A. B. C. Moneta lib. V. cap. 9. §. 2.
Quod Infernus nihil est. A. & B. Moneta lib. V. cap. 10. §. 1.
Quod bonus Deus vivificat, non occidit. A. B. C.
Quod malus Deus vivificat, & occidit corpora. A. B. C.
Quod Deus, qui dat gratiam, non vindicat per bonos, nec per malos. A. B. C.

Quod

Quod ille Deus, qui vindicat, non dat gratiam. A. B. C.
Quod malum pœnæ non est a Deo bono. A. B. C.
Quod Animæ non damnabuntur. A. & C.
Quod Mundus semper fuit, & semper erit. A. B. C. Moneta lib. V. cap. 11.
Quod sola Fide non possit homo salvari quocumque casu. A. B. C.
Quod homo non potest salvari cum patre & matre. A. B. C.
Quod non est confitendum A. B. C. Moneta lib. IV. cap. 4. §. 1. *& seqq.*
Quod Judicium factum est. A B. C. Moneta lib. IV. cap. 9.
Quod Matrimonium malum est. A. B. C. Moneta lib. IV. cap. 7. §. 1. *& seq.*
Quod quilibet non potest salvari. A. B. C.
Quod peccatum est comedere carnes. A. B. C. Moneta lib. II. cap. 5.
Quod per proximum non intelligitur omnis homo. A. B. C.
Quod nullus est vitandus. A. B. C.
Quod Usura non est prohibita. A. B. C. Moneta lib. V. cap. 14. §. 2 & 3.
Quod non debet homo restituere. A. B. C. Moneta ibidem.
Quod juramentum non debet fieri. A. B. C. Moneta lib. V. cap. 9. §. 1. *& seqq.*
Quod non licet alicui occidere. A. B. C. Moneta lib. V. cap. 3.
Quod homo non est tradendus Justitiæ, propter hoc quod potest converti. A. B. C.
Quod Diabolus potest in creaturis. A. B. C.
Quod est æquale præmium in Patria. A. B. C. Moneta lib. IV. cap. 10. §. 1.
Quod homo potest dare Spiritum Sanctum. A. B. C. Moneta lib. III. cap. 5. §. 7.
Quod Spiritus Sanctus & Spiritus Paraclitus non sunt idem. A. B. C. Moneta lib. III. cap. V. §. 5.
Quod interior homo non est Anima. A. B. C.
Quod non debent radi capita. A. B. C.

XII. Neque vero prætereundum silentio est, quod monumentum hactenus, quod sciam, nusquam vulgatum ex *Codice MS. Vaticano* 8668. exscribi curavi; cum distincte perspicueque contineat omnia fere Catharorum errata. Est autem hujusmodi: *De Interrogationibus, quæ debent fieri per Inquisitores ab illis contra quos est præsumtio hæresis.*

Super Inquisitionibus hæreticorum primo quæretur, si est Patarenus, vel Catharus, vel credens = si est consolatus, si consolatus est alios, & fuit ubi consolabatur = si habuit officium aliquod = si audivit a doctoribus suis, si docuit = si credit, quod aliqui Patareni, qui non sunt de opinione sua salventur = si credit, quod pauperes Lugdunistæ, & alii etiam hæretici, qui non sunt Patareni si expellantur, vel comburantur, salventur propter hoc = si credit, quod Ecclesia Romana habeat veram fidem quam Christus & Apostoli docuerunt = si credit quod Sacerdotes Ecclesiæ Romanæ & fidei ejus possint absolvere a peccatis = si credit unum solum principium, hoc est, quod unus solus est Deus æternus, Sanctus, creator visibilium & invisibilium Spiritualium & corporalium, tam se moventium, quam permanentium = si credit, quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sint tres personæ æquales, & una essentia = si credit, quod Jesus Christus est Deus essentialiter, & sit verus homo habens quantum ad nostram humanam naturam creatam de nihilo, & carnem de massa Adæ derivatam = si traxerit carnem veram de Maria Virgine, & in ea factus & formatus = si Spiritus Sanctus est unus tantum, & est Deus = si credit, quod Beata Maria Virgo fuit vera mulier habens corpus de massa Adæ, & si de suo corpore genuit Christum = si credit quod Deus Veteris Testamenti, qui dedit legem Moysi fuit bonus, & verus Deus, & Lex Moysi, & Vetus Testamentum bona sunt, & a bono Deo data sunt = si Moyses, & Doctores, & Prophetæ qui in Veteri Testamento fuerunt, boni, & a bono Deo missi, & sint salvi in regno Dei una cum Abraham, Isaac, & Jacob = si credit, quod Johannes Baptista fuit bonus, & Sanctus, & sit salvus, & Angelus annunciator illius fuit bonus Angelus, & a bono Deo missus, & si ex Zacharia, & Elizabeth fuit conceptus & natus sine mortali peccato = si credit quod Spiritus transeat de corpore in corpus = si credit, quod ista corpora, quæ hic habemus, posteaquam fuerint mortua, amplius resurgere debeant, & esse in Paradiso, vel in inferno secundum merita eorum = si credit, quod aliqui possint salvari nisi fuerint Baptizati in Nomine Patris, & Filii, & Spi-

& Spiritus Sancti, ex aqua materiali, & sit Baptismus bonus = si credit, quod pueri baptizati baptismo Ecclesiæ Romanæ, si moriantur ante legitimam ætatem, salventur = si Beata Maria Virgo, & Beata Agnes sint majoris meriti, quam aliqua peccatrix noviter consolata = si usura sit peccatum, & si possit vivere juste aliquis de Usura = si Patarenus aliquis potest absolvere Usurarium ab usura sine restitutione = si credit, quod aliquis potest salvari sine manus impositione a Patarenis accipere, & habens omnem fidem Patarenorum, & mittit pro eis volens ipsam recipere ab ipsis, & antequam perveniat subito moriatur, vel postquam pervenerint, & dixerint verba, quæ solent dicere super infirmum, & non tetigerint eum manibus, & moritur interim, si sit salvus = si aliquis habuerit Spiritum Sanctum per manus impositionem, & postea peccaverit, si potest salvari per aliam manus impositionem, vel si postquam habuerit manus impositionem, & comederit optima cibaria de bonis carnibus, & sturionibus, & aliis rebus delicatis, & bonis piperatis, si propter hoc perdit Spiritum Sanctum = si aliquis, qui multos & consolatus est, & per consolationem morientes, salvetur = si per hoc ille peccat mortaliter, & perdit Spiritum Sanctum = si qui salvati sunt damnantur = si quis Sacerdos adhibitis, quæ exiguntur, conficit Corpus Christi = si Corpus Christi, & Sanguinem bonus Sacerdos secundum fidem, & formam Ecclesiæ Romanæ conficit, & sumit, & tradit aliis = si credit quod matrimonium carnale, & materiale a Deo ordinatum fuerit = & si possunt salvari homines in matrimonio materiali, quod Ecclesia facit, & statuit; & vir cum conjuge alias juste viventes in matrimonio salvantur = si majus peccatum sit cognoscere non suam conjugem, quam suam = si spiritus qui ceciderunt de Cælo possunt salvari, vel si alii spiritus salventur nisi illi = Et si corporantur & transeunt de corpore in corpus = si credit quod unum peccatum sit majus altero, & unus pejor alio, & si in inferno magis puniatur unus alio, & si unus sit melior alio, & si in Paradiso unus sit major & dignior alio = si credit quod Christus & Apostoli fecerunt miracula in corporibus humanis, & in rebus temporalibus, & si modo aliqua fiunt miracula per sanctos = si credit, quod reverentia sit exhibenda corporibus Sanctorum, & eorum reliquiis =

XIII. Jam vero quicumque absurdissima hæc pluraque alia Catharorum portenta coævorum oculatorumque Scriptorum testimonio firmata serio reputaverit, mirabitur plane homines sic delirare, atque insanire potuisse, & quod fidem quasi superat, suos illis non defuisse adprobatores & asseclas, neque numero paucos, neque ingenio & ordine infimos, qui pronis auribus ea deliramenta exciperent, sorberentque tam facile turbidum adeo ac fæculentum venenum. His tamen fidem non detrahent, atque minus obstupescent eruditi ac cordati viri, quibus ex aliis monumentis ecclesiasticis compertum est in quas tenebras humanam mentem coniiciat excussa semel primæ veritatis regula, & laxatis naturæ habenis cæca opinandi agendique libido.

CAPUT II.

De Moribus Catharorum.

Manichæorum simulatio.

I. ID veteribus ac novis Manichæis solemne fuit cum primis, ac præ cæteris sectis peculiare, ut latebras quærerent, atque omni genere simulationis, & fraudis se se velut angues in herba occultarent; quam in priscis Manichæis indolem cum observasset Ecclesia, ut eos a Catholicis, cum quibus in sacris omnibus permiscebantur, certo signo argumentoque discerneret, usum Calicis, in sacra coena cunctis præcepit, ut Manichæos a vino superstitiose abhorrentes, atque sub altera tantum specie communicantes, internosceret. Et si quando ex impia Secta ad Ecclesiæ unitatem eorum aliqui reverterentur, ne fraudulenti homines simulata conversione illuderent, conceptæ fuere solemnes formulæ, quibus omni ambage summota Hæresim suam ejurarent, quarum exempla edidere Cl. Cotelerius in notis ad PP. Apost. pag. 368. Goar in Euchologio pag. 885. Sirmondus To. II. Concil. Gall. & Muratorius Anecdot. Tom. II.

II. Hanc

II. Hanc ad Catharos derivatam a priscis Manichæis simulationem & fraudem in Henricianis, Petrobusianis, & Apostolicis Manichæorum ramusculis notavit eleganterque descripsit S. Bernardus Serm. 65. in Cant. Catharos vero Germaniæ adversus quos disputavit Eckbertus Serm. I. vocat *latibulosos homines*; *qui per multa tempora latuerunt*, *& occulte fidem Christianam in multis stultæ simplicitatis hominibus corruperant*. Addit conventicula sua eos habuisse in Cellariis, & in Textrinis, & in hujusmodi subterraneis domibus, & cum populo in quo habitabant frequentasse Ecclesiam, & Sacramenta, simulatorie tamen, ne infidelitas eorum prodiret. Catharorum studium se se occultandi.

III. Sed audire præstat superius laudatum Stephanum de Borbone oculatum testem Sec. XIII., cujus fragmentum editum ab Echard, ac plerisque fortasse invisum, eruditis gratum fore non dubito. Is vero Libro de Donis Spiritus S. tit. de dono fortitudinis c. 32. inter signa quibus Hæretici sui temporis dignoscerentur tertium ponit *quia doctrinam suam sophismatibus & involutionibus verborum occultant*, *& in occultis prædicant*, *& totum negotium eorum est perambulans in tenebris*: mox addit.

Quartum autem per quod maxime cognosci possunt est eorum sophisticatio. Decipiunt enim qui videntur esse aliquando simplices Rustici, sophismatibus, & duplicitatibus verborum illos qui fuerunt maximi sophistæ Parisiis, & maximos Clericos in eorum fallaciis inexpertes, unde hoc est unum in quo maxime possunt cognosci. Simplex enim homo & planus, cum de fide sua requiritur, plane & simpliciter sine sophismatibus ad ea de quibus interrogatur respondet, sive bene dicat, sive male. Si male dicit recipit correctionem, & instructionem: Hæreticus autem statim currit ad sophismata, & ad fugas, & evasiones verborum, & responsionum, & ut operiat verba sua ne videatur. Solebant quando audebant, & minus literati viri erant in Ecclesia, & pauciores docti, se defendere fictis rationibus aut disputationibus. Modo autem quia non possunt se rationibus tueri, quia insipientia eorum cito fit manifesta, & timent deprehendi, multis sophismatibus se involvunt per quæ conantur effugere, & decipere interrogantes, quæ licet non possimus omnia, tamen aliqua ostendemus.

Unum genus sophisticandi inquirentes de fide eorum est per æquivocationem verborum v. g. cum quæritur ab eis de aliquo Fidei articulo, vel Sacramento, si credunt illud, ut Baptismum, Eucharistiæ Sacramentum, aut Pœnitentiæ: Respondent quod credunt bene in Sacramentum Baptismi, Pœnitentiæ &c. Similiter Incarnationem, Nativitatem, Passionem &c. aliud intelligentes per verba ista quam Catholici: Baptismum, & Pœnitentiam &c. solam Pœnitentiam, aut bonam voluntatem interiorem intelligentes, Corpus Christi intelligentes corpus cujuslibet boni hominis, vel potius corpus spirituale, quod est Ecclesia.

Item aliud genus æquivocandi in responsione una cum quæritur: credis Christum natum, passum &c. Respondet, bene credo, vel firmiter credo, idest bonam vel firmam habeo credentiam.

Item aliud genus sophisticandi est per conditionis additionem, ut cum quæritur, credis hoc vel hoc? Respondent, si Deo placet, ego bene credo hoc, & hoc (si quæritur quod Catholicum est) intelligentes quod Deo non placet quod ipsi hoc credant, quia si Deo placeret, domus ista volaret.

Item alius modus est objiciendo quæstionem contra quæstionem, ut clavum clavo retundant. Item alius modus est per diversam responsionis retorsionem: ut cum quæritur ab eis: Credis quod possit fieri aliquod juramentum vel judicium sanguinis sine peccato? Respondet quomodo creditis vos, vel alii? cum respondetur ei nos sic credimus; Respondet Hæreticus, & ego bene sic credo, intelligendo quod vos ita creditis, ut dicitis, non quod ipse credat quod dicitur ei.

Item genus est aliud eludere per admirationem cum quæritur de aliquo si ita credat: Respondet cum admiratione, quid crederem ego aliud! Item aliud per diversam relationem, ut cum quæritur quid credit? Utrum omnis qui jurat peccat in jurando? Respondet, qui dicit verum non peccat: vel sic, qui jurat dicendo verum non peccat, & tamen credit quod jurando peccat.

Item alius modus per translationem, ut cum quæritur unum, transfert se ad aliud.

aliud. Cum opponens sequitur eum ibi, fugit alibi. Item cum quærens quærit ab eo, transfert se ad alios, ponens eos in verbis.

Item alius modus est per injustificationem; ut cum quæritur ab eo de fide, justificat se; Ego sum homo simplex talis & talis, & nescio istas quæstiones. Multos etiam alios habent modos se contegendi; quæ magis potest docere usus, & exercitium, quam ars.

Catharorum hypocrisis.

IV. Vaferrimæ hujus simulationis comes erat hypocrisis, qua externa bonorum operum specie, & pharisaica austerioris vitæ ostentatione plerisque fucum faciebant; quam quidem in veteribus etiam Manichæis agnovit ac reprehendit S. Augustinus L. 5. cont. Faustum cap. 1. In novis autem elegantissime expressit S. Bernardus Serm. 66. in Cant. his verbis: *Denique si fidem interroges, nihil Christianius, si conversationem, nihil irreprehensibilius, & quæ loquitur, factis probat. Videas hominem in testimonium suæ fidei frequentare Ecclesiam, honorare Presbyteros, offerre munus suum, Confessionem facere, Sacramentis communicare, quid fidelius? Jam quod ad vitam moresque spectat, neminem circumvenit, neminem supergreditur. Pallent insuper ora jejuniis, panem non comedit otiosus, operatur manibus, unde vitam sustentet ..... Instemus, investigemus, a fructibus cognoscemus eum &c.* Fœdissimæ Catharorum hypocrisis luculentum proferam specimen ex Cl. Muratorii Differt. L X. Tom. V. Antiquitatum Italic. ubi ex MS. Peregrini Prisciani Inquisitionem vulgavit miraculorum quæ patrata ferebantur ad sepulchrum *Armanni Pungilupi* Ferrariensis A. 1269. Is Catharorum Bagnolensium Sectæ nomen dederat, quorum receptor, quæstor, Visitator, Nuncius, atque acerrimus fuerat propugnator. Deprehensus vero a Sacris Fidei Quæsitoribus A.C. MCCLIV. Ferrariæ in vincula conjectus est, & pristinis erroribus ejuratis se in unitate Fidei Catholicæ semper deinceps permansurum pollicitus est. Sed præstiti Sacramenti, ut primum potuit, contemtor ac violator pejora delirare perrexit, & incredibili hypocrisi pestilentem doctrinam celare eo successu, ut non paucis fucum facere, ac illudere potuerit. Vita functum A. MCCLXIX. tanta illum sanctitatis fama e vestigio subsecuta est, ut vulgus universum ad ejus tumulum confluxerit, multique corporis incolumitatem, uti putabant decepti, ejus apud Deum precibus consequutos se fuisse dictitarent. Quare Beati, & Sancti appellatione passim a credula plebe donabatur, aucto Donariis ac votivis tabellis ejus sepulchro, quod in maximo Ferrariæ templo constructum fuerat. Increbrescente vero ejus miraculorum fama Episcopus & Canonici Ferrarienses super iis processum instruxere quem ex Prisciano publici juris fecit laudatus Muratorius l. c. Producta est Inquisitio in annos complures donec plane comperta Pungilupi impietate, in Hæreticum personatum, ejusque profanos cineres sententia dicta est A. MCCCI. a F. Guidone Vicentino Ord. Præd. Inquisitione Hæreticæ pravitatis in Provincia Lombardiæ & Marchia Januensi a Sede Apostolica deputato. Memoria Armanni perpetuæ damnationi subjecta; disjectus ejus tumulus, ossa igne deleta, quo plebis superstitio, piorumque hominum ludificatio sublata sunt. Simile quidpiam de falsis miraculis ad duorum facinorosorum atque Hæreticorum hominum sepulchra in Episcopatu Legionensi a Catharis confictis falsoque cultu diu illis delato refert Lucas Tudensis lib. 3. adversus Albigenses Cap. IX. Tom. XXV. Bibliothecæ PP.

Catharorum luxuria.

V. Porro simulatæ perfidiæ fructus erat effusa in omnem licentiam ac turpitudinem libido, quam etiam in veteribus Manichæis jure carpsit Augustinus *de Moribus Manich.* c. 18. & 19. Nam qui sanctum conjugium damnare, atque honestam corporum conjunctionem aversari videbantur, fractis omnibus naturæ ac verecundiæ repagulis effrænem adeo vivendi rationem inierant, ut homines in pecudum mores deducere viderentur. Pudet ea commemorare quæ in eorum cœtibus, atque nocturnis conventibus patrata referunt gravissimi auctores. Lucas Tudensis lib. 3. adv. Albig. cap. 5. hæc scribit de Catharis Gallicanis. *Efferuntur effrænes per varia desideria carnis & nulla nociva est delectatio, quam non pertranseat eorum luxuria. Abutitur Filius Matre, Frater, & Pater in Filia turpitudinem operatur. Retorquent sui erroris mercedem in semetipsos, quorum sunt blasphemi, & sine misericordia senes, ad omne nefas promptissimi Juvenes, luxuriosi, & protervi adolescentes, impuri pueri sine certo Patre, mulieres effrontes, & sine verecundia &c.* De Catharis vero Italiæ hæc habet Reinerus cap. 6. *Multi ex eis qui infe-*

cti

Hi sunt erroribus memoratis sæpe dolent cum recolunt, quod non impleverunt sæpius libidinem suam tempore, quo nondum professi fuerant hæresim Catharorum; & hæc est causa quare multi credentes tam viri quam mulieres non timent magis accedere ad sororem suam, vel Fratrem, Filiam, seu Filium, Nepotem, consanguineum, vel cognatum, quam ad uxorem, & virum proprium. Plura etiam auditu fœdissima de eorum dissolutione atque intemperantia memoriæ prodidit a se visa Cæsarius Heisterbacensis dist. v. c. 20. Dialog. quos scripsit A. MCCXXII.

VI. Ad hanc brutalis vitæ turpitudinem accedebant fraudes, latrocinia, & usuræ, ut de Albigensibus testatur Lucas Tudensis loco superius laudato, & Reinerus hæc scribens cap. 6. *Nulli hominum restituunt usuram, furtum, aut rapinam, immo reservant eam sibi, vel potius relinquunt Filiis, ac Nepotibus suis: Ipsi tamen dicunt usuram non esse peccatum.*

Catharorum latrocinia & usuræ.

VII. Ac quemadmodum fœditate & libidine, ita crudelitate & sævitia feras ipsas imitabantur. Eruditum neminem latet quid in Gallia ineunte Seculo XIII. Raymundi Tolosani Comitis fulti præsidio adversus Catholicos atque res sacras moliti sint debacchantes furiarum more per urbes atque Provincias nec sexui, nec ætati, nec personarum locorumve conditioni parcentes, quo minus Ecclesias diriperent atque incenderent, sacras Virgines violarent, Sacerdotes exquisitis tormentis afficerent, loca sacra & Catholicorum domos ferro flammaque subigerent. Cui malo Innocentius III. sacram militiam, & Cruce signatorum exercitum opposuit, a quo duce Simone Montfortii Comite, cui Cælum ipsum militare visum est, ad Muretum agri Tolosani oppidum insigni ac Seculis omnibus memoranda victoria fusi sunt, de quo consulitor Petrum Vallecern. Hist. Albig. c. 5.

Catharorum impietas atque crudelitas.

VIII. Sed nec mitius, aut religiosius ab illis actum in Italia apud Insubres Cenomanosque cumprimis: Nam ut alia prætermittam, Brixienses Cathari ad eam creverant potentiam atque audaciam, ut orthodoxos gravissimis injuriis afficerent, atque in sacra omnia impune debaccharentur. Quare Honorius P. III. ad comprimendam eorum vesaniam Episcopos Ariminensem atque Brixiensem peculiariter delegit data ad ipsos Epistola, cujus partem velut Historiæ Monumentum subjicimus ex Oderico Raynaldo ad A. MCCXXV. extatque inter Honorii Epistolas num. 146. *quia in Civitate Brixiæ quasi quodam Hæreticorum domicilio ipsi Hæretici, eorum fautores, nuper in tantam vesaniam proruperunt, ut armatis turribus contra Catholicos non solum Ecclesias quasdam destruxerint incendiis, & ruinis, verum etiam jactatis facibus ardentibus ex eisdem, ore blasphemo latrare præsumpserint, quod excommunicabant Romanam Ecclesiam, & sequentes doctrinam ejusdem. Volumus, & mandamus, ut Turris dominorum de Gambara, & Turris Ugonium, Turris Filiorum quondam Botatii, a quibus specialius, & vehementius ad insanias istas est processum, diruantur omnino, & usque ad terræ pulverem detrahantur, non reædificandæ de cætero absque Sedis Apostolicæ licentia speciali, sed in acervos lapidum ad memoriam, & testimonium pœnæ tantæ vesaniæ tantique criminis permansuræ, atque in eadem damnatione sint Turres quæ ob causam hujusmodi jam destructæ &c.*

Catharorum Brixiensium impietas, & audacia.

IX. Dicam postremo de eorum pertinacia, quæ cum Hæreticis omnibus ingenita sit, Catharos cumprimis ita obfirmabat, ut nec rationibus vinci, neque autoritatibus moveri, nec pœnis corrigi, nec ipso mortis adspectu concuti, atque ab inbibitis semel erroribus dimoveri paterentur, mori paratiores, quam resipiscere. Duos prope Coloniam cum per triduum admoniti Hæresim ejurare nollent, raptos a populis atque in ignem conjectos non patienter solum, sed alacriter flammas subiisse scribit Enervinus in Epistola ad S. Bernardum. Id etiam de pluribus aliis prope eandem Civitatem refert Trithemius in Chron. Hirsaugien. ad A. MCLXII. ubi rem addit plane memorandam. *Erat* inquit, *inter eos juvencula una satis pulchra & morigerata, super quam Judices, & qui adstabant incendio, misericordia moti sunt, & cupientes eam salvare, si forte aliorum viso interitu, ac territa, consilio vellet acquiescere saniori, commiserunt eam quibusdam prope adstantibus tenendam in manibus atque servandam. Ardentibus jam aliis, & multis exhortantibus atque rogantibus puellam, ut ab errore malo discedens vitam sibi servaret concessam, illa tacens, & nulli quidquam respondens, tan-*

 dem

dem ſubito de manibus tenentium elapſa in medium ſe flammarum præcipitem dedit, & periit.

X. At ne quempiam admiratione ſuſpendat hæc eorum non fortitudo quidem, aut conſtantia, ſed veſania atque ſtupiditas, audiendus eſt Bernardus Serm. 66. in Cant. *Mirantur*, inquit, *aliqui quod non modo patienter, ſed & læti Hæretici videantur duci ad mortem, ſed qui minus advertunt quanta ſit poteſtas Diaboli non ſolum in corpora hominum, ſed etiam in corda, quæ ſemel permiſſus poſſederit. Nonne plus eſt hominem ſibimet injicere manum, quam id libenter ab alio ſuſtinere? Hoc autem in multis potuiſſe Diabolum frequenter experti ſumus, qui ſemetipſos aut ſubmerſerunt, aut ſuſpenderunt: denique Judas ſuſpendit ſeipſum, Diabolo ſine dubio immittente. Ego tamen majus exiſtimo, & magis admiror, quod potuit in cor ejus immittere ut traderet Dominum, quam ut ſemetipſum ſuſpenderet.*

CAPUT VI.

De ritibus & diſciplina Catharorum.

Sacramenta Catharorum.

I. Diabolum in Hæreticis, quos ſpiritu erroris & mendacii ſeduxit, æmulari aliquando veræ Eccleſiæ Ritus, & Sacramenta, quæ ſimiarum inſtar imitando effingat, animadvertit Tertull. lib. de Præſcript. Hæretic. c. 4. *A Diabolo* (inquit) *cujus ſunt partes invertendi veritatem, qui ipſas quoque res Sacramentorum Divinorum, idolorum myſteriis æmulari. Tingit & ipſe quoſdam utique credentes, & Fideles ſuos, expoſitionem de lavacro repromittit, & ſi adhuc memini mythra ſignat illic in frontibus milites ſuos, celebrat & panis oblationem, & imaginem reſurrectionis inducit &c.* Id autem in more fuiſſe poſitum Catharorum monet Reinerus; qui cum omnia Sacramenta Eccleſiæ exploderent, ac deriderent, nova quædam inania ac ſacrilega prorſus myſteria excogitarunt; Nam Baptiſmo manuum impoſitionem, Euchariſtiæ panis fractionem, Pœnitentiæ externam quandam confeſſionis ſpeciem, & Ordini gradus quoſdam hierarchicos ſubrogarunt.

Baptiſmus Catharorum.

II. Manuum impoſitionem *conſolamentum* vocabant & ſpirituale Baptiſma, ſeu Baptiſmum Spiritus Sancti, ſine quo nec peccatum remitti, nec Spiritus Sanctus conferri poſſet, adjecta tamen Oratione dominica; quam quidem manuum impoſitionem a ſolis Catharis factam valere prædicabant, dummodo ii lethali culpæ obnoxii non eſſent; Si enim quiſpiam e ſuorum perfectorum numero peccaret mortaliter comedens vel minimum carnis, vel ovi, vel caſei, omnes quos per manuum impoſitionem conſolatus erat etiam in mortis articulo amittebant Spiritum Sanctum, eoſque iterum conſolari oportebat.

Euchariſtia Catharorum.

III. Eorum Euchariſtia erat quotidiana panis fractio tam in prandio quam in cœna. Ejus autem conficiendæ ritus hic erat. Convivæ omnes ad menſam ſtantes recitabant Pater noſter: Prior inter illos profeſſione vel Ordine tenens panem & vinum dicebat: *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit ſemper cum omnibus nobis*; & frangens panem diſtribuebat omnibus diſcumbentibus ſive perfectis, ſive credentibus eorum latronibus, adulteris, atque homicidis. Nemo tamen eorum, inquit Reinerus, credebat ex illo pane confici Corpus Chriſti.

Pœnitentia Catharorum.

IV. Catharorum Pœnitentia erat generalis quædam Confeſſio facta coram pluribus, eorum Prælato Evangeliorum Codicem ante pectus tenente, qui facta abſolutione ſuper confitentis caput librum ponebat, aliis Catharis circumſtantibus manum dexteram imponentibus. Si poſt receptam manuum impoſitionem laberetur quis in aliud grave peccatum, illud ſecreto tantum confitebatur coram Prælato a quo novam recipiebat manuum impoſitionem. De Venialibus autem ab uno eorum pro omnibus ſemel plerumque in Menſe fiebat ejuſmodi Confeſſio.

Catharorum Hierarchia.

V. Quatuor erant apud Catharos ſive Ordines, ſive gradus. Prior inter illos Epiſcopus vocabatur, alter ab illo Filius major, tertius Filius minor, quartus & ultimus Diaconus. Epiſcopus præibat omnibus in manuum impoſitione, fractione panis, & Oratione. Hunc abſentem exhibebat Filius major, ac pro illis abſentibus idem præſtabat Filius minor.

nor. Hi duo Filii vel simul vel seorsim Catharos sub Episcopo constitutos visitabant, atque iis absentibus id muneris obibant Diaconi, qui & mensiles venialium confessiones excipiebant.

Porro sic initiabantur Catharorum Episcopi. Episcopus ante mortem Filium majorem in Episcopum inaugurabat; Altero istorum vita functo Filius minor efficiebatur Filius major, & Episcopus eadem die: Vivente vero Episcopo ita se subscribebat *N. Filius major, & ordinatus Episcopus.* Sola manuum impositione ea ordinatio perficiebatur, eique soli gratiam conferendi ordines & dandi Spiritum Sanctum illigabant.

Festa Catharorum

VI. De eorum Festis nihil tradit Reinerus. At de Catharis Coloniensibus hæc scribit Eckbertus Serm. I. *Christianis Pascha celebrantibus, vel negligenter hoc celebrant, si inter ipsos sunt, vel occasiones quærunt discedendi de medio eorum quibus cohabitant, ne cum eis solemnizare cogantur. Celebrant autem pro eo quoddam aliud Festum in quo occisus est Hæresiarcha eorum Manichæus, cujus procul dubio hæresim sectantur.*

Jejunia Catharorum.

VII. Præter quotidianam ab esu carnium & lacticiniorum abstinentiam jejunia quædam teste Reinerio servabant, quæ ita describit Eimericus Direct. Inqu. p.3. de signis externis per quæ Hæretici dignoscuntur. *Tres quadragesimas in anno jejunant, scilicet a Festo S. Britii (hoc est* XIII. *Novembris) usque ad Natale, & a Dominica prima Quadragesimæ usque ad Pascha, & a Festo Pentecostis usque ad Festum Apostolorum Petri & Pauli, & ultimam septimanam cujuslibet quadragesimæ vocant septimanam Sanctam sive strictam, quia in illa jejunant in pane & aqua, aliis autem septimanis tribus diebus jejunant in pane, & aqua.*

Oratio Catharorum.

VIII. Frequenter etiam orabant præsertim ante comestionem & potum, atque ita necessariam orationem putabant, ut nonnulli eorum infirmi, si orationem Dominicam recitare non possent, cibum omnem respuerent, unde verisimile est, inquit Reinerius, plures seipsos hoc modo occidisse.

Disciplina arcani apud Catharos.

IX. Vigebat autem cum primis apud ipsos Disciplina Arcani. Nec enim omnia, & penitiora Sectæ dogmata Tironibus, seu credentibus suis revelabant, sed pauca admodum, & vulgaria. Ea vero apud perfectos tanta secreti fide retinebantur, ut adhibito etiam perjurio occultarent; quam a Priscillianistis & veteribus Manichæis artem didicerant, quamvis cæteris in casibus a quocumque juramento superstitiose caverent.

X. Juvat hoc loco disciplinam & ritum exhibere, quo ad Sectam suam accedentes recipiebant, quemadmodum ad calcem libri Reineriani extat in Thesauro Anecdot. Edmundi Martene.

Ritus faciendi Catharos.

Ille qui major est inter eos dicet ita credenti, qui vult hæreticari: Frater, vis te reddere fidei nostræ? *Et credens dicet:* Sic. *Et tunc a longe veniens ille credens, flectens genua, & manus in terra, dicet* Benedicite; *& Hæreticus dicet:* Dominus te benedicat: *Et iterum eundo aliquantulum dicet credens illud idem, & tertio similiter. Et addet tunc credens:* Rogate Deum pro isto peccatore quod me perducat ad bonum finem, & faciat me bonum Christianum. *Et respondebit Hæreticus:* Deus sit rogatus quod faciat te bonum Christianum & perducat ad bonum finem. *Post hæc interrogabit eum Hæreticus in his verbis:* Tu reddis te Deo, & Evangelio? *Et credens respondet:* sic; *stando genibus flexis & manibus in terra: Item:* promittis quod de cætero non comedes carnes, nec ova, nec caseum, nec aliquam victuram, nisi de aqua & ligno? *Et pro aqua intelligunt pisces, & pro ligno oleum.* Item quod non mentieris, nec jurabis, nec occides quicquam ex reptilibus, nec exercebis aliquam libidinem de corpore tuo, nec ibis solus, dum possis socium habere, nec solus comedes; nec jacebis absque camisia & bracis, nec relinques fidem timore ignis, vel aquæ, vel alterius generis mortis? *Et his promissis, omnes circumstantes flectunt genua sua, & manus in terra; & major illorum ponit librum, ubi sit Evangelium S. Johannis, & manus supra credentem illum, & legit totum Evangelium* In principio erat verbum.

Post hæc ille major osculatur eum bis in ore ex transverso, & ipse alium, & sic omnes assumunt pacem, & si sint illic mulieres aliquæ, aliqua illarum recipit pacem de cubito alicujus Hæretici, sicut nostræ faciunt de libro, & deinde dat altera

tera

tera alteri pacem bis ex transverso; *Et datur illi Hæreticato quoddam filum subtile lineum*, *vel laneum pro habitu quem portet supra camisiam*, *& sic ille postmodum dicitur Hæreticus indutus*, *& portat quam levius vult vel potest habere indumentum*.

XI. Alium fuisse Catharorum Galliæ ritum tradit Petrus Vallecern. in Hist. Albig. quem ita describit. Cæremoniæ sacrilegæ Præses dicebat: *Amice si vis esse de nostris*, *oportet ut renunties toti Fidei quam tenet Romana Ecclesia*. Respondebat: *Abrenuntio*. *Ergo*, inquiebat, *accipe Spiritum Sanctum a bonis hominibus*, & tunc aspirabat ei septies in ore. Item dicebat illi: *Abrenuntias Cruci quam tibi fecit Sacerdos in Baptismo in pectore*, *& in scapulis*, *& in capite de oleo*, *& chrismate*? Respondebat: *Abrenuntio*: *Credis quod aqua illa operetur tibi salutem*? Respondebat: *Non credo*. *Albrenuntias velo illi*, *quod tibi Baptizato Sacerdos imposuit in capite*: Respondebat: *Abrenutio*. Tunc omnes illi manus imponebant, osculabantur eum, & induebant veste nigra, & ex illa hora unus ex eis censebatur.

CAPUT VII.

De oppugnatione & profligatione Catharorum.

Romanorum Pontificum adversus Catharos zelus.

I. TEterrimam Catharorum luem instar cancri in dies serpentem, atque universam ferme qua late patet Europam inficientem, RR. Pontificum zelus non coercere solum atque reprimere, sed convellere prorsus atque extirpare omni ope curavit crebris adversus illam celebratis Conciliis, gravissimis latis decretis, Legationibus institutis, ac demum Catholicorum Principum armis in ejus exitium vocatis. De Conciliis dicam Capite sequenti. Inter legationes celeberrima habetur Arnaldi Cisterciensis Abbatis, Petri de Castronovo, & Radulphi ejusdem Ordinis Professorum ab Innocentio III. adversus Albigenses Catharos promota expeditio, de qua confer Petrum Vallecern. Hist. Albig. c. 5. Ea vero in expeditione palmam cæteris facile præripuit vir Sanctissimus Dominicus Guzmannus Didaci Oxomensis in Hispania Episcopi itineris & laborum comes, qui prædicatione, colloquiis, disputationibus, scriptis, exemplo, miraculis impiam sectam novennio exagitavit, innumeris Albigensibus aut profligatis, aut in veritatis viam adductis. Quo tempore Prædicatorum Ordinem singulari ac plane Divina providentia, perenne futurum Ecclesiæ adversus Fidei hostes præsidium excogitavit, erexit, de cujus zelo in profligandis Hæreticis non est cur plura prædicem, & res notissimas obtrudam, ne in suspicionem præjudicatæ commendationis domesticus scriptor adducar.

Legatio Arnaldi Cisterciensis & Sociorum adversus Albigenses.

S. Dominici zelus, labores, & fructus adversus Albigen.

Bellum sacrum adversus Catharos.

II. Sed gravissimo ac pertinacissimo morbo summa atque extrema adhibenda erant remedia. Quamobrem ab eodem Innocen. III. indicta adversus nefariam gentem sacra militia, gestumque in Galliis a Catholicis Principibus adversus Albigenses Catharos diuturnum bellum, cui post varios casus, insignesque de illis reportatos triumphos, adhortante Gregorio IX. finem imposuit S. Ludovicus IX. Galliarum Rex.

Imp. leges adversus Catharos.

III. Romani quoque Imperatores, Civilesque Magistratus severissimis Legibus, atque gravissimis pœnis perditissimos homines coercuerunt. Atque ut cæteros prætermittam, Fridericus II. Imperator eo ipso die, quo Imperialem Coronam ab Honorio III. R. P. Romæ suscepit, in ipsa Basilica Principis Apostolorum celebre edictum promulgavit Corpori Juris Civilis adhuc insertum, quo infamiæ, exilio, bonorum proscriptioni, atque extremo supplicio tum Catharos cum alios cujuscumque nominis Hæreticos per omnes Imperii fines subjecit. Quare identidem ab Ecclesia judicati ad secularium Judicum Tribunal rapti constitutis pœnis affecti sunt. Laudat in hanc rem Tristanus Calchi Hist. Mediolanen. Sec. XIII. ad A. MCCXXXIII. Oldradum Grossi ex Dressena Laudensium Familia Prætorem Mediolanensem, cui equestris statua in ejusdem Civitatis foro Mercatorum posita est cum hoc titulo: *quod ultor Hæreticæ malignitatis Catharos ut debuit ussit*. Extare adhuc lapidem eidem positum A. MCCXXXIII. in hac inscriptione: *qui solium struxit*, *Catharos ut debuit uxit* pro *ussit* refert Cl. Muratorius To. 5. Antiq. Italic. Dissert. IX. pag. 89. Ita nimirum exitiosissima pestis

Cathari Mediolani exusti.

ftis ferro & igne delenda erat, ne latius propagaretur, æquiſſimo ſane Principum zelo, quos jam exemplo ſuo anteiverant Religioſiſſimi Imperatores qui cum Hæreticos omnes, tum maxime Manichæos a Seculo III. ad Albigenſium uſque ætatem omni genere ſuppliciorum exagitaverant; cujus ſeveritatis egregiam rationem affert Cl. Thomaſſinus lib. 2. gallice edito de unitate Fidei c. 9. ad eam legem contra Manichæos. *Manichæo in loco Romano apprehenſo caput amputetur. Manichæi*, inquit, *non tam Hæretici erant, quam Pagani, immo Paganis deteriores. Præter verum & unicum Deum, qui eſt rerum omnium principium & cauſſa, aliud agnoſcebant mali principium ſupremum. Jam vero nullum eſt immane flagitium, nulla morum turpitudo quæ ex nequiſſimo illo dogmate fluere ac ſequi non poſſit: quare non ſolius Eccleſiæ intererat, ſed ad Remp. quoque pertinebat exitiale adeo monſtrum exterminare, unde hujuſmodi Imperatorum leges tum regnorum hominumque tranquillitatis cauſſa cum Eccleſiæ ac Fidei ſecuritatis adverſus illos ſancitæ ſunt.*

IV. Sed diſertius Leo M. Epiſt. 93. ad Thuribium Epiſcopum Aſturicenſem de Priſcillianiſtis, cum quibus Cathari maxime conſentiebant; *Merito*, inquit, *Patres noſtri, ſub quorum temporibus hæc hæreſis nefanda prorupit, per totum Mundum inſtanter egere, ut impius furor ab univerſa Eccleſia pelleretur. Quando etiam Principes Mundi ita hanc ſacrilegam dementiam deteſtati ſunt, ut auctores ejus, ac plerosque diſcipulos legum publicarum eamdem proſternerent. Videbant enim omnem curam honeſtatis auferri, omnem conjugiorum copulam tolli, ſimulque divinum & humanum ſubverti ſi hujuſmodi hominibus uſquam vivere cum tali profeſſione licuiſſet, & profuit diu iſta diſtrictio Eccleſiæ lenitati: quæ etſi Sacerdotali contenta judicio cruentas refugiat ultiones, ſeveris tamen Chriſtianorum Principum conſtitutionibus adjuvatur, dum ad Spirituale nonnumquam recurrunt remedium, qui timent corporale ſupplicium.*

V. Jam vero ne recrudeſceret impoſterum malum, aut impia Hæreſis repullularet ex cineribus ſuis, ſaluberrimo conſilio Romani Pontifices Sanctæ Inquiſitionis Officium auctore S. Dominico inſtituerunt, eidemque B. Viro, & Fratribus Prædicatoribus præcipue detulerunt. Etſi enim prioribus Eccleſiæ Seculis Epiſcopi vel Concilia ſola excommunicationis ſententia, ſequioribus vero Imperatores legibus ſuis, quibus Theodoſiani & Juſtinianei Codices referti ſunt, Hæreticos mulctarent; Cum tamen Seculo XII. eo creviſſent pertinaciæ atque potentiæ, ut iis coercendis Epiſcoporum vigilantia, legumque gravitas impares viderentur; Quæſitoribus Fidei ea cura demandata eſt, ut procul a Fidelium caulis arcerent Lupos rapaces non parcentes gregi, zizania ex agro Dominico eradicarent, vulpeculas vineam Domini demolientes caperent, ſartam denique tectam in Catholicis regnis ab erroribus Fidem omni niſu ſervarent. Et quidem ſacrorum Fidei Quæſitorum cura, zelo, ac diligentia factum eſt ut ſenſim poſt An. Chriſti MCCC. decreverit in Italia cumprimis ejuſmodi Sectarum peſtilentia, nec ulla Hæreſis aut noviter procuſa, aut renovata apud Italos radices amplius egerit, ut erudite obſervat Cl. Muratorius Tom. 5. Antiquit. *Italic. Diſſert. LX. pag.* 150.

S. Inquiſitionis Officium adverſu Hæreticos recte inſtitutum.

VI. Scio equidem adverſus Sanctiſſimum Fidei Tribunal effuſe atque impotenter ferri Hæreticorum omnium odia, eoque nomine *S. Dominicum* ita conviciis proſcindere, ut Albigenſium Carnificem vocare non dubitent: Ipſum vero Inquiſitionis officium *graviſſimum appellent & ab orco petitum Chriſtianæ Religionis dedecus, ſimul & flagellum conſcientiarum, & carnificinam, ſummæque Tyrannidis, & crudelitatis officinam, qua Siculi non invenere Tyranni majus tormentum.* (Ita Cavæus Hiſt. Liter. conſpect. Sec. XIII. quod Scholaſticum vocat.) At cum ægrotis exoſus ſit Medicus ſanans, ut ait Auguſtinus, & reis importabilis Judex, quamvis juſtiſſime poenas decernens, ſurda aure prætereundæ ſunt hujuſmodi delirantium hominum neniæ, quas redarguere, ac refutare conſilium mihi in præſentia non eſt. Nam qui ita ſentit, aut ſcribit unam cauſſam agit, ut impunitate hæreſibus conceſſa liberius quos voluerit errores profiteatur, atque in vulgus diſſeminet. At ſi quantum res ipſa momenti habeat mature ac ſine præjudicati animi turbatione expenderetur, ſummi beneficii loco cæci homines acciperent, quod graviſſimam carnificinam & tyrannidem vocant. Quid enim ad continendos in vera Religione populos, firmandum ſinceriorem Dei cultum, aſſerendam Regnorum tranquillitatem, quæ inter foedas Hæreſeon procellas

Hæreticorum odium, & convicia adverſus Inquiſitionis officium.

cellas

cellas periclitatur semper, & nutat, excogitari poterat aptius, atque opportunius? Quid demum severitatis habet Quæsitorum Tribunal, quod edicta Regum non habeant? Nullæ profecto a Fidei censoribus in caussa Hæreseos poenæ infliguntur, quas sacri Canones non præscripserint; Mitiores vero ab jure Pontificio, graviores ac longe plures in iisdem Religionis caussis ab Cæsareo indictæ sunt, quarum severitatem vel ipse Genevensis Senatus agente Calvino adversus Michaelem Servetum Hæreseos insimulatum aliquando exercuit. Damnent igitur oportet Concilia, Pontifices, Imperatores, suos ipsos Magistratus, qui eam ob rem de sacro Fidei Tribunali præpostere adeo atque injuriose obloquuntur.

CAPUT VIII., ET ULTIMUM.

De Conciliis adversus Catharos celebratis.

I. VIsum est Cl. Ludovico Antonio Muratorio *Tom. 2. Anecdotorum in notis ad fragmenta Capitulorum adversus Manichæos*, nulla unquam adversus eosdem Manichæos fuisse antiquitus a Catholica Ecclesia celebrata Concilia, cujus rei eam caussam seu conjecturam vir doctissimus affert, quod nequaquam Christianis accensendi ii erant, sed Gentilibus, e quorum sinu Manes eruperat, novasque opiniones immixtis etiam Christianis aliquot sententiis proposuerat, ut neque Christianus, inquit, videretur, nec mereretur Gentilis nomen, instar perditissimi Mahumeti, qui ex Judaismo, Hæresibus non paucis, atque ex germana Christi Religione pertinacissimam Sectam conflavit. Quemadmodum vero Mahumetum Ecclesia damnare in Conciliis minime consuevit, quia ovili nostro se ille haudquaquam surripuit, ita Manetem, ejusque Sectatores, idcirco Catholicis Synodis Ecclesia confodere noluit, quod ii alienigenarum gentiliumque numero haberentur.

Aliqua adversus veteres Manichæos Concilia.

II. In hanc doctissimi Viri sententiam libenter concedo, si de Generalibus Synodis accipiatur; quamquam & in Nicæna, quæ teste S. Athanasio Epistola ad Epictetum Hæreses omnes profligavit, princeps Manichæorum error de duobus principiis per ea Symboli verba *visibilium & invisibilium* proscriptus sit, quibus adversus eosdem Manichæos majoris explicationis caussa additæ sunt in Constantinopolitano I. particulæ *Cæli & Terræ*. Ceterum adversus Priscillianistas eadem ferme cum Manichæis sentientes habita est Cæsaraugustana Synodus A. circiter CCCLXXX. Concilium præterea Toletanum I. sub Anastasio P. Manichæos damnat: Tum altera Toletana Synodus quæ prima inscribitur Anno ipso CCCC. cui ab editoribus Conciliorum adjecta est Fidei Regula, & 18. Anathematismi quibus Manichæorum dogma de duobus principiis, aliaque ex illo consectaria configuntur, ut alias omittam posteriores Synodos aut Nationales aut Provinciales in Manichæos ipsos coactas.

III. Ut ut vero sit de Veteri adversus illos Ecclesiæ disciplina, plura certe in novos Manichæos seu Catharos Concilia celebrata sunt, ad quorum recensionem aggrediens, præmonitum velim eorum aliqua non solum Catharos, sed etiam Valdenses afficere, plura etiam Colloquia potius vocanda esse quam Concilia.

Concilia adversus Catharos celebrata. Atrebatense An. 1025.

IV. Primam tempore, & ordine laudandam existimo Atrebatensem Synodum, quam exhibet Lucas Dachery Spicileg. Tom. 13. a Gerardo Atrebatensi & Cameracensi Episcopo celebratam A. MXXV. contra quosdam Hæreticos, qui de Italiæ finibus in Belgium venerant, & novam hæresim invehentes, Evangelicæ & Apostolicæ sanctionis disciplinam pervertere moliebantur. In ea Synodo omnia Fidei dogmata de Reali Christi præsentia in Eucharistia, de Poenitentia, de Jejuniis, de cultu Sanctorum, de Veneratione Imaginum, de Suffragiis mortuorum &c. solide adeo firmata sunt, ut convicti illi Sectarii errores ejurarint, quos a quodam Gandulpho Italo ebiberant, & ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem confestim redierint. Hos autem in Catharorum censum referri posse crediderim ob consensionem plurium dogmatum, & summam cum illis affinitatem.

Concilium Aurelianense A. 1117.

V. Anno MCXVII., vel ut aliis placet MCXXI. habitum est Concilium Aurelianense in Galliis adversus Stephanum & Lisojum aliosque plures Manichæismi assertores atque propagatores, de quo supra cap. 2. Eorum errores hi proditi sunt ab Are-

Arefasto Viro nobili, ac teste oculato. I. Vetus ac Novum Testamentum rejiciebant. II. Christum de Virgine Maria non esse natum, nec vere passum, mortuum, sepultum &c. III. In Baptismo nullam esse peccatorum remissionem. IV. Sacramentum Corporis & Sanguinis non esse in consecratione Sacerdotis. V. Sanctorum invocationem inutilem esse. VI. Bona opera inania, & superflui esse laboris. VII. Iis qui suæ Sectæ mysteriis initiati essent visiones Angelicas pollicebantur, quarum solatio recreati cum ipsis Angelis quovis locorum sine mora vel difficultate pro arbitrio ire possent. Denique in omnem spurcitiam carnis effusi nocturnos agebant conventus, in quibus singuli lucernas tenentes nomina dæmonum Litaniæ instar recitabant, donec dæmon sub forma cujusdam bestiolæ eis appareret, quo conspecto, extinctis lucernis promiscuam exercebant libidinem, nulla consanguinitatis aut voti habita ratione. Matrem etiam, aut sororem, aut sanctimonialem ut primum occurrebat construprantes. Ex fœdo concubitu natus infans octava die comburebatur, ejusque cineres diligentissime collectos tanta religione servabant, quanta Corpus Christi dandum Fidelibus jam jam morituris in Viaticum asservat Ecclesia, ex quibus qui vel tantillum prælibaverant, ita obfirmabantur in hæresi, ut ex ipsa nunquam aut vix emergere possent. Extant ejus Concilii acta apud Dacherium Tom. 2. Spicilegii.

VI. Occurrit tertio loco Concilium Tolosanum sub Callixto P. II. tempore Ludovici Crassi, de quo Labbeus Tom. X. Concil. pag. 869. In eo damnantur Hæretici, qui Religionis speciem simulantes, Dominici Corporis, & Sanguinis Sacramentum, Baptisma parvulorum, Sacerdotium, & omnes Ecclesiasticos Ordines, legitimarum denique reprobabant fœdera Nuptiarum, quibus Petrobusianos designatos esse qui asserunt, oppido hallucinantur, cum Petrus de Bruis eorum Princeps errores suos vulgaverit, ac solum innotuerit A. MCXXVI. unde ab Hæreticis in præfato Concilio damnatis errores suos hausisse verisimile est. Concilium vero illud aptius reponendum censeo ad A. MCXIX. quam ad sequentem, ut plerique faciunt, cum ex Fr. Bernardo Guidone in vita MS. Callixti II. illud celebratum fuisse constet Anno I. ejusdem Pontificatus idibus Junii. Is vero statim a morte Gelasii denati in Monasterio Cluniacensi 4. Kal. Febr. MCXIX. electus est, unde primus Mensis Majus & Junius ejus Pontificatus incidunt in A. MCXIX., nisi putentur anni more Gallico antiquo a Festo Annuntiationis, non vero a prima Januarii. Illud igitur reliquum est ut Cathari per ea tempora in Galliis emergentes, quemadmodum ex erroribus superius indicatis colligitur, eo in Concilio damnati sint.

Concilium Tolosanum A. 1119.

VII. Ab hoc Concilio non secernit Labbeus alterum Tolosanum ab eodem Callixto celebratum Tolosæ, de quo in Fasciculo temporum hæc habentur. *Callixtus Tolosæ Concilium celebravit, in quo damnavit fictos aliquos Religiosos, qui plures Hæreses secreto & publice seminabant, contra Sacramenta, & bona Ecclesiarum.* At huic secundo Concilio non Callixtum præfuisse, sed Ricardum Sanctæ Sedis Legatum monent Tolosates Scriptores apud nostrum Percin Monum. Conv. Tolos. Parte II.

VIII. Concilium Lateranense II. sub Innocentio II. A. MCXXXIX. contra Petrum de Bruis, & Arnaldum de Brixia Romæ tunc agentem. Ejus Canon 23. expresse damnat Petrum de Bruis, eosque qui Baptismum, Eucharistiam, Ordinem, & Matrimonium negabant; quo nomine Catharos etiam perculsos, nemo negaverit.

Concilium Lateranense II. Anno 1139.

IX. Concilium Oxoniense in Anglia A. MCLX. adversus eosdem Hæreticos celebratum memorat Guillelmus Neubrigensis l. 2. Hist. Angl. c. 13. Porro ii Hæretici quos solo nomine a Catharis distinctos fuisse pronum est judicare, vulgo enim Publicani vocabantur, jussu Henrici II. Regis Angliæ carceri mancipati, ab Episcopis in laudato Concilio congregatis damnati sunt; atque ut resipiscerent moniti. Cum omne consilium, & minas omnes deriderent, illud usurpantes: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam*, Regiæ potestati traditi sunt; quæ infami hæreseos charactere eorum frontibus inustis, & virgis coercitos ab Urbe exterminavit, omnique hospitio prohibitos voluit.

Concilium Oxoniense in Anglia A. 1160.

X. Concilium Turonense sub Alexandro III. A. MCLXIII. ex Labbeo Tom. X. pag. 1419., ubi Can. 4. damnat Hæresim in partibus Tolosæ dudum exortam, ac per

Concilium Turonense A. 1163.

Guasconiam aliasque Provincias late serpentem, contra quam Episcopos & omnes Sacerdotes in iis partibus degentes vigilare præcipit; deinde carcere, & bonorum amissione Hæreticos, & fautores eorum plecti jubet, atque observari attentius, & canonica severitate arceri.

Concilium Lumbariense A. 1176.

XI. Concilium Lumbariense habitum in pago Albiensi, unde a quibusdam vocatum Albiense sub eodem Alexandro III. A. MCLXXVI. ex Rogerio Hovedenio in Vita Henrici II. Regis Angliæ pag. 555. quanquam acta ex Sirmondi MS. Codice a Cossartio edita illud referant ad A. MCLXXV. De Hæreticis in ea Synodo damnatis hæc habet laudatus Rogerius. *Erant in Provincia Tolosana Hæretici qui se bonos homines appellabant Manichæis & Arrianis affines &c.* Eorum antesignani Oliverius & Sicardus contra quos Goscelinus al. Cancelinus Lodovensis Episcopus egregie disputavit solius; N. T. auctoritate, quia Vetus rejiciebant. Actis Concilii præter plures Episcopos & Abbates subscripsere Vicecomites Bitterensis & Lautracensis, nec non Constantia soror Galliarum Regis & conjux Raymundi V. Tolosani Comitis in hunc modum. *Hanc sententiam ratam habemus, & istos Hæreticos esse scimus, & eorum sententiam improbamus.*

Colloquium Tolosanum A. 1178.

XII. Anno MCLXXVIII. habitum est Tolosæ Colloquium, seu Conventus a Petro Cardin. Presbyt. tituli S. Chrysogoni Legato Apostolico præsentibus Archiepiscopis Bituricensi, & Narbonensi, duobus Episcopis, Abbate uno, aliisque Ecclesiasticis Viris missis a Ludovico II. Galliarum, & Henrico II. Angliæ Regibus. Idem hujus ac prælaudatæ Synodi exitus. In iisdem capitibus Hæretici manifeste deprehensi, juramenti recusatione contumaces damnati, & anathemate confixi. Confer Rogerium Hoveden. posteriori parte Annal. ad A. prædictum.

Concilium Generale Lateran. III. A. 1179.

XIII. Concilium Œcumenicum Lateranense III. celebratum A. MCLXXIX., vel ut aliis placet MCLXXX. sub Alexandro P. III. hæc habet adversus Catharos C. XXVII. *quia in Guasconia, Albigesio, & partibus Tolosanis, & aliis locis, ita Hæreticorum (quos alii Catharos, alii Patrinos, seu Patarenos, alii Publicanos, alii aliis nominibus vocant) invaluit damnata perversitas, ut jam non in occulto, sicut aliqui, sævitiam suam exerceant, sed suum errorem publice manifestent, & ad suum consensum simplices attrahant & infirmos; Eos, & defensores eorum, & receptores anathemati decernimus subjacere &c.* Mox damnat Brabantiones, Arragonenses, Navarros, Bascolos & Coterellos, & Triaverdinos, publicos nimirum grassatores, & populatores Ecclesiarum, Catharorum erroribus imbutos, qui ex Belgio, sive Brabantia, Aragonia, Occitania certatim erumpentes, in Christianos immaniter sæviebant; de quibus confer S. Antoninum 2. p. Histor. tit. 7. §. 17. Spondanum ad A. MCLXXXIII. & Cangium in Glossario ad eorum nominum explicationem.

Concilium Veronense A. 1185.

XIV. Concilium Veronense, quod Baronius Colloquium vocat, Labbeus ut Constitutionem recitat inter literas Lucii III. Cl. vero Pagius verum Concilium fuisse ostendit A. MCLXXXV. propterea quod non solum inter R. P. & Fridericum Imperatorem res acta sit, sed in Conventu plurium Episcoporum præside R. P. In eo igitur adversus Catharos, aliosque Hæreticos editum est hujusmodi decretum: *Nos charissimi Filii nostri Friderici illustris Romanorum Imperatoris semper Augusti præsentia pariter & vigore suffulti de communi consilio Fratrum nostrorum, nec non aliorum Patriarcharum, Archiepiscoporum, multorumque Principum, qui de diversis Mundi partibus convenerunt, contra ipsos Hæreticos, quibus diversa vocabula diversarum indidit professio falsitatum, præsentis decreti generalis sanctione consurgimus, & omnem Hæresim quocumque nomine censeatur, per hujus Constitutionis seriem auctoritate Apostolica condemnamus. In primis ergo Catharos, & Patarinos &c.*

Concilium Monspeliense A. 1195.

XV. Concilium Monspeliense A. MCXCV. sub Cælestino III. Præside Michaele S. Sedis Legato occasione irruptionis Paganorum in fines Hispaniæ & Galletiæ, ut refert Cl. Baluzius. In eo viginti Canones editi sunt quorum ultimo Hæretici Galliæ Narbonensis configuntur.

Concilium Senonense A. 1198.

XVI. Concilium Senonense A. MCXCVIII. sub Innocentio III. ex Roberto Monacho S. Mariani in Chron. Altissiodorensi, ubi Hæresim illam Popelicanam vocat omnium Hæreseon fæculentissimam, quæ virulentas radices suas late quidem, sed latenter propa-

propagarat. Eandem autem fuisse Hæresim, quæ ab Alexandro III. in Concilio Lateranen. Can. 27. damnata fuerat, inde colligitur quod in eodem Canone Publicani recensentur.

XVII. Colloquium Carcassonæ habitum est A. MCCIII. Mense Februario inter Catharos atque Valdenses ex una, & Carcassonensem Episcopum Radulphum & Petrum de Castronovo R. P. Nuntios ex altera coram Petro Aragonum Rege; atque productis utrinque Scripturæ testimoniis, & S. R. E. Decretis Hæretici illi convicti sunt. Refert Percin. *Monument. Conv. Tolos. Parte* 1. *de Hæresi cap.* 11. Bernardum de Cimorra Hæreticorum Episcopum confessum esse: Tres, aut plures Deos esse. Legis Mosaicæ Datorem malum esse. Jesum Christum ita hominem habere Patrem sicut & foeminam Matrem. Sacramentum Baptismi, Eucharistiæ, & futuram corporum resurrectionem negasse. Denique protestatum esse S. Mariam Virginem de parentibus carnalibus carnaliter genitam non fuisse; quæ omnes ferme Catharorum blasphemiæ sunt. Colloquium Carcassonense An. 1203.

XVIII. Concilium, seu Colloquium Monspeliense A. MCCV. sub Innoc. III. & Philippo Francorum Rege actum est, cui Præside Arnaldo Abbate Cisterciensi, interfuere Petrus de Castronovo & Radulphus ejus in Apostolica Legatione socii. Vocati quoque sunt Didacus Oxomensis Episcopus, & S. P. Dominicus ex Italia redeuntes. V. Spondan. ad A. MCCXXVI. num. 8. Concilium Monspeliense A. 1205.

XIX. Concilium Avenione actum est Præsidibus Hugone Regiensi Episcopo S. Sedis Legato, & Thedisio Canonico Januensi sub eodem Innoc. III. præsentibus Archiepiscopis Viennen. Arelaten. Ebredunen. & Aquensi, multis præterea Episcopis, Abbatibus, aliisque Ecclesiarum Rectoribus. In eo sancitum Can. 2. ut Episcopi jurare subditos compellant circa exterminandos Hæreticos excommunicatos, & in sua pertinacia perseverantes, quos pecunia mulctandos decernit. Canone vero 11. agit contra Aragones, Brabanzones, Basculos, Ruptarios, seu quocumque nomine vocentur Hæretici, circa quos refert Decreta Alexandri P. III. Concilium Avenionense A. 1209.

XX. Alterum Avenione celebratum est Concilium A. MCCX. a Milone Legato Apostolico adversus Tolosanum Comitem ejusque subditos Cives, Hæreticorum expulsionem non exequentes, cujus meminit Petrus Vallecern. Hist. Albig. c. 33. Cum vero illud pleraque alia posteriora vel solam caussam Comitis Tolosani impensissimi Albigensium fautoris, vel indirecte tantum Catharos afficiant, huc referenda non arbitramur. Alterum Avenionense A. 1210.

XXI. Censum omnium claudet Generale Concilium Lateranense IV. celebratum sub Innocentio III. A. MCCXV. In eo de Hæreticis coercendis puniendisque operose actum est: Albigensium caussa ibi discussa, atque illorum erroribus Caput I. de Fide Catholica velut ex adverso statutum est. Missa facio plurima quæ subinde celebrata sunt Concilia, in quibus plerumque Hæretici ad Fidei Quæsitores remittuntur. Constitutiones quoque RR. PP. quæ in Decretales relatæ sunt; plurimas demum eorum literas in forma Brevis ad Episcopos, & Fidei Quæsitores in caussa Catharorum scriptas, quarum plures videre est in Bullario Ordinis Prædicatorum recens edito summa diligentia & labore Cl. P. M. Antonini Bremond ejusdem Ordinis Casanatensis Collegii Theologi, ac Collegæ nostri longe doctissimi. Concilium Lateranense IV. An. 1215.



DISSERTATIO ALTERA DE VALDENSIBUS.

CAPUT I.

Valdensium ortus.

I.

Valdensium peculiaris Secta ab aliis distincta.



ALDENSIUM nomen non peculiare alicujus Sectæ, aut Hæreseos, sed communem omnium a Seculo XII. ad Lutherum usque appellationem fuisse, ut Gnosticorum quotquot Simonis & Menandri deliriis imbuti erant, cum Romanæ tum Reformatæ, ut vocant, Communionis Scriptores nonnulli cæteroquin eruditi existimarunt. Valdenses propterea cum Albigensibus in primis plerique confundunt, quos Origine, Dogmatis, Moribus diversos plane fuisse certissimum est. Eorum nominis Etymon a Germanica voce *Vvaldt* nonnulli apud Fridericum Spanhemium Hist. Christ. Sec. XII. derivant, ut qui in loca sic dicta se receperint: Alii a Civitate *Vvalden* quæ in finibus Franciæ sita fuerit, ut Pilicdorfius contra Vald. cap. I. Ebrardus Bethuniensis qui vixit An. MCCXII. in Antihæresi cap. 25. sic appellatos putat, quod in Valle lacrymarum maneant; nec desunt qui sic dictos velint a voce Italica *Valdesi* quasi habitatores Convallium generali deinceps futura hac appellatione, ut colligit Johannes Legerius Histor. Vald. gallice scriptæ lib. I. cap. II. atque inde speciale hoc nomen *Barbettis* qui in subalpinis vallibus degunt tributum, unde etiam antiquiores eorum Ecclesiæ illi videntur Petro illo Valdo Lugdunensi a quo Valdenses ortos cæteri Scriptores vulgo commemorant. Cui quidem commento, earum Vallium aliquando Minister, ac sublestæ fidei Historicus, illud etiam addendum non dubitavit, Valdensium Sectam, quam ille diu professus fuerat, ad Silvestri R. P. & Constantini Magni tempora referendam esse, atque ab iis ad posteriora secula occulta quidem, sed continuata propagatione derivandam. Sed quod hominis sycophantiam cumulat, ac tuis oculis inter legendum vix credas, male consutæ fabellæ patronum ac vadem impudentissime advocat Scriptorem piissimum atque doctissimum Claudium Seisellium Archiepiscopum Taurinensem, cujus auctoritatem dolo malo obtruncatam ac mutilam Lectoribus obtrudit: Ejus vero fidem secutus magni nominis apud suos Genevenses Theologus Turrentinus eundem exscribit Tom. 3. Loco 18. qu. 10. numero 20. in hæc verba = *Claudius Seisellius Archiep. Taurinen. in libro quem scripsit contra Valdenses refert sectam Valdensium originem duxisse a quodam Leone Viro Religiosissimo tempore Constantini M. qui aversatus avaritiam Silvestri, & nimiam liberalitatem Constantini, maluit sequi paupertatem in Fidei simplicitate, quam cum Silvestro manere, & pingui beneficio contaminari, cui adhærebant quotquot de fide bene sentiebant* = Hæc Turrentinus latine, quæ Gallice exhibuerat Legerius I. par. cap. 28. Hist. Vald.

Valdensium nomen unde derivatum.

Legerii de Valdensium origine fabula.

Ejusdem calumnia detegitur ac refutatur.

II. At legenti Illustrissimi Seisellii Opusculum apparebit illico Hæreticorum hominum candor & fides. Sic enim habet laudatus Præsul Opusc. sui contra Vald. cap. I. fol. 5. edit. Paris. A. MDXX. = *Valdensis quippe ut ajunt appellabatur* (Petrus Valdius) *& Lugdunensis Urbis Municeps fuit, unde & prima hujus pestis contagio pullulavit, quamvis nonnulli hujus hæresis assertores ad abladiendum apud vulgares & historiarum ignaros favorem, hanc eorum sectam Constantini M. temporibus a Leone quodam viro religiosissimo initium sumsisse fabulentur, qui execrata Silvestri Romanæ Urbis tunc Pontificis avaritia, & Constantini ipsius immoderata largitione, paupertatem in Fidei simplicitate sequi maluit, quam cum Silvestro pingui opulentoque Sacerdotio*

con-

contaminari, cui cum omnes qui de Christiana Religione recte sentiebant adhæsissent, sub Apostolorum regula viventes, hanc per manus ad posteros veræ Religionis normam transmiserunt.

III. Hactenus eruditus Seisellius fabellam recitat, commentumque Valdensium: Accipe jam quid reponat, quibusve argumentis illam refellat. *Quo sane commento quid potest esse fabulosius? Quis enim est inter tot probatos auctores Græcos & Latinos, qui per id tempus vel deinceps extitere, qui hujus hominis fecerint mentionem, quum tamen Antonii, Hilarii cæterorumque Anachoretarum, qui præter rerum omnium humanarum contemtum arctissimam in vasta solitudine vitam egerunt, Scriptorum diligentia memoria relicta sit sempiterna. Quo uno argumento sit perspicuum, non a Leone illo, aliove ullius nominis doctrinæ sanctitatisque Viro, sed ab hoc ipso Lugdunensi Cive Valdensi nomine hæresim hanc initium sumsisse.*

IV. Vide quomodo mentita sit iniquitas sibi, immo quam certo criterio Valdensium fabella explosa sit a doctissimo Præsule in falsitatis præsidium ab Heterodoxis Scriptoribus fraudulenter adscito; quove argumento retusa Calvinianorum philautia, qui vetustatem aliquam velut certam Ecclesiæ Notam affectantes, eam a Valdensibus emendicant, & si superis placet, ab ipsa Apostolorum ætate per occultas rimulas ad Calvinum derivare connituntur. Vide Bezam lib. 1. Hist. Eccl. pag. 33. & 39.

V. Igitur a Petro Valdio, seu Valdensi originem appellationemque Valdenses duxere, quorum primordia exhibere lubet ex superius laudato F. Stephano de Borbone al. de Bellaville lib. de Septem Donis Spiritus S. parte 4. cap. 30., ubi ejus Sectæ originem ex coævis testibus sic describit.

Incepit autem illa Secta per hunc modum secundum quod ego a pluribus, qui priores eorum viderunt, & a Sacerdote illo, qui satis honoratus erat, & dives in Civitate Lugdunensi, & amicus Fratrum nostrorum, qui dictus fuit Bernardus Ydros: qui cum esset juvenis, & Scriptor, scripsit dicto Valdensi libros pro pecunia in Romano, quos ipsi habuerunt, transferente, & dictante ei quodam Grammatico dicto Stephano de Ansa, qui postea beneficiatus in Ecclesia Majore Lugdunensi, de solario domus quam ædificabat corruens, morte subita vitam finivit, quem ego vidi sæpe. Origo Valdensium

Quidam dives rebus in dicta Urbe dictus Valdensis audiens Evangelia, cum non esset multum literatus, curiosus intelligere quid dicerent, fecit pactum cum dictis Sacerdotibus, alteri ut transferret ei in vulgari, alteri ut scriberet quæ ille dictaret, quod fecerunt: similiter multos Libros Bibliæ, & auctoritates Sanctorum multas per titulos congregatas, quas sententias appellabant, quæ cum dictus Civis sæpe legeret & corde tenus firmaret, proposuit servare perfectionem Evangelicam ut Apostoli servaverant. Qui rebus suis omnibus venditis, in contemptum Mundi per lutum pauperibus pecuniam suam projiciebat, & officium Apostolorum usurpavit & præsumpsit: Evangelia, & *ea quæ corde retinuerat, per vicos, & plateas prædicando, multos homines & mulieres ad idem faciendum, ad se convocando firmans eis Evangelia. Quos etiam per Villas circumjacentes mittebat ad prædicandum vilissimorum quorumcumque officiorum, qui etiam tam homines, quam mulieres, idiotæ & illiterati per Villas discurrentes, & domos penetrantes, & in plateis prædicantes, & etiam in Ecclesiis, ad idem alios provocabant. Cum autem ex temeritate sua & ignorantia multos errores & scandala circumquaque diffunderent, vocati ab Archiepiscopo Lugdunensi, qui Johannes vocabatur, prohibuit eis, ne intromitterent se de Scripturis exponendis, vel prædicandis. Ipsi autem recurrentes ad responsionem Apostolorum in Act. cap. 5. Magister eorum usurpans Petri officium, sicut ipse respondit Principibus Sacerdotum ait*: Obedire oportet magis Deo quam hominibus, *qui præceperat Apostolis*: Prædicate Evangelium omni Creaturæ; *in fine Marci. Quasi hæc dixisset Dominus eis, quod dixerat Apostolis, qui tamen prædicare non præsumpserunt, usquequo induti virtute ex alto fuerunt, & donum linguarum omnium susceperunt. Ii ergo, Valdensis videlicet, & sui primo ex præsumptione, & officii*

Apo-

Apostolici usurpatione ceciderunt in inobedientiam, demum in contumaciam, demum in excommunicationis sententiam. Post expulsi ab illa Terra ad Concilium quod fuit ante Lateranense vocati, & pertinaces fuerunt Schismatici postea judicati. Postea in Provinciæ terra, & Lombardiæ cum aliis Hæreticis se admiscentes, & errorem eorum bibentes, & serentes, Hæretici sunt judicati, Ecclesiæ infestissimi, & periculosissimi, ubique discurrentes, speciem sanctitatis & Fidei prætendentes, veritatem autem ejus non habentes, tanto periculosiores, quanto occultiores &c.

VI. Mox vero post pauca, ejusdem Sectæ ortum consignat ad A. MCLXX. sub Johanne dicto Bolesmanis Archiep. Lugdunen. Quod & alios Scriptores fecisse video, atque in primis Guidonem Carmelitam, qui Valdenses decennio posteriores habet, cum alii scribant eos cœpisse circa A. MCLX.

Varia Valdensium nomina.

VII. Variis subinde nominibus appellati sunt: *Leonistæ* a Lugdunensi Urbe, quæ & Leona dicta est: *Pauperes de Lugduno* a paupertatis professione: *Sabatati*, vel *insabatati*, non quod Festis Papisticis repudiatis solum diem Dominicum observarent, ut ineptissimè conjicit Fridericus Spanhemius Hist. Christ. Sec. XII. nec quod in Sabbato judaizarent, ut minus recte visum est Golstadio Calviniano Scriptori, sed, ut tradit etiam Eymericus 3. p. direct. Inquis., quod inter eos perfectiores signum quoddam in superiore parte sui sotularis, quem *Sabatem* appellant, deferre solerent, vel ut ait Cangius in Glossario ab ea calceorum specie quos Galli *Sabots* vocant, nimirum calceis ligneis quibus passim utebantur; unde Ebrardus Bethuniensis in Antihæresi c. 25. To. 24. Bibl. PP. *Quidam*, inquit, *qui Vallenses se appellant .... & etiam Zabatenses a Zabata, potius quam Christiani a Christo se volunt appellari. Sotulares cruciant, cum membra potius debeant cruciare, calceamenta coronant, caput autem non coronant.*

Sabatati unde dicti.

CAPUT II.

De Valdensium progressu ejusque caussis.

I. VIX orta Valdensium Secta, sive novitate rei, sive Evangelicæ simplicitatis atque Apostolicæ rerum omnium abdicationis specie, quibus plerumque capitur vulgus, plurimos in sui admirationem & sequelam facile traxit, unde & brevi propagata est. Nam varias illi Provincias circumeuntes primum occultis prædicationibus in promiscuam plebem se se insinuabant, *plerumque in Latibulis Ecclesiæ Dei* (ut ait Urspergiensis in Chronico) & Sacerdotio derogabatur; hoc est Clericorum Sacerdotumque vita per id temporis paullo laxior, in invidiam & contemtum adducebatur. Sub Lucio III. R. P. eorum nonnulli Romam profecti Societatis suæ, quæ Monachismi speciem præ se ferebat, adprobationem & prædicandi facultatem petiere neutra a Pontifice impetrata. Iterum sub Innocentio III. Romam reversis, iterumque ab illo repulsis, loco eorum S. Francisci Institutum Evangelicæ humiltatis, ac verum absolutumque Apostolicæ paupertatis exemplar perpetuo futurum ab Apostolica Sede adprobatum est; de quo Urspergiensis in Chron. ad An. 1212. Extat Innocent. III. Epistola ad universos Christi Fideles in Urbe, & Dioecesi Metensi, quæ in ejus Regesto est 131. l. 2 & refertur a Bzovio ad A. 1199. qua Valdenses damnat, quod officium prædicationis absque missione invaderent. Quapropter quod habet Moneta lib. V. cap. I. §. IV. Petrum Valdum ad Romanum Pontificem venisse, & pollicitatione facta servandi quatuor Ecclesiæ Doctores, Ambrosium scilicet, Augustinum, Gregorium, & Hieronymum, prædicandi veniam, & officium accepisse, id dictum puto ex Valdensium fabula; Neque enim hujusce facultatis aut Apostolicæ permissionis documentum aliquot extat apud aliquem Scriptorem. Quin oppositum omnes tradidere. Audiendus præ cæteris Pilichdorffius auctor synchronus, quem Tom. XXV. Biblioth. Patrum edidit Gretserus: sic enim habet cap. 1. *Cum autem diu* (Valdenses) *in paupertate stetissent, inceperunt cogitare quod etiam Apostoli Christi non solum erant pauperes, sed etiam prædicatores, cœperunt & ipsi prædicare Verbum Dei. Quod post-*

Valdenses a R. P. prædicandi veniã postulant.

S. Francisci Institutum Valdensibus oppositum ab Inn. PP. III.

postquam ad Sedem Apostolicam pervenisset; mandat Dominus Apostolicus, quod cessarent, cum prædicatio Verbi Dei rudibus & illiteratis non conveniat: ipsi noluerunt obedire, quasi hoc Romana Curia ex invidia prohiberet. Quo comperto Ecclesia excommunicavit eos: Et ipsi resistentes contumaciter ab Ecclesia condemnati sunt.

II. Romanæ Sedis repulsam iniquo animo ferentes, paullo acrius atque impudentius illam vellicare ac proscindere, Clericos, Sacerdotes, Episcopos publicis Conciónibus traducere, in eorum luxum, divitias, & vitæ rationem inquirere, ac declamare, Sacerdotum munia usurpare, Sacramenta omnia ministrare; imperitam denique multitudinem ab Ecclesiæ Prælatorum obedientia subducere cœperunt. Cui malo Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. Can. 3. debita animadversione prospectum voluit atque provisum. Valdenses in Concilio Lateran. IV. damnati.

III. Sed neque universæ Ecclesiæ anathemate coerciti sunt. Nam late per Gallias, Hispaniam, Italiam, aliasque Europæ Provincias ad seculum usque XVI. diffusi sunt, quo ad Lutheri vel Calvini castra deficientes in novam Sectam coaluerunt atque migrarunt.

IV. Hujusce propagationis, atque diuturnitatis caussas omnino septem affert Reinerus. *Prima*, inquit, *est inanis gloria, quia enim vident Doctores in Ecclesia honorari, idcirco etiam ipsi appetunt per doctrinam honorari.* Propagationis Valdensium caussæ septem.

Secunda est quia omnes Viri, & Fœminæ parvi & magni nocte & die non cessant docere, & discere; Operarius enim in die laborans, in nocte discit vel docet .... Discipulus decem dierum quærit alium quem doceat. Mox refert Valdensem quendam ut Catholicum ad suam sectam pertraheret, hyemali & nocturno tempore per Flumen ad ipsum enatasse. *In quo* (subdit) *reprehendi potest negligentia Fidelium Doctorum, qui non sic zelant Catholicæ fidei veritatem, sicut perfidi Leonistæ zelant infidelitatis errorem.*

Tertia caussa est Veteris ac novi Testamenti in vulgarem linguam ab ipsis facta translatio, quæ quidem edita est in urbe Metensi; unde Innoc. III. mandavit Episcopo & Capitulo Metensi, ut diligenter inquirerent, quis fuerit auctor ejusdem translationis, quæ intentio transferentis, quæ fides utentium, quæ caussa docendi &c. ut constat ex l. 2. Reg. ejus Epistolarum Epistola ad Abbates Cistercien. Morimunden. & de Orista.

Quarta caussa, pergit Reinerus, *est scandalum ex malo quorumdam exemplo, unde cum quosdam vident male viventes dicunt; sic Apostoli non vixerunt, nec nos qui sumus sectatores Apostolorum*: Sane Valdenses, si fidem excipias, sine qua impossibile est placere Deo, castigatiorem ferme cæteris Christianis vitam egisse testantur Auctores synchroni, atque in primis Reinerus qui cap. 7. sic eorum mores describit: *Sunt enim in moribus compositi, atque modesti: Superbiam in vestibus non habent, quia nec pretiosis nec multum vilibus utuntur. Negotiationes non habent propter mendacia, & juramenta, & fraudes vitandas, sed tantum vivunt de labore ut opifices. Doctores etiam ipsorum sunt sutores; divitias non multiplicant, sed necessariis sunt contenti. Casti etiam sunt maxime Leonistæ. Temperati etiam sunt in cibo, & potu. Ad Tabernas non eunt, nec ad choreas, nec ad alias vanitates. Ab ira se cohibent: semper operantur, dicunt, vel docent, & ideo parum orant .... Cognoscuntur etiam in verbis præcisis & modestis. Cavent etiam a scurrilitate, & detractione, & verborum levitate, mendacio, & juramento &c.* Valdensium mores compositi.

Quinta caussa est quorumdam Concionatorum ignorantia, qui quandoque frivola quandoque falsa prædicabant.

Sexta caussa est irreverentia quorundam ministrorum Ecclesiæ erga Sacramenta.

Septima est odium contra Ecclesiam. Narrat Rainerus ex ipsorum Valdensium auditu eos molitos esse Clericos & Claustrales ad statum Fossorum ablatis decimis & possessionibus multitudine suorum credentium, fautorumque vi & potentia aliquando detrudere. Denique scribit: *quod in omnibus Lombardiæ Civitatibus, & in Provincia, & in aliis Regnis plures erant Scholæ Hæreticorum, quam Theologorum, & plures Auditores, qui publice disputabant, & populum ad solemnes disputatio-*

tiones convocabant: in foro, & in campis, & in tectis prædicabant; nec erat qui eos impedire auderet propter potentiam & multitudinem fautorum ipsorum.

CAPUT III.

De Valdensium Erroribus.

I. PRincipio quidem a Valdensibus erratum in paucis; nec enim quidpiam in iis observatum atque damnatum, nisi quod Laici munus prædicationis invaderent, & novam Apostolicæ vitæ speciem invehere molirentur. Hæc illis ferme objecta Romæ sub Lucio P. III. qui Pontificatum iniit A. MCLXXXI. hoc est a Valdensium ortu circiter vigesimo, & A. MCLXXXV. denatus est. Abbas Urspergiensis in Chronico ad A. MCCXII. refert laudatum Pontificem, *quædam superstitiosa in conversatione eorum eisdem objecisse, videlicet quod calceos desuper pedes præcidebant, & quasi nudis pedibus ambulabant: Præterea cum portarent quasdam Cappas quasi religionis, capillos capitis non attondebant, nisi sicut Laici. Hoc quoque probrosum in iis videbatur, quod viri & mulieres simul ambulabant in via, & plerique simul manebant in una domo, ut de eis diceretur, quod quandoque simul in lectulis accubabant.*

II. Paullo post Lucii III. mortem a Bernardo Archiepiscopo Narbonen. habito inter ipsos & Raymundum Daventriensem colloquio solemnique disputatione, super iisdem ferme erroribus damnati sunt, nisi quod etiam ad Foeminas concionandi potestatem extenderent, Prælatis obedientiam detrectarent, suffragia pro defunctis rejicerent. Confer Bernardum de Fontecalido in Præfat. adversus sectam Vald. Tom. 24. Bibl. PP. His autem erroribus mox addidere: Bonis quibuscumque laicis absolvendi consecrandique potestatem inesse, atque illis satius esse confiteri, quam malis Sacerdotibus: Juramenta omnia illicita esse: Malefactores mortis poena mulctare judicibus non licere, ut testatur Alanus Cisterciensis Auctor æqualis l. 2. pag. 175. & seqq.

III. Non aliam eos habuisse fidem usque ad A. MCCX. pronum est judicare ex pluribus Innocentii III. Epistolis, in quibus eorum errores exhibentur, sed præsertim Epist. 78. Reg. 13. l. 1. & Epistola 94. quam laudatus P. scripsit eodem A. MCCX. Id. Maii, ubi post longam Fidei professionem editam a Durando de Osca, Guillelmo de S. Antonino, Johanne de Narbona, Ermengaudo, aliisque, Innocentius P. hæc habet: *Licet autem in subscriptis articulis assererentur errasse &c.* I. *Soli Deo obediendum esse; & si homini, soli justo, qui Deum habet in se.* II. *Licere Laico ac literato sine licentia cujuslibet prædicare.* III. *Bonum Laicum conficiendi Eucharistiam potestatem habere, malum autem Sacerdotem nequaquam.* IV. *Ejus Orationes aut Missas vivis vel mortuis non proficere.* V. *Romanam Ecclesiam nequaquam esse Ecclesiam Dei.* VI. *Quodlibet juramentum in quolibet articulo sub Ecclesiæ forma factum esse peccatum mortale; suam innocentiam excusarunt in his. Illud inficiantes omnino, quod videlicet mulieribus Evangelium in Ecclesia licitum esset docere, ac Indulgentias, quæ fiunt a Pontifice, vel aliis Episcopis non proficere; justumque Laicum confitentes sibi absolvere posse, quidam eos asserunt adstruxisse.*

IV. At longe plures post Concilii Lateranensis IV. celebrationem adoptarunt errores, sive quod Albigensibus intermixti ex eorum prava consuetudine multas etiam ebiberint ipsorum opinationes, sive quod a veritate Fidei atque unitate semel declinantibus facilis est per prærupta ad novos semper errores casus. Sane Catholici qui per ea tempora floruere Scriptores varia numerant eorum dogmatum capita, quæ in tres classes partitus est Reinerus Sacchonus. Prima blasphemias complectitur quas in Romanam Ecclesiam congerebant, ejusque sanctiones, & Clerum. Secunda errores circa Ecclesiastica Sacramenta, & Sanctos. Tertia execrationes eorum adversus honestas omnes & approbatas Ecclesiæ consuetudines. Cum vero minus obvia, & fortasse antiquiora ea sint, quæ de illis tradidit laudatus Stephanus de Borbone, qui ab A. floruit MCCXXIII. usque ad MCCLXIV. ea subjicimus quæ scribit loco sæpius citato ex l. de Septem Donis Spiritus Sancti.

Hi

Hi sunt (inquit) *errores in quibus* (Valdenses) *infecti sunt corrupti*, *& abominabiles in studiis suis*, *non solum in uno Fidei articulo aut Sacramento*, *sed in omnibus directe*, *vel indirecte*: *sicut ego cognovi*, *& inveni per multas inquisitiones*, *& confessiones eorum in jure tam Perfectorum quam Credentium ab ore eorum conscriptas*, *& per multos testes contra eos receptos*.

1. *Dicunt omne mendacium esse peccatum*, *& juramentum similiter*. *Tamen aliqui eorum dicunt*, *ut ab eis audivi*, *timore mortis esse eis*, *qui non sunt Perfecti*, *licitum mentiri*, *& jurare*. *Ipsi & mentiuntur*, *& pejerant*, *nec credunt hoc esse peccatum*, *quia & mendacia sua dolis & sophismatibus verborum excusant*, *& obumbrant*.

Idipsum tradit Reinerus cap.5. additque Perfectos inter Valdenses mori potius quam jurare paratos: Imperfectos vero jurare si cogerentur. Confer Pilichdorf. c. 36. Ebrard: c. 14. Ermengaud. c. 18. Monetam vero Lib. V. Cap. IX. §. I.

2. *Item fundamentum erroris eorum*, *immo fidei subversio totius est*, *quia ipsi ponunt*, *sicut ego inveni ex confessionibus fere omnium Perfectorum aliorum*, *animam primi hominis esse divinæ substantiæ portionem*, *& ipsum Dei Spiritum*, *vel de eo esse &c.*

Hic error quem palmarem fuisse apud veteres Manichæos tradunt Epiphanius Hæresi LV. & Augustinus l. de duabus animabus c. 1. & l. Retractat. c. 15. puris Valdensibus non videtur tribuendus; sed potius Catharis, a quibus Valdenses illos, quos hic memorat auctor, hausisse crediderim, ut supra monuimus; altum enim de illo apud Reinerum, & nostrum, cæterosque Scriptores Valdensibus pares vel suppares silentium est.

3. *Item ponunt non esse pœnam Purgatoriam nisi in præsenti*, *nec suffragia Ecclesiæ defunctis proficere*, *nec aliqua quæ pro eis fiant*.

Idem scribunt Reinerus, Pilichdorf. c. 2. Bernardus de Fontecalido cap. 9. De hoc agit Moneta Libro IV. cap. 9. §. II.

4. *Item dicunt omnes bonos esse Sacerdotes*, *& tantum posse quemlibet bonum in absolutione peccatorum sicut nos ponimus Papam posse* ..... *Absolutiones & excommunicationes Ecclesiæ contemnunt*, *quia solus Deus est*, *ut dicunt*, *qui potest excommunicare*.

Id habent etiam Reinerus & Pilichdorf. c. 32. Ebrardus c. 12. Moneta lib. V. cap. 5.

5. *Item quidam magnus Magister & Legatus eorum hanc distinctionem mihi faciebat*. *Sunt*, *dicebat*, *quidam qui non sunt ordinati a Deo vel ab hominibus*, *ut mali Laici*; *alii ab hominibus*, *ut mali Sacerdotes nostri*; *alii a Deo*, *etsi non ab hominibus*, *ut boni Laici qui servant mandata Dei*, *qui possunt ligare*, *& solvere*, *& consecrare*, *& ordinare*, *si proferant verba Dei ad hæc statuta*. *Quidam autem*, *ut dicebat*, *de eis discernunt in sexu dicentes*: *quod ordo requirit sexum virilem*: *Alii non faciunt differentiam*, *quin mulier si bona est possit exercere officium Sacerdotis*. *Vidi Hæreticam quæ combusta fuit quæ super Arcam ad modum Altaris parati consecrare se credebat*, *& attentabat*.

Similia leges apud Rein. Pilichdorf. aliosque. Confer nostrum lib.5. cap.1. §. IV.

6. *Derident Indulgentias Papæ*, *& absolutiones*, *& Claves Ecclesiæ*, *dedicationes*, *& consecrationes Ecclesiarum*, *& altarium*; *vocantes Festa lapidum*. *Item dicunt omnem terram æqualiter a Deo consecratam*, *& benedictam*: *Cœmeteria Christiana contemnunt*, *& Ecclesias*.

Hæc quoque sunt apud Rein: & Nostrum Lib.V. cap. 8.

7. *Item dicunt quod peccant omnes judicium vel justitiam sanguinis exequentes*, *& homicidas reputant*, *& perditos qui prædicant pugnandum contra Saracenos*, *vel Albigenses*, *& Saracenos Infernales*, *quos vocant Dæmones*.

Reinerus habet c. 5. quod Papa apud eos, & omnes Episcopi sint homicidæ propter bellum. Fuse hoc argumentum prosequitur Moneta Lib. 5. cap. XIII.

8. *Item dicunt*, *quod sufficit ad salutem soli Deo & non homini confiteri*; *& quod exteriores Pœnitentiæ non sunt necessariæ ad salutem*; *sed quando pœnitet quicumque Peccator*, *quantumcumque magna & multa peccata commiserit*, *si moritur*, *statim evolat*.

Aliter illos sensisse circa Sacramentum Poenitentiæ scribit Reinerus; sed de hoc capite sequenti.

9. *Item spiritus hominis ex quo bonus est, si moritur, est idem quod Spiritus Dei, & ipse Deus: unde concesserunt eorum multi, credo innitentes primæ positioni, quod non est Spiritus in Cælo, nisi Spiritus Dei, qui est ipse Deus, nec alia Anima est ibi nisi Deus. Et cum quæritur ab eis: si Anima Petri, & Pauli, & aliorum Sanctorum sunt in Cælo, fatentur quod non sit in Cælo alia anima nisi Deus, vel quæ non sit Deus. Hoc dixerunt aliqui eorum.*

Hac limitatione satis indicat Auctor eum non fuisse totius Sectæ errorem; Nam certe illum puris Valdensibus nemo tribuit; quare ex Albigensibus derivatum esse credendum est, sicut & primum.

10. *Item dicunt quod nostri Clerici & Sacerdotes qui habent divitias & possessiones, sunt filii diaboli & perditionis, & quod peccant qui dant eis decimas vel oblationes, & dicunt quod est quasi impinguare lardum.*

Fusius hoc ipsum commemorat Reinerus scribens eos docuisse Decimas non esse solvendas, siquidem Ecclesiæ primitivæ non solvebantur: Clericos & Claustrales possessiones & præbendas non debere habere, nec Episcopos & Abbates jura regalia. Terram, & populum non esse in partes dividendum. Malum esse dotare Ecclesias, & Claustra: Non esse condenda Ecclesiis Testamenta. Nullum Ecclesiæ censualem fieri debere: Clericos omnes debere manibus operari more Apostolorum. Vide etiam Pilichdorf. c. 1. Ebrardum cap. 10. Nostrum verò Lib. V. cap. 8. per totum.

11. *Item ipsi irrident eos qui luminaria offerunt Sanctis ad illuminandas Ecclesias. Item irrident cantus Ecclesiæ, & Officium Divinum, dicentes quod illi videntur Deum irridere qui ei cantant quæ dicunt, quasi non aliter intelligeret nisi cantaretur ei, vel cantando peteretur ab eo.*

Quod ad Cæremonias & Ritus Ecclesiæ pertinet eos omnes explodebant, ac subsannabant. Nam Altaria ex Rein. eorumque consecrationes, sacram Supellectilem, Sacerdotalia Indumenta, Luminaria, Thurificationes, Aquam Benedictam cæterosque Sacros Ritus irridebant. Confer etiam Pilichdorf. c. 22. 23. & seq. Bernardum Fontiscalidi c. 12. Ermengaud c. 8. & 9. Monetam vero lib. 5. cap. 1. & c. 8.

12. *Item dicunt nullam esse Sanctitatem, nisi in bono homine vel muliere.*

13. *Item dicunt Ecclesiam Romanam Babylon meretricem, de qua legitur Apoc.* XVII.

Huc spectant cætera quæ apud Reinerum in Romanam Ecclesiam effuse vomebant: Eam nimirum sub Silvestro defecisse: Romanam Sedem esse errorum omnium Magistram: Papam esse omnium errorum caput; Prælatos vero Scribas & Pharisæos. Sectam Valdensium esse Ecclesiam Christi, apud quam solam sit doctrina Evangelica. Solos Valdenses esse pauperes spiritu, & qui persecutionem propter justitiam patiantur, & similia, de quibus Moneta Lib. V. c. 1. 2. 3.

14. *Item irrisibiles dicunt qui faciunt Festa Sanctorum, & quod non peccant qui in eis laborant, nisi forte propter scandalum hominum.*

Non solum Festa Sanctorum, sed eorum invocationem impugnabant; Reliquias, Canonizationes contemnebant; Miraculis ad eorum Sepulchra per ipsorum merita a Deo patratis Fidem omnem abrogabant; ex Rein. Pilichdorf. c. 16. & 20. Ermengaudo c. 10. & Nostro Lib. V. cap. 8. & 10.

15. *Item non peccare dicunt illos qui jejunia statuta solvunt quacumque die, & qui ibi carnes comedunt, nisi forte propter quorumdam scandalum. Sed in privato est eis licitum, ut dicunt, quacumque die comedere, vel ubicumque non esset hominibus scandalum.*

16. *Item obedientiam Romanæ Ecclesiæ omnino evacuant.*

17. *Item solum Deum adorandum dicunt omni genere adorationis, & dicunt peccare eos qui Crucem, vel illud, quod nos credimuus Corpus Christi, adorant, vel Sanctos alios a Deo, vel eorum Imagines.*

Id confirmant Rein. Pilichdorf. c. 33. Ebrard. c. 17.

18. *Item ex prima positione dicunt plurimi eorum, sicut audivi per Confessionem multorum magnorum inter eos, quod quilibet bonus homo sit Dei Filius*

sicut

ficut Christus eodem modo, de quo dicunt quod non habuit aliam Animam nisi Deum, aut Spiritum Sanctum, qui est Deus, quod etiam dicunt de aliis bonis hominibus. Et cum dicunt se credere Incarnationem, Nativitatem, Passionem, & Resurrectionem Christi, dicunt quod illam credunt veram Conceptionem, Nativitatem &c. cum bonus homo concipitur, nascitur, resurgit per pœnitentiam, vel ascendit in Cælum: Cum Martyrium patitur, illa est vera Passio Christi. Similiter cum dicunt se credere Baptismum, Pœnitentiam, & sic de aliis Sacramentis, dicunt ipsa esse vera Sacramenta solum, & tunc compleri, cum homo pœnitens bonus efficitur, tunc est ibi verus Baptismus, Confirmatio, Eucharistia vera, quia tunc efficitur Corpus Christi, tunc ordinatur, tunc fit in eo conjugium, & unctio. Et per istam spiritualitatem Fidem nostram plurimi eorum in Articulis, & Sacramentis annihilant. Illi autem, qui in aliquo videntur minus male sentire, in hoc errant, quia dicunt Corpus Christi posse confici a quocumque bono vel consecrari, qui dicit verba ad hoc statuta, licet non sit ab homine ordinatus.

Hæc quoque de puris Valdensibus, aut de omnibus accipienda non sunt. Nemo enim scripsit eos circa naturalem Christi Filiationem erralse, aut in mysticum & spiritualem sensum Fidei nostræ Mysteria, & Sacramenta detorsisse. Crediderim ex officina Catharorum ea delineamenta prodiisse, præsertim cum Reinerus testetur, Valdenses mysticum sensum in Scripturis rejecisse.

19. *Item in Matrimonio carnali dicunt quod uxor potest a viro recedere eo invito, & e converso, & sequi eorum societatem, vel viam continentiæ.*

Apud Reinerum de Matrimonio id unum affirmant, peccare mortaliter Conjuges si absque spe prolis conveniant.

20. *Item hæc est Trinitas quam, vel in qua credunt, ut sit Pater qui alium in bonum convertit: qui convertitur, filius: id per quod convertit, & in quo convertitur, Spiritus Sanctus; & hoc intelligunt, quando dicunt se credere in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum: & Christum conceptum, natum, & passum &c. ut in Symbolo continetur, quod optimè in vulgari dicere sciunt. Causa autem quare in has abominationes ceciderunt, credo quod fuit præsumptio, & odium Cleri, & Fidei destructio, quia qui fundamentum amiserunt in laberinthum & profundum malorum ceciderunt.*

Nihil tale de puris Valdensibus apud Reinerum aliosque Scriptores, unde efficitur paucorum, non vero Sectæ, errorem fuisse ex Albigensibus derivatum.

His vero omnibus addendum ex Reinero, Valdenses solum Scripturæ textum recepisse, Traditiones, Concilia, Patres, Pontificum decreta nihili fecisse, id vulgo obtrudentes, doctrinam Christi, & Apostolorum sine statutis Ecclesiæ sufficere ad salutem. De Sacramentis quid senserint, capite sequenti differemus.

CAPUT IV.

Errores primis Valdensibus falso tributi.

I. POstulat hic locus ut duo avertam atque dispellam criminationis capita, quorum Valdenses insimulatos video a nonnullis ingenuis etiam atque eruditis Scriptoribus. Sunt enim qui nullum inter eos & Albigenses discrimen constituentes eadem ferme utrisque dogmata affingunt, ut nominibus magis, quam erroribus distinctos velint. Atque sunt alii Calvinianæ cumprimis factionis homines, qui ut Sectæ suæ antiquitatem nescio quam venditent imperitis, ita Valdenses præformatores suos faciunt, ac præcursores, ut Calvinianam fidem, si superis placet, ante Calvinum professos fuisse omnino videatur. Ad primos quod attinet, excusandi sane ii aliqua ex parte videntur, quod eos non satis accurate secernant, sive quod utraque Secta per eadem ferme tempora atque ex iisdem proxime locis emerserit, sive quod in pluribus errorum dogmatumque capitibus utrique consenserint, sive quod unanimi odio ac furore in Romanam Ecclesiam conspirarint, seu denique quod inito inter utramque Sectam commercio deinceps alterutra idem venenum ebiberit, no-

menque ac Fidem alterius adoptaverint. Ignorare tamen non poterant aliter de Deo, rebusque divinis, de Incarnatione, de Sacramentis, de libero arbitrio, aliisque Fidei capitibus sensisse Catharos & Albigenses, quam puros putosque Valdenses: alios etiam ac plane diversos a prioribus Valdensium mores, castos nimirum, compositos, temperantes plerumque, ac frugales, in omnem certe licentiam, atque spurcitiam Catharis minus effusos. Quapropter Petrus Vallecern. qui florebat A. MCCVI. ac utramque Sectam penitissime noverat, utriusque comparationem instituens post exhibitos Albigensium errores hæc habet cap. 6. *Sunt etiam alii Hæretici qui nominantur Valdenses, a quodam Lugdunensi Uvaldo, e quibus aliqui sunt mali, sed aliorum, nempe Albigensium comparatione multo minus perfidi; Nam nobiscum in multis rebus concordant &c.* Alanus etiam qui per ea tempora vixit, satis accurate utrosque secernit l. 2. pag. 175 & seq. Denique Reinerus qui cæteris Scriptoribus de illis disseruit copiosius diversis plane coloribus utrosque pingit. Quare emendandus est Gretserus, qui Valdenses cum Albigensibus, seu novis Manichæis confundens, quos edidit Patrum Tractatûs adversus Seculi XII. & XIII. Hæreticos, unico & communi *contra Valdenses* titulo insignivit. Neque enim adversus puros Valdenses, ut inscripsit, sed adversus Catharos est Ebrardi Bethuniensis Liber, quem auctor ipse *Antihæreseos* inscripserat. Tractatus quoque Bernardi Abbatis de Fontecalido inscriptus contra Valdenses & Arrianos, Arrianorum quidem nomen in fronte præfert, sed nusquam de Arrianismo disputat in toto Tractatu. Denique Ermengaudi Liber cui Gretserus titulum contra Sectam Valdensium affixit, sic primum fuit ab ipso auctore descriptus. *Contra Hæreticos, qui dicunt & credunt Mundum istum, & omnia visibilia non esse a Deo facta sed a diabolo*; qui sane error Catharorum palmaris fuit, nusquam vero Valdensium.

II. Turpius vero hallucinantur, ac futili sibi commento blandiuntur Calviniani, qui a Valdensibus ortum & propagationem suam derivare omni ope moliuntur. Hoc unum scilicet conclamatæ ac perditæ eorum caussæ præsidium reliquum erat, ut quando a Catholicis urgentur ut edant originem suarum Ecclesiarum, ne videantur *sine Patribus Filii, sine Magistris discipuli, atque prodigioso plane modo de se ipsis orti, & nati*, ut olim Donatistis exprobrabat Optatus Milevit. l. 2. contra Parnenian. continuo ad Valdenses veluti ad communes posteriorum Sectarum Patres, progenitoresque confugiant, sed irrito tamen conatu; Nam si aliqua excipias, quæ non Valdensibus solum & Calvinianis, sed omnibus cum antiquis tum recentioribus Hæreticis communia sunt, ut aperta a Romana Communione defectio, Traditionis, Conciliorum, & Patrum ejuratio, Catholicæ Ecclesiæ rituum, ac disciplinæ contemtus, effusum adversus Romanos Pontifices odium, & perpetua in illos atque Romanam Sedem convicia, pauca sane offendes ac numerabis capitalia dogmata in quibus puri putique Valdenses cum Reformatis consentiant. Neque enim hi probabunt Valdensium Donatismum, quo Sacramentorum vim atque efficacitatem Ministri sanctitati illigabant, neque ab illis collatam laicis ac etiam Foeminis sacri ministerii potestatem; Sed neque cum illis juramenta omnia damnabunt, nec impunitatem delictis asserent omnem, execrantes atque a Iudicibus secularibus auferentes coactivam potestatem.

III. Sed quantum ab hisce Valdensium erroribus abhorrent Reformationis Doctores, tantum ab istis discrepant cæteris, ac plerisque in articulis veri & antiqui Valdenses, præsertim vero in Sacramentorum numero quem abrogare, vel ad duo tantum contrahere nusquam moliti sunt. Nam, quod ait Reinerus cap. 5. Eos omnia Sacramenta Ecclesiæ damnasse, non sic accipiendum est, quod omnia prorsus aboleverint, sed quod aliquos exploserint ritus ex iis quos Romana Ecclesia in eorum administratione adhibere consuevit, ut ejusdem contextum legenti perspicuum fiet. Porro de illis hæc habet Noster Lib. V. cap. 5. §. III. *Ultramontani verò Pauperes* (hoc est Valdenses) *dicunt, quod Ecclesia Romana habet Sacerdotium, & Sacramenta conferunt ab ea collata, & quod Eucharistiam & alia Sacramenta reciperent ab ea si darentur eis.*

IV. Ac Baptismum quidem aquæ naturalis admittebant, sed parvulis neque utilem, neque necessarium esse affirmabant, in quo Anabaptistis, & Socinianis prælusisse visi sunt; quanquam eos ab hoc errore vindicare nitatur Cl: Bossuetus lib. XI. Variat.

Variat. n. 109. Id verò conceptis verbis tradit Ermengaudus opusc: contra Vald. c. 12. *Dicunt etiam quod nulli nisi proprio ore & corde hoc Sacramentum petat, potest prodesse, inde adducentes hunc errorem, quod parvulis Baptismus aquæ nihil prosit*; Moneta noster 1. p. c. 4. §. 2. testatur eosdem negare Baptisma parvulorum, & ante annos discretionis salvari non posse. Sed & Reinerus idipsum confirmat de illis scribens c. 5. *De Baptismo dicunt quod Catechismus nihil sit*; *Item quod ablutio quæ datur infantibus nihil prosit &c.* quæ quidem posteriora verba non de ablutione sacri laticis, sed de vini ablutione quæ more veteri infantibus post Baptismum conferebatur accipienda esse, benignius fortasse quam verius interpretatur Illustrissimus Bossuetus.

V. Ad Confirmationem quod attinet *Mirantur*, inquit Reinerus, *quare solis Episcopis liceat confirmare*; Quapropter non ipsum Confirmationis Sacramentum, sed ejus Ministerium Laicis vetitum reprobabant, atque per manuum impositionem, quæ est inadæquata hujus Sacramenti materia, dari a bonis Laicis Spiritum Sanctum vulgo credebant.

VI. Circa Eucharistiæ Sacramentum in eo errarunt, quod a malis Sacerdotibus confici non posse existimarent, seu, ut ait Reinerus, transubstantiationem non fieri in manu indigne conficientis, sed in ore digne sumentis, eamque per verba vulgaria faciendam esse, & in mensa communi. Quod autem iis plerique affingunt quod Eucharistiam benedicerent non verbis quidem Evangelicis *Hoc est Corpus meum &c.* Sed Oratione dominica quam septies recitarent, id ex nullo synchrono Auctore qui de illis scripserit colligi posse videtur. Sed neque corporalem Christi in Eucharistia præsentiam inficiatos esse quispiam tradidit nisi forte Ebrardus Bethuniensis qui l. 3. c. 8. de illis subobscure scripsit *Sacræ quidem cœnæ mysteria nescientes panis benedictionem a Deo nobis collatam flocci pendent*; At quemadmodum observat Gaspar Iveninus Comment. Hist. de Sacram. diss. 4. qu. 4. art. 1. sic accipiendus est Ebrardus, quod Valdenses flocci fecerint Eucharistiam ab impio Sacerdote consecratam; Nimirum Donatistarum errorem circa Sacramentorum ministros profitebantur, unde idem Ebrardus *Sed quasdam*, inquit, *evasiones prætendunt, & quædam subterfugia, dicentes, quia Sacerdos immundus mundam non potest facere hostiam, juxta illud, omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum*. Denique damnatam ab illis Romanam Ecclesiam, quod credat Eucharistiam esse verum novi Fœderis sacrificium, nemo eorum quibus perspecta intimius fuere Valdensium dogmata usquam literis consignavit, sed id per calumniam recentiores Hæretici iis affixerunt, ut inter Christianos XII. sæculi patronos invenirent.

VII. De Pœnitentia ita sentiebant: neminem absolvi posse a malo Sacerdote; hanc vero absolvendi potestatem bonis laicis inesse, qui per manus impositionem peccata dimittere & Spiritum Sanctum conferre possent. Item quod gravis Pœnitentia non sit imponenda exemplo Christi *Vade & jam amplius noli peccare*. Publicas etiam Pœnitentias maxime in Fœminis reprobabant, sicut & legem semel in anno confitendi. Ita Reinerus, & Pilichdorfius, ex quibus efficitur admissum a Valdensibus quoad substantiam fuisse Pœnitentiæ Sacramentum, quanquam in eo erraverint quod Clavium potestatem bonis Laicis adjudicarent.

VIII. Sed neque Confessionis auricularis usum abrogarunt; Nam inter eorum dogmata nec Reinerus, nec Pilichdorfius illud numeravit; Quia Pilichdorfius scribit eos monuisse Credentes suos ne Romanæ Communionis Sacerdotibus graviora peccata confiterentur; *ne detecti mittantur ad auctoritatem Episcoporum, ut mos est Christianorum, & ibi confundantur, & pecuniis excorientur*; *dicentes quod Sacerdotes sint pleni avaritia*: Id unum igitur vetabant ne gravia eis peccata confiterentur. Cæterum Confessionis usus apud Valdenses ita obtinebat, ut ex laudato Pilichdorfio Magistri eorum non injungerent suis confitentibus *Ave Maria*, cum negarent B. Mariæ V. & Sanctorum suffragia.

IX. Extremam Unctionem e Sacramentorum albo omnino ac simpliciter non expunxerunt, sed solum quosdam abusus vellicabant quos circa hujus Sacramenti administrationem irrepsisse vulgo effutiebant. *Sacramentum Unctionis reprobant*, inquit, Reinerus, *quia tantum divitibus datur, & propter plures Sacerdotes ibi necessarios*. Similes agunt querelas apud Ebrardum; Cum enim Valdenses maxime pau-

peres essent, non poscebant extremam unctionem, quod ab aliquibus Sacerdotibus sine accepto ab ægrotis pretio non dispensaretur, aut saltem id eis imponebant Valdenses. Pilichdorfius ait Valdenses improbasse consecrationem Olei, quæ est extremæ unctionis materia, nec tamen propterea rejecisse censendi sunt illud Sacramentum, quemadmodum Calviniani a quibus proscribitur aquæ Baptismalis consecratio non dicuntur rejicere Baptismatis Sacramentum, ut observat Sambovius apud Juvenin. diss. 7. de Sacram. qu. 2. c. 1.

X. Sacramentum Ordinis omnino exploserunt, seu, ut ait Reinerus, nihil esse dixerunt; Nam quemcumque bonum Laicum Sacerdotis muneribus, & potestate insigniebant.

XI. Matrimonii denique Sacramentum eo sensu damnabant apud Reinerum, quod assererent mortaliter peccare conjuges, si absque spe prolis conveniant. Gradus quoque affinitatis, & consanguinitatis carnalis, & spiritualis ab Ecclesia institutos, Impedimenta Ordinis, & publicæ honestatis nihili faciebant. Denique Ecclesiam errasse dicebant matrimonium Clericis prohibendo; & continentes per oscula, & amplexus nequaquam peccare.

CAPUT V.

De Valdensibus Subalpinis.

I. CUm late grassantem Valdensium Sectam cohibere severius Catholici Principes instituissent, eamque e latibulis omnibus Quæsitorum Fidei vigilantia diligentissime extruderet, ut jam nulla pateret ei secura mansio, in Cottiarum Alpium Valles velut certum tutumque asylum plurimæ eorum reliquiæ ex Italia & finitima Gallia pulsæ se se receperunt difficili locorum accessu fretæ ac securæ. Regionis jam pene desertæ solum sterile illud quidem atque infœcundum diuturno improboque labore ab iis subactum, alendis, sustentandisque multis Valdensium millibus eo facilius deinceps suffecit, quo tributis oneribusque ferme soluti ab omnibus negligerentur, nec quispiam de iis sollicitus in eorum Fidem ac Religionem diligentius inquireret. Principes quas eo loci posuerunt sedes hæ omnino sunt. Vallis Lucernæ a parva hujus nominis Urbe sic dicta quæ ad Vallis aditum supra dextram Pellicis fluvii ripam sita est: Angroniæ Vallis ex fluento eam interluente sic appellata: Vallis Perosa ex arce hujus nominis ibidem constructa hanc appellationem sortita; & Vallis S. Martini ejus cultui specialiter addicta, quod is Pannoniam versus proficiscens illac transiisse vulgo ferebatur. Ibi per tria ferme sæcula pacatissime incubarunt, priorum Valdensium Religionem & Fidem plerumque profitentes, quanquam alterius sectæ Hæreticis intermixti. Nam S. Vincentius Ferrerius, qui e proximo Delphinatu ad eas Valles prædicationis caussa descenderat An. MCCCCV. in Epistola quam dedit ad Reverendissimum Johannem de Pedonatis Ordinis Prædicatorum tunc Generalem Magistrum apud Fontanam Monum. Dominic. par. 2. cap. 1. testatur plures ibidem reperisse Gazaros, seu Catharos, ex quorum grege illuc olim se receperant interfectores S. Petri Martyris, additque se accepisse ab earum Vallium incolis, nullum ab annis triginta Verbum Dei ibidem prædicasse nisi Valdenses Hæreticos, qui ad ea loca ex Apulia bis in anno veniebant.

II. Suos tamen Pastores, seu Mystas habebant, quos Barbas, seu Barbatos (vulgo *Barbetti*) appellabant. Iis vero communi sumtu alimenta atque indumenta tribuebantur, & si quando in grave crimen laberentur, statim e Ministerio & societate ejiciebantur. Seniores populo regendo per aliorum suffragia admovebantur, & licet in summa versarentur rerum Fidei ignoratione densis errorum tenebris obvoluti, castissimis tamen erant moribus, si fides habenda sit Jo: Paulo Perrino qui eorum Historiam vulgavit Genevæ 1618. addito ad ejus calcem libro de Valdensium disciplina.

III. Porro Illustrissimus Claudius Seisellius, qui ex injuncto sibi Taurinensis Archiepiscopi munere eas Valles lustravit An. MDXVII., ac diligenter in Valdensium dogmata & mores inquisivit, testatur paucos admodum fuisse eorum errores, si Donatismi speciem excipias, quo nec penes Romanum Pontificem, nec Romanæ Ecclesiæ-

cleſiæ Sacerdotes facultatem eſſe putabant conficiendi Corpus Chriſti, atque abſolvendi a peccatis, quod eorum vita ad Apoſtolorum exemplum & ſanctimoniam minime exigeretur.

IV. At veterem Religionem & Fidem, quam a primis Valdenſibus hauſerant, poſt exortam Calvinianam Hæreſim in aliam prorſus mutarunt. Bucerus primum & Œcolampadius Sacramentariorum Miniſtri nullum non moverunt lapidem ut Valdenſes ad Zuvinglianam Helvetiorum fidem pertraherent, id unum, ut Reformatis nomen darent, ab iis poſtulantes ut ab eo quem profitebantur articulo Confeſſionem auricularem eſſe juris divini omnino recederent ut refert Petrus Egidius Hiſt. Eccl. Reform. An. 1530. Sed Barbati hoc eſt Valdenſium Miniſtri conſtantiſſime repugnarunt; cauſſati quod ex illius articuli proſcriptione fœda erroris labes eis inureretur maximo ſane Miniſtrorum dedecore, aut etiam periculo apud eas quas hactenus rexerant Valdenſium Eccleſias.

V. Cæteri quos profitebantur Fidei ſuæ articuli eorum nomine exhibiti ſunt a Gregorio Maurelio Valdenſium Miniſtro in Legatione ad Baſileenſes, eoſque refert Scultetus decade 2. Annal. ad An. 1530. Fuerunt autem I. Miniſtrorum Cælibatus. II. Vita communis ex eleemoſynis. III. Quatuor Sacramenta admittebant. IV. Baptiſmum iterabant. V. In Cœna Domini panem & vinum eſſe verum Chriſti Corpus & Sanguinem, & Chriſtum eſſe in Sacramento cum ſuo naturali corpore, ſed per aliam exiſtentiam ab ea qua ſedet a dextris Dei profitebantur: Sacramentum tamen non adorabant, propterea quod crederent ibi ſolum adorandum eſſe Chriſtum, ubi eſt viſibiliter præſens. VI. Confeſſionem auricularem utilem eſſe fatebantur. VII. Liberum arbitrium ad actus ſalutares admittebant ut virtutem in plantis, herbis &c. quod Pelagianiſmum ſapit. VIII. Deum omnes ad gloriam prædeſtinare exiſtimabant. IX. Dignitatem Epiſcopalem & Sacerdotalem gradus eſſe ab Apoſtolis inſtitutos, quorum caput Petrus a Chriſto ordinatus eſt, aſſerebant.

VI. Sed quod irrito conatu Helvetii moliti ſunt, ut eos ab avita Religione divellerent, id Genevenſibus Miniſtris felicius ceſſit An. 1536. Nam agente Guillelmo Farello Calvinianæ factionis homine vafro ac ſollerti, novæ ſectæ venenum iis facile propinatum eſt, quod ita ebiberunt ut paucis poſt annis ejurata prorſus majorum Fide ne unus quidem in earum Vallium tractu reliquus fuerit, qui ad Calvini caſtra non defecerit, ſolo Valdenſium titulo apud eos ſuperſtite, quo propterea Calviniani ineptiſſime abutuntur ut a priſcis Valdenſibus originem ſuam mutuentur, quorum Fidei ac doctrinæ plurimis in capitibus Calvinianam Sectam adverſari ſatis perſpicuum eſt.

CAPUT ULTIMUM.

De Valdenſibus Bohemis.

I. Quandoquidem Hæretici, qui ante Lutheri tempora late in Bohemia, Moravia, & Polonia obtinebant ad Valdenſes referri ſolent a nonnullis Scriptoribus, dicam de iis aliqua nec otioſa, nec producta quo de Valdenſibus diſquiſitionem omnem abſolvam. Sunt itaque qui eorum ſectam a Petro Valdenſi derivant; Nam Dubravius Hiſt. Bohem. lib. 14. refert Lugduno in Picardiam cum ſectatoribus, quos Pauperes Lugdunenſes appellabant, commigraſſe, ac ſeduxiſſe Picardos ut cupiditatibus fræna laxarent, cumque ad ſupplicium quærerentur, in Germaniam ac ſubinde in Bohemiam profugiſſe, ubi clandeſtina luſtra tenuere in omne libidinum genus effuſi. At vero Picardos Bohemiæ incubantes aliunde nomen & originem duxiſſe certiſſimum eſt, nimirum a Pikardo quodam ex Gallia Belgica oriundo Adamitarum Hæreſis auctore, cui nihil ferme cum Valdenſibus commune. Quare Bohemi ipſi, quos Valdenſes vocant, ſibi falſo, & per injuriam affictum Pikardorum nomen conqueruntur, atque illud tanquam calumniam a ſe amoliri conantur in Epiſtola data ad Calvinum, quæ eſt inter ejuſdem Epiſtolas numero & ordine 204. Falſo etiam progenitores ſuos appellari Valdenſes teſtantur, cum in ea Epiſtola, tum in Confeſſione Fidei ab ipſis edita An. 1572.

ubi

ubi inter cætera Valdenſium ſectam antiquiorem eſſe fatentur, quæ tametſi per Bohemiam diu antea viſa ſit, ſe tamen ab eorum Communione ſemper abſtinuiſſe: Tum quod Fidei & Doctrinæ ſuæ teſtimonium nullum proferrent: Tum quod pacis cauſſa Pontificiorum, ſeu Catholicorum Miſſis intereſſe non dubitarent. Vide in hanc rem narrationem Hiſtoricam Joachimi Camerarii de Eccleſiis Fratr. in Bohem. & Morav. & Cl. Boſuetum l. xi. Variat. n. 150. & ſequ.

II. Solo itaque Fratrum Bohemorum, ſeu Fratrum Orthodoxorum nomine inſignjri ac gloriari conſueverunt. Eos principio quidem ita averſatus eſt Lutherus, ut in diſputatione Lipſienſi jugiter rogaverit Eckium ne ſibi eam calumniam inureret, ut eum Bohemis accenſeret ſibi ſemper inviſis quod ab unitate diſſentirent. Eos etiam ſub Picardorum nomine tanquam Hæreticos traduxit in Reſolut. Concl. 15. & de X. præceptis c. 1. Anno MDXIX.

III. Sed ut erat verſatili ingenio ac translatitio paucis poſt annis hoc eſt An. MDXXIII. mutata ſententia in eorum ſocietatem deflectere viſus eſt; Nam ſuaviſſimis verbis ſic eiſdem aſſentatur in libello de Euchariſtia: *Nos certi ſumus, vobis per donum inenarrabile Dei contigiſſe puram doctrinam, & magnam lucem Verbi, etiamſi ſit infirmitas forſan adhuc, & ſatis erratorum in moribus, & in vita*; & in fine: *Obteſtor vos per Charitatem Chriſti, ne meum ſcriptum in eam partem accipiatis, quaſi veſtris erratis titillarim, ſed tamen cum ſciatis vos in toto orbe hactenus tanquam peſtilentiſsimos Hæreticos proclamatos, hic teſtimonium vobis perhiberi volui; quod propius accedatis ad puritatem Evangelii, quam omnes alii quos ego cognoverim.*

IV. Porro duæ circumferuntur Bohemorum Fratrum vulgo Valdenſium Fidei formulæ, ſeu Confeſſiones, quarum primam Uladislao Hungariæ Regi ipſos exagitanti, ut ejus iram, ſeveritatemque mulcerent, exhibuere An. MDVIII. eaque redeundi in Romanæ Eccleſiæ communionem ſpem aliquam injiciebant; Nam ejuſdem Confeſsionis articulo 4. Eccleſiam Catholicam agnoſcentes, ſeptem admittunt novæ Legis Sacramenta per quæ dari gratiam confitentur. Circa Confirmationem vero errant cum Armenis & Græcis, putantes ſimplicem Sacerdotem non fultum Apoſtolico Mandato Confirmationis Sacramentum conferre poſſe. Credunt Sacerdotum ordinationem; ſed Chriſti præſentiam in Euchariſtia ſubdole fatentur tacentes Tranſubſtantiationem. De Sacramento Pœnitentiæ recte ſentiunt; item de Extrema Unctione, ac de Sanctorum communione.

V. Huic Fidei formulæ honorifice præfatus eſt Lutherus, eamdemque laudavit Melancton in Epiſtola inſcripta Benedicto cæteriſque Fratribus Valdenſibus in Bohemia. Bucerus quoque in libro cui titulus *Scripta duo adverſaria Latomi*, eam probavit. Sed ea non perinde placuit Calvino propterea quod panem & vinum in Euchariſtia verum eſſe Chriſti Corpus & Sanguinem affirmaret. Quare in Epiſtola ad Polonos quæ eſt inter Calvinianas num. 244., ut eos ab illa Confeſsione abſterreat, & ad Genevenſem amplectendam alliciat, ita ſcribit: *Formulam vero Confeſſionis amplecti quæ ſine diſcrimine in unum faſciculum damnationis omnes involvit, qui præciſe non fatentur panem eſſe præſentiſsime Chriſti Corpus, an fas ſit Chriſtiano homini vos videritis, nos certe non putamus.*

VI. Alteram Fidei formulam An. MDXXXV. Ferdinando Romanorum, & Bohemiæ Regi obtulere, in qua orthodoxam fidem non ſatis candide atque enucleate profeſsi ſunt circa Euchariſtiam. At certum eſt eos a priore ſententia ac fide deſciviſſe, & novos errores adoptaſſe, ut Lutheri, & Calvini gratiam aut etiam ſocietatem inirent. Quare Hoſpinianus Tom. 2. Hiſt. Sacrament. omnino perſuadere nititur eam Valdenſium Confeſsionem conſentire cum Gallicana, ſeu Genevenſi. At ſive Lutherianis, ſive Calvinianis accenſendi ſint, id ratum eſto ac firmum ad priſcos Valdenſes ne quidem nomine eos pertinuiſſe.

FINIS.



VENERABILIS PATRIS MONETÆ CREMONENSIS ORDINIS PRÆDICATORUM SUMMÆ ADVERSUS CATHAROS, ET VALDENSES

LIBER PRIMUS.

Incipit Præfatio Summæ contra Catharos, & Valdenſes, compilatæ a Fratre MONETA *Ord. Præd. ad Fidei Catholicæ corroborationem, & eradicationem hæreticæ pravitatis, ad honorem & gloriam* JESU CHRISTI, *&* B. DOMINICI *Inſtitutoris præfati Ordinis.*

PRÆFATIO.



EMPUS *faciendi Domine, diſſipaverunt legem tuam*: Verba iſta ſunt Spiritus Sancti loquentis in Davide Pſal. 118. v. 126. de Hæreticis, qui legem Altiſſimi diſſipant. Hæc autem lex duplex creditur ab his, qui in divinis docti ſunt, & lumine veræ Fidei ſunt irradiati; teſte enim ipſa veritate Matth. 13. v. 52. *Omnis ſcriba doctus in regno cælorum ſimilis eſt Patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo nova, & vetera.* Per regnum cælorum Dei Eccleſia, per theſaurum autem doctrina ſacra ſignificatur, de qua qui doctus eſt in Eccleſia ad confuſionem hæreticæ pravitatis, & corroborationem catholicæ Fidei profert teſtimonia Novi, & Veteris Teſtamenti. Utramque legem (1) diſſipant Hæretici; Legem enim Veteris Teſtamenti diſſipant reprobando eam, & ore blaſphemo aſſerendo ipſam per Moyſen a Diabolo miniſtratam. Novam vero legem (2) diſſipant prave exponendo *non intelligentes* 1. Timoth. v. 7. *neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Non enim verba legis Moſaicæ aut Prophetarum intelligunt, quibus velut teſtimoniis irrefragabilibus veritas Evangelii confirmatur. Juſtitia enim Dei, quæ in Evangelio præcipitur ſine lege ſacrificiorum & figurarum, manifeſtatur in ipſo, *quia* Rom. 3. v. 21. *teſtificata a lege, & prophetis*: cujus epiſtolas, immo Chriſti in eo loquentis, ſicut dicitur 2. Petri v. 3. 16. *indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem.* [*] Hi

(1) Conſule notam 1. ad cap. VI. lib. II.

(2) Photius *lib.* 1. *contra Manichæos num.* VIII. *pag.* 27. *Ipſa Domini eloquia*, inquit, *nec non Apoſtolica, aliaſque Scripturas, nempe Actus Apoſtolorum, & Catholicas, ut vocant, Epiſtolas ad mittunt .... Illi inquam ſunt, qui vere detorquent,* (Scripturas) *& evertunt in propriam ſibi perniciem.* Conſule eumdem Photium *ibid. num.* XV. *pag.* 61. & Petrum Siculum *Hiſtor. Manichæorum pag.* 19. *Edit. Ingolſtad. an.* 1604.

[*] Quæ duobus aſteriſcis comprehendimus, deſiderantur in Codice Bononienſi; exſtant autem in Vaticano, & Neapolitano,

ſunt (3) abominatio deſolationis, de qua agitur Matth.24.v.15. ubi dicitur: *Cum ergo videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt a Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto, qui legit intelligat. Tunc qui in Judæa ſunt fugiant ad montes.* Hæretici dicuntur abominatio deſolationis. Abominatio, quia ſcilicet abominabiles & vomitum provocantes. Evomendi ergo ſunt, & de finibus Eccleſiæ expellendi, teſte Apoſtolo ad Galatas 4.v.30. *ejice Ancillam, & filium ejus*, hoc eſt *hæreticam doctrinam, & ipſum hæreticum*: *non enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ*, ideſt *cum filio doctrinæ Catholicæ*. Deſolatio dicuntur, quia ad deſolationem Eccleſiæ inceſſanter nituntur [*].

Iſti tales dicuntur eſſe (4) in Eccleſia, quia ejus receperunt ſacramenta, licet propter ſuam nequitiam non Sacramentorum efficaciam *ex nobis*, ait 1.Joan.c.2.v.29. *prodierunt, ſed non erant ex nobis*, [*] A fide (5) noſtra exierunt, unde eſt efficacia Sacramentorum [*]; ſed ex nobis non erant, quia Deus eos nobiſcum non permanſuros prævidebat; fuerunt enim de numero vocatorum, ſed non de paucitate electorum. Ut enim dicitur Matth.20.v.16. *Multi ſunt vocati, pauci vero electi*. [*] Iſti tales dicuntur ſtantes in loco ſancto, ideſt contra locum ſanctum, Eccleſiam impugnare parati; ſtare enim pugnantium eſt, & lacerant Eccleſiam detractionis dentibus: & fideles, qui membra ſunt matris Eccleſiæ, ab ipſa avellunt: Tempus ergo eſt eis qui in Judæa ſunt, & qui Deum glorificare volunt, faciendi, ut dicit Dominus, ſcilicet confugiendi ad montes. Propter quod Ego Frater Moneta Fratrum Prædicatorum minimus ad montes confugio, ad montes ſcilicet æternos, ideſt cæleſtes, & beatos Spiritus Angelicos, ut Dominus per ipſos ſuſcipientes radios ſolis juſtitiæ, me mirabiliter luce veritatis illuminet, & mihi ſervo ſuo quamvis inutili, det intellectum, ut ſciam teſtimonia ejus [*]. Tempus ergo eſt ex parte Dei faciendi, ideſt intellectum dandi mihi, & aliis pro Fide ejus certare volentibus; quia diſſipaverunt legem ejus Hæretici. Tempus etiam eſt propter eandem cauſſam faciendi hujuſmodi Opuſculum ex divinis teſtimoniis mihi ſua gratia inſpiratis, ſuffragante orationum inſtantia, & copia meritorum B. DOMINICI Patris mei, cujus totum fuit deſiderium, & conatus per ſe ſuoſque filios ſpirituales ſpretis ſæculi nugis demoliri opere & ſermone Hæreticorum dogma perverſum, & beatam credulitatem Fidelium adaugere. Ad quod felicius conſumandum Sancti Spiritus conſilio fretus primus primum Prædicatorum nomina excogitavit Ordinem, & erexit. Cujus Ordinis devictus precibus, adjutus meritis, & documentis edoctus imbecillis Athleta ecce vibrare audeo gladium Verbi Dei in confutationem hæreſum, ad robur Fidei, & Catholicæ Eccleſiæ firmamentum. Unum autem peto a Lectoribus iſtius operis, ut ſi qua argumenta, vel reſponſiones contra Hæreticos ſibi viſa fuerint debilia, non me mordeant, ſed potius inexperientiæ ſuæ contra Hæreticos, quod ſibi talia videntur, adſcribant. Ubi etiam viderint me ponere argumenta aliqua contra Eccleſiam [*], aut Reſponſiones pro Hæreticis, [*] non me lacerent dicentes ea non ab Hæreticis duxiſſe originem, ſed me proprio ingenio adinveniſſe hujuſmodi, quæ poſſent nutrire, & augere hæreticam pravitatem, quia vel ex ore eorum (6), vel ex ſcripturis ſuis illa habui.

DESCRIPTIO FIDEI HÆRETICORUM.

Quid credant, vel potius fingant Hæretici, & primo illi, qui duo ponunt principia.

ANtequam tractemus de unoquoque articulo per ſe, ut melius pateant ſequentia, Fidem erroneam utrorumque Catharorum deſcribamus, & in quibus conveniant, aut differant declaremus. Sunt enim eorum duæ (7) partes principales.

Qui-

(3) Vitio verti Monetæ non debet, quod aliorſum Matthæi verba acceperit atque litteralis ſenſus poſtulet. Habet enim pleroſque Veteres doctrina, & pietate conſpicuos, qui ſibi facem prætulerint. Adi-ſis Acta Concilii Lateranenſis ſub Martino I. Rom. Pont. an. 649. celebrati. Sect. IV. *col.* 843. *Tom.* III. *Concilior. Edit. Harduinianæ.* Nam eo loco Maximus Epiſcopus Aquilejenſis ῥητὸν hoc Matthæi hæreticis ſui temporis aptare non dubitat. Quod autem adjungit Moneta: *evomendos eſſe, & de finibus Eccleſiæ expellendos* hæreticos, ſimile eſt hujus, quod habet Auguſtinus *Serm.* III. *de Agar, & Hiſmaele col.* 10. *ſeq. Tom.* V. *Edit. Pariſ. an.* 1683. *ſic intelligens Sara mater luſum illum dixit; ejice ancillam, & filium ejus, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Et Eccleſia dicit, ejice hæreſes, & filios earum: non enim hæredes erunt hæretici cum catholicis. Sed quare non erunt hæredes? Nonne de Semine Abrahæ nati? Et quomodo baptiſmum Eccleſiæ habent? Baptiſmum habent: hæredem faceret Semen Abrahæ, niſi ab hæreditate ſuperbia excluderet &c.*

(4) Immo vero *fuiſſe*. Sic enim legendum arbitror. Sunt enim hæretici *ex Eccleſia*, non *in Eccleſia*. Atque huc quidem ſpectat illud Johannis, ut mittam Patrum teſtimonia, qui hæreticos in Eccleſia eſſe negant.

[*] Non exſtant in Codice Bononienſi, quæ hic quoque duobus primis, & duobus aliis ſ qq. aſteriſcis comprehendimus.

(5) Commode huc recidunt, quæ habet Tertullianus *lib. de Præſcription. cap.* XXXV. *pag.* 215. *Hæc eſt inſtitutio*, inquit, *non dico jam quæ futuras hæreſes prænunciabat, ſed de qua hæreſes prodierunt. Sed non fuerunt ex illa, ex qua factæ ſunt adverſus illam. Etiam de olivæ nucleo mitis, & opimæ, & neceſſariæ, aſper oleaſter oritur .... Ita & hæreſes de noſtro frutice, non noſtro genere veritatis grano, ſed mendacio ſilveſtres. Si hæc ita ſe habent, ut veritas nobis adjudicetur, quicumque in ea regula incedimus, quam Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo tradidit, conſtat ratio propoſiti noſtri, definientis non eſſe admittendos hæreticos ad ineundam de ſcripturis provocationem..., Si enim hæretici ſunt, Chriſtiani eſſe non poſſunt, non a Chriſto habendo, quod de ſua electione ſectati, hæreticorum nomina admittunt. Ita non Chriſtiani nullum jus capiunt Chriſtianarum litterarum.* Conſule Sanctum Auguſtinum *lib. de Unitate Eccleſiæ cap.* XXIV. *col.* 382. *ſeq. Tom.* IX. *Edit. Pariſ. an.* 1688.

[*] Exſtant hæc, quæ duobus aſteriſcis contenta cernis, in Codice Neapolitano, deſunt autem e Bononienſi; ſed juncta ſunt, & colligata cum iis, quæ ante Moneta poſuerat. Adludit autem hiſce verbis ad ea quæ habet Dionyſius de Angelis ſuperioribus, qui illuſtrant alios inferiores, & homines. *Lib. de Cæleſti Hierarchia cap.* V. *pag.* 22. *cap.* VII. *pag.* 28. *ſeq.*

[*] Quæ aſteriſcis comprehenſa ſunt, exſtant in Cod. Vat.

(6) Similia ſunt, quæ exſequitur Irenæus lib. I. contra Hæreſes *in Præf. pag.* 3. *Edit. Pariſ. an.* 1710. *Neceſſarium duxi cum legerim commentarios ipſorum, quemadmodum ipſi dicunt, Valentini diſcipulorum, & cum quibuſdam ipſorum congreſſus fuerim* ἐνίοις δ᾽ αὐτῶν καὶ συμβαλὼν *manifeſtare tibi dilectiſſime &c.*

(7) Diſtribuit initio Moneta Catharos in duas claſſes: Neque enim componi poterant, cum pugnantia dicerent. Ac multo quidem plures Catharorum ſectas enumeraſſet, ſi varias diſcrepanteſque ſingulorum ſententias perſequi ſcrupuloſe inſtituiſſet. Sed hoc munere functus magna cum laude eſt Reinerus Sachonus in *Summa de Catharis col.* 1761. & 1768. *ſeq. Tom.* V. *Theſauri novi Anecdotor. Edmundi Martenii*. Moneta ergo duas *principales* commemorat,

quæ

Quidam illorum duo aſſerunt principia (8) ſine initio, & ſine fine. Unum dicunt patrem Chriſti, & omnium Juſtorum (9), & Deum lucis. Alium vero Deum credunt eſſe illum (10), de quo Chriſtus ait Joan. 14. v.30. *Venit enim Princeps mundi hujus &c.* Iſtum credunt eſſe Deum excæcantem mentes Infidelium (11), & Deum tenebrarum.

Iſti credunt eum creaſſe quatuor (12) elementa iſta, quæ videmus, ſcilicet terram, aquam, aerem, & ignem, & omnia, quæ in terra hac, vel in aqua iſta, vel in aere iſto ſunt: Similiter & cælum iſtud viſibile, & omnem ornatum eorum, ſcilicet Solem, Lunam, & Stellas.

Credunt etiam quod iſte ſit Deus, de quo ait Moyſes Geneſ. cap. 1. *in principio creavit Deus cœlum, & terram &c.* & ea, de quibus habetur in Pentateucho (13), in lib. Joſue, & Judicum, & Ruth, Regum, & Paralipomenon, credunt ab eo dicta, & facta fuiſſe. Exceptis ſexdecim Prophetis, & Pſalmis (14) & quinque libris Salomonis, totam ſcripturam veteris teſtamenti credunt ab eo eſſe; quidam tamen eorum Job recipiunt, & totum Eſdram, ſicut prædictos Prophetas, & quinque libros prænotatos.

Iſti credunt viſibilia iſta (15), & tranſitoria eſſe ab illo per creationem. E converſo credunt Deum patrem Chriſti, & Juſtorum eſſe creatorem (16) permanentium tantum, & æternorum, & credunt quod ipſe alia ſua quatuor elementa creaverit, & omnia, quæ in eis ſunt, & ſuos Cælos, & quod ornaverit Sole alio, quàm ſit iſte viſibilis, & alia Luna, & aliis Stellis.

Dicunt autem (17), & credunt quod iſte Deus ſanctus & verus ſuum populum habuerit cæleſtem conſtantem ex tribus, ſcilicet corpore & anima & ſpiritu. Anima intra corpus exiſtit, ſpiritus vero, qui cuſtos eſt animæ, & rector ipſius, intra corpus non eſt, & quod unaquæque anima a Deo bono creata proprium habet ſpiritum ad ſui cuſtodiam.

quæ vehementer inter ſe diſſidebant. Orta autem hæc pugna eſt ex ea novandi libidine, quæ omnes hæreticos inceſſit. Vide-ſis Irenæum *lib.* II. *in Præf. pag.* 113. *Edit. Pariſ. an.* 1710. Scite imprimis Tertullianus *lib. de Præſcript. Hæreticor. cap.* XLII. *pag.* 217. *edit. an.* 1675. *Mentior*, inquit, *ſi non etiam a regulis ſuis variant inter ſe, dum unuſquiſque proinde ſuo arbitrio modulatur quæ accepit; quemadmodum de ſuo arbitrio ea compoſuit ille, qui tradidit. Agnoſcit naturam ſuam, & originis ſuæ morem profectus rei. Idem licuit Valentinianis, quod Valentino, idem Marcionitis, quod Marcioni, de arbitrio ſuo fidem innovare.* Eodem pertinent, quæ habent de hæreticis ſuorum temporum reliqui Eccleſiæ Patres. Immo vero qui noſtra hac tempeſtate Eccleſiam infeſtant heterodoxi ſimiles omnino ſunt veterum. Non enim eorum factiones tantum inter ſe diſſident, ſed etiam contra ſuum quæque Principem ac Coriphæum inſurgit, ſeſeque in ſectas novas, atque in partes dilacerat. Id vero Lectori magis magiſque compertum eſſe poterit, ſi conjiciat oculos in *Hiſtoriam Variationum Cl. Boſſuetii.* Animadvertet ſiquidem non ſolum Zuinglium cum Luthero, Bucerum cum hiſce hæreſiarchis; ſed etiam horum ipſorum aſſeclas inter ſe, immo vero ſecum ipſos pugnare. Id quod magno argumento eſſe debet novorum ſectariorum factiones Synagogas eſſe a diabolo invectas in orbem Chriſtianum.

(8) Vide Notam LXIV. ad hoc primum libri primi caput.

(9) Sunt hæc ex Manetis diſciplina. Conſulitor Titus Boſtrenſis *lib.* I. *contra Manichæos pag.* 63. ubi *ſcribens*, inquit, *ille ipſe furens Manichæus, ubique incipit: Erat Deus, & materia, lumen & tenebræ, bonum & malum in omnibus ſumme contraria.* Vide etiam Diſputationem *Archelai Epiſcopi Meſopotamienſis, & Manetis Hæreſiarchæ. num.* VII. *Edit. Rom. Zacagni. pag.* 9. Neminem vero fugit ab Gnoſticis, & Manichæis Deum bonum Patrem Chriſti, & juſtarum animarum fuiſſe appellatum. Adi-ſis Irenæum *lib.* I. *cap.* XXVII. *pag.* 106. Theodoretum *lib.* I. *Hæret. fabul. cap.* XXIV. *pag.* 209. *Tom.* IV. *Opp.*

(10) Ita ſuum malum Deum hujus mundi principem appellabant Gnoſtici apud Epiphanium Hæreſi XXVI. *num.* V. & VI. *pag.* 87. *Edit. an.* 1622. *Tom.* I. Vide Auguſtinum *Tract.* LXXIX. *in Johannem n.* 2. *col.* 701. *Tom.* III. *P.* I. *Edit. Pariſ. an.* 1680.

(11) Adi-ſis Theodoretum *lib.* I. *Hæreticar. fabular. cap.* XXVI. *pag.* 212. *Tom.* IV. *Opp. Edit. Pariſ. an.* 1642. Auguſtinum *de Hæreſibus ad Quodvult. Hæreſ.* XLVI. *Tom.* VIII. *Edit. Pariſ.* *Epiphanium Hæreſi* LXVI. *num.* XIV. *pag.* 630. *Tom.* I. & Archelai *Diſput. cum Manet. num.* 7. *pag.* 9. *Collect. Monumentor. Veter. Alexandri Zacagni*, qui omnes Maneti hoc erroris monſtrum acceptum referunt.

(12) Adi-ſis Notam I. ad Cap. VIII. hujus libri I.

(13) Eſt hic error proprius Albanenſium Catharorum, qui Balaſinanſæ auſcultabant. Conſule Reinerium Sachonum *Summa de Catharis col.* 1768. *Tom.* V. *Theſaur. veter. Anecdotor. Edm. Marten.* De veteribus hæreticis, qui Vetus Teſtamentum aut omnino aut ex parte rejecerunt conſuli poterunt Auctores, quos *Nota* I. recenſemus Libri II. c.6.

(14) Codex Vaticanus poſt τὸ, & pſalmis continuo hæc adjungit: *Et primis tribus libris Salomonis, & libro Sapientiæ, & Eccleſiaſtico, ſeu Jeſu Filii Sirachi*, quæ ſunt eadem omnino atque ea, qua habet loco mox indicato Reinerius: *Libris Salomonis, Sapientiæ, Jeſu filii Sirachi &c.* Fortaſſe hæc Codicis Vaticani lectio recentior eſt. Quamvis non ita Monetæ ferret ætas, ut liber Sapientiæ, & Eccleſiaſticus libris Salomonis ab omnibus accenſerentur, ut ex tribus quinque fierent.

(15) Conſule Reinerium Sachonum loco antea indicato, & noſtram primam notationem *ad cap.* VIII. *hujuſce* I. *libri.*

(16) Nempe Valentinianorum, Gnoſticorumque portenta de intelligibili mundo, ac *pleromate* ex orco rurſum revocare auſi ſunt Cathari Albanenſes. De hoc autem veterum hæreticorum opinionis monſtro fuſe diſſerit Maſſuetus *in Diſſert.* I. *Præv. in libros Irenæi n.* 35. *ſeqq.* Eodem ſpectant, aer; & terra ingenita Veterum Manichæorum: S. Auguſt. *lib.* I. *de Actis cum Felice Manich. capit.* XVIII. *col.* 483. *Tom.* VIII. & *lib.* I. *contra Adverſ. legis & Proph. cap.* I. *col.* 549. *Tom.* VIII. Catharis hac ætate conſentiunt VVeigeliani hæretici. Hos enim eorum errores numerat Gaſpar Calvorius *in Fiſſura Sionis lib.* XVII. *cap.* II. *pag.* 333. *Ex divinitate emanaſſe mundum inviſibilem, idealem, ac intelligibilem.* II. *Ex inviſibili mundo prodiiſſe demum viſibilem ac corporeum mundum.* & *pag.* 559. *Mundum hunc viſibilem, cum omnibus creaturis eſſe excrementum aſtrorum inviſibilium, quæ ſint eſſentiæ angelorum.*

(17) Manichæi veteres neſcio quem mundum materia naturaque ab hoc noſtro diverſum ac diſcrepantem a bono numine conditum fuiſſe jactabant: Apud Auguſtinum *lib.* I. *contra Adverſarium Legis & Proph. cap.* I. *col.* 549. *Tom.* VIII. *Edit. Maurinor. Pariſ.* Atque hinc fortaſſe fluxerunt, quæ Cathari de Cæleſti populo commenti ſunt. Neque enim credibile eſt mundum Manichæorum ſuis incolis caruiſſe. Eodem ſpectant, quæ Fortunatus Manichæus de animis humanis ante hujus mundi Conſtitutionem dicit: apud Aug. *Diſp.* II. *col.* 105. Apelles, apud *Veterem Anonymum Auctorem libelli de Hæret. qui exſtat* in calce *operis De Præſcriptionibus cap.* LI. *pag.* 221. Mundum intelligibilem pariter admittebat. Verum quod de Priſcillianiſtis olim Auguſtinus dixit *libro de Hæreſibus ad Quodvultdeum cap.* LXX. *pag.* 22. *Tom.* VIII. *Edit. Pariſ. Monach. S. Mauri*, hoc idem de Catharis affirmari commode poſſe exiſtimo. *Maxime Gnoſticorum, & Manichæorum dogmata permixta ſectantur. Quamvis & ex aliis hæreſibus in eos ſordes, tamquam in ſentinam quamdam, horribili confuſione confluxerint.* Nam προϋπάρξιν animarum, quam Manichæi palam tueri non audebant, Cathari Albanenſes accepta etiam a Valentinianis, Carpocratianis, Baſilidianis, Origenianiſque doctrina, ſummo animorum æſtu propugnabant. De Carpocrate conſuli poterit Irenæus *lib.* I. *cap.* XXV. *num.* IV. De Caſſiano Valentiniano Clemens Alex. *lib.* III. *Stromateon pag. mihi* 466. de Baſilide idem Clemens Alexandr. *lib.* IV. *ſtrom. pag.* 506. De Origenis errore fuſiſſime diſſerit Petrus Daniel Huetius *lib.* II. *Origenian. Quæſt.* VI. *num.* I. *ſeqq. pag.* 91. *ſeqq. Tom.* I. *Edit. an.* 1668. Quod autem adjungebant Cathari unamquamque animam a Deo bono creatam proprium habere ſpiritum ad ſui cuſtodiam, ſuſpicor Origeniano modo intelligi oportere. Origenes quippe animis nondum illigatis corpori præfectos eſſe Angelos dictitabat; de qua re conſuli poterit Huetius *lib.* II. *Origenianor. Quæſt.* V. *num.* XXXIV. *pag.* 87. VVeigeliani hæretici, qui a Manichæis, & Catharis multa acceperunt: *Tres eſſe partes hominis eſſentiales*, putant: *Corpus terreſtre, ſpiritum Æthereum, qui corpus moveat, ac regat, & animam divinam:* apud Gaſparum Calvorium *lib.* XVII. *Fiſſuræ Sionis cap.* II. §. XIII. *num.* 37.

Credunt etiam, quod Diabolus (18), qui & Satanas dicitur, invidens Altiſſimo caute aſcendit in cælum Dei ſancti, & ibi colloquio ſuo fraudulento prædictas animas decepit, & ad terram iſtam, & caliginoſum aerem duxit, & credunt eum Villicum iniquitatis dici a Domino Luc. 16. 8. *Laudavit Dominus villicum iniquitatis*.

Credunt etiam, & dicunt, quod ipſe Diabolus de fraude ſua, quam in cælo fecerat, exaltatus, præſumpſit (19) cum ſuis complicibus in cælum aſcendere: & ibi cum Michaele Archangelo bellum commiſiſſe, & devictum fuiſſe, atque dejectum. Et de iſto bello credunt intelligi illud Apocalyp. 12. v.7. *Factum eſt prælium magnum in Cælo: Michael, & Angeli ejus præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli ejus*. Quod ad litteram credunt.

Credunt etiam, quod Satan a Michaele dejectus de cælo animas prædictas corporibus iſtis veluti carceribus incluſit (20), & quotidie includit.

Iſtas etiam animas dicunt tertiam partem ſtellarum (21), de quibus dicitur Apoc.12.v.4.quod *Draco trahebat tertiam partem ſtellarum cæli*, ad hoc ideo, quia ſunt tertia pars hominum a Deo ſancto creatorum, ut opinantur dicentes, ut prædiximus, unumquemque in cæleſti curia conſtare ex tribus prædictis.

Iſtas autem animas credunt propter peccatum ſuum (22), quando Diabolo conſenſerunt in cælo, aut dicunt fuiſſe in iſtum mundum dejectas a Patre Juſtorum, & credunt quod Dominus Jeſus (23) propter iſtas animas redimendas venerit de cælo in terram.

Iſtas etiam animas cæleſtes, quas nos Dæmones appellamus (24), credunt in his corporibus poſt adventum Chriſti in hac vita tam de peccato in cælo commiſſo (25), quam de aliis peccatis in præſenti mundo commiſſis pœnitentiam agere; & hanc pœnitentiam dicunt eas incipere, quando fidem ſuam habere incipiunt(26),& manus impoſitionem recipiunt ab eis. Hanc manuum impoſitionem (27) baptiſma dicunt Spiritus Sancti, non baptiſma aquæ materialis: & credunt quod in illa manus impoſitione unaquæque animarum cæleſtium proprium ſpiritum, ſcilicet quem in cælo habuerat (28), ad regimen, & cuſtodiam ſuam, recipiat. In fine autem, ideſt in noviſſimo die, quando omnes pœnitentiam ſuam compleverint, ſimul redibunt ad cælos, & accipient corpora in cæleſti(29)curia terra derelicta.Et ad hoc inducunt illud Matth.24. v.28. *Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ*. Hanc autem receptionem corporum illorum, qui in cæleſti patria ſurgunt, dicunt eſſe corporum mortuorum reſurrectionem, de qua ſæpe agitur in Scripturis.

Iſti non credunt Filium, vel Spiritum Sanctum eſſe (30) Deum per naturam, ſed creaturam tantum Dei Omnipotentis.

Credunt etiam Patrem majorem Filio (31), & diverſum ab eo, & Spiritu Sancto in ſubſtantia, & Filium majorem Spiritu Sancto, & ab ipſo ſubſtantialiter diverſum.

Iſti diſtinguunt inter animam (32), & ſpiritum: diſtinctionem etiam faciunt inter Spiritum Sanctum, & Spiritum Paraclitum, & Spiritum principalem. Spiritum Sanctum appellant unumquemque illorum ſpiritum, quos ſecundum intellectum eorum Deus Pater dedit ipſis animabus ad cuſtodiam. Illos autem ſpiritus ideo ſanctos dicunt, ideſt firmos, quia firmi ſteterunt, nec decepti nec ſeducti fuerunt a Diabolo. Spiritum Paraclitum dicunt Spiritum conſolatorem, quem recipiunt etiam illi quando recipiunt conſolationem in Chriſto; & dicunt multos eſſe Paraclitos (33), & a Deo creatos. Spiritum principalem dicunt unum Spiritum Sanctum, de quo intelli-

(18) Vide Notam XVIII. ad II. Cap. hujuſce primi libri.

(19) Conſule Notam XIX. ad Cap. III. hujus libri.

(20) Adi-ſis Notam VIII. ad Cap. IV. hujus libri.

(21) De Catharis Albanenſibus, qui Balaſinanſam conſectabantur, hæc habet Sachonus *in ſumma De Catharis*: *col.* 1768. *Item* (dicunt) *quod Diabolus cum ſuis angelis aſcendit in Cælum, & facto ibi prælio cum Michaele Archangelo, & Angelis boni Dei, extraxit inde tertiam partem creaturarum Dei, & infundit eas quotidie in humanis corporibus, & in buſtis, & etiam de uno corpore eas tranſmittit in aliud, donec omnes reducentur in cælum. Vocantur autem iſtæ Dei creaturæ, ſecundum eos, Populus Dei, & animæ, atque oves Iſrael, & etiam multis aliis nominibus*. Hunc porro errorem ex falſo dogmate Manichæorum, de quo diximus ſupra, *nota* 17. & ex male intellecto Apocalypſeωs ῥητῷ conflarunt Cathari.

(22) Eſt hoc purum Origenianum. Vide Origenem *lib.* II. *de Principiis cap.* I. & Cyrillum Alexandrinum *in cap.* I. *Johannis pagin.* 72. *Tom.* IV. *Edit. Pariſ. an.* 1638. quo loco fuſe Adamantii dogma refellit; & Epiphanium *Hæreſ.* LXIV. *num.*4. *pag.*528. *Tom.* I. *Edit. an.* 1622. Plura de hoc Origenis portento diſputat Huetius *l.c. num.* VI. *ſeqq.* A Platone autem, & Pythagora, qui ab Orientalibus diſciplinam accepit, hoc idem dogma manavit. Conſuluntor Clemens Alexandrinus *lib.* III. *ſtrom. num.* 3. *pag.* 433. Auguſtinus *lib.* IV. *contra Julianum cap.* XVI. *num.* 83. Pluribus hæreticis commune fuit: Baſilidi *ex Clemente Alexandrino lib.* IV. *ſtrom. pag.*506. Caſſiano Valentiniano *ex eodem lib.* III. *pag.*466. Carpocrati *ex Irenæo lib.* I. *cap.* XXV. *pag.*104.

(23) Huc recidunt, quæ effutit Origenes *lib.* II. *De Princip. cap.* VI. *pag.*90. & 92. *Tom.* I. *Edit. Pariſ. an.*1733. Manichæi, qui a bono principio virtutem quamdam miſſam fuiſſe jactabant, quam nos animam appellamus, in materiam, quæ illi immiſceretur, ut eſt ab Alexandro Lycopolite memoriæ traditum *pag.*4. cenſebant etiam *Chriſtum noviſſimis temporibus veniſſe ad animas, non ad corpora liberanda*: apud Auguſtinum *lib. de Hæreſib. cap.* XLVI. *col.* 16. *Tom.* VIII. Vide Alexandrum Lycopoliten *l.c. pag.*5. & Epiphanium *Hæreſ.* LXVI. *n.*26. *pag.*643.

(24) Nos enim non alios ſpiritus e cælo ſuo ſcelere lapſos credimus, præter quam dæmones; Hujus modi ſpiritus cæleſtes, animas, Catharorum ſententia, a ſuperioribus ſedibus in corpora detruſas, quod diabolo conſenſiſſent, dæmones a nobis appellari, affirmat Moneta.

(25) Clemens Alexandrinus *lib.* III. *Stromateon pag.*315. *Edit. an.*1616. vitio dat Philoſophis, *quod animam, quæ eſt divina* (illorum judicio) *in hunc mundum deducant tamquam in locum ſupplicii. Oportere enim*, ait, *animas in corpus immiſſas, expiari ex eorum ſententia*. Placuit hæc quoque Origeni ex parte ſententia; Vide Huetium *lib.* II. *Origenianor. cap.* II. *Quæſt.* VI. *n.* IV. *ſeq.* & Carpocrati: *apud Iræneum lib.* I. *contra Hæreſes cap.* XXV. *n.*4. *pag.*104.

(26) Vide Notam I. ad Cap. I. lib.4.

(27) Conſule Notam II. ad Cap. I. lib. IV.

(28) Simile quidpiam de Maſſalianis dictum ab Euthymio eſt. *Panopl. Parte* II. *Tit.* XXII. *pag.* 218. Dæmone enim ejecto per orationem, Spiritum Sanctum ſuis accedere ita, ut ſentiatur, & videatur. Nam quod de proprio cujuſque animi ſpiritu Cathari, hoc idem de Spiritu Sancto Maſſaliani dicebant.

(29) Nempe Cæleſtia, ut XVII. notatione ſupra animadvertimus.

(30) Vide Notam I. ad Cap. III. libri III.

(31) Conſule Notam I. ad Cap. V. libri III.

(32) Adi-ſis Notam I. ad Cap. X. lib. I.

(33) Nempe qua licentia Montanus, & Manes ſe paraclitos appellabant; apud *Auctor. Anonym. libelli de Hæreticis, qui exſtat in calce Op. de Præſcript. Tertull. pag.*218. *Edit. an.*1675. & apud Auguſtinum *lib. de Hæreſib. cap.* XXVI. & *cap.* XLVI. & apud Theodoretum *lib.* III. *cap.* II. *Hæretic. Fabul.* & *lib.* I. *cap.* XXVI. eadem omnino plures paracletos commenti ſunt Cathari Albanenſes.

telligunt illud verbum, quod orantes (34) dicunt: *Adoremus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum.* Hunc autem dicunt majorem omnibus aliis Spiritibus Sanctis, & ideo principalis denominatur. Hunc dicunt ineffabilis esse pulchritudinis, ita quod in illum desiderant Angeli prospicere, sicut dicitur 1. Petr. c. 12.

Credunt etiam, nemini datum esse Spiritum Sanctum ante Christi resurrectionem, quod etiam & alii Cathari credunt, immo nec etiam ante Pentecostem datum esse creditur, nisi fortè ab illis (35), qui duo principia ponunt: de quo infra dicetur.

Credunt etiam isti B. Virginem Mariam (36) cælestem fuisse, & non habuisse corpus humanum, sed cæleste, non hujus creationis transitoriæ: & animam, atque spiritum ad custodiam animæ deputatum.

Dicunt etiam, & credunt, quod in uterum (37) Mariæ descendit Christus a Patre missus in suo corpore, & anima, & spiritu, & nihil aliud traxit de Virgine, quàm id, quod portaverat in ipsam. Et dicunt quod suo tempore exivit, & natus est de corpore Mariæ, nil tamen de ipsa assumens; propter quod credunt etiam illud Joan. 2. v. 4. dictum a Christo: *Quid mihi, & tibi est mulier?* quasi diceret, ut perversè intelligunt: nihil de te habui. Credunt etiam, quod his cibis (38) usus non fuerit, aut quod famem vel sitim de hujusmodi non habuerit.

Credunt etiam, quod in illo corpore cælesti (39) passus sit, & mortuus, tamen sine dolore quando anima recessit a corpore, & spiritus etiam: juxta illud Joan. 19. v. 30. *inclinato capite tradidit spiritum.* Et post tres dies dicunt illam animam, & spiritum rediisse ad corpus in monumento, & sic resurrexisse a mortuis. Et in eodem corpore credunt ipsum per quadraginta dies apparuisse discipulis, & visum fuisse ab eis: corpus ejus (40) palpabile hominibus, atque visibile esse dicentes Dei virtute, & voluntate sola. Cum illo etiam corpore dicunt cælum ascendisse quadragesimo die, & ad dexteram Patris cum magno triumpho sedere, quia vicit eum, qui habebat mortis imperium, idest Diabolum: & propter illam victoriam dicunt quod Pater dedit ei omnem potestatem in cælo, & in terra. Utrum autem ad judicandum sit venturus in eadem carne, quæstio est: Quidam enim eorum (41) credunt ipsum esse jam factum.

Isti non credunt Christum aliquod corporale miraculum (42) fecisse, licet ita facere visum sit, secundum quod Scripturæ dicunt. Spiritualiter ergo intelligunt cæcum illuminatum, & Lazarum suscitatum, spiritualiter Infirmos etiam sanatos.

Isti negant horum omnium corporum (43) resurrectionem ponentes resurrectionem esse corporum cælestium, de quibus jam locuti sumus. Negant etiam omnia sacramenta Ecclesiæ Romanæ, scilicet (44) Baptisma, (45) Confirmationem, Corpus (46) Domini, & Pœnitentiæ (47) sacramentum secundum modum nostrum, Matrimonium (48), & Extremam Unctionem. Isti negant pœnas istas (49) præsentes esse a Deo Patre Justorum, ut infirmitates horum corporum, hujusmodi. Et non credunt licitum esse (50) uti carne, aut ovis, vel caseo, nec jurare, nec occidere (51) in aliquo casu. Impugnant etiam Imagines (52) Ecclesiæ, & Crucis adorationem.

Isti negant liberum arbitrium (53), & ponunt populum Dei antiquum fuisse: non enim credunt quod Deus sanctus novos spiritus, & animas creet.

Credunt etiam Prophetas ante (54) hujusmodi mundi constitutionem prophetasse in alio mundo, & prophetias eorum ad sonum litteræ esse intelligendas.

Ex parte visa est opinio horum, qui duo principia ponunt: sed amplius manifestabitur quando de singulis articulis tractabimus. Nunc videamus ex parte opinionem eorum, qui unum asserunt Creatorem (55). Isti enim ex parte conveniunt cum illis, & ex parte differunt. In hoc differunt, quia isti unum asserunt Creatorem: illi duos. Ponunt enim principem mundi, quem Diabolum, & Satan scripturæ dicunt, post creationem primæ materiæ a Deo factæ illam materiam (56) distinxisse in quatuor elementa; exinde rerum species, prout videntur, distinxit: quod ad præsens dimittimus, quia in principio secundæ partis hujus operis magis plene habebitur.

Credunt tamen ipsum mundi Principem Deum hujus sæculi appellari. In quo conveniunt cum aliis; sed non credunt eum esse Deum (57) per naturam, immo Dei summi, Patris scilicet Justorum, creaturam: in quo diversificantur ab aliis. Isti etiam conveniunt cum prædictis credentes Vetus Testamentum esse a dia-

(34) Apposite Photius *lib.* I. *contra Manichæos* de Paulicianis disserens, *Dicunt*, inquit, *Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum: verba quidem pia, sed extremam ipsis iniquitatem submittunt*.

(35) Videlicet a Catharis Albanensibus, qui Balasinansæ auscultabant. Adeundus Reinerius *col.* 1768.

(36) Vide Notam I. ad Cap. II. libri III.

(37) Consule Notam X. ad Cap. III. lib. II.

(38) Vide Notam L. ad Cap. III. lib. III.

(39) Consule Notam XLV. ad Cap. III. lib. III.

(40) Vide Notam III. ad Cap. III. lib. III.

(41) Videlicet ii, qui Balasinansam sectabantur. Vide Reinerium *l. c. col.* 1769. Manes, apud Archelaum *pag.* 54. *Editionis Zaccagnii.* judicium esse fatetur. Verum factum-ne adhuc judicium sit, nec ne, haud explicat.

(42) Vide Notam I. ad Cap. X. lib. II.

(43) Adi-sis Notam I. ad Cap. VIII. lib. IV.

(44) Vide Notam II. ad Cap. I. lib. IV.

(45) Vide Notam I. ad Cap. II. lib. IV.

(46) Consule Notam I. ad Cap. III. lib. IV.

(47) Adi Notas ad Cap. IV. lib. IV.

(48) Vide Notam I. ad Cap. V. lib. IV.

(49) Consequens id est ex Manichæorum, & Gnosticorum, qui duo ingenita principia ponebant, opinione. Nam si pecuniam corporaque omnia a mala caussa profecta esse putabant; multo magis pœnam ab eodem principio manare opinari debebant. Jam vero veteres quosdam Gnosticos non longe ab hoc errore distasse tradit Tertullianus *lib.* II. *cap.* XIV. *contra Marcionem*. Adeundi Titus Bostrensis *lib.* II. *contra Manichæos pag.* 109. & Augustinus *lib. de Hæres. cap.* LXV. *contra Coluthianos. Tom.* VII. *Opp.*

(50) Vide Notam I. ad Cap. XV. secundi libri.

(51) Consule Notam I. ad cap. IX. lib. V.

(52) Vide Notas in Extremum §. Cap. VIII. lib. V.

(53) Consule Notas §. II. Cap. IV. hujus I. libri.

(54) Est hoc etiam consequens quidpiam ex proyparxi animorum, quamvis veteribus Gnosticis, & Manichæis, qui hoc minime viderunt, acutiores in portentis fingendis fuerint principes Catharorum.

(55) Adi-sis Notam VIII. ad Cap. VIII. hujus I. libri.

(56) Vide Notam II. ad Cap. I. lib. II.

(57) Ita quoque Bogomilii, ut refert Euthymius in Panoplia *Parte* II. *Tit.* XXIII.

a diabolo. In Prophetis autem (58) differunt dicentes, eos fuisse locutos quandoque de spiritu proprio, quandoque de spiritu maligno, quandoque de virtute Sancti Spiritus. Unde non recipiunt eos, nisi ubi volunt. Primi vero eos totaliter recipiunt, & eos bonos fuisse dicunt. Illi vero eos malos fuisse credunt, licet aliqua bona de Christo dixerint. Isti negant omnia sacramenta Ecclesiæ sicut primi, & ponunt impositionem manuum esse Baptisma Spiritus Sancti: in quo conveniunt cum illis. Negant etiam horum corporum resurrectionem, sicut & illi; differunt autem ab illis, quod illi ponunt resurrectionem corporum [*] cælestium, ut dictum est; Isti verò corporum [*] spiritualium, idest hominum interiorum. Credunt statim Deum Patrem esse majorem Filio, & Filium majorem Spiritu Sancto: in quo etiam non differunt a prædictis, licet differant in hoc quod credunt Filium esse Deum (59) per naturam, similiter & Spiritum Sanctum, quod Primi diffitentur.

Isti credunt Christum humanam naturam de cælo tulisse, sicut Primi credebant, sed in utero Mariæ Virginis assumpsisse. Differunt autem isti inter se, quia quidam horum credunt, quod de corpore Virginis ejus corpus materialiter (60) fabricatum est, quidam autem non credunt hoc.

Isti ponunt liberum arbitrium, quod Primi negant. Ponunt etiam quidam, in quo differunt a prædictis, spiritus, sive animas novas a Deo non creari: sed dicunt animam (61) ex anima traduci, sicut caro ex carne traducitur. Ponunt etiam miracula corporalia a Christo, & ejus discipulis facta, quod Primi negant: & ponunt, quod ex semine angelico sit ista traductio, idest ex anima Adæ, quam dicunt Angelum (62) cælestem fuisse, & in istum mundum descendisse, & violenter inclusum in terreno corpore a Diabolo, ut dicetur in secunda parte hujus operis.

Isti, sicut Primi, negant esum carnium, ovorum, & casei, judicium sæculare, & juramentum. Impugnant etiam Ecclesiam de Imaginibus, & Cruce, sicut Primi.

Capitula Primi Libri, & Divisio.

DEscripta Fide utrorumque Catharorum accedamus ad id, quod proposuimus, & de singulis Fidei articulis tractemus. Dupliciter autem hoc facere intendimus. Primo enim eorum versutias, quibus Ecclesiæ Christi Fidem impugnant, ponemus, & dolos eorum Dei auxilio detegemus. Secundo autem circa unumquemque articulum argumentis verosimilibus, & testimoniis Sacrarum Scripturarum Fidem confirmabimus.

Dividitur autem hoc opus in quinque partes, quarum unaquæque sua habet capitula. In prima enim parte agitur contra Ponentes duo principia hoc ordine.

Primo enim quæritur: An unus Deus sit, an plures Dii.

Secundo de Trinitate Personarum breviter aliqua dicemus, quoniam in tertia parte hujus operis plenius declarabitur istud; scilicet quod tres Personæ sunt unius substantiæ, & potentiæ, & Bonitatis omnino.

Tertio agitur de origine primi mali in cælo.

Quarto de creaturis cælestis curiæ, quæ in cælo peccaverunt, an sint salvandæ.

Quinto an essent liberi arbitrii.

Sexto an Populus Dei, qui per Christum redemptus & salvatus, (63) sit antiquus, an novus, idest de novo creatus. Solemus enim dicere quod Deus creat animas novas, & infundit eas novis (64) corporibus humanis: & de illis quædam salvantur, & quædam non. Ipsi autem, qui duo ponunt principia, ista negant.

Septimo de Prophetis videndum est, ubi scilicet prophetarunt, & quando, & an prophetiæ eorum secundum quod littera sonat, sint accipiendæ: & utrum præteritum in sensu præteriti accipi debeat, & futurum in sensu futuri, & præsens in sensu præsentis; an præteritum, & præsens aliquando pro futuro accipiantur. Hoc enim negant, qui duo ponunt principia.

Octavo videamus, an Deus Pater justorum sit creator visibilium, & transitoriarum rerum, an tantum permanentium, & invisibilium. [*] Nono de miraculis corporalibus, & materialibus, utrum a Deo Sancto sint. Decimo: an differentia illa, quam constituunt inter corpus, & animam possit stare, quam docent hæretici, & contra hoc quod dicunt, aliud esse animam, aliud esse spiritum; & populum Dei ex corpore & anima & spiritu constare [*]. Capitula aliarum partium ponemus sigillatim ante unamquamque earum.

Incipit Libri pars prima, & primi Capituli divisio.

NUNC autem primum capitulum prosequamur ostendentes, quod unicum sit principium, & non plura. Istud autem in duas partes dividemus. In prima parte phantasticas rationes ponemus illorum, qui duo ponunt principia, quia primo objectiones ipsorum succidere volumus; & ex ipsis eorumdem telis arma sumere ad defensionem Fidei Christianæ. In secunda vero parte postmodum nostris

(58) Sapienter Epiphanius, atque ad rem nostram accommodate: *Hæres.* XXVI. *Quæ est Gnosticorum num.* VI. *pag.* 87. *Tom.* I. *Porro*, inquit, *tam veteri, quam novo utuntur instrumento, licet eum, qui in vetere locutus est abdicent. Et quidem, quoties vocem aliquam reperiant, quæ dogmati suo contrariam habere sententiam videtur, ab hujus mundi principe profectam illam esse prædicant; sin aliquis ad illorum libidinem accommodari locus, & utcumque configurari possit, non ipsa quidem potestate verborum, sed pro depravati illorum ingenii captu, eo vero ad id quod cupiunt, traducto, ab veritatis spiritu pronunciatum esse dictitant.* Consule etiam Tertullianum *lib. de Præscription. cap.* XVII. *pag.* 208. *&* *capit.* XXXVIII. *pag.* 226. *Edit. an.* 1675.

[*] Quæ duobus asteriscis comprehendimus, desunt e Bononien. extant in Cod. Neap.

(59) Simile quidpiam placuit Tritheitis. Consulendus Petavius *lib.* I. *Theol. Dog. cap.* X. §. 9.

(60) In Codicibus Neapolitano, & Vaticano pro *materialiter* habetur *naturaliter*.

(61) Vide Notam I. ad Cap. VI. lib. II.

(62) Consule Notam XI. ad Cap. I. lib. II.

(63) Codex Vaticanus: *Salvandus*.

(64) Ex Codice Vaticano deest *τὸ novis*.

[*] Quæ hic duobus asteriscis comprehensa vides, desunt ex Codice Bononiensi.

ſtris argumentis unum ſolum Deum probabimus, qui eſt omnium viſibilium & inviſibilium cauſſa, & principium: a quo, & in quo, & per quem omnia exiſtunt.

§. I.

Probatio Hæretici, quod duo ſunt principia.

HÆR. AD probandum igitur ſuum nefandiſſimum errorem; ſcilicet duos eſſe Deos: unum principium, & cauſſam inviſibilium nobis, & omnium bonorum: alterum verò principium, & cauſſam omnium viſibilium nobis hic, & omnium malorum: inducunt illud Eccleſ.42.v.25. *Omnia duplicia, unum contra unum.* Si omnia duplicia, ergo duo Dii, duo principia, duo regna, duæ Curiæ, duæ Creationes, una viſibilium, alia inviſibilium, & ſic de aliis.

CATH. Solutio. Aut Eccleſiaſticus (65) intellexit omnia univerſaliter, aut non. Si non, per hoc non habes duo principia eſſe, vel duos Creatores. Si dicas univerſaliter: ergo ſecundum te ſicut duplicia principia, ita duplices creaturæ: ergo ſi hic eſt unus homo, ibi unus homo: hic una mulier, ibi una mulier: hic unus bos, ibi ſimiliter: hic unus ſerpens, ibi ſimiliter: ergo ſecundum te, ſi hic ludit homo cum muliere, ibi ſimiliter.

Nunc autem, quod omnia duplicia ſint ab uno & eodem principio, probo Tibi per eundem Notarium (66), & idem inſtrumentum, quod contra me inducis. Eccleſ. 33.v.15. *Contra (67) malum bonum eſt, & contra mortem vita; ſic & contra virum juſtum peccator. Et ſic intuere in omnia opera Altiſſimi. Duo & duo, & unum contra unum.* Ecce quod inter opera Altiſſimi omnia duplicia, & quod unus Altiſſimus, & non plures, a quo ſunt mala, & bona.

Si hoc non ſufficit, lege ſimiliter Eccleſ. 11. in eodem inſtrumento 14. *Bona & mala, vita, mors, paupertas & honeſtas a Deo ſunt.* Quam auctoritatem induco, ne forte fugias, & dicas ſic: Intuere in omnia opera Altiſſimi: ideſt boni Dei, & invenies cuilibet operi ejus ſuum contrarium ex parte alterius Dei:

Hic enim non habes quid dicas, quia *bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas a Deo ſunt*: a Deo dico uno. Alioquin diceret: A Diis: Iſaiæ 45.v.7. habes teſtimonium de hoc. *Ego Dominus, & non eſt alter formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum: Ego Dominus faciens omnia hæc.* Item Rom.9. v.18. *Ergo cujus vult miſeretur, & quem vult indurat.* Et vide miſer, unde infert hoc. Ex duabus autoritatibus, una Exodi 9.v.16. *Iccirco autem poſui te, ut oſtendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.* Alia 33. v.19. *Miſerebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit.* Attende etiam quid dicat ibidem Apoſt. Rom.9.v.21. *An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?*

HÆR. Ad idem Job.7.v.20. *O cuſtos hominum quare me poſuiſti contrarium tibi?* Ecce Job erat contrarius Deo ſecundum animam, vel ſecundum corpus: ergo corporis, vel animæ natura mala, ergo a malo Deo; & ita ſunt duo Dii.

CATH. Solutio. Aut Job loquebatur malo Deo, aut Bono: ſi malo Deo, ſtultus erat ſi conquerebatur, quia malus Deus poſuerat eum ſibi contrarium; de hoc enim gaudere debuit. Præterea: numquid Diabolus poſuiſſet eum ſibi contrarium? Item ſi Deus ille erat malus, & Job contrarius erat: ergo bonus, cum tu hanc contrarietatem attendas ſecundum bonitatem, & malitiam: ſic ergo bonitatem haberet a malo Deo. Relinquitur ergo, quod bono Deo loquebatur, quod per hoc patet quod dicitur: *O cuſtos hominum*: Diabolus enim non eſt cuſtos hominum, ſed diſperſor. Item cum ſtatim dicat Job: *cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam?* patet quod loquebatur bono Deo; item hoc ipſum quod erat ei contrarius habebat a bono Deo, unde dicit *poſuiſti &c.* ergo per hanc contrarietatem non habes aliud principium eſſe, niſi bonum Deum. Quod autem iſte Deus poſuit eum ſibi contrarium, intelligendum eſt ſecundum corpus, quia Deum eſt impoſſibile mori, ideſt immortalis eſt: Hominem autem neceſſe eſt mori, ideſt ipſe homo eſt mortalis propter peccatum primi Parentis. Rom.8.v.10. *Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum.*

HÆR. Ad idem Sapientiæ 12.v.10. *Nequam eſt natio eorum, & naturalis malitia ipſorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum.* 11. *Semen enim erat maledictum ab initio.* Ex his tribus arguunt ſic. Malitia illorum naturalis erat, ergo auctor illius naturæ malus. Item quod *non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum.* Hæc impoſſibilitas erat eis a natura, ergo natura mala, & a malo Deo. Item quod *ſemen illorum erat maledictum ab initio*, ſcilicet ſuæ creationis, conſtat, quod natura, ſeu creatio illorum mala, & ita Author malus.

CATH. Solutio: Patet quod Philo (68) ibi loquitur de Terra promiſſionis, quam vocat Terram ſanctam propter cultum unius Dei ibidem habitum. Nec poteſt intelligi de Terra ſancta cœleſti propter plura, quæ ibi dicuntur, ſicut Hæretici volunt. Ea vero, quæ objiciuntur de ſeptem Gentibus, quæ erant de Terra Promiſſionis expellendæ, & de Filiis Iſrael introducendis accipiendum eſt. Eſt ergo intelligendum: *naturalis malitia*: ideſt perſeverans, ſicuti naturalia perſeverantia ſunt. Vel *naturalis*: ideſt a natura: ideſt ab ipſis primis Parentibus naſcendo derivata. Unde Rom.5.v.12. *Per unum hominem*

(65) Iis argumentis refellit Catharos Albanenſes Moneta, quæ ex libris ſacris ab iiſdem Catharis admiſſis, petita ſunt. Quod ſi aliquanto inferius neſcio quid ex libro Exodi, aut ex alio quopiam Veteris Inſtrumenti Volumine affert; illud quidem certe ita eſt connexum, & colligatum novi Teſtamenti contextui, quod Cathari admittebant; ut ad incitas hæreticos poſſit redigere.

(66) *Notorium* habet *Vat. Cod.*

(67) Vide S.Th. *1.P. Q.* LXIX. *Art.* III. *ad 1. Arg.*

(68) A Philone Seniore perſcriptum fuiſſe librum Sapientiæ cenſent plerique Scriptores hujuſce temporis, veteres quorum Hieronymus *Præfat. in lib. Salomon.* meminit, auctores vehementer ſequuti. Adeundi *Huetius Demonſtr. Evangelicæ Prop.* IV. *pag.* 199. *Edit. an.* 1679. & Calmetus *Diſſert. De Auctore libri Sapientiæ pagin.* 111. *Tom.* V. *Commentar. Edit. Lucenſis.* Ab horum ſententia non diſcrepat Noſter.

nem peccatum in hunc mundum intravit . Similiter Ephes.2.v.3.*eramus natura filii iræ* (69). Quod vero sequitur : *non poterat mutari cogitatio illorum* intelligendum est vix , & sine difficultate .

Numquid non *consimile* similiter dicit Apost. Galat.4.v.15. *Si fieri posset*: *oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi* : ecce aliquid dicitur non posse fieri, quia graviter fieret , & difficillime . Propterea ibidem Sapientiæ 12.v.20. *Dans tempus, & locum, per quæ possent mutari a malitia* : ergo erant mutabiles a malitia : vel sibi contrarius est , nisi intelligas , ut exposui. Præterea Jacobi 3.v.8.*Linguam autem nullus hominum domare potest* : idest vix . Hujus expositionis habetur probatio eodem capitulo 2. *Si quis in verbo non offendit* : *hic perfectus est vir* . Item 1. Petr. 3. v.10. *Qui enim vult vitam diligere , & dies videre bonos, coerceat linguam suam a malo, & labia ejus ne loquantur dolum.* Item Hebr.12. v.20. *Non enim portabant quod dicebatur &c.* idest vix .

Aliter potest solvi, & bene . *Non poterant mutari* ab ipsis , & per eos : per se enim converti non poterant . Simile dicit Dominus Luc. 18. v. 24. *Quam difficile qui pecunias habent in regnum Dei intrabunt* . Cui dicunt discipuli v.26. *Et quis potest salvus fieri ? Ait illis* v.27. *Quæ impossibilia sunt apud homines , possibilia sunt apud Deum* . Et Joan.15.v.5. *Sine me nihil potestis facere* .

Quod autem sequitur : *semen erat maledictum ab initio* intelligendum est *ab initio* , idest in præscientia Dei , qua prævidit eos propter peccata maledicendos . De ista Providentia Job 34. v.24. *Conteret multos , & innumerabiles , & stare faciet alios pro eis. Novit enim opera eorum* : *& iccirco inducet noctem, & conterentur*. Vel *ab initio*, idest priusquam esse cœperunt , interfuit ejus caussa maledictionis , idest peccatum originale (70) , idest ab origine, idest ab Adam traductum , ut ab initio hominum, de quo Rom.5. v.12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit* , idest in genus humanum . Quod autem de Dæmonibus , ut dicunt Hæretici , intelligendum non sit , patet per hoc, quod legitur Sapient.12. v.8. *Sed & his tamquam hominibus pepercisti , & misisti antecessores exercitus tui vespas , ut illos paulatim exterminarent* . Et ibidem 19. *Quoniam judicans das locum in peccatis pœnitentiæ* . Et ibidem 20. *Dans tempus , & locum , per quæ possent mutari a malitia* . Sed Dæmonibus non parcit , nec dat locum pœnitentiæ : nec possunt mutari a malitia sua . Ergo de illis septem Gentibus loquitur . Constat igitur quod male scripturam intelligis , & quod unus solus Deus est , & non plures , ut dicis.

HÆR. Ad idem inducunt illud Jeremiæ 13.v.23.*si mutare potest Æthiops pellem suam , aut pardus varietates suas* : *& vos poteritis benefacere* , *cum didiceritis malum*. Primum est impossibile , ergo & alterum : sed impossibilitas benefaciendi non est nisi a natura ; ergo natura mala & a malo principio .

CATH. Solutio . De ista impossibilitate , ut supra . Et quod non sit a natura patet ex littera, quæ sequitur : *cum didiceritis malum* . Non est ergo a natura , sed a disciplina erroris , quæ maxime indurat credentes Hæreticorum ; & ideo vitanda . Ut ergo notet quod non est a natura, dicit : *cum didiceritis* . Quod enim quis didicit non est naturæ, sed doctrinæ . Præterea quod illi essent de creatione bona, patet ibi; ante enim dicit 11. *sicut enim adhæret lumbare ad lumbos viri , sic agglutinavi mihi omnem domum Israel , & omnem domum Juda , dicit Dominus* : *ut essent mihi in populum , & in nomen , & in laudem , & in gloriam* : *& non audierunt* . Ex quo constat, quod loquebatur de ovibus Israel, & quod mutabiles erant ad bonum . Præterea dat eis præcepta sua, idque non faceret, si essent de alia creatione . De istis præceptis habes ibi 15. v.16. *Nolite elevari, quia Dominus locutus est*: *Date Domino Deo vestro gloriam antequam contenebrescat, & antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos . Item* 18. *Dic Regi , & dominatrici* : *Humiliamini , sedete* : *quoniam descendit de capite vestro corona gloriæ vestræ* .

HÆR. Ad idem Jeremiæ 17.v.1. *Peccatum Judæ scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino* . Per hoc patet , quod est indelebile , & immutabile , ut prius .

CATH. Solutio. Non valet *scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino* ; *ergo est indelebile* , nisi intelligatur indelebile , idest , vix delebile propter errorem , vel malam consuetudinem ; vel indelebile quantum est in eis , ut supra . Unde per hoc non habes quod sint duo principia .

Præterea de quo Juda loquitur ibi ? Si de Juda bonæ creationis : sic ergo aliqui de bona creatione perirent , & nunquam deleretur eorum malitia . Si loquitur de Juda creationis malæ , contra est quod dicitur eodem capitulo 20. *Audite verbum Domini Reges Juda , &c.* & promittit eis bona , si obediunt , & mala si non obediunt . 24. 25. 26. 27.

HÆR. Ad idem Ezechiel 35. v.3.& 4. ubi loquitur ad Montem Seir , per quem intelligitur diabolus : *Ecce ego ad te mons Seir , & extendam manum meam super te , & dabo te desolatum , atque desertum . Urbes tuas demoliar , & tu desertus eris* : *& scies quia ego Dominus* 5. *eo quod fueris inimicus sempiternus* . Ergo Diabolus est principium , cum sit sempiternus . Et quod ista argumentatio teneat , volunt Hæretici haberi ex eo , quod dicitur Rom. 1.20. *Sempiterna quoque ejus virtus , & divinitas* . Hic enim privat principio , & fine , quasi diceret : sine principio , & fine .

CATH.

(69) Hoc testimonio abutebantur Marcionitæ , & Manichæi , ut concluderent duo esse principia , quorum alterum boni , alterum mali origo sit . Quemadmodum autem intelligi debeat , & in hæreticos intorqueri , ostendunt Tertullianus *lib.*v. *contra Marcionem cap.* XVII. & S. Augustinus *Lib. contra Fortunatum Manichæum Disp.*I. *num.*17. *col.*99. *Tom.*VIII. *Opp.* & *Disp.*II. *n.*22.*col.*104.

(70) Hoc idem responsum adhibet Augustinus *Disp.*II. *contra Fortun. Manich. num.* 22. *col.* 104. *Liberum* , inquit , *voluntatis arbitrium in illo homine fuisse dico , qui primus formatus est . Ille sic factus est , ut nihil omnino voluntati ejus resisteret , si vellet Dei præcepta servare . Postquam autem ipse libera voluntate peccavit; nos in necessitatem præcipitati sumus , qui ab ejus stirpe descendimus* (non ita ut nobis ademtum liberum arbitrium sit , sed ut attenuatum , & inclinatum , quemadmodum sæpe alias S. Doctor animadvertit) . . . . *De isto ergo peccato , & de ista consuetudine animæ facta cum carne Apostolus dicit . Nemo vos seducat: omnis creatura , quæ a Deo facta est , bona est . . . . Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi , sic , & per unius obedientiam justi constituuntur multi , quoniam per hominem mors , & per hominem resurrectio mortuorum .* 1.Cor.15. v.21.

CATH. Solutio. Non semper sumitur (71) sempiternum sicut sumit Apost. Rom. 1. immo idem est quod habere principium, sed carere fine aliquando, ut patet Isaiæ 63. v. 11. *Ubi est qui eduxit eos de mari cum pastoribus gregis sui? Ubi est qui posuit in medio ejus spiritum sancti sui?* 12. *Qui eduxit ad dexteram Moysen brachio majestatis suæ, qui scidit aquas ante eos, ut faceret sibi nomen sempiternum?* Si enim eos eduxit Deus, ut facerent sibi nomen, ergo prius non erat illud nomen: Item potest probari in Eccles. 47. v. 15. *Salomon imperavit in diebus pacis, cui subjecit Deus omnes hostes, ut conderet domum in nomine suo, & pararet sanctitatem in sempiternum.* & 48. v. 27. *Spiritu magno vidit ultima, & consolatus est lugentes in Sion: usque in sempiternum.* Quod sempiternum quandoque finibile, & corruptibile habetur Isai. 24. v. 5. *dissipaverunt fœdus sempiternum.* Præterea ibi sequitur v. 11. *Et notus efficiar per eos, cum te judicavero.* Ergo cum Deus judicaturus sit eum, ipse non est Deus.

HÆR. Ad idem inducunt psal. 80. v. 9. *Israel si audieris me:* 10. *non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.* Per quod volunt Hæretici quod duo sint Dii: unus recens, & alienus, alius autem bonus, qui est Deus Israel.

Respondeo. Deum alienum ibi dicit idolum, eo quod ab aliis nationibus colebatur ut Deus, etsi non esset Deus. Quod patet Jeremiæ 2. v. 10. *Transite ad insulas Cethim, & videte: & in Cedar mittite, & considerate vehementer: & videte si factum est hujuscemodi.* v. 11. *Si mutavit gens Deos suos, & certe ipsi non sunt Dii: populus vero meus mutavit gloriam suam in idolum.*

Præterea ille, qui loquitur, eduxit populum Israel de Terra Ægypti, sed ille est Veteris Testamenti; ergo Deus veteris testamenti est Creator bonus.

Si dicat: de alia Ægypto ibi loquebatur propter id, quod dicitur Apocal. 11. v. 8. *Et corpora eorum jacebant in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus.*

Sed sive intelligamus Ægyptum peccati, sive mundum istum, vel aliquam ejus partem, quæro: isti, quos eduxit, aut egerant pœnitentiam aut non? Si non, ergo non eduxerat eos de Ægypto, & Sodoma spirituali, sed erant ibi, quia mali. Si egerant pœnitentiam suam, & educti erant de Ægypto, quomodo ergo stabit quod sequitur 12. *Et non audivit populus meus vocem meam: & Israel non intendit mihi?* Ergo erat malus. Hoc etiam patet Jerem. 2. v. 5. *Hæc dicit Dominus: quid invenerunt Patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt a me, & ambulaverunt post vanitatem, & vani facti sunt?* v. 6. *Et non dixerunt: Ubi est Dominus, qui traduxit vos per desertum, per terram inhabitabilem, & inviam, per terram sitis, & imaginem mortis, per terram, in qua non ambulavit vir, neque habitavit homo?* v. 7. *Et induxi vos in terram Carmeli, ut comederetis fructum ejus, & optima illius: & ingressi contaminastis terram meam, & hæreditatem meam posuistis in abominationem.*

Si dicas: Prophetia est, & dicit quod futurum erat quasi esset factum; Hoc est contra te. Articulus enim tuus, (72) & positio tua est, quod ubi Prophetæ loquuntur de præterito, de præterito intelligendum est: ubi de præsenti de præsenti: ubi de futuro de futuro.

Ad idem Malachiæ inducunt 2. v. 11. *Transgressus est Judas, & abominatio facta est in Israel, & in Jerusalem: quia contaminavit Judas sanctificationem Domini, quam dilexit, & habuit filiam Dei alieni:* [*] Eodem modo solve quo prius filiam Dei alieni [*] idest idoli. Appellat uxorem alienigenam, quæ erat filia idoli per cultum, quia colebat idolum, quam Judas quondam accepit contra Dei prohibitionem, de qua prohibitione Deuter. 7. v. 2. *Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum, neque sociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies Filio tuo.* Quod autem contra prohibitionem venerit, habetur 2. Esdræ 9. v. 2. *Tulerunt enim de filiabus eorum sibi, & filiis suis uxorem, & commiscuerunt semen sanctum cum populis terrarum: manus etiam Principum, & Magistratuum fuit in trasgressione hac prima.*

Præterea si per Deum alienum intelligas Creatorem malum, cujus filiam habuit Judas: sic igitur in Patria Dei boni fuerunt adulteria a populo Dei. Sic enim dicitur: *abominatio facta est.*

Præterea secundum hoc, genus boni Dei & genus mali Dei esset permixtum.

HÆR. Ad idem psal. 95. v. 5. *Omnes Dii Gentium Dæmonia:* & 81. v. 6. *Ego dixi: Dii estis, & filii excelsi omnes:* Item illud 81. v. 1. *Deus stetit in synagoga Deorum:* Item 46. v. 10. *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham: quoniam Dii fortes terræ vehementer elevati sunt.*

CATH. Ad primum est solutio, quod Dii gentium dicebantur Dii hominum reputatione, non rei veritate; unde Jer. 2. v. 10. *Transite ad insulas &c.* ut supra. Hæc solutio patet 1. Corinth. 8. v. 15. *Nam etsi sunt qui dicantur Dii sive in cœlo sive in terra (siquidem sunt Dii multi, & Domini multi:)* quasi diceret: non tamen Dii in rei veritate, sed hominum opinione.

Ad alia dico quod viri sancti dicuntur Dii, idest Deo similes, Dei scilicet imitatores, ad quos factus est sermo Dei. Unde Joan. 10. v. 34. *Nonne scriptum est in lege vestra: quia ego dixi, Dii estis?*

Præterea ad id: *Ego dixi Dii estis* potest (73) specialiter responderi, quod non appellat Deos creatores: quod patet ex eo, quod subdit: *Et filii excelsi omnes*; filii scilicet per imitationem, ut dixi. Unde Ephes. 5. v. 1. *Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi.*

(71) Consulendus Augustinus *lib.* X. *cap.* XXXI. *col.* 267. *De Civ. Dei Tom.* VII. *Opp. Edit. an.* 1685.

(72) Censebant enim Cathari, ut antea animadvertit Moneta, Prophetarum oracula ita esse ad litteram intelligenda, ut sicubi figura quadam res efferunt, perinde quasi præteritæ fuerint, res easdem præteritas revera esse judicandum sit; contra ac omnium Interpretum, Doctorum virorum vetus regula flagitet.

[*] Quæ duobus asteriscis continentur, desiderantur in Cod. Bon.

(73) S. Irenæus *lib.* III. *contra Hæres. cap.* VI. *pag.* 180. *Quorum autem Deorum*, inquit, *quibus dicit*: Ego dixi Dii estis, & filii altissimi omnes: *his scilicet, qui adoptionis gratiam adepti sunt, per quam clamamus*: Abba Pater: *Rom.* VIII. 15. Hoc Psalmi versiculo usi sunt quidam e colluvie Gnosticorum, ut duo esse principia ostenderent. Confer quæ habet Tertullianus *Adv. Praxeam cap.* XIII. *pag.* 507.

Ex hoc etiam sequeretur, quod plures essent creatores boni: sicut ex opposito: *Omnes Dii gentium Dæmonia*, si Deos appellaret creatores, ergo plures creatores mali.

Ad illud: *Dii fortes terræ elevati sunt*. Dico quod Dii dicuntur sancti ad cælestia per desiderium elevati; unde Philippens.3.v.20. *Nostra conversatio in cælis est* dicit Apostolus de se, & sibi similibus.

§. II.

Quibus auctoritatibus Novi Testamenti conentur ostendere duo esse principia: & probatio Ecclesiæ quod unicum est principium.

VIso quibus auctoritatibus Veteris Testamenti nitantur Hæretici duos ostendere Creatores, videamus quibus auctoritatibus novi Testamenti idem velint asserere, licet consequi non valeant quod intendunt. Istud tamen sciendum est, quod eisdem auctoritatibus utuntur alii Cathari, qui ponunt unum Creatorem; sed asserunt duos factores.

HÆR. Primo ergo inducunt illud Matth.4.v.8.9.10. *Assumpsit eum Diabolus in montem excelsum, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*. Non posset illa dare, nisi sua essent: igitur sua sunt. Sed quomodo sua nisi creatione, vel factura? Ergo creator est, & factor horum visibilium.

CATH. ℞. Numquid verum (74) dixit? Si dicat quod sic, contra. Joann.8. v.44. *Non est veritas in eo*: & ibidem supra: *in veritate non stetit*, idest non fuit, secundum quod Tu exponis, qui ponis duos Creatores.

Item ibidem dicit: *cum loquitur mendacium ex propriis loquitur*; relinquitur ergo quod falsum dixerit. Præterea numquid testimonio illius mendacissimi standum est? Quod autem falsum dixerit patet Ezech.29.v.3.ubi loquitur ad Pharaonem ibi Diabolum designantem: *Ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti, Draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis: meus est fluvius, & ego feci memet ipsum*. Ecce quod Dominus arguit, quia dicit fluvium esse suum, & se a nullo factum esse, sed tantum a se esse.

Præterea Luc.4.v.6. ubi loquitur de hac materia dicitur: *Tibi dabo potestatem hanc universam, & gloriam illorum: quia mihi tradita sunt; & cui volo do illa. 7. Tu ergo si adoraveris coram me, erunt tua omnia*. Ergo ab alio; ergo ipse non est eorum principium.

HÆR. Item objiciunt: *Nemo potest duobus Dominis servire*. Matth.6.v.24. aut *enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo servire, & Mammonæ*: Ecce quod Dominus Jesus Christus ponit duos dominos contrarios, & ita duas dominationes contrarias, & ita duas creationes contrarias; ergo duo sunt principia.

CATH. Solutio. Quid intelligis (75) tu per Mammonam? Si Diabolum: quomodo ergo stabit quod dicitur Luc.16.v.9. *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis*? Sic dicas ergo mecum quod nomine mammonæ intelliguntur divitiæ, (76) quæ odiuntur, idest contemnuntur amore Creatoris a Bonis, & sustinentur, idest sursum tenentur a multis hominibus, quando Creatori præferuntur: Eccles. 10.v.19. *Et pecuniæ obediunt omnia*: ecce innuit pecuniam (77) dari Malis.

Præterea posito quod ibi: *nemo potest duobus Dominis servire & Mammonæ*: per Mammonam intelligatur ipse Dæmon, dico quod dicitur dominus non creatione, sed mundanorum hominum electione, qui ejus eligunt dominium, & ei obediunt ut domino suo contempto vero Deo; Unde Rom.1. v.25. *Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium; & coluerunt, & servierunt creaturæ potius, quam creatori*: & Jerem.2. v.11. *Populus vero meus mutavit gloriam suam in idolum*.

Præterea si per pluralitatem Dominorum vis probare pluralitatem Creatorum, multos poterimus invenire creatores; multi enim leguntur Domini in Scriptura.

HÆR. Ad idem objiciunt quod dicitur Matth.7. v.18. *Non potest arbor (78) bona malos fructus facere, nec arbor mala bonos fructus facere*. Ecce quod Dominus noster duas arbores posuit. Sed quare? nisi quia duo sunt Creatores.

CATH.

(74) Pulchre Irenæus *lib.v.cap.*XXII. *contra Hæres. pag.*320. *Scire autem quoniam Dominum Deum tuum adorare oportet, & ipsi soli servire, & non credere ei, qui falso promisit ea, quæ non sunt sua, dicens*: Hæc omnia tibi dabo &c.

(75) S. Irenæus *lib.*III. *cap.*VIII. *pag.* 182. hoc argumenti genus ab Gnosticis olim adhibitum, refellit. *Similiter*, inquit, *& illud quod ait*: non potestis duobus Dominis servire; *ipse interpretatur dicens*: non potestis Deo servire, & Mammonæ. *Deum quidem confitens Deum, Mammonam autem nominans hoc quod & est. Non Mammonam Dominum vocat, dicens*: non potestis duobus Dominis servire; *sed discipulos docet servientes Deo, non subjici Mammonæ, neque dominari ab eo*. Qui enim, *inquit*, facit peccatum, servus est peccati. *Quemadmodum igitur servientes peccato, servos peccati vocat: sic & eos qui Mammonæ serviunt, servos Mammonæ appellat, non Deum appellans Mammonam. Mammonas autem est, secundum judaicam loquelam, qua & Samaritæ utuntur*, cupidus, & plus quam oportet, habere volens, [*secundum autem hebraicam adjunctive dicitur* Mam] *vel significat gulosum, id est, qui non possit a gula continere. Secundum utraque igitur, quæ significantur, non possumus Deo servire, & Mammonæ*. Adisis Epiphanium *Hæres.*LXVI. *n.*69. Quo loco argumentum Manichæorum ex hoc Evangelii ῥητῷ petitum refutat.

(76) Consulitor Tertullianus *lib. de Corona Militis cap.*XII. *pagina* 108. *& lib. de Fuga in Persecutione capp.*XII. *&* XIII. *pagina* 542. *seq. Edit. an.*1675. quibus quidem in locis Mammonam nihil aliud quam *divitias*, sive *pecunias* indicare affirmat. Hoc idem placuit Hieronymo *lib.*I. *in Matth. cap.*VI. *col.* 22. *Tom.*IV. *Edit. an.* 1705. & Gregorio Nazianzeno *Orat.* XLII. *pag.* 690. *Tom.* I. *Edit. an.*1690.

(77) Pro *dari*, *dominari* habent *Cod. Vat. & Neap.*

(78) Tertullianus *lib.*I. *contra Marcionem cap.*II. *pag.* 366. illi ipsi Heresiarchæ vitio vertit, quod hoc genere argumenti uteretur, ut duo principia esse ostenderet: *Duo*, inquit, *Ponticus Deos affert, tamquam duas Symplegadas naufragii sui, quem negare non potuit, idest creatorem, id est nostrum; & quem probare non potuit, id est suum: passus infelix hujus præsumtionis instinctum, de simplici capitulo Dominicæ pronunciationis, in homines, non in Deos disponentis exempla illa bonæ & malæ arboris, quod neque bona malos, neque mala bonos proferat fructus.* Adoptarunt sibi deinde hoc idem argumenti portentum Manichæi, apud Augustinum *lib. contra Fortun. Manichæum Disp.*II. *n.*21. & apud Epiphanium Hæresi LXVI. *quæ est Manichæorum n.* 62. & apud Titum Bostrensem *lib.*I. *contra Manichæos pag.* 87. *Tom.*I. *Antiquar. Lection. Canisii Edit. an.*1725. *pag.*87. *seq.*

CATH. ℟. Credis tu quod appellet arbores creatores? Si dicas sic. Quomodo igitur stabit (79) quod Dominus ait monens discipulos suos Matth.12. v.33. *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, & fructum ejus malum?* Numquid ipsos creatores facere poterant discipuli? Propter hoc forte dicerent quod per Arbores duas intelliguntur duæ naturæ, quo habito per consequens duo erunt earum (80) *principia*. Sed contra. Nonne oves Israel bonæ naturæ fuerunt? utique. Sed illæ peccaverunt in cœlo secundum Te? Ergo bona arbor, idest bona natura, potest facere malos fructus.

Nonne Apostolus cum persequebatur (81) Ecclesiam Dei malos fructus faciebat? Et tamen erat naturaliter arbor bona.

Item Judas nonne bonum fructum fecit quando Dæmones ejecit, cujus potestatem accepit Matth. 10.v.8. cum aliis undecim: *Infirmos curate, mortuos resuscitate, leprosos mundate, Dæmones ejicite?* Ergo arbor mala potest bonos fructus facere; nam Judas secundum te erat naturaliter malus.

Dicas ergo mecum quod nomine arboris intelligitur hic bonus (82) homo, vel malus, quorum uterque ex operibus cognoscitur, sicut arbor ex fructu; unde dicitur 15. *Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* 16. *A fructibus eorum cognoscetis eos.*

Sed forte dicet: quomodo stabit quod dicitur: *non potest arbor bona malos fructus facere; nec arbor mala bonos fructus facere?*

Respondeo *non potest*, idest non vult. Similiter dicitur Marci 6.v.5. *Et non poterat ibi virtutem ullam facere*; idest nolebat (83) similiter Joann.12. v.39. *Non poterant credere*; idest nolebant. 2.Timoth. v.13. *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare se ipsum non potest*; idest non vult. Vel *arbor bona non potest fructus malos facere*, idest non facit, ut (84) sonet in actum: Probatio hujus expositionis habetur Luc.6.v.43. *Non est enim arbor bona quæ facit fructus malos: neque arbor mala faciens fructus bonos.*

Quandoque autem nomine arboris intelligitur voluntas; unde Matth.12.v.33. *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum: aut facite arborem malam, & fructum ejus malum: siquidem ex fructu arbor cognoscitur.*

HÆR. Ad idem inducunt illud, quod dicitur Matth. 15. v.13. *Omnis plantatio, (85) quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur.* Ergo aliqua plantatio est, quam Pater Jesu Christi non plantavit &c. & ita Diabolus plantavit illam: & ita Diabolus est creator, vel factor creaturarum.

CATH. Ad hoc respondendum est sic. Numquid plantare est creare? Si dicat: utique: quomodo ergo dicit Apostolus 1.Corinth.3.v.6. *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit?* Secundum hoc videtur quod Paulus creator sit.

Dicamus ergo, ut patet ex principio illius capitis 15.v.3. Matth. ubi dicitur: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* Quod Dominus ibi loquitur de traditionibus Pharisæorum, quas dicit plantationem, quæ non est a Patre. Hoc autem potest insinuari per illud, quod dicit Gamaliel Actorum 5.v.38. *Et nunc itaque dico vobis, discedite ab hominibus istis, & sinite illos: quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur.* 39. *Si vero ex Deo est non poteritis dissolvere illud, ne forte & Deo repugnare inveniamini.* Vel dicas quod loquitur de plantatione vitiorum, quæ quidem est a Diabolo per suggestionem, & eradicabitur. Unde 1. Joann. 3.v.8. *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli.*

Item si tu Hæretice vis intelligere de plantatione creationis, secundum te oporteret, quod omnes creaturæ Diaboli eradicarentur; & ita ipse remansurus

 esset

(79) S. Augustinus *lib.* 1. *contra Adversarium Leg. & Prophet. cap.*XXIII. *&* 49. *lin.*577. *Tom.*VIII. *Quid enim stultius*, inquit, *quam dicere, Deum Prophetarum esse arborem malam, & id velle intelligi in eo, quod Dominus ait*, Arbor mala fructus bonos facit, *& rursus dicere, non facit mala, sed creat; quia si faceret, aliena ab illo essent, eique forinsecus accederent; cum vero creat, ipse illa de se ipso tanquam radicitus generat.* Et paulo superius: *Cur ergo*, inquit, . . . *creat, dixit, sed* facit; *si vera est differentia, qua facientem a creante distinguit dicens, quod sit alienum esse a faciente?* . . . *sed certe in eo quod Dominus arborem bonam fructus bonos, malam malos non dixit creare, sed facere, videat iste* [Adversarius legis] *suam regulam factam, & comprimat linguam.* Et aliquanto superius *cap.*XXII. *col.*575. *Quomodo autem diceret*, aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, & fructum ejus malum; *nisi homo posset nunc in hoc, nunc in illud mutata voluntate converti?* Consule *Disp.*II. *Contra Fortun. num.*22.

(80) Vaticanus Codex. *Creatores.*

(81) Adposite Titus Bostrensis *lib.*1. *contra Manichæos pag.*88. *Si Deus radix*, inquit, *& bona radix, & boni fructus, & ex bonis fructibus profusi; ac Satanas radix erat, & mala radix, ac fructus mali ex mala radice fusi; cujus radicis Apostoli fructus exstiterunt, ut ex fructibus, quod quærimus, cognoscamus? Nondum a radicibus argumentum sumo, dicemus enim, mala radix nihil boni proferre potuit, neque radix bona quidquam mali. Videntur autem Apostoli quandoque boni, quandoque mali fuisse; ac sero quidem mali, principio autem boni, mutasseque malos mores. Si enim dicamus esse Apostolos Satanæ fructus propter vetera delicta, adhibebunt eis reverentiam propter Apostolatum, & perfectionem virtutum. Sin vero Dei fructus, quid dicent de antiquis eorum peccatis, & de antiqua vita diabolica? &c.* Consule Lector, quæ sequuntur; sunt enim ad rem nostram accommodata. Videas etiam Epiphanium *Hæres.*LXVI. *n.*62. & Hieronymum *in cap.*VII. *Evang. S. Matth. col.*24. *seq. Tom.*IV. qui his eisdem exemplis Pauli & Judæ utuntur, ut Manichæos revincant.

(82) Epiphanius *l. c. n.* 62. *Mala enim arbor, & bona*, inquit, *de bonis, ac malis operibus explicantur. Adi-sis* Augustinum *loc. c. cap.*XXII. *n.*47. & Hieronymum *in cap.*VII. *Matth. col.*24. *Tom.*IV.

(83) Præclare Augustinus *lib.* II. *contra Fortun. Manich. n.*22, *col.*105. *Sed ut intelligas*, inquit, *istas duas arbores sic esse a Domino positas, ut ibi significaretur liberum arbitrium, non naturas esse istas duas arbores, sed voluntates nostras; ipse ait in Evangelio: Aut facite arborem bonam, aut facite arborem malam. Quis est qui possit facere naturam? Si ergo imperatum est nobis, ut faciamus arborem aut bonam, aut malam, nostrum est eligere, quod velimus.* Vide *lib.*II. *de Serm. Dei in Monte cap.*XXIV. *n.*79.

(84) Consule Augustinum *ibid. col.*4. *seq. & Serm.*CCXCII. *in Natal. Johannis Baptistæ al.* XXIII. *de Sanctis n.*7. *col.* 1173. *Tom.*V. & Hieronymum *lib.*1. *in cap.* VII. *S. Matth. col.*25. Ubi, *tamdiu*, inquit, *bona arbor fructus non facit malos, quamdiu in bonitatis studio perseverat: & mala arbor tamdiu manet in fructibus peccatorum, quamdiu ad pœnitentiam non convertitur.*

(85) Johannes Chrysostomus *Homilia* LI. *al.* LII. *in Matthæum pag.*524. *Tom.*VII. *Edit. an.*1727. Hoc testimonio, prodit, usos fuisse Manichæos, ut malum auctorem veterem legem condidisse probarent. Non est autem alienum a vero, quod ut de lege, ita etiam illud ipsum de creaturis sub adspectum cadentibus, intelligi etiam oportere censuerint; id quod Fortunatus Manichæus apud Augustinum *Disp.*II. *n.*21. *col.*103. diserte innuit.

esset solus, quod esse non posset, cum ipse in una sua omnipotens sit.

HÆR. Ad idem inducunt illud, quod legitur Joan.1.v.12. (86) *Quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine ejus*: 13. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*. Illi ergo tantum sunt filii Dei, qui non sunt nati ex sanguinibus: sed homo exterior ex duobus sanguinibus natus est, ergo homo exterior non est ex Deo natus; & ita a Diabolo; ergo Diabolus est creator, vel factor carnis.

Ad idem etiam inducunt quod legitur Rom.9.v.8. *Non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine*.

Ad hoc respondendum est sic, cum dicit: *Quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri*; de qua nativitate loquitur? si de nativitate creationis, quomodo potest hoc esse? sic enim legitur ibi 11. *Sui eum non receperunt*. 12. *Quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Hic distinguitur inter illos, qui eum non receperunt, & illos qui eum receperunt. Illis suis, qui eum non receperunt, non dedit potestatem filios Dei fieri; & tamen eis, qui eum receperunt dedit eam. Illi ergo, qui eum non receperunt, & non habuerunt illam potestatem, scilicet fieri filios Dei, non fuerunt ejus filii, nec ex Deo nati; ergo non fuerunt a Deo bono creati. Quomodo autem sui erant?

Præterea illis, qui eum receperunt, dedit potestatem filios Dei fieri. Isti non erant sui, quia dicitur: *Sui eum non receperunt. Quotquot autem &c.* sed cujus erant, si non erant sui filii? ergo erant filii Diaboli; ergo ab eo creati, vel facti, si de hac nativitate, scilicet creationis hæ auctoritates intelligendæ sunt.

Præterea illi prius erant, qui eum receperunt, dedit eis potestatem Filios Dei fieri; ergo non erant prius Dei filii, vel ex Deo nati; & ita a Diabolo creati, vel facti, quod stare non potest, quia sic non dedisset eis potestatem Filios Dei fieri.

Dicas ergo mecum, quod duplex est nativitas. Una naturæ, (87) quæ fit per carnis propagationem: alia gratiæ, quæ fit per fidem in baptismo, & Pœnitentia; & istud patet esse verum ex eo, quod dicitur Joann.3.v.6. (88) *Quod natum est ex carne caro est, & quod natum est ex spiritu spiritus est*. Et loquitur ibi de Spiritu Sancto, ut patet ex littera illa. Illam etiam duplicem nativitatem insinuat, cum ait 7. *Oportet vos nasci denuo*: quasi diceret: qui nati estis nativitate naturæ, oportet vos nativitate gratiæ nasci, si vultis in regnum cœlorum introire. Nec per hoc habetur quod nativitas carnis sit mala; sed quia non sufficit sola, idest sine spirituali, quæ fit per fidem. Unde Joann. 1. dicitur: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Sed quibus dedit? *His, qui credunt in nomine ejus*: idest quia credunt. Unde 1.Joann.5.v.1. *Omnis, qui credit quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est*. Ad Galat. 3.v.26. *Filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu*.

Quod autem sequitur: *non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri* sic intelligo, quod hi, qui sunt spiritualiter filii Dei, non habent ex prima nativitate, quæ est ex duobus sanguinibus, sed ex Deo, idest ejus gratia, & fide ipsius, ut prædictum est.

Ad illud, quod dicitur Rom.9.v.8. *Non* (89) *qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine*: idest: non ideo, quia sunt filii carnis, filii Dei sunt; quasi diceret: ex nativitate carnis, non habent eam, quæ est per Fidem; sed ut dicitur Joann.3.v.7. *Oportet vos nasci denuo*. Unde ibidem sequitur: *sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine*, filii promissionis, idest filii Dei. Per quam Abrahæ facta est promissio, ut hæres esset mundi, ut habetur Rom.4.v.13. *Non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini ejus, ut hæres esset mundi: sed per justitiam fidei*. 14. *Si enim qui ex lege, hæredes sunt: exinanita est fides, abolita est promissio*. 15. *Lex enim iram operatur. Ubi enim non est lex; nec prævaricatio*. 16. *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei, qui ex lege est solum, sed & ei, qui ex fide est Abrahæ*.

Vel aliter filii carnis dicuntur Judæi, qui ex Abraha sunt secundum carnem: Unde Joan.8. v.39. dicunt: *Pater noster Abraham est*. Item 37. *Scio quia filii Abrahæ estis*. Item 56. *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum, vidit, & gavisus est*. Item Rom.4. v.1. *Quid ergo dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem?* Filii autem promissionis dicuntur Gentiles, idest filii Fidei, seu per fidem, ex quo facta est promissio Abrahæ, ut ostensum est. Quando ergo dicitur: *Non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine*, intelligendum est non tantum illi, qui sunt filii carnis, hi sunt filii Dei. Et quod ita sit patet Rom.3. v.29. *An Judæorum Deus tantum? non ne & Gentium?* 30. *Quoniam quidem unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem*. Item Rom.4.v.12. loquitur per fidem dicens: *Et sit pater circumcisionis, non iis tantum, qui sunt ex circumcisione; sed & iis, qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio Patris nostri Abrahæ*.

Si autem dicat Hæreticus: quare illi, qui eum non

(86) Hoc etiam testimonio abusi sunt Gnostici, qui Christo carnem detrahi omnino volebant, propterea quod malam esse, & a malo principio profectam arbitrarentur. Sic autem illud legi oportere censebant: *Non ex sanguine, nec ex carnis voluntate, nec ex viri, sed ex Deo natus est*. Vide Tertullianum *lib. de Carne Christi cap.*XIX. *pag.*321.

(87) Consule S. Cyrillum Hierosolymitanum *Catechesi* XI. *n.*IX. Ubi: vos, inquit, illuminandi, *filii efficimini, sed adoptione per gratiam sicut scriptum est*: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen ejus. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt: *Et nos quidem nascimur ex aqua & spiritu*. Adi-sis etiam Hieronymum *lib.* II. *contra Jovinianum col.* 221. *Tom.*IV. *Parte* II. *Edit. an.*1706.

(88) Adeundus Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi* III. *n.* 4. *pag.*41. *Edit.an.*1720. & Johannes Chrysostomus *Homilia* XXIV. *in cap.*III. *Joannis Tom.*VIII.*pag.*141. *Edit.Paris. an.*1728.

(89) Theodoretus in *cap.*IX. *Ep. ad Rom. v.* 8. *Tom.* III. *Opp. pag.*75. *Vocat*, inquit, *Carnis Filios* [Apostolus] *qui naturæ propagatione sunt geniti; promissionis autem, qui ex gratia dati sunt*. Leguntor quæ habet idem ipse Cyrensis Episcopus in *cap.*IV. *Ep. ad Rom. v.*13. *seqq.*

non receperunt dicuntur sui? Respondeo: sui sunt creatione (90) licet non imitatione.

Sed dicet sic. Et illi, qui eum receperunt sui erant creatione, non imitatione antequam reciperent eum. Quare ergo sic distinguit dicens: *Sui eum non receperunt, quotquot autem &c.*? Per hoc enim videtur innuere quod non essent prius sui, qui eum receperunt.

Solutio. Suos dicit Judæos, qui non tantum creatione, sed etiam cultu sui erant. Unde Matth. 15. v. 7. *Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias dicens*: 8. *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est a me*. 9. *Sine caussa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum*. Sed Gentes per cultum sui non erant, sed idola colebant, immo Dæmonia in eis; unde David: *Omnes Dii gentium Dæmonia*; unde Rom. 15. v. 8. *Dico enim Jesum Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum*. 9. *Gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est*. Dicebantur etiam sui Judæi propter promissiones Patribus eorum factas, non vero Gentibus. Item evidenter facit Apostolus mentionem de duobus populis, & unum non suum dicit Rom. 9. v. 24. *Vocavit nos non solum ex Judæis, sed etiam ex Gentibus*. 25. *Sicut in Osee dicit: vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam: & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam*, 26. *Et erit in loco ubi dictum est eis: non plebs mea vos*: Ubi ostenditur quare non erat sua plebs; quia non dilecta, nec misericordiam consecuta. Rom. 15. v. 10. dicit alium populum suum, unde *Lætamini gentes cum plebe ejus*.

[*] HÆR. Ad idem inducunt illud Matth. 13. v. 11. Ubi Christus dicit discipulis: *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum: illis autem non est datum*. Quare non de eadem creatione erant; cum Pater justorum non sit acceptor personarum ut dicit Petrus Actor. 10. v. 34. Respondeo. Lege totum caput usque ad *v.* 15. *Et sanem eos*, & videbis, quod ex culpa eorum fuit, non ex vitio creatoris, sicut supra ostensum est; ubi discussimus illud verbum Joannis 12. v. 39. propterea non poterant credere. Nonne videtur, quod Dominus ait ibidem 12. *Qui enim habet dabitur ei, & abundabit, qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo? Qui habet, dabitur ei*, idest qui collata munera diligenter custodit, similis illi, qui in quinque talentis operatus, alia quinque lucratus est, laude, ac remuneratione domini dignus efficitur: *Qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo*: Quid est non habere, nisi accepta negligere, & desidia utendi divinæ largitati injuriam facere? De talibus dicitur Matth. 7. v. 6. *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conversi dirumpant eos*. Ipse se fraudavit munificentia largientis, qui possidere indulta negavit. Quomodo autem poterit esse munificus eis imposterum, a quibus ejus munera respuuntur? Propterea dicitur Isaiæ 1. v. 2. *Filios enutrivi, & exaltavi, ipsi autem spreverunt me*. [*]

HÆR. Ad idem inducunt illud, quod legitur Joann. 8. v. 44. (91) *Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere*. Diabolus erat pater illorum, ergo creavit eos; & ita iterum ut prius.

CATH. Solutio. Numquid si pater est sequitur quod sit Creator? Si dixerit quod sic. Contra. Rom. 4. v. 17. & loquitur de Abraham: *qui pater est omnium nostrum (sicut scriptum est: quia patrem multarum gentium posui te) ante Deum, cui credidit, qui vivificat mortuos, & vocat ea, quæ non sunt, tamquam ea, quæ sunt*. Item Joann. 8. v. 39. dixerunt Domino Judæi: *Pater noster Abraham est*: non tamen erat eorum creator. A simili ergo non potes dicere, quod per creationem sint, *ex patre Diabolo*, sed per imitationem, (92) ut diximus; quemadmodum & boni dicuntur filii Abrahæ per imitationem. [*] Qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ simile dicitur [*] 1. Petr. 3. v. 6. De Sara; *cujus estis filiæ benefacientes*, idest bona opera ejus imitantes.

HÆR. Ad idem inducunt illud Joan. 8. v. 44. (93) *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo, cum loquitur mendacium ex propriis loquitur, quia mendax est, & Pater ejus*. Dicunt autem sic: de Christo dicitur Joann. 1. v. 1. *In principio erat Verbum*: & est sensus: In principio Creaturarum, idest ante omnem creaturam, quod patet ex eo quod sequitur 3. *Omnia per ipsum facta sunt*. A simili cum dicitur de Diabolo: *ille homicida erat ab initio* intelligendum est ab initio creaturarum, sive ante omnes creaturas, & ita Creator esse videtur. Item: *in veritate non stetit*, ergo non fuit in ea, ergo fuit semper spiritus mendax, ergo non fuit a bono creatore; & ita alius creator est quam primus. Item ipse est *mendax*, & *Pa-*

(90) Sapienter, atque ad rem nostram satis apposite Irenæus *lib.* V. *cap.* XVIII. *pag.* 315. *Pater*, inquit, *conditionem simul & verbum suum portans, & verbum portatum a Patre præstat Spiritum omnibus, quemadmodum vult Pater: quibusdam quidem secundum conditionem* [hoc est spiritum rebus creatis viventibus convenientem] *quod est factum; quibusdam autem secundum adoptionem, quod est ex Deo, quod est generatio. Et sic unus Deus Pater ostenditur, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus, per omnia autem Verbum .... In omnibus autem nobis spiritus Testimonium perhibet, & Johannes Domini discipulus in Evangelio dicens sic:* In principio .... *Deinde de ipso Verbo dixit:* In hoc mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. In sua propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem &c. .... *Manifeste ostendens.... quoniam .... hic mundus proprius ipsius, & per ipsum factus est voluntate Patris, & non per Angelos, neque per Apostasiam, & defectionem, & ignorantiam ... neque per alium quemdam mundi factorem ignorantem Patrem.*

[*] Quæ asteriscis comprehendimus exstant in Codice Neapolitano, desunt autem e Bononiensi.

(91) Hoc argumenti genere utebantur etiam Manichæi, apud Archelaum *Disp. cum Manete Hæresiarcha num.* XXIX. *pag.* 48. & apud Augustinum *lib. contra Adimantium Manichæum cap.* V. *n.* I. *col.* 116. *Tom.* VIII.

(92) Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi* VII. *n.* XIII. *pag.* 118. *Satanam*, inquit, *animarum perditorem in Patrem elegerunt nonnulli, quos increpans Dominus ajebat*: vos opera patris vestri facitis: *Diaboli scilicet, qui hominum non natura, sed deceptione pater est. Quemadmodum enim propter institutionem piam Paulus Corinthiorum dicebatur Pater* I. *Cor.* IV. 15. *sic & Diabolus eorum, qui ex voluntate cum illo currunt, pater appellatur. Haud enim patiemur illos, qui prave interpretantur eam sententiam ..... quasi existant inter homines nonnulli, qui natura aut salvi sint, aut pereant. Non enim ex necessitate, sed ex libero animi decreto ad sanctam hujusmodi adoptionem provehimur &c.* Vide *Archelai acta n.* XXXII. *pag.* 54. *Aug. l. c.* & Tertullianum *lib. de Anima cap.* XVI. *pag.* 275.

(93) Nempe ita ut Manes, hoc item v. 44. membro abutebantur Cathari. Videsis Archelai *acta n.* XXIX. *pag.* 48.

Pater ejus. Sed quis est pater Diaboli? nisi ejus creator, scilicet Satanas? Ergo (94) alius creator malus.

CATH. Solutio. Ad primum dico sic: Numquid si ab initio est, Creator est? Si dicas non. Quare ergo infers: Diabolus fuit ab initio; ergo fuit Creator? Si dicas quod sic. Ubi habes hoc? Si dicas 1. Johann. 1. v. 1. *Quod fuit ab initio*, & loquitur de Christo. Contra. Christus fuit prima creatura Dei boni, ut dicis; ergo non fuit Creator? Quomodo ergo ab initio esse est esse creatorem in illa auctoritate proposita? Quamvis ita sit in 1. c. Joann. v. 1. monstra quod eodem modo sumatur Joann. 8. Ego enim invenio quod aliquid est ab initio, & tamen non est creator. Unde Eccles. 24. v. 14. ubi loquitur de sapientia, dicit: *Ab initio, & ante secula creata sum*. En quod creata ab initio, & tamen est creatura. Item Eccles. 39. v. 30. *Bona bonis creata sunt ab initio*.

Præterea cum Diabolus habeat patrem, a quo factus est, ut tu dicis; ergo non est creator? Ergo *ab initio* esse in hoc loco non est esse creatorem: Aut si vis intelligere *ab initio* ideſt ante omnem aliam creaturam, quomodo stabit illud secundum tuam opinionem, quod dicitur Eccles. 18. v. 1. *Qui vivit in æternum creavit omnia simul*? Si ergo sit ab initio, ideſt genitus ante omnem creaturam: ergo ipse non est creatura. Quomodo ergo stabit illud secundum te, quod postea sequitur: *mendax est, & Pater ejus*, ideſt Pater Diaboli? Si enim habet patrem, ut tu dicis, a quo creatus est; ergo non est creator?

Sed notandum quod iste non est sensus (95) Johannis: Diabolus est mendax, & pater Diaboli; sed est sensus: Diabolus est mendax, & ipse est pater cujuslibet mendacis hominis, de quo David ps. 115. v. 11. ait: *Omnis homo mendax*; sicut Rom. 3. v. 4. Talium autem pater est per imitationem; ipse enim primum mendacium dixit, cum ait Genes. 3. v. 4. *Nequaquam morte moriemini*; & omnes homines, qui mentiuntur ejus sunt imitatores. Unde Sap. 2. v. 24. *Invidia autem Diaboli mors introivit in orbem terrarum*: 25. *Imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius*. Hoc est etiam, quod Dominus ait Johann. 8. v. 44. Vos *ex patre Diabolo estis*: & subdit: *& desideria patris vestri vultis facere*. Quasi diceret: ex eo estis per imitationem desideriorum ejus. Quod probat per hoc: *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit*. Et ipsi homicidæ erant Christi voluntate; unde supra 40. *Nunc autem quæritis me interficere*.

Præterea si ex ipso non erant per creationem, quare arguit eos de incredulitate ibidem 46. *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi*? Nec obstat mihi quid sequitur 47.: *Propterea vos non auditis*, quod idem est ac non creditis, *quia ex Deo non estis*. Et est sensus: Ex Deo non estis per Christi fidem, quæ facit esse ex Deo Patre; unde ad Galat. 3. v. 26. *Omnes enim filii Dei estis per Fidem, quæ est in Christo Jesu*. Vel ex Deo per imitationem; unde Ephes. 5. v. 1. *Estote imitatores Dei sicut filii charissimi*.

Dico autem quod cum Diabolus dicitur (96) mendax *ab initio*, hæc præpositio *ab* nota est separationis, ideſt post initium, & intellexit illud de initio hominis, de quo initio legitur Eccles. 15. v. 14. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui*. 15. *Adjecit mandata, & præcepta sua*. 16. *Si volueris mandata servare, conservabunt te: & in perpetuum fidem placitam facere*. 17. *Apposuit Tibi aquam, & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam*. 18. *Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum: quod placuerit ei dabitur illi*.

Item Diabolus dicitur homicida, (97) quia occidit hominem, aut antequam homo esset, aut in eodem momento, in quo creatus est homo, aut post: non primo modo, vel secundo, ergo tertio. Forte dicet, quod semper fuit homicida, quia homo semper fuit; & ipse semper eum odio habuit. Contra: Proba quod propter hoc fuerit homicida. Forte dicet ab eo, quod Johan. ait Johan. 3. v. 15. *Qui odit fratrem suum homicida est*. Contra. Homo, quem occidit erat frater ejus, ergo ab eodem factus. Si autem dicat: a simili loquitur. Dico falsum est; non enim simile est fratrem odisse, & eum, qui est de contraria creatione.

Præterea Deus bonus ab æterno odivit eum, & suos; ergo sequitur: est homicida. Probatio patet Hebr. 1. v. 9. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem*.

Ad illud, quod sequitur: *in veritate non stetit*: ergo non fuit. Hoc non est verum; Aliquis enim non stetit in aliqua domo, & tamen fuit in illa. Stare enim idem est quod moram facere; quia ergo Diabolus in veritate fuit, sed in ea non permansit, ideo dicitur: *in veritate non stetit*. Quod id sit verum, quod dico patet ex verbis Christi; sic enim ait: *In veritate non stetit, quia non est in eo veritas*. Numquid in Paulo quando persequebatur Ecclesiam Dei erat veritas? Non. Quia Christus, qui est veritas, non erat in eo tunc, & tamen prius fuerat in veritate, scilicet antequam peccaret in cælo, ut dicis; fuit enim ex ovibus illis, quæ in cælo peccaverunt ante Patrem Justorum, ut dicis, quamvis verum non sit.

HÆR. Ad idem objiciunt illud Johan. 14. v. 30. *Venit* (98) *Princeps Mundi hujus, & in me non habet*

(94) Vaticanus Codex. pro *alius* habet *aliquis*.

(95) Consulitor Irenæus *lib.* v. *contra Hæreses cap.* XXII. *n.* 2. & *capp.* XXIII. *ac* XXIV. *per tot.* ubi de hoc Johannis *v.* ejusque germano sensu fuse disserit.

(96) *Ejusdem, & Adamus imitatione filius fuit, dum mendacem illam vocem sequitur, quæ per serpentem ita loquebatur*: Eritis sicut Dii scientes bonum, & malum. *Atque hoc ipsum est, quod in Evangelio a Salvatore dicitur*: Vos estis filii Diaboli: *sic enim loquitur*: Nonne duodecim vos elegi, & unus ex vobis est Diabolus. Quoniam ab initio mendax est, & homicida, quia Pater ejus mendax erat. *Qua ratione Manichæi ratio dissolvitur &c.* S. Epiphan. *Hæres.* LXV. *num.* LXIII. *pag.* 677.

(97) De odio, quo Satanas jam inde ab initio mundi insequutus est hominem multis disserunt Sancti Patres, Irenæus, Tertullianus, Lactantius, aliique, quorum testimonia accurate imprimis recenset Dionysius Petavius *lib.* III. *de Angelis cap.* I. *n.* 4. *Tom.* III. *Theolog. Dogmatum*.

(98) Hoc item testimonio usi sunt veteres Manichæi, & Gnostici, qui creatorem rerum sub adspectum cadentium malum esse rebantur. Adi-sis Augustinum Tractat. LXXIX. *in Johann. n.* 2. *col.* 701. *Tom.* III. *Par.* II. & Johannem Chrysostomum *Homil.* LXXIV. *in cap.* XIV. *Johannis Evang.* & Epiphanium *Hæres.* LXVI. *n.* LXVI. *pag.* 676. *seq.*

bet quidquam. Si Princeps, ergo Creator, vel factor creaturarum.

CATH. Respondeo. Numquid Principem esse, (99) est esse creatorem, vel factorem? Si non. Pessime intulisti: Princeps, ergo Creator, vel factor. Si dicat quod sic. Contra. Numquid Principes Sacerdotum, de quibus Matth.20.v.18. *Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte*: numquid etiam Zachæus erat creator, vel factor Publicanorum, quia Luc.19.v.2. de eo dicitur quod erat *Princeps Publicanorum*?

Præterea sic essent multi Principes, idest Creatores boni, & etiam mali. De bonis habes in David psal. 46. v.10. *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham*. De malis Ephes.6. v.12. *Non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed adversus Principes, & Potestates, adversus Mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus*.

Præterea dum dixit: *Princeps mundi hujus*, non potest intelligi quod sit creator ejus, cum de eodem dicatur Joann. 16. v.11. *Princeps hujus mundi jam judicatus est*. Si est judicatus habet superiorem se. Præterea de eodem dicit Dominus Joann.12. v.31. *Princeps hujus mundi ejicietur foras*. Si de isto mundo visibili intelligitur, ubi ergo erit? Non in suo mundo: cum enim dicitur habitator, vel Dominus hujus domus ejicietur foras, istud intelligitur de domo, in qua Dominus est. Dico ergo quod non dicitur Sathanas *Princeps hujus mundi*, idest creaturarum, quæ in eo sunt, per creationem, sed mundi, idest mundane viventium, qui ejus eligunt Principatum volentes in vitiis commorari, quibus ipse hominibus principatur. Unde Joann.8.v.34. dicitur: *Qui facit peccatum, servus est peccati*. Dicitur autem Princeps talium, quia sequuntur eum, & eum imitantur, sicut populus Principem suum; Eccles. 10. v.2. *Secundum Judicem populi, sic & ministri ejus: & qualis rector est civitatis, tales & inhabitantes in ea*. Item Ephes.2. v.1. *Et vos cum essetis mortui delictis, & peccatis vestris, 3. in quibus aliquando ambulastis secundum sæculum mundi hujus, secundum principem potestatis aeris hujus, spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ*.

HÆR. Ad idem objiciunt illud Joan.15. v.18. *Si mundus* (100) *vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit*. Si mundus esset creatura Dei numquid filium Dei odiret, aut servos ejus?

CATH. Solutio. Respondeo. Joann.1.v.12. dicitur *Sui eum non receperunt*. Isti aut diligebant eum, aut odiebant eum? Constat quod non diligebant eum; sic enim eum recepissent; dicitur enim 1.Joann. 4.v.16. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Ergo odiebant eum, & tamen sui creatione erant.

Præterea Joann.15.v.24. dicitur: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt me, & Patrem meum*. Constat quod isti non poterant esse de creatione mala, quia dicitur ibi: *si opera non fecissem in eis &c.* Ad quid enim opera illa in eis fecisset, si de mala essent creatione? Item quomodo stabit hoc: *si opera non fecissem in eis &c.*? Ante enim, quam illa opera in eis faceret, mali fuerunt, si de mala creatione erant. Dico ergo quod nomine mundi intelligitur homo mundane vivens; non enim de lapidibus, & hujusmodi potest dici; Talia enim non possunt aliquid diligere, vel odisse.

HÆR. Ad idem objiciunt illud Joann.18. v.36. *Regnum* (101) *meum non est de hoc mundo*. Ergo mundus iste non est a Deo creatus, vel factus.

CATH. ℟. Quid est regnum Christi? Apostolus dicit Tibi Rom. 14. v.17. *Non est regnum Dei esca & potus: sed justitia & pax & gaudium in Spiritu Sancto*. Bene. Concedo quod istud regnum de hoc mundo non est, idest mundanorum, nec ab eis; unde ibi dicitur: *regnum meum non est hinc*. De isto regno dicitur Luc.11.v.20. *Porro si in digito Dei ejicio dæmonia: profecto pervenit in vos regnum Dei.*

Præterea regnum Dei dicuntur Sancti, (102) in qui-

(99) S. Augustinus *l. c. Sic enim ostendit*, inquit, *non creaturarum, sed peccatorum principem Diabolum, quos nunc nomine mundi hujus appellat. Et quotiescumque mundi nomen in mali significatione ponitur, non ostendit, nisi mundi istius amatores; de quibus alibi scriptum est*, quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituetur *Jac.* 4. 4. *Absit ergo ut sic intelligatur Diabolus princeps mundi, tamquam gerat universi mundi, id est cœli, & terræ, atque omnium, qui in eis sunt principatum .... Quemadmodum autem sit intelligendus princeps mundi Diabolus, evidentius aperuit Paulus Apostolus, qui cum dixisset*, non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, *idest adversus homines; subjecit, atque ait*: Sed adversus Principes, & potestates, & rectores mundi tenebrarum harum. *Sequenti enim verbo exposuit quid dixisset*, mundi, *cum subjecit* tenebrarum harum, *ne quisquam mundi nomine intelligeret universam creaturam, cujus nullo modo sunt rectores Angeli desertores*. Tenebrarum, *inquit*, harum, *idest mundi istius amatorum; ex quibus tamen electi sunt, non per suum meritum, sed per Dei gratiam, quibus dicit*; fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. *Ephes. v.* 8. *&c.* V. *Serm.* CLXX. *de Verbis Apost. al.* XLIX. *de Temp. n.*4. *col.* 820. *Tom.* V. & Jo. Chrysost. *l. c.* & Epiphanium *l. c.*

(100) A Gnosticis hoc etiam argumentum mutuati sunt Cathari. Illi enim ita erant animo comparati, ut ad rem suam mirifice facere arbitrarentur, ea testimonia scripturarum, quibus innuitur mundum odisse Apostolos, aut eos ex hoc non fuisse mundo. Atque Auctor, *Dialogi contra Marcionitas De recta in Deum fide*, qui Dialogus sub Origenis nomine circumferri solet *sect.* v. *Tom.* I. *Opp. Origenis Edit. Benedict. S. Mauri pag.* 870. sic inducit Marcionitam contra Catholicum differentem. *Nos & ab Apostolo, & ab Evangelio didicimus, & opificem malum esse, & quæ creavit*. Respondet Adamantius Catholicus: *Quæ Christus bona fatetur, tu-ne mala dicis?* Pergit autem Marcionita: *Non ait bonum esse mundum, neque eas naturas quas creavit: Ait enim*: Si essetis ex hoc mundo, mundus, quod suum esset diligeret. *Joh.* XV. *v.*9. refellit subinde idem ipse Auctor hoc argumentum, quod responsi genus consulere poterit Lector.

(101) Admirabilis sane est veterum recentiorumque Manichæorum in hisce argumentis adhibendis consensio. Nam Johannes Chrysostomus *Homil.* LXXXIII. *in Johann. Evang. cap.* XVIII. *v.*36. posteaquam hanc attulit pericopen: *Hinc Hæretici*, inquit, Gnosticos & Manichæos indicans, *ansam inveniunt alienum eum ab opifice esse*.

(102) Sensum litteralem hujusce textus dederunt Origenes *lib.* I. *contra Celsum num.* 59. Johannes Chrysostomus *l. c.* & Augustinus *Tractatu* CXV. *in Joh. Evang. n.*1. Sed is, quem postremo loco memoravi *Tract. eodem num.* 2. hanc quoque interpretationem a nostro usurpatam sequitur. *Quod est enim regnum ejus*, inquit, *nisi credentes in eum, quibus dicit*: De mundo non estis, sicut & ego non sum de mundo? *Joh.* XVII. *v.* 16. *Quamvis eos esse vellet in mundo, propter quod de illis dixit ad Patrem*; non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos ex malo *ibid. v.*15. *Unde & hic non ait* regnum meum non est *in hoc* mundo, *sed non est de hoc mundo .... Non ait*, nunc autem regnum meum non est *hic*; *sed* non est hinc. *Hic est enim regnum ejus usque in finem sæculi, habens inter se commixta Zizania usque ad messem; messis enim finis est sæculi, quando messores venient, id est Angeli, & colligent de regno ejus omnia scandala, quod utique non fieret, si regnum ejus non esset hic. Sed tamen non est hinc; quia peregrinatur in mundo: de re-*

quibus Deus regnat: Apocalypsis 5.v.10. *Fecisti nos Deo nostro regnum*. Illi autem aliquando fuerunt de Mundo, ideſt de mundanis, eis ſcilicet ſimiles, & conformes; a quo dehortatur Apoſtolus Rom.12.v.2. *Nolite conformari huic ſæculo*. Et quod Sancti fuerint aliquando de mundo patet Joann. 15.v.19. ubi dicitur: *quia vero de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus*. Si eos elegit de mundo, ergo prius erant de mundo: & tamen creati a Deo bono. Item Apocalypſis 11.v.15. *Factum eſt regnum hujus mundi Domini noſtri, & Chriſti ejus*. *Factum*, ergo non erat ſuum ante, ſed tamen erat ab eo creatum, & ita ſuum erat per creationem, ſed non erat ſuum per cognitionem, & receptionem. Non ne vides quid dicat Joann.1.v.10. *Mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit*? Item non ne vides quid etiam dicat ibidem 11. *In propria venit, & ſui eum non receperunt*? In talibus igitur regnat Chriſtus, non in mundane viventibus, in quibus regnat peccatum, ideſt Diabolus, a quo dehortatur Apoſtolus Rom.6.v.12. *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis veſtris*. Iſti erant de regno Dei, prius tamen fuerant de regno peccati; unde ſubdit Apoſt. 17. *Gratias autem Deo, quod fuiſtis ſervi peccati, obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi eſtis*. 18. *Liberati autem a peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ*. 19. *Humanum dico, propter infirmitatem carnis veſtræ: ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem*. 20. *Cum enim ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ*. 21. *Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorum mors eſt*. 22. *Nunc vero liberati a peccato, ſervi autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam*.

HÆR. Ad idem inducunt illud, quod dicitur Rom.7.v.24. *Infelix* (103) *ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus*? 25. *Gratia Dei per Jeſum Chriſtum*.

Ad idem illud David pſal.141.v.8. *Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo Domine*. Ecce quod Apoſtolus & David cupiebant a corpore educi, quod non facerent, ſi bonum eſſet.

CATH. ℞. Unde habes quod vellent educi a corpore tantum? Hic enim non habes; non enim Apoſtolus dixit de corpore tantum, ſed *de corpore mortis hujus*, (104) ideſt ſecundum quod eſt mortale, & corruptibile; ſecundum enim quod tale eſt, carcer eſt, non ſecundum quod corpus: unde Sap. 9. v.15. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam*. Non dixit corpus ſimpliciter, ſed addidit: *quod corrumpitur*. Sed carcer non erit, quando corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, ut habet idem 1.Corinth.15.v.53.

Præterea ſi dicas quod volebat educi a corpore, quomodo ſtabit id quod dicit Apoſtolus 2.Corinth. 5.v.4. *Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus gravati: eo quod nolumus expoliari, ſed ſuperveſtiri; ut abſorbeatur, quod mortale eſt, a vita*? [*] Ad hoc autem dixit ille hæreticus, qui unum ponit principium, quod illud ſic eſt intelligendum: ingemiſcimus gravati, non eo, ideſt corpore, ſed eo, id eſt ideo quia nolumus expoliari donis ſpiritualibus, ſed ſpirituali gratia ſuperveſtiri, & eſt vox iſta interioris hominum.

Solutio. Quod autem iſte non ſit ſenſus Apoſtoli, patet ex illo Apoſtoli Romanorum VII. *Infelix ego homo &c.* Loquitur ergo de corpore mortali, quo gravabatur ſecundum illud *Sap. 9. Corpus quod corrumpitur &c.* Quomodo autem iſtud ſit intelligendum patet IV. *lib.* II. *Partis cap.* II. *de Reſurrectione*. [*]

Præterea quomodo ſtabit quod dicit David de ſe pſal.62.v.2. *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea*: quid autem ſitit anima, niſi ut Dominum videat? pſalm.41. v.3. *Sitivit anima mea mea ad Deum fortem vivum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei*? Caro autem quid ſitit, niſi ut reſurgat?

HÆR. Ad idem inducunt illud Rom.7.v.18. *Scio enim, quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea, bonum*. (105) Ergo caro mala, & a malo principio.

CATH. ℞. Quomodo intelligis tu hoc: *Scio enim quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea, bonum*? Numquid ibi ſumitur caro pro iſto corpore corruptibili? Si dicas quod ſic. Nonne Paulus ibi habitabat, cum hoc dicebat? Conſtat quod ſic; ergo erat bonus, ſi hoc verum eſt: *ſcio quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea, bonum*. Quod autem habitaret ibi patet 2.Corinth.5.v.1. *Scimus enim, quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis*. Item ad Galat. 2.v.20. *Vivo autem, jam non ego: vivit vero in me*

de regno ſuo quippe dixit, De mundo non eſtis, ſed ego vos elegi de mundo. *Joh.* XV. 19. *Erant ergo de mundo, quando regnum ejus non erant, ſed ad mundi principem pertinebant. De mundo eſt ergo quidquid hominum a vero quidem DEO CREATUM, ſed ex Adam vitiata atque damnata ſtirpe generatum eſt: factum eſt autem regnum non jam de mundo, quidquid inde in Chriſto regeneratum eſt. Sic enim nos Deus eruit de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filii caritatis ſuæ.*

(103) Ne ab hoc quidem teſtimonio ſibi temperabant Gnoſtici, ut & malam eſſe carnem, & a malo principio profectam, & veluti carcerem quemdam, in quo ob ſua ſcelera animi includantur, oſtenderent. Vide *Dialogum falſo Origeni adſcriptum de recta in Deum fide ſect.* III. *pag.* 834. *ſeq.* & Clementem Alexandrinum *lib.* III. *Stromat. pag.* 316. *C. D.*

(104) Ita explicat Theodoretus in *cap.* VII. *Epiſtolæ ad Rom. v.* 24. *Mortis corpus,* inquit, *vocat, ut obnoxium morti factum, hoc eſt mortale: anima enim immortalis. Solus inquit Dominus N. J. C. nos a gravi dominatu liberavit, morte quidem profligata, nobis autem immortalitate promiſſa & vita laborum, ac moleſtiarum, bellique, & peccati experte.* Conſulitor Irenæus *lib.* III. *contra Hæreſes cap.* XX. *n.* 3. *pag.* 214. & Johannes Chryſoſtomus *Homil.* XIII. *in Epiſt. ad Rom.* 561. *Tom.* IX. *Opp.*

[*] Quæ duobus aſteriſcis concluſa ſunt deſunt e Codice Bononienſi, exſtantque in Neapolitano.

(105) Gnoſtici, & Manichæi hoc Apoſtoli teſtimonio abutebantur, ut ſuum de malo Creatore portentum opinionis, ſuaderent. Ita eſt a Johanne Chryſoſtomo memoriæ proditum: *Hom.* XIII. *in Ep. ad Rom. pag.* 558. *Tom.* IX. *Opp. Edit. an.* 1731. *Hic inſtant ii,* inquit, *qui carnem calumniantur, & illam a Deo opiſiciis amovent.* Plura ibidem habet S. Doctor, quibus hoc argumenti monſtrum refelli facile poſſit. Vide-ſis Clem. Alex. *lib.* III. *Strom. pag.* 333. Tertullianum *lib. de reſurrectione carnis cap.* X. *pag.* 331. ubi hæc habet contra Gnoſticos: *Nam etſi negat* [Apoſtolus] *habitare quidquam boni in carne ſua . . . & ſi qua alia ita ponit, ut carni non tamen ſubſtantia, ſed actus inhonoretur . . . Verum interim & in illis litteris Paulus eſt, cum Stigmata Chriſti in corpore ſuo portat &c.*

in me Chriſtus . Quod autem nunc vivo in carne : in fide vivo filii Dei , qui dilexit me , & tradidit ſemetipſum pro me. Item Philippenſ. 1. v. 24. *Permanere autem in carne , neceſſarium propter vos .* Si dicas quod non ſumitur ibi pro corpore corruptibili , ideſt pro ſubſtantia carnis hujus , quare ergo miſer induxiſti illam auctoritatem ad probandam illam ſubſtantiam carnis eſſe malam ?

Præterea licet habitator ſit malus , numquid propter hoc ſequitur quod domus ſit mala ? Dico ergo quod in carne habitat quidam ſtimulus fomes vitiorum , ſcilicet carnis pruritus , & appetitus , & ille malus eſt ; (106) non tamen ſubſtantia carnis mala . Propter habitatorem iſtum dicit Apoſtolus : *Scio quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea, bonum.* De iſto habitatore dicit idem Rom. 7. v. 22. *Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem . 23. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ , & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Item Rom. 6. v. 12. *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis veſtris* : ideſt fomes in veſtro corpore . Unde autem venerit hoc peccatum, ſcilicet fomes, dicit Apoſtolus Rom. 5. v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit* , ideſt in genus humanum . [*] Dicit autem Hæreticus, quod iſte habitator Diabolus eſt , qui in quolibet eſt, & etiam in Apoſtolis fuit , priuſquam Spiritum Sanctum reciperent ; & dicit quod ad differentiam aliorum dixit Chriſtus Joh. 8. v. 49. *Ego Dæmonium non habeo* . Licet autem hoc verum ſit , quod Chriſtus dæmonium non habuerit , non tamen poſſunt oſtendere aliquo teſtimonio , quod fideles dæmonium habeant , qui habent Spiritum Sanctum; alioquin mentitur Apoſtolus 1. Cor. 6. v. 15. dicens : *Corpora veſtra membra ſunt Chriſti* : item ibidem 19. *Membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti , quem habetis a Deo & non eſtis veſtri . 20. Empti eſtis pretio magno, glorificate , & portate Deum in corpore veſtro*; alioquin mentitur etiam 2. Corinth. 6. v. 14. dicens : *Quæ etiam participatio juſtitiæ cum iniquitate ? aut quæ ſocietas luci ad tenebras ? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial.* [*]

HÆR. Ad idem illud Rom. 8. *Qui autem in carne ſunt* , (107) *Deo placere non poſſunt* . Ex quo innuitur quod caro ſit mala , & ita creator , vel factor malus .

CATH. ℞. Numquid ibi ſumitur caro pro ſubſtantia carnis? Si ſic, quomodo ſtabit quod ſequitur: 9. *Vos autem in carne non eſtis , ſed in ſpiritu : ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis* .

Præterea cum Apoſtolus eſſet in carne , ideſt in ſubſtantia carnis , ergo non poterat Deo placere . Quod autem eſſet in carne , ideſt in ſubſtantia carnis patet ex dictis in prima argumentatione .

Si autem ſumitur caro (108) pro deſideriis carnis , quare ergo induxiſti auctoritatem ad probandam carnem eſſe malam ſecundum ſubſtantiam ſuam? Secundum hunc modum ſolve quæcumque mala dicuntur de carne in illo capitulo .

HÆR. Ad idem illud ad Galat. 5. v. 17. *Caro enim concupiſcit* (109) *adverſus ſpiritum : ſpiritus autem adverſus carnem* . Unde iſta pugna , & contrarietas , niſi quia caro mala eſt , & a Deo malo ? Et ideo adverſatur ſpiritui , qui eſt ex Deo .

Præterea ibidem 19. dicitur ; *Manifeſta ſunt autem opera carnis : quæ ſunt fornicatio , immunditia, impudicitia , luxuria* . Ex fructu arbor cognoſcitur.

CATH. Solutio . Numquid de (110) ſubſtantia carnis corruptibilis loquitur ibi Apoſtolus ? Si dicas quod

(106) Eatenus malam appellat concupiſcentiam , quia ex peccato eſt , & ad peccatum inclinat . Non enim ita fuit animo comparatus Moneta , ut eam malam per ſeſe eſſe exiſtimaret , perinde quaſi pravus ſit , qui concupiſcentiæ ſtimulis agitatur . Atque hæc quidem dicendi ratio , quam adhibet noſter, placuit etiam Auguſtino ; Vide Noriſium in Vindiciis Auguſtinianis *cap.* III. §. 2. *pag.* 907. *ſeqq. Tom.* I. *Opp. Edit. Veronenſis an.* 1729.

[*] Quæ duobus aſteriſcis concluſa ſunt deſunt e Codice Bononienſi , exſtantque in Neapolitano .

(107) Ne ab hoc quidem argumento ſibi temperabant Gnoſtici: Videntor Irenæus *lib.* v. *cap.* x. *contra Hæreſes pag.* 304. *col.* 2. Clemens Alexandrinus *lib.* III. *Strom. pag.* 338. Tertullianus *lib. de Jejuniis cap.* XVII. *pag.* 554. & *lib. de Reſurrection. Carnis cap.* XLVI. *pag.* 352. qui ita , ut Irenæus , tacite Hæreticos carpit , quod inde malam eſſe ſubſtantiam carnis elicerent : Johannes Chryſoſtomus qui obinde Manichæos Gnoſticoſque eadem ſentientes , redarguit *Hom.* XIII. *in Epiſt. ad Roman. pag.* 368. *Tom.* IX. *Opp.* Et Theodoretus in hoc ipſum VIII. *cap. Epiſt. ad Roman. v.* 13. qui Apoſtolum Marcionis , Valentini , & Manetis blaſphemias prævidiſſe ait , quare *v.* 13. ſuam clare expreſſiſſe ſententiam ; ut ne antecedentibus verſibus impune abuti poſſent .

(108) *Bene igitur Apoſtolus ait . . . .* qui in carne ſunt Deo placere non poſſunt : *non ſubſtantiam rejiciens carnis , ſed infuſionem ſpiritus attrahens ; Et propter hoc ait . . . .* Vos autem non eſtis in carne , ſed in ſpiritu ; ſiquidem ſpiritus Dei habitat in vobis . . . . *Et rurſus . . . ait :* ſi enim ſecundum carnem vivitis incipietis mori: *non converſationem , quæ eſt in carne repellens ab eis ; etenim ipſe in carne cum eſſet ſcribebat eis : ſed concupiſcentias abſcindens carnis , eas quæ mortificant hominem . Et propter hoc intulit :* Si autem Spiritu opera carnis mortificatis , vivetis . S. Irenæus *lib.* v. *contra Hæreſes cap.* x. *pag.* 304. Clemens Alexandrinus *lib.* III. *Stromat. pag.* 338. Qui autem , *inquit* , ſunt in carne , *non ut quidam decernunt* , Deo placere non poſſunt , *ſed ut prius diximus* [nempe qui opera carnis faciunt .] *Deinde ut eos diſtinguat dicit Eccleſiæ :* Vos autem non eſtis in carne , ſed in ſpiritu , ſi quidem Spiritus Dei habitat in vobis . . . . Debitores itaque ſumus , fratres , non carni , ut ſecundum carnem vivamus . Si enim ſecundum carnem vivitis , eſtis morituri &c. Adi-ſis Tertullianum *lib.* v. *contra Marcionem cap.* XI. *pag.* & *locis nota ſuperiore citatis* . Origenem *lib.* VII. *contra Celſum num.* 38. *pag.* 721. *Tom.* I. *Opp. Edit. Monach. S. Mauri* . Johannem Chryſoſtomum *Homil.* XIII. *in Ep. ad Rom. pag.* 368. *ſeq.* Auguſtinum *lib.* XI. *contra Fauſtum cap.* VIII. *col.* 226. *Tom.* VIII. *Opp.*

(109) Viden ut Gnoſtici , & Manichæi veteres hoc etiam teſtimonio Pauli duorum principiorum portentoſum dogma probare conati ſint ? Chryſoſtomus *Commentar. in cap.* v. *Epiſtolæ ad Galatas pag.* 719. *Tom.* x. *Opp. Hinc* , inquit , *quidam adoriuntur nos dicentes , quod Apoſtolus hominem in duo diſſecuerit , inducens eum velut ex contrariis naturis compoſitum , dum oſtendit pugnam eſſe corporis adverſus animam* . Conſule Clementem Alexandrinum *lib.* III. *Strom. pag.* 363. & Auguſtinum *Diſp.* II. *contra Fortunat. Man. num.* 2v. *fol.* 103.

(110) Adeundi Sancti Irenæus *lib.* v. *contra Hæreſes cap.* XI. *per tot.* ubi fuſe diſſerit : *De carnalium , & ſpiritualium operibus; quod non ad corporum ſubſtantiam, ſed ad priſtinam vitæ converſationem ſint referenda* . Et Clemens Alexandrinus *lib.* III. *Stromatum pagin.* 363. quo loco : *caro* , inquit , *concupiſcit adverſus ſpiritum ; ſpiritus autem adverſus carnem . Hæc ergo opponuntur non ut malum bono , ſed ut quæ pugnant utiliter. Subjungit itaque :* ut non quæ volueritis ita faciatis . Manifeſta autem ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio &c. Ad hæc eadem verba Apoſtoli adludens Johannes Chryſoſtomus *Comment. in cap.* VI *Epiſtolæ ad Galatas pag.* 721. *Hic jam mihi dicito* , inquit , *tu qui carnis accuſator es , & arbitraris hæc ob ſimultatem , & diſcordiam eſſe dicta . Sit adulterium , & ſcortatio carnis , ſecundum veſtram ſententiam : inimicitia , contentio &c. . . Nam hæc tantummodo ſunt corruptæ voluntatis , nimirum , ut cetera : quomodo igitur erunt carnis ? Videtis igitur , quod hic non loquitur de carne , ſed de terreſtri cogitatione, quæ humi ſerpit . Ideo terrorem ingerit dicens :* qui talia faciunt , regni Dei non erunt hæredes . *Quod ſi hæc eſſent naturæ malæ, non vo-*

quod ſic. Contra. Quare ergo dicit Apoſtolus Epheſ. 6. v. 12. *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem, ſed adverſus Principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ, in cæleſtibus?*

Præterea ſi illa ſunt opera carnis, ideſt corporis corruptibilis, cum Deus redditurus ſit unicuique ſecundum opera ſua; ergo & corpori corruptibili, cujus opera mala ſunt; ergo iſtud corpus reſurget, quod eſt contra Te. Si dicas quod non ſumitur pro ſubſtantia carnis; male ergo induxiſti auctoritatem ad probandum ſubſtantiam carnis malam. Dico igitur quod non ſumitur caro ibi pro ſubſtantia corporis corruptibilis, ſed pro habitatore ejus, de quo ſupra Rom. 7. v. 18. *Scio enim quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea, bonum.* Item Rom. 7. v. 22. *Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem.* 23. *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Ecce dicit legem membrorum, non ipſa membra, repugnare legi mentis. Et hæc ſunt illa duo, de quibus Apoſtolus ad Galat. 5. v. 17. ait: *Hæc enim ſibi invicem adverſantur: ut non quæcumque vultis, illa faciatis.* Item dicitur 1. Petr. 2. v. 11. *Obſecro vos tamquam advenas & peregrinos abſtinere vos a carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam.* Item Jacobi 4. v. 1. *Unde bella, lites in vobis? nonne hinc? ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris?* Ille autem dicitur concupiſcere, quia eſt cauſſa concupiſcentiarum, & eas movet.

Præterea poſito etiam quod caro ſpiritui adverſetur, numquid propter hoc a Deo malo eſt? Si dicas ſic. Contra: dicit Apoſtolus 1. Corinth. 15. v. 9. *Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei.* Ecce quod Apoſtolus Eccleſiæ Dei adverſabatur; non tamen erat a Deo malo creatus, vel factus; ergo a ſimili nec caro erit ab eo, licet adverſetur ſpiritui.

HÆR. Ad idem inducunt illud 1. Corinth. 8. v. 5. *Nam etſi ſunt qui dicantur Dii ſive in cælo, ſive in terra (ſiquidem ſunt Dii multi, & Domini multi:)* (111) Jam Apoſtolus docet plures Deos eſſe.

CATH. Solutio. Non docuit (112) Apoſtolus plures Deos eſſe, ſed unicum ſecundum ſe, quod patet, quia prius dixerat 4. *Scimus quia nihil eſt idolum in mundo, & quod nullus eſt Deus, niſi unus.* Item poſt auctoritatem, quam induxiſti, ſtatim dicit: 6. *Nobis tamen unus Deus, Pater*: ideſt quoad noſtram fidem. Quod ergo dicit Apoſtolus, (113) ſic intelligimus: Nam etſi ſunt qui dicantur Dii a Gentibus ſive in cælo, ut Planetæ V. G. Saturnus, Juppiter, Mars, Mercurius, Sol, Luna, Venus; ſive in terra, ut Baal, Aſtaroth: *ſiquidem ſunt Dii multi, & Domini multi*, ſupple quoad doctrinam illorum. Et quod ita debeat intelligi patet per illud: *etſi ſunt qui dicantur Dii*; & per illud Jeremiæ 2. v. 10. *Tranſite ad inſulas Cethim; & videte: & in Cedar mittite, & conſiderate vehementer: & videte ſi factum eſt hujuſcemodi.* 11. *Si mutavit gens Deos ſuos, & certe ipſi non ſunt Dii: populus vero meus mutavit gloriam ſuam in idolum. Nobis* autem; ideſt quoad fidem noſtram, & doctrinam noſtrorum *unus eſt Deus*, ſupple *tantum*. Et quod hoc ipſum *tantum* debeat ſuppleri, patet ex jam dictis ſupra: *Nullus eſt Deus, niſi unus.* Sed, ut ibidem dicit Apoſtolus prævidens errorem tuum: 7. *non in omnibus eſt ſcientia*; ideſt fides unius Dei. Non concedimus ergo quod Diabolus, vel Satanas Deus ſit naturaliter, licet ab ignorantibus colatur ut Deus; unde 1. Corinth. 10. v. 20. *Sed quæ immolant Gentes, Dæmoniis immolant, & non Deo.* De ignorantia, quod ipſa ſit cauſſa hujus mali habetur. Ad Galat. 4. v. 8. *Tunc quidem ignorantes Deum, iis, qui natura non ſunt Dii, ſerviebatis.*

HÆR. Ad idem inducunt illud 2. Corinth. 4. v. 3. *Quod ſi etiam opertum eſt evangelium noſtrum: in iis,* (114) *qui pereunt, eſt opertum*: 4. *imo quibus Deus hujus ſæculi excæcavit mentes Infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei.* Sunt ergo plures Dii: unus hujus ſæculi, & alter alterius ſæculi.

Præterea videtur quod hic fiat mentio de duobus Diis: de uno cum dicitur: *Deus hujus ſæculi excæcavit mentes Infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti*: de alio, cum dicitur: *qui eſt imago Dei.*

Præterea ad Coloſſenſ. 1. v. 15. dicitur: *Qui eſt* (115) *imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis crea-*

voluntatis pravæ, ſuperflue dixiſſet faciunt; ſed patiuntur. Cur etiam a regno cælorum excidunt? Neque enim ad ea quæ ſunt naturæ, ſed ad ea quæ ſunt voluntatis, pertinent vel coronæ vel ſupplicia. Hinc autem colligere facile poterit Lector, verſu etiam 19. *cap. v. Ep. ad Galatas* abuſos fuiſſe veteres Manichæos, qui Chryſoſtomi tempore vexabant Eccleſiam.

(111) Ex Marcionis penu hoc quoque argumentum depromtum eſt. Vide Tertullian. *lib. v. contra Marcionem cap. VII. pag. 469.*

(112) Præclare ſane Tertullianus *lib. v. contra Marcionem capit. VII. pag. 469. Sed* & ſi ſunt, qui dicuntur Dei ſive in cælo, ſive in terris; *apparet quomodo dixerit, non quaſi vere ſint, qui dicantur quando non ſint; de idolis, enim cœpit, de idolothytis diſputaturus*: Scimus quod idolum nihil ſit &c.

(113) *Quia dixit, nullum eſſe idolum, & nullum Deum alium; erantque tamen idola, & erant, qui Dii vocabantur; ut revera ſunt, neque tamen ſunt; ſed dicuntur; non in re; ſed in verbo hoc habentes*: ſive in cælo, ſive in terra; *in cælo dicens Solem, & Lunam, & reliquum aſtrorum chorum; nam hæc etiam adorabant gentiles; in terra dæmones, & eos ex hominibus, qui in Deos relati ſunt.* Johannes Chryſoſtomus *Homil. XX. in I. Ep. ad Corinth. n. 3. pag. 172. Tom. X. Opp.* Adi-ſis Origenem *lib. IV. contra Celſum n. 19. pag. 522. Tom. I. Opp.* Theodoretum *Comment. in cap. VIII. Ep. I. ad Corinth. pag. 158. Tom. III. Opp.*

(114) *Quid ſibi vult illud*: Deus hujus ſæculi? *Qui Marcionis morbo laborant, de rerum opifice juſto quidem illo, ſed non item bono, hæc dicta eſſe contenduut: Manichæi autem his verbis Diabolum ſignificari aſſerunt: hinc nimirum alium rerum conditarum effectorem, præter eum, qui vere eſt, perquam ſtolide inducere cupientes.* Johannes Chryſoſtomus *Homil. VIII. in II. Epiſt. ad Corinth. num. 2. pag. 493. Tom. X. Opp.* Atque hoc quidem palmare erat Gnoſticorum, Manichæorumque argumentum. Nam Patres omnes, qui data opera utroſque refellere ſunt aggreſſi, hoc telum depellere imprimis ſtudent, perinde quaſi in eo ſui utrique ſyſtematis proram atque puppim locaverint. Conſuluntor Tertullianus *lib. v. contra Marcionem cap. XI. pag. 475.* Pſeudo-Origenes *in Dialogo de recta iu Deum fidem Sect. v. pag. 871. Tom. I. Opp. Orig.* Cyrillus Hieroſolymitanus *Catech. VI. num. 28. pag. 105.* Epiphanius *Hæreſ. LXVI. num. 66. pag. 680.* Auguſtinus *lib. XXI. contra Fauſtum cap. I. col. 351. & lib. II. contra Adverſarium legis, & Prophetar. cap. VII. num. 28. col. 596. & in Actis cum Felice Manichæo cap. II. col. 487.*

(115) E Marcionis & Gnoſticorum Schola hoc etiam eſt. Tertullianus *lib. v. contra Marc. cap. XIX. pag. 484. Inviſibilis Dei imaginem* [Marcion] *dicit Chriſtum. Sed nos enim inviſibilem dicimus Patrem Chriſti, ſcientes filium ſemper retro viſum, ſi quibus viſus eſt in Dei nomine, ut imaginem ipſius: ne quam & hinc differentiam ſcindat Dei viſibilis, & inviſibilis.*

creaturæ. Quare invisibilis? ad differentiam alterius, qui est visibilis, scilicet Deus Veteris Testamenti.

CATH. Solutio. Malum argumentum (116) fecisti. *Deus hujus sæculi &c.* ergo sunt plures Dii: immo unus & hujus sæculi, & omnium: Deus autem sumtus pro Deo, qui salvaturus est sanctos. Sive legatur ita litera: *Deus hujus sæculi excæcavit mentes Infidelium*: sive sic: *Deus excæcavit mentes Infidelium hujus sæculi*.

Si dicas non est bonus, Deus qui excæcat; Contra: Joann.9. v.39. *In judicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident videant, & qui vident cæcissant*. Item Joann. 12. v.40. *Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum: ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & sanem eos*. 41. *Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus est de eo*. Item Rom. 11. v.7. *cæteri vero excæcati sunt*: supple, a Deo; unde statim sequitur 8. *Dedit illis Deus spiritum compunctionis: oculos ut non videant, & aures ut non audiant usque in hodiernum diem*. Quod autem iste sit Deus sanctus patet ex sequenti testimonio: *Fiat mensa eorum in laqueum: & in captionem, & in scandalum, & in retributionem illis. Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurva*. Quæ sunt verba Christi ad Patrem, ut patet in illo psalmo 68. *Salvum me fac*, ubi & alia verba Christi ad Patrem posita sunt.

Præterea post illa verba statim subdit Apostolus 6. *Quoniam Deus, qui dixit de tenebris*, idest post eas, *lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu*. Constat quod idem est Deus Veteris Testamenti, qui fecit sæculum. Hebræor. 11. v.3. *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent*. Item Actor.28. v.27. *Incrassatum est enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos suos comprehenderunt: ne forte videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & sanem eos*. Item 2.Thess. 2. v. 10. *Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio*.

Præterea posito quod Deus hujus sæculi (117) dicatur ibi Diabolus: non tamen dicitur Deus hujus sæculi creatione, sed veneratione, & obedientia, quam exhibet ei sæculum, ac si esset Deus. Sæculum dico sæculares; Unde Rom.12. v.2. *Nolite conformari huic sæculo*; idest hominibus sæcularibus.

Præterea secundum hoc ostendam Tibi tuum Dominum. Quare Philippens.3. v.19. dicitur: *quorum Deus venter est*? Sed numquid venter Deus est creatione? certe non. Sed Gulosi, & Luxuriosi eum venerantur, & serviunt, & obediunt ejus appetitui velut Deo: Rom.16. v.18. *Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri*.

Ad aliud dico quod non sit ibi mentio de duobus Diis, sed de uno utrobique, ut patet per primam solutionem. Si autem volumus tenere secundam, dico, quod sit ibi mentio de duobus Diis: de uno scilicet, qui est Deus non creatione, sed ut supra tactum est; de alio autem, qui est Deus natura & creatione, cujus imago est Christus; qui etiam dicitur invisibilis ad differentiam Dei visibilis; idest Idoli, qui dicitur Deus non rei veritate, sed hominum opinione. Jeremiæ 2. v.10. *Transite ad insulas Cethim, & videte: & in Cedar mittite, & considerate vehementer: & videte si factum est hujuscemodi*: 11. *Si mutavit gens Deos suos, & certe ipsi non sunt Dii: populus vero meus mutavit gloriam suam in Idolum*. Igitur non dicitur invisibilis ad differentiam Dei Veteris Testamenti; ille enim visibilis non est, ut dicitur in prima parte cap. de Deo Veteris Testamenti in prima radice secundum illud verbum Joann. c.1 8. *Deum nemo vidit umquam*.

HÆR. Ad idem ad Galat. c.1. v.4. (118) *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam, secundum voluntatem Dei, & patris nostri*.

CATH. Solutio. Sæculum, sive (119) mundus dicitur homo vivens sæculariter. Probo. *In mundo erat, & Mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit*. Iste mundus est sæculum nequam: Rom.15. v.31. *Ut liberer ab Infidelibus, qui sunt in Judæa, & obsequii mei oblatio accepta fiat in Jerusalem sanctis*.

HÆR. Ad idem inducunt illud Ephes.2. v.3. *Eramus* (120) *natura filii iræ*: ergo natura mala. Item Filii iræ; idest Diaboli, ergo Diabolus creator. Item Rom.9. v.22. *Vasa iræ*; idest Diaboli per creationem illorum vasorum.

CATH. Solutio. Quid appellas (121) tu ibi naturam? Si naturam creationis, ut sit sensus: eramus na-

(116) Eodem recidunt responsa adhibita ab Irenæo *lib.* IV. *contra Hæreses cap.* XXIX. *al.* XLVIII. *pag.* 266. *seq.* & ab aliis, quos supra notatione 109. numeravi.

(117) *Ubi miser* [Adversarius Legis] *Deum sæculi hujus vult intelligi malum tamquam illi servierit Moyses in Vetere Testamento, quasi hoc Apostolus dixerit. Ubi si necesse esset intelligi Deum sæculi hujus, Deum impiorum, hoc est Diabolum*: quoniam omnes Dii gentium Dæmonia, *& utique multo maxime princeps dæmoniorum: non mirum esset, quandoquidem quorumdam Deus etiam venter est dictus: ait enim Apostolus*, quorum Deus venter est; *nec ideo Deus venter est. Ita si potest dici Deus hujus sæculi Diabolus, non ideo Diabolus Deus est, quia nec Dæmonia sunt Dii, quamvis Dii gentium sunt Dæmonia*. S. August. *lib.* II. *contra Adversarium Legis, & Prophetarum cap.* VII. *num.* 28. *col.* 506.

(118) Carpit in hunc eumdem Apostoli locum Manichæos Johannes Chrysostomus; & *hoc dictum*, inquit, *alii arripiunt hæretici, damnantes hanc præsentem vitam, & in hoc Pauli testimonium allegantes*: *Commentar. in cap.* I. *Ep. ad Gal. n.* 4. *pag.* 663. *Tom.* X. *Opp.* Clarius aliquanto Theodoretus: *Nequam sæculum*, inquit, *vocavit, non elementa, ut sensit stupidus Manichæus; sed præsentem vitam . . . in qua locum habet peccatum*. *Comment. in c.* I. *Ep. ad Gal. pag.* 264. *Tom.* III. *Opp.* Hinc porro Manes concludebat malum esse mundi hujus sub aspectum cadentis principium, quod ejus opera natura sint mala.

(119) Vide-sis responsum Chrysostomi loco mox indicato. *pag.* 664. seculi enim nomine pravas actiones, corruptumque animi propositum intelligi oportere defendit. Eodem spectat Theodoreti interpretatio.

(120) Hoc etiam testimonium in suum intorquebant sensum Marcionitæ, ut colligo ex Tertulliano *lib.* V. *Adv. Marc. cap.* XVII. Immo vero ne Manichæi quidem ab hoc testimonio in suam rem afferendo abstinuerunt, ut liquet ex disputatione Augustini cum Fortunato Manichæorum presbytero *Disp.* 1. *n.* 16. *col.* 98. & *nu.* 17. *col.* 100. *Tom.* VIII. *Opp. S. Augustini*. Atque τὸ *natura* ex Manichæorum falsa interpretatione acceptum, Augustino exprobrabat per summam impudentiam Julianus Pelagianus *apud Aug. lib.* II. *Operis Imperfecti contra Jul. cap.* CCXXVIII. *col.* 1048.

(121) *Respondeant Hæretici, qui diversas naturas esse contendunt, quomodo Paulus, quem utique spiritualis naturæ esse non dubium est, fuerit natura filius iræ &c. S. Hieron. lib.* 1. *Commentar. in cap.* II. *Ep. ad Ephesios col.* 339. *Tom.* IV. *Opp. P.* I. *Edit. Paris. an.* 1076.

natura creationis filii iræ; male ergo erat Paulo, & aliis, de quibus hoc dicebat; ſi enim erant a Diabolo creati, naturaliter ergo non poterant ſalvari. Si dicas quod iſtud dicebat Paulus de ſe, & illis ſecundum corpus, quare ergo dixit eramus? Immo debuit dicere: ſumus, quia adhuc erant ſecundum te, ſi natura creationis non mutatur.

Præterea numquid ira eſt Diabolus? ſi ſic. Quomodo ergo ſtabit illud Apocalyp. 6. v. 15. *Et reges terræ, & principes, & tribuni, & divites, & fortes, & omnis ſervus, & liber abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in petris montium*. 16. *Et dicunt montibus, & petris: Cadite ſuper nos a facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira Agni*: 17. *Quoniam venit dies magnus iræ ipſorum: & quis poterit ſtare?* Item illud Rom. Primo v. 18. *Revelatur enim ira Dei de cælo, ſuper omnem impietatem, & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent?* Præterea ira non eſt Diabolus, ſed Diabolus habet iram: Apocalypſ. 12. v. 12. *Væ terræ, & mari, quia deſcendit Diabolus ad vos habens iram magnam, ſciens quod modicum tempus habet.*

Dico ergo quod natura ibi ſumitur (122) pro nativitate in utero, vel ex utero, derivatur enim a naſcor, & eſt ſenſus: *natura filii iræ*; ideſt a nativitate propter peccatum primorum Parentum, de quo Rom. 5. v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit.*

Præterea ad hoc valet, quod ſupra notatum eſt, ubi poſita eſt auctoritas libri Sapientiæ 12. v. 10. *Nequam eſt natio eorum, & naturalis malitia ipſorum &c.*

Ad illud, quod objicitur de ira, dico quod ſumitur pro vindicta, cum dicitur: *eramus natura filii iræ*, & cum dicitur: *vaſa iræ*, ſicut & Rom. 1. v. 18. *Revelatur enim ira Dei de cælo &c.*

HÆR. Ad idem inducunt Epheſ. 4. v. 22. *Deponere* (123) *vos ſecundum priſtinam converſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris*. 23. *Renovamini autem ſpiritu mentis veſtræ*: 24. *Et induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis*. Et illud Coloſs. 3. v. 9. *Nolite mentiri* (124) *invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis*. 10. *Et induentes novum eum, qui renovatur in agnitionem, ſecundum imaginem ejus, qui creavit illum*. Ecce quomodo diſtinguit Apoſtolus inter novum hominem, & veterem hominem, dicens novum a Deo creatum, quod non dicit de veteri, immo contrarium innuit; ergo vetus homo non eſt a Deo, ſcilicet corpus.

CATH. ℟. Numquid vetus dicitur ibi corpus? Si dicas non. Quare ergo introducis hoc teſtimonium, cum non faciat pro te ad hoc ut probes, quod corpus non ſit a Deo creatum, vel factum. Si dicas ſic. Unde habes hoc? Proba quod dicis: monſtra aliquod teſtimonium.

Præterea: Ergo debemus occidere (125) ipſum corpus, ſi debemus ipſum deponere, & expoliare? Dico ergo quod vetus homo non dicitur ibi corpus, ſed congeries peccatorum, cujus membra ſunt ſingula peccata; unde ante illa verba: *Expoliantes &c.* dicit Apoſtolus 5. *Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſervitus.* Et hoc eſt, quod dicit: *expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis*, qui ſunt ejus membra. Unde Rom. 6. v. 6. *Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati; ideſt peccatorum congeries.*

Secundum hoc novus homo eſt congeries bonorum operum, bona ſcilicet converſatio, cujus membra ſunt bona opera, quorum creationem intellexit creationem novi hominis; unde Epheſ. 2. v. 10. *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis*. Matth. 6. v. 22. *Si oculus tuus fuerit ſimplex: totum corpus tuum lucidum erit*. Et loquitur ibi de utroque corpore. Vel vetus homo, Adam intelligitur, cujus ſimilitudinem debemus exuere: novus Chriſtus, quem debemus induere; Ad Galat. 3. v. 27. *Quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*: Item Rom. 13. v. 14. *Induimini Dominum Jeſum Chriſtum*; ideſt ejus ſimi-

(122) Auguſtinus *libro* IV. *Operis Imperfecti contra Julianum cap.* CXXIII. *col.* 1210. *Tom.* X. *P.* II. *Abſit*, inquit, *ut cum creatoris dicatur injuria naturaliter eſſe homines iræ filios: ſicut ſine ulla ejus injuria quiſque dicitur naturaliter cæcus &c. Scimus non vitia, ſed naturas eſſe tribuendas conditori Deo .... De homine agitur, ... cujus natura nullo modo Diaboli ludibrium fieret, quem* (Diabolum) *recte credimus auctorem eſſe vitiorum, niſi per juſtum Dei judicium, propter originale peccatum.* Et *lib.* II. *de Peccatorum meritis, & remiſſione cap.* XI. *col.* 48. *Tom.* X. *P.* I. *ſicut dicit Apoſtolus*, inquit, *naturaliter, hoc eſt originaliter iræ filii*. Falſus erat autem Julianus qui ex Græco *prorſus filii iræ*; non *natura filii iræ* dici oportere pugnabat, id quod ridiculum plane eſt, atque indignum homine ſapiente. Nam etſi aliquot interpretes, auctore Hieronymo *Commentar. in Epiſt. ad Epheſ. lib.* 1. *cap. pag.* 340. *Tom.* IV. *Opp. P.* I. τὸ φύσει non *natura*, ſed *prorſus* verterint, cum vox φύσις ambigua ſit, compertum tamen eſt τὸ *prorſus*, & τὸ *natura* eodem recidere, vetereſque latinos Patres, qui in Græcis verſati erant τὸ φύσει in *natura* vertiſſe. *Vide Tertullianum lib.* V. *contra Marcionem cap.* XVII. *& lib. de Anima cap.* XVI. Hieronymum, & Auguſtinum *ll. cc.* nam ceteros recenſere non vacat.

(123) Tertullianus *lib. de Reſurrectione Carnis cap.* XLV. *pag.* 352. Gnoſticos ludibrio exponens: *ſed & rurſus*, inquit, *alia cæcitate in duos homines impingunt; in veterem, & in novum: Monente Apoſtolo*, deponere nos veterem hominem, *qui corrumpitur per concupiſcentiam ſeductionis*, renovari autem ſpiritu ſenſus, & induere novum hominem, qui ſecundum Deum conditus eſt in juſtitia, & *religione veritatis, ut & hic ad duas ſubſtantias, diſtinguendo, vetuſtatem ad carnem, nativitatem ad animam*. Viden ut hoc Gnoſticorum ita ſit Catharorum argumento ſimile, ut nihil eſſe poſſit ſimilius?

(124) Non inepte poſſet quiſquam ex *lib.* V. *S. Irenæi Contra Hæreſes cap.* XII. *n.* 3. *pag.* 307. colligere Gnoſticos hoc etiam teſtimonio fuiſſe abuſos. Quin etiam a Manichæis quoque adhibitum fuiſſe indicat Johannes Chryſoſtomus *Homil.* VIII. *in cap.* III. *Ep. ad Coloſſ. pag.* 381. *Tom.* XI. *Opp.*

(125) *Deponentes non plaſma Dei, ſed concupiſcentias carnis, & aſſumentes Spiritum Sanctum, ſicut Apoſtolus, in ea quæ eſt ad coloſſenſes ait*: Mortificate itaque membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram. *Quæ ſunt autem hæc ipſe expoſuit*: Fornicationem, immunditiam, paſſionem &c. *Horum depoſitionem Apoſtolus preconatur, & eos qui talia operantur, velut carnem, & ſanguinem tantum exiſtentes, non poſſe ait regnum cælorum poſſidere. Anima enim ipſorum declinans in pejus, & in terrenas concupiſcentias deſcendens, ejuſdem, cujus & illa ſunt, participavit appellationis: quæ deponere nos jubens, ait rurſus in eadem Epiſtola*: Expoliantes vos veterem hominem cum operibus ſuis: *Hoc autem dicebat, non veterem amovens plaſmationem alioquin oportebat noſmetipſos interficientes, ſeparari ab ea, quæ eſt iſthic converſatione*. S. Ireneus *lib.* V. *cap.* XII. *n.* 3. *pag.* 307. Quæ autem addit reſponſa ſimilia plane ſunt eorum, quæ *l. c.* adhibet Johannes Chryſoſtomus, quem conſuli volo.

militudinem, & exemplum, qui fuit obediens Patri uſque ad mortem Philippenſ. 2. v. 8., & non ejus ſimilitudinem, qui fuit inobediens. Rom. 5. v. 19. Hoc ſecundum patet 1. Corinth. 15. v. 49. *Igitur, ſicut portavimus imaginem terreni: portemus & imaginem cæleſtis.*

Ad id, quod objicitur de Epiſtola ad Epheſ. poteſt aliter reſponderi, ut oſtendatur quod unus, & idem homo ſecundum ſpeciem humanitatis eſt novus uno tempore, & alio vetus; ſic enim dicitur: *renovamini*: ergo inveterati erant prius, quod verum eſt; unde David pſalm. 6. v. 8. *Inveteravi inter omnes inimicos meos.* Item Baruch 3. v. 10. *Quid eſt Iſrael quod in terra inimicorum es?* 11. *Inveteraſti in terra aliena*: Numquid Iſrael a Deo malo creatus erat, cum eſſet vetus? certe non. Non ergo vetus homo a Diabolo eſt in quantum homo, licet in quantum vetus ab eo ſit.

HÆR. Ad idem inducunt 1. Petr. 4. v. 19. *Neque & hi,* (126) *qui patiuntur ſecundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas ſuas in benefactis.* Hic objicit Hæreticus dicens: vide quia Petrus dixit: *fideli Creatori*. Quod non diceret, niſi eſſet alius Creator infidelis, ad cujus differentiam ille dicitur fidelis; & ita duo ſunt Creatores.

CATH. Solutio. Cum dicitur: *fideli creatori commendent animas ſuas in benefactis*: adjectivum non ponitur ad notandam differentiam Creatoris fidelis ab Infideli, ſed ad majorem commendationem. Similiter habetur Rom. 12. v. 2. *Ut probetis quæ ſit voluntas Dei bona*: ergo aliqua voluntas Dei mala eſt? Sicut ergo non prædicatur voluntas Dei bona ad differentiam malæ voluntatis, quæ nulla eſt, ita nec ibi dicitur fidelis Creator ad differentiam Infidelis.

HÆR. Ad idem inducunt illud 2. Petr. 2. v. 12. *Hi vero velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem, & in perniciem in his, quæ ignorant blaſphemantes in corruptione ſua peribunt.* Sic procedit Hæreticus. Conſtat quod ibi ſubintelligitur: tendunt; ergo ſenſus eſt: hi naturaliter tendunt in captionem, & in perniciem; ſi naturaliter ergo natura mala, ergo a malo Creatore. Solutio. Verum eſt quod ſubintelligitur: *tendunt*: Sed non eſt ſenſus hi naturaliter tendunt in corruptionem, & in perniciem: immo ſenſus eſt: hi peribunt in his peccatis, hi dico blaſphemantes quæ ignorant; ideſt myſteria Eccleſiæ. Et quare blaſphemant? *In corruptione ſua*; ideſt propter corruptum ſenſum, peribunt dico ſicut pecora irrationabilia naturaliter, ideſt naturali appetitu cibi tendunt in captionem, & perditionem. Unde hoc ipſum naturaliter non ad hominem pertinet, ſed ad uſum eorum pecorum.

Præterea poſito quod pertineat ad hominem, ut intelligatur ſic: naturaliter hi homines tendunt in captionem &c. quod tamen non eſt verum.

CATH. ℟. Ibi naturaliter, ideſt a natura eo modo quo dictum eſt ſupra ad illud Sap. 12. *Naturalis malitia ipſorum.* Item ſuper illud Epheſ. 2. *Eramus natura filii iræ.*

HÆR. Ad idem inducunt illud 1. Johan. 2. v. 15. *Nolite* (127) *diligere mundum: neque ea, quæ in mundo ſunt.* Ex quo patet mundum, & ea, quæ in mundo ſunt mala eſſe; alioquin non præciperet Dominus, vel ejus Apoſtolus ea non diligi.

CATH. Solutio. Quid appellas Tu mundum? Si dicas regionem mundanam: dico nonne proximi tui, ideſt amici, & inimici in eo ſunt? Conſtat quod ſic. Igitur non debes eos diligere, cum dicat: *neque ea, quæ in mundo ſunt*. Quare ergo dicit Dominus: *diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos* Matth. 5. v. 44.?

Dico ergo, quod mundus non dicitur regio iſta mundana, ſed homo deditus iſtis rebus mundanis, & plus eas diligens, quam Deum. Similiter ea, quæ in mundo ſunt non dicuntur ibi creaturæ iſtæ, ſed ea, quæ nominat ibi, cum ait 16. *Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt; ideſt homine mundano.*

Præterea poſito etiam quod mundus intelligatur regio mundana inferior, & ea, quæ in ipſo ſunt, ſcilicet ipſæ creaturæ, intelligendum eſt ſic: *Nolite diligere mundum: neque ea, quæ in mundo ſunt* pluſquam me; unde Matth. 10. v. 37. *Qui amat patrem, aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus.* Item 2. Timoth. 3. v. 4. *Voluptatum amatores magis, quam Dei.*

Præterea ego video quod amare ſe ipſum ſumitur quandoque in mala parte; unde 2. Timoth. 3. v. 2. *Erunt homines ſeipſos amantes*; quandoque in bona, unde dicitur Matth. 22. v. 39. *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Sicut ergo poſſum te amare bene, & male, ita & mundum, & carnem; *nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit*; ut dicitur Epheſ. 5. v. 29. Ex hoc patet ſolutio hujus quæſtionis. Si mundus bonus eſt, & creatura Dei, vel factura ejus, quare prohibuit ipſum diligere? Non enim ipſum diligere prohibet, ſed pluſquam ſe. Nonne Deus ipſum diligit? utique. Joann. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.*

Præterea ergo quæro ex incidenti quid tu appellas concupiſcentiam? Si dicas deſiderium cujuſcumque rei terrenæ ſecundum hoc probo Tibi quod Tu es

(126) Ab his teſtimoniis afferendis ſuperſederunt Gnoſtici, veteres, quippe qui Petri utramque Epiſtolam in canonicis minime ponerent. Idque jam animadvertit Beauſobrius *lib.* IV. *Hiſt. Manich. cap.* VII. *pag.* 103. *Tom.* II. De Manichæis autem veteribus non eſt manifeſtum. Fateor equidem Auguſtinum *lib.* XXII. *Contra Fauſtum cap.* XIV. quo loco Manichæis *v.* 17. & 18. *cap.* IV. *Ep.* I. *S. Petri* opponit, hæc habere: *Nonne & ipſi Manichæi ea defendenda ſuſciperent.* Verum hinc colligi haudquaquam poteſt huic generi hæreticorum probatam fuiſſe eamdem ipſam Petri Epiſtolam. Nam quod ait Beauſobrius, laudari eam ab Auguſtino, idque indicio eſſe, acceptam fuiſſe Fauſto, id ſane ridiculum eſt. Citat enim eodem ipſo in loco S. Doctor Apocalypſim, quam tamen Beauſobrius nullo argumento oſtendi poſſe arbitratur; Manichæis fuiſſe probatam. Verba autem Auguſtini, quæ hac eadem notatione laudavi, non in epiſtolam Petri cadunt, ut oſcitanter Beauſobrius cenſuit *Parte* II. *lib.* I. *cap.* V. *n.* I. *Hiſt. Manich.*; ſed in ea quæ teſtamento vetere continentur. Sic enim habet: *ſi Paganus in novo teſtamento talia reprehenderet, qualia iſti reprehendunt in vetere, non ne & ipſi ea defendenda ſuſciperent.* Itaque concludam paucis neceſſe eſt, non conſtare, utrum ne canonicis libris priorem, & 2. Petri Epiſtolam accenſuerint veteres Manichæi.

(127) Idem ſenſerunt Gnoſtici, & Manichæi de priore Johannis Epiſtola, quod de 1. Petri. Vide Not. ſuperiorem. Itaque mirum non eſt ſi eam non citarunt in rem ſuam.

es in perditione, quoniam desideras res terrenas, quia pro illis habendis laboras, & habitas conservas. Si dicas desiderium rei alienæ, cuncedo. Sed non propter hoc sequitur quod res mundi malæ sint, quia male desideras quæ non debes. Si dicas desiderium rei propriæ, probo quod tu es in malo statu, quia desiderium habes de rebus propriis conservandis. Forte dices te sumere desiderium rei propriæ pro desiderio male utente re propria; secundum hoc non est vitium in re, sed in male utente ea. Similiter quæro quid dicis Tu concupiscentiam carnis? Si luxuriam, vel gulositatem, concedo; sed secundum hoc non est vitium ex parte rei, sed ex parte utentis re indebito modo, scilicet ad voluptatem, & delitias, non ad necessitatem. Si dicas, quod appellas concupiscentiam desiderium cujuscumque rei carnalis: contra. Nonne tu desideras cibum carnalem, quando tu esuris? Constat quod sic; nec tamen propter hoc dicis te damnabilem. Relinquitur ergo quod mundus, & res mundi in se bonæ sint, licet quandoque sint malæ utentibus male: quod est non ex vitio rei, sed hominis male utentis. Constat igitur ex his, quod cum dicitur: *Nolite diligere mundum &c.* ibi sumitur mundus pro homine mundano; sicut & illud 1. Joann. 5. v. 19. *Mundus totus in maligno positus est*; & est sensus: *nolite diligere mundum*; idest hominem mundanum in quantum talis est, *quoniam omne quod est in mundo &c.* Hoc est, quod habetur Lucæ 14. v. 16. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos &c.* ubi ait de tribus hominibus a cœna se excusantibus.

HÆR. Ad idem inducunt illud 1. Joann. 3. v. 8. *Qui facit peccatum ex Diabolo est*; & ibidem dicitur 9. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit*: ergo qui peccat non est natus ex Deo, igitur ex Diabolo; & ita Diabolus creator, vel factor.

CATH. ℟. Numquid omnis, qui peccat, ex Diabolo est per creationem? Si dicas quod sic. Ergo oves Israel, quæ peccaverunt, a Diabolo fuerunt creatæ. Quod autem peccaverint dicitur Rom. 3. v. 23. *Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei.* Dico ergo quod ille, qui facit peccatum, ex Diabolo est per imitationem exemplo Diaboli, qui primus peccavit. Quæ solutio patet ex eo, quod subdit Joannes: *Quoniam ab initio Diabolus peccat.* Sap. 2. v. 25. *Imitantur autem illum qui sunt ex parte illius*; idest qui peccant. Hoc idem habitum est supra, ubi tractatum est illud verbum Joan. 8. v. 44. *Vos ex Patre Diabolo estis; & desideria Patris vestri vultis facere.*

Ad illud, quod dicitur: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit*, dico sic. Numquid intelligitur de nativitate creationis? Si sic; quomodo ergo peccaverunt oves Israel? Dico ergo, quod de nativitate gratiæ intelligitur, de qua nativitate locuti sumus supra ad illud Joann. 1. v. 12. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri &c.* & dico quod sic est intelligenda auctoritas: omnis qui natus est ex Deo nativitate gratiæ manens talis non peccat; unde non dixit: non peccavit, sed non peccat, & non potest peccare manens in tali nativitate. Et quod ita debeat intelligi patet 1. Joann. 3. v. 6. *Omnis, qui in eo manet, non peccat*: quarto autem cap. docuit quis in eo maneat, ubi ait 16. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Hæc charitas est illa generatio, de qua dicit Joann. post illam auctoritatem: *Omnis, qui natus est &c. quia generatio Dei custodit illum*; unde Eccles. 3. v. 1. *Filii sapientiæ, Ecclesiæ justorum: & natio illorum, obedientia, & dilectio.*

HÆR. Ad idem inducunt illud Joann. 8. v. 23., ubi dicit Christus quibusdam: (128) *Ego de supernis sum. Vos de Mundo hoc estis, Ego non sum de hoc Mundo.* Sic ergo sunt duæ creationes, una de supernis, & una de hoc Mundo, ergo duo Creatores.

CATH. ℟. Numquid sic intelligendum est quod de Mundo sint per creationem malam? Si dicas, quod sic. Contra: quare ergo dixit eis ibidem Jesus: *si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro?* Sic enim patet quod si ei crederent, non morerentur in eo. Dico ergo quod de Mundo dicuntur per amorem nimium, quo diligunt res Mundi plus quam Deum; & ideo Mundum loquuntur: *Qui* enim *est de terra, de terra est, & de terra loquitur* Joann. 3. v. 31.

HÆR. Ad idem illud inducunt 1. Joann. 5. v. 19. *Mundus totus in maligno positus est*; (129) ergo solus Diabolus est omnipotens in hoc Mundo; & ita creator ejus.

CATH. Solutio. Si in eo positus est, (130) ergo ipse non est creator ejus. Simile Lucæ 4. v. 6. *Quia mihi tradita sunt.* Dico ergo quod ibi dicitur mundus homo Mundanus, qui totus, idest secundum animam, & corpus positus est a seipso in potestate Maligni, secundum animam quoad voluntatem, secundum corpus quoad operationem. Ita etiam sumitur Mundus ibi: *Mundus eum non cognovit*; non enim sumitur pro lapidibus. Item 1. Joann. 2. v. 15. *Nolite diligere mundum &c.* Dicitur etiam Mundus regio mundana; unde *in Mundo erat, & Mundus per ipsum factus est* Joann. 1. v. 10. Item Joann. 16. v. 28. *Exivi a Patre, & veni in Mundum.* Item quandoque dicitur Mundus Ecclesia Electorum; unde Joann. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit Mundum.* Item Joann. 3. v. 17. *Non enim misit Deus Filium suum in Mundum, ut judicet Mundum, sed ut salvetur Mundus per ipsum.* Item 1. Joann. 2. v. 1. *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum &c.* Item 1. Corinth. 5. v. 19. *Deus erat in Chri-*

(128) Hoc testimonio utitur Faustus, ut Christi genealogiam evertat; ne cogatur carnem Servatoris ponere, quam malam esse putabat, & a malo principio profectam. *Apud Aug. lib.* VI. *cap.* I. *col.* 211. *Tom.* VIII. *Opp.* Sed Johannes Chrysostomus *Homil.* LIII. *al.* LII. *in Johan. pag.* 310. *Tom.* VIII. *Opp.* plane indicat a Manichæis veteribus adhibitam fuisse hanc Evangelii Johannis pericopen. Sic enim ait: Vos de hoc mundo estis: *Hic rursum mundanas carnalesque cogitationes dicit. Unde palam est illud,* ego non sum de hoc mundo, *non significare ipsum non accepisse carnem, sed procul esse ab illorum nequitia* (Pharisæorum) *Etenim discipulos ex mundo non esse dicit; habebant tamen illi carnem.*

(129) Manes in Disputatione cum Archelao (vetere quidem illa, sed de qua Beausobrius vehementer dubitat vera ne sit, ac genuina, nec ne) hoc Johannis testimonio impudenter abutitur, *n.* XIV. *pag.* 26.

(130) Vide Origenem *lib.* I. *Periarchon. cap.* V. *pag.* 68. *Tom.* I. *Opp.* quo loco ita fere, ut noster, Johannis hoc *ῥητὸν* explicat. Nempe homines scelestos in hoc terrestri globo degentes, mundi nomine indicari putat.

Christo Mundum reconcilians sibi, *non reputans illis delicta ipsorum*, *& posuit in nobis verbum reconciliationis*.

HÆR. Ad idem inducunt illud Actor 7.v.43. *Suscepistis tabernaculum Moloch*, *& sidus Dei vestri Rempham*. Ecce quod Rempham Deus illorum erat, ergo plures Dii.

CATH. Solutio. Rempham non (131) est Deus, sed ab illis idololatris Judæis colebatur ut Deus; & est nomen idoli, sicut & Moloch; unde statim subditur: *figuras*, *quas fecistis*, *adorare eas*. Ecce patet quod figuræ erant Moloch, & Rempham, idest idola.

HÆR. Ad idem illud Ephes. 2. 1. *Cum essetis mortui* (132) *delictis*, *& peccatis vestris*, 2.*in quibus aliquando ambulastis secundum sæculum mundi hujus*, *secundum principem potestatis aeris hujus*. Apostolus notat istos peccasse, quia ambularunt secundum sæculum hujus Mundi; quod non faceret, si sæculum istud a bono Deo esset.

Præterea dicit quod Princeps malignus habet potestatem aeris hujus, ex quo videtur & aliarum partium hujus mundi; sic igitur videtur quod ab eo sit.

CATH. Solutio. Nomine sæculi, (133) vel Mundi intelliguntur illi, qui mundane vivunt, quorum Princeps est, & eorum habet potestatem. Et quia Ephesii aliquando ambulaverant ut hi, & eis conformes fuerant contra illud. Rom.12. v. 2. *Nolite conformari huic sæculo*; idest notat eos in hoc fuisse malos. Et Tales, in quantum sunt viventes sæculariter, a Deo non sunt, immo ex Patre Diabolo per imitationem. Et licet Diabolus sit habens potestatem hujus aeris, non tamen quia eum creaverit, vel fecerit, sed permissione Dei omnipotentis; sicut patet, quia in porcos ire non poterant Dæmones, nisi Jesus ei concessisset, ut patet Matth. 8. v. 31. 32. Marci 5.v.11. Luc. 8. v. 31. Unde patet quod nihil possit in corporibus hominum, vel porcorum, nisi Deo permittente. Unde patet quod ista visibilia non sunt de dominio Dæmonis, sed Christi.

HÆR. Ad idem illud Hebræor. 7.v.3. de Melchisedech (134) Sacerdote, qui fuit *sine patre*, *sine matre*, *sine genealogia*, *neque initium dierum*, *neque finem vitæ habens*. Si ista vera sunt, ergo Melchisedech non habuit principium. Ergo fuit unum principium per se.

CATH. ℞. Quod non dicitur sine patre, vel matre, vel genealogia esse, aut sine initio, vel sine dierum, quia ista non habuerit; sed quia Scriptura non determinat quomodo ista habuerit. Nonne vides quod Apostolus dicit, quia ipse erat *sacerdos Dei summi*? Ergo cum non esset nisi unius naturæ, oportet quod non sit, nisi Deus summus, ergo non erat unum principium per se.

Præterea nonne ibi dicit Apostolus 1. quod ipse *obviavit Abrahæ regresso a cæde Regum*, *& benedixit ei*: *cui & decimas omnium divisit Abraham*? Non ne iste Abraham bonus erat? utique, sicut probatur in secunda parte hujus operis, ubi agitur de Deo Veteris Testamenti. Non est verosimile quod benedictionem ab eo recepisset, vel quod decimas ei dedisset, si Melchisedech Deus malus fuisset, vel ejus Sacerdos, cum Abraham bonus sit; ut patet per hoc, quod dictum est supra Hebr. 6.v. 13. *Abrahæ namque promittens Deus*, *quoniam &c.*

Præterea dico quod generationem (135) habuit, quamvis dicat Apostolus quod fuerit sine genealogia. Et quod ita sit patet per id, quod dicit Apostolus ibidem 6. *Cujus*, scilicet Melchisedech, *generatio non annumeratur in eis*, *decimas sumpsit Abraham*, *& hunc*, *qui habebat repromissiones*, *benedixit*. Non enim diceret Apostolus quod sua generatio non annumeratur in eis, nisi generationem haberet. Habuit igitur eam, sed dicitur non habuisse genealogiam, quia Scriptura non annumerat eam inter Judæos: unde dicit Apostolus: *cujus generatio non annumeratur in eis*; idest inter Judæos. Similiter dicitur, quod neque initium dierum habuerit, neque finem; quia non annumeratur initium, nec finis dierum vitæ ejus: similiter neque patrem, neque matrem. Nonne vides quid dicit Apostolus: quoniam ipse erat *sacerdos Dei Summi*? Ergo erat a Deo summo, ergo Deus summus erat pater ejus, ergo non erat sine patre, nisi eo modo quo diximus.

§. III.

Quibus rationibus nituntur Hæretici ad probandum duo principia.

NON solum autem testimoniis scripturarum innituntur prædicti Hæretici, sed etiam rationibus quibusdam, quæ eis naturales, vel logicæ videntur, cum tamen sophisticæ sint.

Quod enim duo principia sint (136) volunt haberi per hoc dictum Aristotelis: *Contrariorum contraria sunt principia*; cum ergo bonum & malum sint contraria, eorum principia contraria erunt. Cum ergo bonum sit a principio, & bono Deo, malum erit a principio, idest Deo malo.

℞. Ergo quod cum dicitur: bonum (137) & malum

(131) Quamvis silentium veterum in caussa esse possit, cur quisquam neget, Acta Apostolica fuisse veteribus Gnosticis Manichæisque probata; liquet tamen ab Irenæo hoc ipsum Lucæ testimonium allatum fuisse in medium, ut Deum veteris Legis a vero summoque Deo non discrepare ostenderetur. Postquam enim illud adhibuit Lugdunensis Antistes: *manifeste*, inquit, *significat*, *quoniam non ab altero Deo talis illis data lex est*, *sed ab eodem ipso*, summo, *apta illorum servituti*.

(132) Convenit in hac re præclariter Catharis cum Gnosticis; & Manete. Nam primos quidem hoc testimonio fuisse abusos, prodit Tertullianus *lib.* v. *Contra Marcionem cap.* XVII. *pag.* 482. postremos autem Johannes Chrysostomus *Homil.* IV. *in Epist. ad Ephes. pag.* 25. *seq. Tom.* X. *Opp.* & Fortunatus Manichæus *Disp.* I. *inter ipsum & August. n.* 16. *col.* 90. *Tom.* VIII. *Opp. August.*

(133) Hoc ipsum responsum adhibent Tertullianus & Johannes Chrysostomus *ll. cc.* Theodoretus *quoq. Tomo* III. *Opp. Comment. ja. v.* 1. *cap.* II. *Epist. ad Ephæsios. pag.* 198.

(134) Novum hoc est Catharorum monstrum. Nam Hierax, qui a Manete acceperat disciplinam, eamque deinde paullo reddidit mitiorem, Melchisedechum non malum principium, ut Cathari; sed Spiritum Sanctum esse putabat. *Vide Epiph. Hæres.* LXVII. *n.* III. Melchesedechiani hæretici sanctum hunc virum, & Sacerdotem virtutem quamdam Christo superiorem esse arbitrabantur. *Epiph. Hæres.* LV. *n.* 1. *seqq.*

(135) Consulendi Daniel Heinsius *Exercitat. Sacr. in Nov. Test. ad Hebræorum cap.* IV. *pag.* 564. *seqq. Edit. an.* 1639. & Calmetium *Dissert. Præfixa Commentar. in Epist. ad Hebræos*.

(136) Vide S. Thomam I. *P. Q.* XLIX. *Art.* III. *ad* I. *Arg.*

(137) Sapienter quidem Titus Bostrensis *lib.* II. Contra Manichæos *pag.* 94. *Tom.* I. *Ant. Lect. Canisii*: *Quærunt*, inquit, Ma-

lum ſunt contraria, ſumitur ibi bonum morale, & malum morale. Et hiſce ergo, ſive moraliter contraria ſunt, ut boni mores, & mali mores; talium autem contrariorum idem eſt principium, ſcilicet liberum arbitrium ſecundum Philoſophum.

Item ſecundum Chriſtum, qui de corde ponit exire bonum & malum, unde Lucæ 6. v.45. *Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bonum*: ideſt de corde bono tamquam de theſauro, *& malus homo de malo theſauro profert malum*. Lucæ 8. v.15. *Hi ſunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia*. Et Matth.15. v.19. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ*. Matth. 22. v.37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua*. Ecce habemus quod bonum gratiæ & malum culpæ ethice, ſive moraliter, ab eodem ſunt principio.

Si autem ſumitur malum pro malo pœnæ, ab eodem etiam principio eſt cum bono ſibi oppoſito: Eccleſ.11. v.14. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas a Deo ſunt*.

Si autem bonum pro bono naturæ ſumatur, & malum ſimiliter; dico quod naturaliter, ſeu phyſice non opponuntur bonitas, & malitia; immo ut privatio & habitus: privationis autem & habitus idem eſt principium, & eadem cauſſa unius per ſuam præſentiam, alterius autem per ſuam abſentiam, quæ abſentia nihil ponit. [*] Non tamen ex hoc dico quod malitia ſit ex Deo proprie: unde ſciendum eſt quod ſecus in abſentia Dei, & in abſentia gubernatoris navis, quæ abſentia activa eſt ex parte gubernatoris qui ſe abſentat, & ideo proprie cauſat ſubmerſionem navis & malum, ſed ita abſentia Dei non eſt intelligenda active ſcilicet quod Deus omnium ſuprema cauſa ſe abſentet, cum dicat B.Petrus in principio epiſt. ſuæ. *Parati eſtote in eam quæ offertur vobis gratiam*, & B. Paul. circa finem ad Hebræos, *videte ne quis veſtrum deſit gratiæ Dei*. Beat. etiam Dionyſius dicit: intelligenda eſt iſta abſentia paſſive, ſcilicet quod abſentatur ſive fugatur ab homine per peccatum, abſentatur dico quantum ad defectum gratiæ in homine quam ipſe Deus non ſubtrahit homini, ſed potius homo eam repellit, & ideo homo ex libero arbitrio proprie cauſat malum, Deus autem non. [*]

Item aliter probare nituntur (138) naturalibus rationibus. Omnia contraria ſunt ſimul natura; bonum autem & malum contraria ſunt; ergo ſunt ſimul natura; Ergo ſi unum eſt principium, & alterum, vel ad minus unum non eſt ab alio.

Solutio. Bonum & malum uno modo contraria ſunt; & ſimul natura; & ſi unum eſſet principium, ſcilicet bonum, alterum eſſet principium ſimiliter, ſcilicet malum. Sed neutrum eorum ſecundum quod contraria ſunt, eſt principium, vel cauſſa prima. Bonum enim dicitur duobus modis, ſcilicet eſſentialiter, & accidentaliter. Eſſentialiter bonum dico illud, quod ſe ipſo bonum eſt, cujus ſcilicet bonitas eſt eſſentia hujus, ſicut eſt cauſſa prima. Tali bono nihil eſt contrarium; *ſubſtantiæ enim nihil eſt contrarium*, ut dicit Ariſtotiles, cujus verbis uti voluiſti: Multo fortius Creatori ipſius ſubſtantiæ & accidentis nihil erit contrarium. Bonum autem accidentaliter ſumptum uno modo contrarium eſt malo, & natum fieri circa idem cum ipſo; idem enim contrariorum ſuſceptibile eſt. Bonum autem ſic ſumptum non dicitur de Deo, nihil enim accidit ei, ut probatum eſt. Quamvis autem bonum dicatur bonum eſſentialiter, ut prædictum eſt; malum tamen nihil dicitur eſſentialiter, ſed tantum accidentaliter. Sic autem ſumitur duobus modis, ſcilicet vel privative, vel poſitive. Primo modo dicitur ignorantia, vel injuſtitia malum, & opponitur bono accidentaliter ſumto ut privatio ſuo habitui; non opponitur ſic bono eſſentialiter ſumto; illud enim privari non poteſt ſuo eſſe. Secundo modo, ideſt poſitive dicitur dolor malum, & ſic opponitur bono accidentaliter ſumto contrarie, ſed ſic non opponitur primo bono, quod eſt prima cauſſa. Quod autem primæ cauſſæ nihil accidens ſit ex hoc patet, quod illud accidens daret ei aliquod eſſe, ſicut nigredo dat ei, cui accidit eſſe nigrum. Cauſſa igitur prima haberet aliquod eſſe ab alio a ſe, quod patet eſſe hæreticum; ſic enim non eſſet principium omnis eſſe.

§. IV.

Probatio Eccleſiæ quod unum tantum ſit omnium principium, & primo rationibus.

PErtractata prima parte hujus capituli accedamus ad ſecundam, & oſtendamus tam rationibus veridicis, quam ſanctarum Scripturarum teſtimoniis unicum eſſe Deum, ſive principium omnium.

Primo autem oſtendamus rationibus (139) quod

Manichæi, *unde mala exiſtant: nos autem fidenter reſpondemus, cum unus ſit Deus, qui cuncta fecit; nihil quidem ſecundum ſubſtantiam malum eſſe; cuncta autem valde bona &c.... ſola vero hominum ad nequitiam peccantium injuſtitia recte & juſte ac vere nequitia eſt; non tamen ex nequitia principio carente profecta, quam Manichæus cum non ſit, eſſe excogitavit tanquam ab hac principio carente, quam finxit proficiſcentem.... Hominem vero, quia eum civem rationis participem præpoſuit ac præfecit Deus.... virtus & vitium, ut in poteſtate ejus eſſet, fecit.... Homo igitur injuſte operans, juſte de peccato accuſatur. Si enim peccatum committit, tamquam non poſſit ab eo ſe abſtinere, injuſtam querelam ſubit. Sin autem cum poſſet non facere, facit contrarium; merito accuſatur tamquam injuſtitiam ſuſcipiens &c.* Poſtquam autem dixit eidem voluntati factam eſſe poteſtatem libere deligendi bona aut mala, ut ſibi libuerit; quo ſi bona elegerit, bona ſibi paret; ſin mala amplexata ſit, malis contra afficiatur; concludit: *Poteſtate igitur contrariorum, comparatur, & acquitur poſſeſſio contrariorum.*

[*] Quæ duobus aſteriſcis comprehendimus, deſunt e Codice Bononienſi, & Neapolitano.

(138) Vide S. Thomam l. c.

(139) Simile eſt hujus, quod habet Titus Boſtrenſis *lib.*1. *Contra Manichæos pag.*63. *Scribens*, inquit, *ille ipſe furens Manichæus, ubique incipit*: erat Deus & materia; lumen & tenebræ; bonum & malum in omnibus ſumme contraria: *ut in nulla re alterum cum altero communionem & ſocietatem haberet, ambo ingentia, & viventia: igitur aut disjungent ſe, aut ſi fuerint ſimul amica, & nequaquam contraria eſſe apparebit. At patet dicere eum ſejuncta eſſe hæc. Igitur utrumque cum altero finitum, & terminatum erit ſecundum ſubſtantiam, & neutrum incircumſcriptum, & infinitum: circumſcribere autem Deum ſecundum ſubſtantiam, & non noſſe, & confiteri infinitum eſſe, quomodo non eſt admodum impium? Quandoquidem non ſolum circumſcribi, & terminari ſubſtantia Dei videbitur, ſed a malo, ut ille ait, hoc accipere. Quod quidem extra communes notiones eſt, quæ menti ſuggerunt, ut eum ubique eſſe noſcat, & natura incomprehenſum.*

quod unicum eſt principium, & quod non ſunt duo principia *contraria*: Quia ſi duo ſunt principia, quorum unum eſt bonum, alterum malum; Cum primum ſit ubique, etiam alterum ubique erit, ergo unum pertranſit alterum, ergo eſt ſimplicius altero, ergo alterum habet aliquid compoſitionis, ergo non eſt principium, cum omne compoſitum ſit creatum. Quod autem bonum principium ubique ſit, probatur: quia non eſt finitum corporali magnitudine, cum non habeat eam; alioquin eſſet corpus, quod eſſe non poteſt: nec formæ participatione; ſic enim haberet eſſe a forma, & ita aliunde.

Præterea forma non eſt ſine materia; ergo ſi habet formam, habet etiam materiam, ergo habet eſſe compoſitum ex materia, & forma, ergo principiatum, & non principium primum, quod falſum eſt. Non ergo finitur formæ participatione, nec etiam quantitate; ergo infinitum eſt bonum principium ſecundum eſſe ſuum, ergo ubique, ergo pertranſit principium malum, & ita ut prius.

Præterea ſi principium bonum finitum eſt ſecundum eſſe ſuum, aut ab alio, aut a ſe. Si ab alio, ergo illud aliud finivit eſſe ejus; ergo illud aliud eſt prius illo, ergo illud non eſt primum principium. Si a ſe finitum eſt: Contra. Nihil finitur a ſe; linea enim non finit ſe, immo punctum. Similiter ſuperficies non ſe finit, ſed linea finit eam, & ſuperficies ipſum corpus; ergo a ſimili nec Deus ſe finit.

Præterea finis & finitum ad aliquid ſunt: finis enim dicitur terminus finiti, & e converſo. Finis ergo & finitum non poterit eſſe unus & idem terminus ejuſdem; ergo Deus bonus non eſt finis ſui ipſius. Finem autem, & terminum idem dico ſecundum quod dicit Philoſophus: *finis eſt rei extremitas, ultra quam res non protenditur*. Relinquitur ergo quod ſi aliquod eſt primum principium, ipſum eſt infinitum quoad eſſe ſuum, & quoad eſſentiam, & quoad poteſtatem. Poteſtas ejus ubique oſtenditur; ergo Satan, & Angeli ejus ſubſunt poteſtati ejus, & dominio; Ergo Satan ſervus ejus eſt, & ei ſubjectus cum ſuis; ergo non eſt niſi unus Deus per ſe.

Item bonum principium Omnipotens dicitur. Quare? Si ideo, quia poteſt omnino univerſaliter ſine aliqua determinatione: Habeo propoſitum meum, ſcilicet unicum Deum Univerſorum eſſe. Si ideo, quia poteſt omnia permanentia & * exiſtentia, ſed non poteſt iſta tranſitoria, quæ videntur: Sic ergo potentia virtuſque Dei menſurata.

Contra. Primum principium ſimpliciſſimum eſt nil habens compoſitionis, vel multiplicitatis in ſe, ergo ſua eſſentia eſt, ſua potentia: ſed eſſentia ejus infinita ſeu immenſa eſt, ut oſtendimus; ergo etiam potentia ejus infinita & immenſa eſt, ergo non determinata tantum ad aliqua; immo etiam extenditur ad iſta viſibilia & tranſitoria; unde David ait pſalm. 144. v. 3. *Magnitudinis ejus non eſt finis*; ideſt potentiæ ſuæ non eſt terminus aliquis, ſed immenſa eſt.

Item primum (140) principium bonum poteſt omnia bona, ſed eſſe mali principii malum eſt, ergo non eſſe ejus bonum eſt, ergo bonus Deus poteſt illud facere, malus ergo Deus non poteſt prohibere illud; ſic ergo non erit potens eſſe omne * malum, quia non poteſt hoc malum, ſcilicet reſiſtere bono Deo, ne deſtruatur ab eo.

Similiter e converſo poteſt probari quod bonus Deus non poteſt omne bonum, quia bonum eſt ipſum eſſe; ergo malum eſſet ipſum non eſſe, ergo Satan poteſt facere ipſum non eſſe, quia poteſt omne malum. Quo habito bonus Deus (141) non erit potens omne bonum, ſi non poſſet reſiſtere Deo malo, ne deſtruatur ab ipſo quoad eſſe ſuum. Hoc autem falſum eſt, ergo & illud, ex quo ſequitur ſcilicet quod duo ſint principia, unum, quod poſſit omnia bona, aliud, quod poſſit omnia mala.

Item. Numquid Deus malus odit ſe, vel diligit ſe naturaliter? Si diligit ſe, ſicut bonus Deus ſe diligit; ſed hoc non eſt malum ſcilicet diligere ſuum eſſe, & ſuam ſubſtantiam, ergo eſt bonus, ergo aliquod bonum naturaliter eſt ab eo. Si odit ſe, in ſeipſo diviſus eſt; ſed non ſubſtantialiter; ſubſtantia enim ejus in ſe ipſa non eſt diviſa, diviſus eſt ergo in ſe ipſo, quia voluntas ejus contraria eſt ſuæ eſſentiæ, & hoc eſt odiſſe ſe: ergo aliud eſt ejus voluntas, & aliud ejus eſſentia, ergo eſt multiplex; ſed eſſe tale eſt creatum, & nullum creatum eſt principium primum, ergo ipſe non eſt unum principium per ſe.

Item. Primum principium (142) aut prædicatur de utroque principio æquivoce, aut univoce? conſtat quod non æquivoce, quia eodem nomine, & eadem ratione. De nomine patet; utrumque enim dicitur primum principium. Sic etiam patet de ratione. Ratio primi principii eſt iſta: Primum principium eſt ante quod nihil, & poſt quod alia. Prædicatur ergo univoce de eis, ergo communicant in re aliqua, & differunt in aliqua, ergo in utroque eſt aliud, & aliud, ergo multiplicitas, & compoſitio, ergo neutrum eſt principium primum.

Præterea primum principium bonorum omnium, & primum principium malorum univocantur in principio primo; ſed univoca ſunt, quorum nomen commune eſt, ratio autem ſubſtantiæ eadem, ergo in ratione ſubſtantiæ, (143) idem ſunt bonum principium & malum.

(140) Huc ſpectat quod habet Didymus Alexandrinus *lib. Contra Manichæos pag.* 205. *Tom.* 1. *Ant. Lection. Caniſii*: Quicumque *recte aliquid expetit; ſi recte expetit expetito potiri poteſt; expetit autem Deus malitiam delere, igitur malitia deleri poteſt. Quod ſi deleri poteſt, delebitur, deleta autem non eſt ingenita.*

(141) Confer huc quod habet Tertullianus *lib. Contra Hermogenem cap.* x. *pag.* 136. *Aut potuit emendare* (Deus Materiam quam æternam, & a ſe exiſtentem ponit Hermogenes) *ſed noluit, aut voluit quidem, nec potuit infirmus Deus. Si potuit, & noluit, malus & ipſe, quia malo favit; & ſic jam habetur auctor ejus, quod licet non inſtituerit, quia tamen ſi noluiſſet illud eſſe, non eſſet, ipſe jam fecit eſſe, quod noluit non eſſe. Quo quid eſt turpius? Si id voluerit eſſe, quod ipſe noluit feciſſe, adverſum ſemetipſum egit, cum & voluit eſſe, quod noluit feciſſe ..... Aut famulus erit mali Deus, aut amicus; cum materiæ malo converſatus, nedum etiam de malo ejus operatus.*

* *Æterna*. Vatic. Cod.

(142) Eodem recidit, tametſi aliter aliquanto ea, quam Dydymus Alexandrinus adhibet, ratio. *Eorum*, inquit, *quæ ex toto ſunt contraria nihil eſt commune; quare omnino neceſſe eſt, ut quod uni ineſt, alteri non inſit; ineſt autem bono eſſe ingenitum, malo igitur neutrum horum ineſt.*

(143) Titus Boſtrenſis *lib.* 1. *Contra Manichæos pag.* 65. *Quomodo*, inquit, *rationes naturales admittent, ut ſint duo ſecundum ſubſtantiam contraria, ubi quidem primo nomen ſubſtantiæ commune eſt utriuſque? Primum igitur, quatenus utrumque ſubſtantia eſt, perſpicuum eſt convenire inter ſe, & non eſſe contraria.*

* Vatic. Cod. quo *eſſe* habet *omne*.

Item esse dicitur de utroque principio aut in eadem intentione: aut non? Si in eadem intentione, habent igitur esse commune, & ita conveniunt in eo, quod est esse: non sunt igitur duo per id, quod est esse. Igitur si duo sunt hoc est per aliquam differentiam; numerus enim quicumque non est nisi differentium. Modo quæro: illa differentia, aut accidentalis est tantum, aut substantialis? Si tantum accidentalis, ergo substantialiter sunt idem principium, licet accidentaliter diversum, quod esse non potest. Præterea in præcedenti capitulo probatum est quod Principio summo nihil accidit. Si autem dicas quod illa differentia sit substantialis, dico quod illa differentia substantialis non est unica, immo multiplex; una scilicet ex parte principii boni, altera scilicet ex parte principii mali; sed si hoc est, una illarum adveniens ei, quod est, esse facit unum principium; alia adveniens eidem facit reliquum; igitur utrumque primum principium compositionem habet, ergo est creatum, ergo non est principium primum. Si autem dicas quod in alia intentione dicitur esse de utroque: dic rationem diversitatis ejus, quod est esse, secundum quod est esse; quod quidem impossibile est; ergo esse non dicitur de eis in alia intentione.

Si autem dicas rationem diversitatis, quia esse unius malum est, alterius autem bonum.

Contra. Sic non ponis differentiam essendi inter utrumque secundum id, quod est esse, sed secundum aliquid posterius additum; esse enim naturaliter prius est, quam esse bonum, vel quam esse malum. Sicut enim Oves Israel, quæ non peccaverunt, distinguuntur ab aliis, quæ peccaverunt, tantum accidentaliter, quia hæ bonæ fuerunt, illæ autem malæ factæ fuerunt; in esse autem conveniunt, quia habent esse, & ab eodem, ita & principium bonum, & principium malum, quod est impossibile; ergo & id, quod ponis.

Item e converso ego quæro: si duo sunt, (144) ut tu dicis, & duo regna ipsorum, an illa duo regna sint contigua, idest quod eorum termini sint simul nullo cadente medio inter ipsa: aut cadit ibi aliquod medium? Si hoc ultimum est, modo quæro si illud medium subsit alteri illorum Deorum, aut non? Si subest, ergo est de regno illius, cui subest, ergo non cadit medium inter duo regna, cujus contrarium dictum erat. Si non subest alteri illorum, quæro: unde habuit esse? Si ab aliquo præter illos Deos, oportet ponere tria regna, scilicet illa duo extrema, & medium inter illa. Oportebit etiam ponere tertium principium, & caussam illius medii regni.

Si dicas quod contigua sunt, & sine medio

Contra. Illa duo regna naturaliter opposita sunt, & adinvicem inimica nec confœderationem adinvicem habere possunt 2. Corinth. 6. v. 15. *Quæ conventio Christi ad Belial?* Quasi diceret: nulla. Semper ergo fuerunt adinvicem pugnantia; nunquam ergo in finibus hujus, vel illius pax, aut quies. Quomodo ergo dicitur a Davide psalm. 147. v. 14. de cælesti regno secundum te, sive de cælesti Jerusalem: qui *posuit fines tuos pacem &c.*? De præterito loquitur, & sic accipiendum secundum te, qui præteritum pro præterito dicis sumendum, & præsens pro præsenti, & futurum pro futuro, & qui dicis hanc prophetiam in cælesti patria factam.

Præterea Tu ponis quod unus illorum semper fuit malus. Modo quæro ab Hæretico: quare fuit malus? (& ne mireris o Lector istum modum procedendi contra eum; oportet enim, ut jam dixi, aliquando verbis simplicibus, & minus artificialibus uti, & ex datis eorum procedere.) Si dicat quod ideo malus fuit semper, quia semper fecit malum.

Contra. Caussa tempore, vel natura prior est suo caussato, ergo prius ipse tempore vel natura fecit malum; quam esset malus, ergo tempore, vel natura aliquando fuit non malus; sed si fuit non malus necesse est quod fuerit bonus; ergo tempore, vel natura fuit aliquando bonus. (145)

Si autem prævideat sibi Hæreticus, & dicat, quod sicut non est aliqua caussa quare Pater Justorum bonus sit; ita etiam non est aliqua caussa quare Satanas malus fuerit: sed essentialiter malus est, & caussa omnis mali.

Con-

(144) Agit hic Moneta contra Catharos Albanenses. Constat id ex Reinero Sachono *in summa de Catharis, &c.* col. 1768. seq. *Tom. v. Anecdotor.* Thesauri a Martenio editi. Albanensibus Italis consentiebant Albigenses Galli, ut auctor est Petrus *Vallium Sarnai Monachus*, qui initio XIII. seculi florebat; in *Histor. Albig. cap. 1. pag. 2. Tom. VII. Biblioth. Cisterciensis Edit. an.* 1669. Id etiam evincunt acta Inquisitionis Tolosanæ a Limborchio edita in *Append. Hist. Inquisit. num.* 40. *pag.* 92. His monumentis respondent, quæ in Prologo sui Chronici memoriæ prodidit Guillelmus de Podio Laurentii, quidquid contra dictitent Basnagius & Johannes Christophorus Vvolfius. Maximus autem est hic de duobus principiis, bono uno, pravo altero, atque inveteratus error, quippe qui ab Ethnicis longe ante Christum originem duxerit, ut est Cudvorto, Hideo, Johanni Christophoro Vvolfio & Thobiæ Pfannero animadversum. Ab Ethnicis porro disciplinam acceperunt majorum gentium hæretici, qui primis seculis Ecclesiam infestarunt; vide Pfannerum *Syst. Theol. Gentil. cap.* IX. §. 21. *pag.* 258. & Petavium *Tom.* I. *Theolog. Dogm. l.* VI. *cap.* V. §. 2. &c. His consensere Marcus Memphitanus apud *Sulp. Sever. l.* II. *Hist. cap.* 60. & ii qui Manetem sunt consectati. Quare Titus Bostrensis: *Ad hæc poscendum est ab istis intermedium, & utriusque interjectum, quod alterius cum altero communitatem arceat, & prohibeat, ne finibus inter se commista, rursus rationem ac naturam contrariorum tollant. Quid igitur erit istud, quod ambo illa disterminet, & intersepiat? Opus enim habet apud istos cujusdam tertii commentum fabulæ. An dicturi sunt nobis, esse murum adamantinum, aut aliud quid delirum? Cujusnam providentia hoc, quidquid sit, interseptum esse dicent? utricumque enim contrariorum hoc assignare velint tamquam postea immissum, non reperient exitum in hac caussa, neque se hinc expedient. Revocata enim ascendendo ad antiquius disputatio, rursus deprehendet contraria inter se separata, tamquam nullo modo contraria. Sin vero neutrius providentia interseptum, quod declarant, esse dixerint, necessario fatentur introducere se aliquid ingenitum, quod neutrius substantiam participet, ut omnino dirimendo separet hæc; atque ita fiet, ut reperiantur turbam ingenitorum ponere, qui duo ingenita esse dixerunt.* Titus Bostrensis *lib.* 1. *Contra Manichæos pag.* 62. *seq.* Sunt autem hæc Titi Bostrensis verba argumento huic, quo Moneta utitur, ita similia, ut mirum profecto videri possit; hominem, qui Titi opera, ne fando quidem audierat, tanto ingenio valuisse, ut non vim argumenti solum eamdem, sed etiam verba fere eadem adhibuerit, quo sui temporis Manichæos reprimeret. Immo vero multo majorem vim addidit argumento Moneta, ut Lector intelligere facile potest, si Nostri verba cum Titi contulerit. Sunt hodienum Manichæi duorum principiorum propugnatores in Provincia Getu Africæ, ut prodit Mollerus apud Pfannerum *cap.* IX. *Syst. Theol. Gentil.* §. VI. *pag.* 258. & in aliis plerisque regionibus.

(145) Præclare Didymus Alexandrinus Contra Manichæos *pag.* 205. *Tom.* I. *Lect. Antiq. Canisii Edit. Basnagii*: *Nullum est malum*, inquit, *secundum substantiam: malum autem esse, est affectum esse qualitate malitiæ scilicet. At affectum esse qualitate non est substantia; malum igitur non est substantia.*

Contra. Hæretice dic mihi: contingit ne ipsum peccare? Si dicas quod sic, modo dic: quid est peccare? Si venire contra legem, ergo si ipse peccat, venit contra legem. Modo quæro: contra quam legem? Si contra legem Dei boni, ergo illa lex ei data est, quod falsum est, quia nec bonus Deus illam ei daret, nec eam ipsam accipere posset, quia non est susceptibilis alicujus boni, si est malus essentialiter. Si contra legem suam: ergo

Lex sua mala est, si aliqua est. Numquid contra legem malam venire peccatum est? Absit.

Præterea si ipse est Dominus per se, ipse est Dominus legis suæ, ergo veniendo contra eam non peccat. Quomodo ergo peccat? Forte dices, quod peccare non est contra legem venire?

Contra. Ubi non est lex non est prævaricatio, ergo si non est ei lex, nec prævaricatio, ergo non peccat. Etiam isto modo probari potest, quod si Deus malus est, nulla creaturarum suarum peccare potest: sed creaturæ Dei, quem tu ponis bonum, possunt peccare, ergo in meliori statu sunt creaturæ Dei mali, quam creaturæ Dei boni, quod est impossibile, ergo & id, ex quo sequitur scilicet quod duo sint principia, unum summe bonum, & aliud summe malum.

Præterea quod Diabolus, & Satanas non sit unum principium per se, sed a Deo Patre Justorum esse cœperit, & ejus creatura fuerit testimoniis scripturarum evidenter ostenditur. Legitur enim Isaiæ 37. v. 15. *Oravit Ezechias ad Dominum, dicens:* 16. *Domine exercituum Deus Israel, qui sedes super Cherubim: tu es Deus solus omnium regnorum terræ, tu fecisti cælum, & terram.* 17. *Inclina Domine aurem tuam, & audi: aperi Domine oculos tuos, & vide, & audi omnia verba Senacherib, quæ misit ad blasphemandum Deum viventem:* 18. *Vere enim Domine desertas fecerunt Reges Assyriorum terras, & regiones earum.* 19. *Et dederunt Deos earum igni: non enim erant Dii, sed opera manuum hominum, lignum, & lapis: & comminuerunt eos.* 20. *Et nunc Domine Deus noster salva nos de manu ejus: & cognoscant omnia regna terræ, quia tu es Dominus solus. Attende quod dicitur* 16.: *tu es Deus solus*. Item ibidem dicitur 20. *& non Domine Deus noster salva nos de manu ejus*, idest Senacherib: *& cognoscant omnia regna terræ, quia tu es Dominus solus*.

Istum Ezechiam bonum esse credis, & vera locutum; quare ergo audes dicere, & ponere plures Deos essentialiter, cum iste unum esse dicat?

Præterea de quo Deo loquitur? Ego Tibi possum ostendere quod loquitur de Deo veteris Testamenti; tota enim historia ista, quæ invenitur in Isaia 36. v.37.38. & 39. invenitur 4. Regum 18. v.19. & 20. maxime ipsa oratio, quam præmisi *Domine exercituum Deus Israel &c.* quæ invenitur 4. Regum 19. parum ante medium capitis (v.15.16.17.18. & 19.) Numquid Tu potes alium Ezechiam, aut alium Deum ostendere testimonio scripturæ alicujus, ad quem, & de quo loquatur? Constat quod non. Quare ergo fabularis, aliumque Deum fingis, quam Deum veteris Testamenti?

Præterea si alium dicis Deum, quare arguis Deum crudelitatis, qui dedit vetus Testamentum? Nonne vides quanta fuerit hujus crudelitas, de quo loquitur Ezechias 37. in fine 36.? *Egressus est autem Angelus Domini, & percussit in Castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Et surrexerunt mane, & ecce omnes, cadavera mortuorum*. Ergo si ille crudelis est, & propter hoc malus, similiter, & ille, de quo loquitur Isaias: vel si unus bonus, & alius; immo non alius, sed idem, quod patet per identitatem factorum. Item Isaiæ 43. in medio v. 10. *Ante* (146) *me non est formatus Deus, & post me non erit*. Constat quod iste est Deus sanctus, & verus, & unicus; & dicit quod ante ipsum non est Deus, nec post ipsum alius. Quare tu ponis alium?

Præterea statim dicit 11. *Ego sum, ego sum Dominus, & non est absque me Salvator*. Postea subdit 16. *Hæc dicit Dominus, qui dedit in mari viam, & in aquis torrentibus semitam:* 17. *Qui eduxit quadrigam, & equum: agmen & robustum, simul obdormierunt, nec resurgent: contriti sunt quasi linum, & extincti sunt*. Voluit autem ostendere Dominus populo suo, quod promissiones, quas faciebat eis, posset implere per hoc, quod majora fecit eis. Unde dicit qui dedit, filiis Israel, scilicet viam in mari rubro, cum exirent de Ægypto ex mandato Domini, & venirent in terram promissionis, ut habetur Exodi 14. v.22. & *in aquis torrentibus*, scilicet Jordanis, dedit eis semitam, qua intrarent terram promissionis, ut habetur Josue 3. v. 15. 16. & 17. Postea ponit de Adversariis Filiorum Israel dicens: *Qui eduxit &c.* Hoc fuit quando Pharao post populum Dei armatus venit: Exodi 14. v.23. *Quadrigam* dicit multitudinem quadrigarum, idest curruum; *equum* dicit exercitum equitum, *agmen* exercitum peditum; *robustum* quemlibet Principem Pharaonis; *simul*, idest tam minores, quam majores; *obdormierunt* somno mortis in mari rubro submersi quasi plumbum, & non *resurgent* ante diem novissimum, in quo omnes resurgemus, sed non omnes mutabimur. *Contriti sunt quasi linum*, idest de facili, *& extincti sunt*, idest mortui. Omnia ista possunt ostendi per Deum veteris Testamenti facta; nullo autem testimonio potest ostendi, quod per alium ista sint facta. Deus enim veteris Testamenti est ille, qui loquitur per Isaiam, cum ait: *Ante me non est formatus Deus, & post me non erit. Ego sum, ego sum Dominus, & non est absque me Salvator*. Quare ergo alium somnias Salvatorem?

Item Isaiæ 44. v. 6. *Hæc dicit Dominus Rex Israel, & Redemptor ejus Dominus exercituum: Ego primus, & ego novissimus, & absque me non est Deus*. Quod autem iste sit Deus veteris Testamenti patet in principio cap. 1. *Et nunc audi Jacob serve meus, & Israel, quem elegi*. 2. *Hæc dicit Domi-*

(146) Egregie Irenæus *lib.* IV. *cap.* V. *al.* X. *pag.* 232. *Qui a lege, & Prophetis*, inquit, *annunciatus est, quem Christus suum Patrem confessus est; ipse est fabricator, & ipse est qui super omnia est Deus, quemadmodum Isaias ait*: Ego testis, dicit Dominus Deus, ... Ante me non fuit alius Deus, & post me non erit. Ego Deus, & non est absque me salvans .... *Et iterum*: Ego sum Deus primus, & super ventura ego sum .... *His igitur, qui nesciunt hæc, & propter hoc alterum adinvenisse putant Patrem, juste quis dicit*: Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. *Matth.* XXII. 29.

Dominus faciens, & formans te, ab utero auxiliator tuus. Nonne id eſt, quod habetur Geneſ. 25. v.21. *Deprecatuſque eſt Iſaac Dominum pro uxore ſua, eo quod eſſet ſterilis: qui exaudivit eum, & dedit conceptum Rebeccæ*? Nonne hoc commemorat Apoſtolus ad Rom.9. v.10. dicens: *Non ſolum autem illa*, ideſt Sara, *ſed & Rebecca ex uno concubitu habens, Iſaac Patris noſtri*; ſupple habuit promiſſionem. 11. *Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, (ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret)* 12. *non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei* 13. *Quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*? Sed nonne vides quid dicit Iſaias: *& Iſrael, quem elegi*, & quod dicit Paulus: *ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret. Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei. Quia major ſerviet minori* qualiter concordant? (147) Cum ergo Paulus ibi loquatur de Deo veteris Teſtamenti, & Iſaias loquitur de eodem. Unus ergo ſolus eſt Deus, & ille eſt Deus veteris Teſtamenti.

Item Iſaiæ 45. v.6. *Ego Dominus, & non eſt alter*. Quare ergo ponis alterum? Alterum enim ponendo mendacem facis eum, qui ait: *& non eſt alter*

Si autem dicas: non eſt alter, ideſt alter bonus, ſed alius eſt, qui malus eſt, contradicis (148) Prophetæ Baruch 3. v.36. *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius adverſus eum*. Ergo non eſt alius bonus, ſed nec etiam ei adverſarius.

Præterea ſtatim ſubdit 7. *formans lucem*, (149) *& creans tenebras, faciens pacem, & creans malum*; ideſt Diabolum; ergo Diabolus eſt creatura ejus. Quod autem ſic intelligatur, ut expoſui, patet Matth. 13. v.19., ubi loquitur de ſemine, & dicit: *Omnis, qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus, & rapit quod ſeminatum eſt in corde ejus*. Lucæ autem 8. v.12., ubi de eodem loquitur, habetur: *Venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalvi fiant*.

Forte dicit illud, quod quidam eorum reſpondit, quod Iſaias non loquitur de hac luce naturali, vel de tenebris ei oppoſitis, ſed lucem ibi appellat Chriſtum, qui dicit Johann.8. v.12. *Ego ſum lux mundi*; tenebras vero fideles, qui luce illuminati ſunt; fuerunt enim aliquando tenebræ, ut dicit eis Apoſtolus ad Epheſ. 5. v.8. Pacem etiam Chriſtum debere ibi intelligi; de quo ait Apoſtolus ad Epheſ. 2. v.14. *Ipſe enim eſt pax noſtra*. Per malum autem, filium prodigum dicit intelligi ab Iſaia, quem Deus pater in cælo creavit, ſed non tunc malus erat, licet malus futurus. Similiter dicitur Matth. c. 5. *Jeſſe genuit David Regem*, nec tamen erat Rex tempore ipſo, quo genuit eum Jeſſe. Similiter dicitur 16. quod *Jacob genuit Joſeph virum Mariæ*, non quod Joſeph eſſet vir Mariæ, cum genuit eum Jacob, ſed poſtea fuit vir ejus. Quæ induxit ad robur ſui amoris.

Qualiter autem oſtendendum ſit quod id, quod dicunt de Filio prodigo falſum ſit, oſtenditur in principio capit. de ovibus Iſrael. Quod autem iſtud intelligatur de Deo veteris Teſtamenti; *Ego Dominus, & non eſt alter &c.* poteſt manifeſte videri ex eo, quod legitur in principio illius capitis Iſaiæ 45. v.1., ubi dicitur: *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut ſubjiciam ante faciem ejus Gentes, & dorſa Regum vertam*. Prius etiam dixerat in fine capitis 44. v.28. *Qui dico Cyro; Paſtor meus es, & omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Jeruſalem: ædificaberis; & templo: fundaberis*. Quis autem ſit iſte Cyrus habetur 2. Paralipom.36. v.23., ubi dicit Cyrus: *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, & ipſe præcepit mihi, ut ædificarem ei domum in Jeruſalem, quæ eſt in Judæa: quis ex vobis eſt in omni populo ejus? Sit Dominus Deus ſuus cum eo, & aſcendat*. Idem habetur Eſdræ 111. v.2. *Hæc dicit Cyrus Rex Perſarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli*. Nonne hoc eſt, quod dicit Dominus per Iſaiam 45. *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut ſubjiciam &c.*?

Preterea. Nonne dicit Cyrus 2. Paralipomen. 36. v.23.: *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, & ipſe præcepit mihi, ut ædificarem ei domum in Jeruſalem*? Et nonne hoc eſt illud, quod legitur Iſaiæ 44. in fine v.28. *Qui dico Cyro Paſtor meus es*? Quod ideo dicitur, quia ſicut paſtor oves, ita ipſe Judæos in Jeruſalem adduci fecit: *Qui dico Jeruſalem: ædificaberis; & templo fundaberis*.

Præterea. Nonne dicitur 2. Paralipomen. 36. v.19. *Incenderunt hoſtes domum Dei, deſtruxeruntque murum Jeruſalem*? Nonne dicitur Eſdræ 2. cap.2. v.5. *mittas me in Judæam ad Civitatem ſepulcri patris mei, & ædificabo eam*; & poſt pauca ſubdit 6. *miſit me*? Nonne & hoc quod dicitur Iſaiæ 45. poſt illa verba de Cyro v.13. *ipſe ædificabit civitatem meam, & captivitatem meam dimittet*? Ille igitur, qui per Iſaiam loquitur dicens: *Ego Dominus, & non eſt alter, formans lucem &c.* non eſt niſi Deus veteris Teſtamenti, in quo dicitur Geneſ.

(147) Adpoſite Titus Boſtrenſis *lib.* III. *Contra Manichæos pag.* 153. *Apoſtoli quidem*, inquit, *interpretes ſunt veteris Legis, conſonantque vetera novis. At vero, qui ſunt non Apoſtoli accuſant vetera, quidem cum non faciunt, quod Apoſtoli; ſed potius cum eorum ſcripto pugnant, mentiuntur Apoſtolatum, facti pſeudoprophetæ*. Auguſtinus vero antiquos Manichæos redarguens, qui Deum veteris Teſtamenti a vero bonoque Deo per ſummum ſcelus disjungere non dubitabant, *Lib.* XXII. *Contra Fauſtum cap.* XIV. *col.* 369. *Tom.* VIII. *Opp. ſi Paganus*, inquit, *in Novo Teſtamento talia reprehenderet, qualia iſti reprehendunt in vetere, nonne, & ipſi ea defendenda ſuſciperent? Quod ſi facere poſſint, qua tandem vecordia hic talia reprehendunt, qualia ibi defendunt?* Conſulitor Irenæus *lib.* IV. *cap.* IX. *al.* XXI. *pag.*237. Ubi probat: *Utriuſque Teſtamenti unum eſſe auctorem, finem ſcopumque præcipuum*.

(148) Hoc Baruchi teſtimonium neque ab Irenæo, neque a Cyrillo Hieroſolymitano allatum contra Gnoſticos, vel Manichæos eſt, propterea quod Hæretici illi Vetus Teſtamentum negligerent. Verum contra Arianos illud ipſum attulere SS. Athanaſius, Euſtathius, Cyrillus Hieroſolymitanus, & alii plerique, ut inde Chriſti Divinitatem probarent.

(149) Sanctus Irenæus *lib.* IV. *cap.* XL. *pag.* 286. *ſeq. Unus Pater*, inquit, *qui quidem concupiſcentibus ejus communicationem, & perſeverantibus in ſubjectione ejus, quæ ſunt apud ſe præparat bona; principi autem abſceſſionis diabolo, & qui cum eo abſceſſerunt Angelis æternum ignem præparans: in quem mittentur, inquit Dominus, illi qui in ſiniſtra ſeparati ſunt. Et hoc eſt, quod a Propheta dictum eſt*: Ego Deus Zelans, faciens pacem, & condens mala: Vide-ſis Cyrillum Hieroſolymitanum *Catec.* IX. *n.* VII. *pag.* 129.

nes. 1. v. 1. *In principio creavit Deus cælum, & terram*. 2. *Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ*, supple creatæ, *erant super faciem abyssi: & spiritus Dei ferebatur super aquas*. Et postea dicitur ibi 3. *dixitque Deus: Fiat lux; & facta est lux*; idest formata, & disposita.

Si autem vis dicere, quod alius Cyrus sit iste, de quo loquitur Isaias, quam ille, de quo loquitur Paralipom., vel Esdras, nullo testimonio Scripturæ potes hoc probare; sed per verba, & per facta ego possum probare quod sit ille Cyrus, de quo agitur in veteri Testamento.

Præterea nonne vides quid dicitur in fine Paralipom. 36. v. 17. *Adduxit super eos Regem Chaldæorum, & interfecit juvenes eorum gladio in domo sanctuarii sui, non est misertus adolescentis, & virginis, & senis, nec decrepiti quidem, sed omnes tradidit in manibus ejus*. 18. *Universaque vasa domus Domini*? Nonne hoc est quod dicitur Jeremiæ in Threnis 2. v. 21. *Virgines meæ & juvenes mei ceciderunt in gladio*? Nonne in Threnis 4. v. 16. dicitur hoc, quod de senibus legitur in Paralipom.: *Facies Sacerdotum non erubuerunt, neque senum miserti sunt*? Nonne & de vasis prophetavit Jeremias 27. v. 22., sicut & Paralipom.: *In Babylonem transferentur, & ibi erunt usque ad diem visitationis suæ, dicit Dominus, & afferri faciam ea, & restitui in loco isto*? Nonne istam translationem vasorum deplorat Jeremias in Threnis 1. v. 10. *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus &c.*? Nonne istam vasorum restitutionem in Jerusalem in domum Dei dicit Esdras lib. 1. cap. 5. v. 14., ubi dicitur: *Et vasa templi Dei aurea, & argentea, quæ Nabuchodonosor tulerat ea in templum Babylonis, protulit Cyrus Rex de templo Babylonis*? Et post pauca dixit cuidam Principi 15. *Vade, & pone ea in templo, quod est Jerusalem*. Nonne in fine Paralipom. lib. 2. v. 36. 22. de isto Jeremiæ agi videtur? *Anno autem primo Cyri Regis Persarum ad explendum sermonem Domini, quem locutus fuerat per os Jeremiæ, suscitavit Dominus spiritum Cyri Regis Persarum; qui jussit prædicari in universo regno suo, etiam per Scripturam, dicens* 23. *Hæc dicit Cyrus Rex Persarum: omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli &c.* ut prius. Nec potes alium Jeremiam ostendere; tota enim historia Jeremiæ 4. Regum 24. & 25., & in fine Paralipom. dicitur. De eisdem enim Regibus agitur in eis, de quibus agitur in Jeremia, ut patet per gesta, quæ ibi narrantur. Alios autem Tu non potes ostendere aliquo testimonio Scripturæ, de quorum gestis agatur in Jeremia; & si alios dicis, somnium est tantum.

Item Isaiæ 54. v. 16. *Ecce ego creavi* (150) *fabrum sufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus suum*. Fabrum appellat Diabolum, qui *in igne*, idest in suggestione prunas sufflat, idest incentiva vitiorum, *& proferentem vas*, idest quemlibet hominem malum, *in opus suum*, idest ut faciat voluntatem suam. Idem etiam dicitur interfector, quia interficit hominem ad mortem, idest ad peccatum eum adducens, & demum ad æternum malum. De isto Fabro dicitur Eccles. 11. v. 35. *Attende tibi a pestifero, fabricat enim mala*. Item Oseæ 9. v. 13. *Ephraim educet ad interfectorem filios suos*.

Ad hoc autem respondet Hæreticus dicens, quod faber ibi dicitur Christus, qui in evangelio filius Fabri appellatur?

Cui dicas? Numquid verum dicebant secundum intellectum suum? certè non, quia Fabrum appellabant Joseph virum Mariæ. Posito etiam quod verum dixerint, tamen non dicitur ibi Faber, licet dicatur filius Fabri.

Si dicant ipsum dici Fabrum a Davide in psal. 73. *Ut quid Deus repulisti in finem &c.*, ubi dicitur 16. *Tu fabricatus es auroram & solem*.

Sed numquid Christus solem fabricatus est? Immo quia ita est, ergo ipse est principium horum visibilium, & caussa.

Si dicas solem non ibi sumi pro sole isto visibili, sed pro sole justitiæ, de quo Malachiæ 4. v. 2. dicitur: *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ*.

Sed nonne ille sol justitiæ Christus est, qui ut Lucæ 1. v. 78. dicitur, *visitavit nos oriens ex alto*: 79. *illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent*? Sed numquid Christus se ipsum fabricatus est? Constat quod non; alioquin ipse fuisset priusquam esset, quod est impossibile, maxime secundum Te, qui ponis Christum tantum creaturam esse.

Præterea quod dicis interfectorem appellari ibi Christum propter illud Apostoli 2. Thessa. 2. v. 8. *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui*.

Quomodo potest stare? Ipse enim non est creatus ad disperdendum, sed ad salvandum; Matth. 15. v. 24. *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel*. Item Lucæ 9. v. 56. *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare*.

Præterea si ad disperdendum creatus esset; numquid ad disperdendos suos, idest eos, qui de sua creatione sunt? Constat quod non per testimonia *præcedentia*. Numquid ad disperdendos alienos, idest qui de alia creatione sunt? Constat quod non; ipsi enim semper fuerunt mortui, & semper erunt.

Præterea quod induxisti Christum dici interfectorem propter illud Apostoli: *quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui*; quomodo interficiet eum? Numquid corporaliter? Si hoc dicas, quare ergo vituperas Deum veteris Testamenti de occisione corporali? Si spiritualiter interficiet. Hoc stare non potest; quia semper fuit mortuus in peccato, & numquam vivus in bono.

Si dicas quod eum interficiet eo modo, quo dicitur Petro Actor. 10. v. 13. *Occide, & manduca*. Ista occisio non est, nisi destructio malitiæ, & conversio ad bonitatem. Numquid sic illum interficiet, qui secundum Te de sua creatione non est, qui est naturaliter secundum Te malus?

Si dicas quod eum interficiet, idest æterna morte pu-

(150) Ita quidem hebraicus textus. Hinc Hieronymus: *Dicamus*, inquit, *primum juxta hebraicum .... Ego qui creavi fabrum sufflantem in igne prunas hoc est diabolum omnium malorum artificem, non necessitate naturæ, sed mentis arbitrio* &c. Dixi autem in hebraico textu ita quidem haberi, propterea quod septuaginta longe aliter legant. Sic enim habent: *Ecce ego creavi te, non ut ærarius sufflans in igne prunas: & proferens vas in opus* &c. Quod sane ad rem Monetæ non pertinet.

puniet. Quæ illa mors æterna? Numquid illa est de dominatione sua? Non. Immo si est de dominatione, mali creatoris est, quem tu falso ponis. Quomodo ergo Deus bonus puniet eum illa morte, quæ non est de sua jurisdictione?

Præterea in illo capite Isaiæ ante illa verba: *Ego creavi fabrum &c.* dicitur ab isto Creatore 9. *Sicut in diebus Noe istud mihi est*, supple ratum, quod promitto tibi, sequitur: *cui juravi ne inducerem aquas Noe ultra supra terram*: sic juravi ut non irascar tibi, & non *increpem te*. Ecce qui creavit Fabrum, & interfectorem, ille est, qui Mundum diluvio destruxit, & Noe cum suis salvavit jurans ei, quod non induceret &c. Iste igitur Creator est Deus veteris Testamenti, sed Creator Fabri bonus; ergo Deus veteris Testamenti bonus. Si autem alium Noe, & alias diluvii aquas vis ponere, non habes in hoc testimonium alicujus scripturæ. Ejus autem, quod ego dico, & quod Isaias dicit, evidens est testimonium Genes. 9.

[*] Item quod diabolus a Deo factus sit, manifeste habetur Habacuc 1. in fine, postquam locutus fuerat de gente Chaldæorum, & ejus fortitudine contra Populum Dei, subdit 11. *Hæc est fortitudo ejus Dei sui*; & loquens Propheta ad Dominum ait 12. *Numquid non tu a principio Domine Deus meus, Sancte meus, & non moriemur? Domine in judicium posuisti eum: & fortem ut corriperes, fundasti eum.* Item potest objici, si dicant quod intelligitur de populo Chaldæorum, per quem intelligitur secundum eos cœtus Dæmoniorum, cum ibi dicatur: *hæc est fortitudo ejus Dei sui* [*]

Item in psalmo 103. v.27. dicit David ad Dominum: *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei*. Constat quod hic Draco in malo sumitur propter hoc, quod subditur: *ad illudendum ei*. Dicit tamen Propheta, quod Dominus eum formaverit, ergo ipse non est principium per se, sed est factus a bono principio.

Item nonne Tu dicis quod Draco ille magnus, & Serpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas, ut habetur Apocalypf. 12. est ille ipse, de quo loquitur Ezech. 29. v.3. ubi dicitur: *Hæc dicit Dominus Deus: ecce ego ad Te Pharao Rex Ægypti; Draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum &c.* Sed nonne legitur infra Ezech. 31. v.8. de Pharaone isto, quod Dominus ait: *Omne lignum Paradisi Dei non est assimilatum illi, & pulchritudini ejus*. 9. *Quoniam speciosum feci eum*? Ergo Pharao Draco magnus Creatura est Dei Patris justorum. Et quia in cælesti Patria ponere solent factum esse prælium ab isto Dracone & ejus Angelis cum Michaele & Angelis ejus, videamus utrum hoc verum sit, an non.

Littera Apocalypf. 12. v.7. talis est: *factum est prælium magnum in cælo: Michael, & Angeli ejus præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli ejus*: 8. *Et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cælo*. 9. *Et projectus est Draco ille magnus, Serpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas, qui seducit universum orbem: & projectus est in terram, & Angeli ejus cum illo missi sunt*. 10. *Et audivi vocem magnam in cælo dicentem: nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus: quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte*. 11. *Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem agni, & propter verbum testimonii sui, & non dilexerunt animas suas usque ad mortem*. 12. *Propterea lætamini cæli, & qui habitatis in eis*. Ibi dicitur quoniam Draco pugnabat, & Angeli ejus, & non prævaluerunt, nec locus inventus est eorum amplius in cælo. Quomodo ergo stabit quod dicis de eo, quod Matth. 13. v.30. legitur de zizaniis? Ibi enim dicitur: *sinite utraque crescere usque ad messem*; ibi etiam dicitur 39. quod messis est *consummatio sæculi*; ibi dicitur 38. quod ager est Mundus. Et tu per mundum ibi intelligis Ecclesiam; falso tamen mundum superiorem, scilicet angelicam Patriam, & præcipitur ut inde non eradicentur zizania secundum tuum intellectum, quæ zizania dæmones appellantur, & dicis ea appellari filios nequam in Matth. Ergo secundum hoc Dæmones ibi erunt usque ad consummationem sæculi. Sic ergo non esset verum, quod dicit Johannes: *neque locus inventus est eorum amplius in cælo*. Constat autem, quod Johannes verum dixit, ergo Tu prave intelligis verba ejus.

Præterea nonne ibi dicitur postquam Draco cum Angelis in terram projectus est: *nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus: quia projectus est Accusator &c.* Sed nonne & vides quod istud factum est post Christi mortem cum dixit Apostolis Matth. ultimo 18. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra &c.*? Nonne & ibi dicitur: *Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem agni, & propter verbum testimonii sui, & non dilexerunt animas suas usque ad mortem*? Non enim tantum dilexerunt vitas suas corporales, quod potius vellent mori, idest a Deo separari, quam amittere eas. Simile dicit Paulus Actor. 20. v. 24. *Nec facio animam meam pretiosiorem, quam me*. Hoc autem de casu Angelorum a cælesti Patria non potest intelligi, cum dicat Johannes, quod propter sanguinem agni devicti sint; nondum enim erat diffusus Sanguis Christi, vel si effusus erat, ostendas aliquo testimonio: quod minime potes facere.

Præterea quod propter Christi Sanguinem effusum post Angelorum casum de cælo intelligatur illud, quod in Apocalypsi dicitur, evidenter habetur Johan. 12. v.31., ubi legitur quod imminente passione sua dicit Dominus: *Nunc judicium est Mundi: nunc Princeps hujus Mundi ejicietur foras*. Quod evidenter idem est, ac illud quod dicitur in Apocalyp.: *Nunc facta est salus &c. quia projectus est accusator &c.*

Præterea Numquid istud bellum fuit ante peccatum ovium, vel post? Si dicas ante,

Contra. Dicitur Isaiæ 42. v.24. *Quis dedit in direptionem Jacob, & Israel vastantibus? Nonne Dominus ipse, cui peccavimus? Et noluerunt in viis ejus ambulare, & non audierunt legem ejus*. 25. *Et effudit super eum indignationem furoris sui, & forte bellum*. Videas Hæretice quod Isaias dicit bellum

[*] Quæ duobus asteriscis comprehendimus, desunt e Codice Bononiensi, & Neapolitano.

lum factum esse contra Jacob, & datum esse ipsum in direptionem, & vastationem, quia peccavit. Ergo bellum fuit post peccatum Ovium, non ante. Si post peccatum dicas illud bellum fuisse cæleste. Hoc stare non potest, quia Satan non pugnasset contra sibi consentientes, & peccantes; hic autem dicitur quod contra peccantes factum est bellum; ergo non potest intelligi de bello in cælo facto illud verbum Isaiæ, aut verbum Johannis.

Præterea nonne vides, quod ibi dicitur: *Nunc facta est salus, & quod projectus est Accusator, & propter sanguinem agni?* Antea ergo non erat salus ista illis, quibus facta est. Si ante sanguinem agni facta est salus Angelis, ergo non potest intelligi de bello Angelorum in patria cælesti. Fabulosum est ergo quod dicis, verba Johannis intelligi de Angelis, & de projectione eorum de cælesti Patria. Nomine ergo cæli intelligitur Ecclesia, in qua istud prælium factum est, & fiet ex parte, & fiet usque ad finem Mundi; in qua Ecclesia, & pro qua pugnat Michael, & Angeli ejus Ecclesiam adjuvando contra Draconem, & ejus Angelos. Ab isto autem cælo, idest Ecclesia projectus est Draco in terram, idest in eos, qui terrena sapiunt; Unde Johann. 12. v. 31. *Nunc Princeps hujus Mundi ejicietur foras*; & Isaiæ 65. v. 25. *Et serpenti pulvis panis ejus*. Genes. 3. v. 14. *Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ*: ita dicitur Serpenti. In fine etiam illius capitis Apocalypsis dicitur de Dracone, quod *stetit supra arenam maris*.

Quod autem dicitur Draconem traxisse cauda sua tertiam partem stellarum cæli, & divisisse eas super terram; hoc ideo dicitur, quia suggestione sua fraudulenta, qua operit mala, sicut cauda, turpia, illos, qui in Ecclesia lucebant, & in cælo fixi per desiderium videbantur, ad terrenorum desiderium incurvavit, ut dicere possint cum Davide psalm. 37. v. 7. *Miser factus sum, & curvatus sum usque in finem*. Per tertiam ergo partem stellarum intelliguntur Reprobi; per duas partes Electi; quorum quidam Prælati, quidam subditi, quidam activi, quidam contemplativi 1. Corinth. 7. v. 32. *Qui sine Uxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo*. 33. *Qui autem cum uxore est, solicitus est quæ sunt Mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est*. 34. *Et mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt Mundi, quomodo placeat viro*. Uterque tamen bonus, sed alter melior; *qui enim matrimonio jungit Virginem suam, bene facit*; *& qui non jungit melius facit*, ut ibi dicitur 38.

Quod autem dicitur: *neque locus inventus est eorum amplius in cælo*; hoc etiam dicitur Matth. 16. v. 18. *Et portæ Inferi non prævalebunt adversus eam*. Cujus caussa ponitur Matth. ult. v. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*.

Ex prædictis patet quod illud bellum Michaelis (151) cum Dracone spirituale bellum est, non materiale. Alioquin illa occisio esset materialis, & sanguis materialis, quem dicunt effusum. Sed numquid ille sanguis Israelitarum tantum fuit, aut etiam Angelorum Satanæ? Si tantum Israelitarum, idest cælestium, quomodo audes dicere Deum Sanctum in suo regno potentissimum?

Præterea quomodo stabit quod ibi dicitur: *& projectus est accusator &c.* Si autem fuit sanguis Adversariorum; ergo Deus Sanctus, & sui etiam homicidæ sunt, & sanguinarii. Eodem modo potest opponi, si effusio sanguinis ex utraque parte facta fuit.

Et quia ad hoc, quod intendunt, solent inducere illud Apocalyp. 14. v. 20. *Exivit sanguis de lacu usque ad frænos equorum*, ostendamus eos mendaces. Istud enim factum est secundum narrationem Johannis post illud bellum; hoc enim habetur Apocalyps. 14., illud autem 12.

Præterea lege illud caput 18. *Alius Angelus exivit de altari, qui habebat potestatem supra ignem: & clamavit voce magna ad eum, qui habebat falcem acutam, dicens: Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ: quoniam maturæ sunt uvæ ejus*. 19. *Et misit Angelus falcem suam acutam in terram, & vindemiavit vineam terræ, & misit in lacum iræ Dei magnum*: 20. *Et calcatus est lacus extra Civitatem, & exivit sanguis de lacu usque ad frenos equorum per stadia mille sexcenta*. Iste Angelus habens falcem acutam bonus erat, ut patet in littera præcedenti. *Iste misit falcem suam in terram, & vindemiavit vineam terræ, & misit botros vineæ terræ in lacum iræ Dei magnum*. Si hoc in cælo factum est, botri autem vineæ sunt illi, qui nascuntur in vinea, isti ergo botri bonæ creationis sunt. Quare missi sunt in lacum iræ Dei ab Angelo Sancto? Sic enim habetur quod sanguis eorum non est effusus, nisi ab illo vel consentiente, vel faciente; sequitur enim: *Et calcatus est lacus extra Civitatem, & exivit sanguis de lacu usque ad frænos equorum*. Vel si isti botri pugnabant contra Draconem, & Angelos ejus, & in illo bello effusus est eorum sanguis, non debuit ille bonus Angelus mittere eos in lacum iræ, sed misericordiæ, & gratiæ. Dic ergo mecum quod hic agitur de judicio ultimo, & ille Angelus Christus est habens falcem, idest sententiam acutam contra malos botros; & lacus est infernus calcatus extra Civitatem cælestem, & sanguinis nomine pœnæ significantur non tantum equorum, idest subjectorum, sed etiam frænorum, idest regentium alios, sed male; & *usque* ad Dæmones. Per mille, perfectissimi in malo significantur: per centum, perfectiores: per sex, perfecti.

Nunc redeamus ad testimonia, quibus pateat unum esse principium: Item Marci 12. v. 28. legitur: quod quidam Scriba interrogavit Jesum, *quod esset primum omnium mandatum*. 29. *Jesus autem respondit ei: quia primum omnium mandatum est: Audi Israel Dominus Deus tuus, Deus unus est*: 30. *& diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota-*

(151) Bogomilii censebant verum fuisse & non allegoricum hoc bellum; quod describit Johannes, multasque fabulas comminiscebantur, ut hoc pugnæ e genus suo systemati aptare possent. Consuli poterit Euthymius *in Panopl. Tit.* XXIII. *Tom.* XIX. *Bibl. PP. Lugd. pag.* 221. *n.* VI. Verum Spiritualem esse hujusce visionis sensum non Moneta modo, sed etiam plerique omnes SS. PP. contendunt imprimisque Gregorius Magnus *lib.* XXXII. *Moral. cap.* XIV *juxta vet. Edit.* Nec vero discrepant hæretici hujusce temporis. Videndi Zegerus in *cap.* XII. *v.* 13. & 4. *Apoc.* Grotius *ad idem cap.*

tota anima tua , & ex tota mente tua , & ex tota virtute tua . Hoc est primum mandatum. 31. *Secundum autem simile est illi : diliges proximum tuum tamquam teipsum . Majus horum aliud mandatum non est .* 32. *Et ait illi Scriba : Bene Magister , in veritate dixisti, quia unus est Deus, & non est alius præter eum .* 33. *Et ut diligatur ex toto corde , & ex toto intellectu , & ex tota anima, & ex tota fortitudine : & diligere proximum tamquam seipsum, majus est omnibus holocautomatibus , & sacrificiis .* 34. *Jesus autem videns quod sapienter respondisset , dixit illi : Non es longè a regno Dei* ; quia unum solum Deum credidit , & asseruit esse .

Præterea nonne iste Scriba erat Legisperitus ? Nonne erat Legis Doctor? Utique, ut habetur Lucæ 10. v.25.& Matth.22.v.35.,sed constat quod nonnisi legis Moysis , & ille docebat illam , & credebat datam a Deo ; illius etiam datorem eum credebat , de quo dicitur ibi : *Audi Israel &c.* Deuter. 6. v.5. de quo dicitur quod diligendus est *ex toto corde tuo &c.* Deus ergo veteris Testamenti est ille Deus , qui sic diligendus est : sed ille Deus , qui sic diligendus est , est ille Deus , præter quem non est Deus ; ergo non est alius Deus , quam Deus veteris legis .

Preterea quando Scriba dixit quod unus est Deus, & non est alius præter eum , de quo Deo intelligebat ? De alio non potest dici , quam de Deo veteris Testamenti . Sed nonne Christus dixit eum sapienter respondisse , & non esse longe a regno Dei ? Si Deus veteris Testamenti esset Satan , male respondisset , & esset longe a regno Dei .

Item 1. Corinth. 8. v. 4. *Scimus , quia nihil est* (152) *idolum in mundo , & quod nullus est Deus, nisi unus* . Quare ergo ponis plures ? Aut tu mentiris , aut Apostolus Christi .

Si autem dicat objiciens illud , quod sequitur 5. (*Siquidem sunt Dii multi , & Domini multi .*)

Respondeo . Sunt quidem Dii multi quantum ad dictum hominum carnalium ; unde ibi dicit Apostolus : *Nam etsi sunt , qui dicantur Dii sive in cælo , sive in terra : 6. Nobis tamen unus Deus , Pater* , idest secundum nos , *ex quo omnia , & nos in illum: & unus Dominus Jesus Christus , per quem omnia, & nos per ipsum . 7. Sed non in omnibus est scientia*, idest fides ista unius Dei ; & Tu de illis es . Dii ergo illi dicuntur , sed non sunt Dii natura , sed opinione falsa hominum ; unde ad Galat.4. v.8. dicitur : *Tunc quidem* idest quando infideles eratis , *ignorantes Deum , iis qui natura non sunt Dii , serviebatis* . Nonne simile dicitur Jerem. 2. v. 11. *Si mutavit gens Deos suos , & certè ipsi non sunt Dii : populus autem meus mutavit gloriam suam in idolum ?* Unus ergo Deus natura secundum Apostolum ; unde ad Ephes.4. v.5. & 6. *Unus Dominus , una fides , unum baptisma . Unus Deus , & Pater omnium , qui est super omnes , & per omnia , & in omnibus nobis* . Item 1. ad Timoth.2. v.5. *Unus enim Deus , unus & mediator Dei , & hominum homo Christus Jesus* .

Item Proverb.16. v. 4. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus : impium quoque ad diem malum* . Quis est iste impius ad diem malum factus , nisi ille , de quo Habacuc 1. v.4. *Propter hoc lacerata est lex , & non pervenit usque ad finem judicium: quia impius prævalet adversus justum* . Impium autem appellat Regem Chaldæorum , ut ibi habetur ; de quo postea dicit Habacuc ad Dominum 12. *Domine in judicium posuisti eum : & fortem , ut corriperes , fundasti eum* . Chaldæi Dæmones sunt , & Rex Chaldæorum Princeps eorum . Ipse ergo a Deo Patre justorum & positus est , & fundatus .

Item Sapient. 12. v.13. ita dicitur ad Deum Patrem justorum : *Non enim est alius Deus , quam tu, cui cura est de omnibus* . Justum autem esse Deum veteris Testamenti evidenter apparet parum antea 11. v.4. ubi dicitur : *sitierunt , & invocaverunt te, & data est illis aqua de petra altissima , & requies sitis de lapide duro* . Quis autem est iste , qui dedit eis hanc aquam ? Non potes ostendere aliquo testimonio , nisi mecum dicas hunc esse Deum veteris Testamenti , ubi hoc legitur factum esse ab ipso Numer.20. , & Deuter. 8. in fine . Hoc etiam patet in psalm.74. , & in psalm. 104. , ubi hoc dicitur , & historia veteris Testamenti explicatur . Præterea Job 41. v. 24. *Non est super terram potestas , quæ comparetur ei , qui factus est , ut nullum timeret .* 25. *Omne sublime videt , ipse est Rex super universos filios superbiæ* . Ecce , sicut tu existimas , Job loquitur de Principe Mundi . Quomodo ergo ponis eum principium per se , cum factus sit , ut dicit Job ? Præterea nonne cap.40.v.10. loquitur de Behemoth per quem intelligitur Satan , & dicit Dominus de eo ad Job ; *Ecce Behemoth, quem feci tecum , fænum quasi bos comedet ?* Nonne subdit de eodem ibi dicens 14. *Ipse est principium viarum Dei , qui fecit eum, applicabit gladium ejus ?* Præterea ibi dicit ad Job 20. *An extrahere poteris Leviathan hamo , & fune ligabis linguam ejus ?* Iste autem est ille Leviathan , de quo dicitur Isaiæ 27.v.1. *In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro , & grandi , & forti , super Leviathan serpentem vectem , & super Leviathan serpentem tortuosum , & occidet cetum , qui in mari est* . De isto autem Leviathan dicit Job 41. in fine : *qui factus est , ut nullum timeret &c.* Si factus est , ergo non est unus Deus per se .

Præterea dixerat Dominus ad Job 40.v.24. *Numquid illudes ei quasi avi , aut ligabis eum ancillis tuis ?* Per quod patet , quod iste est ille , de quo dicit David secundum unam litteram : *Draco iste , quem formasti ad illudendum ei &c.* ; secundum aliam litteram dicit: *Leviathan istum psalmasti, ut illuderet ei.*

[*] Preterea Johann.6. v. 71. dixit Christus discipulis (153) suis : *Nonne ego vos duodecim elegi: & ex*

(152) Vide Irenæum *lib.* III. *Contra Hæreses cap.* VI. *pag.*181. quo loco in hanc rem testimonium hoc Pauli adhibet , refellitque oppositionem Gnosticorum ita ut eam refellit Moneta . Consule supra notationes nostras

[*] Duobus asteriscis comprehensa non exstant in Codice Bononiensi .

(153) Rem hanc præclare exequitur Didymus *lib. Contra Manichæos pag.* 211. *Ac Judam* , inquit , *cum homo alioquin esset , diabolum Dominus nominavit , non propter substantiam , sed propter voluntatem , cum numerans Judam in discipulis dixit eis :* Nonne duodecim vos elegi , & unus ex vobis diabolus est ? *Et subjungit Evangelista :* hoc autem dixit de Juda , qui eum proditurus erat . *Si enim propter futuram electionem* diabolus *vocatus est , non jam tunc* diabolus *erat , quando cum omnibus electus est . Electus enim cum omnibus est propter virtutem , quæ tunc in eo erat; tunc autem appellatus est* diabolus ; *quando , quæ ad proditionem spectabant operabatur* . &c.

& ex vobis unas Diabolus est? De qua creatione erant isti? de creatione mala secundum te, quia Diabolus erat. Quare ergo eum elegit, cum non possit salvari? Si dicas ut traderet eum; ergo erat consentiens peccato ejus, & particeps peccati illius; si quis enim aliquem elegit ex certa scientia ad aliquod scelus faciendum, particeps est illius.

Præterea quomodo confidet in eo Christus, si alterius creationis erat, & vere Diabolus; legitur enim in psalmo 40. v.10. *Etenim homo pacis meæ, in quo speravi: qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem?* [*]

Item. Ad Rom. 1. v.25. Apostolus arguens vitia Gentilium ait de ipsis: *Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium; & coluerunt, & servierunt creaturæ potius, quam Creatori, qui est benedictus in sæcula.* Si duo essent Dii Creatores, quicumque servit, vel servit isti, vel servit illi. Et non dixisset Apostolus: *Servierunt creaturæ potius, quam Creatori, qui est benedictus in sæcula*; Sed potius dixisset: servierunt Creatori, qui est maledictus in sæcula. De hoc arguebat Gentiles, quod Creatore benedicto neglecto converterant se ad servitium creaturæ ejus. Sed ipsi non serviebant nisi Satanæ, aut istis visibilibus, ergo tam Satan, quam ista visibilia creaturæ Dei boni sunt. Quibus autem creaturis servirent, habetur Actor. 14. v. 11. quod Jovi, & Mercurio; unde ibi dicit Paulus, & Barnabas 14. *Annunciantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cælum, & terram &c.* Isti duo Planetæ visibiles sunt in cælo, a quibus dixerunt eos converti ad Deum, qui fecit eos; conditor est ergo Deus Pater justorum visibilium istorum.

Item Jacobi 2. v. 19. *Tu credis quoniam unus est Deus: bene facis; & Dæmones credunt, & contremiscunt.* Deus Pater justorum dicit illum bene facere, qui credit unum tantum esse; ergo Tu male facis, qui credis plures.

Sed forte dices [*] quod sequitur, quia credo plures esse, credo unum esse. Male intelligis Hæretice; Jacobus enim unum dicit Deum, idest unicum solum Omnipotentem. Probo per sequentia: *& dæmones credunt, & contremiscunt*; credunt scilicet unum Deum esse, idest unum Omnipotentem, & contremiscunt de eo, quod non facerent, si suus, quem falso ponis, omnipotens crederetur ab eis.

Item 1. ad Timoth. 1. v. 17. *Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor, & gloria in sæcula sæculorum.* Nullus ergo alius est Deus. Nonne vides quid dicat David ad ipsum psalm. 144. v.13. *Regnum tuum regnum omnium sæculorum: & dominatio tua in omni generatione, & generationem?* Ergo Satan nusquam habuit regnum aliquod, vel si habuit, Deo Sancto, & justo permittente; quod etiam patet per illud, quod dicit Apostolus 1. ad Timoth. 6. v.13. *Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, & Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem*: 14. *ut serves mandatum sine macula, irreprehensibile usque in Adventum Domini nostri Jesu Christi*, 15. *quem suis temporibus ostendet beatus, & solus potens, Rex Regum, & Dominus Dominantium*: 16. *qui solus habet immortalitatem.* Ecce quod dicit Paulus quoniam ipse solus est, & potens. Hoc autem dupliciter: vel quia ex se, non ex alio habet posse ipse solus. Unde Diabolus nullum habet posse etiam nocendi, ut patet Matth. 9. v.33., ut jam dicam nil ex ipso, licet ille male utatur arbitrio voluntatis suæ. Vel solus Deus bonus potens est potentia universali; unde David: *Et dominatio tua in omni generatione, & generationem*; idest in generatione visibili, & invisibili: Ad Coloss. 1. v.16. *In ipso condita sunt universa in cælis, & in terra, visibilia, & invisibilia &c.* Cum igitur ipse solus sit Omnipotens, quare audes alium dicere Omnipotentem? Si enim dicas quod ipse in sua generatione Omnipotens est, hoc patet esse falsum in porcis, quorum potestatem non habuit, nisi quando Christus sibi concessit.

Præterea patet idem in Job, in cujus rebus non habuit potestatem, nisi Domino concedente; unde & Sathan dixit ei: 1. v.11. *Extende paululum manum tuam &c.*; item nec in anima Job, idest corporali vita ejus; unde hoc præceptum accepit a Deo Satan: 2. v.6. *Verumtamen animam illius serva* idest vitam sic enim sumitur juxta illud Actor. 20. v.24. *nec facio animam meam pretiosiorem, quam me.* Istud etiam patebit in capitulo de origine primi mali.

Præterea dicit Apostolus quod solus Deus habet immortalitatem; ergo alius Deus, quem ponis, non est immortalis, ergo est mortalis; potest igitur mori, ergo non est Deus.

Istud etiam patet Apocalyps. 9. v. 3. ubi dicitur quod *de fumo putei exierunt locustæ in terram, & data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ.* A quo autem sit eis data potestas patet per id, quod sequitur 4. *& præceptum est illis ne læderent fænum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem: nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis.* Istud autem præceptum non faceret Satan; sed hoc fecit Angelus, Apocalyps. 7. v.2., *ascendens ab ortu solis, qui clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ, & mari*, 3. *dicens: Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.* Neque est contrarium nobis quod habetur Apocalyps. 13. v.2., ubi dicitur quod *Draco dedit* bestiæ habenti capita septem, & cornua decem *virtutem suam, & potestatem magnam*: Draco enim potestatem ipsam accepit a Deo, ut patet Job 1., ut jam diximus.

Item nonne hoc patet Apocalyps. 1. v.17. & 18., ubi dicitur: *Ego sum primus, & novissimus, & vivus, & fui mortuus, & ecce sum vivens in sæcula sæculorum, & habeo claves mortis, & inferni?* Lege illud, quod dicitur Apocalyps. 3. v.7.: *Hæc dicit sanctus, & verus, qui habet clavem David: qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit.* Item lege illud, quod dicitur Apocalyps. 20. v. 1. quod Angelus descendit de cælo, habens *clavem abyssi, & catenam magnam in manu sua.* 2. *Et apprehendit Draconem, Serpentem antiquum, qui est Diabolus, & Satanas, & ligavit eum per annos mille*: 3. *& misit eum in abyssum, & clausit &c.* Si ligatur a Deo Sancto, & solvitur ab eodem quando vult quomodo

[*] Deest fortasse τὸ esse.

[*] Vaticanus Codex hæc habet: *sequitur, quod si plures credo esse.* Minus castigate.

do audes eum dicere omnipotentem in abyſſo, cum ſolus Deus, vel ejus Angelus habeat clavem abyſſi?

Item vis videre palam, quod non eſt hic omnipotens? Nonne dicitur Marci 3. v.27. *Nemo poteſt vaſa fortis ingreſſus in domum diripere niſi prius fortem alliget, & tunc domum ejus diripiet?* Ecce quod Mundus iſte domus ejus dicitur, licet non per creationem domus ejus ſit, ut infra probabitur; ſed factus per potentiæ ſuæ exercitium contra homines. In hac autem domo ligatur a Deo; ergo non eſt hic omnipotens, ergo non eſt hic Deus.

Item quod Pater juſtorum ſolus Deus ſit, & quod Satan, ſive Diabolus ejus creatura ſit, evidens eſt per Jerem. 31. v.10. *Qui diſperſit Iſrael, congregabit eum: & cuſtodiet eum ſicut paſtor gregem ſuum.* 11. *Redemit enim Dominus Jacob, & liberavit eum de manu potentioris.* Iſte potentior non eſt ille Nabuchodonoſor, qui populum Dei tenebat captivum, ut habetur Jerem.39.? Iſte potentior, qui eſt Nabuchodonoſor, eſt ipſe Diabolus ſecundum te, quem credis, quia populum Dei captivavit, & afflixit crudeliter, ut habetur in Prophetis.

Modo quero: numquid de dominio fuit Patris juſtorum? Si dicas non: contra. Legitur Jerem. 25. v. 8. *Hæc dicit Dominus exercituum: Pro eo quod non audiſtis verba mea:* 9. *Ecce ego mittam, & aſſumam univerſas cognationes Aquilonis, ait Dominus, & Nabuchodonoſor Regem Babylonis ſervum meum: & adducam eos ſuper terram iſtam.* Item Jerem.27. v.5. dicit Dominus: *Ego feci terram*; & poſt pauca ſubdit: *& dedi eam ei, qui placuit in oculis meis*. 6. *Et nunc itaque Ego dedi omnes terras iſtas in manu Nabuchodonoſor Regis Babylonis ſervi mei.* Vides manifeſte quod ſervum ſuum eum appellat; ergo ipſe non eſt unus Deus per ſe, immo ſubjectus Deo bono.

Præterea dicit ſe feciſſe terram, & dediſſe eam ei, qui placuit in oculis ſuis. Ex quo argumentatur: *& nunc itaque ego &c.* Ergo Nabuchodonoſor placuit Deo bono; ergo non erat naturaliter malus, vel Creator ei contrarius, vel de aliena creatione.

Præterea legitur Jerem. 27. quod comminatur Dominus illis, qui non ſubjecerint ſe jugo Regis Babylonis; illis autem, qui ſe ſubjecerint, promittit bona. Unde de primo ibi legitur *Gens autem, & regnum, quod non ſervierit Nabuchodonoſor Regi Babylonis, & quicumque non curvaverit collum ſuum ſub jugo Regis Babylonis: in gladio, & in fame: & in peſte viſitabo ſuper gentem illam, ait Dominus: donec conſumam eos in manu ejus.* 9. *Vos ergo nolite audire Prophetas veſtros, & divinos, & ſomniatores, & Augures, & maleficos, qui dicunt vobis: Non ſervietis Regi Babylonis.* 10. *Quia mendacium prophetant vobis: ut longe vos faciant de terra veſtra, & ejiciant vos, & pereatis.* De ſecundo autem ſubdit 11. *Porro gens, quæ ſubjecerit cervicem ſuam ſub jugo Regis Babylonis, & ſervierit ei; dimittam eam in terra ſua, dicit Dominus: & colet eam, & habitabit in ea.* Nonne etiam vides miſer Hæretice, quod Dominus populum ſuum monet ſubjicere colla ſua ſub jugo Regis Babylonis, & ſervire ei, & populo ejus ut vivat? Ibi enim legitur 12. *Subjicite colla veſtra ſub jugo Regis Babylonis &c.* Nonne etiam vides, quod Dominus per Jeremiam 21. monet populum ſuum, ut ſe tradat Regi Babylonis, & Chaldæis, qui obſidebant ipſum, alioquin occideretur ab ipſo? Unde 9. *Qui habitaverit in Urbe hac, morietur gladio, & fame, & peſte: qui autem egreſſus fuerit, & transfugerit ad Chaldæos, qui obſident vos, vivet, & erit ei anima ſua, quaſi ſpolium.* Cur etiam non conſideras Hæretice illud, quod ait Daniel 2. v. 37. ipſi Nabuchodonoſor, qui populum Dei tenebat captivum? *Tu Rex Regum es: & Deus cæli, regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi:* 38. *& omnia in quibus habitant filii hominum, & beſtiæ agri: volucres quoque cæli dedit in manu tua, & ſub ditione tua univerſa conſtituit.*

Item nonne vides quid de eodem Nabuchodonoſor Daniel 3. v.32. ait ad Dominum? *Tradidiſti nos in manibus inimicorum noſtrorum iniquorum, & peſſimorum prævaricatorumque, & Regi injuſto, & peſſimo ultra omnem terram.* In fine autem capitis legitur etiam de iſto Nabucho-donoſor 95. *Et erumpens Nabuchodonoſor, ait: Benedictus Deus eorum, (Sidrach videlicet, Miſach, & Abdenago) qui miſit Angelum ſuum, & eruit ſervos ſuos, qui crediderit in eum: & verbum Regis immutaverunt, & tradiderunt corpora ſua, ne ſervirent, & ne adorarent omnem Deum, excepto Deo ſuo.* 96. *A me ergo poſitum eſt hoc decretum, ut omnis populus, tribus, & lingua, quæcumque locuta fuerit blaſphemiam contra Deum Sidrach, Miſach, & Abdenago, diſpereat, & domus ejus vaſtetur: neque enim eſt alius Deus, qui poſſit ita ſalvare.* 97. *Tunc Rex promovit Sidrach, Miſach, & Abdenago in Provincia Babylonis.* 98. *Nabuchodonoſor Rex, omnibus populis, gentibus, & linguis, qui habitant in univerſa terra, pax vobis multiplicetur.* 99. *Signa, & mirabilia fecit apud me Deus excelſus. Placuit ergo mihi prædicare* 100. *ſigna ejus, quia magna ſunt: & mirabilia ejus, quia fortia: & regnum ejus regnum ſempiternum, & poteſtas ejus in generationem, & generationem.* Illa autem numquam feciſſet Nabuchodonoſor, ſi de mala creatione fuiſſet.

Item nonne etiam vides Hæretice quid Daniel dicit eidem Nabuchodonoſor cap.4. v. 24. poſt interpretationem ſomnii Regis? *Quam ob rem Rex conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum: forſitan ignoſcet delictis tuis.* Ergo erat de creatione, & Dominio Dei boni. Item in fine ejuſdem capitis. *Nunc igitur ego Nabuchodonoſor laudo, & magnifico, & glorifico Regem cæli: quia omnia opera ejus vera, & viæ ejus judicia, & gradientes in ſuperbia poteſt humiliare.* Quinto etiam capite Danielis de hoc ſatis habetur.

Item quare non attendis Hæretice illud, quod legitur Ezech. 29. v.18. ubi dicit Dominus Ezechieli. *Fili hominis Nabuchodonoſor Rex Babylonis ſervire fecit exercitum ſuum ſervitute magna adverſus Tyrum: omne caput decalvatum, & omnis humerus depilatus eſt: & merces non eſt reddita ei, neque exercitui ejus de Tyro.* Et poſt pauca ſubdit 20. *dedi ei Terram Ægypti, pro eo quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus.*

Si

Si autem vis dicere iſtum Nabuchodonoſor alium eſſe, ſcilicet de bona creatione, & alterius Babylonis Regem, ſcilicet Babylonis de creatione bona; confiteor quod & Rex Babylonis Nabuchodonoſor, & ipſa Babylon bonæ ſit creationis. Sed quod alius ſit ab illo Rege Babylonis, quem inducunt Prophetæ, ego nego, nec tu potes oſtendere aliquo teſtimonio hoc, quod dicis. Quod autem idem ſit ille, de quo agitur in Veteri Teſtamento, & de quo agitur in Prophetis, poſſum oſtendere manifeſte. Illa enim, quæ geſta dicuntur a Nabuchodonoſor per Prophetas, palam inveniuntur facta a Nabuchodonoſor, qui introducitur a Veteri Teſtamento, ut patet 4. Regum 24., & 2. Paralipom. 35. Non inveniuntur autem facta ab alio, niſi ab illo, vel ejus filio, ſcilicet Balthaſar, ut habetur in Daniele. Sed Nabuchodonoſor creatura Dei eſt; ergo ſi ipſe, vel ejus filius Diabolus eſt, ut tu falſo ponis, ipſe Diabolus eſt cretura Dei Patris juſtorum.

Item aliam Babylonem non potes oſtendere, niſi iſtam, cui ipſe Nabuchodonoſor præerat, qui in Veteri Teſtamento inducitur. Nonne Dominus per Jeremiam 29. v. 7. hortatur populum ſuum dicens: *Quærite pacem Civitatis, ad quam traſmigrare vos feci: & orate pro ea ad Dominum: quia in pace illius erit pax vobis?* Ex quo patet quod iſta Babylon de creatione Dei boni erat, & pax ejus a Deo bono; ad alium enim Deum non hortaretur Propheta populum Dei orare, nec pro pace alterius Babylonis, quæ non eſſet de ſua creatione; illa enim non eſſet pacis Dei boni ſuſceptibilis.

Præterea quomodo diceret Propheta Iſaias de iſta Babylone 21. v.4. *Babylon dilecta mea poſita eſt mihi in miraculum*, niſi eſſet ejuſdem creationis ſecum? De illa enim Babylone loquitur, de qua parum antea locutus fuerat, ut de ejus Rege 14. v.4. *Sumes parabolam iſtam contra Regem Babylonis, & dices: quomodo ceſſavit exactor, quievit tributum?* Iſte autem eſt ille, qui ut ibi habetur 13., dixit: *In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis.* 14. *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo.*

Præterea quomodo Jerem. 51. 8. diceret Deus Angelis ſuis: *Vlulate ſuper eam, tollite reſinam ad dolorem ejus, ſi forte ſanetur?* Ipſi autem reſponderunt 9. *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam.* Certe iſta non dicerent, ſi malæ eſſet creationis. De eadem etiam Babylone loquitur cum Iſaia. Item Jerem. 51. v.11. poſt illa verba: *Suſcitavit Dominus ſpiritum Regum Medorum* dicitur: *Et contra Babylonem mens ejus eſt ut perdat eam, quoniam ultio Domini eſt, ultio templi ſui.* Simile dicitur Iſaiæ 13. v.17. *Ego ſuſcitabo ſuper eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint &c.* Item Jeremiæ 50. v.14. *non parcatis jaculis*, (154) ſive ſagittis, de quibus ibi loquitur Iſaias.

Quod etiam unicum principium ſit, unicus Deus tantum, probari poteſt ex libero arbitrio; ſi enim liberum arbitrium habet populus Dei ad bonum, & ad malum, de neceſſitate oſtendit unicum eſſe principium. Et quia de hoc dicetur inferius, cum de libero arbitrio tractabimus, ideo ad præſens hic iſtud prætermittimus. Iſtud idem palam erit, cum probatum fuerit Deum datorem Veteris Teſtamenti eſſe Deum Patrem Chriſti, & omnium juſtorum. Sed quia iſtud dicetur in capitulo de Deo Veteris Teſtamenti, idcirco illud hic non determinamus.

Palam etiam erit, cum probatum fuerit unum, & eundem Deum eſſe cauſſam rerum permanentium, & tranſitoriarum, inviſibilium, & viſibilium iſtarum; quod inferius determinabitur.

Idem etiam manifeſtum erit quando agemus de miraculis: quod faciemus circa finem hujus primæ partis.

CAP. II.

De Trinitate Perſonarum.

VIſo primo capitulo hujus primæ partis, nunc pertractemus ſecundum capitulum de Trinitate Perſonarum. Hæc Trinitas teſtificata eſt a lege & Prophetis. A lege; unde Geneſ. 1. v.1. dicitur: *In principio creavit Deus cælum, & terram.* Nomine principii filium (1) deſignavit, qui ait Johannis 8. v.25. *Principium, qui & loquor vobis.* Iſtud principium eſſe Chriſtum patet per David, qui ad Patrem loquens ait pſalm. 103. v.24. *Omnia in ſapientia feciſti: impleta eſt terra poſſeſſione tua. In ſapientia* dixit, (2) ideſt in filio; teſte enim Apoſtolo 1. Corinth. 1. v.23. *Prædicamus Chriſtum crucifixum: Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam*, 24. *ipſis autem vocatis Judæis, atque Græcis Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam.* De Spiritu Sancto quoque ibidem fit mentio, ubi dicitur 2. *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.* (3) Aquarum nomine materiam deſignavit indiſtinctam adhuc per ſpecies, quas videmus, ſuper quam materiam Spiritus Dei ferebatur; ſicut ſpiritus alicujus Artificis fertur ſuper rem, de qua vult aliquid fabricare.

 Ean-

(154) Quæ teſtimonia ex veteri Teſtamento collegit Noſter, idcirco a Patribus non ſunt veteribus Manichæis, Gnoſticiſque oppoſita; quod ab hoc genere hæreticorum Vetus Teſtamentum rejiceretur. Verum cum Cathari libros Prophetarum probarent, merito ſane Moneta hiſce teſtimoniis eoſdem exagitavit.

(1) Ita plerique omnes Sancti Patres: quamvis enim *principii* vocabulo *initium* temporis intelligi commode poſſe arbitrentur, contendunt tamen *Filium* quoque hoc eodem nomine indigitari. Itaque, ne longus eſſe videar, utar hoc uno Tertulliani teſtimonio, quod extat *lib. adv. Hermog. cap. xx. pag.* 240. *Si per ſophiam Dei omnia facta ſunt, & cælum ergo, & terram Deus faciens in principio, ideſt initio, in ſophia ſua fecit .... De ſophia autem potuit dici in principio. In ſophia enim primo fecit, in qua cogitando, & diſponendo jam fecerat.* Sophiæ autem nomine Verbum divinum, adeoque filium intelligit Tertullianus, quem conſulere Lector poterit.

(2) Sunt hæc veterum Patrum, qui contra Arianos diſputarunt ſententiis mirifice conſentanea. Conſulantur S. Athanaſius Oratione I. *contra Arianos pag.* 424. *Tom.* I. *Opp. Edit. an.* 1698. & *Orat.* II. *pag.*473. & 539. & *Oratione* IV. *pag.*620. *Epiſt. de Decretis Synodi Nic. pag.* 223. Auguſtinus *Enarrat. in Pſ.* CIII. *Tom.* IV. *col.*876. *Edit. Amſtel. Tractatu* I. *in Johannem Tom.*III. *P.*II. *col.* 216. &c.

(3) Vide Athanaſium *Epiſtola* I. *ad Serapionem num.*5. *Tom.* I. *P.* II. *Oper. Edit. Pariſ. an.* 1698. *pag.*651.

Eandem etiam Trinitatem Perſonarum (4) David expreſſit, cum ait pſalm. 32. v. 6.: *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Verbum Domini Filius Patris eſt. Idem etiam David ait pſalm. 66. v. 8. *Benedicat nos Deus Deus noſter, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.* Ter dixit Deus, ut Trinitatem Perſonarum innueret; unitatem vero eſsentiæ expreſſit in eis, cum dixit ſingulariter: *& metuant eum omnes fines terræ.* Non dixit eos. Iſaias etiam cap. 6. v. 3. dicit ſe audiſſe (5) Seraphim clamantes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.* Ter dixit Sanctus, ut Trinitatem Perſonarum ſignificaret; per hoc autem quod ſubdit: *Dominus Deus,* unitatem eſſentiæ oſtendit in illis.

Sed quia Cathari, qui unicum ponunt principium, his teſtimoniis contradicunt non recipientes legem, aut Prophetas, (6) niſi ubi volunt, ad teſtimonia Novi Teſtamenti veniamus. Matth. ultimo v. 19. Chriſtus unitatem eſſentiæ trium Perſonarum, & Trinitatem ipſarum explicavit, quando dixit: *Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Non dixit in nominibus, ſed in nomine, ut ſic oſtenderet tres Perſonas eſſe unius ſubſtantiæ: per nomina vero tria, quæ ſuppoſuit, tres eſſe Perſonas declaravit. Hujus etiam rei teſtimonium habetur expreſſum 1. Johannis 5. v. 7., ubi Johannes ait: *Quoniam tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi Tres unum ſunt.*

His viſis finem huic capitulo imponamus; iſtud enim plenius innoteſcet, cum agemus de Divinitate Filii Dei, & de Divinitate Spiritus Sancti in tertia parte hujus operis, ubi oſtendemus cum Dei auxilio quod Tres Perſonæ ſunt, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; conſubſtantiales ſunt, coæternæ, & Coomnipotentes, & hujuſmodi. Præterea quod unus Deus ſit, & quare?

Item quod ſit perſonaliter trinus; & quare tres Perſonæ ſunt, & non plures, quare conſubſtantiales, & coomnipotentes, & coomniſcientes: iſtud oſtenſum eſt in ſermone facto ſuper illo verbo Eccleſiaſtici 43. v. 4. *Tripliciter ſol exurens montes, radios igneos exſufflans, & refulgens radiis ſuis obcæcat oculos.*

C A P. III.

Unde malum habeat ortum.

EX Divinis Scripturis evidenter apparet, quod cæleſtes Creaturæ, quas (1) ſolemus Angelos appellare, peccaverunt in cælo; ſed unde habuerit peccatum iſtud originem diverſimode judicatur. A quibuſdam dicitur quod peccatum eorum ex libero ipſorum arbitrio ortum eſt: quod credimus aſſerentes eos in libero arbitrio conditos eſſe a Deo, ſicut in ſequentibus probabitur.

Alii autem duo principia (2) aſſerentes, dicunt quod non proceſſit ex libero arbitrio ipſorum peccatum primum; non enim liberum habebant arbitrium, ut ipſi dicunt. Ponunt autem iſti quod Filius mali Dei in cælum aſcendit, ubi in Angelum lucis transfiguratus propter vehementem ſuam pulchritudinem dilectus eſt ab Angelis Dei, & aſſumptus in villicum, (3) & quaſi Dominus ſuper ipſos; qui colloquio habito cum illis ſua aſtutia eos decepit, & ad peccandum inclinavit, & ad iſtam regionem traxit. Et ſic ponunt quod peccatum eorum a malo principio duxit originem; ſicut enim iſti Hæretici teſtimonio Divinarum Scripturarum, & quibuſdam etiam auctoritatibus naturalibus prave intellectis ſubverſi ponunt duo Principia, ſic etiam quia non vident quomodo a Bono malum eſſe poſſit, ideo quærunt unde malum venerit in populum cæleſtem.

Ad quod dicendum quod malum poteſt dici ipſa malitia, ſicut album quandoque dicitur ipſa albedo, ut album eſt ſpecies coloris ſicut dicit Ariſtoteles, (4) ſic

(4) *Ex his*, inquit Athanaſius *Epiſt. 1. ad Serap. n. 31. pag. 679. una Trinitatis efficientia eſſe oſtenditur . . . Ille igitur* [Spiritus] *qui res creata non eſt, ſed cum Filio non ſecus conjunctus eſt, ac ipſe Filius cum Patre: qui item cum Patre, & Filio honoratur, & cum Verbo Deus agnoſcitur, nec non ea ipſa agit, quæ per Verbum Pater efficit, qui res creata dici poſſit, niſi ab eo, qui in Filium ipſum impius fuerit? Siquidem nihil prorſus eſt, quod non per Verbum fiat, & agatur in ſpiritu: quemadmodum etiam in Pſalmis canitur:* Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum. *Vide Ep. II. ad eundem n. 8. pag. 689. & Orat. Athanaſii ejuſdem Contra Gentes n. 45. pag. 45. Tom. 1. Parte 1.* & Irenæum Polycarpi Auditorem *lib. 1. Contra* Hæreſes *cap.* XXII. *al.* XIX. *num. 1. pag.* 98. Cyrillum Hieroſolymitanum *Catech.* XIII. *n.* XXVIII. *pag.* 196.

(5) *Et cum Seraphim Deum glorificant dicentes:* Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth, *Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum glorificant. Quamobrem ſicut in nomine Patris & Filii baptizamur, ita & in nomine Spiritus Sancti, & efficimur Filii Dei non Deorum. Pater enim, & Filius, & Spiritus Sanctus, Dominus Sabaoth eſt. S. Athan. lib. de Incarnat. & Contra Arianos num. 10. pag. 877. ſeq. Tom. 1. Opp. parte* II. Videtur ut eodem argumento contra Arianos utatur Athanaſius, quo noſter utitur contra Catharos? Adeundus idem Athanaſius *Epiſt. 1. ad Serapionem num. 5. pag. 653. & n. 11. pag. 660.*

(6) Nempe Concorrezenſes, de quibus diſſerit Reynerius Sachonus. *In Summa de Catharis Apud Martenium Tom.* V. *Theſauri Anecdotor.* Hi enim non admittebant ſcripturas veteris teſtamenti; demptis iis teſtimoniis quæ in novo Teſtamento afferuntur; quæque a Deo bono prophetis, ac Moſi revelata fuiſſe arbitrabantur.

(1) De Angelorum peccato fuſe diſſerit Dionyſius Petavius *lib.* III. *de Angelis cap. 1. per totum Tom.* III. *Theolog. Dogmat.* variaſque recenſet de genere ſceleris ejuſdem Veterum Patrum ſententias. Quod vero libero arbitrio abuſi ceciderint ex aliquot Patrum eorumdem locis oſtendit *lib.* III. *cap.* XI. Fuiſſe quidem genus quoddam Catharorum, quod libere dæmones lapſos fuiſſe diceret, innuit hoc loco Moneta. Ego autem Catharos de Concorrezo fuiſſe ſuſpicor, qui de uno principio recte ſentiebant: ut animadvertit Aeinerius Sachonus *l. c. pag.* 1773.

(2) Nempe Albanenſes, qui Johanni de Lugio parebant. Conſulitor Reinerius Sachonus *ibid. pag.* 1771.

(3) Mutuati ſunt quidem hoc erroris genus a Bogomiliis Cathari Albanenſes. Quamvis enim Cathari mali principii Filium neceſſitatem intuliſſe Angelis affirmarent, contra vero Bogomilii boni Dei filium majorem natu Satanaelem hujuſce ſceleris auctorem fuiſſe contenderent, in reliquis tamen ridiculæ hujus narrationis partibus mirifice Bogomiliis cum Albanenſibus conveniebat. Præſtat audire Euthymium Zigabenum, qui *Titulo* XXIII. *Panopliæ P.* II. *cap.* VI. *pag.* 221. *Tom.* XIX. *Biblioth.* Patrum Editionis Lugdunenſis, hæc habet: *Dicunt* [Bogomilii] *dæmonem, qui a Servatore appellatus eſt Satanas, filium eſſe ipſum quoque Dei Patris, & vocari Satanael, & filio Verbo natu majorem eſſe, præſtantioremque, utpote primogenitum: fratres igitur eſſe ſed Satanael domus eſſe procuratorem, & ſecundas poſt Patrem partes obtinere, eumdemque ſtola, & habitu indutum eſſe, & ad ejus dexteram conſidere in ſolio, & ſecundam habere dignitatem. Qua quidem ebrium, ſtulteque ſublatum, de defectione cogitaſſe, arreptaque quondam occaſione miniſtras tentaſſe poteſtates, ut excuſſo miniſterii jugo ſe ſequerentur, & ſecum in Patrem conſurgerent. Et ad iſtiuſmodi nugas confirmandas ex Lucæ Evangelio parabolam afferunt Villici iniquitatis, qui debita minuit debitoribus.*

(4) sic malum sonat in qualitatem. Dicitur etiam malum ipsas pœnas, & sic sonat in passionem. Dicitur etiam malum actus malus, & sic sonat in actionem. [*] Cum tribus istis modis dicatur malum, de quolibet illorum intelligi potest illud, quod dicit Augustinus. (5) Malum est privatio speciei, modi, & ordinis. De malo secundum quod sumitur qualitative manifestum est; malitia enim non est nisi privatio istorum trium. De malo autem actu verum est quia est privatio illorum trium, idest caussa privationis eorum, malum autem pœnæ dicitur privatio eorum, quia sequela est privationis eorum. Speciem appellat (6) Augustinus perspicacitatem naturalium bonorum. Modum appellat potestatem comparatam ad actum debitum, cujus diminutio dicitur modi privatio. Ordinem appellat quamdam naturalem tendentiam in Deum, quæ aliquando dicitur ab Augustino: amor boni, & acceptio veri animæ naturaliter insita, cujus tendentiæ inflexio ad creaturas dicitur privatio ordinis. Potest tamen dici quod idem in essentia est species, modus, & ordo, sed ratione differunt; bonitas enim Naturalium animæ dicitur species comparata ad animam, quia facit eam speciosam; comparata autem ad opus dicitur modus, quia modificat illud; comparata verò ad finem operis, idest ad Deum dicitur ordo, quia similiter ordinat opus ad Deum. Nunc respondeamus quæstioni Hæretici dicentis quod [*] Si in quæstione præmissa unde venerit primum malum in populum Dei, ipse sumit malum pro malitia, respondendum (7) est ei, sicut Sanctus Anselmus de casu Diaboli cap. 27. respondit cuidam Discipulo interroganti unde venit nihil in aliquid. Quam quæstionem oportet eum solvere, sicut Discipulus S. Anselmi fecit. Nihil nec venit, nec recedit. Quo dicto dicemus ei: cur ergo quæris unde venit malitia in populum Dei, cum malitia nihil sit? Sicut enim silentium (8) nihil est, nisi privatio pura, & absentia soni ubi esse deberet; & sicut quies nihil est nisi privatio pura, & absentia motus, ubi aptus est esse; & sicut cæcitas est absentia visus, ubi esse potest de natura; & sicut tenebræ dicuntur videri eo quod non percipitur lux ubi apta est esse; & sicut silentium dicitur audiri, quia non percipitur sonus loquelæ alicujus; ità pariter sicut injustitia, vel malitia improprié dicitur esse, ita improprie dicitur agere. Unde cum dicitur quod injustitia facit rapinam, & cæcitas facit cæcum cadere in foveam, non ideo dicitur quod injustitia, vel cæcitas proprie aliquid faciat, sed per accidens, idest quia si justitia esset in voluntate, & visus in oculo, nec rapina fieret, nec casus in foveam. Tale enim est istud, quale cum dicimus: absentia gubernaculi, impellit navem in scopulos, & absentia fræni facit equum discurrere. Quod non est aliud dicere, nisi quod si gubernaculum adesset navi, & frænum æquo, nec venti navem impellerent, nec equus discurreret; sicut enim gubernaculo regitur navis, & æquus fræno, sic justitia gubernatur voluntas hominis, & pedes visu. Ita etiam malitia, vel injustitia non est nisi privatio, sive absentia bonitatis, vel justitiæ ubi esse deberet. Improprie ergo dicitur esse injustitia, vel malitia, quia scilicet justitia, vel bonitas non est ubi esse debet.

Si autem quærat Hæreticus utrum Deus fuerit auctor istius malitiæ, vel injustitiæ, dico quod non proprie, & per se loquendo; per accidens autem sic. Cum enim una sit caussa in omnibus, quæ opponuntur, ut privatio, & habitus, necesse est bonum, & malum sive bonitatem, & malitiam eandem habere caussam; unde cum Dominus sit caussa bonitatis, est etiam caussa malitiæ, sed per accidens, non per se loquendo, ideo scilicet, quia est caussa boni, quo non existente non posset privari. Unde D. Dionysius 4. (9) de divinis nominibus post medium: tenetur autem & ipsum malum boni participatione, & substantificat sui privatione bonum; divino enim abeunte bono neque universaliter aliquid erit bonum, neque mixtum, neque ipsum malum; si enim malum imperfectum bonum est per absentiam perfectam boni & imperfectum, & perfectum bonum aberit.

Remove materialem lucem ex toto, & non erit umbra materialis. Similiter si removeas ex toto lucem spiritualem, quæ est bonitas, non erit umbra spiritualis, idest malitia. *Visitavit quidem nos oriens ex alto*. Lucæ 1. v. 78. & 79. *Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent*. Secundum istum modum potest intelligi illud Amos c. 3. v. 6. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit?* Quasi dicat: nonne vides quod ex luce materiali mediante corpore objecto fit umbra? Similiter ex luce spirituali mediante objecto alicujus inordinatæ concupiscentiæ est umbra malitiæ spiritualis. Ecce habemus unum modum, quo per accidens est malum a Deo, scilicet quia bonum ab ipso est, cujus privatio est ipsa malitia, quæ aliter esse non posset, nisi bonum fuisset.

Si autem dicat Hæreticus quod in quæstione sua unde malum venit in cælestem substantiam, ipse sumit malum pro malo actu, idest pro concupiscentia inordinata, ut malum sonet in actionem, dico quod ex libero arbitrio ipsius, & ita ex bono. Unde Beatus Augustinus (10) in libro *unde malum*, quærens quis

(4) Aristoteles in II. Ethicor. *cap.* VII. & alibi sæpe.

(5) S. Augustinus *lib. de Natura Boni cap.* IV. *col.* 502. *Tom.* VIII. *Opp. Edit. an.* 1688. *Quærendum est, inquit, quid sit malum, quod nihil aliud est, quam corruptio vel modi, vel speciei, vel ordinis naturalis*.

(6) Colligit hasce speciei, modi, Ordinisque definitiones ex eodem Augustini libro Moneta. Neque enim ad Verbum in Augustini operibus exstant.

[*] Quæ duobus asteriscis comprehensa vides desunt e Neapol. Cod. exstantque in Vat.

(7) De Casu Diaboli *cap.* XXVII. *pag.* 73. *seq. Edit. an.* 1675. D. *Unde .... venit malum .... in Angelum?* Mag. *Dic tu mihi unde venit nihil in aliquid?* Disc. *Nihil nec venit, nec recedit*, Mag. *Cur ergo quæris unde venit injustitia, quæ nihil est?*

(8) Hoc responsi genere usi etiam sunt, qui contra Manichæos disputarunt Patres. Vide Titum Bostrensem *lib.* II. *pag.* 115. Augustinum *lib. Contra Epistolam Manichæi cap.* XXVII. *seqq. Tom.* VIII. *Opp. pag.* 169. & Dionysium Petavium *lib.* VI. *Theologicor. Dogmat. cap.* IV. *per tot. Tom.* I. qui plerosque Patres affert, quibus, hæc sententia probata est.

(9) *Lib. de Divinis nominibus cap.* IV. §. XX. *pag.* 576. *Tom.* I. *Opp. Edit. an.* 1634.

(10) I. *Lib. de Libero Arbitrio cap.* I. in quo quærit *Unde sit malum?* Sunt autem Augustini verba hujusmodi: *Non unus aliquis est, sed quisque malus sui malefacti auctor est*. Quæ vero Moneta aliquanto inferius adfert ex Augustino, exstant perinde *lib.* I. *cap.* I. *de lib. Arb. col.* 569. *Tom.* I. Consule *lib.* LXXXIII. *Quæst.* XXIV. *col.* 6. *Tom.* VI. *Opp.*

quis sit auctor istius mali, respondet: *non unus aliquis auctor est, sed quod quisque male operans sui malefacti auctor est* propria arbitrii libertate; unde dicit Augustinus: *Malefacta Dei justitia vindicantur, nec juste vindicarentur, nisi fierent voluntate.*

Dico ergo quod cælestium substantiarum populus ideo malum fecit, quia voluit quod non debuit.

Si autem dicas mihi: quare voluit quod non debuit? Dico quod nulla voluntas præcessit hanc voluntatem, sed libera potestas ad eam, & suum oppositum.

Si autem dicas mihi, quod ipsa (11) potestas a Deo bono erat, & bona erat, nihilque mali in ipsa erat: quomodo ergo ex ea malum est?

Respondeo, quoniam (12) eadem est potestas, sive vis contrariorum, ut visus albi, & nigri, & sic de aliis sensibus. Similiter eadem est potentia boni, & mali. Et nonne vides quod eodem oculo potest quis bene, & male uti? similiter & eadem manu. Quare & eadem arbitrii potestate non potuit uti populus Dei & male, & bene?

Item eadem lux prodest, & obest. Eadem lingua maledicimus, & benedicimus, ut habetur Jacobi 3. v. 10. Similiter eadem liberi arbitrii potestas prodest, & obest; eadem bene, & male velle possumus, & potuit substantia cælestis; neque enim in tanta perfectione, & complemento conditæ sunt cælestes substantiæ, ut non sint susceptibiles malitiæ. Potestas ergo ipsarum incompleta, & diminuta a Deo condita est. Dico ergo quod malum principium venit ex hac diminutione potentiæ in populo Dei, quæ quidem diminutio a Deo est, & bonum quid est eo modo, quo est; ergo malum ex bono est. Vis etiam hoc videre secundum tuam falsam opinionem quod necesse sit ita dicere?

Attende quoniam cælestium substantiarum quædam conditæ sunt a Deo Patre justorum in tanto complemento, fortitudine, ac scientia, ut per Villicum iniquitatis secundum te non potuerint inclinari ad malum, sicut dicere consuevisti; quædam autem non sunt conditæ a Deo tam completæ, immo diminutæ in prædictis bonis. Ista diminutio, si aliquid est, & eo modo, quo est, a Patre justorum est, & bona est. Aliter ne audes dicere? Ex hac diminutione potuerunt inclinari ad malum, & inclinatæ sunt; ergo ex bono malum oportet te dicere; & si ex illo bono, ergo ex primo bono malum, quod quidem verum est, sed per accidens, falsum autem ut ostensum est modo, quia per diminutionem illam, in qua condita est potentia liberi arbitrii, etiam ipsum liberum arbitrium non secundum id, quod est, sed secundum quod diminutum prædicto modo efficit malum; unde (13) Augustinus dicit, quod malum non habet caussam efficientem; sed deficientem; caussa enim ejus non est Deus, vel potentia liberi arbitrii, nisi per defectum aliquem, sive diminutionem, sicut & Deus. Iste est secundus modus, quo dicitur malum a Deo esse per accidens, quia per bonum, quo non existente omnino non posset privari bono: quod idem est quod malum fieri, sicut idem est tenebras videri, & lucem non percipi, ubi nata est esse.

Et notandum quod cum Augustinus dicit, (14) quod mali actus non unus aliquis auctor est, ipse loquitur per se, & proprie; per accidens enim loquendo Deus ipse auctor est, & caussa mali.

Fuit autem caussa mali tertio modo; sicut enim dicitur quod pulchritudo Mulieris est caussa quare aliquis eam concupiscit, ita etiam excellentia creatoris gloriosi, & sublimis fuit caussa primæ iniquitatis. Considerans enim se Satan aliis cælestibus creaturis celsiorem, & sibi solam Divinam Potentiam superesse, in ambitionem æqualitatis Divinæ Dominationis prorupit; *sed mentita est iniquitas sibi*. Et cum non potuerit esse Deo æqualis potestatis æqualitate, factus est illi dissimilis operationis contrarietate. Et licet sciret se non posse Deo æquari, tamen illud cupivit, quia uti dicit Augustinus, & verum est: Ambitiosa voluntas non quid possit, sed quid velit attendit. Et sicut magnitudo revelationum, quæ bona erat, & a Deo, poterat extollere Paulum; unde & ait 2.Corinth.12. v.7. *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet*; ita etiam magnitudo, in qua conditus est Satan, ipsum extulit. Bonum ergo caussa mali fuit. Quod si esse non posset, Paulus non dixisset: *ne magnitudo &c.*

Vis autem videre quod ex bono potest esse malum? Attende illud, quod dicit idem Paulus 1. Corinth. 11. v. 29. de Corpore Domini, & Calice ejus. *Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit.* Nonne vides etiam quod idem Apostolus ait 2. Corinth. 2. v. 15. *Christi bonus odor sumus Deo in iis, qui salvi fiunt, & in iis, qui pereunt*: 16. *aliis quidem odor mortis in mortem: aliis autem odor vitæ in vitam*? Item ad Rom.7. v. 7. ubi agit de hoc mandato: *non concupisces*: dicit Apostolus: *Sed peccatum non cognovi, nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: non concupisces*. Ecce quod illud mandatum datum caussa est boni, scilicet scientiæ, quod concupiscentia sit peccatum. Postea dicit 9. *Cum venisset mandatum, peccatum revixit*. 10. *Ego autem mortuus sum: & inventum esse mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc est ad mortem*. Et ita bonum, scilicet mandatum istud, est occasio mali. Ex bono ergo est malum, & bonum, sed bonum proprie, & per se, malum autem per accidens.

Nonne etiam vides quod ait Christus Johannis 15. v. 22. *Si non venissem, (15) & locutus fuissem eis,*

(11) Simile quidpiam opponebant Catholicis Manichæi veteres. Videsis Augustinum *lib. de Duabus Animabus contra Manichæos cap.* VIII. *col.* 82. *Tom.* VIII. *Opp.*

(12) Consulitor Augustinus *ibid. cap.* X. *col.* 84. *seq.* & Titus Bostrensis *lib.* II. *contra Manichæos pag.*95.

(13) Sanctus Augustinus *lib.*XII. *de Civitate Dei cap.*VI.*col.*304. & 306. & *cap.* IX. *col.* 308. *Tom.* VII. *Opp. Mali sunt*, inquit, *mala propria voluntate, quam bona natura non fecit, nisi cum a bono sponte defecit, ut mali caussa non sit bonum, sed defectus a bono*. Vide librum secundum de *Libero Arbitrio cap.* XX. *col.*608. *seq. Tom.* I. *Opp.*

(14) *Lib.* I. *de Libero Arbitrio cap.* I. *col.* 569. *Tom.* I. Quod autem Augustini mentem assequutus Moneta fuerit, colligo ex *lib. Contra Epistolam Manichæi cap.*XL.& *seq.col.*179.*seq. To.*VIII. *Opp.*

(15) Adisis Augustinum Epist. CXCIV. *al.* CV. *ad Sixtum cap.*VI. *n.* 26. *Tom.* II. *Opp.* Et quo ad alterum testimonium attinet, Origenem *Contra Celsum lib.* VII. *n.* 39. *pag.* 722. *Tom.* I. *Opp. Edit. Monachor. S. Mauri*.

eis, peccatum non haberent? Item Johannis 9. v. 39. *in judicium ego in hunc Mundum veni: ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.*

Nonne etiam vides quod ex malo eſt bonum? Dicit enim Apoſtolus ad Rom. 11. v. 11. *Illorum delicto ſalus eſt gentibus.* Nonne vides quod Chriſtus per mortem ſuam deſtruxit *eum, qui habebat mortis imperium, ideſt Diabolum*, ſive ejus poteſtatem in hominibus, ut dicitur ad Hebræos 2. v. 14. Mors ergo ejus cauſſa boni fuit, & tamen malum quid fuit. Nonne vides quod dicit Apoſtolus 2. Corinth. 8. v. 9. *Quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus egenus factus eſt, ut illius inopia divites eſſemus?* Ergo ejus inopia temporalis cauſſa eſt noſtrarum divitiarum ſpiritualium. Ergo ex malo bonum. (16) Nonne vides quod & Apoſtolus dicit Actor 14. v. 21. *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei?* Illas tamen tribulationes diceres eſſe malas.

Quod autem malum ſit a Deo in his duobus ſenſibus, ideſt ſecundum quod ſumitur pro qualitate, vel actione teſtimoniis Scripturarum Sacrarum poteſt oſtendi. Dicit enim Apoſtolus ad Rom. 1. v. 28. *Quod tradidit Deus* quoſdam *in reprobum ſenſum: ut faciant ea, quæ non conveniunt*, et alia hujuſmodi. Item 24. *tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam: ut contumeliis afficiant corpora ſua.* Ad Rom. 11. v. 32. *Concluſit enim Deus omnia in incredulitate: ut omnium miſereatur.* Item Johann. 11. & 15., ut prædiximus parum ſupra. Item Iſaiæ 63. v. 17. dicunt Oves Dei ad eum: *Quare errare nos feciſtis Domine de viis tuis: induraſti cor noſtrum ne timeremus te?*

Præterea Chriſtus elegit Judam in Apoſtolum: hoc fuit bonum, & tamen ex hoc multa mala fuerunt; ergo ex bono malum. Item ex aſcenſu villici iniquitatis in cælum, quem tu ſomnias, proceſſit bonum, ut tu dicis, ſcilicet quia Deus manifeſtavit in eo potentiam ſuam, & ideo Dominus voluit, quod aſcenderet, & ejus voluntate aſcendit; ergo ex bono malum, & è converſo.

§. I.

De origine mali ut eſt pœna & de aſcenſu villici in cælum.

VIſo quomodo malum dicatur eſſe a Deo ſecundum quod malum ſumitur qualitative, ideſt pro malitia; & ſecundum quod ſumitur active, ſcilicet pro ipſo malo actu, videamus de malo ſecundum quod ſumitur paſſive, ideſt pro pœna, an, & quomodo a Deo ſancto habeat eſſe. De hoc dicit (17) Auguſtinus: *Malefacta Dei juſtitia vindicantur.* Ad Hebræos 12. v. 6. *Quem enim diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Et quia de hoc dicemus in quarta parte hujus operis, quando loquemur de judicio, 3. ſcilicet capitulo; ideo huc breviter pertranſimus redeuntes ad id, quod propoſuimus, ſcilicet ad oſtendendum falſam eſſe eorum ſententiam de origine primi mali in populo Dei boni per aſcenſum villici iniquitatis. Errorem igitur ipſorum detegere non noſtris viribus, ſed Dei adjutorio cupientes.

Primo inquiramus unde habent quod in cælum aſcenderit? (18)

Secundo utrum de voluntate, & conſcientia Dei boni aſcenderit?

Tertio an peccatum Angelorum cæleſtium præceſſerit aſcenſum Filii mali Dei in cælum (19) vel ejus cum ipſis colloquium, an e converſo?

Quarto quis fecit eum villicum iniquitatis?

Quod aſcenderit volunt probare per illud Iſaiæ 14. v. 13. quod dicitur (20) de Rege Babylonis, quem credunt fuiſſe illum villicum, qui dicit: *in cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis.* 14. *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo.* Si dixit in cælum conſcendam, erat ergo infra cælum, ergo in terra.

Ad hoc autem dicimus, quod Rex Babylonis, de quo ibi agitur quantum ad Hiſtoriam, & litteralem ſenſum, ibi non dicitur ipſe Diabolus, ſed Rex Babylonis; ibi enim agitur de civitate Babylonis ſubvertenda per Medos, ut habetur parum ante Iſaiæ 13. v. 17. *Ecce ego ſuſcitabo ſuper eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint:* 18. *ſed ſagittis parvulos interficient, & lactantibus uteris non miſerebuntur, & ſuper filios non parcet oculus eorum.* Poſtea dicitur. 19. *Et erit Babylon illa glorioſa in regnis, inclyta ſuperbia Chaldæorum: ſicut ſubvertit Dominus Sodomam, & Gomorram.* 20. *Non habitabitur uſque in finem, & non fundabitur uſque ad generationem, & generationem: nec ponet ibi tentoria Arabs, nec paſtores requieſcent ibi.* 21. *Sed requieſcent ibi beſtiæ, & replebuntur domus eorum draconibus: & habitabunt ibi Struthiones, & piloſi ſaltabunt ibi:* 22. *& reſpondebunt ibi ululæ in ædibus ejus, & ſirenes in delubris voluptatis.* 14. v. 1. *Prope eſt ut veniat tem-*

(16) Conſule Auguſtinum *lib.* XIV. *de Civit. Dei cap.* XXVII. *Tom.* VII. *Opp.*

(17) *Vide Notam* 14. *in hoc cap.*

(18) Sunt hæc ex Manetis fabulis hauſta; quamvis non omni ex parte illis reſpondeant. Manichæi namque, auctore Theodorito *lib.* I. *Hæret. Fabul. cap.* XXVI. *pag.* 213. *Tom.* IV. *Opp. Edit. an.* 1642. diabolum modo principem Materiæ, modo materiam appellabant. Materiam porro vim feciſſe ajebant, aſcendiſſeque in ſupera loca. miratam autem Dei majeſtatem, conſtituiſſe, expulſo Deo, illum ſibi principatum parare. Itaque Deum lucis tam immane ſcelus iniquo animo paſſum fuiſſe, voluiſſeque in materiam animadvertere. Sed mali copiam, quo ipſam punire poſſet, non habuiſſe, quippe cum malum in Dei domo nullum exſtet. Ergo miſiſſe ſubdebant, virtutem quamdam, quam nos appellamus animam; quæ pars ſit Dei. &c. Adeundi Theodorit. *ibid. pag.* 212. Alexander Lycopolites *lib. de Placitis Manichæor. pag.* 4. *apud Combefiſium Tom.* I. *Auctar. Biblioth. PP. Parte* II. Rem hanc paullo aliter deſcribit Tyrbo apud Archelaum *Diſp. Cum Manete n.* VIII. *pag.* 10. magiſque ad Catharorum ſententiam accommodate. Conſule quoque Auguſtinum *lib. de Vera Religione cap.* X. *Tom.* VIII. *Opp.*

(19) Eſt hic error proprius Albanenſium Catharorum, qui Balaſinanſæ placitis addicti erant, atque ex prave intellecta Johannis Evangeliſtæ doctrina *cap.* XII. *Apocalypſ. v.* 7. pugnam hanc confinxerunt Cathari Albanenſes. Quod autem ajebant Cathari, ut paulo poſt initium hujuſce operis animadvertit Moneta; fraudulento diaboli colloquio animas cecidiſſe, illigataſque fuiſſe corporibus; ſimile eſt ejus, quod refert de Apelle Tertullianus *lib. de Anima cap.* XXIII. *Apelles*, inquit, *ſollicitatas refert animas terrenis agris de ſupercæleſtibus ſedibus ab igneo Angelo* [malo] *qui exinde illis peccatricem circumfinxerint carnem.*

(20) Hoc ipſo argumento abutebantur Bogomilii apud Euthymium *Parte* II. *Panopliæ Tit.* XXIII. *pag.* 221. *Tom.* XIX. *Bibl. PP. Edit. Lugd.*

tempus ejus; ideſt captivitas Babylonis, ubi populus Judæorum captivus liberandus erat, & deſtructa Babylone in terram ſuam revocandus, ut ibi dicitur: *miſerebi tur enim Dominus Jacob*. Nonne ibi dicitur 2. *Et erunt capientes eos, qui ſe ceperant, & ſubiicient exactores ſuos*? Nonne ibi dicitur parum ante, quod Jacob, & Iſrael *ſuper terram Domini in ſervos, & ancillas*? Hoc autem de Dæmonibus non poteſt intelligi. Nonne ibi dicitur. 3. *Et erit in die illa: cum requiem dederit tibi Deus a labore tuo, & a concuſſione tua, & a ſervitute dura, qua ante ſerviſti*? Poſtea ſequitur 4. *Sumes parabolam iſtam contra Regem Babylonis, & dices: quomodo ceſſavit exactor, quievit tributum*? Item. 12. *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris*? Id eſt de altitudine regni ſui. Dicitur autem *Lucifer* Nabuchodonoſor, quia aliis regibus glorioſior fuit, ſicut Lucifer aliis Angelis.

Præterea. Dato quod per Luciferum Diabolus intelligatur, quoad litteram tamen facile eſt reſpondere Hæretico. Dico enim falſum eſſe quod dixit: *in cælum conſcendam, &c.* Nonne vides Hæretice quod poſtrema ejus verba falſa ſunt: *Similis ero Altiſſimo*? Si hic confiteris eum eſſe mendacem, quare in primis eum dicis veritatis aſſertorem?

Præterea nonne dicitur Johannis 8. v. 44. quod ipſe *mendax eſt, & pater ejus*? Nonne Chriſtus dixit ibi quod *in veritate non ſtetit*, & quod *non eſt veritas in eo*? Et tu dicis, quod verax eſt, & veritas eſt in eo dicendo: *in cælum conſcendam, &c.* Nonne in hoc oſtendis te Antichriſtum eſſe, vel ejus membrum.

Præterea detur quod verum dixerit. Aut ex ſe, aut ex bono ſpiritu? Si ex bono ſpiritu; bonus ergo ſpiritus faciebat eum dicere hoc, bonus ergo ſpiritus loquebatur per ipſum; quod incredibile eſt, ſi ejus creatura non eſt. Præterea dicere in corde quod in cælum aſcenderet, eſt proponere illud. Numquid iſtud propoſitum habebat a ſpiritu bono? Non diceres hoc. Ergo non dixit illud a bono ſpiritu. Si ex ſeipſo; ergo dicebat mendacium; ut enim dicit Chriſtus Johannis 8. v. 44. *cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur*.

Si autem dicas mihi quod aliquando invenitur Diabolum verum dixiſſe, hoc mihi non nocet, quia dico eum creaturam Dei boni, & bonum eſſe ſecundum ſuam naturam, licet malus ſit ſecundum voluntatem ſuam pravam. Cum ergo ſua creatura ſit, & bonum quid, ut diximus, ſecundum ſuam ſubſtantiam, non eſt incredibile quod Deus loquatur per ipſum aliquod verum. At tunc non loquitur ex propriis, & veritas etiam in ipſo non eſt ab ipſo. Nam etiam bonum, quod dicebat, vel faciebat Chriſtus, a ſeipſo non dicebat, vel faciebat, ſed a Patre. Nec mirum, quia nec a ſe erat, ſed ab ipſo. Propter hoc dicit ipſe Johannis 8. v. 28. *A me ipſo facio nihil*. Item Johannis 14. v. 10. *Verba, quæ ego loquor vobis, a me ipſo non loquor*.

HÆR. Ad idem inducunt iſtud teſtimonium, ſcilicet ad probandum quod aſcenderit in cælum ad populum Dei captivandum: dicitur enim in principio Abdiæ 4. ad Edom, qui etiam ibi Eſau appellatur, *ſi exaltatus fueris ut aquila, & ſi inter ſydera poſueris nidum tuum: inde detraham te*.

CATH. Sed contra hoc ſic objicitur. Nonne iſta ſunt verba Dei boni? Utique. Quomodo ergo dicit: *inde detraham te*, cum detrahere idem ſit quod deorſum trahere? Sic ergo videtur quod bonus Deus deorſum eſſet, & ille ſurſum.

Si dicas quod per alios dicat ſe inde eum trahere.

Contra hoc ſic dico. Si inde detraxit eum, ideſt Edom, quod tamen non eſt verum, conſtat quod inde non corruit, niſi per bonos Angelos pugnantes adverſus malos, ut dicis, & teſtimonium ad hoc inducere conſueviſti Apocalypſis 12. v. 7. *factum eſt prælium, &c.* licet hoc teſtimonium non ſit pro te, ut poſtea oſtendetur. Sed detur hoc ad præſens diſputationis cauſſa. Si hoc eſt, quod Deus per bonos Angelos de cælo traxerit eum, ergo ipſe erat ſupra in cælo, & ille infra; quod eſt contra auctoritatem Apocalypſ., ubi dicitur quod *factum eſt prælium magnum in cælo, &c.* Relinquitur ergo quod totum iſtud, quod Abdias dicit, factum ſit in hoc Mundo.

Præterea non dicit quod in cælum aſcenderit, ſed *ſi exaltatus, &c.* quaſi dicat poſito quod ita ſit, quamvis non ſit verum. Ergo per Abdiam non habes quod aſcenderit in cælum.

Præterea nonne ibi dicitur 10. *Propter interfectionem, & propter iniquitatem in fratrem tuum Jacob, operiet te confuſio, & peribis in æternum*? Iſta prophetia ex parte facta erat, quia iniquitatem exercuerat in Fratrem, ut dicit ibi Abdias, non in hoc mundo, quia ante hujus mundi conſtitutionem; ergo Edom antequam hic eſſet, in carne erat Frater Jacob; ergo ab eodem cum Jacob, ſed Jacob a Deo bono, ergo & Edom.

Præterea iſta prophetia in cælo facta (21) eſt ſecundum te, & ibi dicitur quod Edom Frater Jacob eſt: de præſenti, vel de præterito? Quomodo ergo dicis quod filius Dei mali, quem villicum iniquitatis appellas, ibi dicatur Edom, cum Frater Jacob dicatur, & ab eodem cum Jacob in ipſo cælo ſecundum te?

Præterea nonne dicit: *operiet te confuſio*? Quomodo hoc, cum ſemper opertus ſit confuſione? Sic ergo videtur per miſericordias Domini, quod aliquando non fuerit opertus confuſione.

Præterea quomodo dicit: *& peribis in æternum*? Si enim malæ naturæ eſſet, & malæ creationis, quomodo peribit? Sic ergo videtur quod aliquando non perierit. Præterea multa ibi alia ſunt, quæ non poſſunt ſtare ſecundum intellectum iſtorum Hæreticorum.

HÆR. Ad idem inducunt illud, quod habetur Lucæ 10. v. 15. *Et tu Capharnaum uſque ad cælum exaltata, uſque ad infernum demergeris*. Et per Capharnaum intelligunt ſocietatem Dæmonum quos in cælum aſcendiſſe ponunt propter hoc, quod hic dicit Chriſtus.

CATH. Ad

(21) Nempe juxta atque quidam Cathari arbitrabantur; qui in alio mundo, quem ſpiritualem, atque celeſtem eſſe cenſebant, prophetas oracula ſua fudiſſe jactabant. Erant autem hi e ſchola Johannis de Lugio, qui Catharis Albanenſibus veluti filius major præerat; ut Sachonus *l.c.* memoriæ prodidit.

CATH. Ad hoc sic respondeo. Nomine cæli hic intelligitur altitudo summa honoris mundani per figuram, quæ dicitur transsumptio, quæ accidit quando una vox transfertur ab una significatione ad aliam per aliquam similitudinem; quæ figura sæpe invenitur in Sacra Scriptura; unde Johannis 15. v. 5. dixit Christus: *Ego sum vitis, vos palmites*. Quam similitudinem jam exposuerat dicens 4.: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis*. Similiter cælum prædictam altitudinem significat; nec mirum, quia cælum inter corporalia altissimum est. Vult ergo dicere Christus, quod summus honor mundi, & summa potentia non valebit ei, quin in Infernum demergatur. Potest etiam dici, quod hyperbolice loquitur; hæc enim figura Hyperbolis frequens est in scripturis. Est autem Hyperbole, ut dicit Donatus in libro suo, qui Barbarissimus vocatur, [*] excelsitas sermonis fidem excedens. Nonne legitur in principio Deuteronomii cap. 1. v. 28. quod Filii Israel dixerunt. *Quo ascendemus? Nuncii terruerunt cor nostrum, dicentes: maxima multitudo est, & nobis statura procerior: urbes magnæ, & ad cælum usque munitæ?* Per hoc autem volebant significare nimiam altitudinem murorum urbium illarum, & sic quod inexpugnabiles essent.

Præterea nonne Matthæi 11. v. 23. dicitur: *Et tu Capharnaum, numquid usque in cælum exaltaberis? Usque in infernum descendens. Quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem*. Si ita est, ut dicis, quod Capharnaum turba sit Dæmonum, quos ponis naturaliter malos, quare fecit Christus virtutes in eis, cum non possent converti ad Deum sanctum.

HÆR. Ad idem inducunt illud, quod habetur Apocalypsis 18. v. 5., ubi dicitur de Babylone: *pervenerunt peccata ejus usque ad cælum*. Et per hoc intelligere volunt, quod Dæmones usque ad cælum ascenderint. Quod intellectum non possunt probare testimonio alicujus scripturæ.

CATH. Ego autem dico quod peccata Babylonis usque ad cælum pervenisse dicuntur, quia judicium ejus ad Deum cæli pervenit. Quod autem ita sit, ut dico, habetur Jerem. 51. v. 9. *pervenit usque ad cælos judicium ejus, & elevatum est usque ad nubes*. Hoc autem idem est quod Deum judicare de ea. Et quod ita sit, habetur eodem cap. Apocalypsis. 18. v. 8. *fortis est Deus, qui judicabit illam*. Item ibidem 19. *una hora desolata est* 20. *Exulta super eam cælum & sancti Apostoli, & Prophetæ: quoniam judicavit Deus judicium vestrum de illa*.

HÆR. Ad idem inducunt illud, quod dixit David psalmo 106. v. 26. *Ascendunt usque ad cælos, & descendunt usque ad abyssos*.

CATH. [*] Hujus solutio est, qua prius dixerat 23. *Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis*. 24. *Ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia ejus in profundo*. Postea subdit 25. *Dixit, & stetit*, idest se erexit, *spiritus procellæ*, idest tempestas: *& exaltati sunt*, hoc est elevati *fluctus ejus*, id est maris materialis. Postea subdit hyperbolice loquendo: *Ascendunt usque ad cælos, & descendunt usque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat*. 27. *Turbati sunt, & moti sunt*, idest obstupuerunt, & intremuerunt homines mare intrantes cum navibus, uti prius dixerat. Hoc autem dixit de fluctibus materialibus ad denotandam eorum magnam elevationem. Et non loquitur ibi de Dæmonibus, ut patet ex illo Deuteronomii 1. v. 28. *urbes magnæ, & ad cælum usque munitæ*. [*]

Præterea nonne dixit: *dixit, & stetit spiritus procellæ?* Quis est iste, qui hoc dixit, nisi Dominus, de quo processerat sermo? Et ne dicas quod malus est, vide quid dicat Isaiæ 51. v. 15. Dominus sanctus ad populum suum Israel: *Ego autem sum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, & intumescunt fluctus ejus*. Hoc idem patet Matth. 8. v. 23. ubi de Jesu dicitur: *Ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus*. 24. *Et ecce motus magnus, &c.* de quo habebitur infra 9. cap. de miraculis.

§. II.

Utrum de conscientia, & voluntate Dei boni ascenderit villicus ille in cælum.

NUnc accedamus ad secundum, quod proposuimus, & quæramus utrum de conscientia, & voluntate Dei boni ascenderit. Si dicas quod ascendit Deo ignorante, ergo non est omnium cognitor; quod falsum esse apparet ex multis testimoniis scripturarum, ut patet Eccles. 23. v. 28. *oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes*. Etiam Danielis 13. v. 42. Susanna condemnata ad mortem injuste exclamavit, & dixit: *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant*, 43. *tu scis quoniam falsum testimonium tulerunt contra me*. Ad Hebræos 4. v. 13. *omnia autem nuda, & aperta sunt oculis ejus*. Job 34. v. 21. *Oculi enim ejus super vias hominum, & omnes gressus eorum considerat*. 22. *Non sunt tenebræ, & non est umbra mortis, ut abscondantur ibi qui operantur iniquitatem*.

Præterea bonum fuisset quod illum cognosceret, cum ascenderit ut caveret sibi; ergo si non scivit hoc, in eo fuit defectus alicujus boni, ergo non erat summe, sive perfecte bonus tunc; ergo nec modo, cum non mutaverit naturam.

Si dicatur quod ipse tum dormiebat, quando ille ascendit. Contra. Nonne dicis tu quod ante lapsum Israel quem tu ponis in cælum peccasse ante patrem justorum, jam prophetaverat David dicens psalmo 120. v. 4. *non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israel?*

Si dicatur quod ipso sciente ascendit. Numquid potuit eum prohibere? Si non; ergo non erat omnipotens in bono, ergo nec modo, cum non mutaverit naturam. Si potuit eum prohibere, ne ascenderet, & scivit: aut voluit, aut non? Si voluit prohibere, & potuit, & scivit; ergo non ascendit. Si non

[*] Quæ duobus asteriscis comprehensa sunt desunt e *Cod. Bonon. & Vat.*

non voluit prohibere, videtur quod ei imputandum ſit, non ovibus, quæ villico conſenſerunt. Quia aut oves poteſtatem habebant reſiſtendi ſibi, aut non? Si non habebant, nec eis dare volebat tunc poteſtatem iſtam, ergo ſibi, non ovibus imputandum eſt. Si autem poteſtatem habebant. Aut habebant ſcientiam reſiſtendi, aut non? Si non habebant ſcientiam reſiſtendi, & cavendi ſibi, ſimiliter imputandum eſt ei peccatum, non ovibus, quia non dedit eis ſcientiam cavendi. Si autem ſcientiam habebant cavendi ſibi, & reſiſtendi ei; ad minus tamen ad hoc voluntatem non habebant; ipſe autem non dedit, nec dare eis voluit voluntatem reſiſtendi villico; ergo imputandum eſt ei peccatum, non ovibus.

Si autem dicatur, quod voluntatem ſibi cavendi, & ei reſiſtendi habebant; item potentiam, & ſcientiam, ut dictum eſt, quomodo ergo ceciderunt? Nullo modo cecidiſſent, ſi potentiam, & ſcientiam, & voluntatem cavendi habuiſſent.

Præterea dicas mihi: conſenſit ne villico in facto ſuo, vel permiſit? ſi enim conſenſit in malo facto ejus, dignus morte eſt; dicitur enim ad Rom. 1. v. 32. *Qui talia agunt, digni ſunt morte: & non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*. Si permiſit; ad quid permiſit; Si dicas: ut dilataret famam ſuam, unde hoc habes? Dices etiam, ſicut quidam eis adhærens mihi reſpondit, & ſicut quidam Catharus ſcripſit illud: ad Rom. 9. v. 17. *Dicit enim ſcriptura Pharaoni: quia in hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam: & ut annuncietur nomen meum in univerſa terra*. Sunt ergo verba iſta boni Dei ad Diabolum ſecundum te, & ipſe dictus eſt Pharao, ſicut credis. Sed ille eſt Deus Veteris Teſtamenti, quem ſcriptura Exodi 9. v. 16. introducit; non enim alium, neque aliam ſcripturam potes oſtendere, quæ alium Deum introducat loquentem Pharaoni; ergo Deus Veteris Teſtamenti eſt Deus bonus.

Præterea dilatatio famæ ſuæ non eſt condigna recompenſatio ſuſpenſionis Filii ejus in cruce, & vituperiorum ſibi illatorum, & afflictionum populi ſui; ſtultiſſimus ergo fuit qui tam malum cambium fecit.

Præterea ex hoc non creſcebat regnum ejus, neque ſua, neque ſuorum felicitas; immo hoc accidebat, quod populus ſuus ducebatur captivus in terram alienam, ubi multis anguſtiis premeretur, & diu, & pro ipſo redimendo Filius ejus ſuſpenderetur.

Ex his, quæ diximus patet Hæreticum falſum quid ponere, cum dicit, Diabolum aſcendiſſe in cælum, & ad peccatum inclinaſſe populum Dei in cælo. Oſtenſum eſt etiam, quod neque eo ſciente, neque ignorante, neque volente, neque permittente aſcendit.

§. III.

An peccatum ovium Iſrael præceſſerit aſcenſum villici, vel e converſo.

Viſo an aſcenderit Diabolus in cælum Deo bono ſciente, vel ignorante, volente, vel permittente; & oſtenſo quod non aſcenderit, accedamus ad tertium, & diſcutiamus an peccatum ovium Iſrael præceſſerit aſcenſum villici, vel e converſo. Si dicatur quod prius fuit peccatum ovium, ergo non omne malum eſt a Deo malo, quem tu falſo ponis. Si dicatur, quod ejus aſcenſus præceſſit peccatum ovium.

Contra. Dicit Jeremias in Threnis 4. v. 12. *Non crediderunt reges terræ, & univerſi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hoſtis, & inimicus per portas Jeruſalem*: & dicit quare intrabat 13. *propter peccata prophetarum ejus, & iniquitates ſacerdotum ejus, qui effuderunt in medio ejus ſanguinem juſtorum*. Hanc autem auctoritatem introduco, quia Hæreticus credit iſtud dici de Jeruſalem cæleſti, & de hoſte, & inimico, ideſt Diabolo. Sed ibi dicitur, quod propter peccata eorum, quæ fecerant, ingreſſus eſt; ergo prius peccaverunt oves, quam hoſtis ingrederetur ad eas; ergo non fuit peccatum eorum ab eo; immo ab eis.

Item habetur Jeremiæ 25. v. 8. *Pro eo quod non audiſtis verba mea*: 9. *ecce ego mittam, & aſſumam univerſas cognationes Aquilonis, ait Dominus, & Nabuchodonoſor regem Babylonis ſervum meum: & adducam eos ſuper terram iſtam, & ſuper habitatores ejus, & ſuper omnes nationes, quæ in circuitu illius ſunt, &c.* Ecce quod ibi dicitur poſt alias multas increpationes, quod prius peccaverunt, poſtea introductus eſt Nabuchodonoſor, quem tu dicis villicum iniquitatis in cælo fuiſſe. Item Ezech. 16. v. 30. *In quo mundabo cor tuum, ait Dominus Deus; cum facias omnia hæc opera mulieris meretricis, & procacis?* 31. *Quia fabricaſti lupanar tuum in capite omnis viæ, & excelſum tuum feciſti in omni platea: nec facta es quaſi meretrix faſtidio augens pretium* 32. *ſed quaſi mulier adultera quæ ſuper virum ſuum inducit alienos*. 33. *Omnibus meretricibus dantur mercedes: tu autem dediſti mercedes cunctis amatoribus tuis, & dona donabas eis, ut intrarent ad te undique ad fornicandum tecum*. Item Danielis 3. v. 29., & ſunt verba Danielis ad Dominum: *Peccavimus enim, & inique egimus recedentes a te: & deliquimus in omnibus*: 30. *& præcepta tua non audivimus, nec obſervavimus, nec fecimus ſicut præceperas nobis, ut bene nobis eſſet*. 31. *Omnia ergo, quæ induxiſti ſuper nos, & univerſa quæ feciſti nobis, in vero judicio feciſti*: 32. *& tradidiſti nos in manibus inimicorum noſtrorum iniquorum, & peſſimorum, prævaricatorumque, & regi injuſto, & peſſimo ultra omnem terram*. Prius ergo peccaverunt oves, quam hoſtis eas invaderet, ideſt Nabuchodonoſor; de hoc enim loquitur ibi; & tu ponis eum villicum iniquitatis, ut prædictum eſt.

Item Iſai. 5. v. 2. *Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei*: 2. *& ſepivit eam; & lapides elegit ex illa plantavit eam electam, & ædificavit turrim in medio ejus, & torcular extruxit in ea: & expectavit ut faceret uvas, & fecit labruſcas*. 3. *Nunc ergo habitatores Jeruſalem, & viri Juda, judicate inter me, & vineam meam*. 4. *Quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* 5. *Et nunc oſtendam vobis quid ego faciam vineæ meæ,*

meæ: auferam sepem ejus, & erit in direptionem: diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem. 6. Et ponam eam desertam: non putabitur, & non fodietur: & ascendent vepres, & spinæ: per quas intelligis Dæmones, falso tamen. Vide ordinem verborum quomodo Deus sepivit vineam istam Domus Israel. Dæmon expectavit, quod faceret uvas, & fecit labruscas; propter quod Dominus sepem abstulit, maceriam destruxit: Deinde ascenderunt spinæ, & vepres super eam. Si ista de domo cælesti Israel intelliguntur, ut tu dicis, evidens est quod prius fuit ibi comissum peccatum a domo Israel, & præcessit ascensum Dæmonis.

Item Isai. 10. v. 1. *Væ qui condunt leges iniquas: & scribentes, injustitiam scripserunt: 2. ut opprimerent in judicio pauperes & vim facerent caussæ humilium populi mei: ut essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. 3. Quid facietis in die visitationis, & calamitatis de longe venientis? Ad cujus confugietis auxilium? Et ubi derelinquetis gloriam vestram, 4. ne incurvemini sub vinculo, & cum interfectis cadatis? Super omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. 5. Væ Assur, virga furoris mei, & baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea. 6. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum*. Ubi patet, quod prius peccavit Jerusalem, quam Assur contra eam veniret, per quem intelligis Dæmones. Idem etiam ostendi potest per multa testimonia Isaiæ, quæ caussa brevitatis dimitto.

Item Jeremiæ 8. v. 9. *Confusi sunt sapientes, perterriti, & capti sunt: verbum enim Domini projecerunt, & sapientia nulla est in eis. 10. Propterea dabo mulieres eorum exteris, agros eorum hæredibus: quia a minimo usque ad maximum omnes avaritiam sequuntur: a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt mendacium. 11. Et sanabant contritionem filiæ populi mei ad ignominiam, dicentes: Pax, pax: cum non esset pax. 12. Confusi sunt, quia abominationem fecerunt: quinimo confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt: idcirco cadent inter corruentes, in tempore visitationis suæ corruent, dicit Dominus. 13. Congregans congregabo eos, ait Dominus: non est uva in vitibus, & non sunt ficus in ficulnea, folium defluxit: & dedi eis quæ prætergressa sunt. 14. Quare sedemus? Convenite, & ingrediamur civitatem munitam, & sileamus ibi: quia Dominus Deus noster silere nos fecit, & potum dedit nobis aquam fellis: peccavimus enim Domino. 15. Expectavimus pacem, & non erat bonum: tempus medelæ, & ecce formido. 16. A Dan auditus est fremitus equorum ejus, a voce lunnituum pugnatorum ejus commota est omnis terra. Et venerunt, & devoraverunt terram, & plenitudinem ejus: Urbem, & habitatores ejus. 17. Quia ecce ego mittam vobis serpentes regutos, quibus non est incantatio: & mordebunt vos, ait Dominus. 18. Dolor meus super dolorem, in me cor meum mærens. 19. Ecce vox clamoris filiæ populi mei de terra longinqua: numquid Dominus non est in Sion, aut rex ejus non est in ea? Quare ergo me ad iracundiam concitaverunt in sculptilibus suis, & in vanitatibus alienis?* Item Jeremiæ 21. v. 8. *dicit Dominus populo suo: Ecce ego do coram vobis, &c.* ut habetur in capitulo, quod Prophetæ non prophetaverunt de Jerusalem cælesti secundum litteræ intentionem.

Nunc videamus de quarto articulo, scilicet a quo factus est Diabolus villicus in cælo super oves Domini, ut dicunt Hæretici. Si enim dicatur quod Pater justorum eum fecit villicum.

Contra. Numquid cognoscebat eum? Utique: Quomodo ergo fecisset eum villicum suum? Quis enim sapiens scienter faceret lupum pastorem ovium suarum?

Præterea Deus Pater justorum sciebat eum furem; & si venit in cælum, quod tamen falsum est ... Sed detur modo; sciebat tamen eum ad nihil aliud venisse, nisi ut furaretur, mactaret, & perderet. Sciebat etiam quod nihil boni potest facere, nec vult, nec velle potest; ergo volebat, ut furaretur oves suas, & mactaret, & perderet. Sed nonne dicit Christus Matthæi 12. v. 50. *Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est: ipse meus frater, & soror, & mater est?* Ergo Diabolus cum faceret tunc voluntatem Dei, erat Frater, & soror, & mater Christi. Si autem dicatur, quod non cognoscebat eum, & propter hoc non potuit sibi cavere, nonne cavere sibi fuisset bonum? Constat quod sic. Sed non potuit sibi cavere, quia non cognoscebat eum; ergo non erat omnipotens in bono, nec poterat esse bonum.

Præterea si nescivit sibi cavere, ergo non erat sciens omne bonum. Item ipsa ignorantia defectus boni est; est enim defectus cognitionis ipsius villici iniquitatis, quæ cognitio bona fuisset, ut sibi cavere potuisset, ergo in Patre justorum fuit defectus alicujus boni; ergo tunc non fuit summe bonus; ergo nec modo, cum non mutaverit naturam suam.

Si dicatur, quod non constituit eum villicum, immo oves Israel. Contra. Ad minus habuit ratum quod oves illæ fecerunt; si enim dicas, quod non habuit ratum, contra auctoritatem evangelii dicis hoc; ibi enim legitur Lucæ 16. v. 1. *Homo quidam erat dives, qui habebat villicum*; ergo habebat eum pro villico, ergo villicationem illam habebat, & tenebat ab eo. Quod etiam patet per hoc, quod petit ab eo rationem villicationis, quod non faceret nisi villicationem ab eo teneret. Si habuit ratum, eodem modo opponas, ut prius.

Præterea quomodo a Lupo petit rationem villicationis de ovibus suis?

Præterea videtur quod Deus Pater noster, vel impotens esset, vel malevolus, vel ignarus? impotens, si prohibere non potuit: malevolus, si noluit, cum posset, & sciret quantum malum inde venisset; ignarus vero, si nescivit.

Præterea dicas mihi: ille Homo dives, de quo agitur in Evangelio, petiit ab eo rationem villicationis. Ergo poterat ei rationem facere, ergo poterat aliquid boni facere, ergo ejus posse non erat tantum ad malum, immo etiam ad bonum & ad malum.

Præterea nonne ipsemet dixit intra se 3. *Quid faciam: quia Dominus meus aufert a me villicationem?* Ergo ipse Villicus erat de dominio ejus, ideft Dei boni.

Forte dices, quod ipse est mendax.

Contra. Nonne Christus id affirmat, ubi dicit 5. *Convocatis itaque singulis debitoribus Domini sui &c.*

Præterea cum Villicus ille inique egerit, quia oves Domini, & Patris justorum dilaceravit, numquid Pater justorum ipsum laudasset, qui de sua creatione non est, qui nihil habet laudabile, quia secundum te hoc ipsum, quod est, naturaliter malum est.

Si dicas mihi laudavit eum, non quia bene egerit, sed quia prudenter.

Contra. Nonne illa prudentia erat prudentia Mundi? Utique; sic enim dicitur ibi 8.: *Quia filii hujus seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt*. Sed nonne dicit Apostolus 1.Corinth.3. v.19. *Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum*? 1.Corinth.1.v.20. *Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi?* Ergo non laudasset Villicum de tali prudentia.

Præterea si dicas mihi, quod eodem modo contra me potes objicere, respondeo: non est objectio contra me aliqua, quia quoad litteræ veritatem Christus loquitur de quodam Domino, & ejus Villico seculari, & non de Patre justorum, & Principe, sicut fabularis.

CAP. IV.

De cælestibus creaturis. Quid de eis sentiant Hæretici, & unde suum errorem munire conentur.

HUjus primæ partis tertio pertractato capitulo, ad quartum accedamus, videlicet de cælestibus creaturis, an salventur. Dicunt enim isti quasdam creaturas a Deo Patre in cælesti Patria creatas peccasse, & propter peccatum suum de cælo ejectas fuisse cum Villico iniquitatis, & appellant eas quandoque animas, quandoque populum Dei, quandoque oves Israel. Animas eas dicunt a Christo nominatas Lucæ 9. v. 56. *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare*. Populum Dei dicunt eas appellatas in Evangelio Matthæi 1. v.21., *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. Oves Israel appellavit eas Christus Matthæi 15. v. 24., ubi dicitur: *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel*.

In his tamen tribus auctoritatibus non fit mentio de his, qui peccaverunt in cælo, sed de aliis, sicut patebit inferius. Istas creaturas cælestes asserunt (falso tamen) salvandas fore de necessitate, & omnes, & solas. Hunc autem errorem pessimum destruere dante Domino cupientes.

Primo, videamus unde moti sunt ad hoc dicendum.

Secundo, ostendamus quod non salvatur aliqua ex necessitate.

Tertio, quod non omnes de creatione ejus salvabuntur.

Quarto, quod illæ creaturæ, quas ponunt de cælo propter peccatum dejectas, non salvabuntur.

Quinto, utrum animæ salvandæ transeant de corpore in corpus, an non.

Sexto, contra eorum sententias ostendamus quod aliquæ creaturæ salvabuntur, quæ de illis non sunt, sicut diximus. Primo videamus unde in hunc errorem suum inciderunt.

§. I.

Occasiones errorum Hæreticorum.

UNa occasio erroris sui fuit illud, quod legitur Matth.15. v. 24. ubi Dominus dixit cuidam mulieri Chananeæ: *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel*; & per domum Israel cælum intelligunt, per oves animas a Deo creatas in cælesti Patria, ubi justitia habitat. Volunt autem habere hoc, quia Israel interpretatur vir videns Deum; Israelitæ ergo dicuntur Deum videntes. Sed ubi Dominum viderunt? Constat quod non hic. Si igitur viderunt eum, viderunt eum in cælo, ergo fuerunt in ipso, & ad illas solas salvandas missus est Christus.

Præterea hoc idem volunt habere per hoc, quod Dominus dicit per Jeremiam de præterito loquens; idem habetur Ezech.34. v. 16. *Quod perierat requiram*. Quæ verba boni Dei sunt. Non dixit: peribit, sed perierat; quod fecit, ut dicunt, ut ostendat populum salvandum fore aliquando.

Ad hoc dico quod nulla auctoritate possunt ostendere, quod per domum Israel intelligatur cælum, & quod per oves domus Israel intelligantur illæ animæ, quas dicunt in cælo peccasse.

Præterea si de illis intelligitur, Apostoli, quibus injunctum erat a Christo Matth.10. v. 5. *In viam gentium ne abieritis, & in Civitates Samaritanorum ne intraveritis*: 6. *Sed potius ite ad Oves, quæ perierunt domus Israel*; non cognovisset eas, aut in quibus corporibus essent, & in quibus non. Quomodo ergo fecissent illud, quod sibi Christus præceperat? Nullo modo facere potuissent illud præceptum? Nonne vides quod Ananias Actor. 9. non cognoscebat Paulum, neque putabat ipsum esse ovem, sed lupum; unde, ut habetur ibi excusabat se apud Christum ne mitteretur ad eum dicens. 13. *Domine, audivi a multis de viro hoc, quanta mala fecerit Sanctis tuis in Jerusalem &c.*

Præterea Nicodemus non cognovisset Israelitas cælestes, quos ponis, ergo non potuisset esse Magister in Israel. Quomodo ergo dixisset ei Johannis. 3. v.10.: *Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?*

Præterea Dominus dixit Matth.15. v.24. *non sum missus &c.* Quæro: aut aliæ oves peccaverunt in cælo, quam illæ, quæ dicuntur Israel, aut non? Si non. Dicas mihi: Chananæa, & Filia ejus numquid erant de illis ovibus? Constat quod non; immo etiam a Domino canis appellatur. Quomodo salvata est per fidem suam cum Filia sua? Si dicas quod aliæ oves, quam illæ, quæ in cælo fuerunt peccaverunt, proba hoc. Unde habes istud?

Præterea nonne ipse Johannis 10. v. 16. dicit: *Alias*

Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus Pastor? Sed quomodo potest hoc stare cum illo verbo: *non sum missus &c.*

Ad hoc dicunt, quod Israel unus Princeps in cælo erat, cujus populus periit, & ad ipsum salvandum principaliter Christus venit; secundario autem venit pro quibusdam aliis ovibus aliorum Principum, quæ de cælo per peccatum venerunt, & dicuntur populus Gentilis, pro quo salvando missus est Christus. Sed principaliter missus est pro populo Israel, & de isto populo fuit Chananæa cum Filia sua.

Quibus dicendum est, quod nullo testimonio Scripturarum hoc ostendere possunt; unde phantasia, & non rei veritas est, qua dicunt, quod Israel unus Princeps esset in cælo, cujus populus peccaverit, & quod subditi aliorum Principum in cælo peccaverint, qui dicantur populus Gentilis, vel quod Christus pro talibus salvandis principaliter, vel secundario venerit.

Præterea secundum hoc duo sunt populi Gentiles, unus cælestis, pro cujus salute Christus venit, alius non cælestis. Sed unde hoc habes?

Præterea Isaiæ 45. v. 17. dicitur: *Israel salvatus est in Domino salute æterna.* Ista est prophetia de præterito, & secundum te præteritum pro præterito sumendum est secundum sonum litteræ. Quomodo ergo stabit hoc quod Christus ait: *Non sum missus &c.*

Forte dices, quod Isaias loquitur de parte populi, cum dicit: *Israel salvatus est &c.* Sed si hoc est, quod tu dicis, quomodo dicitur Ezech. 3. v. 7. *Omnis quippe domus Israel attrita fronte est, & duro corde?*

Dicamus ergo nos, quod secundum rei veritatem Jacob dictus est Israel ab Angelo Genes. 32. v. 28., & ante istud factum nusquam invenitur, quod fiat mentio de Israel. Ex illo Israel descenderunt duodecim Filii; unde Actor. 7. v. 8. dicit Stephanus, quod Jacob genuit duodecim Patriarchas. Ex illis autem duodecim descendit Populus Judæorum, qui dicitur domus Israel, idest familia ejus, quia ex ea orta est; inde etiam dicti sunt Israelitæ quia orti sunt ex Israel. Oves autem dicuntur homines a Domino in Matth. 15., sicut etiam in David psalmo 94. v. 7. *Et nos populus pascuæ ejus, & oves manus ejus.* Item psalmo 79. v. 2.: *Qui deducis velut ovem Joseph,* idest familiam ejus. Et Ezech. 34. v. 31. dicit Dominus istis Ovibus: *Vos autem greges mei, greges pascuæ meæ homines estis: & ego Dominus Deus vester.*

Ex his patet quare Judæi dicti sunt domus Israel. Et quod dico patet verum esse ex verbis Beati Stephani. Item ex Apocalyps. 7. v. 4., ubi dicit Johannes se audivisse *numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel.* Et ponit filios ejus dicens: 5. *Ex tribu Juda duodecim millia signati &c.* Quæ tribus inveniuntur in Veteri Testamento. Sed quod dicantur Israel, quia Deum videntes fuerint, ex nulla Scriptura potes ostendere.

Forte dices nonne Israel interpretatur vir videns Deum, & Israelitæ Deum videntes?

Dico sit ita, quamvis ex scriptura ostendi non possit.

Si dicas mihi: sed ipsi fuerunt Israelitæ, ergo Deum videntes.

Concedo quod illi de domo Jacob, qui dictus est Israel, unde Judæi descenderunt, fuerint Israelitæ, & Deum videntes.

Si dicas: sed non viderunt eum hic. Dico; falsum dicis, neque hoc dixisset, si scires, quod res dupliciter dicitur videri. Est enim duplex visio; una, qua videtur res in speculo: & tunc dicitur videri res aliqua, quia ejus imago videtur. Est etiam alia visio, qua dicitur res videri in propria specie, idest essentia sua, facie scilicet ad faciem. Utramque notat Apostolus 1. Corinth. 13. v. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem;* supple videbimus Deum; de futuro enim loquitur, unde subdit: *Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.* 1. Johannis 3. v. 2. *Videbimus eum sicuti est;* id est in specie sua, sive in natura, & in essentia sua. Isto modo non videtur Deus hic. Unde Dominus dixit Judæis Johannis 5. v. 37.: *Ipse testimonium perhibuit de me: neque vocem ejus umquam audistis, neque speciem ejus vidistis.* Quod autem dicit: *neque vocem ejus umquam audistis,* ideo dicit, quoniam non loquebatur Deus ad eos per se, sed per Angelum, ut dicit Stephanus Actor. 7. v. 38. *Hic* (idest Moyses) *est, qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in Monte Sina, & cum Patribus nostris: qui accepit verba vitæ dare nobis.*

Si autem dicat mihi Hæreticus: cum Dominus dicat Matth. 15. v. 24. *Non sum missus nisi ad oves &c.* ergo Christus non est missus ad Gentiles salvandos. Quomodo ergo salvavit Chananæam, & Filiam ejus? Quomodo ergo dicit Johannis 10. v. 16. *Alias oves habeo &c.*

Respondeo. Christus missus est ad salutem utriusque populi, scilicet Judæi, & Gentilis, sicut patet in multis locis. Si dicas mihi: proba hoc. Dico quod istud patet ex Marci 7. v. 27., ubi Dominus ait Chananeæ: *sine prius saturari filios.* Item Actor. 13. v. 46. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.* 47. *sic enim præcepit nobis Dominus.* Ad Rom. 1. v. 16. dicit etiam Apostolus: *Non enim erubesco Evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum, & Græco;* idest Gentili. Item Apocalyps. 7. postquam posuit numerum signatorum ex omni tribu filiorum Israel, subjungit 9. *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis: stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum:* 10. *& clamabant voce magna dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno.*

Missus ergo erat ad Judæos principaliter erudiendos verbo Dei, & ut eos sanaret a languoribus suis: ut cæcos eorum illuminaret, vexatos a Dæmonio curaret, mortuos suscitaret, quod & fecit. Alias tamen adhuc oves habebat, quas adduxit per Apostolos ad eas missos, sicut prædictum est in auctoritate Actor. 13. v. 46. *Vobis oportebat &c.*, vobis scilicet Judæis, qui dicimini domus Israel.

Ex

Ex his patet, quod oves domus Israel Judæi dicuntur, de quibus habuerunt præceptum Apostoli, ut irent primo ad eas, non ad Gentes: Matth. 10. v. 5. *In viam gentium ne &c.* Postea autem mandatum habuerunt, quod ad omnes irent, Matth. 28. v. 19. *euntes ergo docete omnes gentes &c.*

Primum autem præceptum de eundo ad oves Israel poterant facile implere, quia illæ oves distinguebantur ab aliis circumcisione, & habitu vestium, & ciborum discretione, & lege. Unde & Samaritana Christum cognovit esse Judæum habitu vestimentorum, & dixit ei Johannis 4. v. 9.: *Quomodo tu Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana?*

Nunc solvamus illud, quod objectum est ab eis, quia Christus dixit Matth. 15. v. 24. *perierunt*; non dixit: peribunt, per quod credunt quod Christus non venerit salvare novas creaturas, sed antiquas tantum. Similiter solvemus illud verbum Domini in Ezech. 34. v. 16.: *quod perierat requiram.*

Dicimus ergo quod Christus non dixit se venisse ad salvandas omnes oves domus Israel, quæ perierunt sicut ostendemus in tertia parte hujus capituli, ubi probabimus, quod non omnes oves domus Israel, immo nec omnes de creatione Dei Sancti salvabuntur; neque enim dixit quod illæ solæ essent salvandæ, cum alias oves habeat, quæ non sunt ex hoc ovili, illasque oporteat eum adducere, ut fiat unum ovile, & unus Pastor.

Præterea quod non solum illæ oves salventur, immo novæ oves, probabitur sexta particula hujus capituli.

Præterea non nocet mihi, si de præterito loquitur, quia præteritum sæpe ponitur pro futuro, ut probabitur septimo capit. partis hujus.

Præterea si velles recipere veram expositionem, & illæ animæ quæ perituræ sunt, possent dici periisse per caussam, quia caussa quare perituræ sunt, jam fuit. Nonne vides quod Apostolus dicit ad Rom. 5. v. 12. quod omnes peccavimus in Adam, & omnes in ipso mortui sumus? Hoc autem non ideo dicitur, quia tunc essemus, aut quia tunc peccatum proprie loquendo faceremus, vel quod per peccatum factum a nobis mortem incurreremus, sed quia caussa peccati, & mortis nostræ fuit tunc, & tunc esse cœpit. Hoc etiam potest videri per simile; dicit enim Apostolus ad Hebræ. 10. adhuc enim in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchisedech. Sed dicas mihi: quomodo erat Levi in lumbis Abrahæ nisi per caussam materialem? Nullo alio modo. Similiter dicitur decimatus, quando Abraham dedit decimas Melchisedech tantum per caussam. Similiter oves Domini dicuntur periisse, quia caussa præcessit, quare perituræ erant, scilicet peccatum Adæ. Similiter dico ad illud, quod habetur Ezech. 34. v. 16. Item Lucæ 15. v. 4. *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves; & si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat?*

HÆR. [*] Contra illud, quod dictum est, quia per oves Israel intelligimus Judæos natos de Israel, qui Jacob dictus est, objiciunt illud Johannis 10. v. 26. *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis*. Constat ad litteram quod Judæis loquebatur; ergo non erant ex ovibus ejus, ergo non erant de ovibus Israel, cum oves Israel essent suæ.

CATH. Solutio. Etsi oves Israel essent suæ creatione, non omnes suæ erant per participationem gloriæ cælestis, vel obedientiæ exhibitione; nam Johannis 1. v. 11. *In propria venit, & sui eum non receperunt.* Unde Rom. 9. v. 6. *Non omnes, qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ.* Erant tamen suæ oves creatione. Unde patet quod istud argumentum non valet: Non erant ex ovibus ejus, ergo non erant ex ovibus Israel, sensus enim est: non erant ex ovibus ejus per obedientiam, ergo neque per creationem. Similiter non valet: Aliquæ oves sunt, quæ non sunt ex ovibus Israel, ergo non sunt de ovibus ejus, quia *alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili.* [*]

Alia autem occasio, unde erraverunt, fuit prava intelligentia illius verbi, quod habetur Lucæ 15. v. 11. ubi legitur: *Homo quidam habuit duos filios*: 12. *& dixit adolescentior ex illis Patri: Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. Et divisit illis substantiam.* 13. *Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose.* 14. *Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere*; perge usque ad: *Pater, peccavi in cælum, & coram te &c.* Per hunc autem Filium adolescentiorem intelligunt creaturas jam dictas, vel aliquam illarum, quæ dicit: *peccavi in cælum, & coram te.* Et ita volunt quod aliquando fuerit in cælo.

Sed nonne vides Hæretice, quod non dixit: in cælo, sed *in cælum*? Quare ergo procedis ac si dixisset: peccavi in cælo, nisi quia mendax es, & veræ scripturæ corruptor? Nonne Apostolus 1. Corinth. 8. 12. dicit: *peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis?* Numquid isti inter Fratres, vel in Fratribus erant, sicut intra locum, vel in loco? Certè non: similiter nec ille, qui ait: *peccavi in cælum* fuerat intra cælum, vel in cælo localiter.

Dico ergo quod sicut peccare in Fratres, vel in Christum est peccare contra ipsos, vel contra ipsum; similiter peccare in cælum est peccare contra cælum. Sic autem fecit adolescentior filius, qui cælo contempto, & Deo cæli ad terrenas, & carnales delicias se dedit, & pro illis totam suam substantiam dissipavit. Coram Deo peccavit, idest Deo vidente, cujus oculis omnia nuda sunt & aperta, ut habetur Hebreor. 4. v. 13. Verba autem Domini de duobus filiis cujusdam hominis intelligo sicut sonant, nullo ibi posito mystico intellectu ad præsens.

Et notandum quod in his verbis Dominus noster intendit non esse murmurandum de salute alicujus. Ob hoc enim increpat filium seniorem, quia de pœnitentia, & salute junioris Filii murmurabat. Et per hoc etiam reprehendit Scribas, & Pharisæos, qui murmurabant quod Dominus peccatores reciperet.

Præterea responde mihi de hoc: Homo quidam habuit,

[*] Quæ duobus asteriscis comprehendimus, desunt e Codice Vat., & Neapolitano.

habuit duos Filios, & dixit adolescentior ex illis Patri: Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. Ex hoc habeo, quod Deus de novo creat populum suum, quia *adolescentior &c.* Quod tu negare consuevisti.

Præterea petit: *Da mihi*. Ergo habebat liberum arbitrium dividendi se a Patre suo, Deo Sancto.

Præterea dicitur ibi, quod Filius iste dixit Patri: *Pater da mihi* portionem substantiæ, quæ me contingit. Quid tu appellas substantiam in hoc loco? Quidquid tu dicas; ex hoc habeo, quod non omnia creata a Deo permanentia sunt, quia dissipabilia sunt. Sic enim sequitur 13. quod *non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior Filius peregre profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose*.

Præterea nonne ibi dicitur 14. *Et postquam consummasset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cæpit egere*. 15. *Et abiit, & adhæsit uni civium regionis illius. Et misit illum in villam suam, ut pasceret porcos*. Nota ordinem verborum. Prius *omnibus congregatis*, quæ Pater ei diviserat, *peregre profectus est in regionem longinquam*. Demum *ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose*. Consumpta autem substantia sua, *facta est fames valida in regione illa*. Deinde *cæpit egere*. Et abiit, & adhæsit, &c. Nonne iste civis Diabolus est secundum te? Utique. Prius ergo consumpsit vivendo luxuriose substantiam, quam adhæserit Diabolo; ergo peccatum ejus præcessit adhærentiam suam ad ipsum Diabolum, ergo Diabolus non fuit caussa primi mali in cælo.

Præterea prius venit ille filius in regionem longinquam; deinde adhæsit illi civi. Quare ergo dicis quod ad cælum ascenderit, ut seduceret populum Dei, oves Israel, quas dicis per illum filium designari?

Præterea quomodo per se rediit ad Patrem, cum Christus dicat Johannis 14. v. 6. *Nemo venit ad Patrem, nisi per me?*

Præterea dicitur quod in illa regione facta est fames valida: de quo? Si de bono; hoc non potest dici; ibi enim dicitur 16: *Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant*. Si de malo; de hoc non potest hic esse fames, quia magna abundantia mali est in regione ista.

Præterea quomodo potest hoc esse, cum ibi dicatur: *& nemo illi dabat?* Dæmones enim, quos ponis principium mali, libenter ei dedissent, non fuissent inde avari.

Præterea postquam rediit, & receptus est a Deo Patre suo, dicitur, quod Frater ejus senior hoc audiens 28. *indignatus est, & nolebat introire*. Sed nonne iste erat de Angelis cæli, qui semper steterat cum Deo Patre, ut dicis? Utique. Quomodo ergo poterat murmurare de receptione fratris sui? Nonne ibi dicitur 10: *gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente?*

HÆR. Volunt etiam habere errorem suum ex eo, quod Dominus ait Lucæ 15. v. 4. *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves: & si perdiderit unam ex illis: nonne dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam?* Per nonaginta intelligunt creaturas Dei cælestes, quæ non peccaverunt: Per illam, quæ perdita fuit, illas, quæ in cælo peccaverunt, & in hunc mundum dejectæ fuerunt.

CATH. Sed quærendum est ab eis: unde hoc habent? Et cum non possint testimonium suæ pravæ intelligentiæ ostendere, necesse habent silere. Sed quod ego dico ex textu Evangelii evidenter colligitur, ubi dicitur 1. *Erant autem appropinquantes ei publicani, & peccatores, ut audirent illum*. 2. *Et murmurabant Pharisæi, & Scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis*. Et postea sequitur parabola illa 4. *Quis ex vobis homo, &c.* Manducabat ergo Dominus cum publicanis, & peccatoribus, & recipiebat eos. Et de hoc murmurabant Pharisæi, & Scribæ quasi non deberet hoc facere. Dominus autem ostendit per prædictam parabolam se venisse tales quærere; & sic ostendit quoniam faciebat quod debebat facere, cum illos ad se recipiebat, & verbum Dei ad eos proponebat, & cum illis edebat, & sic familiaritate eos facilius attrahebat; unde Matth. 9. v. 3. *Non enim veni vocare justos, sed peccatores*. Et Lucæ 1. v. 33. addit *ad pœnitentiam*. Et ponit caussam, cum dicit 31. Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent. Item Matth. 9. v. 12. & Marci 2. v. 17.

HÆR. Idem volunt habere per hoc, quod legitur eodem capite Lucæ 15. v. 8. *Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & evertit domum, & quærit diligenter donec inveniat? &c.* Per drachmam autem perditam intelligunt oves Israel, ut dictum est. Per novem non perditas, alias, quæ in cælo non peccaverunt. Sed ego quæro: Unde habes hanc intelligentiam o Hæretice? Et cum non possis ostendere unde habeas obmutesce.

CATH. Solutio autem eadem est, quæ & de ove perdita posita est. In utraque enim ostendit Christus se venisse *peccatores salvos facere*, ut dicit Apostolus 1. ad Timot. 1. v. 15. In utraque etiam intendit ostendere Scribas, & Pharisæos non esse viros Angelicos, id est Dei Angelis similes, cum non gaudeant de Peccatorum pœnitentia, Angeli autem sic. Unde dicit Dominus post illas parabolas: *Gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente*. Item 10: *gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente*.

HÆR. Ad idem inducunt illud, quod legitur Lucæ 19. v. 10., ubi Christus dicit: *Venit enim filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat*. Et per illud, *quod perierat* dicunt significari cælestes creaturas propter peccatum suum de cælo dejectas.

CATH. Dicendum autem est eis: unde hoc habetis? Et non possunt ostendere, unde hunc intellectum habeant.

Nos veritati Evangelii innitentes dicimus hoc esse dictum de Zachæo Principe publicanorum, in cujus domum intraverat, de quo facto Judæi murmurabant. Christus autem ostendit per prædicta verba eos non debere murmurare de facto suo, quia ad illud faciendum venerat.

Et notandum quod perire sumitur hic pro perverse ire,

ſe ire, ſive in perverſitatem, id eſt in peccatum, quo homo a Deo ſuo perfecte avertitur. Taliter autem perierat Zachæus, & quilibet alius homo, excepto Chriſto; ut enim dicitur ad Rom. 5. v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, &c.*

HÆR. Volunt etiam habere ex hoc, quod legitur Johannis 3. v. 13. *nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo*. Unde per hoc volunt, quod cœtus ſalvandorum de cælo deſcenderit.

CATH. Ad hoc autem dicendum quod Hæreticus tamquam Falſarius malum punctum fecit; non enim ibi terminatur verſus, ſed ibi: *Filius hominis, qui eſt in cælo*.

Forte introducet totam auctoritatem: *nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, Filius hominis, qui eſt in cælo*. Et per filium hominis dicet intelligendum eſſe cœtum ſalvandorum. Sed.

Contra. Ille cœtus tunc non erat in cælo; mentiebatur ergo Chriſtus dicens: *Filius hominis, qui eſt in cælo*; vel tu mentiris dicens quod *Filius hominis, qui eſt in cælo*, ibi dicitur cœtus ſalvandorum.

Si dicas quod in cælo erat illo modo, quo dicit Apoſtolus ad Philipp. 3. v. 20. *noſtra autem converſatio in cælis eſt*.

Contra. Hoc eſſe non poteſt, quia adhuc mali erant ſecundum te.

Præterea ubi habes teſtimonium, quod Filius hominis dicatur cœtus ſalvandorum? Hoc nuſquam reperies: ſed ibi evidens habetur teſtimonium, quod Chriſtus appellatur *Filius hominis*; Johannis enim 1. v. 51. dixerat Nathanaeli, & aliis quibuſdam: Videbitis cælum apertum, & Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ſupra *Filium hominis*. Præterea Matth. 11. v. 19. ipſemet ſe appellat Filium hominis, & Matth. 16. v. 15. *Quem dicunt homines eſſe Filium hominis?* Quam quæſtionem ſolvit Petrus dicens 16: *Tu es Chriſtus, filius Dei vivi*. Patet igitur quod per Filium hominis, qui eſt in cælo intelligitur Chriſtus cum dicitur: nemo aſcendit, &c.

Si autem dicas mihi, quod Chriſtus tunc in hoc mundo erat: quomodo ergo dicit: *qui eſt in cælo?*

Reſpondeo. Chriſtus verus homo fuit; unde & ſe Filium hominis appellavit. Fuit etiam verus Deus de Deo Patre; unde Petrus eum Dei vivi Filium dixit: Secundum quod homo in mundo erat; ſecundum quod Deus, id eſt ſecundum hoc, quod Mundus per ipſum factus eſt, in cælo erat, & in terra, & ubique ſecundum quod ipſe ait Jeremiæ 23. v. 24. *Numquid non cælum, & terram ego impleo?*

Si autem dicas mihi: quomodo poteſt eſſe: *nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo*, id eſt niſi Chriſtus, cum multi aſcenderint cum eo?

Reſpondeo quia Chriſtus ſolus per ſe aſcendit: nullus alius per ſe ipſum, ſed per Chriſtum, qui aſcendens in altum captivam duxit captivitatem. Unde Johannis 10. v. 9. *Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introierit, ſalvabitur*.

Præterea cum dicitur: nullus, niſi Chriſtus aſcendit, non excluduntur illi, qui membra ejus ſunt: qui adhærentes ei unus ſpiritus ſunt cum ipſo; ſicut ſi dicam: Nullus in hac domo, niſi Johannes. Sit ita. Per hoc ſciremus, quod pedes, manus, & alia membra Johannis ſunt in domo iſta.

Præterea ſi illa auctoritas vera eſt, immo quia vera eſt, quare dicis quod Diabolus aſcendit? Nonne ipſe eſt alius a Filio hominis, id eſt a Chriſto, vel a Filio hominis, id eſt a cœtu ſalvandorum, ſi ita vis ſumere Filium hominis? Utique. Ergo ſi verum eſt quod Chriſtus dicit: *nemo, &c.* conſtans eſt, quod ipſe non aſcendit in cælum.

HÆR. Volunt autem habere quod dicunt ex eo, quod Apoſtolus dicit ad Epheſ. 1. v. 3. *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto*. Iſta verba dicit Paulus, qui fuit unus ex his, qui dicuntur oves Iſrael, & dixit iſta verba in perſona ſua, & aliarum ovium, quæ venerunt. Ipſe ergo cum aliis ovibus fuit aliquando in cæleſtibus manſionibus benedictus; & tunc non erat in eis, cum hoc dicebat, ſed tantum ad eas per pœnitentiam rediturus erat.

CATH. Ad hoc dicimus quod Apoſtolus ponit præteritum (1) pro futuro, ſicut etiam Prophetæ aliquoties; unde David in perſona Chriſti Pſalmo 21. v. 19. ait: *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem*. Hoc autem impletum eſt tempore paſſionis Chriſti, quæ longo poſtea tempore fuit, ſicut Beatus Johannes ponit 19. v. 23. *Milites ergo cum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta ejus, (& fecerunt quatuor partes: unicuique militi partem) & tunicam*: ſupple acceperunt. *Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum*. 24. *Dixerunt ergo ad invicem: non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa, cujus ſit: Ut ſcriptura impleretur dicens. Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi: & in veſtem meam miſerunt ſortem*.

HÆR. Idem volunt habere (2) ex eo, quod dicit ibidem Apoſtolus ad Epheſ. 1. v. 4. *Elegit nos in ipſo ante Mundi conſtitutionem*.

CATH. Ad quod dicimus, quod iſtud verbum (3) Pauli ſic intelligitur, ſicut & illud verbum Matt. 1. v. 5. *Jeſse autem genuit David Regem*. Non tunc tamen Regem quando genuit eum; ſed futurum regem. Similiter Deus Pater ante mundi conſtitutionem elegit nos hujus mundi non tunc exiſtentes, ſed futuros poſt ipſius mundi conſtitutionem; ſicut enim *Domino Deo antequam crearentur, omnia ſunt agnita*, ut habetur Eccleſ. 23. v. 29. ita etiam & quædam ex eis ab ipſo ſunt electa: Rom. 4. v. 17. *Qui vocat ea, quæ non ſunt, tamquam ea, quæ ſunt*.

HÆR. Item

(1) Vide Hieronymum *Comment. in Cap. 1. Epiſt. ad Epheſ. Tom. IV. Opp. col.* 324.

(2) Sic etiam Origeniani hoc teſtimonio Pauli abutebantur, ut dejectas fuiſſe in hæc inferiora animas evincerent. Hos refellit Hieronymus *in cap. 1. Epiſt. ad Epheſ. col.* 325.

(3) Simile huic reſponſo eſt, quod adhibet loco mox indicato Hieronymus.

HÆR. Idem etiam volunt habere ex eo, quod dicit Apostolus Rom. 12. v. 2. *Nolite conformari huic seculo, sed reformamini in novitate sensus vestri*. Et per hoc volunt, quod prius in alio sæculo scilicet in cælesti Patria fuerint formati. Sed ab illa forma ceciderunt suasu serpentis antiqui; & qui prius in novitate sensus erant, in vetustate ejus deciderunt. Propter quod etiam Ephes. 4. v. 23. dicit Apostolus quibusdam: *Renovamini autem spiritu mentis vestræ*.

CATH. Ad hoc est solutio; quoniam ex vi verborum Apostoli non habetur; quod prius formati fuerint in cælesti seculo, neque quod fuerint in illo. Dicimus ergo quod formati fuerant in Adam antequam Adam peccaret, sed ipso peccante deformes in ipso facti sunt. In eo enim fuerunt filii ejus quoad materiam, sicut dicit Apostolus Hebræ 7. v. 10. quod Levi *adhuc in lumbis Patris erat, quando obviavit ei Melchisedech*. Item in eo fuerunt quoad peccati originalis caussam; unde Rom. 5. v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransit, in quo omnes peccaverunt*; id est caussam peccati originalis contraxerunt. Propter hoc dicit Apostolus: *Reformamini*, idest post deformitatem contractam ab Adam formamini, & reformamini id est post vetustatem contractam ab Adam perseverate in facta novitate sensus, sive mentis, quam habetis.

HÆR. Idem etiam volunt habere per illud, quod dicit Apostolus 2. Corinth. 5. v. 1. *Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis*. Domum autem non manufactam, æternam in cælis intelligunt & credunt esse corpora ovium Israel, idest animarum salvandarum quæ ex illis corporibus a (4) Diabolo abstractæ sunt in hunc mundum corporibus in cælo manentibus. De hoc etiam intelligunt illud, quod legitur ad Philipp. 3. v. 21. *qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*. Per hoc enim volunt prius fuisse formosum in cælo, sed ibi remansisse deforme post discessionem animarum.

CATH. Ad hoc autem dicimus quod istud corpus, quod Dominus reformabit, non est, nisi corpus istud, quod habemus, quod est modo vile, & afflictum, sed postea erit pretiosum, quando configuratum fuerit corpori Christi in claritate. Et quia hoc fiet retro, idest post istud seculum, ideo dicit Apostolus: *Qui reformabit*, &c. Johannis 6. v. 55. Et ego resuscitabo eum in novissimo die. De hoc autem plenius dicetur in tractatu de Resurrectione.

Ad illud autem, quod objectum est: *scimus enim*, &c. Dicimus quod *habemus* ponitur, pro futuro, idest habebimus; quod potest videri per simile. Nonne dicit Apostolus ad Ephes. 1. v. 6. *In qua gratificavit nos in dilecto filio suo. 7. In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus?* In quo loco *habemus* ponitur pro *habebimus*. Simile ad Colos. 1. ubi idem dicit Apostolus. Quod ita sit evidenter ostenditur per illud, quod dicitur Rom. 8. v. 23; & sunt verba Pauli in persona sui, & aliorum Apostolorum: *Ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis nostri*. Si erant expectantes illam redemptionem, ergo non habebant illam. Sæpe enim præteritum, vel præsens pro futuro ponitur, ut prius habitum est, & habebitur plenius in sequentibus, quando ostendemus, quod Prophetæ in alio mundo non prophetaverunt, sed in isto.

Præterea, sicut ostendetur in tractatu de resurrectione, eadem domus, quæ modo est terrestris, id est corruptibilis, & manufacta, id est opere hominis fabricata, cælestis erit, id est incorruptibilis, & æterna, sed Dei virtute, unde 1. Corinth. 6. v. 14. *Deus vero & Dominum suscitavit: & nos suscitabit per virtutem suam*. De qua virtute habetur ad Philipp. 3. v. 21. *reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem, qua etiam possit subjicere sibi omnia*.

HÆR. Ad idem inducunt illud, quod legitur 2. Corinth. 5. v. 18. *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum*; quasi dicat Apostolus: prius fuimus reconciliati ei in cælo, sed modo sumus ei reconciliati in hoc mundo. Et ad hoc inducunt illud, quod legitur ad Colos. 1. v. 19. *in ipso*, scilicet in Christo, *complacuit, omnem plenitudinem inhabitare: 20. & per eum reconciliare omnia*.

CATH. Solutio. Unde habes: si Deus reconciliavit nos sibi per Christum: ergo prius fuimus ei conciliati, & modo iterum? Proba quod recreationem reconciliationis importet verbum.

Præterea dato quod fuerimus ei conciliati, quale argumentum est istud: ergo ei fuimus conciliati in cælo? Constat quod istud argumentum non valet. Dico igitur quod re tantum valet, quantum retro, & notat posterioritatem, quasi dicat: Post inimicitias ei reconciliati. Quod ita sit habes ex eo, quod dicitur Rom. 5. v. 10. *cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus*. Istud etiam notat Apostolus ad Colos. 1. v. 21. *Et vos cum essetis*

(4) Balasinansæ asseclis hanc sententiam placuisse, ut in cælum ascendisse Satanam, pugnasseque cum Michaele, indeque Animas plerasque, quæ sibi consenserant secum in hunc mundum præcipites egisse arbitrarentur, diximus nota 19. *ad cap.* III. Ab antiqua Persarum superstitione hæc opinio ducit originem. Plutarchus *lib. de Iside, & Osiride pag.* 369. *seq. Edit. an.* 1624. tradit Zoroastrem ac Persas ceteros duo posuisse principia, veluti numina quædam opposita, quorum alterum Oromazen natum ajebant ex luce purissima, alterum contra Arimanium, ex caligine. Hos bellum inter se gerere, adjungit. Sex Deos fecisse Oromazen; qui boni sint; Arimanium totidem numero his adversa molientes. Celsus apud Origenem *lib.* VI. *n.* 42. *pag.* 664. *Tom.* I. *Edit. Paris Monachor. Sancti Mauri*, aliquot Poetas, & Philosophos veteres Græcorum recenset, qui similes malorum cum bonis geniis pugnas persequuntur. Hæc vero sive *αἰνιγματικῶς*, sive *κατὰ λέξιν* intelligenda sint, parvi refert. Illud omnino certum esse crediderim, *κατὰ λέξιν* hæc eadem sumere illud Persarum genus, quod in Indiam se post Arabum incursiones recepit; ut est animadversum Thomæ Hydeo *De Relig. Persar. pag.* 292. Manichæi veteres, qui in Græcorum fabulis versati erant, Gigantum cum diis prælia, materiæ pugnam adversus Deum indicare putabant, ut observat Alexander Lycopolites *De Placit Manichæor. pag.* 6. & 20. Sed Felix Manichæus, *apud Augustinum lib.* II. *De Act. Cum Felice Manich. cap.* XIX. *col.* 484. *Tom.* VIII. *Opp.* Deum lucis, ait ex Manetis doctrina, bellum gessisse cum, gente tenebrarum, quippe quæ adversus *sua sacra secula insurgeret*. Atqui gentem tenebrarum dæmones esse Manichæorum judicio testatur Augustinus *lib.* II. *cap.* I. *Ejusdem Op. col.* 485.

tis aliquando alienati, & inimici sensu in operibus malis: 22. *nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem*.

HÆR. Ad idem inducunt illud, quod legitur ad Ephes. 1. v. 9. *proposuit Deus in eo*, id est in Christo; 10. *in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo*, id est per Christum. Sic ergo proposuit cælestia in statum primum restaurare.

CATH. Sed quid ad rem? Cælestia enim non dicit Angelos, qui ceciderunt, sed potius illos, qui remanserunt, quos vult in statum pristinum, idest ad concordiam cum omnibus revocare. Et quod ita sit patet per illud, quod legitur ad Colos. 1. v. 19. ubi dicit Apostolus: *in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare*: 20. *& per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt*. Vel in statum pristinum cælestia, idest Angelos, qui corruerunt illuc revocando, sed numerum Angelorum ex hominibus supplendo, qui diminutus erat per casum illorum, juxta illud, quod habetur Baruch 3. v. 19. *exterminati sunt, & ad inferos descenderunt, & alii loco eorum surrexerunt*.

HÆR. Ad idem inducunt quod legitur 2. Timoth. 4. v. 7. *Bonum certamen certavi cursum consummavi fidem servavi*. 8. *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex*. Si reddet ei, dicunt: ergo prius habuit eam, sed non nisi in cælo; ibi enim merito justitiæ debetur corona electis.

CATH. Ad hoc dico quod reiterationem non dicit, sed ordinem, scilicet posterioritatem; sensus enim hic est: retro dabit. Et hoc vult litera, quæ dicit. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi*: hoc de præterito dixit. Sequitur: *In reliquo*, id est in futuro *reddet*, idest post certamen, & cursus mei consummationem.

Præterea vis tu dicere quod iterationem dicat hoc ipsum in verbo illo, scilicet *reddet*? Quid igitur dices de eo, quod habetur Matth. 20. v. 8., ubi dicit Dominus vineæ procuratori suo: *Voca operarios, & redde illis mercedem*? Numquid mercenarii illi illam prius mercedem habuerant, quam haberent? Hoc probare non potes.

Præterea si dicas, quod habuerunt, quare ergo murmuraverunt qui prius laboraverunt? Certe non murmurassent, si tali mercede se remunerandos arbitrati fuissent.

Præterea nonne dicitur Matth. 22. v. 21. *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari*, scilicet numisma census? Numquid Cæsar prius illud numisma, vel censum habuerat, quam quod ab illis acciperet? Numquid enim mutuaverat eis ipsum, ut ab illis postea redderetur ei?

Præterea Rom. 2. v. 6. dicitur quod Deus Judex *reddet unicuique secundum opera ejus*, id est bona, & mala. Numquid supplicium, quod malis dabit, prius habuerunt ipsi mali?

Præterea Apocalyps. 18. v. 6. dicitur Sanctis de Meretrice: *reddite illi sicut & ipsa reddidit vobis*. Numquid illa, quæ Sancti reddituri erant ei, prius habuerant? non. Rom. 13. v. 7. *reddite ergo omnibus debita*. Et dicit quæ debita. Sed numquid prius illa habuerunt, quæ sibi Sanctis reddi monet Apostolus? Constat quod non.

HÆR. Ad idem inducunt illud, quod legitur Apocalyps. 1. v. 20., ubi dicitur: *septem stellæ Angeli sunt septem Ecclesiarum: & candelabra septem, septem ecclesiæ sunt*. Postea cap. 2. v. 4. scribens Angelo Ephesino dicit: *Habeo adversum te, quod caritatem tuam primam reliquisti*. 5. *Memor esto itaque unde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo*. Iste Angelus ceciderat, & per pœnitentiam salvandus erat. Ergo Angeli, qui ceciderunt, salvantur per pœnitentiam.

CATH. Solutio. Isti Hæretici ignari (5) virtutis hujus nominis Angelus paralogizantur, id est decipiuntur. Angeli enim dicuntur cælestes spiritus, & etiam Prælati Ecclesiæ, ut Episcopus. Et Apocalyps. loquitur de septem Episcopis septem Ecclesiarum, quæ sunt in Asia, quos Angelos appellat, id est nuncios; Angelus enim idem est, quod nuncius, & sic dicitur Episcopus, quia nunciat subditis divinam voluntatem, & legem ejus. Quod autem ita sit habetur Malachiæ 2. v. 7., ubi dicitur: *Labia enim sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est*.

Præterea responde mihi. Secundo cap. Apocalyps. v. 1. dicitur: *Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe: Hæc dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum*. Constat quod una de septem stellis dicebatur Angelus Ephesinus, & dicitur quod ceciderat. Quomodo ergo stabit quod dicitur: *Hæc dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua*? Si exciderat, in dextera ejus non tenebatur.

Præterea nonne iste Angelus cum aliis sex erat de ovibus, quæ perierunt domus Israel? Hoc non negabis.

(5) Merito Moneta carpit hæreticos, quod vim nominis *τοῦ ἀγγέλου* ignorent. Angelus enim idem omnino sonat ac Nuncius. Cujus rei clarissima suppetunt documenta. Nam Eustathius in *B. Iliad. pag.* 344. *Tom.* 1. *Edit. Florent. an.* 1730. Ἄγγελος, inquit, ἀπὸ τοῦ ἄγω, ἐξ οὗ καὶ ὁ ἄγγελος. *Nuncius ab ἄγω ago, duco, ex quo etiam Nuncius*. Ἄγγελος. Itaque Homerus, ut sæpe alias, sic iridem Trojanis a Jove Ægiocho nunciam missam fuisse cecinit *in B. Iliad. v.* 786. adeoque ἄγγελον appellavit.

Τρωσὶν δ' ἄγγελος ἦλθε ποδήνεμος ὠκέα Ἶρις
πὰρ Διὸς αἰγιόχοιο, σὺν ἀγγελίῃ ἀλεγεινῇ.
Ceterum Trojanis nuncia venit pedibus ventos æquans velox iris.
A jove Ægiocho, cum nuncio molesto.

Ita fit, ut Judæi Pontificem Maximum Angelum appellarent, quod nuncii Dei loco haberetur. Quare Malachias *cap.* II. *v.* 7. χείλη, inquit, ἱερέως φυλάξεται γνῶσιν, καὶ νόμον ἐκζητήσουσιν ἐκ στόματος αὐτοῦ, διότι ἄγγελος κυρίου τοῦ παντοκράτορος ἐστιν. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est*. Plura suppetunt ex Sacris Bibliis documenta, quibus hoc idem probari possit. Quin etiam pervasit hæc ipsa in Ethnicos de Pontifice Judæorum sententia. Hujus autem rei testem adhibeo locupletissimum Diodoram Siculum. Is enim (*Apud Photium cod.* CCXLIV. *ex lib.* XL. Biblioth.) de Judæorum Republica differens, τοῦτον, inquit, προσαγορεύουσιν ἀρχιερέα, καὶ νομίζουσιν αὐτοῖς ἄγγελον γίνεσθαι τῶν τοῦ θεοῦ προσταγμάτων. *Hunc Principem Sacerdotum appellant, quem velut* (Angelum) *nuncium divinorum præceptorum datum esse existimant*. Nil ergo mirum si Tertullianus *lib. Advers. Jud. cap.* IX. *pag.* 194. *Novum non esse Spiritui sancto*, affirmet, *angelos appellare eos, quos ministros suæ virtutis Deus præfecit*.

gabis. Si perierat, & malus erat, quomodo curam Ecclesiæ Ephesinæ ei Dominus commisit?

HÆR. Idem etiam volunt habere per illud, quod legitur Isaiæ 24. v. 21. *In die illa visitabit Dominus super militiam cæli in excelso: & super reges terræ, qui sunt super terram. 22. Et congregabuntur in congregatione cujus fascis in lacum, & claudentur ibi in carcere: & post multos dies visitabuntur.*

CATH. Ad hoc potest dici, quod ibi describitur afflictio Idumæorum, atque captivitas. Et militiam cæli appellat militiam Idumæorum propter multam eorum elationem, quæ describitur Jeremiæ 49. Ezech. 35. Amos 2. Abdiæ 1., & a principio cap. 24. Isaiæ: *Ecce Dominus dissipabit terram, & nudabit eam, &c.*

Posito etiam quod prophetia sit de die judicii, & quod ibi describatur pœna malorum; non tamen propter hoc habetur, quod Angeli, qui peccaverunt sint salvandi. Licet enim dicatur, quod post multos dies, id est in fine mundi visitabuntur; non tamen habetur quod visitatione misericordiæ eos visitaturus sit Deus, sed potius revocabuntur ab inferis visitatione penæ majoris, ut in carcere inferni inclusi sint spiritus malorum cum Satan, qui ibidem religatus legitur Apocalypſ. 20. v. 3. [*] Revocabuntur dico, ut receptis corporibus statim ad pœnam reducantur audientes illud Matth. 25. v. 41. *discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus* [*]

De ista visitatione habetur Jeremiæ 49. v. 8. *Fugite, & terga vertite, descendite in voraginem habitatores Dedan: quoniam perditionem Esau adduxi super eum, tempus visitationis ejus.* De hac eadem habetur Sophoniæ 1. v. 12. *visitabo super viros defixos in fæcibus suis.*

[*] HÆR. Ad idem inducunt illud, Isaiæ 46. v. 8. *Redite prævaricatores ad cor. 9. Recordamini prioris sæculi.* Ergo isti, quibus loquebatur Isaias in alio sæculo prius fuerunt, & de illo in istud sæculum propter peccatum translati sunt.

CATH. Solutio. Miser Hæreticus satis viliter intelligit verba Isaiæ, si propter ea vult habere, quod in alio seculo fuerint, si memores sunt illius. Multoties enim aliquis recordatur alicujus loci, nec tamen fuit in illo loco. Similiter aliquis recordatur cari sui, nec tamen fuit in illo. Lucæ 17. v. 32. *memores estote uxoris Lot.* Numquid isti fuerunt in ea? Non.

Præterea nonne vides quod vocat eos prævaricatores: scilicet cultus Dei, quem idolis impendebant? Sicut eos Dominus improperat eodem cap. 46. v. 5. dicens: *Cui assimilastis me, & adæquastis, & comparastis me, & fecistis similem? 6. Qui confertis aurum de sacculo, & argentum statera ponderatis: conducentes aurificem, ut faciat Deum: & procidunt, & adorant, &c.* usque *non salvabit eos.* Postea dicit 8. monens eos ad debitum suum: *mementote istud*, idest idolorum impotentiam, quam memorat etiam in principio ejusdem capitis, ubi dicitur: *Confractus est Bel, contritus est Nabo.* Deinde subditur: *redite prævaricatores ad cor*, id est ad mentem ea mediante discutiendo creaturas sæculi; unde etiam subdit: *recordamini prioris sæculi*, idest illius sæculi a principio sui ipsius, ut per facta etiam ipsa cognoscatis factorem ejus. Rom. 1. v. 19. *quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. 20. Invisibilia enim ipsius, a creatura Mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, &c.*

Præterea nonne dicis quod Isaias, & alii prophetæ in cælesti sæculo prophetaverunt hujusmodi, & alia? Ergo cælesti sæculo aliquod sæculum fuit prius. [*]

HÆR. Ad idem inducunt illud, quod legitur Jeremiæ 2. v. 13., ubi Dominus dicit de populo suo: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas: cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Per hoc enim volunt quod populus Dei salvandus cum Domino in cælo fuerit, sed per peccatum ab eodem Domino, & cæli loco discesserit.

CATH. Sed hunc suum intellectum erroneum in verbis prædictis nullo scripturæ testimonio possunt ostendere; immò potius manifestum est, quod ibi loquitur de populo Judæorum educto in terram promissionis de Egypto, in qua terra dereliquerunt Dei cultum, & coluerunt idola, ut ibi dicitur parum ante.

Præterea quomodo dereliquerunt Dominum? Numquid localiter ab eo discedendo? Certè non, cum ipse dicat per Jerem. 23. v. 24. *cælum, & terram ego impleo.* Dico igitur quod dereliquerunt Dominum a lege ejus se dividendo: unde Jerem. 9. v. 13. *dereliquerunt legem meam, quam dedi eis, & non audierunt vocem meam.* Hoc autem facit etiam homo in hoc mundo. Quare ergo vis intelligere prædicta verba Jeremiæ: *me dereliquerunt*; *&c.* cum determinatione ista: in cælo? Erras quidem scripturam propheticam non intelligens.

HÆR. Ad idem inducunt illud, quod legitur in Threnis Jerem. 2. v. 1. *Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion: projecit de cælo in terram inclitam Israel?* Per hoc enim volunt quod populus Dei in cælo fuerit, & a Deo sancto creatus in hunc mundum caliginosum ejectus sit, ut in terram alienam.

CATH. Dico quod nomine cæli intelligitur altitudo status, in quo prius fuerat Jerusalem, sive filia Sion respectu aliarum nationum, a qua altitudine propter peccatum suum projecta dicitur in terram, id est in statum infimum, sicut terra inter elementa, & corpora alia infima est. Non dicitur igitur de cælo projecta eo quod cælestis fuerit habitatione, sed status sui altitudine super alias nationes, sicut cælum super alia corpora est altitudine sua. simile autem habemus in Paulo, qui dicit ad Philipp. 3. v. 20. *nostra autem conversatio in cælis est*; & tamen Paulus, & alii Apostoli, in quorum persona loquebatur non erant in cælesti habitatione, sed in ea erant conversationis altitudine; alta enim sua conversatio erat, & sua vita; unde 2. Corinth. 4. v. 18. dicit se non contemplari *quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur,*

[*] Desid. in Cod. Neap. deest etiam in Vat.

[*] Desid. in Cod. Neap. & in Vat.

tur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt.

Ad hanc altitudinem nos movet cum dicit ad Colos. 3. v. 1. *quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens.*

Præterea cæli nomine quandoque intelligitur gaudium, vel civitas gaudens, sicut potest haberi Isaiæ 65. v. 17. *Ecce enim ego creo cælos novos, & terram novam: & non erunt in memoria priora*, supple mala, *& non ascendent super cor*. Et post pauca exponens quid dixerit cælum novum, & terram novam, subdit 18. *ecce ego creo Jerusalem exultationem, & populum ejus gaudium*. De cælo ergo projecit Dominus inclytam Jerusalem, quando de gaudio felicitatis suæ projecit eam in amaritudinem, & dolorem, quam per terram intelligit Jer. cum dicit: *in terram*, & non addit novam Apocalypsis 8. v. 13. *væ, væ, væ habitantibus in terra.*

HÆR. Ad idem inducunt illud in Threnis Jerem. 4. v. 1. *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides Sanctuarii in capite omnium platearum?* Item illud, quod eodem capite habetur 2.: *Filii Sion inclyti, & amicti auro primo: quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli?* Dicunt enim quod filii Dei in cælis ex tribus constant substantiis, scilicet anima, & corpore, & spiritu. Isti Filii sunt stellæ, de quibus dicunt, quod Draco traxit tertiam partem, ut dicitur in Apocalypsi; id est animas secum, quas seduxit spiritibus non seductis relictis in corporibus splendidis velut auro, candidioribus nive, rubicundioribus ebore antiquo. Istas autem animas inclusit in vasis testeis, quæ sunt opus manuum figuli hujus Mundi.

Ad hoc dicimus quod lamentabatur, & plorabat destructionem Civitatis suæ; idest Jerusalem terrenæ. Et quod ita sit evidentissimum est. Et Filii illorum apud nos sunt, qui a Patribus per successionem istud didicerunt & protestantur. Neque ostendere possunt, quod de cælesti loquatur. Per hoc autem, quod Jerem. ait: *Filii Sion inclyti, & amicti auro primo*, sicut & per alia etiam ibi posita, describit gloriam, honorem, & felicitatem, in qua fuerat Jerusalem. Per alia autem ibidem posita describit vilitatem, ignominiam, & miseriam, ad quam devenerat. Lege in Threnis, & invenies sicut dico in eodem capite.

Quod autem non possit intelligi de cælesti Jerusalem potest ostendi ex eo, quod ponant istam prophetiam in cælo factam; & ponunt quod præsens de præsenti accipiendum est, & præteritum pro præterito, & futurum pro futuro. Quia secundum eos oportebit dicere quod vasa illa testea in cælo habuerunt; dicit enim: *quomodo reputati sunt in vasa testea*, cum tamen dicant ista vasa in hoc mundo a Principe ejus fabricata?

Præterea quod vasa testea in hoc mundo & lutea a Deo bono habuerint patet in Prophetis. Dicit enim Isaias 64. v. 7. *Abscondisti faciem tuam a nobis &c.* usque ad *irascaris Domine satis*. Nonne Apostolus Rom. 9. v. 21. loquens de Patre Justorum: *An non habet potestatem figulus luti &c.?* 2. Timoth. 2. v. 20. *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia*. Relinquitur igitur quod de ista terrena Jerusalem intelligatur, ut prædixi. Nonne & Job 10. v. 9. idem dicit loquens ad Dominum: *Memento quæso, quod sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me &c?* Quod ergo dicitur: *in vasa testea* intelligendum est quod Judæi viles erant, abjecti, & fragiles, ut hujusmodi vasa.

HÆR. Ad idem inducunt illud, quod legitur in Oratione Jeremiæ cap. 5. v. 15. dicentes istud esse verbum ovium Israel, quæ in cælo peccaverunt: *Defecit gaudium cordis nostri: versus est in luctum chorus noster. 16. Cecidit corona capitis nostri: væ nobis quia peccavimus 17. Propterea mæstum factum est cor nostrum, ideo contenebrati sunt oculi nostri. 18. Propter Montem Sion quia disperiit, vulpes ambulaverunt in eo.*

CATH. [*] Solutio hujus est manifesta; istud enim verbum, quod hoc modo intelligunt, nullo testimonio possunt ostendere. [*]

HÆR. Ad idem inducunt illud, quod legitur ad Galat. 4. v. 25. *Sina enim mons est in Arabia, qui conjunctus est ei, quæ nunc est Jerusalem, & servit cum filiis suis. 26. Illa autem, quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra*. Ex hoc volunt quod cælestis Jerusalem fuerit mater Pauli, & aliorum Electorum, & quod inde nati fuerint, & huc venerint.

CATH. Ad hoc dico quod per Jerusalem, quæ sursum est, intelligitur Ecclesia, quæ in mundo isto peregrinatur a Domino; sed sursum esse dicitur eo modo, quo Paulus existens in hoc Mundo dicit: *Nostra autem conversatio in cælis est*. Quod quomodo intelligi debeat dictum est prius in eodem capitulo. Ista autem Ecclesia mater nostra est, quia nos genuit in Fide, Spe, & Charitate Christi per Evangelium.

Præterea si dixero Tibi per Jerusalem, quæ sursum est, intelligitur [*] Ecclesia cælestis, id est quæ jam in cælo est, mater nostra, numquid poteris ostendere quod ibi genuerit nos, vel alios, & quod inde huc venerit Populus Dei? Non potes aliquo testimonio. Nonne Christus, qui hic nos genuit, sursum est? Et tamen quibusdam Christum recipientibus, & credentibus dedit potestatem filios Dei fieri in hac inferiori habitatione. Nonne, ut ipse Apostolus ait ad Galat. 4. v. 4., postquam *venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere factum sub lege, 5. ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus?* Nonne & ipsam adoptionem filiorum receperunt hic? Utique. Unde ad Galat. 3. v. 26. dicit: *Omnes enim filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu*. Potest igitur esse quod Generans sursum sit, & tamen genitum in terra sit genitum.

HÆR. Ad idem inducunt illud, quod habetur Rom. 11. v. 32. *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate: ut omnium misereatur*. Ergo miserebitur Angelorum, qui in cælo contra ipsum peccaverunt.

CA-

[*] Quæ duobus asteriscis comprehendimus, desunt e Codd. *Vat. & Neap.*

[*] *Vat. Codex pro Ecclesia, habet gloria.*

CATH. Ad hoc dico: quomodo potest hoc esse secundum te, cum juraverit eis secundum intellectum tuum pravum, quod non intrarent in requiem suam propter incredulitatem eorum, ut habetur ad Hebræos 3. v. 18. & 19. Dicas ergo mecum Apostolum intellexisse utrumque populum incredulum extitisse, & Dominum utriusque populi misereri velle, ut probatur in illo capite, & quasi per totam Epistolam ad Rom., ubi etiam dicitur Rom. 3. v. 29. *An Judæorum Deus tantum? Nonne & Gentium? Immo & Gentium. 30. Quoniam quidem unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.*

HÆR. Ad idem inducunt quod habetur ad Galat. 6. v. 16., ubi dicit Apostolus. *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, & super Israel Dei.* Ex hoc enim volunt quod duplex sit Israel: unus Dei, & alter non. Necesse est autem intelligere Dei populum, qui coram Patre justorum in cælo peccavit, & propter peccatum huc descendit.

CATH. Ad hoc respondeo: Si tu vis habere quod per hoc, quod ait Apostolus: *Israel Dei*, alium oportet intelligere, qui non est Dei, dato hoc: numquid per hoc habetur, quod ille Israel, qui Dei non est, non sit creatus a Deo bono? Non habetur. Nonne Apos. Rom. 9. v. 25. refert: *Dominus Oseæ* 2. v. 23. *dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam, & non dilectam, dilectam: & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. 26. Et erit: in loco, ubi dictum est eis: non plebs mea vos: ibi vocabuntur filii Dei vivi?* Vides ergo quod idem populus dicitur esse Dei, & non Dei: quod esse non posset, si diceretur non esse Dei, id est non esse creatus a Deo. Quod autem dicis necesse esse Israel intelligi Dei populum, concedo; sed quod addis dicens quod ille populus coram Deo in cælo peccaverit, dico: falsum est: Proba hoc. Cumque hoc non possis facere, obmutesce. Ego autem dico utrumque Israel esse Dei per creationem. Dico etiam istud: unum Israel esse Dei, & alium non esse Dei. Ille est Dei, qui regulam Apostoli sequitur, id est qui in cruce Domini nostri Jesu Christi gloriatur tamquam in caussa salutis sufficientissima sine legalium sacrificiorum post Christi adventum observantia, & sine ritu circumcisionis, vel Gentilitatis; unde dixerat 14.: *In Christo enim Jesu*, idest ad Christi gloriam habendam, *neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura*; idest Fides, Spes, & Charitas, & aliæ virtutes, quæ a Deo creantur, idest de non esse in esse producuntur, & sunt novæ, quia faciunt hominem novum. Dicitur autem talis Israel esse Dei ad differentiam illius, de quo habetur 1. Corinth. 10. v. 18. ubi dicit Apostolus: *Videte Israel secundum carnem*, id est carnales ritus servantem. Iste non est Dei, quia non est Christi per Fidem, licet Dei sit per creationem, unde Rom. 9. v. 27. cum dixisset Apost. *Isaias autem clamat pro Israel; Si fuerit numerus filiorum Israel tamquam arena maris, reliquiæ salvæ fient* post aliqua verba subdidit de isto Israele 31.: *Israel vero sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit. 32.* Quare? *Quia non ex Fide, sed quasi ex operibus*, supple, quærebat justitiam habere. De isto etiam Israele habes Rom. 10. v. 21.: *Ad Israel autem dicit: tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem.* De isto dicitur Rom. 11. v. 35. *cæcitas ex parte contigit in Israel.*

Respondeo igitur ad primam auctoritatem, & dico quod Apostolus loquitur de duobus populis, scilicet Gentili, cum dicit: *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia*: de Judæo cum dicit: *& super Israel Dei*, quasi dicat: non super totum Israel, sed super illum, qui habet fidem Dei, quæ est quod *in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura.*

HÆR. Dicunt etiam isti Hæretici populum Dei cælestem sæpe captivatum a Domino ad pristinam gloriam redditum fuisse; unde dicit David psalmo 105. v. 43. *sæpe liberavit eos.*

CATH. Solutio. Quod David loquatur ibi de cælestibus creaturis nullo testimonio ostendere possunt. Ibi enim intelligitur de Filiis Israel eductis de Ægypto in terram Chanaam, sicut patet ex historia Veteris Testamenti, quæ ibi texitur, & quam recolit Apost. Actor. 13. v. 16. *Viri Israelitæ, & qui timetis Deum audite: 17. Duces plebis Israel elegit Patres nostros &c.* usque ad *Salvatorem Jesum*:

Ad idem etiam inducunt illud Hebr. 2. v. 10.: *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.*

Solutio. Apost. dicit Christum auctorem salutis eorum filiorum, quos in gloriam adduxerat, idest prævidebat adducendos. Sæpe præteritum ponitur pro futuro, ut patet in hoc lib. cap. 7. §. 2. Passio ergo præcedit adductionem illorum in gloriam. Nec potest dicere Hæreticus sic fore intelligendum: Decebat Deum per passionem consummare auctorem salutis; sic enim oporteret eum dicere, quod illa passio esset bona, & a Deo, quia decet eum, & honorificata ei est, quod tamen ipse non credit.

§. II.

Probatio Ecclesiæ quod nulli ex necessitate (5) salvantur.

OStenso unde habere velint populum de cælo fuisse dejectum, sed per pœnitentiam hic factam illuc

(5) Natura, & necessitate quadam salvari eos, qui reipsa salutem consequuntur, putarunt olim Valentinus, & Basilides. Hujus autem rei testis est Clemens Alexandrinus *in* V. stromatum libro; *pag.* 398. sic enim habet: *sunt ergo supervacanea præcepta tam in veteri, quam in novo testamento; cum natura salvus fiat aliquis, ut vult Valentinus, & sit natura fidelis, & electus, ut putat Basilides: fieri autem poterat, ut absque adventu servatoris, aliquo tandem tempore posset natura resplendescere. Sin autem necessarium dixerint adventum Domini, evanescunt eis naturæ proprietates: cum doctrina, & purgatione, & bonorum operum effectione, non autem natura servetur electio.* Vide Irenæum *lib.* II. *contra Hæres. cap.* XXIX. *pag.* 159. *lib.* IV. *contra Hæreses cap.* XXXVII. *al.* LXXII. *num.* 2. *pag.* 281. *Edit. an.* 1710. Consuluntor etiam fragmenta Basilidis, Isidori, & Valentini, quæ ex Clementis Alexandrini libris Stromateon exprompta; exstant in Appendice *Opp. S. Irenæi pag.* 350. *seqq.* Eodem fere revolvuntur quæ Manichæi jactabant. De qua re consuli poterunt Titus Bostrensis *lib.* 1. *contra Manichæos pag.* 88. *seq.* & *Acta Archelai n.* 29. *pag.* 48. *seqq. Vide Notam* 1. *ad cap.* V. *Hujus* 1. *libri.*

illuc revocandum; ostenso etiam, quod illa testimonia, quibus hoc asserunt, non sunt pro eis, accedamus ad secundum, quod proposuimus, ad ostendendnm videlicet [*] quod nulli ex necessitate salvantur. [*]

Et primo inducemus illud, quod habetur Matth. 5. v.20.: *Nisi abundaverit justitia vestra plus, quam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum*. Ecce quod dicit: *nisi abundaverit &c.* Poterat ergo abundare justitia eorum super justitiam Scribarum, & Pharisæorum, & non abundare, alioquin non dixisset: *nisi &c.* Poterant ergo intrare, & non intrare in regnum cælorum, ergo poterant salvari, & non salvari; ergo non salvantur ex necessitate.

Item ibidem dicitur 21.: *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio*. Quilibet autem potest irasci fratri suo, ergo potest esse reus judicio; ergo quilibet potest damnari.

Item ibidem: *Qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennæ ignis*. Iste vero est ignis inextinguibilis illis, qui ibi fuerint. Sed potest esse quod quis dicat Fratri suo: fatue; ergo potest mitti ad gehennam ignis inextinguibilis. Nemo igitur necessario salvatur.

Item Matth. 5. v.13. *Si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus*. Iste sal de qua creatione est? Si de bona: ergo potest evanescere, ita quod ultra nihil valeat, nisi ut conculcetur: ergo potest damnari: Si de mala: quomodo potest evanescere, cum semper vanum sit, & naturaliter vanum.

Item Matth. 6. v. 19. dicitur: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra; ubi ærugo, & tinea demolitur &c.* Ex quibus verbis colligitur quod Discipuli Christi habent liberum arbitrium, & quod possunt thesaurizare in diversis locis, scilicet in cælo, & non in cælo; ergo possunt damnari.

Item Lucæ 6. v. 37. *Nolite judicare, & non judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini*. Ex quibus verbis concluditur quod habebant liberum arbitrium ad judicandum, & condemnandum, & ad suum oppositum. Ergo poterant condemnari.

Item Jacobi 5. v.9. *Nolite ingemiscere fratres in alterutrum, & non judicemini*. Ex quibus verbis eruitur quod liberum arbitrium habebant ad ingemiscendum, id est ad provocandum ad gemitum unus alterum, & quod poterant cadere sub judicium, idest damnationem, si hoc facerent. Quod autem per judicium intelligatur damnatio patet Johannis 5. v. 29. ubi dicitur: *qui vero mala egerunt*, ibunt in damnationem judicii, sive mortis; prius enim dixerat: *in resurrectionem vitæ*.

Item Matth. 18. v.3. *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum*. Ex his verbis patet quod poterant converti, & non converti; item fieri sicut parvuli, & non fieri; ergo poterant non intrare in regnum cælorum.

Item Lucæ 21. v.34.: *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ: & superveniat in vos repentina dies illa 35.: Tamquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ*. De die illa repentina habetur 1. ad Thessa. 5. v.2. *Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet*. Dicit autem Jesus in Luca: *Attendite autem vobis*; poterant enim non attendere sibi; & si non attendissent, supervenisset in eos repentina dies illa tamquam laqueus; ergo poterant damnari.

Item ibi dicitur 36.: *Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis*. Poterat ergo esse, quod non invenirentur digni fugere illa, & stare ante Filium hominis. Ergo poterant non salvari.

Item Lucæ 13. v.1. cum nunciatum esset Jesu *de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum*, 2. *Respondens Jesus dixit illis: Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? 3. Non, dico vobis: sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis*. Constat quod isti jam uno modo perierant, id est in perversitatem, & peccatum ierant. Dominus autem dicit eis *peribitis*. Ergo non sumit ibi perire pro ire in peccatum, sed sumit pro ire in perditionem, sive æternam mortem; ergo non necessario salvabuntur, maxime cum eis dicat 5. *similiter peribitis*.

Item Johannis 8. v.21. *Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini*. Isti erant de creatione bona, & mortui erant spiritualiter, quia erant in peccato. Quare ergo dicit eis: *moriemini*, quod est futurum? Numquid intelligit Jesus: moriemini corporaliter? Ostendo quod non; statim enim dicit eis 24. *Si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro*. Palam enim est quod sive crederent, sive non crederent ipsum esse Christum, sive etiam peccatum haberent, sive non, tamen corporaliter mortui essent. Ergo non loquitur de morte corporis, neque de morte animæ, quæ mors est peccatum, quia illa morte jam mortui erant; ergo loquitur de morte damnationis æternæ. Ergo poterant damnari, licet essent de bona creatione. Si autem dicas quod erunt de mala creatione: quomodo potest hoc stare, cum dicat eis: *Si enim non credideritis quia ego sum &c.*? Et parum postea dicitur 30.: *Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum*. Quibus postea dixit 31. *Si vos manseritis in sermone meo, vere Discipuli mei eritis: 32. & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos*. Ergo erant de bona creatione; quod verum est; tamen poterant non salvari, ut ostensum est.

[*] Item 1. Corinth. 9. v.24.: *sic currite ut comprehendatis*, supple bravium supernæ vocationis, de quo Philip. 3. v.14. Prius dixerat: *Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium*. Et postea subdit: *sic currite ut comprehendatis*. Quare? Quia ita possent currere, quod non comprehenderent. Ergo non omnes, qui a Deo Sancto sunt, salvabuntur ex necessitate.

Item

[*] Quæ duobus asteriscis comprehensa vides desunt e *Vat. & Neap.* Codd.

[*] Quæ duobus asteriscis comprehensa cernis desiderantur in Codd. Vat. & Neapolitano.

Item quod non omnes salventur ex necessitate patet per illud verbum Apostoli ibidem 25. *Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam.* Ex quo patet quod taliter possent pugnare quod non haberent coronam incorruptam. Hebr. 4. v. 1. *Timeamus ergo ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem ejus, existimetur aliquis ex vobis deesse. Forte* est adverbium eventus; quasi dicat: bene potest hoc evenire; Si enim non posset evenire, quare timeamus illud evenire, scilicet quod deficeremus a requie, & sabbatismo populi Dei. [*]

Item 2. Corinth. 5. v. 10. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi &c.* Ergo boni, & mali reddent rationem Domino in die judicii; sed mali damnabuntur; ergo aliqui de creatione bona damnabuntur; non enim redderent ei rationem, nisi de sua creatione essent.

Item Apostolus ad Galat. 4. v. 10. dicit quibusdam: *Dies observatis, & menses, & tempora, & annos.* 11. *Timeo vos, ne forte sine caussa laboraverim in vobis.* Sed quæ erat caussa, quare laboraverat in eis, & in aliis? Constat quod ut salvarentur; unde 1. Corint. 10. v. 33. dixit: *Non quærens quod mihi utile est, sed quod multis: ut salvi fiant.* Et Rom. 11. v. 13. *Vobis enim dico gentibus &c.* Cum ergo dicat: *Timeo vos &c.* ergo poterat sic evenire. Ergo non necessario salvabuntur.

Item Apostolus ad Philipp. 2. v. 12. *cum metu, & tremore vestram salutem operamini.* Quare cum timore, si de necessitate salvantur? Præterea quare monet eos operari salutem suam, si de necessitate hoc faciunt, & non ex libero arbitrio? Constat igitur, quod non salvantur necessario.

Item ad Colos. 1. v. 21. *Et vos cum essetis aliquando alienati, & inimici sensu in operibus malis:* 22. *nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso:* 23. *Si tamen permanetis in fide fundati, & stabiles, & immobiles a spe evangelii.* Ecce quod Apostolus dicit exhibendos Colossenses sanctos, &c. si permanserint in fide. Poterant ergo non permanere in ea; Ergo poterant non esse coram Deo; Ergo poterant non salvari.

Item 2. Thessa. 3. v. 5. *misi ad cognoscendam fidem vestram: ne forte tentaverit vos is, qui tentat, & inanis fiat labor noster.* Si inanis fieri poterat labor ejus, idest vacuus a fructu: Ergo poterant esse sine salute.

Item Epist. 2. Johannis 8. dicitur quibusdam ambulantibus in veritate: *Videte vos metipsos, ne perdatis quæ operati estis: sed ut mercedem plenam accipiatis.* Ecce quod B. Johannes admonet Electum, & natos ejus, ut caveant, ne perdant, quæ in Domino fecerant, & ut mercedem plenam accipiant. Ergo poterant perdere ea, quæ fecerant, & non accipere mercedem plenam; ergo non necessario salvabantur.

Item ibidem dicitur 9. *Omnis, qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet? qui permanet in doctrina, hic & Patrem, & Filium habet.* Et post pauca subjungit. *Ecce prædixi vobis ut in die Domini* nostri Jesu Christi *non confundamini.* Iste est dies ultimus, in quo Christus judicaturus est orbem in æquitate, ut habetur Actor. 17. v. 30. *Tempora quidem hujus ignorantiæ despiciens Deus, nunc annunciat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant* 31. *eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate.* Item 1. Thess. 5. v. 2. *Dies Domini, sicut fur in nocte, &c.*

Isti, quibus Johannes loquebatur, de bona erant creatione. Monebat autem eos manere in doctrina Christi, ne confunderentur in die judicii; Ergo poterant confundi in die illo. Ergo non necessario salvabuntur.

Item Apocalyp. 3. v. 11. dicat Dominus Angelo Philadelphiæ: *Ecce venio cito: tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Quare ei hoc dixisset, nisi potuisset coronam amittere? Ergo non necessario salvabantur.

§. III.

Probatio Ecclesiæ, quod non omnes, qui creati sunt a Deo bono salvabuntur.

OStenso quod non salvantur aliqui ex necessitate accedamus ad tertium, quod proposuimus, & ostendamus Domino adjuvante quod non omnes, qui creati sunt a Deo bono, salvabuntur. Dicitur enim de Christo Matth. 3. v. 12. *Cujus ventilabrum in manu sua: & permundabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum paleas autem comburet igni inextinguibili.* Numquid hæ paleæ sunt de creatione bona? Utique. Ex eodem enim est palea, & triticum. Dicitur autem quod Dominus comburet has paleas igni inextinguibili; Ergo non omnes de creatione sua salvabuntur, nec omnes ponentur in horreo suo.

Si autem vis dicere quod de mala creatione sunt, hoc esse non potest. Primo quia palea, & triticum ex eodem sunt. Secundo quia dicitur; *comburet.* Sed quo igne? Numquid suo igne, quem venit mittere in terram, ut dicitur Lucæ 12. v. 49? Non. Numquid igne alieno, id est a Diabolo creato? Non, quia illo non utetur. Præterea si utitur illo; ergo ille est de sua jurisdictione.

Item Matth. 3. v. 10. *omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Sed in quem ignem? Non nisi in illum, de quo dicitur: *paleas autem comburet igni inextinguibili.* Ergo non omnes oves Israel salvabuntur.

Item Matth. 20. v. 1. ubi ponitur parabola patris familias, *qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam*; in fine enim parabolæ dicitur 16. *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Sed soli electi salvabuntur, ergo cum vocati plures sint, quam electi, aliqui vocati non salvabuntur. Sed de qua creatione sunt? Numquid de mala? Non potest hoc

[*] Non exstat hic v. in vulgatis: quamvis in plerisque vetustis latinis Codicibus exstet, præsertimque in Gemblacensi, addaturque v. 11. Vide Millium in Notis ad Epist. 11. S. Johannis.

hoc dici, quia illos non vocaret Paterfamilias ad laborandum in vinea sua, malum enim laborem ibi facerent, sicut ipse bene scit. Ergo aliqui de bona creatione non salvabuntur.

Idem verbum habetur Matth. 22. v. 12. 13., ubi Dominus illum, quem jubet projici in tenebras exteriores, vocat amicum: quod non faceret, si esset de mala creatione. Ergo erat de bona creatione, & tamen damnandus.

Si autem velles dicere, quod ista parabola in alio seculo facta fuerit: quomodo hoc esse potest, cum Rex ille ad nuptias Filii sui jubeat bonos, & malos vocari.

Item Matth. 26. v. 49. legitur de Juda, quod *accedens ad Jesum dixit: Ave Rabbi. Et osculatus est eum. 50. Dixitque illi Jesus: Amice, ad quid venisti?* Modo quæro. Aut Judas amabat eum, aut e contrario; aut neque amabat, neque amabatur a Jesu? Si hoc ultimum vis dicere, Christum facis mendacem, quia Amicus dicitur vel quia amat, vel quia amatur. Dicere autem non potes quod Judas amaret Jesum. Ergo oportet dicere, quod Jesus eum amabat: quod minime fecisset, si de creatione contraria fuisset. Ergo Judas de creatione sua fuit. Quod etiam patet per illud Johannis 13. v. 18. *qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum*; & per illud Davidis psalm. 40. v. 10. *Homo pacis meæ, in quo speravi, &c.* Fuit igitur bonæ creationis, & tamen periit sine fine damnandus. Ergo non omnes de sua creatione salvabuntur.

(*) Ad hoc dicunt Quidam, hoc non esse verum propter illud Matth. 19. v. 28. Vos, *qui secuti estis me, in regeneratione, &c.* usque ad *tribus Israel.*

Hujus autem solutio patet ex illo verbo Johannis 13. v. 17. *Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. 18. Non de omnibus vobis dico: Ego scio quos elegerim*, supple cum effectu, idest in quibus electio mea effectum habebit beatitudinis.

Præterea Johannis 17. v. 12. dicitur *Filius perditionis*. Et quare? Si quia cecidit in peccatum: similiter & Petrus, & alii; unde dicit Matth. 26. v. 31. *omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte.*

Si dicas: illos recuperavit, similiter & istum recuperabit, ut credis, dico quod hoc esse non potest. Nam Lucæ 22. v. 22. *væ homini illi, per quem tradetur.* Item Actor. 1. v. 24. *Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum 25. accipere locum ministerii hujus, & apostolatus, de quo prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum, &c.* Ex quo patet quod numquam restituetur, alioquin Episcopatus tolleretur Mathiæ. Item 1. Corinth. 1. v. 18. *Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est: iis autem, qui salvi fiunt, idest nobis, Dei virtus est.* Hic distinguuntur pereuntes, & illi, qui salvi fiunt. De Juda autem dicitur Johannis 17. v. 12. *nemo ex eis periit, nisi Filius perditionis.* Ipse ergo est de pereuntibus, & perditis; ergo non est de iis, qui salvi fient.

Similiter respondere potes per illud Lucæ 22. v. 29. *& ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, &c.* Jam enim evanuerat Judas, & dictum erat: *væ homini illi, per quem tradetur.*

Præterea omnia talia Matth. 5. v. 12. *gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis*; item Matth. 19. v. 28. *sedebitis, &c.* intelliguntur conditionaliter: si non evanueritis. Unde post illa verba Matth. 5. v. 12. *gaudet, &c.* statim subditur 13. *Si sal evanuerit, in quo salietur?* Item ante illa verba Lucæ 10. v. 20. *gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cælis* ponitur 18. *videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem.*

Si autem objiciant illud Johannis 6. v. 39. *omne, quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo*: respondendum est quod ibi dicitur: *Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris: ut omne, quod dedit mihi, &c.* Non enim de voluntate Dei fuit illius perditio, sed ex illius peccato. Quod autem sit perditus patet Johannis 17. v. 12., ubi dicitur *Filius perditionis*. Quod autem hujus perditio fuerit ex illius peccato patet Lucæ 22. v. 22. *væ homini illi*; & subdit caussam, cum ait: *per quem tradetur.* [*]

Item Lucæ 14. v. 16. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos, &c.* Ubi potes similiter argumentari, ut habetur in cap. de libero arbitrio.

Item Lucæ 8. v. 5., ubi ponitur de semine, quod *aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud. 6. Et aliud cecidit supra petram: & natum aruit, quia non habebat humorem. 7. Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocaverunt illud. 8. Et aliud cecidit in terram bonam: & ortum fecit fructum centuplum.* De qua creatione erant illi, in quibus tres partes seminis perierunt? Numquid de mala? Non, quia sator, idest Christus non jactasset ibi semen suum; bene enim sciebat, quod ibi periisset. Erant ergo de bona creatione, & tamen semen verbi Dei periit in eis; videtur ergo quod aliqui de bona creatione non salvabuntur.

Si autem Hæreticus replicet contra nos, & dicat: Nonne Christus sciebat, quod semen periisset in illis? Quare ergo seminat?

Respondeo ut ostenderet quod ipse vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Si autem aliqui non salvantur, aut non veniunt ad agnitionem veritatis, per hoc ostendit, quod ex eorum mala voluntate profluit, sicut ipse dicit Matth. 23. v. 37. *Jerusalem Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?*

[*] Notandum est huc duplex semen; verbi, & exempli. Utrumque seminavit Christus in aliquibus, ut essent inexcusabiles. Johannes 15. v. 22. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum* non

[*] Quæ duobus asteriscis hic complexi sumus desunt e *Codd. Vat. & Neap.*

[*] Desunt hæc item, quæ duobus asteriscis comprehendimus e codd. *Vat. & Neap.*

non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Item ibidem 24. *si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt me, & Patrem meum*.

Item Johannis 17. v. 12. dicit Christus ad Patrem: *Quos dedisti mihi, custodivi: & nemo ex eis periit, nisi Filius perditionis*. Constat quod perire est de bono ad malum ire secundum te. Ergo si Judas periit de bona creatione fuit.

Item Pater dedit eum Christo. Ergo habebat eum in potestate sua ad dandum, si voluisset. Quomodo hoc esse posset, si de ejus dominio non fuisset, cum Diabolus in suis rebus omnipotens sit?

Præterea quomodo rem alienam Filio suo dedisset, in qua nihil juris habebat? Sic injuriam fecisset Diabolo.

Præterea nonne dicitur de Juda Actor. 1. v. 20. & in Davidis psalmo 108. v. 8. *Et Episcopatum ejus accipiat alter*, scilicet Mathias? Ergo Judas Episcopus fuit Ecclesiæ Dei; ergo de bona creatione, & tamen perditus, unde & *Filius perditionis* est dictus.

Item Rom. 9. v. 6. dicit Apostolus: *non enim omnes, qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ*. Quomodo tu vis accipere Israelitas? Constat quod pro illis, qui de bona creatione sunt, & sunt salvandi. Modo quæro: de quo Israel loquebatur? Si de bono, id est de illo, unde oves Israel dictæ sunt: quomodo ergo stabit quod dicit: *non enim omnes, qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ*? Sic ergo videtur quod ex bono Israel sint aliqui non salvandi. Ergo non omnes Israel oves salvabuntur. Si dicas quod pro malo Israel sumitur; quomodo ergo dicit: *non enim omnes, &c.*? Immo nulli ex illo nati essent Israelitæ salvandi.

[*] Item 1. Corinth. 9. 24. *omnes quidem currunt, seu unus accipit bravium*. Quid autem sit istud bravium habetur ad Philipp. 3. v. 13. & 14; ubi dicit Apostolus quod seipsum extendebat ad bravium supernæ vocationis, id est divina vocatione dandum in supernis. Post prædicta verba: *omnes quidem, &c.* subjunxit Apostolus: *sic currite ut comprehendatis*; quasi diceret: sicut omnes illi currunt ad bravium, & tamen unus, non autem omnes obtinent, & acquirunt ipsum; ita posset accidere nobis. Loquitur vero illis, qui de dominio Dei erant. Ergo non omnes, qui a Deo sancto sunt, salvantur. [*]

Item ad Philipp. 3. v. 18. *Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi: 19. quorum finis interitus: quorum Deus venter est: & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt*. Apostolus flebat pro istis, qui erant inimici crucis Christi, & eorum finis interitus. Et si ii fuissent de mala creatione, non flevisset pro eis per hoc, quod inimicarentur cruci Christi, & finaliter interirent. Ergo erant de bona creatione; ergo aliqui de bona creatione finaliter pervenient ad interitum; ergo non omnes de creatione bona salvabuntur.

Item 1. Corinth. 9. v. 27. dicit Paulus: *castigo corpus meum, & in servitutem redigo: ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar*. Ergo poterat esse a Deo reprobus, ergo non salvus.

§. IV.

Quod Angeli, qui ceciderunt de cælo propter peccatum suum, non salvabuntur.

Ostenso quod nulli ex necessitate salvantur, & quod non omnes, qui creati sunt a Deo bono, salvabuntur, sed peribunt aliqui finaliter, accedamus ad quartum, quod proposuimus, ut ostendamus cum Dei adjutorio, quod Angeli, qui de cælo (6) venerunt propter peccatum suum, non salvabuntur. Ad quod probandum quasdam auctoritates inducimus, quas non induceremus, nisi quia credunt, & intelligunt illas dictas esse de Angelis Patriæ cælestis, qui propter peccatum suum huc venerunt, licet illæ auctoritates de illis non loquantur.

Dicitur Job 7. v. 9. *Sicut consumitur nubes, & pertransit: sic qui descenderit ad inferos, non ascendet. 10. Nec revertetur ultra in domum suam*. Constat quod Job loquitur secundum te de ovibus Israel, id est de Angelis cælestis Patriæ, qui propter peccatum suum in cælo contra Dominum suum commissum ad inferos descenderunt. Dicit autem de omnibus, quod non ascendent ultra, nec revertentur in domum suam. Quomodo ergo tu ausus es dicere, quod illuc revertentur? De malis Angelis intelligi non potest, idest de illis, quos fingis esse a Deo malo creatos, quia domus cæli non est eorum domus, ut Job dicit, neque revertentur in domum suam.

Item Job 34. v. 24. *Conteret multos, & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis*. Dicas mihi: Isti, quos conteret Deus, de qua creatione sunt? Numquid de mala? Hoc esse non potest; arguit eos, quod *de industria recesserunt ab eo, & vias ejus intelligere noluerunt*: quod non faceret, si de mala creatione essent.

H Præ-

[*] Hæc etiam desunt e codd. *Neap. & Vat.* quæ duobus asteriscis conclusimus.

(6) Est hic error Origenis proprius; quem sibi adoptate non dubitarunt Cathari. Atque Origeni quidem hoc erroris portentum tribuunt Epiphanius, Theophilus Alexandrinus, Hieronymus, Augustinus, aliique innumeri, quorum magnam partem recenset Petrus Daniel Huetius *lib.* II. *Origenianorum Quæst.* x. *num.* XXI. *pag.* 155. *Edit. an.* 1668. Colligitur autem ex priore *de Principiis Libro. cap.* VIII. *pag.* 75. *Edit. Paris. an.* 1733. *Tom.* I. *Opp.* Sunt qui Muhamedem Origeni consensisse putent. Inter hos autem sunt Johannes Andreas, qui ante Muhamedanus fuerat, in *Confusione* sectæ *Muhamedanæ*, & Thomas a Jesu. Verum non de diabolis, sed de geniis fidelibus intelligi Muhamedem oportere, censet Relandus *De Religione Muhamedica lib.* II. §. XII. *pag.* 183. *seq. &* §. XVI. *pag.* 196. *seqq.* Dæmonum enim æternas esse pœnas statui a Muhamede *Surat.* LXXIV. contendit. Negari tamen non potest, quin Anabaptistæ in Origenismum inciderint. Vide Johannem Vvigandum *Tract. De Anabaptismo grassante &c. pag.* 296. *Edit. an.* 1582. & Gasparem Calvorium *lib.* XVI. *Fissuræ sionis &c. cap.* I. *n.* 56. *pag.* 436. *Edit. an.* 1700. Sociniani æternas quidem esse negant dæmonum pœnas, quamvis nunquam illos consequi gloriam posse, sed in nihilum redigi arbitrentur. Adeundus Johannes Cloppemburgius *In Compend. Socinianismi cap.* VIII. *pag.* 408. *Tom.* II. *Opp.*

Præterea si recesserunt ab eo : ergo prius erant cum eo; ergo de bona creatione, quia non est conventio Christi ad Belial, ut habetur 2. Corinth. 6. v. 15.

Præterea dicit Job ibidem 25. *Novit enim opera eorum : & idcirco inducet noctem, & conterentur*. Ecce quod propter eorum opera noctem eis inducet : ergo prius erant in luce : quod non esset, si de mala creatione essent; Quæ enim *societas luci ad tenebras*? 2. Corinth. 6. v. 14.

Item Jeremiæ 11. v. 10. *Irritum fecerunt Domus Israel, & Domus Juda pactum meum, quod pepigi cum Patribus eorum*. 11. *Quamobrem hæc dicit Dominus : ecce ego inducam super eos mala, de quibus exire non poterunt*. Constat quod loquitur de ovibus Israel, quas Tu credis esse animas a villico iniquitatis seductas. Dominus autem dicit, quod non poterunt exire de malis, quæ super eos inducet. Ergo non poterunt salvari.

Præterea quæ mala inducet super eos? Numquid supplicia, & tormenta, in quibus sunt hic? Ergo ista mala temporalia, & mundana sunt a Deo bono.

Forte dices, quod inducet super eos mala, id est dæmonia. Sed numquid ea induceret super populum suum?

Præterea nonne suasu Dæmonum peccaverunt? Ergo jam venerant Dæmonia super eos. Quare ergo comminabitur, quod inducet ea super ipsos?

Præterea ibi dicitur : *Irritum fecerunt*, &c. Ergo potuerunt facere illud irritum. Modo quæro : an potuerint vitare, ne istud facerent irritum? Si potuerunt : quare non vitaverunt? Si ideo, quia noluerunt : ergo in potestate voluntatis eorum erat non facere istud pactum irritum. Similiter in potestate voluntatis eorum fuit, quod facerent illud irritum; ergo habebant liberum arbitrium ad bonum, & ad malum.

Si autem non potuerunt vitare, quin facerent pactum Domini irritum : quare igitur eos de imitatione increpat, quare comminatur, quod inducet super eos mala, &c.

Si autem dicas : ideo non vitaverunt, quia seducti fuerunt,

Contra. Aut potuerunt sibi cavere a seductione, aut non? Et inde ut prius.

Item Jeremiæ 22. v. 10. *Nolite flere mortuum; neque lugeatis super eum fletu : plangite eum, qui egreditur, quia non revertetur ultra, nec videbit terram nativitatis suæ*. 11. *Quia hæc dicit Dominus ad Sellum filium Josiæ regem Juda, qui regnavit pro Josia patre suo, qui egressus est de loco isto. Non revertetur huc amplius* : 12. *sed in loco, ad quem transtuli eum, ibi morietur, & terram istam non videbit amplius*. Ista sunt verba Domini in cælesti Patria de ovibus cælestis Jerusalem in ea mortuis, quod non plorarent de eis, sed super eum, qui egressus est, vel egredietur, quia non revertetur amplius. Ergo non salvabuntur amplius.

Præterea de qua morte loquitur, cum dicit : *Nolite flere mortuum*? Si de spirituali, quæ est peccatum : nonne & ille, qui egressus erat, eadem morte mortuus erat, idest peccato? Si dicas quod non; & tamen ultra non revertetur in terram nativitatis suæ, idest in Jerusalem cælestem. Ergo ovis, quæ non peccavit, damnabitur; Ergo deteriorem habebit partem, quam illa, quæ peccavit; illa enim salvabitur, & redibit secundum te ad terram nativitatis suæ.

Si dicas quod eadem morte erat mortuus, scilicet spirituali, quæ est peccatum : quare ergo dicit : *Nolite flere mortuum*? Immo talis flendus est Philip. 3. v. 18. (*nunc autem & flens dico*.)

Præterea dicit : *plangite eum, qui egreditur*, &c. Sic videtur quod iste non esset mortuus; distinguit enim inter mortuum in urbe, & egressum de ea.

Præterea dicit Dominus : *In loco, ad quem transtuli eum, ibi morietur*. Ergo non erat adhuc mortuus spiritualiter.

Præterea videtur, quod Dominus fecerit ei injuriam, quia sine peccato transtulit eum in terram alienam, ubi moreretur.

Præterea cum dicit : *Nolite flere mortuum* si loquitur de mortuo spiritualiter, id est per peccatum : dicas mihi : quem appellas tu mortuum? Si animam, quæ in cælo peccavit : nonne illa inde egressa est ad Chaldæos? Utique, unde in Threnis 1. v. 8. *peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est*. Et loquitur secundum te de cælesti Jerusalem, quam dicis peccasse, propterea instabilem factam esse, quia cives in Babylonem translati sunt.

Præterea si illa, quæ non peccavit, inde egressa est, quod patet in uno, scilicet Sello filio Josiæ; multo magis inde egressa est illa, quæ peccavit.

Si dicas quod mortuum appellat corpus : ergo loquitur de morte corporali.

Præterea quis est, qui egredietur? Dices quod anima, quæ in illo erat, quæ egressa est de Jerusalem cælesti propter peccatum. Sed nonne dicit quod in loco, ad quem transtulit eum Dominus, ibi morietur? Utique. Ergo non erat adhuc mortua, sed viva; nihil enim potest mori, nisi vivum sit. Si vivebat : ergo non peccaverat.

Præterea dicit quod non *videbit terram nativitatis suæ, nec revertetur ad eam amplius*. Falsum ergo dicis, cum ponis quod oves Israel, quas de cælo tractas asseris, illuc revertantur.

Item Lucæ 9. v. 62. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei*. Creaturæ vero cælestes, quas appellas oves Israel, miserunt manum suam ad aratrum, & respexerunt retro. Ergo non sunt aptæ regno Dei, ergo non sunt aptæ ad salutem, ergo non valent salvari.

Item Johannis 12. v. 39. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias* : 40. *excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum : ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & sanem eos*. Isti erant oves Israel, quod patet per hoc, quod ibi dixerat 36. *dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. Hæc locutus est Jesus : & abiit, & abscondit se ab eis*. Postea subdit 37. *Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum*.

eum. Ecce quod dicit quoniam non poterant credere. Ergo non poterant salvari; ut enim dicitur Hebræor. 11. v. 6. *sine fide autem impossibile est placere Deo*.

Si autem ipsi contra te replicent auctoritatem illam: dicas: non mihi nocet, quia eam intelligo de Judæis, quia dico: *non poterant*, id est volebant; sic etiam sumitur Marci 6. v. 5. ubi dicitur de Jesu quod *non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit*: 6. *& mirabatur propter incredulitatem eorum*.

Si dicas: & ego eodem modo exponam: *non poterant*, idest nolebant. Contra ergo nolebant credere, & tamen poterant velle credere; ergo habebant liberum arbitrium ad bonum, & ad malum. Quare ergo destruis liberum arbitrium in eis?

Quod autem sic intelligi debeat, ut dixi, *non poterant*, idest non volebant patet Matth. 23. v. 37. ubi dicitur: *Jerusalem Jerusalem, quæ occidis prophetas, &c.* usque ad *noluisti*.

Item Rom. 9. v. 27. *Isaias autem clamat pro Israel: si fuerit numerus filiorum Israel tamquam arena maris, reliquiæ salvæ fient*. Istud dixit Isaias de futuro; Paulus autem Rom. 11. v. 5. dicit: *in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt*. Sed oves illæ cælestes, quas ponis salvandas, nondum salvæ factæ sunt. Ergo oves illæ non sunt reliquiæ Israel. Si de Israel solæ reliquiæ ingredientur in cælum: ergo oves Israel, quas ponis numquam illuc ibunt; sed illæ oves sunt animæ cælestes, ergo cælestes creaturæ non salvabuntur.

Item Hebræor. 6. v. 4. *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti*, 5. *gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi*, 6. *& prolapsi sunt; rursus renovari ad pœnitentiam*. Prædictæ oves illuminatæ fuerunt aliquo tempore, gustaverunt etiam bonum Dei [*] verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsæ sunt. Ergo impossibile est eas renovari ad pœnitentiam. Constat enim quod de ovibus Israel loquebatur Paulus; oves quippe de mala creatione non possunt illuminari, neque gustare bonum Dei verbum, neque prolabi possunt, quia numquam in bono steterunt.

Sed forte Hæreticus eandem auctoritatem contra Te replicabit. Sed non nobis nocet; nos enim concedimus, quod qui sunt illuminati per exorcismum, & qui gustaverunt donum cæleste, id est remissionem peccatorum per baptismum; & qui participes facti sunt Spiritus Sancti per impositionem manuum Episcopi, & qui nihilominus gustaverunt bonum Dei verbum, id est dominicum Evangelium intellexerunt post baptismum, & qui gustaverunt virtutes sæculi venturi, id est quibus sapuerunt gloria animæ, & gloria corporis; quæ in sæculo illo Dei virtute habebuntur, & post ipsa prolapsi sunt, id est procul lapsi sunt à Fide Christi, & bona vita eos, inquam, tales ad pœnitentiam motos; id est licet postea pœniteant de hoc, quod lapsi sunt, impossibile est eos renovari, id est rebaptizari; baptismus enim dicitur lavacrum renovationis ad Titum 3. v. 5., de quo eodem baptismo Ephes. 5. v. 26. *mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*; idest cum verbo vivificante. Sed alio modo possunt salvari, scilicet per pœnitentiam. Hoc autem tu dicere non potes, quia Tu rebaptizas, cum sæpe eidem manuum impositionem facias, quam impositionem dicis esse baptismum.

Alio etiam modo exponuntur verba ista, ut intelligatur: *impossibile est enim eos &c. ad pœnitentiam* post hanc vitam; dixerat enim Apostolus v. 1. *ad perfectiora feramur*; atque hoc postea subjunxit v. 3. *& hoc faciemus, si quidem permiserit Deus*, id est si concesserit nobis spatium vivendi, *impossibile est enim &c.* Unde Apocalyp. 10. v. 6. dixit Angelus: *tempus non erit amplius*, supple pœnitendi: quod verum est post vocem Angeli septimi, de quo ibi 7.

Item Heb. 3. v. 7. *Quapropter sicut dicit Spiritus Sanctus: Hodie si vocem ejus audieritis &c.* usque ad finem hujus capitis &c.

[*] Sed non omnes profecti sunt ex Ægypto per Moysen. Quibus autem offensus est quadraginta annis nonne illis qui peccaverunt quorum cadavera prostrata sunt in deserto? quibus autem juravit non introire in requiem ipsius nisi illis qui increduli fuerunt & videmus quia non potuerunt introire in requiem ipsius propter incredulitatem, [*] ubi habetur secundum te, quod illa generatio, quam tu ponis cælestem, quadraginta annis obduravit cor suum contra Spiritum Sanctum, & quod ipse juravit ei quod non intrasset in illam requiem. Et quare non intrabit? Dicitur ibi 19. *propter incredulitatem*. Quomodo tu ergo audes dicere, quod intrabit, cum Spiritus Sanctus oppositum juraverit? Aut tu es mendax: quod verum est; aut Spiritus Sanctus perjurus est: quod falsum esse omnibus patet.

Item Heb. 11. v. 13. *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti*, nimirum Abraham, Isaac, & Jacob, *non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram*. 14. *Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere*. 15. *Et si quidem ipsius meminissent, de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi*. 16. *Nunc autem meliorem appetunt, id est cælestem*. Isti erant de Ovibus Israel, & meliorem Patriam appetebant, quam illam, de qua exiverant, scilicet cælestem. Non ergo exiverant de cælesti in terram istam, super quam erant peregrini, & hospites. Sicut autem est de istis, ita & de aliis servandis. Ergo nulli, qui salvandi sunt, de cælo in terram propter peccatum exierunt. Qui igitur de cælo in terram propter peccatum suum venerunt, non sunt salvandi.

Ad idem facit quod dicit Petrus Epist. 2. cap. 2. v. 4. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit; sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in judicium reservari*. Attende Petrum dicentem quod Angelis peccantibus non

[*] Vaticanus Cod. pro *verbum* habet *donum*.

[*] Desunt duobus asteriscis contenta ex Codd. *Neap.* & *Bonon.* Exstant in Vaticano.

pepercit, & quod tradidit, id est dispofuit eos refervari in judicium cruciandos; eos dico detractos in tartarum rudentibus inferni, id est peccatorum funibus, quibus homines pravi, & Angeli in inferno ligabuntur. Sicut B. Petrus dicit, si Deus eos in judicium refervat cruciandos; ergo non salvabuntur; immo cruciabuntur Dei judicio.

Neque potes dicere, quod de Angelis a malo Deo creatis, ut falso ponis, istud intelligatur; probatum est enim supra Capitulo Primo, quod non sunt plures Dii. Quod si Deus malus esset, neque ipse, neque Angeli ejus peccare possent.

Ad idem etiam facit illud, quod habetur Epist. Cath. Judæ v.5. *Commonere autem vos volo, scientes semel omnia, quoniam Jesus populum de terra Ægypti salvans, secundo eos, qui non crediderunt, perdidit. 6. Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit.* Istud non potest intelligi, nisi de Angelis boni Dei, de quibus dicitur Job.4. v.18. *in Angelis suis reperit pravitatem*; de eisdem enim Angelis loquitur Job, de quibus & Petrus.

Præterea de aliis Angelis, quos ponis a Deo malo creatis, non potest intelligi; illi enim etsi dereliquerunt domicilium suum, id est mundum istum, cum ascenderunt in cælum, ut falso ponis; tamen non amiserunt principatum suum, immo potius ampliaverunt eum, quia principatum boni Dei Angelis de cælo per peccatum huc dejectis acquisiverunt. Attende igitur quid Judas dicit, quoniam Jesus reservat eos sub caligine vinculis æternis. Quomodo ergo dicis, quod adhuc salvabuntur?

Et quia fortasse diceres (7) quod æternum aliquem finem habet; unde dicitur Exodi 15. v. 18. *Dominus regnabit in æternum, & ultra*. Attende quod sequitur: *in judicium &c.* Non dicit quod serventur ad salvationem, sed *in judicium*, hoc est ad damnationem, quia damnabuntur a Deo magno. Ergo non salvabuntur amplius, immo damnabuntur.

Et ne dicas quod aliter sumatur judicium, quam pro judicio damnationis. Esto memor verborum Petri, qui dicit: *cruciandos in judicium reservari. Melius enim*, ibidem 21., *erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem, retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.* Modo quæro: Isti fuerunt cælestes creaturæ, alioquin Deus, vel Ecclesia non tradidisset eis sanctum mandatum.

Præterea neque majus, neque minus malum esset eis hoc, si de alia creatione forent. Fuerunt ergo de bona creatione. Quare enim dicit: *melius erat illis*? Sic ergo videtur, quod melius fuisset eis numquam fuisse bonas, quam malas esse tantum aliquando: quod falsum est aperte.

Præterea si recuperabunt statum pristinum, non fuisset istud sibi melius. Sed ex quo Petrus ita dicit, oportet, quod istud esset sibi melius, id est minus malum; ergo ad destructionem consequentis non recuperabunt statum pristinum; ergo si illi sunt Angeli cælestes, qui peccaverunt in cælo, non salvabuntur amplius.

Præterea ibi dicitur: *quam post agnitionem &c.* Ex verbis Petri patet quod prius fuerint in statu isto, scilicet quod ignoraverint viam justitiæ; deinde Deus ab ipso malo statu eas separaverit; postmodum vero ad statum pristinum redierint. Prius ergo mali fuerunt, quam boni. Populus autem cælestis non fuit prius malus, quam bonus, immo e contrario. Ergo isti non fuerunt de cælesti populo, & tamen salvandi erant, si voluissent, quia traditum eis sanctum mandatum, & agnoverunt viam justitiæ, & retrorsum conversi sunt, & ita aliquando boni fuerunt. Aliqui igitur salvabiles sunt, qui non sunt de cælesti populo; at non populus cælestis, qui huc per peccatum venit.

Item Ecclesiastes 11. v. 3. dicit: *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Quid ibi appellatur lignum, nisi ipse homo, de quo Matth. 7. v.19. *omnis arbor &c.*? Quid autem est lignum ad Austrum cadere, nisi ad prosperitatem æternæ fœlicitatis venire? Et quid est lignnm cadere ad Aquilonem, a quo panditur malum super omnes habitatores terræ, ut dicitur Jerem. 1. v.14., nisi ad supplicia inferni venire? Quid vero est quod dicit, *ibi erit*, Nisi ibi sine fine manebit? Si enim non vellet amplius dicere, nisi quod littera sonat, cum dicitur: *ibi erit*, satis otiosa erit locutio.

Ad idem facit illud, quod habetur Sapien. 12. v. 12. ubi Author ad hominem sanctum loquens ait: *Quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti?* Quasi dicat: Nullus. Tu autem miser Hæretice dicis quod non potest aliqua ejus natio deperire, tamquam imputandum ei esset, si periret, cum posset eam talem facere, ne periret.

Item Hebr. 2. v. 16. *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Et attende quod prius dixerat Christum per mortem suam liberaturum eos, qui timore mortis obnoxii erant servituti. Et ne tu crederes, quod isti, qui erant liberandi, essent Angeli, subdit: *nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Ergo ipsi Angeli non sunt semen Abrahæ, sed soli illi, qui sunt semen Abrahæ liberandi sunt; ergo Angeli non sunt liberandi.

§. V.

(7) Hæc est novorum Socinianorum, & Anabaptistarum dicendi ratio. Pleraque enim ex scripturis afferunt documenta, quibus τὸ æternum pro diuturno quidem tempore, non tamen pro eo, qui nullum finem habere queat, intelligi oportere defendunt. Atque ex hac quidem hæreticorum colluvie fluxit repetita illa Burneti opinio, qui per summam impudentiam, æternum pro temporario quopiam accipiendum putat, ut alias sæpe, sic etiam dum de pœnis damnatorum agitur. Sed hi quidem magnis in erratis versantur. Nam & scripturarum auctoritate, & Veterum Patrum, præsertim autem eorum, qui Apostolos audierant, aut qui ab Apostolorum discipulis acceperunt disciplinam, consensione hoc eorum absurdum, impiumque dogma repellitur; Vide Dionysium Petavium *lib.* III. *De Angelis cap.* VIII. *per tot. tom.* III. *Theologicorum Dogmatum*, qui præter scripturæ auctoritatem, affert etiam Clementis Romani, Justini Martyris, Irenæi, Tatiani, Tertulliani, Minucii Felicis, Lactantii, aliorumque multorum disertissima testimonia.

§. V.

Unde Hæretici adſtruant tranſitum ſpirituum de corpore in corpus; & utrum ſpiritus de corpore tranſeat in corpus.

NUnc accedamus ad quintum, quod in hoc capitulo propoſuimus. Et quoniam iſti Hæretici, (8) qui duo principia ponunt, aſſerunt Populum Dei, qui de cælo dejectus eſt, transire de corpore in corpus, non incongruum nobis videtur investigare unde hoc habeant, & utrum hoc verum eſſe valeat ſecundum ſcripturas divinas.

HÆR. Volunt autem hoc habere ex eo, quod legitur 1. Petri 3. v. 18. ubi dicitur: *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem ſpiritu*. 19. *In quo & his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit*. 20. *Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca: in qua pauci, id eſt octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam*. Dicunt igitur per hanc auctoritatem quod populus Dei, id eſt animarum cæleſtium cœtus, qui peccavit in cælo in diebus Noe octavi præconis juſtitiæ, incredulus fuit; & quod Dominus noſter Jesus Chriſtus eidem poſtea prædicavit ſecundum illud verbum Petri: *in quo & his, qui in carcere erant* [*] *ſpiritibus veniens prædicavit*. Ex qua etiam auctoritate voluit eſſe miſer Hæreticus Tetricus nomine, quod populus Dei antiquus ſit, non novus, id eſt de novo creatus.

Ad hoc autem facile eſt reſpondere; non enim vult Petrus quod Chriſtus in carne veniens prædicaverit illis. Unde non dixit: in carne veniens, ſed potius in ſpiritu veniens prædicavit eis, qui erant in carcere peccatorum. Eſt ergo ſenſus: *In quo*; id eſt ob quam cauſſam, ſcilicet ut illos, qui tempore Noe erant, offerret Deo. Chriſtus vero *mortificatus quidem carne, vivificatus autem ſpiritu* poſtquam venit plenitudo temporis in carne veniens hominibus prædicavit. Atque ipſe etiam eſt, qui ante diluvium veniens in ſpiritu prædicavit Antiquis, qui tunc erant increduli verbis Noe, & *expectabant Dei patientiam*, hoc eſt ſperabant eam ſemper ſic duraturam, ut non puniret peccantes. Prædicavit eis in ſpiritu, id eſt per ſpiritum, qui erat in Noe, & in aliis juſtis, qui tunc erant, qui Spiritu Sancto duce, & movente eos prædicabant verbo & exemplis iniquis ut converterentur. Quod autem Chriſtus, & dominus ſecundum quod Deus eſt tunc regeret Noe, & alios juſtos, qui cum eo erant habetur Iſaiæ 54. v. 8. ubi dicit Chriſtus per Iſaiam: *dixit redemptor tuus Dominus*: 9. *Sicut in diebus Noe iſtud mihi eſt, cui juravi ne inducerem aquas Noe ultra ſupra terram: ſic juravi, ut non iraſcar tibi*. Ex quo teſtimonio evidens eſt, quod Deus bonus diluvium induxit, & in eo ſubmerſit omnes impios, juſtos autem cuſtodivit, ut dicit B. Petrus in ſecunda ſua Epiſtola cap. 2. v. 5. 6. & 7. ſed iſte eſt Deus Veteris Teſtamenti, ut poteſt oſtendi Geneſ. 6.; alium autem non potes oſtendere, qui hoc fecerit. Ergo Deus Veteris Teſtamenti bonus eſt.

Præterea ſi bonus Deus in diluvio ſubmerſit impios, non videtur quod velit iterum ſalvare eos.

Quod autem animæ non tranſeant de corpore in corpus probatur per illud, quod habetur Hebr. 9. v. 27., ubi dicit Apoſtolus de Chriſto: *Et quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium*: 28. *Sic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata*.

Forte dices quod de ſpirituali morte intelligitur hoc verbum; *& quemadmodum &c.* id eſt de morte, qua quis moritur in peccato.

Contra. Illa mors non eſt ſtatuta tantum ſemel, immo quoties homo peccat. Unde Jacobi 3. v. 2. *In multis enim offendimus omnes*. Item Ezech. 33. v. 12. *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua*. Item Luc. 17. v. 4. *Si ſepties in die peccaverit in te, & ſepties in die converſus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me, dimitte illi*.

Præterea a quo ſtatutum eſt hominibus ſemel mori corporaliter? Si a Deo bono: ergo mors iſta ex ejus eſt ordinatione; ergo multo fortius vita horum corporum mortalium ab ipſo eſt, ergo corpora iſta mortalia ab ipſo ſunt.

Si autem concedas quod de morte corporali intelligitur: quare ergo dicis quod animæ tranſeunt de corpore in corpus, vel quod umquam tranſierunt de uno in aliud?

Præterea ſi corpora iſta mortalia ad ipſum non pertineant, quare fecit ſtatutum eis? quo jure?

Si dicas quod ſtatutum eſt a Principe tenebrarum.

Contra. Sic ergo Chriſtus ſtatuta diaboli voluntarie obſervavit; ibi enim: dicitur *ſic & Chriſtus &c.* Iſaiæ 53. v. 7. *oblatus eſt, quia ipſe voluit*. Ipſa autem oblatio mors ejus eſt, qua ſe Deo obtulit; unde

(8) Placuit Catharis Albanenſibus univerſis Orientalium Veterum, Pythagoreorum, Gnoſticorum, Manichæorumque de continenti animorum in alia corpora tranſmigratione ſententia. Videtor Reinerius Sachonus *in ſumma Contra Catharos col.* 1768. Ac Perſarum quidem Magi metempſychoſin tuebantur, teſte Porphyrio *de Abſtin. lib.* IV. *cap.* XVI. *pag.* 165. Non diſcrepabant Chaldæi, Arabes, Ægyptii, Druidæ Gallorum, & Maxima Græcorum Philoſophorum pars. Adeundi Vvindetus *De Vita Functor. poſt mortem pag.* 79. *ſeqq. Edit. Roterod. an.* 1644. & Marshamus *in Chron. Can. Ægypt. ſeculo* IX. *pag.* 258. *Edit. an.* 1672. Verum dogmati Catharorum nihil videtur eſſe opinione Carpocratianorum ſimilius. Nam Carpocratiani apud Irenæum *lib.* I. *cap.* XXV. *al.* XIV. *pag.* 104. *Edit. Pariſ. an.* 1710. *adverſarium*, dicebant, *unum ex Angelis . . . quem diabolum, vocabant dicentes, factum eum ad id, ut ducat eas quæ perierunt animas a mundo ad principem, & illum . . . Angelo qui miniſtrat ei tradere tales animas, ut in alia corpora includat: corpus enim dicebant eſſe carcerem.* Vide etiam Epiphanium *Hæreſ.* XXVII; *n.* V. *pag.* 106. *Tom.* I. *Opp.* Eandem fuiſſe puto Simonis, Menandri, atque aliorum Gnoſticorum de metempſychoſi ſententiam. Adi-ſis Irenæum *lib.* II. *cap* XXXIII. *al.* LVIII. & Tertullianum *lib. de Anima cap.* XXXIV. *pag.* 290. *ſeqq. Edit. an.* 1675. Aſſenſi porro ſunt Gnoſticis Manichæi, ut traditum eſt ab Auguſtino *lib. de Hæreſ. cap.* LXVI. *col.* 16. *Tom.* VIII. *contra Adimant. cap.* XII. *col.* 123. *Tom.* VIII. *Opp.* ab Epiphanio *lib.* II. *contra Hær.* LXVI. *pag.* 644. a Theodorito *lib.* I. *Hæret. Fabul. cap.* XXVI. *pag.* 214. *Tom.* IV. *Opp.* Sunt Qui Origenem in hunc errorem incidiſſe putent; ſed injuria. Conſulendus Huetius *lib.* III. *Origenian. cap.* II. *Quæſt.* VI. *n.* 18. *ſeq.* Poſuit tamen genus quoddam tranſmigrationis animarum Adamantius de quo diſſerit Huetius ibid. *n.* 19. Rurſum Origenem cenſuiſſe animas corporibus ab Angelis illigari, conſtat ex *Tom.* III. *in Johan. pag.* 242. & *Tom.* II. *Edit. an.* 1668. lege *Huetium in Notis T.* II. *pag.* 115.

[*] Spiritu *habet Vaticanus Cod.* pro Spiritibus.

unde Ephes. 5. v. 2. *Ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis*. Ergo mors ex ejus voluntate est, ergo & ejus factura eo modo, quo est; *omnia* enim psalm. 134. v. 6. *quæcumque voluit, Dominus fecit*.

Neque obstat quod habetur Sap. 1. v. 13. *Deus mortem non fecit*. [*] Sic enim intelligitur; Prima homini mors a Deo inflicta non est ex ejus intentione, sed propter merita hominis. De primo dicitur Thren. 3. v. 33. *non enim humiliavit ex corde suo, & abjecit filios hominum*. Et loquitur de humilitate afflictionis; quod patet ex eo, quod addit: *& abjecit* de secundo post illa verba subdit Spiritus Sanctus ibi 16.: *Impii autem*, id est Adam, & Eva, *manibus, & verbis accersierunt illam*; verbis quidem, quæ Eva cum Serpente habuit, & consensit dicenti Genes. 3. v.4. *nequaquam morte moriemini &c.* Verbis Evæ ad Adam, cum sibi suggereret, ut de ligno scientiæ boni & mali comederet. Manibus etiam accersierunt illam, quando ad cibum vetitum extenderunt eas.

Hoc idem patet Rom. 5. v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*. Vides quod si peccatum non præcessisset, non esset mors, & donata immortalitas perdurasset. Non enim dubitandum est immortalitatem concessam homini ante culpam: quam immortalitatem nobis reddendam esse post universalem totius Orbis ruinam fide intelligimus. Mors igitur adventitium malum est, & non est ordo naturæ, sed pœna malitiæ. Propter quod recte dicitur, quod *Deus mortem non fecit*, scilicet patrio ordine naturæ, sed ultione offensæ perpetratæ.

Nec obstat illud Hebr.9. v.27. *Statutum est hominibus semel mori*. Non enim hoc dicitur de statuto mortis relative ad conditionem primariam; non enim est mors in primo facturæ ordine. Dicitur igitur hoc de ejus statuto relative ad inobedientiam; constat enim mortem pro noxa prævaricationis tertio gradui fuisse impositam. Homo enim opus Dei est. Peccatum opus hominis, & diaboli. Mors autem pœna peccati. Debitum ergo mortis non a Domino, sed a servo; non ab Auctore, sed a contemptore sumpsit initium; *stipendia enim* (Rom. 6. v. 23.) *peccati mors*, quæ non primo fuit ex Dei voluntate, sed potius ex hominis pravitate.

Contrarium huic prædicavit (9) Pelagius asserens Adam mortalem factum; & sive peccasset, sive non, necessitate conditionis moriturum; contra illud Apostoli Rom. 5. v. 12. *Per unum hominem &c.* Hoc autem ex pravitate descendit, quia negat originale delictum. Dum enim affirmare contendit Adam fuisse mortalem necessitate conditionis, non vitio transgressionis, vult ostendere originem hujus debiti, id est mortis, non a Contemptore, sed ab Auctore cœpisse. Caussa autem quare (10) negavit originale peccatum, fuit hæc, quia docebat Parvulos baptismo non indigere.

Ex hoc autem constat mortem nostram pedisequam esse peccati, quia mors capitis nostri ejus pedisequa fuit; *traditus* enim *est propter delicta nostra* Rom.4. v.25. Hoc etiam patet, quia si hoc mandasset in terris justitia, non fuisset de cælo transmissa medicina. Ut veniret una sanitas, generalis exegit infirmitas. Istam exigentiam tangit Apost. Rom. 5. v. 6. *Christus, cum adhuc infirmi essemus secundum tempus pro impiis mortuus est*. [*] (11)

§. VI.

Quod salvabuntur aliquæ creaturæ, quæ non ruerunt de cælo.

NUnc accedamus ad sextum, scilicet ad ostendendum quod aliquæ creaturæ salvabuntur, quæ non fuerunt de illis, quas dicunt in cælo peccasse; neque etiam fuerunt creaturæ cælestes. Dicit enim Isaias 5v. v.15., ubi de Christo loquitur, sicut patet ex verbis Apost. Rom.15. v.21. *Quibus non est annunciatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent*. Ista prophetia secundum te in cælo facta est. Modo quæro: de quibus dicit quod non est annunciatum de eo, & quod non audierunt? Numquid de creatione cælesti? Si dicas quod sic, Quomodo ergo dicit prophetia quod non est annunciatum, & quod non audierunt de eo, id est de Christo? Non est verisimile, si cælestes creaturæ fuerunt a Patre justorum ibi creatæ, quod non fuerit sibi annunciatum de eo, & quod non audierint de ipso, & quod fuissent sine ejus cognitione. Quomodo etiam hoc esse potest, cum dicat David, quem dicis ibi prophetasse, psalm. 8. v.1. *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra?* Et si hoc testimonium non sufficit, audi

[*] Non exstant in Codd. Neapol. & Vat. quæ duobus asteriscis hic quoque complexi sumus.

(9) S.Augustinus *lib. de Hæresibus* ad *Quodvultd. cap.* LXXXVIII. *col.* 26. *Tom.* VIII. *Opp.* de Pelagianorum hæresi disserens: *Ipsum*, inquit, *quoque Adam dicunt, etiam si non peccasset, fuisse corpore moriturum, neque ita mortuum merito culpæ sed conditione naturæ*. Consule Augustini ejusdem *librum de Gestis Pelagii cap.* XI. *n.* 23. *col.* 24. *Tom.* X. *P.* I. *Opp.* & *lib.* II. *Operis Imperf. Contra Julianum cap.* LXVI. *col.* 981. *Tom.* X. *P.* II. *Opp.* & *lib.* IV. *cap.* XLIII. *col.* 118. & *lib.* VI. *cap.* XXV. *col.* 1340. Damnatus hic Pelagii error fuit a plerisque Synodis non in Africa solum, sed etiam in aliis Regionibus congregatis. Quin etiam Romani Pontifices Innocentius I. Zosimus, & qui eis suffecti porro fuerunt, eumdem ipsum errorem proscripsere. Consuluntor Johannes Garnerius Diss. I. *De Synodis in caussa Pelagiana habitis vivente Sancto Augustino*, Cardinalis Norisius *lib.* I. *Historiæ Pelag.* Dionysius Petavius. *Lib. De Hæresi Pelagiana, & Semipelagiana, Tom.* III. *Theologic. Dogmat.*

(10) Colligitur id quidem ex Augustini locis, quos indicavi nota superiore. Apte autem in eamdem rem cadit quod habet Synodus Africana secunda celebrata *an.* CCCCXVIII. *can.* 2. *Item Placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere Originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur, unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis, in remissionem peccatorum, non vera sed falsa intelligatur. Anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus: Per unum* hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt; *nisi quemadmodum Ecclesia Catholica, ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.*

(11) Eerrorem Gnosticorum de animarum transmigratione refellunt Irenæus *lib.* II. *cap.* XXXIII. *al.* LVIII. *pag.* 167. *seqq.* & Tertullianus *lib. de Anima cap.* XXXIV. *seqq. pag.* 290. *seqq.*

di illud, quod dicit Malachias I. v. II., quem dicis ibi prophetaſſe: *In omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*. Prius autem dixerat: *Ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in Gentibus*. In quibus auctoritatibus ſecundum te terra ſumitur pro cæleſti terra, & locus, in quo offertur nomini ejus oblatio munda, ſimiliter pro cæleſti loco. Ergo ſi Gentes illæ, de quibus loquitur Iſaias, fuiſſent cæleſtes, magnum fuiſſet nomen Dei in eis, & admirabile; & ita fuiſſet eis de Chriſto annunciatum. Sed non eſt ei annunciatum, ut dicit Iſaias in auctoritate prædicta. Ergo non fuerunt cæleſtes creaturæ, & tamen ſalvabuntur; Sic enim ſcriptum eſt ibi: *Iſte*, ſcilicet Chriſtus, *aſperget gentes multas, ſuper ipſum continebunt reges os ſuum: quia quibus &c.* Iſtæ ſunt illæ gentes, quas aſperget, id eſt lavabit ſanguine ſuo, & non fuerunt cæleſtis creationis. Igitur non tantum cæleſtes creaturæ ſalvabuntur. Sed de qua creatione fuerunt? Numquid iſtius infimæ creationis? Si hoc concedas, quod & verum eſt: ergo vel hæc creatio bona, & a bono Deo, quod verum eſt, vel de mala creatione aliqui ſalvabuntur; ſed hoc ultimum eſſe non poteſt; ergo hæc infima creatio a Deo bono eſt.

Si autem contra te replicet auctoritatem Malachiæ, quæ videtur contraria Iſaiæ dicenti: *quibus non eſt anunciatum de eo &c.*

Reſpondeas quod Malachias ſumit præſens pro futuro cum dicit: *magnum eſt nomen meum in Gentibus*; ſicut etiam Iſaias in auctoritate prædicta dicit: *contemplati ſunt*: quod exponit Apoſt. per futurum, cum ponit: *intelligent*. Hoc autem tu dicere non potes, qui in prophetiis ad ſonum litteræ ſumis præſens pro præſenti, & præteritum pro præterito, & futurum pro futuro.

Præterea legitur Iſaiæ 49. v. 14. *Et dixit Sion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus eſt mei &c. uſque ad muri tui coram oculis meis ſemper*. Poſtea ſubditur 19. *Quia deſerta tua, & ſolitudines tuæ &c.* uſque ad *& iſti ubi erant*? Si Iſaias prophetat de cæleſti Sion, & de ejus habitationibus illuc reverſuris, & dicis, quæ duo falſa ſunt; ſi illi ſoli, qui ibi fuerunt geniti, vel electi a Deo, ſalvabuntur, quare dicit: *Quia deſerta tua, & ſolitudines tuæ, & terra ruinæ tuæ nunc anguſta erunt præ habitatoribus*? Quare dicit, quod filii ejus dicunt 20. *Anguſtus eſt mihi locus, fac ſpatium mihi ut habitem*? Ergo vel Iſaias non prophetat de quibus dicis eum prophetaſſe, ſicut verum eſt, vel aliqui ſalvabuntur, qui de illis non fuerunt.

Præterea nonne legitur Jeremiæ 29. v. 4. *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael omni tranſmigrationi, quam tranſtuli de Jeruſalem in Babylonem: 4. Ædificate domos, & habitate &c.* uſque ad *& multiplicamini ibi, & nolite eſſe pauci numero*? Populus ergo multiplicabatur numero, ſed populus Dei ſalvandus eſt totus; Dato igitur, quod verum non eſt, quod illi, qui de cæleſti Hieruſalem venerunt ſalvabuntur, non tamen illi ſoli, ſed immo plures alii redibunt in Jeruſalem, & ſalvabuntur.

Ad idem poteſt induci illud Zachar. 2. v. 4. *Abſque muro habitabitur Jeruſalem præ multitudine hominum, & jumentorum in medio ejus. 5. Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu: & in gloria ero in medio ejus.* [*] Super quo teſtimonio potes argumentari, ut prius.

Idem haberi poteſt per illud pſalm. 30. v. 8. ubi legitur unam de ovibus dixiſſe: *Ego autem in Domino ſperavi: exultabo, & lætabor in miſericordia tua. Miſerere mei Domine quoniam tribulor &c.* quæ habentur in illo pſalmo? Si autem de aliis: quare dicit 8. *Salvaſti de neceſſitatibus animam meam. Nec concluſiſti me in manibus inimici*? Ex quo patet intellectum tuum de ovibus Iſrael habitum falſum eſſe. [*]

C A P. V.

De libero arbitrio; & unde Hæretici ipſum conantur deſtruere.

SEquitur quintum Capitulum de libero arbitrio, quod iſti negant eſſe (1) in populo Dei. Dividitur autem hoc capit. in duas partes. In prima parte ponuntur rationes eorum, quibus hoc dicunt. In ſecunda rationes contra eos.

§. I. PRIMA PARS.

Fundamenta negantium liberum arbitrium.

PRius ergo videamus (2) quare moti ſint ad hoc dicendum. Hujus rei cauſſa una eſt, quia ſi Populus

[*] Quod duobus aſteriſcis primis contentum vides deſideratur in Codd. *Neap.* & *Bonon.* quod vero duobus ſequentibus, non extant in *Neap.* & *Vat.*

(1) A Simone Mago repetit hunc errorem Vincentius Lirinenſis *in Commonitor. cap.* XXXIV. Hominum quippe naturam ita conditam eſſe Simonis judicio affirmat, ut neceſſitate quadam peccet. Saturniani quoque duo genera hominum eſſe dixerunt, quorum alterum natura bonum ſit, alterum vero natura malum, utrumque vero juxta naturæ ſuæ conditionem neceſſitate quadam agere. *Vide Tho. Hittigium de Hæreſiarchis Sect.* II. *cap.* I. *n.* II. qui in rem hanc veteres pleroſque citat. Placuit hoc erroris portentum Baſilidi: apud Clementem Alexandrinum *lib.* I. *Strom. pag.* 265. *Edit. an.* 1616. & Valentinianis, *apud eumdem &c. ibid.* & apud Irenæum *l.* IV. *cap.* XXXVII. *al.* LXXI. *pag.* 281. *ſeqq.* & *lib.* I. *cap.* XXIV. *al.* XXII. *n.* 2. *pag.* 101. Origenem *lib.* VIII. *in Epiſt. ad Rom.* & *lib.* III. *περὶ ἀρχῶν cap.* X. verba porro Baſilidis & Valentini refert Clemens in IV. *Strom.* Ita factum eſt, ut Manichæi neceſſitate quadam duci homines arbitrarentur. *Aug. lib. de Hæreſ. cap.* XLVI. & *lib.* XXII. *contra Fauſtum cap.* XXII. & Socrates *lib.* I. *Hiſt. Eccl. cap.* XXII. Nemeſius *lib. de Natura Homin. cap.* XL. & Titus Boſtr. *lib.* II. *contra Manich. pag.* 95. Non diſcrepabant a Manichæis Priſcillianiſtæ, ut teſtantur Auguſtinus *libro de Hæreſes cap.* LXX. & S. Leo *Epiſt.* XV. *Tom.* I. *Opp. pag.* 448. His acceſſere Pauliciani, ut prodit Photius *lib.* II. *contra Manichæos num.* 2. Ex hac ergo ſentina fæx illa Catharorum Albanenſium manavit. Parum abeſt ab hac hæreſi nefarium quorumdam Sectariorum hujuſce temporis dogma. Vveigelliani, quum aſtrologiæ plurimum tribuant, genere quodam fati, quod libertatem omnino non tollat, duci homines putant, ut auctor eſt Hoornbeekus *ſumma Controver. Relig. lib.* VI. *pag.* 412. *Edit. an.* 1676. Nihil de Luthero, & Calvino loquor, nota quippe ſunt quæ de ſervo arbitrio alter, alter vero de ſublata pene libertate dixit.

(2) Hæc eadem erat Valentini ratio, cur liberum arbitrium tollendum eſſe ab homine arbitraretur. Id vero colligo ex *Dialogo Incerti Auctoris*, qui Origeni acceptus olim referri ſolebat. *Sectione* IV. *ſub Initium. Tom.* I. *Opp. Orig. in Append. Edit. Monach. S. Mauri*. Nec diſcrepabant Gnoſtici, Manichæi, & qui deinde ab iis profecti ſunt hæretici. Videtor Didymus Alexandrinus

pulus Dei haberet liberum arbitrium ad utrumque, scilicet & ad bonum, & ad malum, ab eodem fonte, & eadem natura esset bonum, & malum; sic ergo non esset necesse ponere duos Deos, quorum unus esset principium omnis boni, & alius esset principium omnis mali.

Secunda caussa est, quia Deus non habet liberum (3) arbitrium; non habet flexibilitatem ad bonum, & ad malum. Unde ergo haberet Populus Dei liberum arbitrium? Per hoc autem videntur innuere, quod non potest Deus dare liberum arbitrium ad utrumque vertibile, quia nec ipse illud habet.

Sed huic objectioni patet solutio per simile. Populus enim Dei habet esse aliunde, creatum enim est a Deo; sed unde habet hoc esse creatum, si Deus non potest dare quod non habet?

Præterea Deus immutabilis est, & tamen creaturas suas mutat; psalmo 101. v. 27. *mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es.*

Tertia caussa est, quia non vident quomodo ex Bono possit esse malum. Sed ad hoc posita est solutio in capitulo primo de uno principio.

Quarta caussa est, quia Apost. Rom. 9. v. 16. dicit: (4) *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Item 1. Corinth. 3. v. 7. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed, qui incrementum dat, Deus.* Philip. 1. v. 6. *qui cœpit in vobis opus bonum perficiet usque in diem Christi Jesu.* Item Philipp. 2. v. 13.: *Deus est enim, qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.*

Ad primam auctoritatem dicimus, (5) quod sic intelligitur: *non volentis, neque currentis*, id est bona voluntas non est volentis, supple tantum; neque cursus, id est operatio est currentis tantum, sed ipsius est & Dei miserentis. Si enim non esset hominis bonum velle, vel agere, quare Deus ei præciperet, ut bonum vellet, vel ageret? Quare eum reprehenderet, si non ageret, vel vellet bonum; per David dicens psalmo 35. v. 4. *noluit intelligere, ut bene ageret?*

Potest etiam aliter intelligi: *non volentis, neque currentis*, supple est salus, ut dicit Origenes (6) id est non est ex ejus voluntate, vel cursu, vel operatione tantum. Vis videre hoc? Dicit David psalm. 126. v. 1. *Nisi Dominus custodierit Civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Ergo & Dominus custodit, & Homo; sed frustra Homo sine Deo. Johan. 15. v. 5. *Sine me nihil potestis facere.* Item 1. Corinth. 3. v. 9. *Dei enim sumus adjutores.* Item 1. Corint. 15. v. 10. cum dixisset Apostolus: *abundantius illis omnibus laboravi*, statim subjunxit: *non ego autem, sed gratia Dei mecum*; quasi diceret: non ego sum solus, sed cum gratia; nec gratia Dei sola, sed mecum.

Si autem vis dicere quod nullo modo salus ex hominis voluntate, vel opere pendet: quare ergo dicit Apost. Philipp. 2. v. 12. *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini?* Sed ne intelligerent, quod hoc possent facere soli, subdit: *Deus est enim, qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate*; id est ad hoc ut operemini auxiliatur; & sic patet quod neque quarta auctoritas est pro eis.

Similiter nec illa est pro eis: *Qui cœpit in vobis &c.* Qui enim in principio auxilium eis dedit bene

nus *lib. Contra Manichæos pag.* 212. *Tom.* 1. *Antiq. Lect.* Canisii *Edit. Nov.* qui omnium disertissime hoc portenti genus tribuit Manichæis. S. Augustinus *lib.* 1I. *de Lib. Arb. cap.* 1. *seqq. Tom.* 1. *Opp. col.* 583. *seqq.* Masuetius *Dissert.* 1. *in Irenæum pag.* XXVI. *num.* 48. & Dionysius Petavius *lib.* VI. *Theolog. Dogm. cap.* V. *Tom.* 1. & *lib.* IX. *cap.* 1I. *n.* 1. & 1I. Libet autem hic apponere, quod habet de Manichæis Simplicius *in Epict. pag.* 168. ταῦτα πάντα ἀνέπλασαν διὰ θεοσεβῆ, δῆθεν εὐλάβειαν, μὴ βουλόμενοι γὰρ αἴτιον τοῦ κακοῦ τὸν θεὸν εἰπεῖν. *Hæc omnia*, inquit, *excogitarunt ob Religionem, ac pietatem quamdam erga Deum, volentes scilicet dicere causam mali esse Deum.*

(3) Fallor num Cathari verum Stoicorum errorem complexi fuerint, qui Deum fato quodam, ac necessitate duci censebant: in quem profecto errorem ex parte incidisse videtur Leibnitzius *Theodic.* §. 367. quo loco *moraliter necessitatum fuisse Deum ad creandum mundum* affirmat. At hunc sane multis refellit *Christianus Erberh Vveismannus, Schediasmate* 1I. *de Provid. Dei Circa peccatum &c.* §. 6. *pag.* 285. *seqq.* Veteres Gnostici, & qui ex Manete disciplinam acceperunt hæretici, etsi perspicue, quod sciam, numquam affirmarint, Deum libertatis expertem esse; tamen cum bonum principium ita esse comparatum dicerent, ut neque permittere neque contra impedire malum possit, consequens est, ut necessitati cuidam illum subjecerunt. Fortassis etiam Cathari, non omni libertate; sed ea, quæ ad malum est, Deum vacare existimabant, ita ut ipse per se malum morale efficere nequeat, atque ex hoc principio, quod verum est, perperam concludebant, ne hominem quidem libertate ad malum gaudere. Moneta hoc unum ab his dictum refert: *non habet flexibilitatem ad bonum & ad malum.*

(4) Fuisse genus quoddam hæreticorum, qui hoc Pauli testimonio liberum arbitrium everti contenderent, indicat Johannes Chrysostomus *Homil.* XVI. *in cap.* X. *Epist. ad Rom. pag.* 195. *Tom.* IX. *Opp. Edit. an.* 1603.

(5) Hoc eodem ratiocinio utitur Pufendorfius, ut eos refellat. qui Deum mali esse auctorem defendunt. *Lib.* 1. *de Jure Naturæ & Gentium cap.* VII. §. V. Minimam enim rerum moralium *cognitionem* satis esse, ait, ut quisque perspiciat, absurdissimum esse revocare in controversiam, utrum is, qui legibus constitutis prohibet actionem aliquam, eamque punit, si fiat contra sua præscripta, sit caussa ejusdem actionis. Citat autem in rem suam luculentissimum Maximi Tyrii testimonium, quod exstat *Dissert.* 1I. *pag.* 36. *Edit. Davisii.*

(6) Origenes *lib.* VII. *in cap.* IX. *Epistolæ ad Romanos pag.* 377. *col.* 2. *Tom.* 1I. *Opp. Edit. an.* 1604. *Quod dixi*, inquit, *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, ita accipitur, sicut David dicit in Psalmo: nisi Dominus ædificaverit domum &c. In quo ostendit, non quod is qui domum ædificat nihil agat, & otiosus sit, & ita eam ædificet Dominus: sed ipse quidem quantum est in homine vim sollicitudinis; & laboris expendat, sicut obstaculis omnibus admotis, opus perveniat ad perfectum &c.* Verum caute legendus est Adamantius, quippe qui Pelagianis, Semipelagianisque præiverit, ut fuse ostendunt Cardinalis Norisius *lib.* 1. *Hist. Pelag. cap.* 1. & Petrus Daniel Huetius *lib.* 1I. Origenianorum. *Quæst.* VII. *per tot. pag.* 104. *seqq.* Ac præclare quidem se gessit noster, quippe eum in bonum sensum Origenis sententiam verterit. Porro Monetæ systema de Gratia hoc loco omnino est Augustinianum. Nam Augustinus *lib.* 1. *De Diversis Quæstionibus ad simplicianum n.* 10. *col.* 94. *Tom.* IV. *Opp. Quid ergo est*, inquit; *quod sequitur:* Non est volentis &c. *An quia nec velle possumus nisi vocati, & nihil valet velle nostrum, nisi ut perficiamus adjuvet Deus? Opus est ergo velle, & currere. Non enim frustra diceretur*, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, & sic currite, ut comprehendatis: *Non tamen* volentis *neque* currentis, sed miserentis est Dei, *ut quod volumus adipiscamur, & quo volumus perveniamus. Noluit ergo Esau, & non cucurrit. Seu etsi voluisset, & cucurrisset Dei adjutorio pervenisset; qui ei etiam velle, & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret. Aliter enim Deus præstat, ut velimus, aliter præstat, quod voluerimus. Ut velimus enim, & suum voluit esse, & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo. Quod autem voluerimus solus præstat; idest, posse bene agere, & semper beate vivere .... Non hoc Apostolus propterea tantum dixisse videbitur, quod adjutorio Dei ad id quod volumus perveniamus, sed etiam ex illa intentione; qua & alio loco dicit:* Cum timore &c. Deus enim est, qui operatur in vobis & velle &c.... *Quia voluntas hominis sola non sufficit, juste recteque vivamus, nisi adjuvemur misericordia Dei &c.*

ne operandum, ille auxiliabitur ad perficiendum.

Præterea per hoc, quod dicit: *cœpit*, vult ostendere, quod ipse primaria caussa boni est; unde illi, & non aliis debet omne bonum attribui. Similiter in omnibus similibus prima caussa, & fons omnis boni ostenditur ratione suæ bonitatis; unde Philipp. 2. v. 13. *Deus est enim &c.*

Præterea cur comminaretur negligentibus procurare salutem suam, si non esset in eorum potestate velle, & operari eam? Hebr. 2. v. 2.: *Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prævaricatio, & inobedientia accepit justam mercedis retributionem*: 3. *quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?*

Ad illud: *neque qui plantat &c.*: Dico quomodo potest hoc stare? Nonne homines erant, & boni homines? utique. Ergo aliquid erat uterque eorum.

Si dicas: neque qui plantat est aliquid faciens, neque qui rigat.

Contra. Nonne dicit ibi: *Ego plantavi, Apollo rigavit*? Dicas ergo mecum quod Apostolus volebat dicere, quod neque ipse, neque Apollo, neque alius quantumcumque Sanctus, excepto Deo, dat bonitatem, quam incrementum appellat, id est additamentum, quia Deus addit eam naturæ Hominis. Prius enim nascitur homo, & sic accipit bene esse. Propter hoc dicebat Dominus Nicodemo Johannis 3. v. 7. *oportet vos nasci denuo*.

HÆR. Ad idem inducunt illam auctoritatem, (7) quæ habetur Rom. 7. v. 15. *Non enim quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio*. Facit ergo Homo, qui de bona creatione est, malum invitus. Ergo non habet liberum arbitrium ad malum.

Respondeo. Eadem ratione probo, quod neque ad bonum habet liberam voluntatem; sic enim dicit Apostolus: *Non enim quod volo bonum, hoc ago*.

Præterea ibi subdit Apostolus 17. *Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*. 18. *Scio enim quia non &c.* Hoc loquitur Homo interior, qui de bona creatione est, & dicit quod ipse non operatur illud malum; ergo non est ei a Deo imputandum; sed potius illi, qui istud operatur, id est peccato, quod inhabitat in ipso.

Præterea istud mandatum: *non concupisces* cui datur? Numquid Homini interiori? Utique. Quare, si non potest concupiscere? Exteriori autem non daretur. Quare? Quia de mala creatione est. Ergo nulli datur; hoc autem falsum est, ergo datur interiori ad minus, ergo habet liberum arbitrium ad concupiscendum. Neque dixit Apostolus: ego non possum velle hoc, quod ago, sed dixit volo; concupiscit enim secundum legem carnis, quæ est in membris Hominis, sed non concupiscit secundum legem mentis; unde ait eodem cap. v. 25. *Ego ipse mente servio legi Dei: carne autem legi peccati*. Verba sunt Hominis justi, qui in Christo Jesu est; unde concludit Rom. 8. v. 1. *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu: qui non secundum carnem ambulant*: idest secundum legem carnis.

Nota tamen quod licet non velit malum, quod facit, scilicet malum concupiscendi, tamen potest velle; propter quod Apost. Rom. 6. v. 12. dicit: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis vestris*. Nullatenus hoc interiori dixisset, nisi liberam potestatem concupiscendi cor haberet: alioquin quare diceret David psalm. 61. v. 11. *Nolite sperare in iniquitate &c.*

HÆR. Ad idem inducunt illud, quod habetur Jacobi 3. v. 11. *Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam?*

Ad quod sic respondeo. Quid appellas tu fontem materialem? quare ergo induxisti istud testimonium Jacobi contra liberum arbitrium, cum ibi non fiat sermo, de libero arbitrio? Si ipsum Deum Patrem justorum fontem appellas; per hoc non habetur aliquid contra liberum arbitrium. Si dicas fontem liberi arbitrii; unde habes hoc, quod fons dicatur liberum arbitrium?

Præterea dato hoc dico; quod fons, id est liberum arbitrium de eodem foramine, idest de ore emanat dulcem & amaram aquam, idest benedictionem & maledictionem: sed ut dicit Jacobus ibidem 10. *Non oportet hæc ita fieri*.

§. II. SECUNDA PARS.

Liberum arbitrium est in rationali creatura.

PErtractata prima parte hujus capituli accedamus ad secundam, & ostendamus rationibus, & auctoritatibus liberum arbitrium esse in unoquoque homine.

Ad hoc autem primo inducimus testimonium (8) illud Ecclesiastici 15. v. 14. *Deus ab initio constituit hominem* usque ad *porrige manum tuam*. Postea v. 18. exponit quid appellet aquam, & ignem: *Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi*: 19. *quoniam multa sapientia Dei, & fortis in potentia*; quasi dicat: neque per ignorantiam, neque per impotentiam Domini

I

(7) Abutebantur his quoque Pauli verbis Veteres Manichæi, & qui ante illos liberum homini arbitrium detrahebant. Consuluntor Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi* IV. *n.* XIX. *pag.* 61. Augustinus *lib.* III. *de Lib. Arb. cap.* XVIII. *num.* 51. *pag.* 630. *seqq. Tom.* I. *Opp.*

(8) Vide Augustinum *lib. de Gestis Pelagii cap.* III. *n.* 7. *col.* 195. *Tom.* X. *Opp. Parte* I. *Edit. an.* 1690. & Tertullianum *lib.* II. *Contra Marcionem cap.* V. *pag.* 384. ubi hæc habet: *Liberum & sui arbitrii & suæ potestatis invenio hominem a Deo institutum, nullam magis imaginem, & similitudinem Dei in illo animadvertens, quam ejusmodi status formam . . . Nunc statum ejus conformavit etiam ipsa lex tunc a Deo posita. Non enim poneretur lex ei, qui non haberet obsequium debitum legi in sua potestate: nec rursus comminatio mortis transgressioni adscriberetur, si non & contemtus legis in arbitrii libertatem homini deputaretur. Sic & in posteris legibus creatoris invenias proponentis* ante hominem bonum & malum, vitam & mortem . . . . *Sed quoniam ex hoc jam intelligitur, eo struente liberam hominis potestatem arbitrii sui, ut quod ei evenit, non Deo; sed ipsi debeat exprobrari, ne & tu hinc jam opponas, non ita illum institui debuisse, si libertas, & potestas arbitrii exitiosa futura esset; hoc quoque prius defendam, ita institui debuisse, quo fortius commendem, & ita institutum, & digne Deo institutum, potiore ostensa ea caussa, quæ ita fecit institui*. Ita hoc Ecclesiastici testimonio libertatem arbitrii tuetur Tertullianus. Vide & *Librum de Exhortatione Castitatis*. *cap.* II. *pag.* 519. *Edit. an.* 1675.

mini remanebit, quin ei detur quod voluerit. In iſta auctoritate apparet, quod homo liberum arbitrium habet flexibile ad bonum & ad malum; ad vitam & ad mortem, & quod bonum & malum ab eodem ſunt principio.

Iſaiæ 1. v. 19. *Si volueritis*, (9) *& audieritis me, bona terræ comedetis*. 20. *Quod ſi volueritis, & me ad iracundiam provocaveritis: gladius devorabit vos*. Iſta ſunt verba Domini in cælo facta ſecundum te ad oves Iſrael, quas credis de cælo veniſſe, propterea quod ad iracundiam provocaverunt Dominum non obediendo ei in Patria cæleſti. Videre autem potes, quod in arbitrio earum dicit eſſe audire & non audire ipſum, & comedere bona terræ vel a gladio devorari. Ergo habebant liberum arbitrium ad bonum & ad malum.

Præterea v. 16. dixerat eis: *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationnum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere perverſe*, 17. *diſcite benefacere*. Quod eis non diceret, ſi liberum arbitrium ad utrumque non haberent.

Matth. 3. v. 9. *Ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham*. In poteſtate ergo habebant velle dicere, & non velle dicere illud; ergo habebant liberum arbitrium.

Item Matth. 6. v. 16. *Cum autem jejunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes*. Item ibidem 19. *nolite theſaurizare vobis theſauros in terra*. Omnia iſta probant quod Populus Dei liberum arbitrium habet ad bonum & ad malum.

Epheſ. 4. v. 27. *nolite locum dare Diabolo*. Item ibidem dicitur 30. *nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei: in quo ſignati eſtis in diem redemptionis*. Epheſ. 5. v. 7. *nolite ergo effici participes eorum*. Item ibidem 11. *nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum*. Item 17. *nolite fieri imprudentes: ſed intelligentes quæ ſit voluntas Dei*. Item 18. *nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria*.

Item 1. Petri 4. v. 12. *nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quaſi novi aliquid vobis contingat*; & eſt ſenſus: nolite recedere, & exules eſſe a Chriſti Fide *in fervore*, id eſt in fervida tribulatione, quæ fit vobis ad tentandum vos, quia antiquum & frequens eſt, quod Electi Dei in præſenti patiantur adverſa pro æterna ſalute. In poteſtate ergo eorum erat velle & nolle peregrinari, ſive recedere a Chriſto; ergo habebant liberum arbitrium.

Item Matth. 5. v. 28. *Omnis, qui videt* (10) *mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*. Hoc dixit Jeſus diſcipulis ſuis, ut ſibi caverent, ne viderent mulierem ad concupiſcendam eam. Ergo in poteſtate ſua erat concupiſcere, & non concupiſcere mulierem; ergo habebant liberum arbitrium ad bonum & ad malum.

Præterea iſtud cor, de quo loquebatur, nonne habebant a Deo bono? Utique. Ergo erat naturaliter bonum; & tamen poterat mœchari mulierem. Ergo ex naturaliter bono poteſt eſſe malum. Si autem illud cor non erat a Deo bono, neque de ejus creatione; nulla ergo culpa ex hoc in diſcipulis Chriſti erat, & nihil eis imputandum, ſi vidiſſent mulierem, quam cor creatum a Diabolo concupiſcit; ut enim dicit Apoſt. ad Galat. 6. v. 5. *unuſquiſque onus ſuum portabit*. Sed illa mœchia eſt onus creaturæ Diaboli ſecundum te, non diſcipulorum Chriſti; ergo diſcipuli non portabant onus pro illa mœchia, licet videant mulierem ad concupiſcendam eam.

Item Matth. 21. v. 28. *Homo quidam habebat duos filios, & accedens ad primum dixit: Fili, vade hodie, operare in vinea mea*. 29. *Ille autem reſpondens, ait: nolo. Poſtea autem pœnitentia motus, abiit*. Conſtat quod iſte liberum arbitrium habebat nolendi & volendi ire ad operandum in vinea Domini.

Item Matth. 23. v. 37. *Jeruſalem* (11) *Jeruſalem* uſque ad *noluiſti*: Ecce arguit eos, quia nolebant congregari ſub alas ejus; habebant ergo in poteſtate ſua velle congregari; ergo habebant liberum arbitrium.

Item Lucæ 14. v. 16. *Homo quidam fecit cœnam magnam, &c.* uſque ad v. 24. ubi dicitur: *Dico autem vobis quod nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam*. Iſti aut habebant in poteſtate venire ad cœnam iſtam, aut non; Si non: quomodo vocabat eos ad cœnam ſuam; quomodo etiam eis imperabat per ſervum dicentem eis *ut venirent* ad cœnam? Nonne 1. Johannis 5. v. 3. dicitur: *& mandata ejus gravia non ſunt*? Iſtud vero non tantum grave mandatum, ſed etiam impoſſibile eſt. Numquid enim dices quod Dominus ignorabat eos non habere poteſtatem non veniendi ad cœnam? Hoc non auderes dicere. Reſtat igitur quod in poteſtate ſua haberent venire ad nuptias; ſed quod non venerint ſtetit propter hoc, quia noluerunt, vel quia violenter detenti ſunt, ne venirent. Si detenti ſunt violenter, & non per ſe remanſerunt: quare iratus eſt eis Paterfamilias, quare minatus eſt dicens:

(9) Pulchre, & ad rem plane accommodate Cyrillus Alexandrinus *in cap. 1. Eſaiæ v. 19. pag. 22. Tom. II. Opp. Edit. an. 1638.* Poſt v. a Moneta allatum: *Poſita eſt*, inquit, *nobis ad utrumque ſemita, & fructus voluntatum cujuſque ceu floſculorum eſt præclare & legitime, aut contra culpate vivere*. Hinc aliquanto inferius Gnoſticos, & Manichæos carpens. *Cum hoc verum ſit*, inquit *e vana nimirum & frigida tutela eſt contendere ac dicere, naturale eſſe in homine malum: vel fortunam, aut fatum, aut nativitatem clavum rerum humanarum gubernare, & ad quod cuique eorum placet, quoslibet pro ſuo arbitratu adigere, ut vitium, aut virtutem colant, non ad id voluntario impulſu, ſed tamquam inevitabili jugo ſubjugati & ſubditi, neceſſitate dominantium ægre ac difficulter impulſi. Etenim ſi malum natura eſt, ac in ſubſtantia inhæret, ut iſti nugantur; quomodo pro uniuſcujuſque voluntate vel invaleſcit, vel debilitatur*.

(10) Nemeſius *lib. de Natura Hominis cap.* XL. *pag.* 289. *Edit. an.* 1671. *Noſtra poteſtas eſt*, inquit, *actionum ad virtutem, & vitium, & electionum, & motuum, & quorum æque etiam oppoſita agere poſſimus: quandoquidem omnem actionem electio antecedit, neque ſolum actio, ſed etiam electio, & voluntas damnatur. Quod docet illud in Evangelio* :qui mulierem adſpexerit ad eam concupiſcendam &c. *Nam principium peccati, & juſte facti, electio, & voluntas eſt. Opus enim quidem ipſum aliquando permittitur a providentia, aliquando prohibetur. Nam cum in noſtra ſit aliquid poteſtate, & providentia ſit, neceſſe eſt ab utriſque quæ fiunt, evenire &c.*

(11) In hunc eumdem ſenſum Irenæus *lib.* IV. *Contra Hæreſes cap.* XXXVII. *n.* 5. *pag.* 282. verba illa Chriſti vertit. *Secundum hanc igitur rationem*, inquit, *& ſuum proprium bonum oſtendens dominus, & ſui arbitrii, ac ſuæ poteſtatis hominem ſignificans, dicebat ad Hieruſalem*. Quoties volui congregare filios tuos &c. *Matth.* XXIII. *v.* 37. *ſeqq.*

dicens: *nemo virorum*, *&c.* Si convivio non interfuerunt propter hoc, quia noluerunt; ergo habebant liberum arbitrium ad malum.

Præterea de qua creatione erant? Constat quod non de mala, quia illos non vocasset ad cœnam suam; erant ergo de bona, & Christus, qui non mentitur, dicit: *nemo virorum illorum*, *&c.* Ergo oves Israel damnabuntur, & numquam salvabuntur.

Item Matth. 22. v. 2. *Simile factum est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo* usque ad v. 14. *multi sunt*, *&c.* In quibus verbis potes argumentari, sicut in prædictis verbis Lucæ.

Item Johannis 1. v. 11. *sui eum non receperunt*. 12. *Quotquot autem receperunt eum*, *&c.* Aut habebant liberum arbitrium recipiendi & non recipiendi, aut non habebant? Si habebant: habeo propositum. Si non habebant liberum arbitrium neque illi, qui receperunt eum: quare ergo prius dedit non suis? Immo prius debuisset dare suis, si in his, & illis non est liberum arbitrium; dicit enim Dominus Marci 7. v. 27. mulieri Chananææ: *sine prius salutari filios*. Item Matth. 15. v. 26. *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*.

Johannis 5. v. 39. habetur quod Christus dixit Judæis: *Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me*: 40. *& non vultis venire ad me ut vitam habeatis*. Ecce quod Dominus reprehendit istos eo quod per scripturas de Christo testimonium perhibentes nolebant ad eum venire, ut vitam æternam, quam quærebant, haberent. Ergo in potestate voluntatis eorum erat venire ad eum, vel non venire. Ergo habebant liberum arbitrium.

Præterea monet eos scrutari scripturas de ipso testimonium perhibentes: quod non faceret nisi ipsi haberent liberum arbitrium scrutandi eas, & non scrutandi.

Item nonne isti erant de ovibus Israel, cum Dominus dicat eis parum ante v. 34. *Hæc dico ut vos salvi sitis*? Ergo oves habebant liberum arbitrium.

Item Johann. 8. v. 31. legitur, quod Jesus dixit Judæis, qui crediderunt ei: *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis*: 32. *& cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos*. Isti jam erant in sermone ejus, quia ei credebant; sed monebat eos, ut permanerent in ipso. Ergo in potestate eorum erat permanere & non permanere, dummodo vellent. Atque ut vellent mercedem triplicem promisit. Ergo habebant liberum arbitrium flexibile ad utrumque. Si enim non potuissent permanere, Jesus eos non monuisset, ut permanerent, monuit autem ad hoc quando eis inde mercedem promisit. Si autem non potuissent non permanere; id est si necesse fuisset ut permanerent, & aliud esse non potuisset, frustra dixisset eis. *Si vos manseritis*, *&c.*

Item Rom. 12. v. 1. *Obsecro itaque vos Fratres per misericordiam Dei, ut*, *&c.* Si isti non habebant liberum arbitrium ad hoc, de quo eos rogabat, quare eos obsecrabat? Præterea si non habuissent in potestate suæ voluntatis malum facere, numquam dixisset eis ibidem v. 2. *nolite conformari huic sæculo*.

Item 1. Corinth. 9. v. 24. *Sic currite ut comprehendatis*, supple bravium. Si isti non habebant liberum arbitrium ad currendum, quomodo Apostolus eos rogabat, ut currerent ad bravium, cum non penderet ex eorum voluntate?

Item 2. Timoth. 2. v. 20. *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam*. 21. *Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & utile Domino*. Ecce quod Apostolus vult, quod aliquis possit se emundare ab illis vasis, quæ sunt in contumeliam, idest ut non sit de illis. Aliquis igitur operatur, ne sit vas in contumeliam. Modo quæro: aut operatur istud tantum violenter, aut libera voluntate? Si violenter: nullæ ei grates, nulla ei merces de hoc.

Præterea si tantum violenter, quare Dominus per Apostolum suum Jacobum præciperet eis dicens, Jacobi 4. v. 8. *emundate manus, peccatores: & purificate corda, duplices animo*?

Si libera voluntate; ergo liberum arbitrium habet. Et notandum quod dixerat in Ecclesia Dei quosdam esse subversos; quosdam autem signatos Dei notitia, idest liberi arbitrii comparatione stare firmos, sic enim ait v. 19. *sed firmum fundamentum Dei stat*; id est illi, qui fundati sunt in Deo, & a Deo sunt, firmiter stant, non nutant, non patiuntur a Christi fide averti. Et hoc est propter signaculum, quod habent, quia scilicet Deus eos cognoscet, id est amat, & approbat, & sic eos munit ipsis etiam cooperantibus. Postea subdit. *In magna autem domo*, *&c.* quasi dicat: non est mirum, si in Ecclesia Dei quidam avertuntur, & quidam stant.

[*] Si autem dicat Hæreticus hominem ad bonum liberam voluntatem habere; ad malum autem coactam, quare toties Apostolus dicit: *nolite*, *&c.* Item sic non esset culpandus sicuti neque Apostolus, qui ait Rom. 7. v. 15. *Quod odi malum, illud facio*. Quare ergo Isaiæ 1. v. 2. increpat populum suum: *Filios enutrivi, & exaltavi: ipsi autem spreverunt me*? De quibus etiam subditur Jerem. 4. v. 22. *Filii insipientes sunt, & vecordes*. Isaiæ 30. v. 9. *Filii nolentes audire legem Dei*. 10. *Qui dicunt videntibus: nolite videre: & aspicientibus: nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores*. 11. *Auferte a me viam, declinate a me semitam, cesset a facie nostra sanctus Israel*. Nota quod dicunt. *Loquimini nobis placentia*; ergo placitum habebant ad malum; unde subjungunt: *videte nobis errores*. [*]

Item Jacobi 1. v. 13. *nemo cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat*. 14. *Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus, & illectus*. Si ex sua concupiscentia: ex se

[*] Desid. in Cod. Bon. & Vat. usque ad *

ſe igitur malus eſt; ſed non ex natura, ergo ex libero arbitrio.

Item Matth. 15. v. 11. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem*. Hoc autem Jeſus poſt aliqua verba expoſuit dicens 17: *omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum mittitur*. 18. *Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem*. Modo quæro: Iſti homines, qui coinquinantur, de qua creatione ſunt? De mala? Non; ſic enim non poſſent coinquinari, quia ſemper eſſent inquinati & immundi. Erant ergo de bona creatione, & dicitur quod de corde ipſorum exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ. Hæc ſunt, quæ coinquinant hominem; ergo creaturæ Dei de corde ſuo mala faciunt, & dicunt, & cogitant; ergo a ſeipſis peccant: quod eſſe non poſſet, niſi haberent liberum arbitrium, ergo habent ipſum. [*]

Item Jerem. 21. v. 8. *Ecce ego do coram vobis viam vitæ, & viam mortis, &c.* Item Deuteronom. 30. v. 19. *teſtes invoco hodie cælum, & terram, quod propoſuerim vobis vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & ſemen tuum, &c.* Item pſalm. 118. v. 30. *Viam veritatis elegi: judicia tua non ſum oblitus*. Vides quia neminem hic premit fati, vel perditionis neceſſitas, quia nemini negatur eligendi poteſtas. Non in unam partem trahit prædeſtinatio, uti utriuſque partis difertur electio. Eccleſ. 15. v. 17. hoc idem habetur, ut prædictum eſt in principio cap. *Appoſuit tibi aquam & ignem, &c.*

Quod autem ex propria voluntate mutabilis ſit creatura rationalis, patet Johannis 5. v. 6. ubi Chriſtus ait cuidam ægro: *vis ſanus fieri*? Conſcius Chriſtus univerſorum conditorum quantum humano cordi indiderit, ipſius voluntatem, quem erat ſanaturus, interrogat.

Matth. 16. v. 24. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam & ſequatur me.* Hoc eſt dicere: meæ miſerationis eſt quod te vocem, ſed tuæ voluntati commiſſum eſt, ut ſequaris. Jubetur unuſquiſque ex voluntate converti ne peccator deſperet in melius ſe poſſe mutari. Cum dicit; *abneget ſemetipſum*, ſupple ſibi, hoc eſt dicere: O Homo non putes te ita ab auctore tuo conditum, ut de injuſto juſtus, de luxurioſo caſtus, de malevolo benignus eſſe non poſſis. Ad hoc enim conſequendum non naturam neceſſe eſt mutari, ſed vitam. Patientia vincat iracundiam, temperantia refrænet concupiſcentiam, humilitas excludat ſuperbiam, crux conterat voluptatem. Sic autem abnegat Homo ſe ſibi, & alter efficitur ex altero, non mutatione naturæ, ſed converſationis & vitæ.

[*] Item Rom. 6. v. 19. *Humanum dico, propter infirmitatem carnis veſtræ.* Nonne Apoſt. unum, eundemque hominem ad bonorum ſtudia provocat, quem prius malis actibus deditum fuiſſe manifeſtaverat? Item ibidem 16. *neſcitis quoniam cui exhibetis vos ſervos ad obediendum, ſervi eſtis ejus, cui obediſtis, ſive peccati ad mortem, ſive obeditionis ad juſtitiam?* Nota quod ait: *cui exhibetis vos ſervos, &c.* Poſſe igitur ad utrumque habebant. Item quomodo hoc Prædicator, & Apoſtolus Gentium diceret, ut mutarentur, ſi Deus immutabilem legem creaturæ impoſuit? Nonne dicit Coloſs. 3. v. 9. *Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, &c.* Idem legitur Epheſ. 4. v. 24.

Et quia forte mutabilem eſſe dices creaturam ad bonum, ad malum autem non; vide quid dicat David pſalm. 77. v. 10. *Non cuſtodierunt teſtamentum Dei: & in lege ejus noluerunt ambulare &c.* Unde etiam pſalm. 72. v. 19. ait: *Perierunt propter iniquitatem ſuam*. Item Iſaiæ 66. v. 4. *Quæ timebant, adducam eis: quia vocavi, & non erat qui reſponderet: locutus ſum, & non audierunt: feceruntque malum in oculis meis, & quæ nolui elegerunt.* Item Matth. 23. v. 37. *Quoties volui &c.* uſque ad *noluiſti?* Non ergo impoſſibilitas ab opere juſtitiæ Hominem revocat, ſed propria iniquitas, & voluntas, cum etiam Apoſtolus dicat 1. Timoth. 5. v. 20. *Peccantes coram omnibus argue*; nulla autem ratio eſt, per quam vel arguendus, vel condemnandus ſit qui invitus deliquit, dicente Domino Ezech. 18. v. 30. *Unumquemque juxta vias ſuas judicabo Domus Iſrael, ait Dominus Deus. Convertimini, & agite pœnitentiam &c.* Item Iſaiæ 42. v. 24. *Quis dedit in direptionem Jacob, & Iſrael vaſtantibus? Nonne Dominus ipſe, cui peccavimus? Et noluerunt &c.* uſque ad *forte bellum*. De hoc habetur 2. p. 1. cap. hujus libri.

Item Jerem. 2. v. 29. *Quid vultis mecum judicio contendere? Omnes dereliquiſtis me, dicit Dominus*. Jerem. 3. v. 5. increpat dominus Oves Iſrael dicens: *Ecce locuta es, & feciſti mala, & potuiſti*. Jerem. 6. v. 16. *Hæc dicit Dominus: ſtate ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea: & invenietis refrigerium animabus veſtris. Et dixerunt: Non ambulabimus*; id eſt in via bona; ergo patet quod libertatem habebant ad malum. Jerem. 44. v. 4. *Nolite facere verbum abominationis hujuſcemodi, quam odivi*. 5. *Et non audierunt &c.* ergo voluntatem fecerunt malam. Amos 5. v. 14. *Quærite bonum, & non malum, ut vivatis*. Item Mich. 3. v. 2. *Odio habetis bonum, & diligitis malum*.

Quod autem populus Dei poteſtatem habuerit ad malum faciendum patet Eccleſ. 31. v. 10. *Potuit transgredi, & non eſt transgreſſus: facere mala, & non fecit*. Ad idem facit illud Jerem. 3. v. 5., ubi dominus loquitur Jeruſalem in figura mulieris meretricis dicens: (12) *Ecce locuta es &c.* [*]

CAP.

[*] A 1. aſter. ad cap. ſextum deſunt e Cod. Vat.

[*] Quæ ſec. aſter. ad c. VI. continentur deſid. in Cod. Bon.

(12) Liberum arbitrium multis ſacrarum Scripturarum teſtimoniis, quæ eodem fere atque hæc, quæ adfert Moneta, recidunt, præclare imprimis tuentur Irenæus *lib.* IV. *Contra Hæreſ. cap.* XXXVII. *per tot.* Tertullianus *lib.* II. *Contra Marcionem cap.* V. *ſeqq. pag.* 384. *ſeqq.* Auguſtinus cum ſæpe alias, tum tribus *libris de Lib. Arb. col.* 569. *Tom.* 1. *Opp.* Nemeſius *lib. de Nat. Hominis cap.* XXXIX. *ſeq. pag.* 179. *ſeq.* Titus Boſtrenſis toto fere ſecundo *lib. Contra Manichæos pag.* 94. *ſeqq. Tom.* 1. *Lection. Antiqu. Caniſii Editi. Baſnag.* Photius *lib.* II. *Contra Manichæos n.* 2. *pag.* 145. *Tom.* 1. *Anecdot.*

CAP. VI.

De antiquitate creaturarum, & primo quod nulla sit Deo coæva; & de novis Spiritibus.

AD sextum Capitulum accedentes videamus, sicut isti Hæretici somniant, an creaturæ sint antiquæ vel novæ. Ponunt enim illi, quod simul omnia sint creata, videlicet corpora, (1) animæ, & spiritus, & nova corpora non creentur; sed vel simul cum ipso fuerint, vel maximo tempore cum ipso in gloria ejus. Dividitur autem capitulum hoc in duas partes. In prima parte ponentur eorum rationes, quibus hoc adstruunt; in secunda vero rationes contra eos.

§. PRIMUS PARS PRIMA.

Probatio Hæretici, quod Deus non creat novas animas, (2) & nova corpora.

HUjus falsitatis caussam ponunt illud, quod habetur Ecclesi. 18. v. 1. *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.* (3) Sed hoc sic intelligitur: Creavit omnia simul in præscientia sua, sed non simul creavit in propria natura; simul enim prævidit omnia creanda, sed non simul duxit ea ad esse. Quod autem sic intelligendum sit, evidenter apparet testimonio illius, cujus auctoritatem induxisti; dicit enim idem Ecclesi. cap. 23. v. 29. *Domino enim Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita: sic & post perfectum*, id est postquam ad perfectionem, sive ad esse defluxerunt, *respicit omnia*, id est novit, sicut ante. Propter idem Ecclesi. cap. 39. v. 25. ait: *A sæculo usque in sæculum respicit, & nihil est mirabile in conspectu ejus.*

Alio etiam modo dici potest, quod omnia simul creaverit, (4) idest visibilia ista: quod ideo dicitur, quia simul produxit in esse materiam visibilium. Quod ita sit potest haberi Sap. 11. v. 18. ubi dicitur: *Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia invisa &c.* Propter hoc dicit Apost. Hebr. 11. v. 3. *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei: ut ex invisibilibus visibilia fierent.* Ubi materiam invisam pluraliter dicit invisibilia; ipsa enim quodammodo, hoc est materialiter erat omnia, quæ facienda erant ex illa. Quod ergo dicitur: *creavit omnia simul*, de istis visibilibus intelligitur, licet aliæ expositiones bonæ de eodem verbo Ecclesi. invenian-

Anecdot. Vvolfii *Edit. an.* 1722. & recentiore memoria Dionysius Petavius *lib.* III. *seq. de Opif. sex. Dierum cap.* I. *seq. Tom.* III. *Theologic. Dogm.* Noverunt hanc quoque Arbitrii libertatem plerique Ethnicorum Philosophi. Horum testimonia accurate recensent Thomas Gatakerus *in Notis ad Antonin. lib.* II. §. IX. Petrus Daniel Huetius *lib.* II. *de Concord. Rationis, & Fidei cap.* X. & Tobias Pfannerus *in Syst. Theologiæ Gentilis cap.* X. §. IX. *seqq.* Adposite sane Maximus Tyrius *Dissert.* XXV. *pag.* 178. *Edit. an.* 1607. *Deus*, inquit, *animam terreno corpori imposuit .... vim illi præterea roburque addidit, ut vel arte sua uti posset, si vellet, vel abuti, si mallet.*

(1) Est hæc opinio propria Catharorum, qui Johannem de Lugio sequebantur. Nam, ut auctor est Rainerius Sachonus *in Summa Contra Catharos pag.* 1770. *omnes creaturas esse*, pugnabant, *ab æterno, bonas creaturas cum Deo bono, & malas cum malo Deo, & quod creatores non præcedunt creaturas æternitate, sed caussa, & quod creaturæ ex Deo sunt ab æterno, sicut splendor vel radii in sole, qui non præcedit radios suos tempore, sed tantum caussa, vel natura.* Distinguebant autem duos mundos, alterum quidem sub adspectum cadentem, alterum contra invisibilem: atque hujus quidem conditorem Deum bonum, illius vero diabolum, seu potius Patrem diaboli esse jactabant. In hoc autem postremo errore versabantur etiam ii, qui Balasinansæ parebant. Confer *Notam* II. *ad cap.* I. Ex verbis porro Rainerii Sachoni plane colligitur, ineptire Gasparem Calvorium *lib.* VIII. *cap.* III. *pag.* 314. *Fissuræ sionis, qui non a parte ante, sed a parte post*, sic enim habet, æternitatem mundi admisisse Catharos Albanenses contendit. Vixit enim Sachonus diu cum Catharis, primasque apud illos obtinuit, antequam Catholicæ religioni nomen dedisset: quare illorum dogmata comperta maxime habebat, & explorata. Quin etiam Moneta, qui cum Catharis Albanensibus etiam iis, qui Johanni Lugiensi auscultabant, sæpe ac multum manus conseruit, ut in *Prologo* ultro testatur, hunc ipsum errorem generi illi hæreticorum adscribit, quamvis eos nominatim non indicet. Fuit autem hæc Catharorum Lugiensium opinio similis ejus, quam Chaldæi, apud Diodorum Siculum *lib.* II. *Biblioth. pag.* 116. Heraclitus, apud Plutarchum *lib. de Anima Procreatr. pag.* 1014. *Tom.* II. *Opp.* Aristoteles, & alii plerique propugnarunt. Vide *Ph.* Mornæum *de Ver. Rel. Christ. cap.* IX. Vossium de *Orig. Idololatriæ lib.* II. *cap.* XXXVIII. Tobiam Pfannerum in *systemate Theolog. Gentilis cap.* V. §. I. & 2.

(2) Animas jam idem ab initio conditas Origenes introduxit *lib.* I. *περὶ ἀρχῶν cap.* VII. *pag.* 73. *Tom.* I. *Edit. an.* 1733. & *lib.* II. *cap.* VIII. *pag.* 94. Vide Epiphanium *Hæres.* LXIV. *n.* 4. Hieronym. *Ep.* LXXXIV. *al.* LIX. *ad Avitum & Ep.* XXXVIII. *al.* LXI. *ad Pammachium.* Origeni autem accessere Pierius Alexandrinus, apud Photium *cod.* CXIX. & Pamphilus Martyr, *in Apologia pro Orig. inter Oper. S. Hieron. Tom.* V. *col.* 245. *seqq.* Didymus, & Evagrius quoque, apud *Photium Epist.* I. *pag.* XI. Priscillianistæ etiam, apud S. Leonem *Epist.* XCIII. ad Thuribium Asturicensem. Stephanus Gobarus Tritheita, apud Photium *cod.* CCXXXI. de hac re disputat in utramque partem. Fuerunt etiam alii, quos prætereo. Recentiore autem memoria Leibnitius, Vvolfius, Duvigerus, Gothliebus, & qui Leibnitium sequuti sunt, in eam opinionem inciderunt, ut animos jam usque ab initio conditos, & corporibus nostris in Adami corpore constitutis, exiguis quidem illis ac minutis, infusos fuisse contenderent. Vide Vvolfium *Psycholog. Rationalis Sect.* IV. §. 704. & *Theolog. Natural.* I. *P. cap.* V. *de Creat. & Prov. divina* §. 780. *Gothliebum Princip. Philos. Leibnitianæ Theor.* CXVI.

(3) Augustino etiam hæc eadem ex parte arrisit opinio. Censuit enim omnia simul a Deo fuisse condita ita, ut metaphorico sensu intelligi debeant sex dies, quos Moses initio *Geneseos* distinguit, quibusque serie quadam omnia disposita fuisse autumat. Vide *lib.* IV. *de Gen. ad litt. cap.* XXI. *seqq. col.* 173. & *lib.* V. *cap.* V. *col.* 185. *seqq. Tom.* III. *Opp. Parte* I. Etsi vero Augustinus neglexerit eorum sententiam, qui animas omnes jam inde ab initio conditas esse putarunt; eam tamen uti verisimiliorem amplexus est, quæ statuit: *animam unam Deum fecisse, & dedisse primo homini unde ceteras faceret, sicut ex ejus corpore cetera hominum corpora.* Consule *notam* I. *ad cap.* 4. 2. *libri.* Præiverunt autem Augustino in eo quod ad creationem corporum *simultaneam* pertinet Philo Judæus *lib. Allegor. pag.* 31. *Edit. an.* 1613. Clemens Alexandrinus *lib.* VI. *Stomateon pag.* 634. & 686. & apud Nourrium *in Appar. ad Biblioth. Magnam Sanctor. Patrum Tom.* I. *pag.* 987. *Edit. an.* 1703. & Athanasius *Orat.* II. *Contra Arianos Tom.* I. *Opp. P.* I. *Nov. Edit. pag.* 528. Neque ab hac sententia discreparunt Procopius Gazensis, & Cajetanus. Vide Pererium *in Genes. lib.* I. *pag.* 123. *seqq. Edit. an.* 1589. Propius ad Catharorum errorem accessit Origenes. Cum enim, ut superiore notatione animadverti, animas jam inde a primordio mundi creatas posuerit; tum vero *lib.* VI. Contra Celsum *num.* 50. *pag.* 671. *seqq. Edit. an.* 1733. hostem illum Christiani nominis vehementer exagitavit, quod κατὰ λέξιν Mosis verba intelligeret, nobisque, quod ita crederemus, vitio verteret.

(4) Hoc idem testimonium in rem suam adhibuit Augustinus *lib.* IV. *de Gen. ad litt. cap.* XXXIII. *col.* 179. Verum Moneta eam affert responsionem, quæ Catharorum systema funditus evertit. Ostendit enim hæc verba de visibilium rerum materia intelligi oportere, non de invisibili mundo, quem illi fingebant, neque de creaturis sub adspectum non cadentibus, ut de animis hominum, qui continenter a Deo creantur.

veniantur. Istis tamen adversus Hæreticos magis utendum est, quia radicantur super testimoniis scripturarum, quas recipiunt.

In primis autem, ut eorum falsitas detegatur, qui ponunt ea, quæ diximus, videamus quid sit creare secundum ipsos. Dicunt autem quod creare (5) est ex præjacente materia aliquid facere, reprobantes istud, quod dicere consuevimus: *creare est ex nihilo aliquid facere*. Hujus autem assertionis testimonium inducunt illud Eccles. 17. v. 1. ubi dicitur: *Deus creavit de terra hominem*.

Ad idem etiam induci potest illud Sap. 11. v. 18. *non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia invisa*: & multa alia consimilia in sacra scriptura reperiuntur testimonia.

Sed Hæretici isti paralogizantur; virtutis enim nominis sunt ignari. Creare enim quandoque sumitur improprie, & quandoque proprie. Ultimo modo est ex nihilo aliquid facere. Primo autem modo, id est secundum quod improprie sumitur, est ex aliquo præjacente aliquid facere, & sic sumitur in multis locis Scripturæ. Quod autem creare sit ex nihilo aliquid facere secundum quod sumitur proprie verbum creandi, sic potest evidenter ostendi. Aut Deus creavit omnia simul, aut non? Si omnia simul creavit: quomodo ergo dicunt Hæretici, quod creare est ex præjacente materia aliquid facere? Nonne ipsa materia creata est? Utique. Ergo si ex præjacente materia creavit omnia, ipsam præjacentem materiam creavit ex se ipsa.

Præterea si ipsa materia est aliquid creatum præjacens aliis; aliquid ergo creatum fuit ante alia, ergo non simul omnia creata sunt.

Forte dicet Hæreticus quod materia præjacens est divina essentia, quæ etiam Sap. 11. v. 18. Dicitur materia invisa.

Contra. Si illa materia invisa divina Essentia est; ergo Deus creavit omnia de sua essentia, ergo dedit omnibus suam essentiam, & totam, ut ita dicam, partem enim dare non potest, quia impartibilis est, quoniam summe simplex est, alioquin non esset primum principium, si aliquid compositionis haberet; omne enim compositum principiatum est ex his, quibus componitur. Dedit ergo creatis a se totam suam substantiam; ergo omnes creaturæ ejusdem substantiæ sunt cum Deo, & omnes sunt substantialiter Dii.

[*] Præterea secundum hoc Deus esset caussa efficiens, & materialis ejusdem, quod est impossibile, quoniam caussa efficiens est extra causatum; caussa vero materialis intra ipsum, & de ipso.

Si autem dicat Hæreticus quod creare non est ex aliquo præjacente aliquid facere, sed ex aliquo tantum, objicias ei de materia invisa, de qua omnia sunt creata; Ipsa enim cum non sit creator, creata est; ergo ex aliquo alio creata; quod est longe a ratione creandi, quam ponis. Immo ego quæro de quo creata sit, & cum non sit creata de Deo, sed a Deo, restat eadem quæstio de illo alio. Ex quo patet quod necesse habes ponere, quod *creare est ex nihilo aliquid facere*. [*]

Forte dicet iterum Hæreticus, quod Deus non creavit omnia sua creata simul, immo secundum ordinem unum ex alio; sed hoc etiam posito oportet pervenire ad aliquod, quod sit immediate ab ipso creatum, ergo creatum ex nihilo, vel ex divina substantia, sed non ex divina substantia, ut præostensum est, ergo ex nihilo. Ergo creare secundum propriam & veram rationem est ex nihilo aliquid facere. Et si invenitur quod ex aliquo Deus creaverit, improprie sumitur verbum creandi. Hoc habito quod creatio sit ex nihilo in esse productio, evidenter ostenditur quod nulla creatura coæva est suo creatori. Quum enim dicitur quod omnia creavit ex nihilo hoc ipsum *ex* non dicit materiam, vel ejus habitudinem ad materiatum; nihil enim non est materia alicujus. Oportet ergo quod *ex* dicat ordinem ex nihilo, id est post nihil, id est cum prius nihil essent, ut etiam Philosophi attestantur. Dico ergo sic: omne, quod creatur, ex nihilo in esse producitur; prius ergo fuit non ens, quam ens. Cum autem non erat ens, creator erat ens; ergo creatura non erat creatori coæva; ergo Populus Dei non est antiquus, id est Deo coævus.

Item si sumatur large verbum movendi ut comprehendit motionem substantialem, sicut sumitur ab Aristotile in fine Prædicamentorum, creans in eo quod creans est movens; ergo creare est movere, ergo creari erit moveri, ergo creatio erit aliquis motus, sed omnis motus sive sit substantialis, sive accidentalis, est exitus de potentia ad actum; ergo omne, quod movetur, erit de potentia ad actum: sed omne, quod tale est habet esse post non esse; ergo omne, quod tale est prius fuit non ens, & postea ens. Creator autem semper fuit ens; ergo creatura non est coæva Creatori; ergo Populus Dei non est antiquus eo modo, quo ponis ipsum antiquum.

Præterea si creatura Dei boni coæva est ei, & Populus Dei antiquus est, & Creatori coævus: quomodo stabit illud, quod dicitur Eccles. 23. v. 29. *Do-*

(5) Ita quidem veteres philosophi fere omnes. Scite Eusebius *lib.* VII. *Præparationis Evangelicæ cap.* XIX. *pag.* 333. *Edit. an.* 1628. Idem (nempe Deum materiæ quoque auctorem esse) *Barbarorum*, inquit, *& Græcorum infinita vis oppugnavit, cum alii, & improbitatis omnis fontem esse materiam, & ortu carere defenderent: alii suapte quidem natura omni eam qualitate figuraque nudatam esse, Divini tamen Numinis potestate novum præterea cum suis qualitatibus ornatum induisse vellent*. Hinc & Dionysius Alexandrinus Episcopus apud eumdem *ibid. cap.* XIX. *pag.* 333. *impietatis etiam illud est*, inquit, *quod plerique materiam, cujus ortum nullum esse velint, divinæ potestati digerendam ornandamque subjiciant*. Consuluntor Cudvvortus *cap.* IV. §. VI. *seqq.* & Moshemius *in Notis ad Idem* Cudvv. *cap. ibid.* & Tobias Pfannerus *System. Theol. Gentil. cap.* V. §. III. *per tot.* In eumdem errorem inciderunt Valentiniani, apud Irenæum *lib.* II. *cap.* XIV. *pag.* 134. & apud Pseudo-Origenem *Dialogo* IV. *Contra Marcionitas sect.* IV. *sub init.* quo quidem loco referuntur Valentini verba: & Marcionitæ apud Tertullianum *lib.* I. *cap.* XV. *Contra Marc.* *pag.* 373. Non discrepabat Hermogenes; Videtor Tertullianus *lib. Contra Herm. cap.* III. *seqq. pag.* 234. *seqq. Edit. an.* 1675. Manes quoque apud Archelaum *Disp. cum Man. pag.* 27. genus hoc portenti defendens: *Quomodo*, inquit, *condere potuit creaturam non subsistente Materia?* Vide Augustinum *lib. de Fid. & Symbolo cap.* 2. *& Bousobr. Histo. De Manichee Liv. v. Ch.* VI. *num.* VIII. Seculo XV cadente Hermannus Rysvvickius Batavus veterem hanc hæresim rursum excitavit. Consule Natalem Alexandrum *Hist. Eccl. sect.* XV. *cap.* II. *Art.* IX. & Bernardum Lutzemburgensem *lib.* II. *Catalogi Hæreticor. litt. H.*

[*] Quæ duobus asteriscis comprehendimus, desunt e Codd. *Bonon. & Vat.*

Domino enim Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita? Quid dices etiam ad illud verbum Sapientiæ, quod habetur Proverb. 8. v. 22. *Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. 23. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret.* Ergo antequam Homo fieret; ergo Populus Dei non est coævus creatori suo, neque alia creatura.

Item nonne idem dicit David psalm. 89. v. 2. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis: a seculo, & usque in seculum tu es Deus?*

Præterea quomodo stabit illud verbum, quod habetur Sap. 10. v. 1., ubi dicitur de Sapientia: *Hæc illum, qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit, 2. & eduxit illum a delicto suo?* Nonne hic est ille, de quo dicitur Actor. 17. v. 26. *Fecitque ex uno omne genus hominum?* Utique; ideo enim dicitur pater Orbis terrarum, quia omne genus hominum ex ipso fabricatum est in toto orbe; ille ergo unus præcessit de se genitos. Ergo Populus Dei, qui ex ipso est, ut dicis, non est antiquus, id est creatori coævus.

Præterea nonne Matth. 1. v. 2. dicitur *Abraham genuit Isaac &c.* Istam autem Genealogiam ponis esse populi Dei in cælo, si errorem tuum nolueris celare. Ecce habes hic quod generatio Populi Dei sit successive secundum prius, & posterius. Ergo Populus Dei non est coævus ei. Nonne & Apost. Rom. 4. v. 18. de isto Abraham dicit: *Qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum Gentium secundum quod dictum est ei: sic erit semen tuum. 19. Et non infirmatus est fide, non consideravit corpus suum emortuum, cum jam fere centum esset annorum: & emortuam vulvam Saræ.* Non est dubium quod de isto loquitur. Unde Isaiæ 51. v. 12. *Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos: quia unum vocavi eum, & benedixi ei, & multiplicavi eum.* De isto uno, cujus corpus emortuum erat, id est invalidum ad generationem filiorum, dicit idem Apostolus Hebr. 11. v. 11. *Fide & ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit, etiam præter tempus ætatis: quoniam fidelem credidit esse eum, qui repromiserat. 12. Propter quod & ab uno orti sunt (& hoc emortuo) tamquam sidera cæli in multitudinem, & sicut arena, quæ est ad oram maris, innumerabilis.* Ecce manifeste vides quod Populus Dei, qui de Abraham processit, non est coævus creatori suo.

§. III.

Quibus testimoniis conentur Hæretici antiquitatem animarum adstruere.

NUnc videndum est quibus testimoniis velint habere quod Populus Dei coævus ei fuerit. Volunt autem hoc habere pluribus testimoniis, quæ in scriptis cujusdam Hæretici Tetrici nomine reperi.

HÆR. Ad id ergo inducunt illud, quod legitur Eccles. 37. 28. *Vita viri in numero dierum: dies autem Israel innumerabiles sunt.* Et volunt homines sumere de mala creatione, Israel autem de bona.

CATH. Sed contra Eccl. 18. v. 8. *Numerus dierum hominum ut multum centum anni: quasi gutta aquæ maris deputati sunt: & sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die ævi*, id est diei respectu æternitatis. Nonne homines sumit in bono, id est pro Ovibus Israel? Utique. Ergo dies Ovium Israel numerabiles: quod quidem verum est pro quolibet de populo Israel, sed dies populi innumerabiles sunt nobis. Quod autem Israel dicatur ipse Populus, qui ex Israel ortus est, habetur Osee 14. v. 2. ubi dicitur. *Convertere Israel ad Dominum Deum tuum: quoniam corruisti in iniquitate tua.* Et statim subditur 3. *Tollite vobiscum verba, & convertimini*; loquens pluraliter, ne credatur loqui personæ certæ, sed populo. Idem habetur Osee 12. v. 13. ubi dicitur: *In propheta autem eduxit Dominus Israel de Ægypto*: quod non potest intelligi de Israel personaliter, qui prius Jacob dictus est; prius enim vitam istam finivit, quam Dominus Populum Israel de Ægypto eduxerit.

Quod autem in prædicta auctoritate Eccles. *Numerus dierum &c.* sumatur Homo pro his, qui de bona creatione sunt, patet ex littera sequenti post verba, quæ præmisimus; statim enim dicitur 9. *Propter hoc patiens est Deus in illis, & effundit super eos misericordiam suam*, quod non faceret, si de mala creatione essent.

Et notandum quod dicit: *Propter hoc*; & est sensus quod dies Hominum sunt breves, instabiles, & amari; ista enim tria notantur in guttis maris; brevitas etiam notatur in calculo.

Forte dicit Hæreticus, quod Eccles. loquitur de diebus ovium ratione vasorum testeorum, in quibus inclusæ sunt: istum autem numerum dierum, & annorum non habent a Deo bono, sed a malo, cujus sunt vasa illa.

Contra. Supra proximo cap. v. 1. dixerat de Deo bono: *Deus creavit de terra hominem*; & post pauca verba dicit: *numerum dierum, & tempus dedit illi*; ergo numerum dierum habet a Deo bono. Nonne & hoc dicit David psalm. 38. v. 6. *Ecce mensurabiles posuisti dies meos?* Nonne etiam numerum dierum ibidem specificat dicens: *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum. Quis est, ut sciam quid desit mihi?*

HÆR. Ad idem inducunt illud, quod legitur Ecclesiastæ 1. v. 9. *Quid est, quod fuit? Ipsum, quod futurum est. Quid est quod factum est? Ipsum, quod faciendum est. 10. Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est: jam enim præcessit in seculis, quæ fuerunt ante nos:*

CATH. Ad hoc dicimus, quod istud, quod fuit in Dei præscientia futurum est in rerum natura; nihil ergo sub sole novum quoad Dei præscientiam: jam enim præcessit in præscientia Dei in seculis supervenientibus.

Vis videre Hæretice quod ita dicendum est? Nonne David dicit psalm. 2. v. 1. *Quare fremuerunt Gentes &c.* usque ad *Adversus Christum ejus?* Ecce quod David dicit hoc factum esse antequam Christus in hunc mundum veniret. Beatus autem Petrus Actor. 4. v. 27. dicit istud esse factum in rei veritate postquam Christus venit in mundum istum, & deter-

terminat quomodo David dicat illud esse factum, scilicet in decreto & præscientia Dei, sic enim ait: *Convenerunt enim vere in Civitate ista adversus Sanctum tuum puerum Jesum, quem unxisti, Herodes, & Pontius Pilatus cum Gentibus, & populis Israel, 28. facere quæ manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri*.

Posset etiam exponi, secundum id, quod habetur Genes. 2. v. 2. *Requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat*. Requievit enim a novis operibus, novis scilicet speciebus, & generibus; & secundum hoc dicitur: *Nihil sub sole novum* quoad speciem, vel genus, jam enim præcessit in specie, vel in genere suo: & tamen aliquid in singulari fit novum, sicut pluribus testimoniis potest ostendi.

HÆR. Ad idem inducunt illud, quod dixit Moyses Populo Judæorum Deuter. 18. v. 15. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies*. Si Populus Israel; cui Moyses loquebatur, auditurus erat Christum; videtur ergo quod Populus, propter quem salvandum venit, antiquus sit, non novus.

CATH. [*] Ad hoc dico quod prophetice loquebatur. Et verba Prophetarum non semper intelliguntur ad sonum litteræ: quod probatur capitulo septimo primæ partis hujus operis, & in secunda parte hujus operis capitulo sexto, in prima parte capituli, in expositione illius verbi Genes. 15. v. 18. *Semini tuo dabo terram hanc*.

Item nonne vides quod illud, quod dicitur de Abraham Genes. 12. v. 3. *In te benedicentur universæ cognationes terræ*, illud ipsum assumit Apostolus ad Galat. 3. v. 8.? Constat autem illud non dici de Abraham ratione sui, sed ratione seminis ejus, id est Christi, ut patet per Apostolum ad Galat. 3. v. 16., & per Beatum Petrum Actor 3. v. 25., ubi dicitur: *In semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ*. Quando ergo dicitur: *In te benedicentur &c.* fit sensus: in tuo semine, quod semen est Christus, ut habetur ad Galat. 3. v. 16. Constat igitur quod aliquid dicitur de aliquibus ratione filiorum; & ita est ibi illa prophetia: *Suscitabit tibi &c.*

Præterea quod Christus non loqueretur illis, qui fuerunt tempore Moysis, sed tantum filiis eorum patet Actor. 7. v. 38., ubi Stephanus ponit verba illa: *Hic est, qui fuit in Ecclesia &c.* Item Johannis 6. v. 49., ubi dicit Christus Judæis: *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt*. Ergo non loquebatur Christus nisi filiis illorum; filii igitur soli audiebant illum loquentem. [*]

HÆR. Idem volunt habere per illud, quod dicit Job 29. v. 2. *Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos secundum dies, quibus Deus custodiebat me? Quando splendebat lucerna ejus super caput ejus*.

CATH. Sed miser Hæretice nonne vides quid dicit idem Job 14. v. 5. loquens ad Dominum? *Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est: constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt*. Si breves dies, & menses numerabiles sunt: quomodo pristini, id est antiqui antiquitate æternitatis?

Præterea posito quod non dicat eos pristinos, hoc est æternos, sed diu durasse in cælesti Patria, numquid illa, quæ narrat Job, sunt in cælesti Patria? Certe nefarium esset dicere, quod talia ibi fuerint, qualia refert sub eodem, & sequenti capite.

HÆR. Ad idem inducunt illud, quod dicit David psalm. 21. v. 32. *Annunciabunt cæli justitiam ejus populo, qui nascetur, quem fecit Dominus*. Per hoc autem volunt habere quod populus Dei in hoc mundo nasciturus, vel natus de novo, in alio antiquo tempore sit factus a Deo.

CATH. Ad hoc patet solutio. Notandum tantummodo est quod duplex est nativitas: una naturæ, & altera gratiæ. De utraque nativitate habetur Johann. 3. v. 3. ubi Dominus ait Nicodemo: *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei*: Utraque etiam a Deo est; unde Paulus ad Galat. 1. v. 15. *cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam &c.* Utramque quoque notat David, cum dicit: *Annunciabunt cæli justitiam ejus populo*, nempe Gentili, *qui nascetur* nativitate gratiæ, de qua dicitur: *nisi quis renatus fuerit &c. quem fecit Dominus* nasci nativitate naturæ in hoc mundo.

HÆR. Ad idem inducunt illud Davidis psalm. 76. v. 6. *Cogitavi dies antiquos: & annos æternos in mente habui*.

CATH. Ad quod dicimus quod hoc est pessimum argumentum: *Cogitavi dies antiquos*, hoc est habui eos in cogitatione; *& annos æternos in mente habui*. Ergo habui eos. Sicut nec valet: chimæra est in opinione. Ergo chimæra est; falsa enim est secundum quid, & simpliciter; ergo chimæra est.

Præterea nonne aliquis cogitat quandoque tempus, in quo numquam fuit? Nonne hoc habes Matth. 23. v. 13. ubi Christus dicit quibusdam: *Væ autem vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ*: & post pauca subdit 30. *Et dicitis: si fuissemus in diebus Patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine Prophetarum?* Nonne etiam aliquis memor est alicujus temporis, in quo numquam fuit? Utique, ut habes in eodem testimonio Matthæi. Similiter dico quod David habuit in mente, id est in memoria sua annos æternos, in quibus nondum fuerat.

HÆR. Idem volunt habere per id, quod legitur Jer. 2. v. 32. *Populus vero meus oblitus est mei diebus innumeris*. Secundum hoc oportet Populum illum ab æterno fuisse, si dies ejus innumerabiles sunt.

CATH. Ad hoc dico quod in Jeremia loquitur Dominus de Populo Judæorum, qui de terra sua captivus ducendus erat in Babylonem propter peccatum idololatriæ, ut ibi dicitur per Jerem. Populus autem Judæorum ideo diebus innumeris dicitur oblitus Dei, quia ejus malitia diebus multis duraverat, sicut patet ex verbis Jerem. ibi positis contra Populum istum, cui dicitur 20.: *A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti: non serviam*. Neque potes ostendere quod de illo cælesti Populo, quem tu ponis, ibi loquatur. Ego autem manifeste invenio quod Populus Judæorum ductus est in Babylonem Jerem. 25. v. 29. & 52. & pluribus aliis in locis.

Præ-

[*] Non extat in Codd. *Neap.* quod est duobus asteriscis contentum.

Præterea vis tu dicere, quod de cælesti populo agitur, cum dicitur: *Populus vero meus oblitus est mei diebus innumeris*, id est infinitis? Si hoc vis dicere: Ergo populus ille semper fuit malus, si semper oblitus est Dei.

Præterea si velles dicere quod dies illi innumeri, id est multi, non vero æterni, sive infiniti, cælestes sint, quomodo ostendere potes quod hi dies innumeri cælestes fuerint, & unde hoc habes, quod dicis? Ego autem tibi ostendo quod non possunt esse cælestes ii dies; Si enim sic esset, omnes habuissent dies pares in cælo. Quomodo ergo stabit illud, quod habetur Lucæ 15. v. 11. *Homo quidam habuit duos filios*: 12. *& dixit Adolescentior ex illis Patri: Pater, da mihi portionem &c.* Hoc enim totum legis dictum esse de cælestibus creaturis; & per Filium adolescentiorem intelligis oves Israel, vel aliquam ex illis.

HÆR. Ad idem inducunt illud, quod legitur Isaiæ 43. v. 7. *Omnem, qui invocat nomen meum, in gloria mea creavi eum, formavi eum, & feci eum.* Per hoc intelligunt quod Populus Dei in cælesti gloria fuerit ab antiquo creatus, formatus & factus.

CATH. Ad hoc dicimus quod litteram illam male legit Hæreticus; ibi enim est *in gloriam meam*, & finitur ibi versus, qui incipit: *Affer filios meos de longiquo* ab Aquilone, vel Austro, *& filias meas ab extremis terræ*, id est ab omnibus partibus Mundi remotissimis, in quibus dispersi sunt Judæi; *& omnem, qui invocat nomen meum*, id est Judæum affer *in gloriam meam*: id est ad terram promissionis, in qua templum est, in quo color & glorificor.

Præterea dato etiam quod ibi sit: *in gloria mea*, & quod ibi incipiat versus; non tamen potest ostendere Hæreticus, quod de gloria cælesti intelligatur, & quod Populus Dei in illa sit creatus. Ego autem dico quod finem notat, & est sensus: *Ego creavi eum* id est Populum Judaicum in anima, *formavi* in corpore, *feci* in utriusque conjunctione; & hoc feci *in gloriam meam*, id est pro gloria mea, id est, ut me glorificaret. Et quod ita sit, habetur Jerem. 13. v. 11. *Sicut enim adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinavi mihi omnem domum Israel, & omnem domum Juda, dicit Dominus: ut essent mihi in populum, & in nomen, & in laudem, & in gloriam.*

Quod autem Isaias loquatur de Populo Judaico educto de Ægypto patet eodem cap. 43. v. 16. ubi dicitur: *Hæc dicit Dominus, qui dedit in mari viam, & in aquis torrentibus semitam.* Quod evidens est de Populo Judæorum Exodi 13.; nec de alio potes ostendere istud dictum esse.

HÆR. Idem volunt habere per illud, quod legitur Isaiæ 44. v. 6. *Ego primus, & ego novissimus, & absque me non est Deus.* 7. *Quis similis mei? vocet, & annunciet: & ordinem exponat mihi, ex quo constitui populum antiquum.*

CATH. Sensus litteræ iste est; *Ego primus &c.* id est sine initio, & sine fine. *Quis similis mihi? vocet* proprio nomine nondum natos, sicut ego voco Cyrum, *& annunciet* futura opera eorum, sicut ego annuncio futura facta Cyri, *& ordinem exponat mihi, ex quo constitui populum antiquum*, exponat ordinem eorum, quæ facta sunt ex quo constitui populum antiquum, id est genus humanum in Adam. Cum enim illum fecit, fecit etiam materialiter omnes ex eo nascituros, qui etiam dicuntur antiqui ratione ejus, a quo sunt orti, id est ratione Adæ, qui antiquus est, quoniam ab initio seculi factus a Deo est. Ipsi tamen eum appellant antiquum, id est æternum. Quid vis tu dicere ab initio? Si dicas idem esse ac ab æterno: proba hoc.

Præterea nonne dicitur Isaiæ 63. v. 19. *Facti sumus quasi in principio, cum non dominareris nostri?* Sed quod Populus Dei sic dicatur antiquus, non posses ostendere.

Præterea si antiquum dicit idem esse quod æternum, quid dices de illo verbo Ovium psalm. 78. v. 8. *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum?* Sic ergo ab æterno fuissent oves iniquæ.

HÆR. Ad idem inducunt illud Davidis psalm. 73. v. 2. ad Deum Patrem loquentis: *Memor esto Congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.*

CATH. Solutio. Propheta ibi deplorat destructionem Jerusalem factam a Romanis post passionem Christi, in qua destructione acciderunt ea, quæ historialiter narrantur in psalmo illo 73. *Ut quid Deus repulisti in finem &c.* Ubi memorantur beneficia Judæis collata a Deo in eductione de Ægypto, ubi Dei potentia declaratur. Memorantur etiam opera ejus naturalia, in quibus apparebat ejus potentia. Initium illius Congregationis appellantur Abraham, Isaac, & Jacob, qui & Israel dictus est, de cujus filiis nata est ipsa Congregatio Judæorum; unde ab Abraham dicuntur Hebræi, ab Israel Israelitæ; unde Isaiæ 41. v. 8. loquens Dominus Populo illi ait: *Et tu Israel serve meus, Jacob quem elegi, semen Abraham amici mei*: 9. *in quo* nempe Abraham, *apprehendi te ab extremis terræ.*

Quod autem dicitur Isaiæ 63. v. 19. *Facti sumus quasi in principio, cum non dominareris nostri*, id est antequam vocares in Abraham, Abraham elegit nos ante mundi constitutionem. Ergo eramus.

Respondeo per illud Rom. 4. v. 17. *Vocat ea, quæ non sunt tamquam ea, quæ sunt.* Item Rom. 9. v. 11. *Cum enim nondum nati fuissent &c.* Et nonne dicit: *Secundum electionem?* Ergo electio est nondum existentis.

[*] Præterea nonne dicit Christus Johan. 15. v. 19.: *Quia vero de Mundo non estis, sed ego elegi vos de Mundo?* Constat autem quod loquitur de isto mundo. Ergo iste mundus fuit antequam eligerentur. Quomodo ergo Apostolus Ephes. 1. v. 4. dicit: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*, nisi quia decrevit ante hujus mundi constitutionem eligere nos de mundo, nos dico nondum existentes: de hoc eodem supra capitulo quarto. [*]

HÆR. Idem volunt habere per illud, quod legitur Hebr. 10. v. 32. ubi dicit Paulus quibusdam: *Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati; magnum certamen sustinuistis passionum.* Credunt enim quod de diebus in cælo habitis sermonem faciat eis Apostolus.

CATH. Sed miser Hæretice, quare non attendis illud, quod subdit ibidem 34. *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam.* Hoc autem

[*] Quæ duobus asteriscis comprehendimus desunt e Cod. Vat.

K de

de bonis cælestibus minime potest intelligi, quia eorum rapinam cum gaudio non suscepissent.

Præterea isti fuerunt illuminati. Ergo prius erant in tenebris constituti; nullus enim illuminatur, nisi prius fuerit in tenebris positus. Nonne & hoc dicit Sanctus Zacharias Spiritu Sancto repletus Lucæ 1. v. 78. *Visitavit nos oriens ex alto*: 79. *illuminare his, qui in tenebris &c.*

[*] HÆR. Ad idem dicunt illud, quod habetur Rom. 7. v. 9. ubi dicit Paulus: *Ego autem vivebam sine lege aliquando*: *Sed cum venisset mandatum, peccatum revixit.* 10. *Ego autem mortuus sum.* Ergo Paulus antiquus, quia ante legem fuit vivus, ut ipse testatur.

CATH. Ad hoc respondendum est hoc modo: verba ista ad sonum litteræ non sunt intelligenda. Si autem dicat Hæreticus: immo sic: Dic ei: Numquid Paulus loquebatur ibi pro persona propria, vel pro persona prædecessorum suorum? Si hoc ultimo modo: ergo ad sonum litteræ non sunt intelligenda illa verba, neque probatur per illud testimonium, quod Paulus fuerit antiquus, & ante legem. Si autem velit dicere quod pro persona propria, & ad sonum litteræ intelligenda sunt illa verba; non est verum, ut patet ex serie litteræ; dicit enim: *Ego autem mortuus sum.* Numquid hoc ad sonum litteræ intelligendum est? Non; constat enim quod loquitur de morte peccati, ex quo dicit *peccatum revixit*. Sed numquid Paulus morte peccati mortuus erat? Absit. Dic ergo quod non ad sonum litteræ intelligenda sint.

Preterea ad claudendum os Hæretici potes dicere quod etiam alia, quæ sunt in eodem capite ad Rom. Paulus dicit non pro se, sed pro suis Prædecessoribus, sicut est illud v. 14. *Ego autem carnalis sum venundatus sub peccato*; & plura etiam, quæ sequuntur. De isto autem modo intelligendi verba Apostoli contra Hæreticum nemo remurmuret, sed acceptet.

§. IV. PARS TERTIA

Probatio Ecclesiæ quod novi Spiritus creantur, & novis corporibus infunduntur.

VIsa hujus capituli prima parte accedamus ad secundam, scilicet quod Pater justorum novos creet spiritus, sive novas animas, & nova corpora, scripturarum testimoniis hæc probantes.

Et primo inducimus illud testimonium Apostoli Rom. 9. v. 11. ubi loquitur de Jacob, & Esau dicens: *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei*: *Quia major serviet minori, sicut scriptum est*: *Jacob dilexi*; *Esau autem odio habui*. Ecce quod dicit quod Jacob & Esau nondum tempore promissionis nati erant, nondum etiam aliquid boni, vel mali egerant. De novo igitur fuerunt tunc conditi, & ita non erant antiqui spiritus eorum, vel etiam corpora. [*]

HÆR. Ad hoc forte dicent? *Cum enim nondum nati fuissent*, verum est in hoc mundo, *aut aliquid boni egissent*, *aut mali* in eo; alibi tamen nati fuerant, & aliquid boni, vel mali egerant.

CATH. Contra quod dicendum est eis: unde habetis hoc? Probate quod dicitis aliquo testimonio; quod cum facere non possint, necesse habent obmutescere.

Præterea si in alio Mundo nati aliquid boni vel mali egerant: Ergo Esau in alio Mundo natus de bona creatione fuit. Quare ergo dicit Apostolus Hebræ. 12. v. 6. *Ne quis fornicator, aut profanus, ut Esau*: *qui propter unam escam vendidit primitiva sua*: 17. *Scitote enim quoniam & postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est*: *non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam*? Quare ergo odio eum habuit Pater Deus justorum, qui loquitur per Malachiam cap. 1. v. 2. & 3. *Dilexi Jacob, Esau autem odio habui*? Nonne scriptum est Sapientiæ 11. v. 25. *Nihil odisti eorum, quæ fecisti*?

Si dicant quia Esau malum fecit. Contra. Nonne etiam Jacob fecit aliquod malum? Forte dicent quod non. Contra. Nonne legitur Isaiæ 43. v. 22. *Non me invocasti Jacob, nec laborasti in me Israel*. Et post pauca subdit v. 24. *Verumtamen servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis*. 25. *Ego sum, Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor*. Item Isaiæ 44. v. 21. *Memento horum Jacob, & Israel, quoniam servus meus es tu. Formavi te, servus meus es tu Israel, ne obliviscaris mei*. 22. *Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua*: *revertere ad me, quoniam redemi te*.

Si dicant quod Esau de mala creatione fuit, & ideo eum odio habuit ante hujus Mundi constitutionem, & antequam caro ista esset.

Contra Malachiæ 1. v. 2. *Nonne frater erat Esau Jacob*? Utique. Sed Jacob fuit bonæ creationis, ergo & Esau.

Præterea ista prophetia facta est in cælo secundum te, & est prophetia de præterito facta ante Mundi constitutionem, ut tu ponere consuevisti accipiens præteritum proprie. Ergo frater fuit Jacob, ergo ab eodem cum Jacob; & ita ejusdem creationis bonæ cum eo. De ista etiam auctoritate disputatum est in 3. cap. de villico iniquitatis.

Ad idem facit illud, quod legitur Isaiæ 49. v. 14. *Et dixit Sion*: *dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei, &c.* usque ad *te isti ubi erant*? Item Jerem. 29. v. 4. *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel omni transmigrationi, &c.* usque ad *nolite esse pauci numero*.

Ad idem illud facit, quod David psalmo 104. v. 7. dicit: *Ipse Dominus Deus noster, &c.* usque ad *funiculum hæreditatis vestræ*. Hic supple: hæc permisit eis. Et postea sume verba David v. 12. *cum essent numero brevi, paucissimi & incolæ ejus*.

Et notandum quod istud factum est antequam ingre-

[*] Desid. in Cod. Neapolit.

(6) Argumenta quibus usus est Origenes, ut προϋπαρξιν animorum ostenderet accurate imprimis recenset Petrus Daniel Huetius *lib.* II. *Origen. Q.* VI. *num.* IV. *seqq.*

(7) Ita nimirum hoc Apostoli testimonium eludere studebat Origenes. Vide Huetium *loco mox indicato Notatione superiore*.

grederentur Ægyptum, de quo ingressu dicitur in eodem psalmo v.22. *Et intravit Israel in Ægyptum: & Jacob accola fuit in Terra Cham*. 24. *Et auxit populum suum vehementer, &c.*

Nota quod dixit v. 10. *Et statuit illud Jacob in præceptum*, id est pro præcepto, id est quod ipse Deus haberet istud promissum quasi præceptum, id est firmum, sicut præceptum debet esse firmum; unde alia litera habet: *& firmavit illud e Jacob in lege*, id est pro lege.

Nota etiam quod dixit v. 12. *cum essent numero brevi, &c.* postea dixit v. 24. *Et auxit populum suum vehementer*. Ergo Populus Dei novus est.

Præterea Matth. 13. v. 24. dicitur: *Simile factum est regnum cælorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo*. Et per bonum semen intelliguntur filii regni, & per agrum mundus. Quicumque ille sit prius fuit ager, quam semen. Ergo post. Ergo prius mundus, quam filii regni novi sunt, non vero ab æterno simul cum Deo. Vel aliter. Si seminavit bonum semen in agro suo; ergo prius non erat ibi bonum semen. Ergo semen novum, non antiquum, id est æternum.

Quod autem bonus Deus animas novas corporibus istis infundat, patet per illud, quod legitur Rom. 8. v. 19. ubi dicitur: *Nam expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat*. 20. *Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe*: 21. *quia & ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*. Creatura ista, quæ expectat revelationem, & gloriam filiorum Dei, anima est, quæ corpori subjicitur in hoc, quod servit ei nutriendo ipsum cibis, & induendo vestimentis, quia corpus vacuum quid est, quia corruptibile est, & ideo vanitas & corruptio ab Apostolo dicitur. Deus ergo subjicit, infunditque animas corporibus istis cum hac spe quod ipsa creatura *liberabitur a servitute, &c.* & aliquando non habebit corpori servire, sicut modo facit, tum scilicet quando corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem.

Præterea in illa parabola zizaniorum Matth. 13. v. 30. dixit Paterfamilias servis suis: *sinite utraque crescere usque ad messem*. *Utraque* dicitur, id est zizania & triticum. Per zizania autem intelligis filios nequam, quos malæ creationis esse existimas. Per bonum semen filios regni, populum scilicet Dei homines bonæ creationis. Per messem vero finem seculi; ergo usque ad finem seculi crescit triticum. Ergo populus Dei usque tunc multiplicabitur. Ergo vel zizania convertentur in triticum, vel Deus pater usque ad finem seculi aliquos de novo creabit. [*] Quod zizania non convertantur in triticum patet, quoniam ipsa sunt malæ creationis, ut dicunt.

Responsum fuit quod non intelligitur de incremento secundum numerum. Contra hoc tamen est illud Jer. 29. *& nolite esse pauci numero*.

Præterea quis umquam seminaret semen in agro, si illud non crederet recipere multiplicatum in numero? Ergo illud intelligitur de multiplicatione secundum numerum.

Præterea quod semen multiplicetur patet Rom. 4. v. 18. *Sic erit semen tuum*. In Gen. etiam 22. v. 17. *multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, &c.* Isaiæ 51. v. 2. *Unum vocavi eum, & benedixi ei, & multiplicavi eum*. Heb. 11. v. 12. *Ab uno orti sunt (& hoc emortuo) tamquam sidera cæli in multitudinem, &c.* ut in prima parte hujus cap. habetur, & in psal. 104. ubi dicitur: *& auxit populum suum vehementer*. (8) *

CAP. VII.

De Prophetia; & primo ubi Prophetæ prophetaverint: & probat Hæreticus quod in cælesti Jerusalem.

NUnc ad septimum capitulum hujus primæ partis accedentes videamus primo utrum possit stare quod ponunt, scilicet Prophetas in alio mundo prophetasse, in alia scilicet Jerusalem, & de alia, quam sit ista terrena.

Secundo utrum prophetiæ eorum secundum quod litera sonat, sint accipiendæ, sicut ipsi falso credunt. Tertio an prophetaverint ante hujus mundi constitutionem, ut etiam dicunt.

§ I.

CAussa primæ positionis est, quia ponunt omnia duplicia. Ponunt ergo duas Jerusalem, & sic de consimilibus. Inveniuntur autem Prophetæ quando prophetabant, esse in Jerusalem Dei sancti; Isaias enim, quando de illa Jerusalem prophetavit, erat in ea, ut habetur Isaiæ 39. v. 3. ubi dicitur quod intravit domum Ezechiæ, quem constat tum fuisse in Jerusalem, ut habetur Isaiæ 36. v. 2. Ex quo volunt quod Isaias in alio mundo prophetaverit.

Idem volunt habere per ea, quæ leguntur Jer. 38. v. 39. & 40.

Alia etiam est caussa, quare de alia Jerusalem prophetaverunt: quia in verbis Prophetarum quædam inveniuntur, quæ non videntur eis possibilia esse in mundo isto, & de Jerusalem mundi hujus;

 unde

[*] Deest in Vat. usq; ad c. 7. quod duobus aster. contentum vides.

(8) Certa, & explorata res est, quidquid contra Petrus Haloixius *lib.* III. *Origenis defensi cap.* VII. *& lib.* IV. *Quæst.* X. *pag.* 343. *Edit. an.* 1648. jactitet, Dogma illud, τῆς προϋπάρξεως fuisse ab Synodo V. probante Romano Pontifice, proscriptum, atque damnatum. Cyrillus Scythopolita, qui Synodi illius tempore florebat: *in Vita Sancti Sabæ num.* XC. *Edit. Cotel. Monument. Eccl. Græc. an.* 1686. *pag.* 374. *Tom.* III. *Cum Sancta, & Universalis*, inquit, V. *Synodus Constantinopoli esset coacta condemnationi submissi sunt Origenes, & Theodorus Mopsuestenus, cum iis, quæ de præexistentia & restitutione dicta sunt ab Evagrio, & Didymo, præsentibus quatuor Patriarchis, atque Decreta comprobantibus.* Vide Nicephorum Callistum *lib.* XVII. *cap.* XXVIII. *pag.* 778. *Edit. an.* 1630. Cardinalem Norisium *Dissert. de* V. *Synodo cap.* VI. *col.* 631. *seqq. Tom.* I. *Edit. Veron. an.* 1729. & Balleriniorum *de Synodo* V. *Dissertationem cap.* V. *col.* 1011. *Tom.* IV. *Opp. Card. Noris. Ed. an.* 1732.

unde videtur eis, quod de alio mundo, sive de Jerusalem alterius mundi prophetaverint.

De impossibilibus istis secundum sensum eorum de rebus hujus mundi est illud, quod dicit Dominus per Jer. 2. v. 32. *Populus vero meus oblitus est mei diebus innumeris*. Dies enim hujus mundi, & populi ejus numerabiles sunt.

Item Jer. 4. v. 13. *Ecce quasi nubes ascendet, & quasi tempestas currus ejus: velociores aquilis equi illius*. Et loquitur de Rege Chaldæorum, & populo ejus, qui venturus erat contra Jerusalem. Quod factum deplorat Jer. in Threnis 4. v. 19. *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cæli: super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis*. Item ibidem 7. *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores*. Item Isa. 5. v. 28. videns istud in spiritu futurum dicebat: *Ungulæ equorum ejus ut silex*. Idem dixit Habacuc 1. v. 8. quod dixerat Jer. *Leviores pardis equi ejus, & velociores lupis vespertinis*. Et postea subdit: *volabunt quasi aquila festinans ad comedendum*.

Nunc ostendamus quod falsum ponunt, cum dicunt quod in alio mundo prophetaverint, & probemus quod Jerusalem, & aliæ civitates, de quibus, & in quibus prophetaverunt, in alio mundo non sunt.

Primo autem dicimus eis quod nullis testimoniis sacrarum scripturarum hoc possunt ostendere esse verum, quod Jerusalem, & aliæ civitates Filiorum Israel, in quibus, & de quibus prophetaverunt Isaias, & alii Prophetæ, in cælo essent; quod enim dicit Apostolus ad Gal. 4. v. 26. expositum est, ubi agitur de ovibus Israel, illud nimirum; quæ sursum est Jerusalem, &c.

Ad hoc vero, quod dicunt, Prophetas quoad sensum verborum non posse intelligi, sicut ait Apostolus 2. Cor. 3. v. 6. *Litera enim occidit, spiritus autem vivificat*. Non ergo accipimus prophetias secundum sonum verborum, sed secundum spiritualem intellectum; verba enim Prophetarum spiritus & vita sunt. Locuti sunt etiam Prophetæ quandoque figurative, quandoque parabolice, ut notatum est supra *in cap. An Lucifer ascenderit in cælum ad Dei populum seducendum*. Locuti sunt etiam transsumptive, & per similitudinem, ut ibidem notavimus. Illud autem verbum Jer. 2. v. 32. *populus vero meus oblitus est mei diebus innumeris*, quare dictum sit, habitum est sexto capitulo.

Quod autem Prophetæ prophetaverint de ista terrena Jerusalem, & in illa, atque adeo in hoc Mundo post hujus mundi constitutionem, nemo qui Prophetarum verba diligenter, & fideliter considerat, dubitare potest. Legitur enim Isaiæ 1. v. 10. *Audite verbum Domini principes sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri populus Gomorrhæ, &c.* usque ad v. 16. exclusive: *plenæ sunt*. Ista omnia manifeste facta sunt in terrena Jerusalem. Numquid Populus Dei ista fecit Deo cæli in cælesti Patria?

Præterea ibidem legitur 21. *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena judicii? Justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ*. Postea ad eam loquens ait 23. *Principes tui infideles, socii furum, &c.* Ibidem etiam dicitur 28. *Qui dereliquerunt Dominum consumentur*. 29. *Confundentur enim ab idolis, quibus sacrificaverunt*. Si hæc de cælesti Sion, vel Jerusalem dicta esse dicas: igitur ibi idola fuerunt etiam ante hujus mundi constitutionem, ut dicis. Numquid fecerunt sibi idola, ut adorarent *talpas, & vespertiliones*, ut dicitur Isa. 2. v. 20.? Numquid in prædicta scelera, & multa alia, quæ in eodem Isa. reperiuntur de populo illius terræ, de qua loquitur Isaias, prolapsi sunt?

Item nonne Jer. cap. 9. v. 4. ait de Populo Jerusalem: *Unusquisque se a proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet*. 1. *Et vir fratrem suum deridebit, & veritatem non loquentur: docuerunt enim linguam suam loqui mendacium: ut inique agerent, laboraverunt?* Item Jerem. cap. 5. v. 7. in persona Domini loquens ait ad Jerusalem: *Filii tui dereliquerunt me, & jurant in his, qui non sunt Dii: saturavi eos, & mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur: &c.* usque *anima mea?*

Item Jer. 8. v. 9. *Verbum enim Domini projecerunt, & sapientia nulla est in eis*. 10. *Propterea dabo mulieres eorum exteris, agros eorum hæredibus*. Quod numquam intelligi poterit de cælesti Jerusalem: alioquin ibi sunt & mulieres & viri, & generantur de illa materia, sicut isti de ista, & est ibi rapina, & adulterium, sicut hic.

Item in principio illius capitis 8. dicit Jer. *In illo tempore, ait Dominus: Ejicient ossa regum Juda, &c.* usque *in sterquilinium super faciem terræ erunt*. Numquid ibi sterquilinium? Numquid tam inhumani sunt, ut ejiciant ossa de sepulchris tantorum virorum?

Similiter videtur quod ibi sit opus carnale, & matrimonium, sicut hic; dicit enim Isa. cap. 62. v. 5. *Habitabit enim juvenis cum Virgine, & habitabunt in te filii tui. Et gaudebit sponsus super sponsam*. Quomodo ergo stabit illud verbum Christi Matth. 22. v. 30. *In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli Dei in cælo?*

Item Jer. 21. v. 8. dicit Dominus populo suo: *Ecce ego do coram vobis viam vitæ, & viam mortis, &c.* usque *domui regis Juda*. Quod non potest intelligi de cælesti Jerusalem; Deus enim non hortaretur populum suum, ut traderet se in manus Chaldæorum, idest Dæmonum, vel in manus Nabuchodonosor, id est Diaboli secundum tuum intellectum.

Præterea quomodo de cælesti Jerusalem intelligi potest? Numquid illa combustibilis est, numquid transitoria? Quod si ita est: ex hoc habeo, quod Deus bonus auctor est rerum transitoriarum, quod tu negas.

Item Jer. 29. v. 4. *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel omni transmigrationi, quam transtuli de Jerusalem in Babylonem*: 5. *Ædificate domos, &c.* us-

&c. usque *& nolite esse pauci numero*. Numquid talia esse possunt in cælesti Patria ? Numquid ibi per generationem filiorum, & filiarum multiplicantur filii Dei, cum dicat illis : *nolite esse pauci numero?*

Præterea Jer.25. v.9. ubi agitur de captione Jerusalem per Nabuchodonosor servum suum dicitur: *Ecce ego mittam, & assumam universas cognationes Aquilonis, ait Dominus, & Nabuchodonosor regem Babylonis servum meum : & adducam eos super terram istam, & super habitatores ejus, & super omnes nationes, quæ in circuitu illius sunt : & interficiam eos, & ponam eos in stuporem, & in sibilum, & in solitudines sempiternas.* 10. *Perdamque ex eis vocem gaudii ; & vocem lætitiæ, vocem sponsi, & vocem sponsæ.* Numquid ibi sponsus, & sponsa sunt, quorum gaudium, & lætitiam cessare faciat Dominus ? Numquid in solitudines sempiternas poneret Dominus terram suam? Si hoc : quomodo ad illam redibunt oves Israel, cum sempiternum secundum te finem non habeat ? Sic enim ponis propter illud, quod legitur Ezech. 35. v. 5. de Monte Seir *eo quod* fuerit *inimicus sempiternus* : propter quem montem historialiter ponis (falso tamen intelligis) mundi principem.

Præterea quare non attendis Hæretice ad hoc,quod legitur in Threnis 5. v. 11. *Mulieres in Sion humiliaverunt, & virgines in civitatibus Juda.* 12. *Principes manu suspensi sunt : facies senum non erubuerunt.* 13. *Adolescentibus impudice abusi sunt?* Numquid ibi Sodomitici ? Numquid ibi ad literam mulieres violatæ sunt ?

Nonne vides etiam quid sit quod dicitur Ezech.16. v.24. de abominationibus Jerusalem sancti Dei,qui ad Jerusalem loquens ait : *Ædificasti tibi lupanar, & fecisti tibi postribulum in cunctis plateis, &c.* usque *& fornicata es cum filiis Ægypti vicinis tuis magnarum carnium*, id est membrorum ? Item Ezech. 22. v. 6. *Ecce Principes Israel singuli in brachio suo fuerunt in te ad effundendum sanguinem, &c.* usque ad v. 12. inclusive : *meique oblita es, ait Dominus Deus.* Item Ezech.23. loquitur de immundiciis Jerusalem Dei sancti, quæ nullo modo possunt intelligi fuisse in cælesti Jerusalem. Item Ezech.44. v. 21. dicitur : *Vinum non bibet omnis sacerdos quando ingressurus est atrium interius.* 22. *Et viduam, & repudiatam non accipient uxores, sed virgines de semine domus Israel : sed & viduam, quæ fuerit vidua a sacerdote, accipient.* Numquid ista ibi sunt ?

Item Daniel cap. 3. v. 28. ait Dominus : *Judicia enim vera fecisti, &c.* usque ad v. 32. inclusive : *ultra omnem terram.* Ecce quod in omnibus confitetur eos deliquisse.

Præterea vide quod dixit Dominus ad Osee cap.1. v. 2. *Unde sume tibi uxorem fornicationum : & fac tibi filios fornicationum.* Item Osee 4. v.1. *Audite verbum Domini filii Israel, quia judicium Domino cum habitatoribus terræ : non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra.* 2. *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit, &c.* Atque ut brevius comprehendam, nullum est genus peccati in hoc mundo, cujus simile non inveniatur in cælesti mundo, si ita est, ut ponis, quod Prophetæ in alio mundo, & de alio prophetaverint. Igitur si Deus hujus seculi malus est, ille etiam malus ponendus est ; vel si ille bonus est, & iste : quod verum est, quia unus, & idem est.

Præterea quare tantum student Sancti ad illum mundum superiorem venire,si tamturpia, tam scelerata, tamquam pœnalia ibi sunt, ut in threnis legitur Jer. & in aliis prophetarum locis ? Ex his omnibus evidens est quod non prophetaverunt de cælesti Jerusalem, sed de terrena, ubi manifestum est ista contigisse propter testimonia scripturarum Veteris Testamenti, & quia nulla testimonia sunt, per quæ probari possit, quod de cælesti Jerusalem locuti sint, quæ nulla est, nisi figurative dicatur esse.

[*] Michææ 5. v. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata parvula es in millibus Juda : ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel ; & egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* De qua Bethlehem loquitur? Numquid de cælesti ; aut de terrena ? De terrena non dices, quam ponis a malo Deo creatam ; unde eam non laudaret, nec diceret : *Et tu Bethelehem, &c.*

Præterea nonne Prophetæ secundum te in cælesti mundo prophetaverunt, & Michæas dicebat ibi: *Et tu Bethlehem &c.*? Ergo ista Bethlehem ei proxima erat, & ita in cælesti mundo. Numquid Herodes extra illum ? Si sic quomodo mittebat illuc Magos dicens Matth.2. v.8. *Ite, & interrogate diligenter de puero : & cum inveneritis, renunciate mihi, ut & ego veniens adorem eum?*

Præterea secundum hoc Magi erant in cælesti mundo : quomodo ergo illuc iverunt ?

Præterea ergo & Jerusalem, & Bethlehem, ubi regnabat Herodes, erant extra ipsum.

Præterea nonne dicitur Lucæ 2.v.4. *Ascendit autem & Joseph de Galilæa de Civitate Nazareth in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem : eo quod esset de domo, & familia David?* Cælestis secundum te. Ergo Bethlehem ejusdem David pro cælesti venit.

Sed contra. Sic ergo Domina nostra fuit ibi prægnans, & ibi peperit Jesum. Præterea secundum hoc ibi sunt pueri duorum annorum, & infra, quia dicitur de Herode Matth. 2. v.16. *Et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus a bimatu & infra, secundum tempus, quod exquisierat a Magis.*

Præterea quomodo dies Israel innumerabiles? Præterea nonne Joseph & Maria erant in illo orbe, quem jussit Cæsar describi ? Numquid Maria & Joseph profitentur se esse subjectos Cæsari Augusto ?

Forte dices quod Cæsar Augustus est ipse Deus. Sed unde hoc habes ? Nonne Dominus dixit Matth. 22. v.21. *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari : & quæ sunt Dei, Deo?* Ergo Cæsar non erat Deus.

Præterea si Cæsar, qui imperabat toti Orbi, Diabolus erat, & totus orbis ibi venit pro cælesti Orbe: sic ergo totum mundum cælestem ceperat. Restat igi-

[*] Quæ duobus asteriscis comprehendimus, desunt e Codice Vat., & Neapolitano.

igitur quod prophetaverint de Jerusalem, & Bethlehem terrena, & quod illa sit a Deo sancto. [*]

Præterea Zacha. 9. v. 9. dicitur: *Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi justus, & Salvator: ipse pauper, & ascendens super asinam & super pullum filium Asinæ*. Et Matth. 21. v. 5. ponitur: *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super Asinam & pullum filium subjugalis*. Numquid ista possunt intelligi de cælesti Jerusalem, vel Sion? Numquid Christus ibi pauper? Numquid ibi Asina, quam conscendat? Numquid pullus Asinæ? Ita oportet te dicere, si ad sonum litteræ prophetiæ sumendæ sunt. Numquid ibi alius Dominus pulli, quam Jesus? Legitur enim Lucæ 19. v. 35. *Solventibus autem illis pullum, dixerunt domini ejus ad illos: quid solvitis pullum?* Numquid istud, quod ponit Matth. cap. 21. *Et cum appropinquassent Hierosolymis &c.* in cælesti Patria factum est? Nonne Evangelista dicit ibidem 4. *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: 5. Dicite filiæ Sion: ecce Rex tuus &c.?* Sed hoc totum impletum est in hoc mundo. Ergo loquitur Propheta de Jerusalem, & Sion, quæ est in mundo isto. Illud autem, quod sequitur 6. *Euntes autem Discipuli fecerunt &c.* usque *hosanna in altissimis* nonne in hoc mundo impletum est? Utique.

Præterea quod sequitur 10. *Et intrasset Hierosolymam &c.* usque *præcedent vos in regnum Dei* manifestat quod istud in hoc mundo factum est.

§. II.

NUnc accedamus ad secundum, quod in hoc Capitulo proposuimus, scilicet utrum prophetiæ accipiendæ (9) sint secundum quod sonant verba. Hoc autem necesse est eis dicere, alioquin non esset illud testimonium pro eis, quod habetur Ezech. 34. v. 16. *Quod perierat requiram*. Per hoc enim, quod dicitur: *perierat* volunt habere quod non sint salvandæ novæ animæ, sed antiquæ. Secundum autem hoc, quod ponunt prophetias accipiendas esse secundum sensum verborum, oportet eos dicere, quod illa prophetia sit de præterito.

Contra hanc opinionem dicit Deus per David psalmo 17. v. 45. *Populus, quem non cognovi, servivit mihi*. Si illi servivit, injustus est, quia non cognovit: Sed non potest esse injustus. Relinquitur ergo quod præteritum accipiatur pro futuro, id est *servivit* pro serviet.

Præterea Isai. 52. v. 15. dicitur: *quia quibus non est narratum de eo, viderunt: & qui non audierunt, contemplati sunt*. Ecce quod Isaias ponit præteritum: *contemplati sunt*; Apostolus autem Rom. 15. v. 21. idem ponit futurum dicens: *& qui non audierunt, intelligent*. Isaias ergo præteritum dixit quoad sonum litteræ, & futurum intellexit: alioquin ipse Apostolus diceret falsum, cum dicit esse scriptum: *intelligent*, cum tamen ibi scriptum sit præteritum: *contemplati sunt*. Sed Apostolus falsum non dicit; Ergo prophetia de præterito non intelligitur semper de præterito; immo ponitur pro futuro.

Præterea Matth. 13. v. 13. in parabola de semine jacto secus viam Dominus ita edisserit: *Ideo in parabolis loquor eis: quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt. 14. Et adimpletur in eis prophetia Isaiæ dicentis: Auditu audistis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis*. Ecce quod Dominus exponens illa verba Isaiæ, & dicens ea tum impleta esse ponit futurum; Isaias vero ponit præsens dicens cap. 6. v. 9. *Audite audientes, & nolite intelligere: & videte visionem, & nolite cognoscere*. Præsens ergo posuit Isaias in sensu futuri.

Item David psalm. 8. v. 10. *Minuisti eum*, id est Christum, *paulominus ab Angelis, gloria, & honore coronasti eum: 7. & constituisti eum super opera manuum tuarum. 8. Omnia subjecisti sub pedibus ejus &c.* Tres sunt partes hujus auctoritatis. Quoad duas primas præteritum proprie sumitur in tempore Apostoli: quoad tertiam de præterito loquitur, & tamen futurum erat, sicut probari potest per Apostolum 1. Corinth. 15. v. 25. ibi enim dicitur: *Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus*. Item Hebr. 2. v. 8. exponens verba David de futuro esse dicta ostendens ait: *Nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei. 9. Eum autem, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum*.

Præterea David psalm. 8. v. 3. ait: *Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos*. Hoc autem ostenditur impletum circa tempus passionis Christi parum ante, qui ait Matth. 21. v. 16. *Numquam legistis: quia ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem?*

Præterea Isai. 45. v. 17. *Israel salvatus est in Domino salute æterna*. Ecce quod Isaias præteritum ponit; Dominus autem ostendit istud de futuro intelligendum esse Matth. 15. 24. ubi dicit: *non sum missus nisi ad Oves, quæ perierunt domus Israel*. Et Rom. 11. v. 25. *Donec plenitudo Gentium intraret, 26. & sic omnis Israel salvus fieret*.

Præterea Osee 11. v. 1. dicit Dominus; *Ex Ægypto vocavi filium meum*. Ecce prophetia est utens verbo præteriti temporis, & tamen Matth. 2. v. 19. ostenditur impletam esse tempore Christi; sic enim dici-

(9) Gregorius Nazianzenus *Orat. 35. pag. 564. Tom. 1. Opp. Edit. an. 1690. Nonne universis perspicuum est*, inquit, *ac præsertim in usu scripturæ positum, ut pleraque ex his quæ temporaliter dicuntur inversa temporum ratione proferantur; nec ea solum, quæ præteriti temporis sunt, aut præsentis; sed etiam quæ futuram significationem habent? Quo in genere illud est*; quare fremuerunt gentes. *Nondum enim fremuerunt, & in flumine pertransibunt pede, idest pertransierunt*. S. Augustinus *Tract.* cv. *in cap.* XVII. *Joh. Ad illud*: Ego te glorificavi super terram &c. *Quomodo consummavit opus, quod accepit, ut faciat, cum restet adhuc passionis experimentum; nisi quod consummasse se dicit, quod se consummaturum esse certissime novit. Si enim longe antea in prophetia dixit*: foderunt manus meas &c. *non ait fodient, & dinumerabunt, quamvis post annos plurimos futurum erat; & in hoc Evangelio ait*, omnia quæ audivi a Patre meo nota feci vobis. *Quibus ait postea*: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo. *Qui enim certis, & immutabilibus caussis ea prædestinavit, quod facturus est fecit. Nam & per Prophetam dictum est de illo*: qui fecit; quæ futura sunt. Aditor Gregorius *lib.* 34. Mor. *cap.* VII.

dicitur ibi : *Consurgens accepit puerum , & matrem ejus nocte , secessit in Ægyptum* : 15. *& erat ibi usque ad obitum Herodis: ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem : Ex Ægypto vocavi filium meum* .

Item Matth.2. v.16. legitur de Herode : *Et mittens occidit omnes pueros &c.* Postea subdit 17. *Tunc adimpletum est quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem : Vox in Rama audita est &c.* Istud ergo futurum erat tempore Jeremiæ, & tamen præterito utitur : *audita est &c.*

Item Matth.4. v.13. dicitur de Christo , quod *relicta civitate Nazareth , venit , & habitavit in Capharnaum maritima , in finibus Zabulon & Nephtalim*: 14. *ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam* : 15. *Terra Zabulon, & terra Nephthalim , via maris trans Jordanem , Galileæ Gentium.* 16. *Populus qui sedebat in tenebris , vidit lucem magnam : & sedentibus in regione umbræ mortis lux orta est eis* .

Item David psalm.2. v.1. ait : *Quare fremuerunt Gentes &c.* usque *adversus Christum ejus* . Actor. vero 4. v.27. ostenditur per B. Petrum verba illa intelligi de Herode , & Pilato , & Gentibus , & populis Israel ; sic enim ibi legitur : *Convenerunt enim vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum , quem unxisti , Herodes & Pontius Pilatus cum Gentibus & populis Israel* , 28. *facere quæ manus tua , & consilium tuum decreverunt fieri* .

Similia multa inveniri possunt in Evangeliis , de quibus duo habentur testimonia Johann.19. v.23. *Milites ergo cum crucifixissent eum , acceperunt vestimenta ejus , (& fecerunt quatuor partes : unicuique militi partem) & tunicam &c.* usque *miserunt sortem* . Quod iterum David prædixerat per præteritum psal.21. v. 19. Item ibidem v. 34. *Unus militum lancea latus ejus aperuit* . Istud autem prophetatum erat per Zach. cap.12. v.10. *Aspicient ad me , quem confixerunt* , ut ibi dicit Jo. Multa alia simili modo inveniri possunt , per quæ probari potest quod præteritum quandoque sumitur pro futuro ; & ita prophetiæ non sunt accipiendæ , ut litera sonat .

Præterea jam constat quod de terrena Jerusalem prophetaverunt . Illa autem , quæ de ipsa dixerunt in multis locis , non possunt litteraliter intelligi ; immo quo ad sonum literæ impossibilia sunt intellectu ; ut prædictum est .

Præterea nonne vides quod dicitur Isaiæ 51. v.1. *Attendite ad petram , unde excisi estis ; & ad cavernam laci , de qua præcisi estis* . Numquid secundum quod sonat littera sic erat ? Non . Sed qualiter intelligi debeat exponit , cum subdit 2. *Attendite ad Abraham Patrem vestrum , & ad Saram , quæ peperit vos* .

Item Isaiæ 56. v.10. *Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi : canes muti non valentes latrare* . Istud enim ad sonum litteræ , non potest intelligi , scilicet quod essent cæci , & canes . Sed de quibus Isaias intelligat , & qualiter loquatur per similitudinem determinat ipse , cum subdit 11. *Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam* . Ecce quare dixit eos cæcos , qui debent esse speculatores , id est contra Persecutores , & Pseudo-Apostolos .

Item nonne vides quid est , quod dicitur Isai. 1. v.2. *Audite cæli, & auribus percipe terra , quoniam Dominus locutus est?* Numquid cæli sensu auditivo percipiunt? Numquid terra hoc idem habet ? Non . Neque ergo ut sonat littera accipiendum est Isaiæ verbum , sed figuraliter loquitur , id est Metonymice dirigens sermonem ad continens ratione contenti .

Præterea si ad sonum litteræ accipienda sunt verba Prophetarum , oportebit dicere sine aliqua distinctione , sicut Thetricus Hæreticus in quadam parte cujusdam Libri sui cap.11. illius partis , quod omnis creatura Deum laudat , volens hoc habere ex eo , quod legitur Apocalyps. 5. v. 13. *Omnem creaturam , quæ in cælo est , & super terram, & sub terra , & quæ sunt in mari , & quæ in eo : omnes audivi dicentes : sedenti in throno, & Agno: benedictio, & honor , & gloria , & potestas in secula seculorum.*14. *& quatuor animalia dicebant: Amen.* Quod etiam videtur posse haberi ex Cantico Domini Daniel. 3. v.57. *Benedicite omnia opera Domini Domino : laudate , & superexaltate eum in secula* . Item ex psalm.148. *Laudate Dominum de cælis &c.* Ignoravit autem Hæreticus iste , quod creatura rationalis laudet , & etiam aliæ creaturæ ; sed differenter , quia creatura rationalis , id est Homo , vel Angelus, effective , aliæ autem creaturæ materialiter , quia creatura rationalis , de eis Dominum laudat & benedicit .

§. III.

Probatio Ecclesiæ quod Prophetæ non prophetaverunt ante hujus Mundi constitutionem .

Nunc accedamus ad tertium , quod in principio hujus Capituli adnotavimus , scilicet an Prophetæ ante hujus Mundi Constitutionem in alio mundo , & de alia Jerusalem prophetaverint . Duo ultima jam improbata sunt . Restat primum destruere , ad cujus improbationem sufficit illud testimonium Isaiæ 1. v.7. ubi habitatoribus Jerusalem improperat Isaias dicens : *Terra vestra deserta , Civitates vestræ succensæ igni : regionem vestram coram vobis alieni devorant* . Unde venerunt isti alieni ad cælestem Jerusalem filiam Sion , ut credis , nisi de mundo isto ? Ergo jam constitutus erat mundus, quando Isaias prophetavit illud , quod prævidebat futurum .

Præterea quomodo diceret Isaias ibidem 4. quod *abalienati sunt retrorsum* ? Et non est dubium quod de creaturis suis , de Populo suo loquebatur dicens 2. : *Filios enutrivi , & exaltavi : ipsi autem spreverunt me* . Item 3. : *Cognovit bos possessorem suum , & asinus præsepe Domini sui : Israel autem me non cognovit , & populus meus non intellexit* . Postea dicit 4. : *Dereliquerunt Dominum , blasphemaverunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum* . Illi ergo prius fuerant sui . Postea hæc dicit 7. *regionem vestram coram vobis alieni devorant* . Isti ergo non erant abalienati , sed *alieni* : quod plus est . Modo quæro : de qua creatione eos ponis ? de bona ? Non ; sic

ſic enim erant alienati, cum modo mali, & prius boni fuerint. Si de mala: reſtat quæſtio prima: unde venerint, niſi de mundo iſto: Ergo hic mundus jam conſtitutus erat, cum Iſaias prophetavit iſtud.

Si forte dicas, quod materialiter conſtitutus erat propter Chaos, unde res iſtæ poſtea ſunt diſtinctæ, & Civitates ædificatæ.

Contra. Quomodo ergo dixiſſet Iſaias ibidem 9.: *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus*? Item Iſa. 7. v. 18. *Et erit in die illa: Sibilabit Dominus muſcæ, quæ eſt in extremo fluminum Ægypti, & api, quæ eſt in terra Aſſur*. Jam ergo diſtincta erant regna iſta. Item de Babylone, quæ Populum Dei captivavit, dicit Iſaias cap. 13. v. 31. *Onus Babylonis &c.* Item ibidem 17. de Medis: *qui argentum non quærant, nec aurum velint &c.* Similiter eſt invenire de aliis regnis, & populis, qui fuerunt contrarii populo Dei. Ergo jam diſtinctus erat Mundus per Regna, & Civitates, & Populos, quando Iſaias prophetavit, & quando alii prophetaverunt, ut oſtendi poteſt ex Prophetiis eorum ſecundum formam iſtam.

CAP. VIII.

Utrum Deus Pater juſtorum ſit Creator viſibilium & tranſitoriarum rerum.

NUnc ad octavum capitulum accedentes videamus, utrum res viſibiles & tranſitoriæ ſint a Deo Patre juſtorum. Dividitur autem hoc capitulum in duas partes. In prima ponentur rationes eorum, qui hoc autumant; in ſecunda vero rationes contra eos. Dicunt enim iſti Hæretici, qui duos aſſerunt (1) Creatores contrarios, iſta viſibilia & tranſitoria eſſe a Deo malo, quem ponunt.

§. I. PRIMA PARS.

Probatio Hæreticorum quod tranſitoria non ſunt a Deo.

VIdeamus ergo quibus teſtimoniis inducti ſint ad iſtud credendum, quorum unum eſt illud Eccleſiaſtæ 1. v. 2. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*; & loquitur de creaturis iſtis viſibilibus, & tranſitoriis. Quomodo autem poteſt eſſe quod in operibus boni Dei aliqua vanitas ſit, cum omnia ejus opera ſint valde bona? Hinc Eccleſ. 39. v. 20. *Sic dicetis in confeſſione. 21.: Opera Domini univerſa bona valde.*

Ad hoc autem dicimus, quod ſi Hæreticus intelligeret quid ſit Vanitas, & quid ſit eſſe vanum non dixiſſet hoc, quod præmiſſum eſt. Creatura enim dicitur vana, quia vertibilis eſt, hoc eſt mutabilis, & quia in principio ſuæ conditionis de non eſſe ad eſſe proceſſit, & ab eſſe ad non eſſe tendit. Vanitas ergo rei eſt ejus mutabilitas. Nonne vides quod his, quæ dico, atteſtatur Sapientia dicens Prov. 8. v. 22. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret a principio. 23. Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret &c.* uſque *cum eo eram cuncta componens*. Ecce quod bona Dei opera de non eſſe ad eſſe proceſſerunt.

Quod autem de eſſe ad non eſſe procedant, niſi a Deo in eſſe conſerventur, patet Sap. 12. v. 12. ubi dicit ſapientia Deo: *Quis tibi imputabit, ſi perierint nationes, quas tu feciſti*? Ipſa ergo corruptio vanitas eſt, de qua vanitate habetur Rom. 8. v. 20. *Vanitati enim creatura ſubjecta eſt non volens, ſed propter eum, qui ſubjecit eam in ſpe: 21. quia & ipſa creatura liberabitur a ſervitute corruptionis*. Ecce quod bonus Deus vanitati ſubjecit creaturam ſuam; de alio enim dici non poteſt, quod eam ſubjecerit vanitati propter id, quod ſequitur *in ſpe, quia & ipſa creatura liberabitur a ſervitute corruptionis*, id eſt a ſubjectione corruptionis; ipſa enim ſervitus quædam ſubjectio eſt, qua Dei creatura ſubjicitur corruptioni, quam prius appellavit vanitatem.

Præterea nonne Eccleſiaſtæ 1. poſt illa verba: *Vanitas vanitatum &c.* dicitur v. 12. *Ego Eccleſiaſtes fui Rex Iſrael in Jeruſalem, 13. & propoſui in animo meo quærere, & inveſtigare ſapienter de omnibus, quæ fiunt ſub ſole*. Et ſubdit: *Hanc occupationem peſſimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea*? Ecce quod dicit unus Rex Jeruſalem cæleſtis, ut credis, quod Deus dedit occupationem magnam filiis hominum. Sed nonne iſta occupatio vana eſt? Ergo vana ipſa ſunt a Deo bono; de illo enim loquitur ibi; Deus enim nuſquam in mala parte ſumitur ſine determinatione, ut Philipp. 3. v. 19. *quorum Deus venter eſt*. Et pſalm. 95. v. 5. *Dii Gentium dæmonia*, & hujuſmodi.

Præterea quod bonus Deus ſit ille, de quo hic loquitur Eccleſ. patet cap. 3. v. 10. ubi dicit; *Vidi afflictionem, quam dedit Deus Filiis hominum, ut diſtendantur in ea. 11. Cuncta fecit bona in tempore ſuo, & mundum tradidit diſputationi eorum*. Ecce quod

(1) Fuit hæc Gnoſticorum, Manichæorum, & Priſcillianiſtarum ſententia. Confer Epiphanium Hæreſi XXVI. *n.* X. *pag.* 91. & *Hæreſ.* LXVI. *n.* XXXI. *pag.* 647. *Tom.* I. Sanctum Auguſtinum *lib. Hæreſ. ad Quodvult Deum. Hæreſ.* VI. ubi de Gnoſticis, & *Hæreſ.* LXX. ubi de Priſcillianiſtis diſſerit. Negari tamen non poteſt, quin implexa fuerit Manetis de Opificio Mundi ſententia. Nam qui illius de hac re portenta litteris conſignarunt, hi quidem inter ſe diſſident. Ita fit, ut Auguſtinus *Hæreſi* XLVI. prodat Manichæorum opinione, *mundum a Natura boni Dei factum ... ſed de commixtione boni & mali, quando inter ſe utraque natura pugnavit.* Adeundus Theodoretus *lib.* I. *Hæret. Fabul. cap.* XXVI. & quæ apud Archelaum *Diſput. cum Manete n.* X. *pag.* 18. *ſeq.* refert Tyrbo, is, quem poſtremo loco memoravi; quamvis Tyrbo Theodorito adverſari quadantenus videatur. Sed Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi VI. *n.* XIII. *pag.* 95. *Edit. Pariſ. an.* 1720. & *Catecheſ.* IX. *num.* IV. *pag.* 128. Manetis hunc errorem fuiſſe proprium tradit, ut mundum a Deo malo conditum eſſe arbitraretur. Cyrillo autem præivit Athanaſius *Epiſt. ad Epiſcopos Ægypti & Libiæ n.* XVI. *pag.* 285. *Tom.* I. *P.* I. *Edit. Mont-faucon.* Fortaſſes Cyrillus & Athanaſius idcirco Manetem in ea ſententia verſatum fuiſſe putarunt, quod Hominem a Deo conditum eſſe negaret, ut Tyrbo apud Archelaum narrat. *n.* X. *pag.* 19. *ſeq.* & quod mundum *Dei non eſſe diceret, ſed ex parte materiæ plaſmatum*: ut idem Tyrbo refert *ibid, pag.* 18. & *num.* XI. *pag.* 20. Materiam autem alienam eſſe a Deo ſentiebant Manichæi. Adi-ſis Auguſtinum *lib.* XXI. *Contra Fauſtum cap.* IV. *col.* 353. *Tom.* VIII. *Edit. Pariſ. an.* 1688. In eodem luto hærebant Pauliciani. Nam Photius *lib.* I. *Contra Manichæos n.* 6. *pag.* 17. *Tom.* I. *Anecdot. Græcor. Wolfii. Duo*, inquit, *principia ... confitentur eſſe, ajuntque alium eſſe Deum Patrem, quem ab univerſi hujus poteſtate eliminant, ac futuri tantum [ſæculi] imperium ipſi tradunt, alium vero creatorem mundi, cui præſentis ſæculi imperium largiuntur &c.*

quod cuncta fecit bona in tempore suo, & mundum tradidit disputationi hominum, dedit afflictionem filiis hominum, ut distendantur in ea. De ista afflictione dixerat prius cap. 1. v. 14. *Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, & ecce universa vanitas, & afflictio spiritus*. Illa igitur, quæ sunt vanitas & afflictio spiritus, a bono Deo sunt, de quo post prædicta verba: *Vidi afflictionem &c.* ut ostenderet de quo Deo loqueretur parum post subdit 14.: *Omnia opera, quæ fecit Deus, perseverent in perpetuum*.

HÆR. Et hoc est aliud testimonium, quod ad idem inducunt: *Didici quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseverent in perpetuum: non possumus eis quidquam addere, nec auferre, quæ fecit Deus, ut timeatur*. Ista autem visibilia non perseverant in perpetuum. Ergo non fecit illa.

Idem etiam volunt habere per hoc, quod invenitur Eccles. 1. 4. *Terra autem in æternum stat*, volentes hoc intelligere de terra a bono Deo creata, sicut verum est; & per hoc volunt habere, quod ista terra visibilis a Deo bono creata non fuerit, quia non stabit in æternum, immo ut dicit Dominus Matth. 24. v. 35. *Cælum & terra transibunt*. Unde dicunt, quod etiam ipsum cælum visibile, quia transibit, a bono Deo non sit.

CATH. Ad hoc dicamus quod de eadem terra loquitur Ecclesiastes, & Dominus noster in Matth.; eadem enim terra & in æternum stat, & transibit, sicut & idem cælum & in æternum durabit, & transibit. Stabit quidem in æternum secundum suam substantiam, sed transibit quoad figuram, sive dispositionem, quam habet; eadem enim res & æterna est, & transitoria quoad diversa. Nonne vides Hæretice, quod 1. Johan. 2. v. 17. dicitur: *Et mundus transit, & concupiscentia ejus*. Nonne vides quod Apostolus determinat qualis sit iste transitus, quia non substantialis, sed accidentalis dicens 1. Cor. 7. v. 31. *Præterit enim figura*, id est facies, *hujus mundi*. Similiter dico, quod terra in æternum stat secundum id, quod est, sive secundum suam speciem, id est secundum quod est terra; tamen secundum accidentia aliqua transibit, quia innovabitur. Similiter dico de cælo, idest de aere; sic enim sumitur ibi cælum: unde dicitur Lucæ 8. v. 5. *Volucres cæli comederunt illud*. Dico igitur quod ipsum transibit quoad dispositiones, sed permanebit quoad esse suum secundum suam speciem; sicut etiam patet in corpore, quod transibit, & in æternum stabit. Transibit quidem quoad corruptibilitatem & mortalitatem, sed in æternum manebit secundum id, quod est, id est secundum speciem suam & substantiam, factum incorruptibile, & immortale; *oportet enim*, ut dicit Apostolus 1. Cor. 15. v. 53., *corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*.

Ad primum autem, quod induxerunt de Ecclesiaste: *Didici quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseverent in perpetuum*: dicimus quod non sumit omnia universaliter pro terra ipsa. Atque de his dicit David in psalm. 148. v. 6. *Statuit ea in æternum, & in seculum seculi*. Prius enim mentionem fecerat de his: excepto quod de terra adhuc non dixerat; deinde vero subjunxit *de terra* dicens 7.: *Laudate Dominum de terra*. In quibus etiam verbis cautela habenda est, quia inanimata, & irrationalia ad laudem creationis sui invitantur, quia sunt in nobis & Angelis materia divinæ laudis; de omnibus enim laudare debemus.

HÆR. Ad idem inducunt illud Eccl. 14. v. 20. *Omne opus corruptibile in fine deficiet: & qui illud operatur ibit cum illo*.

CATH. Sed hujus solutio facilis est; non enim appellatur opus corruptibile creatura visibilis & transitoria, sed opera mala ipsorum hominum, de quibus dicit David psalm. 9. v. 17.: *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator*. Opera enim malorum sequuntur eos, sicut & opera bonorum bonos, ut habetur Apocalyps. 14. v. 13. Quilibet enim recipiet secundum quod egit, ut dicitur 2. Cor. 5. v. 10.: *Omnes enim nos manifestari oportet ante Tribunal Christi &c.* De istis operibus dicitur ad Gal. 5. v. 19. *Manifesta sunt autem opera carnis &c.* Quod autem loquatur de operibus hominum patet ibi per illud, quod parum ante dixerat 17.: *Ante obitum tuum operare justitiam: quoniam non est apud inferos invenire cibum*: quasi diceret: alioquin illuc ibis, ubi cibum non habebis. Timore ergo summæ famis, quæ illic est, hortatur hominem ad opera justitiæ. Item spe præmii honorabilis, unde subdit v. 21. *Omne opus electum justificabitur: & qui operatur illud, honorabitur in illo*. De operibus malis dicit Ecclesiastes cap. 2. v. 17. *Tæduit me vitæ meæ videntem mala universa esse sub sole, & cuncta vanitatem & afflictionem spiritus*. De istis dixerat paulo ante 11.: *Cumque me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ & ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole*; id est nullum talium operum ad permanentia bona, id est cælestia, hominem ducere.

HÆR. Ad idem inducunt illud Dan. 7. v. 14. ubi de Christo loquitur: *Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum ejus, quod non corrumpetur*.

Ad idem etiam facit illud Luc. 1. v. 32. *Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus: & regnabit in domo Jacob in æternum*, 33. *& regni ejus non erit finis*. Ex his duabus auctoritatibus ita argumentatur Hæreticus: Mundus iste corrumpetur, ut habetur 1. Jo: 2. v. 17. *Mundus transit*. Item hujus mundi erit finis. Ergo iste mundus non est ejus regnum.

CATH. Solutio hujus habetur in Luc. 19. v. 12. *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum & reverti*. Homo iste Christus est, qui in hunc Mundum venit accipere sibi regnum, istud scilicet, de quo Apocalyp. 1. v. 6. *Et fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo & Patri suo*. Istud est illud regnum, quod non corrumpetur, scilicet Ecclesia; immo cum finis mundi advenerit, Christus illud tradet *Deo, & Patri suo*, ut ait Apost. 1. Cor. 15. v. 24. *Deinde finis: cum tradiderit regnum Deo & Patri*. Istius ergo non erit finis Luca teste, qui dicit a quo Christus hoc regnum esset accepturus, quia a Deo; unde: *Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus*, id est plebem Judaicam, quæ fuit sedes, idest regnum David temporaliter, *& re-*

 gna-

gnabit Christus in domo Jacob, id est in Judæis spiritualiter in æternum; neque enim tu aliud diceres quod loqueretur de alio regno, nisi de spirituali.

Dico ergo quod argumentum tuum inartificiale, & invalidum fuit: regnum Dei non corrumpetur & non erit finis ejus; sed iste mundus corrumpetur & erit finis ejus; ergo iste mundus non est ejus regnum; sine universali enim non fit similis: Si dixisses universaliter. Nullum Dei regnum corrumpetur; mundus iste corrumpetur &c., bona est argumentatio tua, sed ex falso falsum sequitur. Prima autem falsa est: nullum regnum Dei &c.; duplex enim regnum Christus habet, temporale unum, spirituale alterum. De temporali dicit Daniel, quem induxisti, cap. 4. v. 22. ipsi Nabuchodonosor: *Fœnum ut bos comedes, & rore cæli infunderis: septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias, quod dominetur Excelsus super regnum hominum, & cuicumque voluerit, det illud.* Unde ejusdem Daniel cap. 5. v. 18. ait Daniel Baltassar filio ejus: *O Rex, Deus altissimus regnum, & magnificentiam, gloriam, & honorem dedit Nabuchodonosor Patri tuo.* De spirituali autem regno habetur ejusdem Daniel cap. 7. v. 27. *Regnum autem, & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, detur populo Sanctorum Altissimi: cujus regnum sempiternum est, & omnes Reges servient ei, & obedient.*

Si autem objicias (2) quod dixit Christus Pilato Johann. 18. v. 36.: *Regnum meum non est de hoc mundo*: Bene: Concedo quod ejus regnum spirituale non est de hoc mundo, idest mundanum, sive temporale. Non enim dixit: nullum meum regnum est de hoc mundo. Sed indefinite dixit: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Ex hoc autem non sequitur quod iste mundus non sit ejus regnum, sed quod non sit illud regnum, de quo loquebatur, & quod accipere venerat, & reverti. Similiter dicendum est: Regnum ejus non corrumpetur, vel non erit finis regni ejus; mundus autem corrumpetur, vel erit finis ejus: Ergo mundus iste non est illud regnum, quod non corrumpetur, & cujus finis non erit.

HÆR. Ad idem inducunt illud Matth. 8. v. 20. *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos*: [*] *filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Quomodo hoc potest dicere? Si iste mundus suus est, habet ubi caput reclinet. Cum ergo non mentiatur, oportet quod iste mundus non sit suus.

CATH. Solutio ut habetur 1. Cor. 11. v. 3. *Caput vero Christi Deus.* De isto igitur capite loquitur, non de materiali capite; non enim adhuc credebatur esse Deus hic, nisi a paucis.

Præterea si de materiali capite intelligitur, non obest, quia loquitur de proprio domicilio, quod non habebat, quamvis vulpes, & volucres illud habeant. Mundus autem iste commune domicilium est, nec dubium est quin in illo esset, & quin in illo caput reclinare posset; sed non in aliquo proprio domicilio.

[*] HÆR. Ad idem inducunt illud, quod dicitur Jo: 8. v. 23. (3) *Ego de supernis sum: Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.* Et per hoc volunt duos esse Creatores; unum superiorem, & alterum inferiorem. Item illud 1. Jo: 2. v. 15. *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt.* Item illud, quod dicitur Jacob 4. v. 4. *Adulteri nescitis, quia amicitia hujus mundi inimica est Dei?* Hæc autem omnia determinavimus in capitulo, ubi ponuntur argumenta eorum contra doctrinam Ecclesiæ de diversis principiis dogmatizando.

HÆR. Ad idem inducunt illud Philip. 3. v. 8. *Omnia* (4) *detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Ecce quod Paulus fecit omnia temporalia & visibilia ista detrimentum existimari ab aliis exemplo sui; & non tantum nociva fecit ea existimari, sed etiam ipsemet existimabat ea fœtida & immunda. Dicit autem Hæreticus: non est credendum si ista temporalia essent Dei opera, quod Apostolus arbitraretur ea ut stercora.

CATH. Ad hoc dicimus quod Apostolus ibi loquitur de operibus legalibus, scilicet de Circumcisione, & aliis legalibus, quorum observantia post Christum nociva est; unde ad Galat. 5. v. 2. *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Item immunda, quia peccatum, unde ad Gala. 2. v. 18. *Si enim quæ destruxi, iterum hæc ædifico: prævaricatorem me constituo.* Et loquitur de legalibus sacrificiis, quæ destruxerat, id est post Christum non esse observanda probaverat. Posito autem quod loquatur de temporalibus istis, quod tamen non est verum: dico quod Apostolus, licet sint opera Dei, convenienter potuit ea arbitrari ut stercora ratione similitudinis, quia putribilia sunt. Et nonne videt Hæreticus quod Jeremias de operibus Dei ait cap. 9. v. 22. *Et cadet morticinum hominis quasi stercus super faciem regionis, & quasi fœnum post tergum metentis, & non est qui colligit.* Et quare non attendit illud Amos 4. v. 10. quod exprobrat Deus ovibus suis: *Ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras: & non redistis ad me.* Item non-

(2) Johannes Chrysostomus *Homil.* LXXXIII. *al.* LXXXII. *pag.* 496. *Tom.* VIII. *Opp. Edit. Paris. Montfaucon.* hoc idem Johannis ῥητὸν explicans: *Inde*, inquit, *hæretici occasiones arripientes*, λαβόντες ἀφορμὰς, *alienum ipsum, Christum dicunt a creatore.* Exagitat porro Manichæos, hujusce portenti adsertores, hoc argumento: *Quid ergo cum dicit*: in propria venit? *Quid cum*: Non sunt de mundo, sicut ego non sum de mundo? *sic & regnum suum dicit non hinc esse, non mundum privans imperio suo, sed ostendens, ut dixi non humanum, vel fluxum esse.*

[*] Deest in Vat.

(3) Refellit quoque Manichæos Chrysostomus *Hom.* LIII. *al.* LII. *In Joh. pag.* 310. quod hanc Johannis Evangelii pericopen in malam partem converterent, arbitrati Christum carnem numquam adsumpsisse, quippe quæ a malo principio profecta esset, eorum quidem sententia.

(4) Legem veterem hic a Paulo indicari, ac rejici putarunt veteres Manichæi, quos merito insectatur Chrysostomus *Homil.* XI. *in Epist. ad Philipp. pag.* 283. *pag. Edit. Montf. an.* 1734. Manichæis autem & Catharis prælusere Marcionis discipuli, si est Tertulliano adjungenda fides. *Libr.* V. *Contra Marcionem cap.* XX. *pag.* 486. sic enim habet: *quæ autem retro lucri duxerat*; Apostolus, *quæ & supra numerat, gloriam carnis, notam circumcisionis, generis Hebræi ex Hebræo censum, titulum tribus Beniamin Pharisææ candidæ dignitatem: hæc modo detrimento sibi deputat: non Deum, sed stuporem Judæorum. Hæc ac si stercora existimat, præ comparatione agnitionis Christi non præ rejectione Dei creatoris, habens justitiam, non suam jam, quæ ex lege, sed quæ per ipsum, scilicet Christum ex Deo.*

nonne videt quod creaturæ Dei nocivæ sunt abutentibus eis? Legitur enim Sap. 14. v. 11. *Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.* Istos appellat idololatras idola colentes, & servientes creaturæ potius, quam creatori, qui est benedictus in secula; Amen.

HÆR. Ad idem etiam inducere solent illud, quod dicit Apostolus in persona sui, (5) & aliorum Electorum 2. Cor. 4. v. 17. *Id enim, quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis,* 18. *non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt: quæ autem non videntur æterna sunt.* Ecce quod Electi Dei, ut dicit Paulus, transitoria non contemplantur, & per hoc volunt quod non sint a Deo bono.

CATH. Sed ad hoc dicamus: Quid appellas tu contemplari? Si videre oculis corporeis: non ne hoc modo contemplabantur ea? Utique. Quare ergo dicit: *non contemplantibus nobis quæ videntur, &c.?* Si contemplari appellas cogitare de eis: nonne Apostoli de eis cogitabant, quam vilia & quam caduca essent? Utique; alioquin de eis non judicassent, quod essent transitoria. Quomodo ergo sumit contemplari ipse Apostolus? Dico igitur quod pro intendere. Apostoli enim, & alii Electi cum patiuntur tribulationes pro Christo non intendunt, nec sperant remunerari suam patientiam de his visibilibus, sed de cælestibus. Meliora igitur intendunt, & sperant, quam sint ista temporalia visibilia: cælestia scilicet bona. Sed numquid propter hoc ista temporalia mala sunt, & a malo Creatore, vel Tutore fabricata, quia sperant alia, quæ sunt æterna? Absit. Quod autem pro æternis patiendum sit determinat Apostolus Rom. 8. v. 17. cum enim dixisset: *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi,* statim subjunxit: *si tamen compatimur, ut & conglorificemur.*

HÆR. Ad idem inducunt quamdam propositionem: Si causa invariabilis, & effectus ejus. Cum ergo ista visibilia sint variabilia, non potest esse quod caussa eorum sit Deus sanctus, & verus, qui invariabilis est.

CATH. Sed primæ propositionis falsitas evidentissima est etiam secundum eos in Angelis, qui fuerunt vertibiles a bonitate in malitiam, quos ipsi appellant, falso tamen, oves Israel.

Item secundum Philosophiam etiam vera non est. Philosophi enim per variabilia & mobilia venerunt in cognitionem unius principii, & unius motoris, qui ita movet, ut non moveatur. Item per cognitionem facti in cognitionem factoris, qui ita facit, ut a nullo fiat; per cognitionem compositi in cognitionem compositoris, qui ita componit, ut ipse incompositus & simplicissimus perseveret.

Præterea quod illa propositio sit falsa habetur Job 4. v. 18. *Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem.*

Præterea nonne David ad Dominum dicit psalm. 101. v. 27. *Mutabis eos, & mutabuntur,* ideft cælos: 18. *Tu autem idem ipse es,* id est immutabilis? Ergo ab Immutabili est mutabile, ab Indeficiente deficiens. Unde cum dixisset de cælis *ipsi peribunt,* id est deficient (sic enim legitur de sole Eccles. 17. v. 30. *Quid lucidius sole? Et hic deficiet*) postea David de Deo subdit: *& anni tui non deficient.*

§. II.

Quod res visibiles, & transitoriæ sunt a Deo Patre justorum.

NUnc ponamus testimonia pro parte nostra, quibus Fides nostra de creatione rerum visibilium & transitoriarum a Patre justorum comprobetur, & falsitas fictæ fidei Hæreticorum manifestetur.

Ad hoc autem inducimus primo loco illud, quod ipsi dicunt, scilicet corpora sanctarum animarum, quæ hic agunt pœnitentiam, esse in cælo prostrata, & mortua. Ergo illa corpora erant mortalia, ergo corruptibilia. Quis fecit ea talia, nisi Pater justorum?

Præterea credis tu Christum fuisse mortuum? Si dicas sic: ergo prius erat mortalis, ergo corruptibilis. Quis eum talem fecerit, nisi Pater justorum?

Item ad hoc induci potest illud Job 1. ubi legitur de pueris Job percussis gladio a Chaldæis, & Sabæis, & de ovibus ejus, ac pueris aliis igne consumptis. Item de filiis & filiabus ejus oppressis a domo ejus corruente propter ventum magnum venientem a regione deserti. Omnia ista corruptibilia erant, & tamen a Deo ea habebantur. Propter quod etiam Job ait eodem cap. v. 21. *Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Ex hoc patet quod Dominus noster Pater justorum non tantum permanentium, sed etiam transitoriarum rerum conditor est.

Præterea nonne dicitur Job 4. v. 19. *Qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea. Et de mane usque ad vesperam succidentur?* Nonne istæ domus luteæ, & terrenum fundamentum a Deo sancto sunt? Utique. Si autem consumentur & succidentur de mane usque ad vesperam nonne transitoriæ sunt? Quare ergo negas ipsum esse caussam rerum transitoriarum?

Vis autem videre, quod istæ terrenæ habitationes, de quibus Job loquitur, a Deo sancto sunt, & vero? Nonne dixit Job 10. v. 8. *Manus tuæ fecerunt me, &c.* usque *in pulverem reduces me?* Nonne idem dicit Isaias 64. v. 8. loquens ad Dominum: *Et nunc Domine, pater noster es tu, nos vero lutum: & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos?* Numquid non idem vult Apostolus Roman. 9. v. 21. *An non habet potestatem figulus luti, &c.?* Plura alia testimonia possent induci de Job ad

(5) Vide Chrysostomum *Homil. IX. in II. Epist. ad Cor. pag. 500. Tom. X. Edit. Montfauc. an. 1732.*

ad idem probandum, sed ea ad præsens voluimus pertransire.

Præterea nonne Isaias 64. v. 10. loquens de Jerusalem, & de Sion Dei boni dicit: *Sion deserta facta est, Jerusalem desolata est. 11. Domus sanctificationis nostræ, & gloriæ nostræ, ubi laudaverunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, & omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas?* Ista opera secundum te omnia sunt Dei boni, & nonne corruptibilia sunt, & transitoria teste Propheta? Multa etiam alia ad idem inveniuntur in Isaia, ut in principio dicit filiis Israel v. 7. *Terra vestra* deserta, civitates vestræ succensæ igni: regionem vestram coram vobis alieni devorant. Nonne vides Hæretice, id quod dicit Dominus per Jer. 9. v. 20. *Audite ergo mulieres verbum Domini: & assumant aures vestræ sermonem oris ejus: & docete filias vestras lamentum: & unaquæque proximam suam planctum. 21. Quia ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras, disperdere parvulos deforis, juvenes de plateis. 22. Loquere: Hæc dicit Dominus: & cadet morticinum hominis quasi stercus super faciem regionis?* Hoc autem testimonium hic introduco, & consimilia, quia Hæretici isti hæc intelligere volunt de cælestibus rebus esse dicta. Item Jonæ 4. v. 5. dicitur: *Egressus est Jonas de Civitate*, scilicet, Ninive, &c. usque *& exaruit, &c.* Ecce vides quod non omnia quæ fecit Deus, perseverant in æternum, immo transitoria sunt ab ipso. Simile habemus Jer. 45. v. 4; sic dicit Dominus: *Ecce quos ædificavi, ego destruo: & quos plantavi, ego evello, & universam terram hanc.* Item in Threnis 2. v. 2. *Præcipitavit Dominus, nec pepercit, omnia speciosa Jacob: destruxit in furore suo munitiones virginis Juda.* Ecce quod opera ejus destructibilia, & transitoria sunt.

Ad idem facit illud Matth. 5. v. 45. Qui (6) *solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super justos & injustos.*

Ad hoc autem dixit Hæreticus quod istud non intelligitur de sole visibili, sed de sole spirituali, de quo dicitur Malach. 4. v. 2. *& orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ*: similiter etiam & de pluvia verbi Dei. Quod autem de isto sole non intelligatur, volunt probare per hoc dicentes quod iste sol neque super bonos neque super malos oritur; nullus enim habitat ubi oritur sol.

Ad hoc dicimus quod duo falsa dixit Hæreticus. Primum est quod dixit, quod iste sol non oritur super bonos neque super malos. Secundum est istud, quod nemo habitat ibi, ubi sol oritur.

Ad quod melius videndum considerandum est quid appellet oriri, sive nasci. Constat enim quod non sumitur pro incipere esse; sic enim omni die inciperet esse, & omni die esse desineret. Si autem dicat immo oritur, idest incipit esse, licet non simpliciter, sed in parte Orientis. Sed nonne in partibus Orientis habitant aliqui homines? Nonne dicitur Isa. 43. v. 5. *Ab Oriente adducam semen tuum, &c.* Nonne Matth. 2. v. 1. *Ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam?* Pessime ergo dixisti in duobus prædictis verbis. Si autem dicat quod oriri idem est, quod apparere, vel lucere, vel elevare, patet manifeste falsitas Hæretici; multi enim habitant ubi sol lucet, apparet, & elevatur.

Præterea nonne dicitur Matth. 5. v. 45. *Qui solem suum oriri facit, &c.* dicit *facit* de præsenti Ergo & aliqui tunc boni, & aliqui mali. Sed qui erant boni, nisi Apostoli & Apostolici viri? Et si boni, ergo jam habebant Spiritum Sanctum, sine quo boni esse non potuissent.

Præterea nonne tibi videtur quod doctrina Christi de temporalibus sit? Nonne parum ante ibidem dixerat 39. *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: 40. Et ei qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium?* Quæ est ista tunica, nisi materialis? Quod pallium nisi materiale? Spirituale enim pallium non est dimittendum, neque tunica spiritualis, nisi velis dicere quod loquitur de tunica spirituali mala; sed ista non potest esse in Ecclesia sancti Dei, qui loquitur secundum te.

Præterea ibi dicitur 41. *Quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo & alia duo.* Isti passus materiales sunt; alioquin si essent spirituales, & boni, non angariarentur; quibus imponerentur. Si mali, non diceret Dominus: *vade cum illo & alia duo.* Item nonne dicit ibidem 42. *Qui petit a te, da ei: & volenti mutuari a te, ne avertaris?* Istud mutuum materiale est, ut patet Lucæ 6. v. 35. *mutuum date, nihil inde sperantes.* Quod non potest de mutuo spirituali intelligi, ut habetur in cap. Constat autem quod ibi loquitur Lucas de eodem cum Matthæo; monuit enim benefacere non tantum amicis, sed & inimicis, & qui hoc faciunt erunt *filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos, & malos.* Igitur doctrina Christi de materiali dilectione, de temporali mutuo, & de temporali beneficentia inimicorum consistit: atque hi sunt *filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos.* Et quomodo benignus sit, dicit Matth. 5. v. 41. quia *solem suum oriri facit, &c.* Ergo Matth. intelligit de sole materiali.

Præterea dicas mihi Hæretice: sol spiritualis numquid oritur super bonos & malos? Cui quæstioni respondit Hæreticus: utique super bonos oritur juxta Malac. 4. v. 2. *Et orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ.* Oritur etiam super ma-

(6) Hoc eodem argumenro utitur contra Gnosticos Origenes *lib.* II. *de Principiis cap.* IV. *pag.* 84. *Tom.* I. *Opp. Edit. Novæ Paris.* Non placuit hoc testimonium Marcioni. Itaque eradendum esse e suo non, ex Matthæi quod non probabat, Evangelio censuit. Auctore utor Tertulliano *lib.* II. contra Marcionem *cap.* XVII. *pag.* 390. *Totum ordinem*, inquit, *Dei judiciis operarium, & [ut dignius dixerim] protectorem Catholicæ, & summæ illius bonitatis ostendunt; quam semotam a judicariis sensibus, & in suo statu puram nolunt Marcionitæ in eodem Deo agnoscere, pluentem super bonos, & malos, & solem suum oriri facientem super justos & injustos: quod alius Deus omnino non præstat. Nam etsi hoc quoque testimonium Christi in creatorem Marcion de Evangelio eradere ausus est, sed ipse mundus inscriptus est, & omni a conscientia legitur, & erit hæc ipsa patientia creatoris in judicium Marcionis.* Vide & *lib.* IV. *cap.* XXXVI. *pag.* 453. & Irenæum *lib.* IV. *cap.* XXXVI. *pag.* 280. *n.* 6. & Cyrillum Hierosolymitanum *Catechesi* VI. *num.* XVI. *pag.* 97. *Edit.* Toutæi, qui contra Gnosticos, & Manichæos disputans hæc adhibet verba: *Qui alium dicit Patrem, aliumque opificem mundi, repugnat filio dicenti....* Qui solem suum oriri facit &c.

malos, & hoc est quando alicujus boni intelligentia in corde eorum nascitur. Sed numquid isti mali sunt de creatione? Dices: non, quia illis non potest oriri. Si de bona creatione: modo dicas illi: De quibus legitur Sap. 5. v. 6. qui dicturi sunt in inferno: *Ergo erravimus a via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis?* De qua creatione sunt? Si de bona: ergo aliqui de bona creatione erunt in inferno. Sed nonne dicitur quod in inferno nulla est redemptio? Ergo aliqui de creatione bona damnabuntur in perpetuum. Numquid & hoc vult litera Sapientiæ, quam induxisti cap. 4. v. 19. *Et erunt post hæc decidentes sine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum?* De illis loquitur, qui dicturi fuerant: *Erravimus*. Si autem erant de mala creatione: quomodo potest hoc esse? Numquid isti possunt errare a via veritatis? Non, quia non possent esse in illa via.

Præterea nonne dicitur Sap. 5. v. 3. quod *præ angustia spiritus gementes* erunt: *dicentes intra se, pœnitentiam agentes?* Et de quo pœnitebant, nisi de malo, quod fecerant? Si de hoc dolebant. Ergo volebant illud non fecisse: ergo volebant bonum. Quomodo autem hoc, si de creatione mala, & naturaliter mala? Nam contra naturam eorum erat velle bonum aliquod. Restat igitur quod de bona creatione essent, & mali, & tamen sol intelligentiæ, & lumen justitiæ non luxerit eis. Quomodo ergo tu audes dicere de sole spirituali, quod eis illuxerat? cum dicat Malach. *Et oritur vobis, &c.* & Matth. *Qui solem suum, &c.* de sole isto materiali intelligatur.

Præterea Sap. 5. v. 1. dicitur de illis malis: *Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, &c.* Si autem qui justos angustiaverunt sunt illi, quibus non luxit sol intelligentiæ, & lumen justitiæ, isti sunt, qui persecuti sunt sanctos & justos. Sed nonne dicit Dominus Matth. 5. v. 44. *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos*: 45. *ut sitis filii patris vestri, qui in cælis est*: *qui sedem suam*, &c. Ergo debent sancti diligere illos, qui de mala creatione sunt, & benefacere eis, & orare pro eis. Sed quomodo debent eos diligere, nisi volendo eis bonum, & facere si possunt? Sed non spirituale, quia illi non sunt capaces talis boni. Ergo debent eis velle temporale bonum, & facere si possunt, & orare pro eis, id est pro temporali bono eorum. Et quare? Ut sint filii illius, *qui solem suum oriri facit super bonos & malos*. Ergo sol venit pro sole.

Præterea orare debebunt pro temporali bono eorum: quæro: quem? Si Dominum Patrem, ut verum est, & non alium: ergo temporalia bona ab ipso. Et nonne hoc tibi videtur verum esse per illud Jer. 29. v. 7. *Quærite pacem civitatis*, id est Babylonis, *ad quam transmigrare vos feci*: *& orate pro ea ad Dominum*: *quia in pace illius erit pax vobis*.

Præterea dicit: *ut sitis filii, &c.* Ergo videtur quod possunt non esse filii ejus. Sed quomodo, si creati sunt ab ipso? Si autem dicat Hæreticus: *Filii*, id est imitatione; quare ergo ipse non exponit illud Jo: 8. *Vos ex Patre Diabolo estis*, scilicet per imitationem?

Si autem dicat quod non jubet Dominus omnes inimicos diligere, neque omnibus benefacere, aut pro omnibus orare, sed pro illis, qui sunt de eadem creatione: quomodo discerneret eos ab aliis inimicis? Utrique enim de exercitu uno sunt, scilicet Diaboli contra sanctos. Patet igitur ex his, quod Dominus de materialibus rebus loquitur ibi, & ita de sole materiali & visibili, qui lucet bonis & malis ex Dei mandato; atque ita benignus est, ut dicit Lucas, super ingratos & malos.

Ad hoc autem forte diceret Hæreticus, qui ponit unicum principium creationis, licet ponat duos factores, quod de sole materiali loquatur, & de pluvia materiali.

Contra. Nonne vides, quod dicitur: *oriri facit?* Ergo factura istius lucis materialis, & gyratio ista solis ab Oriente in Occidentem, & ab Occidente in Orientem est ab ipso præsentialiter. Ergo non fit a Diabolo. Non tantum igitur creatio, sed distinctio rerum, & temporum fit a Deo. Quare ergo audes dicere quod factura luminarium duorum, quorum unum præest diei, scilicet sol, & alterum nocti, scilicet Luna, a Principe tenebrarum fit, quem ponis operatorem operum sex dierum? Hoc enim de illis operibus est, scilicet destinatio diei, & noctis.

Præterea dicit quod *solem suum oriri facit*, id est lucescere. Quare ergo dicis quod illam lucescentiam habet sol, quia rapuit eam Adæ, ut habetur in cap. 1. v. 2. partis.

Ad idem Matth. 10. v. 28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*: *sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam*. Modo quæro: de quo corpore loquitur? Constat quod non de supercælesti, quia istud dictum est a Christo duodecim discipulis suis in hoc mundo inferiori, quorum corpora jam occisa erant secundum quod fabularis in Patria cælesti. Ergo non loquitur hic Dominus de corpore cælesti. De Ecclesia etiam non loquitur, quæ aliquando corpus Christi appellatur; istud enim corpus non est, nisi animæ fidelis secundum te. Dominus autem aperte distinguit inter animam & corpus in verbis prædictis. Restat igitur quod corpus veniat pro isto materiali corpore: quod si verum est: ergo istud corpus potestati Patris sancti subjectum est; ergo non est alterius creationis, quam suæ.

Præterea quod dicit eis: *timete eum, qui potest, &c.?* Nonne propter hoc vult eos a malo retrahere timore hujus mali; quod poterat eis evenire? Modo dicas mihi; si isti habebant hanc fidem, quam tu habes, scilicet quod ista corpora non resurgent ad supplicium habendum, ipsi numquam timuissent hoc malum incurrere, immo stetissent securi ad minus quoad corpus, & dixissent ei: Licet possis hoc facere, tamen scimus quod numquam facies, quia corpus istud non resurget; non timemus venire ad istud. Dominus autem non volebat quod de hoc securi

curi essent, immo volebat quod istud timerent; alioquin in vanum eis dixisset: *timete eum, qui potest, &c.* Ergo ipsi non habebant hanc fidem, scilicet quod ista corpora non resurgent.

Præterea volebat, quod timerent etiam istud, ne animam eorum perderet. Ergo poterat ita evenire. Ergo oves Israel non salvantur necessario.

Præterea quæ est illa gehenna, in quam potest perdere corpus & animam eorum? Si ista est Mundus ipse secundum te, jam perditi erant in ipsam, quia propter peccatum in cælo factum, huc dejecti erant ut in locum perditionis. Quare ergo dicit: *timete eum, qui potest, &c.* Immo debuisset dicere: qui perdidit.

Item ad idem valet illud Matth. 10. v. 29. *Nonne duo passeres asse væneunt, & unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro?* De quibus passeribus loquatur, patet quod de materialibus, qui humanis oculis subjiciebantur; sic enim vendebantur in Veteri Testamento, ut haberet Leprosus a lepra curatus ex præcepto sacerdotis quid offerret pro sui emundatione; unde legitur Lev. 14. v 4. *ut offerat duos passeres vivos pro se, quibus vesci licitum est.*

Si autem vis dicere quod de aliis loquatur passeribus, id est de spiritualibus, ostende aliquod testimonium, ubi de passeribus, quos dicis, legatur, & quod duo ex eis asse væneant, aut quo asse. Quod cum facere non possis, obmutesce, cum ego evidens testimonium habeam passerum, quos dico, & pretii, quod pro duobus passeribus datur. Si autem vis dicere, quod assis nomine pretium istud intelligitur, de quo 1. cor. 6. v. 20. dicitur: *Empti enim estis pretio magno*: quomodo stabit secundum te, qui præsens pro præsenti soles accipere, quod dicit Dominus: *duo passeres asse væneunt*, quando dominus, hoc dicebat, non vendebantur, immo tantum postea factum est?

Præterea non tantum duo, immo omnes passeres spirituales isto pretio empti sunt, nisi forte velles dicere, duos passeres animam & corpus, & sic corpus non erit a diabolo creatum, cum sit a Christo redemptum. Si autem duos passeres duos populos vis intelligere, patet quod male intelligis, quia Lucas tractans de eodem reponit, quod duo & dimidius dabantur pro asse uno; sic enim ait cap. 12. v. 2. *Nonne quinque passeres væneunt dipondio?* Dipondius autem est pondus ex duobus assibus compositum. Numquid duo Populi & dimidius dabantur pro illo asse? Quis enim est ille dimidius populus? Item qui sunt alii duo & dimidius, qui dabantur pro illo asse, & quis est alius assis? Sic oportebit dicere, quod duplex est Christus in pretium passerum datus.

Præterea quomodo stabit quod dicitur Luc. 12. v. 7. *Multis passeribus pluris estis vos*, cum ipsi tunc essent mali secundum te, qui ponis, quod nondum receperant spiritum Paracletum? Secundum me optime stat; vult enim dicere: si nutrit hæc minima volatilia, quanto magis vos?

Ad idem facit illud Matth. 13. v. 24. *Simile factum (7) est regnum cælorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo &c.* Quod exponit postea Christus dicens 37. *Qui seminat bonum semen est Filius hominis.* 38. *Ager autem est Mundus.* Ecce quod Satoris, id est Christi, dicitur esse Mundus. Quomodo, nisi quia creavit eum? Neque potes dicere Hæretice, quod mundus dicatur ibi ipsa Ecclesia, quia Ecclesia aliud non est, quam viri sancti secundum te maxime. Nonne vides quod in agro dicitur seminatum esse semen bonum, & quod dominus dicit 38. *bonum vero semen, hi sunt filii regni?* Non ergo idem intelligitur per agrum, sive mundum, & semen; sed per semen intelligitur Ecclesia, id est filii regni; ergo per agrum non intelligitur Ecclesia. Præterea si hoc esset, quod dicis, in Ecclesia essent zizania, & sic non esset sine macula, & ruga quod est contra te.

Præterea si hoc esset, quod ager, vel mundus diceretur Ecclesia, contra Christum præciperet Apostolus 1. cor. 5. v. 6. ubi loquitur de fornicatore, qui uxorem Patris sui violabat: *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* 7. *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova consperfio*, & quomodo hoc dixerat prius ibidem v. 2. *ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit.* Item ibidem v. 13. *Auferte malum ex vobis ipsis.* Dominus autem præcipit dicens Matth. 13. v. 30. *Sinite utraque crescere usque ad messem.*

Propterea dicunt ipsi Hæretici, qui duas ponunt creationes, quod agri nomine mundus superior intelligitur, non iste præsens mundus, quia in isto Mundo, & de isto unus dominus seminat, & alius colligit, sicut dixit Hæreticus, quia cum bonus homo fecerit pœnitentiam, & bonum finem, anima ejus vadit in sinum Abrahæ, & malus in morte vadit in infernum, ut habetur Lucæ 16. de Divite, & Lazaro. De illo autem dicunt datum esse præceptum *sinite utraque crescere usque ad messem.*

Sed contra Christus exponit parabolam discipulis dicens Matth. 13. v. 38. *Bonum vero semen hi sunt filii regni.* Zizania autem filii sunt nequam. 39. Inimicus autem, qui seminavit ea, est Diabolus. Messis vero, consummatio seculi est. Messores autem, Angeli sunt. 40. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur: sic *erit* in consummatione seculi. Nota quod dicit: erit de futuro loquens. Adhuc autem non est ista consummatio, sive finis seculi, ut patet Matth. 24. v. 7. Si igitur hoc mandatum, ut non colligerent zizania usque ad messem, datum est in superiori mundo; Ergo ibi adhuc sunt filii nequam, sive dæmones: quod incredibile est, licet quidam Hæreticus dixerit, quod adhuc tenent quasdam arces munitissimas in regno Patris justorum; alius autem dixerit quod dominus noster eos captivos tenet tamquam obsides, donec diabolus reddat eos, quos illi abstulit; sed isti visiones capitis sui loquuntur.

Præterea hoc est contra Johannem Apocalyps. 12. v. 7. ubi dicitur: *factum est prælium magnum in cælo: Michael, & Angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli ejus:* 8. *& non*

(7) Apposite Chrysostomus *Hom.* XLVII. *in Matth. pag.* 488. *Edit. Montfauc.* T. VII. *Cum enim,* inquit, *qui seminat ipse sit, & agrum suum seminet, atque ex regno suo colligat, palam est hunc mundum ipsius esse.* Vide Photium *lib.* II. *contr. Manich. n.* XI. *pag.* 194.

non valuerunt, *neque locus inventus est eorum amplius in cælo*. Hoc autem Hæreticus intelligit de cælo, id est de Patria celesti.

Aliam etiam rationem induxit Hæreticus ad probandum quod parabola Domini de præsenti mundo non possit intelligi, quia in Agro, id est in mundo Dei sancti, primo seminatum est bonum semen postea malum; hoc est primo *Filii regni*, postea *filii nequam*. Sed in hoc mundo prius seminatum est malum semen, scilicet serpens, Arbor scientiæ boni, & mali, Adam, & Heva: postea seminatum est bonum semen, scilicet filii Dei, & discipuli ejus.

Sed Hæreticus, qui hoc dixit, somnium locutus est, non rei veritatem. Non enim potest probare hoc, quod dicit, nimirum quod Adam, & Heva prius fuerint mali. Immo si attendamus quod Apostolus dixit de Heva 2. cor. 11. v. 3., patet quod prius boni fuerunt, dixit enim Corinthiis: *Timeo autem ne sicut serpens Hevam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri &c.* Item c. ad Tim. 2. v. 14. *Adam non est seductus*; *mulier autem seducta in prævaricatione fuit*. Modo quæro si Heva naturaliter mala, & semper mala fuit, quomodo potuit seduci? Constat quod nullo modo. Ergo si fuit seducta, prius fuit bona.

Præterea si vis dicere quod Heva seducta fuerit in prævaricatione, prius ergo non fuerat prævaricata: ergo prius bona.

Præterea si prævaricata est, cum ubi non est lex non sit prævaricatio, oportet quod ei data fuerit lex aliqua. Quæro: a quo? Si a Deo bono? ergo erat ejus creatura; aliter enim Deus non dedisset illi legem. Si autem a bono Deo fuit, ergo prius bona, quam mala. Si autem a malo Deo data est illi lex, contra quam venit: A Deo malo non est nisi lex mala; ergo fecit contra malam legem, ergo bonum fecit.

Præterea Hæreticus voluit quod malum semen prius in hoc mundo seminatum sit, scilicet serpens. Sed nonne iste serpens est ille, de quo dicitur Apocalis. 12. v. 19. *Serpens antiquus*, *qui vocatur diabolus*, *& Satanas*? Constat quod sic. Sed iste erat seminator mali seminis, scilicet zizaniorum, & non semen seminatum, ut patet in Evangelio. Male ergo Hæretice posuisti serpentem pro semine seminato.

Præterea dicas, si audes, quæ fuerit illa arbor, quam posuisti malum semen, & quis ejus fructus, quem Adam comedit? & patebit evidenter tua hæresis. Ego enim dico, quod bonum semen fuit, & non fuit alicui nociva, nisi quia male ea usus fuit, id est contra Dei mandatum Genes. 2. v. 17. *De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas*.

Aliam etiam rationem induxit Hæreticus ad probandum istud idem; quia bonum semen seminatum est in campo Patrisfamilias, id est Patris Christi. Christus autem dicit de hoc mundo Johan. 18. v. 36. quod ejus regnum non est de eo. Item Joh. 17. v. 9. *Non pro mundo rogo*. Item Joh. 14. v. 30. *Venit enim princeps Mundi hujus*.

Ad quæ omnia patet solutio per præcedentia, excepto illo verbo Christi Joh. 17. v. 9. *Non pro mundo rogo*, ubi hoc nomen *mundus* supponit pro mundo finaliter de dictis, quos bene cognoscebat Jesus, cujus oculis omnia nuda sunt & aperta, ut testatur Apostolus Heb. 4. v. 13. Pro his enim non rogavit, quia videbat eos ad pœnitentiam non redituros in fine vitæ suæ. Quod autem ad pœnitentiam non redirent, hoc erat, non quià natura eorum mala esset, sed ex sui arbitrii libertate.

Præterea dicas mihi Hæretice: servis Patrisfamilias dicitur Matth. 13. v. 30. *sinite utraque crescere usque ad messem*, *& in tempore messis dicam messoribus*: *colligite primum zizania*, *& colligate ea in fasciculos ad comburendum*, *triticum autem congregate in horreum meum*. Ecce quid dicit Paterfamilias illis: *sinite utraque crescere &c.* Item: *& in tempore messis &c.* Postea autem in hac parabola, ubi exponit eam Christus, dicitur v. 39. *Messores autem Angeli sunt*. Ergo isti servi non erant de generatione, vel natura angelica. De qua ergo erant? Quidquid dicat Hæreticus, nullo testimonio potest ostendere. Mihi autem non obstat, quod ponat duplicem generationem scilicet humanam, & angelicam participem fore divinæ plenitudinis.

Præterea dicit ibi se dicturum esse Messoribus: *Colligite primum zizania &c.* Boni ergo Angeli ignem illum in sua potestate habuerunt. Sed si hoc est: Ergo Satanas non est omnipotens in sua creatione, neque in aliena. Ergo non est omnipotens aliquo modo. Ergo non est unum principium per se.

Præterea ibi dicitur v. 41. *Et colligent de regno ejus omnia scandala*. Ergo in regno superiori sunt scandala: quod non potes ostendere aliquo testimonio.

Præterea si ibi sunt scandala, quæro: quibus sunt scandala? Numquid illis; qui sunt malæ creationis? Non; illi enim non possunt scandalizari. Si aliis: nonne alii boni sunt? utique, quia aliqui, qui seducti fuerunt, sunt super flumina Babylonis, ut dicis, sedentes & flentes, cum recordantur cælestis sion.

Sed contra. Nonne dicit David Psal. 118. 165. *Pax multa diligentibus legem tuam*: *& non est illis scandalum*? Ergo illis, qui steterunt, non sunt dæmones scandalo.

Præterea ipse Christus dicit, quoniam *messis est consummatio sæculi*. Messio fit de agro. Ergo si per agrum intelligitur illud sæculum, ut dicis, triticum meteretur de illo agro; Ergo non permaneret in illo mundo. Item si messis est consummatio sæculi, cum loquatur de messe in illo secundum te, ergo illud sæculum habebit consummationem; vel si de isto sæculo intelligitur; ergo istud sæculum est ager Dei, cum de ipso fiat messio, quæ non fit nisi de agro.

[*] Præterea si sit de hoc sæculo, cum fiat de regno Dei; ergo hoc sæculum est regnum Dei: quod patet per hoc, quod dicitur: *Et colligent de regno ejus omnia scandala*. Nec obstat quod dicitur Lucæ 1. v. 33. *& regni ejus non erit finis*, quia hic sumitur regnum a Luca pro Ecclesia; unde Apocalyp. 1. v. 6. *Qui fecit nos regnum*, *& sacerdotes Deo*,

[*] Desid. in Cod. Bon.

Deo, *&* *Patri suo*: ficut Johan. 18. v. 30. *Regnum meum non est de hoc mundo*. De fimilibus habes cap. 1.

Præterea dicitur ibi: *Messis vero consummatio sæculi est*. Cujus? Conftat, quod iftius. Quis ei finem imponet? diabolus non imponeret ei finem utpote regno fuo: fimiliter Deus fanctus non imponeret ei finem, quia non intromittit fe in rebus alienis. Unde ergo habebit finem, fi creatura Satanæ eft; mihi autem non eft contrarium, qui pono, quod Deus Sanctus ei finem imponet, ut traducat nos ad fuum regnum incorporale, de quo Heb. 12. v. 28. *Regnum immobile suscipientes, habemus gratiam, per quam serviamus placentes Deo cum metu & reverentia*. [*]

§. III.

Probatio Ecclesiæ quod Mundus iste est Patrisfamilias, id est Dei contra alios (8) *Catharos*.

Nunc contra alios Catharos prædictum verbum Domini in Matth. difcutiamus, in quo verbo patet, quod mundus ifte eft Patrisfamilias, id eft Dei. Sed quomodo fuus, fi non effet factus ab eo? Quod autem ab eo factus fit dici poteft, cum dicatur Joh. 1. v. 10. *mundus per ipsum factus est*. Patet etiam quod bonum femen prius fuit in agro hujus Mundi, quam zizania.

Præterea fecundum eos ante Chriftum, non fuit bonum femen in agro hujus mundi feminatum. Ergo ante Chriftum non fuerunt zizania; fed fola zizania damnabuntur, quia foli filii nequam: ergo nulli, qui deceffferunt ante Chriftum damnabuntur.

Præterea dicas mihi: quid eft feminare? Si dicas, quod verum eft, quod feminare eft jacere femen in aliquem locum, ut ibi multiplicetur, refpondeo: femen appellat Chriftus filios regni; agrum vero mundum iftum. Ergo in mundum hunc jecit filios regni, ut multiplicarentur: Sed quando factum eft iftud feminium? Si a principio Mundi: Qui fuerunt filii regni, quos jecit in mundum tamquam femen, ut multiplicarentur, nifi fpiritus Adæ & fpiritus Hevæ fecundum te? Quomodo autem multiplicatum fuiffet illud femen, nifi invicem conjunctum fuiffet carnaliter? Nullo modo. Quare ergo audes dicere illam conjunctionem non effe a Deo fancto & vero? Nonne tu venis contra verbum Domini Marci 10. v. 9. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*? Utique; nam eam conjunctionem & a Deo feparas, dicens eam non effe ab eo, & afferis illam conjunctionem tamquam rem malam effe diffolvendam.

Si dicas quod iftud feminium factum eft poftquam Chriftus venit: fic igitur neque triticum, neque zizania fuiffent antequam Chriftus veniffet. Ergo ante Chriftum nulli fuerunt, qui effent filii regni, aut filii nequam, quod falfum eft.

[*] Præterea fi hoc factum eft poftquam Chriftus venit in hunc mundum: dico tibi: nonne in hoc mundo prius mali, quam boni, prius zizania, quam triticum? Utique fecundum te. Quomodo ergo ftabit quod Dominus dicit Matth. 13. v. 25. *venit inimicus ejus, & superseminavit zizania*?

Præterea fi tunc factum eft: ergo tantum tum prohibita eft eradicatio, ergo prius non fuit mala. Ergo licitum fuit occidere antequam Chriftus veniret. [*]

Item Matth. 21. v. 1. dicitur: *Jesus misit* duos difcipulos 2. *dicens eis*: *Ite in Castellum, quod contra vos est, & statim invenietis asinam alligatam & pullum cum ea: solvite & adducite mihi*: 3. *& si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet*: *& confestim dimittet eos*. Iftud ad litteram effe factum nemo fidelis, qui textum Evangelii intuetur, dubitat. Si autem ifta afina & pullus ejus erant de creatione diaboli, aut factura ejus, mirum eft quod Dominus his opus haberet, aut quod effent ei neceffarii, ut Marcus ait cap. 11. v. 3. de pullo etiam mirum eft quod Dominus operam ejus defideraret. [*] Si autem vis ifta tantum fpiritualiter intelligere, hoc non poteft effe; quid enim per afinam, & quid per pullum intelliges? Secundum enim tuum pravum intellectum neceffe eft quod ifta fpiritualiter intelligantur; neceffe eft ergo quod & ligamen, quo ligata erat fpiritualiter intelligatur, fcilicet pro peccato, quo quis tenetur ligatus a diabolo. Neceffe ergo erit dicere, quod Apoftoli folverint homines a peccatis; ergo peccata remittebantur. Sed hoc fuit ante paffionem Chrifti. Tunc ergo ab Apoftolis remittebantur peccata: quod eft contra tuam fententiam.

Præterea dicitur ibi v. 7. quod *imposuerunt super eos vestimenta sua*. Quæ funt veftimenta ifta fpiritualia? Numquid tam ipfi veftimenta fpiritualia habuerunt, quæ aliis impofuerint? Non fecundum te, quia nondum, ut credis, habebant Spiritum Sanctum.

Præterea de pullo dicitur Marci 11. v. 2. quod *nemo adhuc hominum sedit* fuper eum; non autem fic dicit de afina. Ergo aliquam differentiam vult notare inter afinam & pullum, per hoc fcilicet quod aliquis hominum federat fuper afinam, fed nullus fuper pullum. Quid vero per homines Marcus intelligit? Numquid bonos homines? Si hoc eft: ergo nullus bonus homo umquam fpiritualiter fedit fuper illum pullum. Ergo ille pullus femper malus fuerat. Ergo fuerat de mala creatione. Quare ergo dicit Marcus quod domino neceffarius erat? Si autem homines in malo intelligas: ergo nullus malus umquam federat fpiritualiter fuper eum. Ergo femper bonus fuerat. Quomodo ergo ligatus erat? Si vis fume-

(8) Nempe de Concorrezo, & de Bajolo. Vide Reinerium Sachonum col. 1773. Hi vero Bafilidi affentiri videbantur. Is enim Deum unum ponebat, quem appellabat Patrem ingenitum: hunc autem condidiffe νοῦν feu mentem, a mente vero productum λόγον, feu fermonem: ab hoc prudentiam, a qua fapientiam, & fortitudinem prodiiffe dicebat; ex his autem virtutes; & Angelos ufque ad 365. arbitrabatur. Ultimi cæli angelos malos fuiffe, atque inferiora hæc procreaffe. Ergo Cathari ut Bafilides unum ingenitum Principium admittebant. Videt *Ittigium Differt. de Hæres. Sect.* II. *cap.* II. *n.* II. *&* VII. Vide quæ habet Ittigius idem de Carpocratianis *Differt. eadem Sect.* II. *cap.* III. *n.* IV. Verum hæc Catharorum de Concorrezo hærefis præformata eft ab ea Manichæorum, feu Maffalianorum factione, quam Bogomiliorum vocant. Vide Euthymium *Parte* II. *Panopl. Tit.* XXIII. *cap.* VI. *&* VII.

[*] Quæ duob. afterifcis continentur defid. in Cod. Bon & Vat.

[*] Quæ duobus afterifcis comprehenfa funt defid. in Cod. Neapolit. & Vat.

ſumere ipſum ut ligatum in bono: quomodo ergo auſi ſunt diſcipuli ſolvere illam ligaturam ſpiritualem? Et quæ ligatura ſpiritualiter bona eſt, niſi Caritas, de qua ad Coloſ. 3. v. 14. habetur, quod ipſa *eſt vinculum perfectionis*? ſolvebant igitur caritatem; Ergo male faciebant. Ergo Chriſtus male præcepit eis, ſcilicet ut ſolverent eum. Hoc autem conſtat eſſe falſum. Ergo id totum materialiter intelligitur. [*]

Item ad probandum idem induci poteſt illud Jo: 1. v. 3. *Omnia per* (9) *ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil*. Primo dicitur: *Omnia per ipſum facta ſunt*; & ne tu poſſes dicere quod *omnia* ſumat Johannes particulariter, ideo ſubditur: *& ſine ipſo factum eſt nihil*: quaſi dicat: nihil eſt, quod non ſit factum per ipſum. Loquitur autem ibi de ſubſtantiis, de ſeculis, & creaturis ipſorum ſeculorum, de quibus loquitur Apoſtolus Hebr. 11. v. 13. *Fide intelligimus aptata eſſe ſecula Verbo Dei*; hoc vero Verbum illud eſt, per quod Johannes dicit omnia eſſe facta.

Præterea quid appellat Jo: ibi *nihil*? Si ipſum malum: ſenſus ergo eſt: ſine ipſo factum eſt malum. Sed aut ſumis *nihil*, ſive malum, univerſaliter, aut particulariter? ſi univerſaliter: ergo omne malum factum eſt ſine ipſo: ergo omne malum eſt factum; ergo nullum malum, eſt primum principium. Si ſumis ipſum *nihil*, ſive malum particulariter: Ergo non omne malum factum eſt ſine ipſo; videtur ergo quod aliquod malum factum ſit ab ipſo, vel cum ipſo: quod eſſe non poteſt.

Præterea nonne dicit Chriſtus Jo: 8. v. 28. *cum exaltaveritis filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum, & a me ipſo facio nihil*. A ſeipſo igitur malum facit. Similiter opponas, ſi dicat Hæreticus quod per hoc ipſum *nihil* diabolus, vel mundus iſte ſignificetur; quia per illam auctoritatem Johannis oportebit dicere quod diabolus, vel mundus iſte ſit a Patre juſtorum, & per filium ſuum conditus ſit.

Et quia quidam auſi ſunt dicere quod ly *omnia* non dicit cauſalitatem, ſed contrarietatem, inducamus ad hujus erroris deſtructionem illud Hebræ. 1. v. 2. *Per quem fecit & ſecula*. Numquid contra ipſum fecit ea?

Item Rom. 11. v. 36.: *Ex ipſo & per* (10) *ipſum, & in ipſo ſunt omnia*. Numquid contra ipſum ſunt omnia, quæ ex ipſo, aut in ipſo ſunt? Quæ autem ſint illa omnia, quæ per Filium fecit Deus Pater, dico quod Moyſes determinat illa dicens Gen. 1. v. 1. *In principio creavit Deus cælum & terram &c.* uſque ad locum illum Gen. 2. v. 23.: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*. Hoc autem melius patebit, cum loquemur de Deo veteris teſtamenti. Iſtum autem Factorem & Creatorem venerantes Apoſtoli, & orantes dicebant Act. 4. v. 24.: *Domine, tu es, qui feciſti cælum & terram mare & omnia, quæ in eis ſunt*: 25. *Qui Spiritu Sancto per os Patris noſtri David pueri tui, dixiſti: Quare fremuerunt Gentes, & Populi meditati ſunt inania?* 26. *Aſtiterunt &c.* uſque *da ſervis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum*. Simile legitur Act. 14. v. 14. ubi Paulus & Barnabas dicunt quibuſdam volentibus eos adorare ut Deos: *Viri quid hæc facitis? Et nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cælum & terram & mare & omnia quæ in eis ſunt*.

Ad hoc dicit Hæreticus, quod in his auctoritatibus non agitur de cælo iſto viſibili; ſimiliter neque de terra aut mari viſibili, ſed de illo, de quo dicitur Apocalyp. 21. v. 1. *Vidi cælum novum, & terram novam*. Item 2. Petri 3. v. 13. *Novos vero cælos, & novam terram ſecundum promiſſa ipſius expectamus in quibus juſtitia habitat*. Et Iſa. 65. v. 7. *Ecce jam creo cælos novos, & terram novam*.

Sed contra primum teſtimonium, quod ex Apocalypſi inducit Hæreticus, ſic objiciendum eſt: Ibi dicitur quare novum cælum, & terram novam Johannes viderit; quia ſcilicet *primum cælum, & prima terra abiit, & mare jam non eſt*. Numquid iſtud cælum, quod Jo: appellat primum, creatum eſt a Deo juſto & ſancto? Si ſic: ergo non eſt Creator tantum rerum permanentium, ſed etiam tranſitoriarum. Similiter objice de terra & mari. Si autem hæc creata ſunt a Deo ſancto, juſto, & vero. Contra. Tu primum cælum, & primam terram, ac mare dicis eſſe iſta viſibilia oculis carnalibus: iſta adhuc non abierunt, immo adhuc permanent. Ergo falſum dixit Johannes.

Præterea cum iſta adhuc permaneant, illa nova adhuc non ſunt creata, quæ creanda ſunt, ut Johannis littera vult, poſtquam iſta abierint. Hoc etiam patet per litteram B. Petri Epiſt. 2. c. 3. v. 10. ubi dicit: *Adveniet autem dies Domini ut fur &c.* uſque *habitat* priuſquam ſit cælum novum, & terra nova. Nonne eodem cap. Apocalypſ. v. 4. *Quia prima abierunt*. 5. *Et dixit qui ſedebat in throno: Ecce nova facio omnia*? Dominus noſter non videretur dixiſſe verum, cum dixit Matth. 24. v. 35.: *Cælum & terra tranſibunt*.

M Præ-

(9) Conſulitor Irenæus *lib.* III. *Contra Hæreſes cap.* VIII. *n.* 3. *pag.* 183. & *cap.* XI. *n.* 1. *pag.* 188. & *lib.* I. *cap.* XXII. *num.* 1. *pag.* 98. & *Dialogus*; qui ſub Origenis nomine circumfertur, *contra Marcionitas, de recta in Deum fide Sect.* IV. *pag.* 850. *Tom.* I. *Opp. Origenis Nov. Edit.* qui perinde Johannis ῥητὸν contra hæreticos Marcionis, & aliorum gnoſticorum aſſeclas adhibet. Facit autem ad rem maxime, quod habet Cyrillus Hieroſolymitanus *Catecheſi* XI. *num.* XXI. *pag.* 159. *Conticeſcant, qui mundum aiunt Angelorum opificium* [ut Cathari Concorrezenſes diabolorum eſſe ajebant] *qui Unigeniti prærogativam invadere volunt. Sive enim viſibilia, ſive inviſibilia, ſive Throni, ſive Dominationes, ſive quidquid nomen habet, omnia per Chriſtum facta ſunt. Regnat filius in res a ſe factas: non aliena ſpolia rapiens, ſed propria in opera regnum exercens: Sicut Evangeliſta Johannes dixit*. Omnia per ipſum facta ſunt &c. Eodem recidunt, quæ habet contra Paulicianos Photius *lib.* II. *Adv. Manichæos num.* VII. *pag.* 163. *ſeq.* *Tom.* I. *Anecdot. Vvolfii*.

(10) Transfer huc quæ habet Tertullianus *lib.* V. *Contra Marcionem cap.* XIX. *ſeqq. pag.* 484. *Si diabolus creator eſt, quis erit diabolus apud creatorem? An ſicut duo Dei, ita & duo diaboli, & pluraliter poteſtates, & mundi tenentes? Sed quomodo creator & diabolus & Deus idem? Cum diabolus non idem & Deus & diabolus .... ſi non eſt Chriſtus primogenitus conditionis, ut ſermo creatoris per quem omnia facta ſunt, & ſine quo nihil factum eſt; ſi non in illo condita ſunt univerſa in cælis & in terris, viſibilia, ſive Throni, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive poteſtates, ſi non cuncta per illum, & in illo ſunt condita, hæc enim Marcioni diſplicere oportebat, non utique tam nude poſuiſſet Apoſtolus, & ipſe eſt ante omnes &c.* Conſule Euthymium *Panopl. Part.* II. *Tit.* XX. *pag.* 207. *col.* 1. *Bibl. PP. Tom.* XIX. *Edit. Lugdun.*

Præterea secundum litteram Johannis antiquius est cælum & terra & etiam mare Creatoris mali, quem falso ponis, quam cælum, terra, & mare Creatoris justi: quod est contra te.

Si autem vellet Hæreticus contra nos replicare quod diximus: Si primum cælum, & prima terra abiit, non verum dixit Christus, qui ait: *Cælum & terra transibunt*.

CATH. Respondeo quod Jo: prophetice loquitur ponens præteritum pro futuro *abiit*, id est abibit. Quod autem istud sæpe accidat in scripturis, ostensum est supra cap. 6. de prophetiis.

Præterea sicut dicit se vidisse cælum novum, & terram novam, ita dicit se vidisse extremum judicium, ut patet eodem capite. Hoc autem nondum impletum est.

Quod autem dicit Petrus Ep. 2. 3. v. 13. Novos vero cælos &c. inferius exponemus. Quod autem Isaias dicit expositum est supra cap. 3. ejusdem partis.

Præterea scio, quod per cælos novos spiritus, vel animas intelligis, de quibus exponis illud Psalm. 18. v. 1. *Cæli enarrant gloriam Dei*. Ergo secundum te Pater sanctus creat novos spiritus, sive animas novas: quod tu negare consuevisti, ut habitum est supra cap. 5. partis hujus.

[*] Item Apocalypf. 10. v. 2. vidit Johannes Angelum habentem *pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram*: 5. *& levavit manum suam ad cælum*: 6. *& juravit per viventem in secula seculorum, qui creavit cælum & ea, quæ in eo sunt, & terram & ea, quæ in ea sunt*: *Quia tempus non erit amplius*. Ecce quam diligenter visus est Angelus iste ostendere fidem Ecclesiæ Romanæ de universali Domino cæli, cum ad illum manum elevavit, & terræ, super quam sinistrum pedem posuit, & maris, super quod posuit dextrum; quasi diceret: Omnia ista sunt Domini mei.

Item ostendit fidem Ecclesiæ de juramento, & forma jurandi per viventem in secula seculorum manu ad librum apportata. [*]

Item Jo: 1. v. 10. dicitur de Christo: (11) *In mundo erat & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit*. Nonne duos mundos ponis superiorem unum, inferiorem alterum? Utique. Istud autem, quod dicit Jo:, de quo mundo loquitur? Numquid de superiori? Non, quia de illo venerat in illum, de quo dicit Jo: quod ibi erat; unde cum dixisset v. 1. *Et verbum erat apud Deum*, aliquibus interpositis dixit v. 14.: *Et verbum caro factum est, & habitavit in nobis*: *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre: plenum gratiæ, & veritatis*. Venit ergo de superiori mundo in alium mundum; ergo in istum inferiorem, cum non sint nisi duo. Ergo iste mundus inferior suus proprius est, cum dicatur ibidem v. 11.: *in propria venit*, quæ sunt iste mundus; unde ipse Christus dicit Jo: 16. v. 28. *Exivi a Patre, & veni in mundum*: *iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem*. Si autem vis per mundum intelligere Ecclesiam: hoc stare non potest, cum ipse dicat: *iterum relinquo mundum*. Quod de Ecclesia intelligi non potest, sive de mundo spirituali, cum ipse dicat Ecclesiæ Matth. 28. v. 20.: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*.

Præterea ipse tunc loquebatur discipulis suis de mundo, in quem venerat; non loquebatur igitur Ecclesiæ cum dicebat: Exivi a Patre, & veni in mundum. Mundus ergo, de quo loquebatur, non erat ipsa Ecclesia: alioquin sicut inceperat, & dixerat eis v. 27.: *Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis & credidistis, quia ego a Deo exivi*; *postea* dixisset: *Exivi a Patre, & veni in vos &c.* Item Jo: 1. v. 11. *In propria venit, & sui eum non receperunt*. Per *propria* dixi intelligendum esse mundum istum.

Hæreticus autem dixit quod non: imm o per *propria* intelligitur Christi Mater propter illud verbum B. Virginis Luc. 1. v. 38. *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*. Intellexit etiam per *propria* Templum Dei sanctum, id est Congregationem Fidelium, de quo templo dicitur 1. Corinth. 3. v. 17.: *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos*. Et ad hoc induxit illud testimonium Malach. 3. v. 1.: *Et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis &c.* est ergo sensus: ad suos venit, & sui eum non receperunt; postea tamen receperunt eum prædicante Petro Act. 2. v. 41. ubi dicitur; *Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt*: *& apppositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia*. Ecce, ut patet ex verbis Hæretici, sui eum non receperunt primo.

Secundum primum statum loquitur Johannes, cum dicit: in propria venit, & sui eum non receperunt: sed per *propria*, *& sui* intelliguntur B. Virgo, & Ecclesia; ergo B. Virgo non recepit eum primo.

Præterea dicitur per Malach. quod ipse veniet ad templum sanctum suum. Quomodo hoc esse potest, si non recipiebant eum? Immo erat non sanctum templum, sed profanum.

Ego autem tibi inveniam Templum sanctum, ad quod prius venit; Nam post illa verba Jo: *In propria venit* aliquibus interpositis dicit idem Jo: de Christo cap. 2. v. 13. quod ipse *ascendit Jerosolymam*: 14. *& invenit in templo vendentes boves, & oves, & columbas, & nummularios sedentes &c.* usque *domum nego-*

[*] Desid. in Cod. Neap. & Vat.

(11) Eodem recidunt, quæ habent Cyrillus Hierosolymitanus *Catech.* XI. *num.* XXVI. *pag.* 161. & Photius *libro* II. *Contra Manichæos n.* V. *pag.* 168. *Tom.* I. *Anecdotor. Vvolfii*. Is autem, quem posteriore loco nominavi Photius sic disserit. *Quem innuit mundum? Omnino sensibilem. Quando vero illuminavit? Cum in eum venit. Quando vero venit? Evangelium clamat*: in mundo enim erat, *inquiens; omnino enim in sensibili mundo existens, hominem in mundum sensibilem venientem illuminavit. Porro cujus fuerit creatura mundus, in quo & ipse erat, & venientem in illum illuminabat, non aliunde rectius discitur, quam ex ipsis verbis Evangelicis*. Mundus enim, inquit, per ipsum factus est, & mundus ipsum non cognovit. *Id quod simile est alteri illi*: in sua venit, & sui eum non receperunt. *Vides, quomodo veritas undequaque sibi testimonium ferat, & lux ejus magis magisque affulgeat ipsam quærentibus? Quandoquidem igitur Sanctissima oracula, & mundum hunc visibilem propria Servatoris vocant, & per eum factum esse pronunciant, & eos qui in mundum veniunt, non alium, quam ipsum illuminare confirmant, quomodo non contremiscunt homines, defectionis vera progenies, & mali Principii Filii, quando alium quidem mundi visibilis conditorem ferunt, alium vero eum, qui venientem in mundum illuminet, quemque substantiæ intelligibilis tantum opificem profitentur?*

negotiationis. Ecce quod de domo illa materiali, quæ quadraginta & ſex annis ædificata erat, dicit quod domus erat Patris ejus. Item dicitur Matth. 21. v. 12. quod *intravit Jeſus in templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes, & ementes in templo &c.* Item ibidem 13.: *Domus mea domus orationis vocabitur &c.* Quod autem de templo illo materiali intelligatur, oſtenditur in cap. de Deo Veteris Teſtamenti.

Nonne etiam vides quod Civitas Jeruſalem, ubi Templum erat, Civitas ſancta vocata eſt a B. Mathæo cap. 27. v. 52. propter templum ſanctum, quod in ea erat? Sic legitur ibi: *Et multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt.* 53. *Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem ejus, venerunt in ſanctam Civitatem & apparuerunt multis.*

Item Rom. 1. v. 20. *Inviſibilia* (12) *enim ipſius, a creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur.* Numquid per facta intelligit Apoſtolus iſta viſibilia? Si ſic; ergo fructus horum viſibilium bonus eſt, ſcilicet Divinorum cognitio. Ergo hæc viſibilia bona ſunt; *Arbor* enim *mala malos fructus facit*, ut habetur Matth. 7. v. 17. Si dicas, quod per facta non intelliguntur iſta viſibilia, dicas quæ ſunt illa, quæ intelliguntur per facta. Si dicas quod ipſa cæleſtia intelliguntur:

Contra. Nonne Apoſtolus de quibuſdam loquens probat eos inexcuſabiles de peccatis ſuis? Hoc certe patet in loco Apoſtoli Rom. 1., ſic enim ait v. 18. *Revelatur enim ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem, & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent*: 19. *Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis*: Supple per facta ſua, ſive opera; unde etiam ſubjungit 20.: *Inviſibilia enim ipſius &c.* id eſt a creatione mundi. Numquid iſti alia facta attendebant, quam ea, quæ univerſaliter videntur ab habitantibus in mundo iſto? Non. Numquid alia videbant, id eſt ipſa cæleſtia bona? Non. *Oculus enim non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum* 1. Cor. 2. v. 9. Vel ſi viderunt illa dicas per aliquod teſtimonium, quod illa viderint. Loquebatur ergo Apoſtolus de factis, ſive operibus, quæ in hoc mundo videntur.

Hoc etiam patet Sap. 13. v. 1., ubi dicitur: *Vani autem ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei: & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui eſt, neque operibus attendentes agnoverunt quis eſſet Artifex.* Ecce quod ipſi attendebant operibus, & tamen non cognoverunt artificem operum. Sed quibus operibus attendebant? Non potes oſtendere quod aliis, niſi illis, quæ videbant. Aliud autem non videbant, niſi iſta inferiora corpora, ſcilicet elementa & corpora cæleſtia, quæ liber Sap. ad minus ponit in parte. *Sed* (ibidem v. 2.) *aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aerem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut ſolem, & lunam, rectores orbis terrarum Deos putaverunt.* 3. *Quorum ſi ſpecie delectati, Deos putaverunt: ſciant quanto his dominator eorum ſpecioſior eſt &c.* uſque *creator horum videri.* Nota etiam quod dicitur: *Vani autem ſunt &c.* Nonne Apoſtolus hoc ipſum dicit de illis Rom. 1. v. 21.: *ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis?* Ecce etiam quod eorum, quæ videntur, appellat Sapiens, Patrem juſtorum Dominatorem & Creatorem. Item Rom. 1. v. 25.: *Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium &c.* uſque *qui eſt benedictus in ſecula.* Iſtud autem non inquirimus hic, quia in cap. de uno Creatore de hoc ſatis locuti ſumus.

Item Rom. 6. v. 19. Apoſtolus loquens (13) Eccleſiæ Romanorum, & unicuique de Eccleſia dicit: *Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.* Si membra tua poſſunt exhiberi juſtitiæ & ſanctificationi: ergo non ſunt a diabolo facta, vel creata. Et ne dicas iſtud intelligi de membris interioris hominis, vide quid dicat Apoſtolus infra cap. 12. v. 1.: *Obſecro itaque vos Fratres per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra &c.* Super qua auctoritate ſupradiximus & diſputavimus.

Præterea ſi Apoſtolus eos rogabat, vel monebat, ut ſicut exhibuerant &c.: ergo liberam habebant poteſtatem ad utrumque; ſi enim ad alterutrum neceſſario ſe habuiſſent, non habuiſſent ad alterum poteſtatem. Fruſtra ergo Paulus ſuaſiſſet, vel diſſuaſiſſet hoc illis.

Item 1. Cor. 6. v. 15.: *Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti?* Eccleſiæ Corinthiorum loquitur, quæ erat unum corpus; unde in eadem Epiſtola cap. 12. v. 27. dicit eis: *Vos autem eſtis Corpus Chriſti, & membra de membro.* Corpora igitur pluraliter ponit Apoſtolus in prædicta auctoritate pro materialibus corporibus. Si autem corpora materialia membra ſunt Chriſti, quomodo audes dicere quod ſint a diabolo creata, vel facta?

Præterea quod pro materialibus corporibus ſumat ibi corpora Apoſtolus, patet cum dicit ibidem: *Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? Abſit.* Alia enim membra in poteſtate meretricis non ponuntur. Loquitur autem de corporali meretrice; alia enim corpora, niſi iſta materialia, non fornicantur cum meretrice, niſi velis dicere meretricem ibi ſpiritualiter intelligi, ſicut Apocalyp. 17. v. 1.: *Veni oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas,* 2. *cum qua fornicati ſunt Reges terræ &c.* Sed ſi hoc eſſet, non diceret Apoſtolus 1. Cor. 6. v. 16. *An neſcitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus* *effici-*

(12) Pulchre Euthymius *l. c. Inviſibilia Dei*, inquit S. Paulus, *a creatura mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, Ea quæ facta ſunt, orbem ſignificant univerſum, & quæcumque ſub ſenſum cadunt. Hæc enim niſi eſſent boni, ſed mali, quomodo fieri poſſet, ut per illa cernerentur inviſibilia Dei, & ſempiterna ejus virtus & divinitas?*

(13) Tertullianus *lib. de Reſurrectione Carnis cap.* XLVII. *pag.* 333. poſteaquam hoc Apoſtoli ῥητὸν attulit: *Ita*, inquit, *per totam hanc ſenſuum ſeriem, ab. injuſtitia & delinquentia membra noſtra divellens, & juſtitiæ & Sanctimoniæ adjungens, & transferens eadem a ſtipendio mortis ad donativum vitæ æternæ, carni utique compenſationem ſalutis repromittit, cui nullam omnino competiſſet imperari propriam ſanctimoniæ, & juſtitiæ diſciplinam, ſi non ipſius eſſet &c.* Adeundi *Pſeudo-Origenes Dial. De recta in Deum fide contra Marcionitas, Sect.* III. *pag.* 837. *Tom.* I. *Opp. Orig. Edit. Nov.* & Johannes Chryſoſtomus *Hom.* XI. *in cap.* VI. *Ep. ad Rom. num.* 3. *pag.* 534. *Tom.* IX. *Edit. Montf. Paris.*

efficitur cum ea ? Immo unus ſpiritus malus cum ea, cum illa adhærentia non ſit corporalis, ſed ſpiritualis. Similiter etiam dicit ibi v. 17. *Qui autem adhæret Domino, unus ſpiritus eſt* propter adhærentiam ſpiritualem. Nonne vides etiam hoc, quod dicit Apoſtolus ibidem v. 16. : *Erunt enim duo in carne una* ? Si de ſpirituali fornicatione ageret, diceret: in ſpiritu uno.

Præterea quod non dicatur ibi de fornicatione ſpirituali patet per illud, quod ibi dicit Apoſt. v. 18.: *Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt: Qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat*. Si loqueretur de corpore Eccleſiæ male diceret Apoſtolus: *omne peccatum*, ſupple aliud a fornicatione, *extra corpus eſt*, id eſt non contra Eccleſiam: *Qui autem fornicatur, in corpus ſuum*, id eſt contra eam *peccat*.

Præterea ſi fornicatio ibi ſumeretur pro ſpirituali fornicatione, omne peccatum fornicatio eſſet. Ergo male ibi diſtingueret Apoſtolus inter peccatum & fornicationem.

Item Rom. 9. v. 18. Deus *cujus vult miſeretur, & quem vult indurat*. 19. *Dicis itaque mihi: Quid adhuc quæritur? voluntati enim ejus quis reſiſtit?* 20. *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit; Quid me feciſti ſic?* 21. *An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Quis ſit iſte figulus, habetur Iſa. 64. v. 8. ubi etiam dicitur de qua maſſa operetur: *Et nunc Domine Pater noſter es tu*, nos *vero lutum: & fictor noſter tu, & opera manuum tuarum omnes* nos. Et nonne vides Hæretice quod iſte eſt Deus, de quo dixit Apoſtolus: *Ergo cujus vult miſeretur &c.*? dicitur enim Iſa. 63. v. 17. ad ipſum: *Quare errare nos feciſti Domine de viis tuis: induraſti cor noſtrum*, ne *timeremus te*? Quæ eſt illa maſſa luti, de qua operatur figulus iſte, niſi illa, & ille figulus, de quo habetur Gen. 2. v. 7. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ*? Sed de hac maſſa fiunt viſibilia iſta, & tranſitoria, & qui hæc facit eſt Deus Veteris Teſtamenti. Ergo Deus Veteris Teſtamenti eſt Deus ille, de quo loquuntur Iſaias & Apoſtolus, & qui eſt Creator, immo etiam formator viſibilium & tranſitoriarum rerum.

Quod autem loquatur Iſaias de Deo Novi Teſtamenti, patet in fine cap. 64. ubi ponitur auctoritas, quam Apoſtolus introduxit de Deo novi Teſtamenti.

Item Rom. 11. v. 31. dicit Apoſtolus: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Quaſi dicat: nullus. Et ſubdit cauſſam v. 36. *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi gloria in ſæcula. Amen*. Iſtud ſcribit Apoſtolus Eccleſiæ Romanorum, & ex hoc argumentatur cap. 12. v. 1. dicens: *Obſecro itaque vos fratres per miſericordiam Dei: ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum*: quaſi dicat: ex quo omnia ſunt ab ipſo; ergo & corpora, ergo ei exhibete illa. De ſupercæleſtibus corporibus non loquitur, quia illa non erant tum in poteſtate Romanorum, immo ſecundum te per peccatum in cælo commiſſum ibi dereliquerant ea.

Præterea ſi dicas quod venit pro corporibus ſpiritualibus.

Contra. Corpus ſpirituale Eccleſia eſt; unica autem erat Eccleſia Romanorum, ergo unicum corpus erat. Nonne vides quod Apoſtolus de ſpirituali corpore ſubjungens ait v. 5. *Multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra*? Ecce hic ſingulariter ponit corpus, ubi de Eccleſia loquitur, quia unica eſt Eccleſia. Ergo cum dixit: *ut exhibeatis corpora veſtra, &c.* ibi venit pro materialibus corporibus, & non pro cæleſtibus, ut oſtenſum eſt. Ergo pro iſtis terrenis; ergo iſta a Deo ſunt, & ſunt ei exhibenda.

Præterea nonne dicit eis, quod exhibeant corpora ſua Deo? Ipſi igitur non erant illa corpora; ipſi enim non ſunt ſui; unde Rom. 7. v. 4. eidem Eccleſiæ ſcribens ait: *Itaque fratres mei & vos mortificati eſtis legi per corpus Chriſti: ut ſitis alterius, qui ex mortuis reſurrexit*. Idem habetur 1. Cor. 6. v. 15. *Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti?* Et v. 19. *An neſcitis quoniam membra veſtra, templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis a Deo, & non eſtis veſtri?* Vides ergo quod, cum dicit Apoſtolus: *ut exhibeatis corpora veſtra &c.* alia intelligit per corpora, quam illos, quibus ſcribit, ideſt interiores ſpiritus. Nonne vides quod Apoſtolus Rom. 6. v. 13. utrumque ponit: *Exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viventes: & membra veſtra arma juſtitiæ Deo?* Membra dicit manus, pedes, & alias partes corporis.

Item Rom. 14. v. 20. *Noli propter eſcam deſtruere opus Dei*. Conſtat quod de eſca materiali loquitur Apoſtolus; ſupra enim dixerat v. 15. *Jam non ſecundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus* eſt. 16. *Non ergo blaſphemetur bonum noſtrum*. 17. *Non eſt enim regnum Dei eſca, & potus*. Ecce quod de materiali cibo loquitur. Sed nonne poſtea ſubdit de iſtis cibariis v. 20. *Omnia quidem ſunt munda: ſed malum eſt homini, qui per offendiculum manducat?* Et quomodo munda ſunt, ſi a Diabolo facta, vel creata ſunt? Non ſunt igitur ab eo, ſed a Patre ſancto.

Nonne vides hoc idem ad Titum 1. v. 13. dicere Apoſtolum, ubi ait: *Increpa illos*, id eſt Cretenſes, *dure, ut ſani ſint in fide*, 14. *non intendentes Judaicis fabulis, & mandatis hominum averſantium ſe a veritate*. Quæ autem ſit illa veritas ſubditur. 15. *Omnia munda mundis*. Hoc autem non dicunt Judæi, ſed fabulantes aſſerunt quædam cibaria immunda, quos etiam in parte imitamini o Cathari, cibos aliquos tamquam immundos rejiciendo.

Item Epheſ. 3. v. 14. *Hujus rei gratia flecto genua* (14) *mea ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti*, 15. *ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur* 16. *ut det vobis ſecundum divitias gloriæ ſuæ, virtute corroborari per ſpiritum ejus in interiorem hominem*. Parum ante dixerat v. 8. *Mihi*

(14) Huc pertinent, quæ habet Cyrillus Hieroſolymitanus *Catecheſi* VIII. *n.* 5. *pag.* 114. *ſeq.*

Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, 9. *& illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo, qui omnia creavit*. Iste est ille, *ex quo omnis paternitas*, *&c.* Sed quid appellas tu ibi terram? Numquid istam terram inferiorem, vel terram viventium, cum omnia ponas duplicia? Si hanc terram inferiorem: ergo paternitas in hac terra a Deo est. Numquid ista est paternitas spiritualis, vel carnalis? Si carnalis: habeo propositum meum. Si spiritualis.

Contra. Nonne dicit Dominus Discipulis Matth. 23. v. 9. *Patrem nolite vocare vobis super terram?* Istud non potest intelligi de carnali paternitate; sic enim Paulus venisset contra mandatum Domini dicens Hebr. 12. v. 9. *Patres quidem carnis nostræ, eruditores habuimus*, *&c.* Ergo quod dixit Dominus: *Patrem nolite*, *&c.* de spirituali paternitate intelligitur. Ergo quod dicitur Ephes. 3. *ex quo omnis paternitas*, *&c.* de carnali intelligitur quoad illud, quod dicitur: *& in terra*.

Item Colofs. 1. v. 15. Apostolus de Filio Dei dicit: (15) *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ*: 16. *quoniam in ipso condita sunt universa in cælis & in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt*.

Sed Hæreticus istud tantum de cælestibus intelligit; atque hoc visus est probare per illud, quod ibi dicit Apostolus: *sive throni*, *&c.* Item per hoc, quod quædam invisibilia in hoc sæculo fiunt, quæ potius a Diabolo, quam a Deo creduntur, ut adulteria, & cætera vitia, quæ invisibilia esse Hæreticus ponit, licet eorum factores, vel effectus visibiles sint.

Nos autem dicimus quod istud, quod Apostolus dicit: *sive throni*, *&c.* non est adæquata expositio universorum, quæ in illa auctoritate continentur, sed unius partis tantum illorum universorum. Primo enim ponit unam divisionem illorum universorum, cum dicit: *in cælis*, *& in terra*: quasi dicat: Alia horum universorum sunt in cælis, alia in terra. Secundo ponit aliam divisionem eorum, quæ in cælis, & eorum, quæ in terra sunt, cum dicit: *visibilia*, *& invisibilia*: quasi dicat: eorum, quæ in cælis, & quæ in terra, alia sunt visibilia, alia invisibilia. Tertio ponit exemplum invisibilium cælestium, cum dicit: *sive throni*, *&c.* quia invisibilia extra visum posita incerta sunt, sed visibilia expositione non indigent; [*] *visibilia enim per se nobis sunt nota*; unde de eis non exemplificat Apostolus. Atque hic notandum est, quod in terra sunt visibilia, ut corpora ista, & in cœlo visibilia, ut Sol, Luna, & Stellæ, item invisibilia, ut throni, &c.

Ad aliud, quod dicit Hæreticus, quod quædam invisibilia in terra sunt, quæ potius a Diabolo sunt, non a Deo, bene concedo hoc; vitia enim a Deo non sunt, nec Apostolus de talibus loquitur, immo de substantiis a Deo creatis. Unde Christum dixerat primogenitum omnis creaturæ, id est omnis substantiæ: quod ideo probat, quia omnium caussa est; unde subdit v. 19. *Quia in ipso*, *&c.* Quasi dicat: ideo est ante omnem creaturam, idest substantiam creatam, genitus etiam ante Luciferum, ut dicit Deus per David psalm. 109. v. 3., quia *in ipso*, id est per ipsum, *condita sunt universa*, id est universæ creaturæ; accidentia enim non dicuntur creaturæ proprie, quia creatio est mutatio substantialis.

Nunc redeamus ad prædictam auctoritatem Apostoli disputando contra Hæreticum. Dixit Hæreticus, quod *universa* sumit Apostolus pro cælestibus tantum, & quod cælestia sint visibilia, & invisibilia voluit probare hoc testimonio Apostoli Rom. 1. v. 20. *Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi*: Ecce invisibilia ea dicit; postea dicit: *conspiciuntur*; & ita sunt visibilia.

Sed in hoc turpiter erravit. Nonne videbat, quod dicebat Apostolus: *intellecta conspiciuntur*? Non dixit tantum: *conspiciuntur*, *sed* addidit; *intellecta*, ut notaret, quod non conspiciuntur visu, sed tantum intellectu.

Præterea si vis dicere, quod invisibilia Dei conspiciuntur visu, non tantum intellectu, quomodo audet Apostolus ea dicere invisibilia, cum utroque modo videantur, id est visibiliter, & intellectualiter?

Præterea si eadem dicuntur visibilia & invisibilia, sicut ostendisti per testimonium Pauli ad Rom., quomodo audet Apostolus dicere visibilia, & invisibilia? Copulativa enim conjunctio non cadit, nisi inter diversa. Si enim velles dicere quod sumitur per expositionem; sic enim aliquando invenitur: ejusmodi expositio esset: ista visibilia, & per id etiam invisibilia. Si autem alia dixeris visibilia cælestia, & alia invisibilia cælestia: quomodo potest esse, quod aliqua sint ibi invisibilia alicui ibi existenti, cum Deus ipse ibi videatur ab omnibus, qui ibi sunt, qui omnibus altior est? Si autem vis dicere, quod non dicuntur invisibilia, nisi nobis, qui hic sumus, similiter & alia, quæ ibi ponis visibilia, sunt nobis invisibilia. Male ergo dicit Apostolus, cum dicit: *visibilia*, *& invisibilia*.

Præterea si non dicuntur invisibilia nisi respectu nostri, quomodo alia dicentur invisibilia? Numquid nobis? Non. Numquid alii, qui ibi sunt? Sic ergo omnia eadem sunt visibilia, & invisibilia, de quibus Apostolus loquitur: quod esse non potest, ut probatum est.

Præterea quod alia sint visibilia, & alia invisibilia secundum Apostolum palam est 2. Cor. 4. v. 18. ubi

(15) Commode transferri huc possunt, quæ fusius aliquanto persequitur *primo lib. Contra Marcionem cap.* XVI. *pagi* 373. Tertullianus. *Quis poterit inducere in animum, nisi spiritus hæreticus ejus esse invisibilia, qui nihil visibile præmiserit; quam ejus, qui visibilia operatus, invisibilium quoque fidem fecerit: quum justius multo sit aliquibus exemplariis adnuere, quam nullis? Videbimus, & Apostolus, cui auctori visibilia deputet, quum & illum exploraverimus. Nunc enim communibus plurimam sensibus, & argumentationibus justis, secutura scripturarum quoque advocationi fidem sternimus, confirmantes diversitatem hanc visibilium, & invisibilium adeo creatori deputandam, sicut tota operatio eius ex diversitatibus constat; ex corporalibus, & incorporalibus, ex animalibus, & inanimalibus &c.* Videtor Cyrillus Hierosolymitanus *Catecb.* XI. *n.* XXI. *pag.* 159.

[*] Vat. Invisibilia enim nota 5. alia nobis nota sunt per effectus suos.

ubi dicit in persona Electorum: non *contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt.*

Præterea cum dicit Apostolus: *In ipso*, & per ipsum *condita sunt universa, quæ in cælis, & quæ in terra*, de qua terra loquitur? Numquid de ista inferiori? Si hoc est, habeo propositum. Si de alia terra: numquid illa est cælestis terra? Hoc non poteris negare. Quæcumque ergo in illa sunt, in cælis sunt. Quare ergo Apostolus diversificat quæ in cælis, & quæ in terra? Omnia enim, quæ in terra illa sunt, in cælis sunt.

Præterea si per terram intelligis terram viventium, de qua dicitur Matth. 5. v. 4. *Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram.*

Contra per illam auctoritatem Ephes. 3. *Ex quo omnis paternitas, &c.* patet quod aliud est cælum, & aliud est terra; sed mitibus permittitur illa terra, cum dicitur: *Beati mites, &c.* Ergo mites non erunt in cælo, vel si erunt, erunt simul in diversis locis, quod est impossibile. Vel idem est cælum, & terra viventium: quod quidem verum est, sed dicitur terra propter stabilitatem; terra enim inter elementa stabilissima est, cælum autem propter claritatem; dicitur enim cælum quasi cælum, id est Casa Elois, hoc est Solis justitiæ, qui ibi lucebit Electis, non iste sol materialis; unde Apocaly. 21. v. 23. *Civitas non esset sole, neque luna ut luceant in ea. Nam claritas Dei illuminavit eum, & lucerna ejus est agnus.* Quod autem idem sit cælum quod terra illa patet, quia cælum patientibus promittitur, qui vere mites sunt: promittitur omnibus Pœnitentibus, Matth. 3. v. 2. *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum.* Auctoritas ergo præmissa non est intelligenda de terra viventium. Ergo de terra ista, & cum duplex sit terra, intelligitur ergo de terra ista; & ita habeo propositum meum, ut prius ostendimus.

Si autem Hæreticus objiciat illud 1. Cor. 4. v. 15. *In Christo Jesu per evangelium ego vos genui*, ad ostendendum quod spiritualiter potest quis appellare patrem suum super terram; respondendum est, quod licet eos genuerit, non tamen eorum pater est, neque fuit, sicut ipse iisdem Corinthiis dicit 2. Cor. 11. v. 2. *Despondi enim vos uni viro*, id est Christo. Non tamen sequitur quod esset sponsus Ecclesiæ Corinthiorum, immo solus Christus, ut dicitur Jo: 3. v. 29. *Qui habet sponsam sponsus est*; Et sicut Johannes non erat sponsus, sed amicus sponsi, ita etiam Apostolus non erat pater eorum, sed amicus, & minister illius, qui erat verus pater, unde ibi dicit v. 1. ad Corinthios: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi.*

Si autem dicat Hæreticus non esse simile, quia non dicit Apostolus: *despondi enim vos* tantum, sed addit: *uni viro.*

Respondeo. Immo ibi addit dicens: *In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui*; & non dixit tantum: *Ego vos genui, sed in Christo Jesu, &c.*

Item dicit Apostolus 1. Timoth. 4. v. 1. *Spiritus* (16) *autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a Fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, 2. in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, 3. Prohibentium nubere, abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis, qui cognoverunt veritatem. 4. Quia omnis creatura Dei bona est*: supple quantum est de creatione. Ecce quod Dominus creavit cibos, ut a Fidelibus perciperentur, a quibus *nihil est rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur*, id est manducatur: *nihil* dicit rejiciendum ut immundum. De cibis materialibus loquitur. Ergo ista materialia, quæ visibilia sunt & transitoria, a Deo Sancto & justo sunt.

Ad hoc autem dixit Hæreticus, quod istud verbum Pauli de nuptiis spiritualibus, & non materialibus intelligitur: similiter & de cibis spiritualibus. Dicit enim Hæreticus non esse illos, de quibus Apostolus ibi loquitur, & quod nos prohibemus nuptias spirituales fieri, cum prohibemus quod homines adhæreant Fidei ipsorum.

Item dicunt, quod nos præcipimus hominibus abstinere a verbis eorum, quæ sunt cibus animæ. Dicunt etiam quod hoc non potest eis convenire, quod Apostolus ait, quia potius m orerentur, quam vellent mentiri.

Quod autem prave locutus sit iste Hæreticus patere potest, si principium verborum Pauli attendatur: *Discedent quidam a Fide.* Nos enim non discessimus a Fide ipsorum; semper enim unam Fidem habuimus, & ab ista numquam discessimus. Neque possunt ostendere aliquo testimonio, quod ab eorum Fide discesserimus; sed fabulas, loqui possunt, & visiones capitis sui.

Nos autem e contrario possumus ostendere, quod a Fide nostra discesserunt; non dico, quod hoc velimus ostendere per paucitatem, quæ videtur notari in hac dictione *Quidam*, ut Hæreticus dixit in quodam suo tractatu, sed per inductionem hoc volumus ostendere procedentes a singularibus ad universale; demonstrato enim unoquoque eorum per se, nullo excepto, vel raro, quilibet eorum, vel fere quilibet a Fide nostra discessit, quia a Sacramentis discessit, quæ in Ecclesia Romana suscepit, sicut Baptismum, Confirmationem, & hujusmodi; Unde cum manus impositionem alicui faciunt, volunt, & faciunt, quod ipse promittat se nullam spem habere salutis in Fide Romanæ Ecclesiæ, vel ejus Sacramentis.

Quomodo etiam potuit dicere miser Hæreticus, quod nos ab ejus Fide discessimus, cum dicat Pharisæos nostros esse Progenitores? Pharisæi enim & Scribæ numquam ab eorum Fide discesserunt. Ergo neque nos.

Præterea, & in hoc locutus est in hypocrisi mendacium,

(16) Objecit hoc etiam Archelaus Manceti *Disp. n.* XXXV. *pag.* 61. *Agnosco*, inquit, *ex hoc, quod tuus iste sit ex illis, qui transformantur, de quibus manifeste vobis indicavit Vas Electionis Apostolus Paulus dicens:* Quia in novissimis temporibus recedent quidam a fide &c.... quoniam omnis creatura *bona est &c.* Consulendi Origenes *lib.* VIII. *Contra Celsum n.* 32. *pag.* 766. *Tom.* I. *Opp. Nov. Edit.* & Johannes Chrysostomus *Hom.* XII. *in Ep. ad Timoth. n.* 1. *pag.* 610. *Tom.* XII. *Opp. Edit. Montfauc. Parisio.*

dacium, quod dixit eos noſtros Progenitores; ipſi enim neque in carne, neque in doctrina Fidei nos genuerunt: numquam enim eorum Fidem, id eſt Phariſæorum, habuimus.

Quod autem dixit Hæreticus hoc verbum Pauli de ſpiritualibus nuptiis intelligi, iſtud differimus ad tractatum de matrimonio;tantum in præſenti dicentes, quod, ſi de ſpiritualibus nuptiis, & ſpiritualibus cibis Apoſtolus loqueretur, non diceret: *Spiritus autem manifeſte dicit*, immo vero occulte. Item nos non prohibemus, ne aliqui Fidei eorum copulentur: non prohibemus nuptias ſpirituales, ſed potius adulterium ſpirituale, ut patebit in tractatu de matrimonio.

Ad illud autem, quod dicit Hæreticus nos prohibere homines a verbis eorum, quæ cibus ſunt animarum, dicimus quod non ſunt cibus, ſed venenum.

Ad aliud quoque, quod dixit Hæreticus verbum Pauli ſibi non convenire: *in hypocriſi loquentium mendacium*, quia pro nulla re mentiretur: dico quod in hoc ipſo mentitur, ut dicit Apoſtolus, quia dicit abſtinendum eſſe ab aliquibus cibis, alioquin impoſſibile eſt ſalvari.

Diximus ſuperius verbum Apoſtoli de materialibus cibis, non de ſpiritualibus intelligi: quod hoc modo volumus oſtendere. Dicas mihi: quid appellas tu ipſe cibum? Si dicas Dei verbum propter illud 1. Timoth. 4. poſt illa verba: *Spiritus autem manifeſte &c.*, ubi Apoſtolus dicit, quod Timotheus *enutritus erit verbis Fidei, & bonæ doctrinæ*; quomodo poteſt hoc ſtare, cum verbum Dei ſemper ſit ſanctum abſque omni oratione?

Præterea quomodo poteſt hoc eſſe, quod verbum Dei ſanctificetur per verbum Dei, & orationem?

Quandoque etiam per cibum intelligitur Dei voluntas; unde Jo: 4. v. 34. dicit Chriſtus: *meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me*. Numquid Paulus per cibos Dei voluntatem intelligit, loquens de præcipientibus abſtinere a cibis? Si dicas ſic; quomodo poteſt hoc eſſe, cum Apoſtolus dicat: *Nihil rejiciendum &c.* Ergo de cibo dicit Apoſtolus, quod ipſe *ſanctificatur per verbum Dei, & orationem*. Voluntas autem Dei ſemper fuit, eſt, & erit ſancta, & numquam per verbum, vel orationem aliqua fit ſancta.

Dixit autem Hæreticus ille, quod per cibos intelligit Apoſtolus homines, quos Deus creavit; & hoc voluit habere per illud Actor. 10. v. 11. ubi Petro oſtenſum eſt *vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis ſubmitti de cælo in terram*. 12. *In quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cæli*. 13. *Et facta eſt vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca*. 14. *Ait autem Petrus: abſit Domine, quia numquam manducavi omne commune, & immundum*. 15. *Et vox iterum ſecundo ad eum: Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris*. Iſtos dixit ſignificari per cibos, & per creaturam in Authoritate Apoſtoli 1. Timoth. 4.

Ad hoc autem dicimus, quod etſi homines poſſint dici cibus ſecundum Scripturam Act. Apoſtolorum, non tamen in Authoritate Apoſtoli ſic ſumitur cibus, ſed pro carnali cibo; unde dicit v. 3. *Quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis, qui cognoverunt veritatem Dei*. Ad percipiendum dicit, hoc eſt ad manducandum, & dicit a quibus, nempe a Fidelibus, ſupple, Doctoribus. Quod autem ita exponi debeat patet 2. Timoth. 2. v. 1. ubi Apoſtolus dicit Timotheo: *Tu ergo Fili mi confortare in gratia, quæ eſt in Chriſto Jeſu*: 2. *Et quæ audiſti a me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere*. Sequitur: *& iis, qui cognoverunt veritatem*, id eſt a diſcipulis veritatis, qui a veritate auditum non avertunt, nec convertuntur ad fabulas Judaicas. Quæ vero ſit illa veritas ſubjungit Apoſtolus dicens v. 4. *Quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum*, id eſt nullum genus cibi, qui percipitur, ſive manducatur cum gratiarum actione, rejiciendum eſt ut immundum. Modo reſpondeas mihi: Dictum eſt Petro: *Occide, & manduca*, homines ſignificatos per illa animalia ſecundum Legem Moyſis immunda; ſignificabant enim ipſi Petro Gentiles immundos, quos gladio debebat occidere, hoc eſt gladio verbi Dei. Item debebat eos manducare, hoc eſt verbo doctrinæ ad Chriſtum convertere, & in eorum converſione ſicut in cibo delectationem habere. Doctores ergo ſunt qui edunt; Diſcipuli autem cibus eorum. Cibus autem ille, de quo loquebatur Apoſtolus, edebatur a Doctoribus, quos fideles appellat eidem Timotheo loquens. Item edebatur a Diſcipulis, quos appellat cognoſcentes veritatem Dei per doctrinam Magiſtrorum, qui non avertunt auditum a veritate, quam audiunt ab eis, neque convertuntur ad fabulas coacervantes ſibi magiſtros prurientes auribus, ut quidam alii, de quibus Apoſtolus *loquitur* 2. Timoth. 4. Dico igitur: Cibus, de quo Apoſtolus loquitur, manducatur tam a magiſtris, quam a diſcipulis; cibus autem, quem tu ponis per Act. Apoſtolorum non manducatur niſi a magiſtris: ergo ille cibus, de quo loquitur Apoſtolus, non eſt ille, de quo agitur in actis Apoſtolorum. Unde cum non ſit etiam verbum Dei, neque ejus voluntas, reſtat quod ſit cibus materialis. Quod etiam hoc modo poteſt fieri manifeſtum. Nonne vides quid dicat Apoſtolus 2. Timoth. 4. v. 3. *Erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus*. 4. *Et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur*. Quæ autem ſint hæ fabulæ dicit Apoſtolus ad Titum 1. v. 10. *Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & ſeductores: maxime qui de circumciſione ſunt, ideſt de Judæis*: 11. *Quos oportet redargui*. Et poſt pauca ſubdit v. 13. *Quam ob cauſſam increpa illos dure, ut ſani ſint in Fide*. 14. *Non intendentes judaicis fabulis, & mandatis hominum, averſantium ſe a veritate*. 15. *Omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus nihil eſt mundum*. Ecce quod dicit omnia eſſe munda mundis: quod idem eſt ei, quod Apoſtolus dixit 1. Timoth. 4. v. 4. *Omnis creatura Dei bona eſt*, id eſt munda, *& nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur*. Hæc eſt veritas, a qua quidam, quibus in hoc ſimilis es Hæretice, auditum avertunt, & convertuntur ad fabulas judaicas. Judaicæ autem

autem fabulæ in hoc erant, quod aliqua cibaria materialia essent immunda, ut innuit Apostolus ad Titum in auctoritate prædicta, ut etiam innuit Rom. 14. ut supra diximus. Ipsi enim Judæi de cibis spiritualibus non loquuntur, sed de carnalibus tantum.

Præterea ostende mihi testimonia Scripturæ, quibus appareat aliquem cibum sumi cum gratiarum actione, excepto materiali. Ego equidem tibi ostendam de materiali cibo Rom. 14. v. 6. ubi dicit Apostolus: *Qui manducat, Domino manducat: gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo.* Quod autem ibi sermo fiat de materiali cibo ostensum est prius in argumento facto supra illam auctoritatem Rom. 14. v. 20. *Noli propter escam &c.*

Ad hoc verbum Apostoli; quod diximus de materialibus cibis intelligi, contrarium objicit Hæreticus. Apostolus enim dicit, quod *omnis creatura Dei bona est, & nihil*, id est nulla creatura ejus rejicienda est. Ergo transgressor es o Romane coram me, qui aliquam creaturam, ut canem, vel Asinum, & de agno aliquid, scilicet ossa, & de bove cornua rejicis.

Ad hoc respondeo. Quod Apostolus dicit, *nihil rejiciendum* non sic est intelligendum: nulla creatura materialis, sed nulla creatura comestibilis.

Probatio. Non dicit tantum: *nihil rejiciendum*, sed addit: *quod cum gratiarum actione percipitur*, id est quod est manducabile cum gratiarum actione. Sed illa, quæ induxisti, non sunt comestibilia.

Præterea de cibis prædixerat: *quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis, qui cognoverunt veritatem.* Unde quod postea subdit: *& nihil rejiciendum* intelligendum est nullum genus cibi.

Item ad hoc, quod contra objicit Hæreticus dicens: Si Apostolus de materialibus cibis loquitur, contrarius sibi est, qui dicit 1. Cor. 8. v. 13. *Si esca scandalizat fratrem meum: non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.*

Ad hoc dico, quod loquitur de carnibus immolatis idolis, ut ibi patet, non de omnibus carnibus. Posito etiam, quod de omnibus intelligeretur; quare non attendis, quia non dixit absolute: *non manducabo carnem in æternum*, sed cum conditione, & in casu aliquo, scilicet *si esca, &c.* Remota autem hæc caussa removetur effectus. Unde patet, quod bene poterat carnes comedere, dummodo Frater suus de esu ejus non scandalizaretur.

Ad idem etiam objicit Hæreticus, quod Apostolus si de carnibus cibis intelligit, cum dicit: *nihil rejiciendum, &c.* contrarius est aliis Apostolis, qui dicunt Act. 15. v. 28. *Visum est enim Spiritui Sancto, & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria: 29. ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato.*

Ad quod dico, quod non est contrarius Apostolis, quia Apostoli in præcedentibus verbis non prohibuerunt omnes carnes, sed immolatas simulachris, quod & Apostolus facit Rom. 14. v. 21. & 1. Cor. 8. v. 8. Unde quod dicit Apostolus: *nihil rejiciendum est, &c.* intelligitur sic: nullum genus cibi, nisi esset immolatus idolis, & maxime cum scandalo Fratris; unde 1. Cor. 8. v. 10. *Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam in idolis recumbentem: nonne conscientia ejus, cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta?*

Item objicit Hæreticus, quod si de materialibus cibis intelligit Apostolus, dator legis, id est Moyses attendebat spiritus Dæmoniorum, quia prohibebat cibos quosdam, quos nos dicimus ab Apostolo concessos.

Respondeo. Prave loqueris Hæretice, quia illa prohibitio Moysis ad tempus data est, Rom. 10. v. 4. *Finis enim legis, Christus, ad justitiam omni credenti.* Nec mirum si Moyses, immo Deus per ipsum dedit præcepta ad tempus; quia Christus uno tempore prohibuit quod alio tempore concessit.

Item Hebr. 1. v. 10. Ponuntur verba Prophetæ ad Dominum: (17) *Et Tu in principio Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli. 11. Ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes ut vestimentum veterascent: 12. & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Ecce quod boni Dei opera peritura sunt, & vetustati subjectabilia, & mutabilia.

Ad hoc dicunt, quod istud intelligitur de Angelis, de quibus (ut dicunt) Apostolus ait Hebr. 2. v. 5. *non enim Angelis subjecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur.*

Hoc autem dato, quod verum non est: nihilominus tamen habeo quod creaturæ Dei boni mutabiles sunt, & vetustati subjicibiles. *Quod autem antiquatur, & senescit, prope interitum est*, ut dicit Apostolus Hebr. 8. v. 13. Ergo creaturæ Dei boni possunt interire, & sic desinere esse.

Præterea de quibus Angelis loquatur ibi, ubi dicit: *Non enim Angelus, &c.* evidenter declarat Apostolus Hebr. 2. v. 6., cum dicit: *Testatus est autem in quodam loco quis, dicens: Quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis: quoniam visitas eum? 7. Minuisti eum paulominus ab Angelis.* Constat quod ab Angelis, qui perierunt, eum non minorasset Deus Pater. Ergo de Angelis stantibus intelligitur, a quibus in modico minoratus est in eo, quod passibilis factus est, & mortalis. In hoc enim

(17) Hoc eodem argumento vexat Paulicianos Photius *lib.* 1I. *n.* x. *pag.* 185. *Porro*, inquit, [*attendite surdi, & videte cæci*] *Addit enim*: Tu vere a principio, domine, terram fundasti &c. *Quod si ita in spiritu prædixit qui Dei Pater est, David, obsignavit autem arcanis sacris initiatus, & initians alios Paulus, quod scilicet Veteris Testamenti Deus idem est, & Domini nostri Jesu Christi Pater, idemque Thronum sui natura filii in seculum seculi firmavit, & omnium Angelorum Ordines, progeniei suæ adoratores, & famulos constituit, immo qui idem, & non alius, terram fundavit: & cujus manuum opera cæli sunt, nonne omnem impietatem in sinu reconditam habent, qui alium quidem Patrem Domini nostri Jesu Christi, alium vero Cæli & terræ conditorem fingunt, conditori creaturas suas auferentes, easdemque zizaniorum Satori vindicantes.*

enim minuit; ergo mortalitas, & passibilitas a Deo sancto est.

[*] Præterea ad Filium sermo dirigitur: *Et Tu in principio, &c.* Cæli ergo sunt opera manuum ejus, id est Angeli. Quomodo ergo minor eis secundum te, qui eum Dominum non ponis?

Præterea: *ipsi peribunt*, hoc intelligunt tantum de cælis, id est de populo cælesti, ego autem de cælis ad sonum litteræ: Ipsi hoc intelligunt de cælis, & non de terra, ego de utrisque.

Probatio meæ sententiæ habetur Isa. 51. v. 16. *Levate in cælum oculos vestros, & videte sub terra deorsum: quia cæli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur, & habitatores ejus sicut hæc interibunt.* 2. Petr. 3. v. 3. *Venient in novissimis diebus in deceptione illusores, &c.* [*]

Præterea nonne ista prophetia de futuro est? Constat quod sic. Dicas mihi: ubi, & quando facta est? Numquid ante peccatum Angelorum? Utique oportet te dicere; alioquin mentitus fuisset, cum prophetia de futuro intelligenda sit de futuro, & maxime secundum te. Ista igitur prophetia impleta est quando Angeli peccaverunt. Sed per verba Prophetæ possum tibi ostendere contrarium. Nonne dicit Propheta psalm. 101. v. 4. quem unum de Angelis ponis: *Quia defecerunt sicut fumus dies mei: & ossa mea sicut cremium aruerunt?* Si istud fuit ante peccatum Angelorum, oportet te dicere, cum istud de præterito ibi dicatur, & istud, quod dicitur de peccato Angelorum, de futuro dicatur, videtur ergo quod opera Dei boni, scilicet dies ovium suarum defecerunt, & ossa earum aruerunt. Non est ergo creator tantum permanentium, sed & transitoriarum rerum.

Item nota quod dixit v. 5. *Percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum, &c.* usque *& ego sicut fœnum arui.*

Præterea nonne ibi dicitur v. 20. *Prospexit de excelso sancto suo: Dominus de cælo in terram aspexit:* 21. *ut audiret gemitus compeditorum: ut solveret filios interemptorum?* Isti ergo compediti erant, & gementes de hoc, immo & interempti. Hoc autem de Angelis intelligis, licet falsum sit. Ergo quod sequitur v. 26. *Initio tu Domine terram fundasti, &c.* non intelligitur de Angelis peccantibus, sed secundum quod littera sonat de cælis, & terra materialibus.

Præterea si de Angelis intelligis, quos dicis salvandos: Ergo non peribunt; salvandi enim non peribunt.

Si dicas mihi, quod perire ibi dicitur, a Deo cæli, & cælo ejus abire: unde hoc habes?

Sed quoniam Hæreticus quidam contra hoc opposuit dicens: Tria ponit Apostolus, & dicit. Primo de cælis & terra, quia peribunt. Secundo quod veterascent. Tertio quod mutabuntur. Et postea subjunxit Hæreticus: Incredibile est, quod postquam præsentes cæli & terra perierunt, veterascant, vel mutentur.

Ad quod facile est respondere, & contra eum replicare. Simile dico tibi Hæretice: Et credibile est quod postquam Angeli Dei peribunt, veterascent, aut mutabuntur? Quod enim dicis ad ostendendum, quod Angeli perierunt Matth. 15. v. 24. *non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt Domus Israel.* Item Lucæ 34. v. 16. *Quod perierat requiram.* Item quod de eisdem Angelis inducis Baruch 3. v. 10. *Quid est Israel quod in terra inimicorum es?* 11. *Inveterasti in terra aliena, &c.* ad probandum, quod Angeli veterascant. Item quod de eisdem inducis testimonium Apostoli 1. Cor. 15. v. 52. *Mortui resurgent incorrupti: & nos immutabimur:* Ista, inquam, omnia, & consimilia nullo testimonio potes ostendere dicta esse de Angelis illis, sicut supra ostensum est cap. 3. hujus partis. Dico ergo quod illa tria dicta sunt de materialibus cælis, & materiali terra; peribunt enim, ut dicit Apostolus, & Propheta.

Quod autem dicis: incredibile est, &c. Dico ego quod Apostolus, & Propheta, qui ponunt, tria verba prædicta de cælis & terra, non intelligunt, sicut dixisti, quod cæli primo pereant, & postquam perierunt veterascant, & postea mutentur; sed per duo verba præcedentia unum & idem intelligitur, scilicet deficere, sicut res, quæ perit, veterascit, & deficit, & de esse ad non esse tendit. Et per cælos intelliguntur cæli aerei, & ipse aer, ut dicetur inferius, ubi etiam exponemus qualiter elementa transitura sunt, & dissolvenda. Per hoc autem, quod dicit Propheta: *mutabuntur*, intelligitur quando reformabuntur in melius. Nonne etiam ex ore tuo, quo ponis cælos ibi dici Angelos (falso tamen) possum ostendere, quod mutari sit in melius reformari? Ad hoc enim probandum induxisti verbum Apostoli 1. Cor. v. 15. *mortui resurgent incorrupti: & nos immutabimur.* Nonne hoc testatur Propheta dicens psalm. 103. v. 30. *& renovabis faciem terræ?*

Si Apostolus in persona sua, & aliorum Electorum secundum te dicit: *Et nos immutabimur*, nos scilicet, qui perivimus, & inveterati fuimus; ergo Apostoli adhuc non erant innovati, quia non erant ab illa vetustate mutati.

Contra 2. Cor. 5. v. 17. *Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt: ecce facta sunt omnia nova, &c.* Quomodo etiam erant novum hominem induti, si non erant a vetustate mutati?

[*] Præterea dicas mihi: Si per cælum intelligantur Angeli, qui peccaverunt: quid igitur intelligis per terram? Quidquid autem super hoc dixerit, visio capitis sui erit, & testimonio scripturæ id ostendere non poterit.

Item quod unicus sit rerum omnium creator patet Hebr. 3. v. 4. *Qui autem omnia creavit, Deus est*; Et quia omnia creavit, ideo cap. 2. v. 10. ejusdem Epistolæ dicitur: *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare*: Propter Patrem enim glorificandum sunt omnia, & per Filium, id est a Filio ut a caussa efficiente sunt omnia. Primam illam auctoritatem non disputamus ad præsens, sed differimus ad tractatum de Deo Veteris Testamenti.

N Ad

[*] Deest in Vat.

[*] Desid. in Cod. Neap. & Vat.

Ad idem facit illud Apocaly. 4. v. 11. *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.* Apocaly. 5. v. 12. *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, &c.* Item Apocaly. 10. v. 6. ubi dicitur de quodam Angelo bono, qui *juravit per viventem in sæcula sæculorum, qui creavit cælum, & ea, quæ in eo sunt: & terram, & ea, quæ in ea sunt: & mare, & ea, quæ in eo sunt: Quia tempus non erit amplius.* Item Apocaly. 14. v. 7. *Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus: & adorate eum, qui fecit cælum, & terram, mare, & fontes aquarum.* [*] (18)

CAP. IX.

De Miraculis corporalibus, & materialibus utrum a Deo sancto sint: & probatur quod sint miracula visibilia.

NUnc ad novum capitulum accedamus videntes de miraculis visibilibus, utrum a Patre sancto sint. Dicunt enim illi Cathari, qui duos ponunt (1) Creatores, quod Christus & ejus Ecclesia numquam aliquid materiale miraculum fecit; unde & miracula, quæ leguntur in novo Testamento, spiritualiter facta esse intelligunt.

§. UNICUS.

Probatio Ecclesiæ quod miracula materialia facta sint a Domino.

IN primis autem inducimus illud Matth. 8. v. 1. *Cum autem descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ: 2. & ecce Leprosus veniens, adorabat eum dicens: Domine, si vis, potes me mundare. 3. Et extendens Jesus manum tetigit eum dicens: volo, mundare. Et confestim mundata est lepra ejus. 4. Et ait illi Jesus: Vide, nemini dixeris: sed vade, ostende te Sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyses, in testimonium illis.* Modo quæro: Iste dicitur Leprosus fuisse, & a Christo mundatus, & ante passionem, & resurrectionem Christi. Numquid ista lepra erat materialis, vel spiritualis? si materialis: habeo propositum meum. Si spiritualis, id est peccatum: ergo mundatus est a peccato per Christum ante passionem, & ante resurrectionem, & ascensionem suam. Modo quæro: Aut iste habebat Spiritum Sanctum, aut non, postquam mundatus est? Si habebat Spiritum Sanctum: ergo Spiritus Sanctus datus est antequam Christus esset glorificatus, quod tu negas, & Johann. etiam cap. 7. v. 39. dicens: *Nondum enim erat spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Si autem non habebat Spiritum Sanctum: ergo non habebat spiritum Christi: *Si quis autem spiritum Christi non habet: hic non est ejus*, ut dicitur Rom. 8. v. 9. Ergo non est ipsius Christi, ergo erat ipsius Diaboli, quia vel Christi, vel Diaboli oportet eum fuisse. Si autem erat ipsius Diaboli: ergo non erat mundatus a lepra spirituali: sed mundatus erat, ergo a materiali lepra. Istum modum argumentandi nota in omnibus miraculis a Christo factis ante resurrectionem suam. Per hoc enim probare potes, quod fuerint miracula materialia.

Præterea nonne dicit: *vade, ostende te Sacerdoti, & offer munus, &c.* Quis autem sit iste Sacerdos habetur Marci 1. v. 44. ubi dicitur isti Leproso: *Vade, ostende te Principi Sacerdotum*: quod nusquam invenitur, nisi pro Sacerdote Veteris Testamenti. Quomodo autem posset se ostendere mundatum a lepra illi Sacerdoti, si esset spiritualis lepra? Nullo modo, quia ipse eam videre non posset nec oculo materiali, nec oculo fidei; Fidem enim non habebat quod Christus aliquem spiritualiter sanaret, atque curaret. Restat ergo quod illa lepra esset materialis.

Quod autem Jesus vellet quod ipse ostenderet Sacerdoti se esse mundatum a lepra patet Lucæ 1. v. 14. ubi dicitur isti Leproso: *Offer pro emundatione tua, sicut præcepit Moyses, in testimonium illis.* Matth. vero dicit: *offer munus, &c.* Marcus autem dicit: *offer pro emundatione tua, quæ præcepit Moyses in testimonium illis.* Sed ostensum est, quod loquebatur de Sacerdote Veteris Testamenti; ergo & de Moyse latore ejus.

Præterea si velles dicere, quod de alio Moyse loquatur, & de ejus præceptis, ostende aliquo testimonio scripturæ aliquem alium Moysem præcepisse alicui Leproso a lepra mundato aliqua offerre pro emundatione sua Sacerdotibus: quod cum facere non possis obmutesce. Ego vero testimonium habeo de Moyse Veteris Testamenti Levit. 14. quid præceperit Moyses Leproso curato offerre Sacerdotibus, scilicet duos passeres vivos; unum ad immolandum, alium autem ad Leprosum mundatum aspergendum cum sanguine passeris immolati in vase fictili super aquas viventes. Similiter duos agnos; unum pro delicto, & alterum in holocaustum. Item duos turtures, aut duos pullos columbarum; unum pro peccato, & alterum in holocaustum. Unde patet quod occidere animalia, aut volatilia ista non est peccatum, alioquin Christus non jussisset isti quod offerret talia Sacerdoti ad occidendum.

Item Matth. 8. v. 5. dicitur? *Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum, 6. & dicens: Domine puer meus jacet in domo paralyticus, & male torquetur.* Modo quæro an Centurio esset spiritualis homo, an non? Si non erat

(18) Refutant errorem Gnosticorum de Conditore, sive de Conditoribus mundi (nam pars quidem a malo principio, pars a malis angelis, conditum introducebat mundum) sententias, Irenæus *lib.* II. *Contra Hæreses cap.* IX. *per tot. & seq.* Tertullianus *lib.* I. & II. *Contra Marcionem* Auctor Recognitionum Sancto Clementi adscriptarum toto secundo libro. Vexant etiam Manichæos Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi* IX. *n.* IV. *seqq. pag.* 127. Titus Bostrensis *lib.* II. *pag.* 113. *seqq.* Serapion. *lib. contra Manichæos pag.* 45. *Tom.* I. *Antiq. Lect. Canisii Edit. Novæ.* Augustinus pluribus in locis, Photius toto fere *secundo libro Contra Manich.* Euthymius Zigabenus *Parte* II. *Panopl. Tit.* XX. aliique innumeri, quos prætereo.

(1) Nempe Albanenses Balasinansæ sectatores. Vide Notam I. ad cap. X. lib. 2.

erat spiritualis, carnalis igitur erat. Ergo rogabat pro carnali sanitate acquirenda puero suo, & eam acquisivit. Ergo Christus corporale miraculum fecit. Si dicas quod spiritualis erat. Ergo bonus, & sanctus. Jam ergo erant aliqui viri spirituales, & boni, & sancti. Ergo jam erat Ecclesia Dei vivi, quod tu negare, licet male, consuevisti.

Præterea Luc. 7. v. 4. dicitur quod seniores Judæorum rogabant Jesum pro eo. Numquid isti rogabant eum pro curatione a paralysi spirituali. Non videtur, quia non erant spirituales prædicta ratione. Ergo terreni erant; unde terrena loquebantur dicentes v. 4. *Dignus est ut hoc illi præstes*. 5. *Diligit enim gentem nostram: & synagogam ipse ædificavit nobis*. Quod non potest intelligi, nisi de synagoga terrena. Si enim vis intelligere de spirituali, hæc non est nisi Ecclesia. Numquid centurio ædificavit eis Ecclesiam, quæ est congregatio sanctorum hominum? Non.

Præterea dicunt: *Dignus est ut hoc illi præstes*, id est sanes servum ejus, quia ædificaverat eis synagogam. Numquid propter ædificationem rei materialis, & hujus creationis, dignus erat obtinere servo suo sanitatem spiritualem? Si sic: quare ergo culpas creationem harum rerum, cum faciat dignum hominem spirituali ac divino beneficio? Si autem propter hoc dignus erat obtinere a Jesu temporalem sanitatem: ergo res hujus creationis facit hominem dignum obtinere aliquid a Jesu.

Ex quo concludo tria: Non ergo mala est ista creatio: ergo temporalia, & transitoria sunt ab eo: ergo Jesus fecit miracula.

Præterea dicit Matth. quod puer, id est servus, Centurionis jacebat in domo paralyticus. Illud vero non potest intelligi, nisi de domo materiali; unde enim Jesus dixisset v. 7. *Ego veniam, & curabo eum* 8. *& respondens centurio ait, Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum*. Ergo Jesus non erat intra tectum, sive domum ejus; cum ergo sine Jesu non possit esse domus spiritualis, domus Centurionis, ubi jacebat Paralyticus, materialis domus fuit. Similiter & milites materiales, qui sub eo erant, & servus ejus materialis. Videtur ergo quod loqueretur tantum materialiter, & ita Paralyticus materialis fuit, & materialiter sanatus a Christo, & sic habeo quod quæro.

Fecit etiam Christus materiale miraculum in creatura sensibili; unde legitur Matth. 8. v. 28. *Et cum venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes Dæmonia, de monumentis exeuntes, sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam*. 29. *Et ecce clamaverunt, dicentes: Quid nobis, & tibi, Jesu fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos?* 30. *Erat autem non longe ab illis grex multorum porcorum pascens*. 31. *Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum*. 32. *Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos: & ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare: & mortui sunt in aquis*. Quod istud materiale miraculum fuerit, licet aliquid spirituale designet, nemo sanæ mentis dubitare potest. Quid ergo per porcos vis intelligere? Numquid materiales porcos? Si ita est, habeo propositum, quod miraculum istud de porcis fuerit materiale, sicut probare intendimus.

Præterea utrumque miraculum, nimirum de ingressu Dæmonum in porcos, & de exitu eorumdem Dæmonum ab illis duobus hominibus, de quibus Matthæus loquitur, materiale fuit; Ut patet Marci 5. v. 14. & Luc. 18., ubi agitur de uno istorum hominum, in quo erat legio Dæmonum; ibi enim habetur v. 34. de Pastoribus Porcorum illorum, quod postquam viderunt hoc factum, *fugerunt, & nunciaverunt in civitatem, & in villas* 35. *exierunt autem videre quod factum est, & venerunt ad Jesum, &c.* usque *quomodo sanus factus esset a legione*. In Marco additur: *& de porcis*, scilicet nunciaverunt. Ecce quod dicitur, quod Pastores viderunt quod factum fuerat. Ergo non erat spirituale factum; Ipsi enim infideles erant, unde & fugerunt hoc viso. Iterum dicitur quod homines de civitate illa exierunt videre quod factum fuerat; & ita materiale factum fuit; Ipsi enim non erant spirituales; unde & rogaverunt Jesum, ut discederet ab ipsis, & ita erant cæci spiritualiter, unde non vidissent aliquod factum spirituale.

Præterea si vis sumere porcos spiritualiter, id est homines porcinos: nonne illi duo, qui de monumentis exierunt, porci spirituales erant? videtur quod sic, quia Dæmoniaci erant spiritualiter, ut credis. Ergo erant porci spiritualiter. Alii autem non videntur debere dici porci spiritualiter, quia non erant in eis Dæmones, sed petebant ut mitterentur in eis. Quare ergo Evangelium distinguit inter eos dicens hos homines, illos porcos? vel omnes enim porci erant, vel potius ii duo porci, quam illi.

Præterea si ii duo homines erant spiritualiter Dæmoniaci: ergo spiritualiter fuerunt a Dæmonibus curati; ergo habebant spiritum Dei in se; Christus enim in spiritu ejiciebat Dæmones, ut ipsemet dicit Matth. 12. v. 28. Hoc autem tu non credis, quod aliquis antequam Christus glorificaretur spiritum Dei receperit. Ergo non habebant Spiritum Sanctum; ergo non erant curati spiritualiter a Dæmonibus secundum te, ergo corporaliter, & ita materiale miraculum fecit ex parte hominum; ergo etiam ex parte porcorum.

Præterea numquid præcepisset Jesus Dæmonibus, ut irent in homines spiritualiter? Non. Sed præcepit eis, quod irent in porcos dicens: *Ite*: Ergo non erant homines, sed porci secundum quod littera sonat.

Præterea dicitur, quod postquam Dæmones intraverunt in porcos, porci præcipites abierunt in mare, & suffocati sunt, & mortui sunt in aquis. De qua morte loquitur? Constat quod non de spirituali. Si enim porci dicuntur ibi homines, statim cum Dæmones intraverunt in eos, mortui sunt spiritualiter, cum tu intelligas hoc de spirituali introitu. Quare ergo dicitur postea, quod iverunt in mare, & mortui sunt in aquis post introitum Dæmonum? Sic ergo non erant ante mortui. Restat ergo quod de morte corporali dicatur, & de porcis materialibus, & de rebus materialibus loquatur ibi Christus; & ita fuit materiale miraculum de

porcis. Ex quo patet quod Christus sensibilium, & rationabilium Dominus est; Dæmones enim non poterant in porcos ire, nisi illo concedente. Dominus etiam apparet corporum humanorum, in quibus Dæmones stare non poterant eo non permittente; si enim humana corpora essent de Signoria, sive dominio Dæmonum, ibi stetissent, vellet, nollet, Jesus, quia Dæmon omnipotens est in suo regno, sicut Deus sanctus in suo.

Fecit etiam Jesus miraculum materiale de Vegetabilibus, in quibus est tantum vita sine sensu, & ratione. Istud patet Matth. 21. v. 18., ubi dicitur quod Jesus *mane revertens in civitatem esuriit*. 19. *Et videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam: & nihil invenit in ea, nisi folia tantum, & ait illi: Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum: & arefacta est continuo ficulnea*. 20. *Et videntes discipuli mirati sunt dicentes: Quomodo continuo aruit?* Nota quod dicit: *Et videntes discipuli, &c.* Ergo erat ficus visibilis, & materialis; ergo & materialiter arefacta.

Præterea prius viridis erat ista ficus: postea continuo aruit ad verbum Domini. Si ista esset arefactio spiritualis, & mala, numquid a Christi verbo esse posset? Non, ut credis: Ergo fuit arefactio materialis, & ficus similiter materialis; ergo & esuries Christi materialis: quod tu negare consuevisti: Sic ergo oportet concedere quod & esus ejus, qui aliquando invenitur, esset de istis rebus materialibus.

Fecit etiam Christus multoties materiale miraculum in rebus entibus, id est participantibus esse tantum sine vita, sensu, & ratione; unde legitur Matth. 8. v. 23. quod *ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus*: 24. *& ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipse vero dormiebat*. 25. *Et accesserunt ad eum discipuli ejus, & suscitaverunt eum, dicentes: Domine, salva nos, perimus*. 26. *Et dicit eis Jesus: Quid timidi estis, modicæ fidei? Tunc surgens imperavit ventis, & mari; & facta est tranquillitas magna*. 27. *Porro homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?* Ubi notandum est quod postquam Jesus in terra fecerat miracula in his, & de his, quæ ex ipsa, & ex aliis elementis formata sunt, ut sunt corpora humana, quæ sanavit, transiit ad faciendum ea in aliis elementis, scilicet in aqua, & in aere, & hoc ideo, ut Dominum universalem omnium Elementorum se esse ostenderet, sicut etiam eorum, quæ ex elementis sunt fabricata. Licet enim non legatur, quod in igne aliquod miraculum fecerit, facere tamen potuit; immo & fecit, quando, ut habetur Matth. 27. v. 45., in ipsius morte *a sexta hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam*. Tres enim sunt species ignis, scilicet lux, flamma, & carbo; sed lux dicitur in materia propria, flamma in materia aerea, carbo in materia terrea. Cum ergo fecit in luce miraculum, satis dici potest & in igne fecisse.

Vis videre ejus dominium super ista? Attende unum verbum Matth. 8. v. 25. *Domine salva nos, perimus*, & aliud Lucæ 8. v. 24: *Præceptor perimus*. Sed quorum præceptor sit, habetur Matth. 8. v. 26. *Tunc surgens imperavit ventis, & mari* ergo & illorum Dominus est. Sequitur: *Et facta est tranquillitas magna in mari*, supple & in ventis, quia venti sicut & mare obedierunt ei. Ventus autem est motus aeris, & ita fecit miracula in aere, & in aqua.

Si autem vis dicere, o Hæretice, quod istud miraculum fuerit spirituale; dicas mihi: Numquid navicula, in quam ascendit, fuit spiritus? Non, quia navicula spiritualis Ecclesia est, quæ nondum erat secundum te; cum enim, ut ad sonum litteræ credis, nondum esset datus Spiritus Sanctus, non poterat esse navicula spiritualis, id est Ecclesia, vel anima. Ergo erat navicula materialis. Ergo & mare materiale, in quo erat materialis navicula, & ventus materialis insurgens contra naviculam, & tranquillitas in mari facta est materialis.

Præterea illi homines, scilicet discipuli, mirati sunt, ut dicit Matthæus. Mirari autem non potuissent quod factum fuerat, nisi vidissent illud factum. Ergo materiale factum fuit, non vero spirituale; alioquin non vidissent, cum non haberent oculos spirituales, ut credis, qui dicis eos Spiritum Sanctum nondum habuisse.

Præterea dicitur quod Christus *imperavit ventis, & mari*, quidquid per ventum, & mare intelligas. Sunt igitur de imperio suo, & ita de creatione sua. Ex prædictis patet, quod Christus in sole fecit miraculum, quando eo moriente sol subtraxit splendorem suum, & radios suæ lucis. Fecit ergo miraculum in cælestibus creaturis, & in terrestribus, ut ostensum est.

Fecit etiam materiale miraculum in infernalibus; legitur enim Matth. 8. v. 16. quod *obtulerunt ei multos dæmonia habentes: & ejiciebat spiritus immundos verbo*. Ista ejectio numquid erat tantum spiritualis? Si dicas sic: quid appellas tu Dæmonia? Si peccata: quomodo Marci 1. v. 34. dicitur: *Et non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum?* Si Dæmonia dicuntur secundum sonum litteræ ipsi maligni spiritus, & ejiciebat eos tantum spiritualiter: ergo spiritualiter erant curati a Dæmonibus. Igitur spiritum Christi in se habebant: quod tu non auderes dicere, ut prædictum est. Si autem non habebant spiritum Christi; ergo ejus non erant, ut dicit Apostolus Rom. 8. v. 9.; & si ejus non erant: ergo non erant curati a Dæmonibus spiritualiter, sed materialiter, & verbo, id est imperio suo ejecerat eos a corporibus. Ergo ista corpora de imperio ejus sunt: quod verum est; unde Apostolus Philip. 2. v. 10. ait: *In nomine Jesu omne genuflectatur cælestium, terrestrium, & infernorum*.

Ad idem inducimus illud Jo: 2. v. 1. *Et die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: & erat mater Jesu ibi*. 2. *Vocatus est autem & Jesus, & discipuli ejus ad nuptias*. 3. *Et deficiente vino, dicit mater Jesu ad eum: vinum non habent, &c.* Modo quæro: Istæ nuptiæ aut factæ sunt in hoc mundo, aut in alio? Si in alio: numquid ibi Cana Galilææ? Si dicas sic: ostende hoc aliquo testimonio, quod facere non potes. Ego autem habeo testimonium Galilææ & Canæ in hoc mundo.

Præ-

Præterea si istæ nuptiæ in alio mundo factæ sunt: ergo matrem habebat in alio mundo; dicitur enim quod *erat mater Jesu ibi*. Ergo aut ibi natus est de matre spiritualiter, aut carnaliter? Si carnaliter: ergo ibi est carnalis generatio ex muliere. Ergo videtur quod ibi nubant, & nubantur carnaliter: quod est contra Evangelium. Si spiritualiter natus est ex muliere in cælo, sive in alio mundo, cum de nulla muliere natus inveniatur, nisi de Maria Virgine: ergo Maria Virgo genuit eum spiritualiter. Ergo Christus spiritualitatem habuit ex Maria, non e contrario. Istud autem constat esse falsum. Ergo non est ex ea natus spiritualiter, neque carnaliter in alio mundo. Ergo nuptiæ istæ, de quibus Johannes loquitur, non sunt factæ in alio mundo.

Præterea ibi defecit vinum. Sed numquid in nuptiis cælestibus vinum bonum deficeret?

Item ibidem v. 6. & 7. deficiente vino sex hydriæ impletæ sunt aqua, & per Christi virtutem hæc conversa est in vinum. Illa aqua secundum te aut erat hujus creationis, aut alterius. Si alterius creationis erat, & est conversa in vinum: ergo aqua illa erat transitoria, alioquin non transisset in vinum. Ergo Deus sanctus, & verus non tantum rerum permanentium, sed etiam transitoriarum creator existit; quod quidem verum est, licet hoc consueveris negare. Si autem erat aqua hujus creationis: ergo Christus fecit miracula materialia de rebus istis, sicut probare intendimus.

Præterea ego quæro de his nuptiis, an fuerint materiales, an spirituales nuptiæ? Si materiales, non sunt factæ in alio mundo, ubi *neque nubent, neque nubentur*, ut dicitur Matth. 22. v.30.

Præterea ergo & aqua materialis, & vinum similiter; & sic habeo quod Christus fecit miracula materialia & corporalia.

Si vero dicas quod spirituales nuptiæ fuerint: quomodo potest hoc esse, cum nuptiæ spirituales sint inter Christum & Ecclesiam, nec adhuc esset Ecclesia; *nondum* quippe *erat spiritus datus*, *quia Jesus nondum erat glorificatus*, ut dicitur Johan. 7. v. 39. Ergo non erant spirituales.

Præterea si erant spirituales: ergo in eis erat Spiritus Sanctus; ergo & vinum spirituale fuisse intelligendum est; hoc autem esse non potest: quomodo enim ibi deficere posset vinum spirituale, scilicet potus, ubi esset Spiritus Sanctus, de quo dicitur 1. Cor. 12. v. 13. *uno Spiritu potati sumus*? Nullo modo dificeret ibi tale vinun: sed constat quod ibi defecit tale vinum; Ergo ibi fuit vinum materiale, & aqua materialis, & nuptiæ materiales, & miraculum factum est ibi materiale.

Præterea Architriclinus bibit de vino primo, & secundo in his nuptiis. Sed numquid primum vinum malum? Si sic: quomodo bibitum est in spiritualibus nuptiis? Si bonum: hoc non videtur posse stare, quia dicit Architriclinus Sponso Johan. 2. v. 10. *Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc*.

Præterea si erat bonum primum, & secundum similiter, & Architriclinus bibit de utroque. Ergo erat spiritualis ille Architriclinus, alioquin non bibisset vinum spirituale. Sed probo quod non. Nonne dicitur ibi v. 9. quod Architriclinus nesciebat unde esset istud secundum vinum? Si fuisset spiritualis iste Architriclinus, palam ei fuisset, quod si istud vinum erat spirituale, ab ipso Christo erat. Ergo non erat spiritualis, neque vinum spirituale, sed vinum materiale, & aqua materialis: & ita miraculum materiale, & nuptiæ similiter, in quibus tale factum est a Christo miraculum.

[*] Ex hac mutatione aquæ materialis in vinum materiale facta a Christo patet, quod non tantum elementa, sed etiam elementata a Deo facta sunt secundum suas species. Patet etiam quod Christus est, per quem fit vinum annuatim in hydriis granorum naturaliter ex humore aquæ solis beneficio, cum ab eodem factum sit supernaturaliter in hydriis lapideis.

Item quod nuptiæ istæ non essent spirituales patet, quia Christus non erat Sponsus earum nuptiarum; immo postquam factæ sunt nuptiæ, tunc Jesus ad eas vocatus est. Ergo cum solus Christus Sponsus sit spiritualium nuptiarum, illæ nuptiæ non erant spirituales.

Quod autem solus Christus sit spiritualium nuptiarum Sponsus patet ex Scripturis, ubi Christus solus Sponsus Ecclesiæ appellatur 2. Corinth. 11. v.2.: *Despondi enim vos uni viro*, scilicet Christo. Item Jo: 3. v.29. dicitur de Christo: *Qui habet Sponsam, Sponsus est*.

Item si Sponsus fuisset, Mater dixisset: vinum non habemus (supple) ad dandum eis potum. Dixit autem v:3. ibidem: *Vinum non habent*. Item Jesus non dixisset v.4. ibidem: Quid mihi, & tibi est mulier? (supple) dare eis vinum. *Nondum venit hora mea* ad dandum eis vinum. Cum autem venerit non permittam eis deficere potum, aut cibum.

Præterea numquid in nuptiis Christi defecisset vinum spirituale? Non; ejus enim nuptiæ non sunt sine vino illo, de quo Lucæ 5. v. 37. dicitur; *Nemo mittit vinum novum in utres veteres: alioquin &c.* Loquitur ergo de nuptiis materialibus, & de vino materiali, & aqua similiter, & inde ut prius.

Item Jo: 5. v. 1. dicitur: *Erat dies festus Judæorum, & ascendit Jesus Jerosolymam*. 2: *Est autem Jerosolymis Probatica piscina, quæ cognominatur hebraice Bethsaida, quinque porticus habens*: 3. *In his jacebat multitudo magna languentium &c.* Et post pauca subjungitur v. 5.: *Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua*. 6. *Hunc cum vidisset Jesus jacentem, & cognovisset quia jam multum tempus haberet, dixit ei: Vis sanus fieri?* Et v.8. subdit: *Surge, tolle grabatum tuum & ambula*: 9. *Et statim sanus factus est homo ille: Et sustulit grabatum suum & ambulabat.* Constat quod iste materialiter sanatus est a Christo, & in sabbato, ut ibi dicitur: Iste enim homo triginta & octo annos habebat in infirmitate sua. Si autem de spirituali infirmitate intelligeretur, non tantum triginta & octo, immo inæstimabiliter plures, quam triginta & octo annos habuisset. Si enim de cælestibus animabus erat, quæ per Villicum iniquitatis, ut dicis, huc ductæ sunt, multo plures

[*] Desid. in Cod. Bon. & Vat.

plures anni sine æstimatione fuissent, ex quo hic homo infirmatus fuisset. Ergo intelligitur de infirmitate corporali, & ita fuit sanatus corporaliter.

Præterea Judæis ibi dicentibus v. 10.: *Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum*: *Respondit eis*: *Qui me sanum fecit, ille mihi dixit*: *tolle grabatum tuum & ambula*. 12. *Interrogaverunt ergo eum*: *Quis est ille homo, qui dixit tibi*: *Tolle grabatum tuum, & ambula?* 13. *Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset*. Si fuisset factus spiritualiter sanus, bene scivisset quis Christus esset: Ergo sanus corporaliter factus erat a Christo.

Præterea si fuisset spiritualiter sanatus a Christo, de hoc ei indignati non fuissent Judæi; sed ei sunt indignati de hoc, quod eum sanaverit in sabbato: Ergo corporaliter sanavit eum. Unde ibi dicitur v. 16.: *Propterea persequebantur Judæi Jesum, quia hæc faciebat in sabbato*: *hæc*: id est corporaliter sanabat, & grabatum tollere jubebat. Et quod de sanitate collata in sabbato indignarentur, habetur Jo: 7. v.23., ubi dicit Christus: *Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi*: *mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato?*

Sciendum autem est, quod iste non est ille, de quo habetur Matth. 9. Marci 2. & Luc.5.; ille enim habebat ministros; iste non. De illo etiam patet, quod prius fuit sanatus spiritualiter; postea autem blasphemantibus turbis & Pharisæis in cordibus suis, & dicentibus Luc.5. v. 21. *Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* sanavit eum corporaliter, ut viso corporali miraculo scirent eum habere potestatem dimittendi peccata, & ita esse Dominum. Unde & ait ibidem v.24.: *Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata*, (*ait Paralytico*) *Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam*. Ecce quod ille prius erat sanatus spiritualiter, & postea materialiter sanatus est; Qui enim prius portabatur a quatuor Ministris in grabato, ut Marcus ait cap. 2. v. 3.: postea per se vadit & portat grabatum. Fecit ergo Christus miracula materialia in his, & de his rebus corruptibilibus.

Ad idem inducitur illud Jo: 4. v. 46. *Et erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum &c.* Ubi habetur, quod Filium ejus sanavit Jesus a febre; quod non potest intelligi nisi de materiali febre, quia Jesus ab illo rogatus dixit v.48. *Nisi signa, & prodigia videritis non creditis*. Signum igitur visibile fuit.

Præterea dixit Jesus v. 50. *Vade, Filius tuus vivit*. Quo dicto v. 53. *Credidit ipse & domus ejus tota*. Item ibidem dicitur: *Cognovit ergo Pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus*: *Filius tuus vivit &c.* Ecce completum est quod habetur 1.Cor.14. v. 22.: *Linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus*.

Ad idem istud Jo: 6. v. 5.: *Cum sublevasset ergo oculos Jesus, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum*: *Unde ememus panes, ut manducent hi?* 6. *Hoc autem dicebat tentans eum*: *ipse enim sciebat quid esset facturus*. 7. *Respondit ei Philippus*: *ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat*. 8. *Dicit ei unus ex discipulis ejus, Andreas Frater Simonis Petri*: 9. *Est puer unus hic, qui habet quinque panes ordeaceos, & duos pisces*: *sed hæc quid sunt inter tantos?* 10. *Dixit ergo Jesus*: *Facite homines discumbere*. *Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia*. 11. *Accepit ergo Jesus panes*: *& cum gratias egisset, distribuit discumbentibus*: *similiter & ex piscibus quantum volebant*. 12. *ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis*: *Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant*. 13. *Collegerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus ordeaceis, quæ superfuerunt his, qui manducaverant*. Modo quæro utrum hi panes & pisces fuerint corporales, an spirituales, de quibus illi viri impleti sunt? Si dicas mihi quod fuerunt spirituales; quomodo potest hoc esse? Nonne vides quid dicit Jesus ad Philippum; *Unde ememus panes, ut manducent hi?* Nonne vides quid dicit ei Philippus: *Ducentorum &c.* Et quid ei subsequenter dixit Andreas: *Est puer unus hic &c.*? Ergo non spirituales, sed materiales fuerunt.

Præterea nonne dicitur Matth. 14.v.17. quod dixerunt discipuli: *Non habemus hic, nisi quinque panes, & duos pisces*. 18. *Qui ait eis*: *Afferte mihi illos huc?*

Præterea nonne ibi legitur quod accepit eos a quodam puero, qui habebat illos? Sic enim ait Andreas Christo: *Est puer unus hic &c.* Postea dicitur: *Accepit ergo Jesus panes &c.*; prius igitur non habebat; ergo non fuerunt spirituales panes; alioquin prius eos habuisset; ipse enim est panis vivus Jo: 6. v. 51.

Quod autem iste puer non esset Christus patet ex verbis Andreæ ad Jesum: *Est puer unus hic &c.* Item ex eo, quod sequitur: *Accepit ergo &c.*

Præterea aut illi homines, quos implevit, & sanavit de panibus illis, fuerunt carnales, aut spirituales? Spirituales non, quia, ut habetur Jo: 7. v. 39.: *Nondum erat spiritus datus &c.* Quod tu intelligis ad sonum litteræ.

Præterea si fuerunt spirituales, non debuit Christus fugere regimen eorum, cum ad hoc venerit. Dicitur enim ibi v. 15.: *Jesus ergo cum cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus*. Item v.26. dixit eis: *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus & saturati estis*. Ergo non erant spirituales.

Præterea ibi dicitur quod venturi erant, *ut raperent eum & facerent eum Regem*. Ergo nondum erat eorum Rex. Ergo non erant spirituales. Item si voluissent eum facere Regem suum spiritualem, non fugisset. Ergo volebant eum facere temporalem Regem. Ergo erant temporales. Ergo & panis temporalis fuit, propter quem quærebant eum in Regem. Item si erant carnales: ergo & cibus carnalis, alioquin si spiritualis fuisset, inde non potuissent impleri. Quomodo ergo stabit quod dicit Jo: *Ut autem impleti sunt &c.*? Item quæ essent illæ duodecim sportæ, quæ de fragmentis illorum panum, & piscium impletæ sunt? Non enim fuerunt discipuli, immo discipuli

puli collegerunt fragmenta, & impleverunt sportas de eis. Constat igitur ex his, quod illi panes materiales fuerunt, & pisces similiter, & quod miraculum fuit materiale.

Præterea Jo: 6. v. 14. dicitur: *Illi ergo homines cum vidissent quod Jesus fecerat signum*. Ergo erat signum visibile, & ita materiale; si enim fuisset spirituale, non vidissent, cum non essent spirituales. Quare ergo audes dicere, quod a diabolo sint res visibiles & materiales? Inde enim, ut dicit Jo: v. 11., *Cum gratias egisset*. Si enim gratiæ ei, a quo habentur. Ergo egisset gratias diabolo: quod nefas est dicere.

Præterea *illis acceptis* aspexit in cælum, ut dicitur Matth. 14. v. 19., & Jo: dicit *quod gratias egit*. Ergo Deo Altissimo gratias egit de illis. Fuit ergo Deus cæli illorum caussa.

Præterea benedixit eos, ut dicit Matthæus; quod non fecisset, si diaboli fuissent. Et nota quod in isto miraculo concordant Matth. 14. Marcus 16. Luc. 9. & Jo: 6. Item Matth. 15. & Mar. 8. habetur, *quod Jesus pavit quatuor millia hominum ex septem panibus & piscibus paucis*. Quod miraculum potest ostendi materiale esse, si inspiciantur verba utriusque Evangelistæ.

Ad idem inducimus illud Jo: 9. v. 1. *Jesus vidit hominem cæcum a nativitate*: 2. *& interrogaverunt eum discipuli ejus: Rabbi quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur &c.?* usque *abiit*. Quod istud miraculum fuerit materiale patet ex litera; unde ibi dicitur v. 8.: *Itaque vicini, & qui viderant eum prius, quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic est, qui sedebat & mendicabat? Alii dicebant: quia hic est &c.* usque *quomodo aperti sunt tibi oculi?* Isti, qui hoc interrogabant, videbant oculos suos apertos. Dubitantes autem quærebant: *quomodo &c.* Si isti fuissent fideles, & spirituales, scivissent quomodo, quia Christi virtute. Erant igitur infideles & carnales. Ex quo patet, quod de oculis materialibus quærebant, quomodo fuissent aperti; spirituales enim oculos non videbant apertos ei, cum ipsi essent cæci spiritualiter.

Præterea si vis dicere, quod de cæcitate spirituali agatur: quomodo dicit Christus Jo: 9. v. 3. quod *neque hic peccavit, neque parentes ejus*, ut cæcus nasceretur? Nonne dicitur, quod a nativitate cæcus erat? Ergo a nativitate peccator; cæcitas enim spiritualis peccatum est. Videtur ergo, quod Christus mentitus fuisset, cum dixit: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus*.

[*] Præterea iste dicitur cæcus a nativitate. Modo quæro: de qua nativitate intelligitur? Si de cælesti: ergo ibi natus est spiritualis cæcus. Ergo per ascensum Principis mundi non est factus cæcus spiritualiter; ante enim natus est ibi secundum te, quam ille ascenderet, cum Populus Dei sit æternus, ut dicis. Si autem de nativitate in hoc mundo vis intelligere illud: ergo post istam nativitatem cæcus spiritualiter factus est; sed prius peccavit, quam nasceretur hic. Ergo prius spiritualiter cæcus. Ergo non fuit sic cæcus a nativitate in hoc mundo. Vides igitur quod non potest intelligi de spirituali cæcitate. Ergo de materiali, [*]

Præterea sequitur Jo: 9. v. 16. *Dicebant ergo ex Pharisæis quidam: Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit*. Isti videbant eum illuminatum esse a Christo. Si spiritualiter illuminatus fuisset, & vidissent eum taliter illuminatum, numquam istud dixissent; ubi enim invenitur curatio, & illuminatio spiritualis prohibita? Nusquam; immo Judæi tunc magis orationi & lectioni intendunt. Nusquam ergo curam spiritualem prohibitam esse intelligebant, sed tantum corporalem, & de illa arguebant Jesum, quia eam faciebat in sabbato, unde Luc. 13. v. 14. Archisynagogus dicebat turbæ: *Sex dies sunt, in quibus oportet operari: in his ergo venite & curamini, & non in die sabbati*.

Præterea si iste cæcus illuminatus erat spiritualiter non corporaliter: Quomodo non cognoscebat lumen spirituale scilicet Christum? Quod autem non cognosceret eum patet ex littera, ubi habetur, quod Domino dicenti cæco sanato, Jo: 9. v. 35. *Tu credis in Filium Dei?* 36. *Respondit ille, & dixit: Quis est Domine ut credam in eum?* 37. *Et dixit ei Jesus: & vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est*. 38. *At ille ait: Credo Domine &c.* Ex quo patet quod nondum crediderat eum Dei Filium: Ergo nondum erat spiritualiter illuminatus. Ergo corporaliter tantum. Materiale ergo fuit miraculum, & materialiter intelligenda sunt verba illa, licet aliquid spirituale insinuent, sicut & cætera Christi opera. Sputum ergo materiale fuit, quod mixtum est terræ, & factum est inde lutum: in quo verbo obmutescite, qui terram istam malæ creationis asseritis; numquam enim suam salivam ei immiscuisset, si sic esset, ut dicitis. Obmutescite & vos alii Cathari, qui Christum spuisse, urinasse, & hujusmodi fecisse negatis.

Item Jo: 18. v. 10. legitur quod *Petrus habens gladium eduxit eum: & percussit Pontificis servum: & abscidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen servo Malchus*. Lucæ vero 22. v. 51. dicitur: *Cum* Jesus *tetigisset auriculam ejus, sanavit eum*. Ista non possunt intelligi, nisi materialiter dicta & facta; non enim fuit gladius spiritualis, qui est verbum Domini.

Præterea si fuit spiritualis: dic mihi: quæ fuit auricula illo gladio amputata? Secundum hoc enim oporteret, quod spiritualis fuisset. Dic mihi: aut bona, aut mala? Bona, & spiritualis non potest esse; ipse enim servus erat Pontificis, & venerat cum aliis capere Jesum.

Præterea nondum erat spiritus datus, ut dicis. Ergo non erat spiritualiter bona. Si autem mala: bonum fuisset amputare illam, & Dominus Jesus non restituisset ei illam. Ergo non fuit spiritualis auricula. Ergo fuit materialis & sanatio quoque materialis.

Præterea Matth. 26. v. 52. dicitur: *Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt*. Hoc autem dictum est Petro a Domino eum increpante de gladio; sed non increpasset eum de spirituali. Ergo miraculum fuit materiale. Ex prædictis patet quod Jesus

[*] Desid. in Cod. Bon. & Vat.

Jesus fecit materialia miracula in rationali creatura, quæ est homo. Fecit etiam in creatura sensibili & vegetabili, & simpliciter ente, sine vita, sensu, & ratione. Ex quo recte concluditur omnium etiam Dominum esse.

Item si volumus Evangelii litteram inspicere, invenire possumus, quod Dominus membra corporis humani a capite usque ad pedes curavit a languoribus suis. De oculis enim habes Matth. 9. v. 27., ubi duos cæcos illuminasse dicitur. De cæco, & muto habes etiam Matth. 12. v. 22., ubi patet quod oculos & os sanavit. De auribus ejus etiam creditur quod sanaverit; creditur enim fuisse surdus. Sed inde expressum est testimonium Marci 7. v. 32., ubi adduxerunt ei surdum & mutum, & sanavit eum. De manu arida a Domino sanata habetur Matth. 12. v. 13. Marci 3. v. 3. & Lucæ 6. v. 8. De pedibus, & cruribus habetur Matth. 11. v. 4., ubi dicit Christus: *Euntes renunciate Johanni quæ audistis & vidistis. 5. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt &c.* Hoc autem ideo fecit, ut se ostenderet & Creatorem contra Catharos, qui duo ponunt principia & factorem: & formatorem membrorum corporis humani, ad confusionem illorum Catharorum, qui unum asserentes Creatorem, ponunt diabolum esse factorem & formatorem horum visibilium.

Ex præcedentibus patet quod Christus materialia miracula fecit in his, & de his rebus transitoriis.

Nunc videndum est utrum Ecclesia sua hoc idem fecerit. Quod autem ita sit patet Actor. 3. v. 2., ubi legitur quod *quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suæ, bajulabatur &c.* usque *consolidatæ sunt bases ejus, & plantæ*. Constat quod iste erat Claudus materialiter; alioquin non diceretur *claudus ex utero matris*, & quod bajularetur.

Præterea quomodo diceretur v. 7.: *Et protinus consolidatæ sunt bases ejus & plantæ. 8. Et exiliens stetit, & ambulabat: & intravit cum illis in templum ambulans & exiliens, & laudans Deum &c.* usque *in eo, quod contigerat illi?* Ergo istud, quod ei contigit materiale factum fuit. Si forte dicas quod videbat visu spirituali.

Contra. Omnis ille populus cæcus erat spiritualiter. Ergo non videbat spiritualiter. Hujus assertionis probatio hæc est, quia dixit Petrus eis v. 19.: *Pœnitemini igitur & convertimini, ut deleantur peccata vestra*. Nondum igitur conversi, vel pœnitentes erant, neque deleta erant eorum peccata. Erant ergo cæci spiritualiter, & ita ut prius. Ergo non videbant spiritualiter illum sanatum, sed tantum materialiter.

Præterea si esset populus ille spiritualiter videns, non admiraretur in hoc facto, neque intueretur Petrum & Johannem, quasi sua virtute, aut sua potestate fecerint illum ambulare, sed tantum Dei virtute, qui glorificavit filium suum Jesum in sanitate collata illi claudo. Mirantur autem, & intuentur eos, quasi sua virtute hoc fecerint. Ergo non erant sprirritualiter videntes, sed tantum materialiter; & ita fuit factum hoc materiale.

Præterea si spirituale factum esset, non judicarentur pro isto facto, cum sciretur ab illis esse. Sed nonne dicit Petrus Actor. 4. v. 8.: *Principes populi & seniores audite: 9. Si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste salvus factus est?* Nonne etiam dicit eis Petrus v. 10.: *Quia in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus*, id est vobis videntibus? Isti autem spiritualiter erant cæci: non est dubium; unde denunciabant eis, ne loquerentur, aut docerent in nomine Jesu.

Præterea dicitur ibi v. 14. quod *hominem quoque videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere*; quasi dicat; ita notum erat eis. Item dicebant v. 16.: *Quid faciemus hominibus istis? Quoniam quidem notum signum factum est per eos omnibus habitantibus Jerusalem: manifestum est, & non possumus negare.* Si signum eis, & aliis notum, quod negare non poterant: Ergo materiale signum fuit; alioquin eis notum non fuisset; vel si notum fuisset, non indignati fuissent eis.

Quod autem tantum in hoc mundo, & in ista Jerusalem terrena factum fuerit istud miraculum patet ex eo, quod ibi dicitur v. 22.: *Annorum enim erat amplius quadraginta homo, in quo factum fuerat signum istud sanitatis.*

Item per orationem Apostolorum ad Dominum fusam v. 24. *Domine tu es, qui fecisti cælum & terram &c.* usque *decreverunt fieri*; Non enim invenitur, quod Herodes & Pontius Pilatus istud alibi fecerint.

Idem potest probari per multos a Petro curatos Actor. 5., & per Æneam paralyticum sanatum a Petro in Lydda Actor. 9. v. 34. & per Tabitham discipulam ab eodem resuscitatam in Joppe, ibidem v. 40. & 41. Item Actor. 14. v. 7. per quemdam claudum sanatum a Paulo. (2)

CA-

(2) Thomas Vvoolstonus, qui κατὰ λέξιν accipi oportere negat Christi miracula, Irenæum, Origenem, Theophilum Antiochenum, Hilarium, Augustinum, Ambrosium, Hieronymum, Chrysostomum, Eucherium, Johannem Hierosolymitanum, & Theophylactum sibi præsidio esse jactat; quare horum testimoniis suum illud opinionis portentum tueri studet. Itaque, ut constare possit, quæ fuerit veterum Patrum de Miraculis Christi vera & germana sententia, quædam eorum testimonia afferenda in medium sunt. Ac Irenæus quidem, ut corporum resurrectionem evincat, corpora miro quodam modo curata fuisse a Christo prædicat *lib. v. cap.* xv. *n.* 2. *pag.* 311. Id vero argumenti genus nullius esset roboris, si Christi prodigia, non corporum, sed animorum tantum sanitatem spectarent. Origenes autem etsi omnia in allegoricum sensum vertere plerumque conatus fuerit, quod illi vitio vertunt Epiphanius, & recentiore memoria, Petrus Daniel Huetius, clare tamen, atque perspicue libro II. contra Celsum *n.* 48. *pag.* 422. *Tom.* 1. *Opp.* Christi miracula tam fuisse certa pronunciat, ut ne Celsus quidem Christianæ Religionis hostis, ea in controversiam revocare potuerit: *Jam sæpe Celsus, quia inficiari non potuerat miracula, quæ Jesus fecisse scribitur, illa præstigiis tribuenda esse calumniatus est, & nos contra sæpe pro viribus pugnavimus. Nunc autem nobis, quasi interrogatis, qua caussa illum esse filium Dei judicaverimus; id responsi adscribit nos ita judicasse*, quod & claudos, & cæcos curaverit, *quibus addit*: quodque, ut dicitis vos, mortuos suscitaverit. *Claudos, & cæcos a Jesu fuisse curatos, quamobrem illum pro Christo, Denique Filio habemus, inde perspicuum est, quod & in prophetiis scriptum sit*: tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum audient &c. *Mortuos autem fuisse suscitatos, nec istud commentos esse, qui Evangelia scripserint æque constat. Nam si figmentum esset, plures suscitatos recensuissent, eosque diutius in monumentis dixissent fuisse moratos. Illos contra, quæ suam sinceritas est, perpaucos enumerant, nimirum Archisyna-*

gogi

CAP. X.

Quæritur an differentia illa, quam constituunt Hæretici inter corpus, & animam possit stare: & contra hoc, quod dicunt aliud esse animam, aliud esse Spiritum; & Populum Dei ex corpore, anima, & spiritu constare.

§. UNICUS.

NUnc accedentes ad decimum Capitulum hujus partis, videamus utrum differentia illa, quam dicunt Cathari, qui duo ponunt principia (1) sit inter animam, & spiritum. Illi enim Cathari; qui duo ponunt principia, dicunt Populum Dei constare ex tribus, scilicet corpore, anima, & spiritu præsidente utrique. Et hoc volunt habere ex illo verbo Apostoli 1. Thessa. 5. v. 23. *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia: ut integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur?* Aliud est ergo anima, & aliud spiritus.

Item tres Pueri in fornace benedicentes Dominum, quasi uno ore dicebant Dan. 3. v. 86. *Benedicite spiritus, & animæ justorum Domino.*

Item B. Virgo Luc. 1. v. 46. ait: *Magnificat anima mea Dominum*: 47. *Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* De cujus etiam corpore habetur Luc. 11. v. 27. ubi dicitur: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti.* Ubi per partes corporis ejus totum corpus Virginis designatur.

Item in Christo etiam idem invenitur; legitur enim de eo Jo: 19. v. 30. *Et inclinato capite tradidit spiritum.* Item Jo: 10. v. 17. *Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam.* Item Jo: 19. v. 38. *Rogavit Pilatum Joseph ab Arimathæa (eo quod esset discipulus Jesu, occultus autem propter metum Judæorum) ut tolleret corpus Jesu.* Multa quidem & alia testimonia possunt inveniri, quibus appareat aliud esse animam, & aliud spiritum.

Sciendum est autem, quod per spiritum intelligunt isti Hæretici Angelos, de quibus legitur Hæb. 1. v. 7. *Qui facit Angelos suos spiritus.* Quod sic intelligitur: Deus spiritus cælestes facit Angelos, id est nuncios suos, de quibus ibidem dicitur 14. *Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Officium

O

gogi filiam, de qua nescio cur dixerit, non mortua est, sed dormit, *peculiare quid de illa inquiens quod omnibus mortuis non inerat, & unicum viduæ filium, quem miseratur, vitæ restituit, jussis bajulis consistere, tertium denique Lazarum, jam quatuor dies in sepulcro inclusum. Qua de re candidiores harum rerum æstimatores .... admonebo quemadmodum multi erant leprosi, solus vero sanatus est Naaman syrus; sicut multæ viduæ fuerunt ætate Eliæ Prophetæ, nec tamen ad ullam missus est Elias, præterquam ad sareptanam sidoniæ .... sic multos, dum Jesus in vivis esset, mortuos fuisse, sed solos esse suscitatos, quos suscitari expedire verbum judicavit, ut miracula illa non solum quarumdam rerum signa essent sed etiam per se ad admirabilem Evangelii doctrinam multos allicerent.* Hæc autem quæ fuse persequitur Origenes ad veritatem plane evincunt, miracula a Christo Servatore patrata non animam solum, sed etiam corpus spectare, alioquin, nisi Adamantius in ea sententia fuisset versatus, qui fieri potuisset, ut Celsum diceret, negare non potuisse Christi miracula? Nam infensissimus ille Christiani nominis hostis ita erat animo comparatus, ut animis nullam salutem collatam a Jesu, quem præstigiatorem esse jactabat, sed corporibus tantummodo concessam sanitatem arbitraretur. Jam vero, vim magnam copiamque hominum fuisse a peccatis liberatos constat; cum tamen Origenes tres fuisse a mortuis excitatos fateatur. Quod si de salute animorum & allegorice hæc *resuscitatio* intelligi deberet, non equidem video, cur Origenes tres tantum a mortuis revocatos fuisse, & non multo plures, ut Apostolos, ut discipulos, ut alios quamplurimos dixerit. Constat ergo Origenem vera Christi miracula agnovisse *κατὰ λέξιν*. Quod si is, qui plurimum sensui allegorico tribuebat, ab iis, stetit; qui litteralem, in eo quod ad miracula pertinet, sequuntur; ceteri profecto Patres multo magis communem, ac pervulgatam sententiam complexi fuerint necesse est. Adeundi Cyrillus Hierosolymitanus *Homil. in Paraliticum juxta Piscinam jacentem per tot. pag.* 336. *seqq.* Archelaus disputatione cum Manete *n.* XXXVI. *pag.* 63. Cyrillus Alexandrinus *lib.* I. *Adversus Anthropomorphitas cap.* XXII. *pag.* 392. *Tom.* VI. *Opp. Edit. an.* 1638. Theodoretus *Serm.* X. *de Providentia pag.* 446. *Tom.* IV. *Opp. Edit. an.* 1642. Theophilus Alexandrinus *lib. Paschali* II. *Inter Opp. S. Hieronymi col.* 706. *seq. Tom.* IV. *Edit. Martianæi.* Consulat præterea Lector commentarios Hieronymi in Matthæum, & Ambrosii in Lucam, Augustini quoque libros de Civitate Dei, ceterorumque Sanctorum opera; itaque fiet, ut animadvertat, merito ab Regni Anglicani senatu Vvoolstoni librum damnatum fuisse, & pœnam intentatam improbo auctori, ni ille, ut meritum supplicium subterfugeret ad Judæorum cœtum nefarie transivisset. Sed qui de Miraculis, deque Miraculorum gradibus, caussa efficiente, & *finali*, ut vocant miraculorum, quæ circa corpora versantur, plura volet, pervolvat *libri* IV. *P.* I. *cap.* I. *seqq. Operis de Servorum Dei Beatif. & Beator. Canoniz.* quod opus summa diligentia, eruditione, atque doctrina elaboravit Prosper Cardinalis Lambertinus, nunc *Benedictus* XIV. *Pont. Max.* qui universam Ecclesiam incredibili sapientia, prudentia, & pietate regit, ac moderatur.

(1) Catharos opinor Albanenses hic vexat Moneta. Horum quippe erat propria de principiis duobus opinio: ut Sachonus contendit; quamvis nihil de dogmate spiritus, animæ, & corporis cælestis divisione ab illis propugnata, memoriæ posterorum tradiderit. Verum animi a spiritu distinctionem veteres plerique tutati sunt. Justinus Martyr *in Dialogo cum Tryphone pag.* 224. Senem quemdam loquentem introducit animam a spiritu secernentem. Id vero quemadmodum intelligi debeat, videre quis apud Nourrium poterit *Tom.* I. *Apparat. ad Bibl. Max. Veterum PP. Dissert.* II. *cap.* V. §. XIX. *pag.* 421. Eodem spectant, quæ habet Tatianus *Oratione ad Græcos pag.* 152. *Anima*, inquit, *spiritui Divino conjuncta, non caret auxilio, verum ascendit illuc, quo ducitur a spiritu .... Et factus est quidem ab initio spiritus animæ familiaris, sed cum non vellet Spiritum sequi, ab eo secreta est.* Sed loqui alicubi Tatianum de Donis Spiritus Sancti, existimat Nourrius *ibid. Diss.* V. *cap.* II. *pag.* 541. quamvis tamen non diffitetur, Tatianum ipsum divisisse hominem in partes tres: videlicet in corpus, animam, & spiritum. Affert autem Nourrius locum Hieronymi ex Epistola ad Hedibiam *Quæst.* XII. qui tradit fuisse aliquos Christianos, qui defenderent: *Triplicem in homine esse substantiam, spiritus, quo sentimus, animæ, qua vivimus, corporis, quo incedimus.* Simile quidpiam reperire licet in Irenæi *lib.* IV. *cap.* VI. *n.* I. *seqq.* Sed de Donis Spiritus Sancti, quæ ab animo differunt, sermonem ibi institui ab Irenæo, censet Massuetius *pag.* 299. *Nota M. Et Dissert. Præv.* III. *In Irenæi libros Artic.* X. *n.* 118. *seq.* Consule Nourrium *Diss.* VI. *cap.* IX. §. I. *pag.* 610. Valentiniani hæretici triplicem in uno homine hominem esse putabant: *Materialem, Psychicum*, seu *animalem*, & *spiritalem* ortum e *spiritali* semine, quod ex angelorum contemplatione protulit Achamot. Videtor Massuetius *Dissert.* I. *cap.* I. *Art.* I. *num.* 72. *pag.* 44. Id vero a Platonicis acceperant, quod observat ibidem Massuetius: Distingunt etiam Vveigelliani hæretici spiritum ab animo, quippe qui tres esse partes hominis *essentiales* censeant: *Corpus terrestre, spiritum æthereum, & animam divinam.* Vide Gasparem Calvorium *in Fissura Sionis pag.* 560. Sed, quem Cathari ab animo secernebant, non sensu Patrum, qui aut dona Spiritus Sancti, aut quam nos *rationalem* animum appellamus intelligentem volentemque, spiritus nomine indicabant, sed longe diverso ac discrepanti. Eum quippe subsistens nescio quid esse, neque exstare in corpore, sed adsistere dumtaxat animæ contendebant. Quin etiam peccasse quidem ajebant animas, quamobrem illigatas fuisse corporibus, mansisse autem spiritus in cælo, quos tamen animabus accedere existimabant, quo tempore fidem *Catharisticam* colere, manusque impositione initiari cœpissent. Vide nostrum in *Prol. hujus lib.* I.

cium ergo bonorum ſpirituum eſt miniſtrare animabus, & regere eas, atque cuſtodire; Animæ vero officium eſt recipere ſpiritus miniſterium, conſilium, regimen, atque cuſtodiam. Sic autem ſumpto nomine ſpiritus, ſcilicet pro ſpiritibus, ideſt Angelis cæleſtibus, non eſt dubium quin differentia eſſentialis ſit inter animam, & ſpiritum. Notum tamen eſt apud Viros peritos, quod hoc nomen ſpiritus commune eſt ad omnem ſubſtantiam ſpiritualem, ideſt ad Angelicam naturam, & Animam humanam; Scimus enim quod ſubſtantiarum alia ſpiritualis eſt, alia corporalis: Item ſubſtantiarum ſpiritualium alia anima, & alia Angelus. Sicut ergo ſpiritualis ſubſtantia communiter ſe habet ad Angelum, & animam; ſic ſpiritus communiter dicitur de utroque.

Non negamus etiam quod Angelicus Spiritus regat humanum, qui anima appellatur, quod ei miniſtret, quod eum cuſtodiat; quod enim de Chriſto dictum eſt Pſal. 90. v. 11. *Angelis ſuis Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis*; hoc etiam de aliis hominibus membris Chriſti Capitis debet intelligi, ut vult Apoſtolus Heb. 1. v. 14. *Omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus &c.*

Peccant autem multipliciter Cathari. Primo, quia ignari virtutis hujus nominis Spiritus, indiſtincte dicunt aliud eſſe animam, & aliud ſpiritum. Secundo modo peccant, quia dicunt Populum Dei cæleſtem conſtare ex tribus, ſcilicet corpore, anima, & ſpiritu Angelico. Hoc vero in nullo inveniunt teſtimonio, ſcilicet quod cæleſtis Dei Populus ex iis conſtet. Subſtantiæ illæ, quæ communi vocabulo dicuntur Angeli, ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ; animæ autem humanæ ſunt ſubſtantiæ conjunctæ his corporibus, quæ per ipſas in vita ſubſiſtunt.

Quod autem peccent in primo patet teſtimonio Domini Matth. 20. v. 28. ubi ait: *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam, redemptionem pro multis*. Iſtam etiam appellat Jo: cap. 19. v. 30. Spiritum, ubi ait: *Et inclinato capite tradidit ſpiritum*, ſupple, *redemptionem pro multis*.

Præterea ipſe tradidit ſpiritum. Si ipſe conſtabat ex ſpiritu, & anima, & corpore, dicas mihi: numquid anima ejus tradidit ſpiritum? Non, quia ſpiritus non eſt in poteſtate animæ, ſed è contrario. Quomodo ergo dicit, quod *tradidit ſpiritum*, niſi quia ſpiritus eſt ipſa anima? Unde Epheſ. 5. v. 2. dicitur quod *tradidit ſemetipſum*.

Item alio modo patet eos peccare; Conſtat enim quod nullus Spiritus Angelicus eſt in homine, quod etiam ipſi fatentur: Spiritus autem humanus in ipſo eſt, ut dicit Apoſtolus 1. Cor. 2. v. 11. Ergo ſpiritus humanus, non ſpiritus Angelicus, ſive Angelus, ſicut ipſi dicunt; immo eſt ipſa anima humana, quæ in veritate eſt in ipſo homine.

Tertio etiam modo conſtat eos peccare, ſi inſpiciantur Scripturæ, in quibus ſit mentio de ſpiritibus, quos ipſi exponunt de Angelis. Numquid illi poſſunt corrumpi, aut peccare? Si dicas, quod non: Quare ergo illam auctoritatem Apoſtoli 1. Theſs. 5. *Ut integer ſpiritus &c.* expoſuiſti de illo ſpiritu Angelico? Hoc enim ipſo quod Apoſtolus dixerat: *Ut integer ſpiritus veſter &c.* videtur quod poſſit corrumpi, vel peccare.

Si autem dicas, quod corrumpi poteſt, vel peccare; mirum eſt quod hoc audeas dicere, cum dicas quod Draco non traxit niſi tertiam partem Stellarum, ideſt Populi Dei; hoc eſt animas relictis corporibus ibi, & aliis ſpiritibus. Et quare eos reliquit, & non traxit ſecum, niſi quia in eis poteſtatem non habuit, ut faceret eos peccare? Ipſi enim ſecundum te per ſe non poſſunt peccare; alioquin ex bono poſſet eſſe malum, quod tu negas: de quo dictum eſt ſupra in eadem parte cap. 3.

Si autem quæras a me qualiter ibi ſumatur ſpiritus, dico quod pro dono, ſive gratia ſpirituali; unde ſupra dixerat v. 20. *Spiritum nolite extinguere*, id eſt gratiam ſpiritualem in aliquo homine datam nolite deſtruere.

Item Hæretice illam auctoritatem 1. Corinth. 14. v. 12. *Quoniam æmulatores eſtis ſpirituum, ad ædificationem Eccleſiæ quærite ut abundetis*, prave exponis de Spiritibus Angelicis hominum rectoribus. Quod patet ex eo, quod ſi ſunt rectores eorum, majores eis ſunt: Item ex eo, quod non peccaverunt, neque ad peccatum induci potuerunt a Principe hujus Mundi patet, quod majores ſunt animabus Corinthiorum. Male ergo diceret Apoſtolus ibi v. 32. *Spiritus Prophetarum prophetis ſubjecti ſunt*.

Si autem dicas mihi quomodo ibi ſumatur ſpiritus, dico quod pro donis Spiritus Sancti, & principalis, quæ quidem dona Prophetis ſubjecta ſunt, quia in poteſtate liberi arbitrii habent uſum eorum, ut poſſint uti eis, & non uti, ſi volunt. Vis autem videre hoc, quod dico? Attende illud, quod dicit Apoſtolus in principio capitis 14. ipſis Corinthiis: *Sectamini charitatem, æmulamini ſpiritalia: magis autem, ut prophetetis*. Ergo cum dicit Apoſtolus: *Æmulatores eſtis ſpirituum* intelligendum eſt: ſpiritualium donorum a Spiritu Sancto datorum; ſicut habetur in eadem Epiſtola cap. 12. v. 11., ubi enumeratis quibuſdam donis dicitur: *Hæc autem omnia operatur unus, atque idem ſpiritus, dividens ſingulis prout vult*. Sic etiam ſumit Apoſtolus 1. Cor. 14. v. 14. ubi ait: *Nam ſi orem lingua*, ſupple mihi incognita, *Spiritus meus orat*, ideſt facit me orare: *mens autem mea*, ideſt intelligentia *ſine fructu eſt*, quia non intelligit quod dico. Quod autem ſic intelligatur: *Si orem lingua mihi incognita &c.* patet parum ſupra, ubi dixerat v. 11. *Si ergo neſciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus*.

Item prave exponis Hæretice Spiritum Chriſti, id eſt ipſum Angelum, quem rectorem Animæ Chriſti ponis, fuiſſe illum, de quo dicit Petrus in prima Epiſtola ſua v. 10. *De qua ſalute exquiſierunt, atque ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt*: 11. *Scrutantes in quod, vel quale tempus ſignificaret in eis Spiritus Chriſti*. Immo Spiritus Chriſti dicitur Spiritus Sanctus, atque Principalis, de quo dicemus, & oſtendemus inferius: quod ſummus Deus, a quo Spiritu Prophetæ habent quod dicunt, & intelligunt, ut dicitur 1. Corinth. 12. v. 10. Similiter & Rom. 8. v. 26. ubi dicitur: *Nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus: ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*; id eſt facit nos poſtulare, & gemere; dicitur enim

enim facere facit; unde parum ante ait Apoſtolus in perſona ſua, & aliorum Apoſtolorum v. 23. *Nos ipſi primitias ſpiritus habentes: & ipſi intra nos gemimus.*

De iſto etiam ſpiritu, ſicut tu ipſe dixiſti, intelligitur illud Apoſtoli verbum Rom. 8. v. 15. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater). 16. Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quod ſumus Filii Dei.* Et in principio illius Capitis v. 3. ita loquitur: *Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, 4. ut juſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum. 5. Qui enim ſecundum carnem ſunt: quæ carnis ſunt, ſapiunt. Qui vero ſecundum ſpiritum ſunt: quæ ſunt ſpiritus, ſentiunt.* Præterea dicit v. 8. *Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. 9. Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu: ſi tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Chriſti non habet: hic non eſt ejus.* Modo quæro a te: quid appellas Spiritum Chriſti? Numquid Angelum ſuum, ex quo conſtat, & ex anima, & corpore? Non; alii enim non conſtant ex illo. Appellatur ergo Spiritus Chriſti Spiritus Sanctus, ſive principalis. De hoc igitur loquitur Petrus in præfata auctoritate: *de qua ſalute &c.*

Præterea dic mihi: Apoſtolus dicit ſtatim Rom. 8. v. 10. *Si autem Chriſtus in vobis eſt: Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum: Spiritus vero vivit propter juſtificationem.* De quo ſpiritu loquitur? Numquid de principali? Non. Numquid de Angelo, ex quo, & corpore, & anima conſtat qui eſt de Populo Dei boni? Non, quia dicit Apoſtolus: *Si autem Chriſtus in vobis eſt: Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum: Spiritus vero &c.* Licet enim Chriſtus non eſſet in eis, tamen ille Spiritus viveret, quia numquam peccavit, ut dicis.

Præterea dicit quod ſpiritus eorum vivit propter juſtificationem. Quæ autem ſit illa juſtificatio patet ubi dixit Apoſtolus parum ante: *Deus Filium ſuum mittens &c.* uſque *ſed ſecundum ſpiritum.* Iſta autem juſtificatio eſt, quando quis de injuſto fit juſtus; unde & ait: *De peccato damnavit peccatum in carne, ut juſtificatio legis impleretur in nobis.* Sic ergo neceſſe eſſet quod iſte ſpiritus prius peccaſſet, & poſtea a peccato juſtificatus eſſet. Hoc ſecundum te eſſe non poteſt, qui ponis illum ſpiritum non peccaſſe. Spiritus igitur non venit ibi pro ſpiritu Angelico. Venit igitur pro anima, quæ eſt ſpiritus hominis.

Præterea ſi Populus Dei conſtat ex illis tribus, & anima tantum peccavit, potius debuit dicere Apoſtolus: Anima enim mortua eſt propter peccatum, quam *corpus mortuum eſt propter peccatum.*

Et nota quod cum Apoſtolus dicit, quod Deus Pater, vel Filius Dei *damnavit*, id eſt deſtruxit peccatum, per peccatum intelligitur Diabolus, quem, id eſt, cujus poteſtatem deſtruxit in hominibus; *de*, id eſt pro peccato, quod fecit in carne Chriſti. Hebr. 2. v. 14. *Quia ergo pueri communicaverunt carni, & ſanguini, & ipſe ſimiliter participavit eiſdem: ut per mortem deſtruxerit eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, Diabolum.*

Et quia prius diximus quod anima ſpiritus dicitur, & eſt prædicatio generis de ſpecie, teſtimoniis divinarum Scripturarum hæc oſtendamus; Apud Philoſophos enim hoc notum eſt. Dicitur Eccle. 3. v. 21. *Quis novit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum?* Conſtat enim quod ſpiritus jumentorum non dicitur, niſi anima ſenſibilis, & ſpiritus filiorum Adam dicitur anima rationalis. Item Eccle. 12. v. 7. *Et revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Idem ergo dicitur anima, & ſpiritus. Sciendum autem quod alia ratione dicitur anima, & alia ſpiritus. Anima dicitur ſecundum quod alit corpus, unde dicitur ab alo alis. Dicitur ergo anima in comparatione ad corpus; unde Ariſtoteles deſcribens quid ſit anima ſecundum quod dicitur anima, dicit quod eſt ἐντελέχεια Entelechia, ideſt, profectio corporis viventis potentia: (2) Spiritus autem dicitur ſecundum quod reſpicit ad Deum Creatorem ſuum per intelligentiam, & dilectionem; unde & Sap. 5. v. 16. dicitur de juſtis *quod apud Dominum eſt merces eorum, & cogitatio illorum apud Altiſſimum.* Et David Pſal. 37. v. 10. de ſe ait: *Domine ante te omne deſiderium meum &c.* Propter iſta duo dicebat idem David ad eum Pſal. 24. v. 1. *Ad te Domine levavi animam meam &c.* Et Pſal. 122. v. 1. *Ad te levavi oculos meos:* quod fit quando intelligentia, & affectus in ipſum fertur. Ex prædictis patet ſpiritum quandoque ſumi pro Spiritu Sancto, quandoque pro donis ejus, quandoque pro ſpiritu humano, ideſt, pro anima. Quandoque etiam ſumitur ſpiritus, pro ſpiritu vitali, animali, & naturali, qui eſt corpus ſubtile; Quandoque etiam ſumitur pro vento; unde Act. 2. v. 2. *Tamquam advenientis ſpiritus vehementis*; quandoque ſumitur pro mente humana; unde Prov. 29. v. 11. *Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus*; quandoque pro ira, ſive vindicta; Prov. 1. v. 23. *En proferam vobis ſpiritum meum*; Et Iſa. 19. v. 3. *Dirumpetur ſpiritus Ægypti in viſceribus ejus*; quandoque ſumitur pro ſplendore ſpiritualis intellectus, qui datur Prophetis, & cum quo prophetant; unde num. 11. v. 25. dicitur quod cum requieviſſet in 70. viris ſpiritus prophetaverunt, nec ultra ceſſaverunt.

Explicit Liber Primus.

(2) Cicero in 1. Tuſculanarum Quæſtionum *cap.* x. *Ariſtoteles,* inquit, ... *ipſum animum* ἐντελέχειαν *appellat novo nomine, quaſi continuatam motionem, & perennem. Vide Ariſtot. lib.* 1I. *De Anima cap.* 1. *Et notas Daviſii in locum Ciceron. mox indicatum.*

VENERABILIS PATRIS MONETÆ CREMONENSIS ORDINIS PRÆDICATORUM SUMMÆ ADVERSUS CATHAROS, ET VALDENSES

LIBER SECUNDUS.

Pertractata hujus Operis particula prima, ad secundam accedamus: dividitur autem ista particula in novem Capitula.

Primum Cap. est de radicibus, quibus innituntur illi hæretici, qui unum asserunt Creatorem, & improbantur ille radices.

Secundum Cap. est de factura, & formatione horum visibilium, an fuerit a Deo Patre Christi, vel a Diabolo, ut dicunt.

Tertium Cap. est de persuasionibus phantasticis, quibus communiter utuntur utrique Cathari accusantes Creatorem suum, vel facturam horum visibilium ad subversionem simplicium.

Quartum Cap. est de formatione, & factura Animarum humanarum, an a Deo sancto sit, an a Diabolo, ut ajunt Hæretici ponentes, quod traduntur ex spiritu Adæ.

Quintum Cap. est de esu quarundam rerum utrum licitus sit, postquam constiterit, quod a Deo sunt distinctæ secundum suas species.

Sextum Cap. an Deus dator veteris Testamenti bonus fuerit?


Septimum Cap. an ipsum vetus Testamentum bonum fuerit?

Octavum Cap. an in veteri Testamento, & ante adventum Christi fuerint aliqui boni viri?

Nonum Cap. est de Miraculis.

CAP. I.

De Radicibus, quibus innituntur Hæretici, qui unum asserunt Creatorem, & improbantur illæ radices, & de opinionibus erroneis eorum, qui ponunt unum Principium, unde illas firmare nitantur?



Irca primum Capitulum quæramus utrum ista visibilia, & transitoria formata sint, & distincta secundum species suas, quas habent, a Deo uno sancto, quod capitulum licet sit contra omnes Catharos, specialiter tamen inducimus ipsum contra illos, qui unum Deum tantum ponentes, ipsum asserunt omnia creasse scilicet cælestia, idest Angelos omnes, & terrestria; huic autem veritati fermentum immiscent hæreticæ pravitatis dicentes, quod Deus quatuor elementa Mundi, idest materiam eorum ex nihilo in esse produxit (1), quod alii Cathari non fatentur; dicunt tamen, quod Diabolus illam materiam prius confusam in quatuor elementa distinxit, & species rerum ex illis (2) quatuor elementis fecit, & distinxit propriis, & specificis differentiis; materiale igitur principium dedit Deus ipsis speciebus, propter quod etiam dicunt Deum esse Creatorem horum visibilium, factorem autem non dicunt ipsum istorum, nisi sub velamine; sed Diabolus secundum eos suas formas specificas dedit his rebus, unde eum proprie factorem dicunt visibilium rerum, quia de aliquo operatus est, & propter

(1) Videsis Notam VIII. *ad cap.* VIII. *lib.* I.

(2) Gnosticorum princeps Simon Magus, & alii qui ex eo profecti sunt hæresiarchæ, mundum conditum esse putabant. Aditor Irenæus *lib.* I. *cap.* XXIII. *al.* XX. *nu.* I. *&* *cap.* XXIV. *al.* XXII. *n.* I. *&* IV. *&* *cap.* XXV. *al.* XXIV. *n.* I. & Massueti *Dissertatio* I. *Præv. in Irenæi libros n.* 48. *pag.* XXXI. Augustinus quoque *libro de Hæresibus cap.* XX. quod est *de Archonticis*. Atqui negari nequit Catharorum hujusmodi sententiam ita esse Bogomiliorum errori similem; ut nihil esse possit similius. Consule Euthymium *loco cit. cap.* VII. Quod autem de Satana qui primo venit, adjungit Noster;

pter hoc ipsum etiam Mundi principium a Christo asserunt apellari. Creatorem autem eum non concedunt, quia ponunt, quod creare est de nihilo aliquod facere.

Dicunt etiam, quod iste est Lucifer, qui a Deo creatus est, & fuit bonus, sed propter superbiam suam contra Creatorem cum multis aliis Angelis sibi faventibus de Cælo ejectus est, quod nos etiam non negamus.

Asserunt etiam, quod peccatum ab eo habuit initium per liberum arbitrium, sicut & nos credimus, modus autem, quo ab ipso habuit initium ipsum peccatum, hic est secundum quod ipsi fabulantur. Sathan primo venit ad videndum quod creatum erat a Deo, & cupivit hic regnare, ista autem ejus cupiditas radix fuit omnium malorum, ut ipsi dicunt dixisse Apostolum 1. ad Timoth. 6. v. 10. Postea rediit, & astra cæli, idest Angelos multos seduxit, de quibus secundum eos dixit Apostolus 1. ad Corinth. 15. v. 41. *alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum*; dicunt enim, quod Sol, & Luna, & aliæ Stellæ Dæmones sunt, adjicientes, quod Sol, & Luna semel in mense adulterium committunt, quia in Astronomia legitur de coitu Solis, & Lunæ. Dicunt etiam, quod ros ex illo coitu spargitur super aerem, & super terram, quod istam claritatem amittent, & habebunt eam salvandi, qui ex semine Angelico, scilicet, qui ex Adam generati fuerunt; credunt enim, & dicunt spiritum Adæ Angelum fuisse, ex quo spiritu omne genus hominum propagatur super faciem terræ, & hoc credunt Apostolum dixisse Act. 17. v. 26. *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ*; quod factum est.

Credunt etiam, quod sicut caro (3) ex carne per coitum nascitur, ita spiritus ex spiritu procreatur; dicunt enim, quod Adæ spiritus, qui erat cælestis Angelus ex mandato Dei venit ad videndum, qualiter Lucifer elementa distinxerat, & rerum species ex eisdem, antequam homo esset in terra, quem Lucifer apprehendit, & in corpore carneo velut in carcere reclusit dicens ei: Math. 18. v. 26. *redde quod debes*, idest subjice te carni humanæ. Adam autem procidens, rogabat eum dicens: *patientiam habe in me*, idest dimitte me sic, & non includas in carcere luteo, *& ego omnia reddam tibi*, quia multum tibi serviam; Sathan autem noluit eum sic dimittere, sed inclusit eum in corpore luteo, donec debitum universum redderet, idest libidinem, & luxuriam carnis cum Eva expleret.

§. I.

De Parabola Servi nolentis misereri Conservo suo.

HUic autem fabulæ adaptare nituntur parabolam illam, quæ habetur Math. 18. v. 23. ubi dicitur: *Assimilatum est Regnum Cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis*, idest cum Angelis v. 24. *Et cum cæpisset rationem ponere, oblatus est ei unus*, idest Sathan, *qui debebat ei decem millia talenta*, idest qui multum, & irreparabiliter eum offenderat: v. 25. *Cum autem non haberet, unde redderet, & unde satisfaceret jussit eum Dominus ejus venundari, & uxorem ejus, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi*. *Uxorem* apellat Sapientiam, *ejus filios*, alios Angelos sibi subjectos, & ei faventes, *omnia quæ habebat* dicunt naturalia ejus bona. v. 26. *Procidens autem servus ille orabat eum dicens: patientiam habe in me, & omnia reddam tibi*. v. 27. *Misertus autem Dominus servi illius dimisit eum, & debitum dimisit ei*, quia sapientiam, & subditos, & omnia sua bona naturalia non abstulit ei, quod autem dixit: *omnia reddam tibi*. Sic intelligitur: Si patientiam in me habueris, idest si me permiseris facere, ego tot homines faciam (4) ex quibus numerum Angelorum tuorum, quod tibi abstuli, supplere poteris, & sic dimisit eum, idest licentiavit eum, ut faceret sex diebus, quod vellet de materia primo creata v. 28. *Egressus autem servus ille operatus est omnia illa*, quæ dicuntur in Genesi usque ad hominem, quo nundum facto spiritum Adæ, sicut dictum est, humanæ carni subjecit invitum, & hoc est, quod dicit Paulus secundum eos ad Rom. 8. v. 20. *Vanitati enim creatura subjecta est non volens*.

Unde etiam illam Parabolam Domini (5) Lucæ 10. v. 30. *Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Jerico* de Adam exponunt, id est de ejus spiritu dicentes, quod spiritus Adæ descendit de cælesti Hierusalem in mundum, *& incidit in latrones*, id est in malignos spiritus, *qui etiam despoliaverunt eum* luce, quam habebat. Hanc autem lucem dicunt solem, & lunam, & stellas rapuisse ei, & eam induisse: *& plagis impositis abierunt semivivo relicto*. Plagas appellant peccata, eum autem semivivum relictum dicunt tripliciter, vel quia morti comparabilis erat ejus carnalis vita, vel quia adhuc restituendus, vel quia ei fidem non abstulerunt, licet in alia peccata eum præcipitassent v. 31. *Accidit autem, ut sacerdos quidam descenderet eadem via: & viso illo*

ster; fallor quibusnam Catharis probatum fuerit. Nam Raineriús Sachonus, Ecbertus, Bonacursus, & qui de Catharis loquuti sunt, expressam hujusce fabulæ non faciunt mentionem. Verum si conjecturis ullus tribuendus est locus, dicerem equidem proprium hoc erroris portentum eorum Catharorum fuisse, qui *de Concorrezo* appellabantur. Sic enim habet Sachonus *pag.* 1773. *Errant credendo, quod diabolus, de licentia Dei formavit omnia visibilia, sive hunc mundum. Item credunt, quod diabolus formavit corpus primi hominis, & in illud effudit unum angelum, qui in modico jam peccaverat. Item quod omnes animæ sint ex traduce ab illo Angelo*; quæ omnia eodem omnino recidunt, quæ Catharis *unum principium* propugnantibus, hoc loco adscribit Noster, demptis quibusdam, quæ Sachonus silentio prætermisit, ut est illud *de Coitu, & Adulterio Solis cum Luna, de rore qui ex illo Coitu spargitur &c.* Consule notam 1. in cap. IV. hujusce libri II.

(3) Vide notam 1. in cap. IV. Hujusce libri II.

(4) Euthymius Zigabenus *Parte* II. *Panopliæ Tit.* XXIII. *n.* IX. *dicunt*, inquit, Bogomilii, *Angelos, qui ceciderant, cum intellexissent Satanaelem Patri esse pollicitum, loca ipsorum ex hominum genere completa iri, filias hominum impudice conspexisse &c.*

(5) Consonant his, quæ habet Bonacursus seculi ejusdem scriptor, qui e Catharorum Synagoga ad Ecclesiam Catholicam se recipit, *in vita Hæreticorum. Apud Dacherium Tom.* XIII. *Spicilegii pag.* 63. *seqq. Edit. an.* 1677. *Dicunt etiam*, inquit, *eumdem diabolum Adam de limo terræ fecisse, & quemdam Angelum lucis in eo summa vi inclusisse, de quo credunt dictum esse in Evangelio*: Homo quidam descendebat a Jerusalem in Jericho &c.

illo præterivit: v. 32. *similiter & Levita, cum esset secus locum, & videret eum pertransiit*. Sacerdos autem, id est Melchisedech, & Levita, id est Aaron descendentes eadem via, idest per eadem peccata, eum juvare non potuerunt: v. 33. *sed Samaritanus*, id est Christus iter faciens de cælo in terram per misericordiam suam *appropians ei*, id est carnem assumens *alligavit vulnera ejus*, id est concupiscentiam compescuit, vel peccata dimisit, *infundens oleum, & vinum*, id est pœnitentiam, & Spiritum Sanctum; *& imponens illum in jumentum suum*, id est per corpus suum salvavit eum, *& duxit in stabulum*, id est in Ecclesiam, *& curam ejus egit* v. 35. *& altera die* id est post suam resurrectionem *protulit duos denarios*, id est Evangelium, & Donum Spiritus Sancti, *& dedit stabulario*, id est Præpositis Ecclesiæ, *& ait: curam illius habe*, hoc est pasce oves meas; *& quodcumque supererogaveris, ego, cum rediero, reddam tibi*. Paulus supererogavit, quia prædicavit, & de labore manuum vixit, quamvis Christus dixerat Matth. 10. v. 10. *dignus enim est operarius mercede sua*, id est cibo suo: *Cum rediero*, scilicet in die judicii *reddam tibi*, & cuilibet secundum opus suum. Hi dicunt Sathanam villicum fuisse iniquitatis, de quo dicitur Lucæ 16. v. 1. *Homo quidam dives, qui habebat villicum*, (6) scilicet ipsum, qui nunc est Mundi princeps, & tunc erat princeps super Angelos, *& hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona ipsius*, id est quod non regeret se, & alios secundum voluntatem suam. v. 2. *Et vocavit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ: jam enim non poteris villicare*, idest super Angelos principatum habere. v. 3. *Ait autem villicus intra se: quid faciam, quia Dominus meus aufert a me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubesco*. v. 4. *quid faciam: ut cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas*. v. 5. *Convocatis itaque singulis debitoribus Domini sui*, id est Angelis *dixit uni eorum: Quantum debes Domino meo?* v. 6. *At ille dixit centum cados olei*, id est centum orationes. *Dixitque illi: accipe cautionem tuam: & sede cito scribe quinquaginta*, quasi dicat nimium onus tibi imposuit. v. 7. *Deinde alii dixit: Tu vero quantum debes? Qui ait: centum coros tritici*, id est centum orationes. *Ait illi: accipe litteras tuas, & scribe octoginta*; & ita eos fraudulenter ad sibi consentiendum traxit, ut dicunt, diminuendo laborem eorum; unde & secuti sunt eum ruendo de cælis, *quia filii hujus seculi*, scilicet maligni spiritus, & homines mali filii Diaboli *prudentiores sunt* in malo, & in rebus transitoriis filiis lucis, id est Dei. *Facite ergo vobis amicos* fideles Christianos, id est Catharos, *de mammona iniquitatis*, id est de transitoriis divitiis hujus Mundi.

Hi etiam dicunt spiritum Adæ fuisse Filium adolescentiorem, de quo legitur Lucæ 15. v. 11. *Homo quidam habuit duos filios*, id est Principem prædictum, & spiritum Adæ. Ecce, quid sentiant de Sathana, & quid de Adam, diximus.

§. II.

De peccato Adæ quod fuerit secundum Hæreticos.

NUnc videndum est, quod fuerit peccatum Adæ secundum ipsos. Ad quod melius intelligendum, sciendum est secundum eos, quod Sathan alium Angelum inclusit in corpore muliebri facto de latere Adæ dormientis, cum qua peccavit Adam; fuit autem peccatum Adæ, ut asserunt, fornicatio carnalis, dicunt enim, (7) quod semper accessit ad mulierem, & cum cauda corrupit eam, & ex ejus coitu cum ipsa natum esse Cain, ut dicunt volentes hoc habere per illud, quod habetur 1. Johan. 30. v. 12. *quod Cain ex maligno erat*.

Dicunt etiam, quod mulier in luxuria assuefacta ad Adam ivit, & qualiter cum ipsa coiret, ostendit, & suasit, & sicut Eva suasit ei, sic Adam opere complevit, & istud esse esum (8) ligni scientiæ boni, & mali asserunt, & hoc credunt velatis verbis a Moyse signatum sub nomine pomi vetiti, unde etiam putant, quod propter hoc vir, & mulier continuo membra illa pudenda velaverunt, sed quod propter hoc fuerit, hoc non possunt ostendere, sed hoc factum est, non quod illis membris peccaverint, sed quia ipsi fuerunt rebelles suo superiori, id est Deo vero, eorum inferius, id est caro, suo superiori, id est spiritui rebellavit. Unde Apost. ad Roman. 7. v. 16. *consentio legi, quoniam bona est*. Credunt ex illo concubitu Adæ cum Eva Abel natum, hoc modo quod caro ex carne, & anima ex anima sunt traducta opere Sathanæ.

Cre-

(6) Nempe ita, ut Bogomilii, quod alias a Nobis est observatum. Adeundus Euthymius *in Panoplia Tit.* XXIII. *n.6. pag.*221. *col.* 1.

(7) Sunt hæc etiam ex Bogomiliorum sentina. Euthymius *Panopl.* II. *Parte Tit.* XXIII. *num.* VII. Satanaelem .... *ad insidias proprio figmento Struendas se convertisse*, ait ex Bogomiliorum sententia, *& serpentis visceribus influentem decepisse Evam, & cum illa consuetudinem habuisse, ut ea uterum gerente, semen ipsius semini Adam anteiret, & quod fieri posset illud corrumperet, nec augeri multiplicarique permitteret. Sed Evam mox doloribus partus affectam, peperisse Cain in concubitu Satanaelis, & sororem ei similem, cui nomen fuit Calonena. Adam vero æmulatione commotum rem ipsam quoque habuisse cum Eva, & Abel suscepisse qaem statim interficiens Cain, invidiam in vitam intulit. Ideoque Johannem Apostolum dixisse, quod* Cain ex maligno erat. Sumpta autem hæc sunt a Rabbinis. Legitur enim in *Pirk. Eliez. cap.* XXI. *pag.* 47. seu in Apothegmis Rabbi Eliezeris, quod opus vetus imprimis est, & apud Judæos magnam obtinet auctoritatem. Sic enim habet: *Accessit ad Evam serpens, atque gravida facta est ex Adam, & cap.* XXII. *pag.* 49. *Hinc dicere est Cainum non fuisse ex semine ejus* [Adam], *neque ex similitudine, aut imagine Adam.*

(8) Paria habet Bonacursus *de Vita Hæreticorum pag.* 64. *Conjunctio*, inquit, *Adæ cum Eva, ut dicunt, fuit pomum vetitum.* Fuerunt ante Catharos alii, qui hoc genus erroris defenderent. Eos autem refellit Moses Bar-Cepha *Parte* 1. *Commentarior. de Paradiso cap.* XIX. *Tom.* XVII. *Biblioth. PP. pag.* 464. *Edit. Lugdun.* „ Sunt quidam, *inquit*, qui existiment non fuisse arborem id, „ de quo gustavit Adam, sed venereum amplexum, quo cum uxore ille corpus miscuit; eamque ob rem ajunt partum mulieris „ esse per Dei sententiam doloribus factum obnoxium. Hæc ille. Verum a Rabbinis Verquorum mutuati hæc eadem sunt, qui ita sentiebant; quod hujusmodi nugæ Judæos vehementer delectent.

Credunt autem isti, quod Sathan diluvium (9) fecerit, & quod Abrahæ locutus fuerit.

Item credunt, quod Deus sanctus, Sathana volente perderet totum genus humanum, servaveritque Noe cum Uxore sua, & Filios cum uxoribus pro seminario humani generis, & ex omnibus animantibus, & volatilibus masculum, & fœminam in genere suo eadem de causa.

Item credunt eum esse locutum Isaac, & Jacob, (10) & dedisse Abrahæ, & semini ejus circumcisionem carnalem, non ipsum Deum.

Item credunt, quod Sodomam, & Gommoram, & alias civitates destruxerit.

Credunt etiam, quod legem Moysi dederit, & populum Judæorum per desertum de Ægypto in terram Canaam duxerit, & in mari rubro Pharaonem, & exercitum ejus submerserit, & etiam alia, quæ facta leguntur in Veteri Testamento ab ipso facta esse asserunt.

Item sicut Moysen ministrum Diaboli credunt, & mediatorem inter ipsum, & filios Israel, ita credunt ipsi Prophetas nuncios fuisse ejus, & si aliquando aliquid boni dixerunt de Christo, coacti a Spiritu Sancto dixerunt, quod & de Moyse credunt, ubi de Christo locutus est.

Credunt etiam neminem per ea, quæ fecerit ante adventum Christi, potuisse salvari, nisi iterum post Christum corpus assumeret, in quo pœnitentiam acciperet, & Baptismi Sacramentum, quod non credunt aliud esse, quam impositionem manuum. Unde credunt, quod illi, de quibus dicitur Matth. 27. v. 52. *multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt*: assumpta manuum impositione iterum pœnitentiam egerint, de quibus credunt Apostolum etiam locutum, cum dixit 1. ad Corinth. 15. v. 6. de Christo: *deinde visus est plusquam quingentis fratribus*.

Item credunt, quod Christus sit minor Patre in Deitate, & Spiritus Sanctus minor Christo.

Item credunt, quod non acceperit veram carnem de carne Adæ præter aliquos, ut dicemus inferius. Item omnia sacramenta Ecclesiæ negant, & carnis hujus resurrectionem, usum gladii materialis, & Juramentum in omni casu dicunt esse illicitum. Hæc est eorum fides falsissima, ut patebit in singulis articulis adjuvante Dei gratia.

§. III.

Quod Hæretici sensum erroneum ponunt in tribus Parabolis.

Parabola de servo nolente misereri Conservo suo.

SEd antequam inducamus testimonia, quibus probemus, quod istæ rerum species nullo modo a Sathana fabricatæ sunt, sed tantum a Deo vero, ostendere volumus, quod in prædictis Parabolis habent sensum erroneum; dicunt enim in prima parabola, quæ habetur Matth. 18. v. 23. Servum, qui debebat decem millia talenta fuisse Sathanam. In primis dico, quod istum intellectum nullo testimonio possunt ostendere verum esse.

Præterea ibi dicitur v. 28. *quod egressus ille invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios: & tenens suffocabat eum dicens: redde quod debes*. Per istum conservum intelligi dicunt spiritum Adæ missum a Deo in hunc mundum, ut videret quæ a Sathana in quinque diebus fuerant fabricata, hoc autem falsum, & somnium est. Nonne vident, quod Christus, qui est veritas, dicit, quod conservus ille isti servo debebat centum denarios? Certum est, quod spiritus Adæ nihil ei debebat: mentitur ergo Christus, qui dicit, quod debebat ei centum denarios, quod autem nihil ei deberet, patet, quia jam expulsus erat Sathan de suo principatu cælesti, & erat malus spiritus, spiritus autem Adæ secundum eos erat bonus adhuc, (11) nihil ergo ei debebat neque bonum neque malum.

Præterea ibi dicitur: v. 31. quod *videntes conservi ejus, quæ fiebant, contristati sunt valde: & venerunt, & narraverunt Domino suo omnia, quæ facta fuerant*. v. 32. *Tunc vocavit illum Dominus suus*,

(9) Affirmabant hoc Cathari Concorrezenses Bogomilios auctores sequuti. Videtor Euthymius in Panopl. *Part.* II. *Tit.* XXIII. *n.* IX. Satanaelem, indignatum fuisse, ait Bogomiliorum sententia, quod Bello victus a Gigantibus fuerit, qui pro hominibus strenue imprimis pugnarant; *diluvium intulisse & una cum ipsis omnem carnem viventem delevisse. Solum autem Noe, qui filiam non habebat defectionem Satanaelis ignorasse, & in illius observantia permansisse, cujus quidem cultu Satanaelem placatum, permisisse ut arcam construeret seque solum servaret cum illis, qui in ea erant.*

(10) Ita quoque Bogomilii dum de Patriarchis, & Mosè Sermonem instituebant, atque ita etiam Gnostici Veteres plerique omnes, qui ab Angelis desertoribus mundum creatum fuisse censebant. Verum non una erat Catharorum omnium sententia nam etsi Concorrezenses, & qui Balasinansæ parebant ita de Isaac, & Jacob &c. putabant; contra tamen sentiebant, qui Johannem de Lugio sequebantur. De his enim sic habet Reinerius Sachonus: *summa contra Catharos pag.* 1772. *Item credit, quod Noe, Abraham, Isaac, & Jacob, & ceteri Patriarchæ, & Moyses, & Josue, & omnes Prophetæ, & Johannes Baptista placuerunt Deo, & quod fuerunt homines in alio Mundo.... Item quod verus Deus dedit in eodem Mundo populo supradicto* [Israelis] *legem Moysi*. Refellit hoc Catharorum Lugientium dogma pluribus in locis Moneta Noster, dum ratio postulat.

(11) Cathari Concorrezenses, ut ex his Monetæ Verbis colligere fas est, divisi in factiones erant. Nam pars quædem Angelum in Adæ corpus immissum, ut animæ loco esset, nullo peccato implicitum fuisse ajebat, ut Moneta affirmat, pars contra *in modico* Angelum eumdem *peccasse* jactabat, quod notatione 2. in hoc 2. lib. caput animadverti, Sachonum auctorem sequutus. Atque id quidem observat Noster in Procmio *lib.* 1. cum ita divisos fuisse Catharos autumet, ut vix variæ sectæ cujusque, atque inter se dissidentes sententias, recensere posset. Vetus autem est hic error, de Angelis in corpora hominum injectis, ut animarum loco essent. Cyrillus Alexandrinus in *Joh.* 1. 16. tradit: ante Johannem Evangelistam nonnullos fuisse, qui Johannis Baptistæ, aliorumque quorumdam sanctorum virorum animos angelicæ esse naturæ arbitrarentur. Sed lapsus ne fuerit Cyrillus, nec ne; non equidem laboro. Illud dico. Origenem in hac absurda opinione fuisse versatum, ut angelos esse censeret animas illorum hominum, qui singulari quadam pietate floruerant. Has porro, non propter scelus aliquod; sed ob alias longe discrepantes caussas, corporibus illigatos fuisse ajebat, ut legatione fungerentur. *Tom.* XIII. *in Matth. pag.* 291. *Vol.* I. & *Tom.* II. *in Johann. pag.* 76. *Vol.* II. *Edit. an.* 1668. Videtor Huetius *lib.* II. *Origenian. cap.* II. *Q.* V. *n.* XXIV. *seq.* Ergo ut Adamantius Prophetarum sanctorumque virorum animas, sic Cathari secundæ hujus factionis Adami spiritum Angelum fuisse pugnabant. Fuit, nescio quis postremis hisce temporibus Anglus, qui simile quidpiam excogitaverit, animam Christi Angelum esse jactitans.

suus, *& ait illi: serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me*. Incredibile est, quod postquam de cælo eum ejecit, postea eum revocaverit.

Præterea hoc falsum est, quod omne debitum ei dimiserit, ut enim dicitur 2. Petri 2. v. 4. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in judicium reservari*. Ergo non dimisit ei omne debitum, licet aliquid ei dimiserit, sicut dicis, quod tamen falsum est.

Præterea quomodo diceret ei Christus v. 33. *oportuit & te misereri conservi tui*, cum non possit misereri?

Præterea quomodo diceret ei Christus: *sicut & ego tui misertus sum*? Si enim hoc esset, videtur, quod ipse posset consequi mercedem multam, & fieri filius Altissimi per gratiam; cum enim Lucæ 6. v. 35. Dominus invitasset ad opera misericordiæ, subjunxit: *& erit merces vestra multa, & eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos, & malos*. Et hoc tamquam ex causa finali, sed ut multa sit merces, & sitis filii Altissimi, concludit Lucæ 6. v. 36. *estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est*.

Præterea dicitur ibi Matth. 18. v. 34. *quod iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoad usque redderet universum debitum*. Hoc non videtur esse verum, nam qui essent illi tortores, cum ipse omnibus aliis fortior, & potentior sit.

Præterea hic habetur v. 25. quod Dominus repetit ab eo debitum ei dimissum, *& cum non haberet, unde redderet, jussit eum Dominus ejus venundari, & uxorem ejus, & filios, & omnia, quæ habebat, & reddi*. Dic si potes, cui venundabatur?

Præterea secundum expositionem tuam de uxore factam, & de filiis, & de omnibus, quæ habebat oportebit te dicere, quod auferret ei sapientiam, & Angelos sibi subjectos, qui ei favebant in malitia. Item quod ei abstulisset bona naturalia, quæ falsa sunt; ipse enim adhuc est princeps Dæmoniorum, adhuc etiam habet illa naturalia, in quibus a Deo conditus est, alioquin non esset illius naturæ, cujus prius erat. Item adhuc astutissimus est, nec amisit sapientiam propterea quia suffocavit Adam, ut dicis. Ex his patet, quod supra falsum fundamentum ædificant fidem suam.

§. IV.

Parabola de illo, qui incidit in latrones.

NUnc accedamus ad secundam Parabolam, & ostendamus similiter falso ab eis esse expositam. Primo dicimus, quod istud, quod dicunt, quod spiritus Adæ descendit ab Jerusalem (12) cælesti in hunc mundum, ex mandato Dei, ut videret opera principis tenebrarum, non possunt ostendere verum esse. Secundo ostendo eis, quod istud non potest esse; cur enim eum misisset, ut videret &c.? Ipse enim sciebat, quæ fecerat Satan, scilicet illa, quæ tu fingis. Item sciebat hoc non esse utile spiritui Adæ. Cur ergo eum misit? Nisi forte dicas, quia ipsum capi volebat, ut ex eo in hoc mundo tanquam ex semine quam plures pullularent, ex quibus ruinam Angelorum suorum repararet. Quomodo autem multiplicaretur hoc semen, nisi opus carnale faceret? Quare ergo tu damnas exercentes opus carnale, sine quo non posset voluntas Dei impleri de reparatione ruinæ Angelicæ, quam ruinam irreparatam nolebat dimittere?

Præterea quod tu dicis eum incidisse in latrones, idest in manus Solis, & Lunæ, & stellarum (13) tenebrosarum prius, & spoliasse spiritum Adæ luce visibili, & eam sibi assumpsisse, fabulosum esse quis dubitat? Nonne vides, quod post illa verba Jerem. 31. v. 31., quæ sumit Apostolus ad Hebr. 8. v. 8. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & consumabo super domum Israel, & super domum Juda testamentum novum*, v. 9. *Non secundum testamentum, quod feci Patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terra Ægy-*

(12) Tanta fuit hæreticorum in commentis excogitandis, tamque impudens confidentia. Nam Valentiniani quidem, velut ex Theodoti *Orientali Doctrina*, *observavi nota 2. in caput 1. Hujusce* libri, *Angelici seminis* nescio *quem influxum a Verbo in animale corpus immissum fuisse* arbitrabantur. Huc autem, recidit, quod habet Irenæus de Valentinianis *cap. 1. libri 1. Contra hæreses pag. 24. seq. Demijurgum*, inquit Valentiniani putant: *ipsum Angelum Deo similem, quemadmodum & Paradisum, qui supra tertium Cælum situs est, potentia quartum Angelum esse statuunt*, ϗ ἀπὸ τούτου τι εἰληφέναι τὸν Ἀδάμ διατετριφότα ἐν αὐτῷ *Et ab hoc desumpsisse Adamum in eo diversatum*. Legendus Tertullianus *lib. Adversus Valentinianos cap. XX. pag. 238.* Manes vero, & qui eum olim sequuti sunt, materiam insolescentem, seq. extollentem, ut superiora loca peteret, repressam utcumque fuisse a Deo, qui in eam virtutem quamdam immisit, quam nos animam appellamus. Hanc vero virtutem, quam nescio creatam ne a Deo, an ex Dei *substantia* decerptam ponerent, variæ namque sunt veterum de hoc Manichæorum errore sententiæ divisam in partes fuisse, multisque materiæ partibus communicatam. Consuluntor Alexander Lycopolites *lib. de Placitis* Manichæorum *pag. 4. in Medio Tomo 1. Auctarii Biblioth. Græc. PP. Edit. Combefis. an.* 1671. Titus Bostrensis *lib. 1. Contra Manichæos pag. 75. Tom. 1. Antiq. Lection. Canisii Edit. Nov.* Augustinus *lib. de Hæresib. ad Quodvult. cap. XLVI. pag. 15. Tom. VI. Opp. Leo 1. Ep. XV. al. XCIII. ad Turribium cap. V. pag. 451.* quo loco Manichæis, & Priscillianistis probatum fuisse errorem veterum quorumdam Philosophorum adfirmat, qui ita fuerunt animo comparati, ut animam partem naturæ divinæ esse pugnarent. Sed Bogomilii; Satanaelem ex aqua & terra commixta, Adæ corpus formasse ajebant. Verum cum vires non suppeterent conditori dandi spiritum corpori, promisisse Deo, hominem futurum communem, si vitam acciperet, & ex ipsius semine sedes Angelorum, qui ceciderant repletum iri, si spiritum suum misisset. Annuisse ergo Deum, *insufflasseque Satanaelis figmento spiritum vitæ &c.* Videtor Euthymius *l. c. n. VII. pag. 221.* Hæc autem omnia a veteribus hæreticis accepta magis magisque extenderunt Cathari qui ætate Monetæ Ecclesiam vexabant.

(13) *Tenebrosum* ante fuisse solem, deinde vero claritatem Adæ surripuisse, atque ita porro lucidum esse factum, arbitrati fuisse videntur Cathari, quos hic vexat Moneta. Sed me sane fugit, undenam hæc portenta acceperit genus illud hæreticorum. Nam Manichæi veteres ... soli, ac lunæ plurimum tribuebant, quod veluti viæ quædam essent, eorum judicio, per quas ad gloriam sempiternam essent perventuri. Nam eatenus lunam augeri delirabant, quatenus anima e corpore migrans, eo se conferat, decrescere autem, quatenus animam ipsam in solem transmittat, quem solem ad Deum migrare, atque animam apud ipsum deponere censebant. Itaque quemadmodum Maneti innovare per summum nefas licuit, ita omnino sibi res a Manete acceptas innovare licitum esse Cathari putaverunt. Consulendus Alexander Lycopolites *lib. de Manich. Placitis pag. 5. 6. & 7.*

Ægypti, quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo : & ego neglexi eos , dicit Dominus . v. 10. : *Quia hoc est testamentum , quod disponam domui Israel post dies illos , dicit Dominus : dabo leges meas in mentem eorum , & in corde eorum superscribam eas : & ero eis in Deum , & ipsi erunt mihi in populum* v. 11. : *Et non docebit unusquisque fratrem suum dicens : Cognosce Dominum ; quoniam omnes scient me a minore usque ad majorem eorum* v. 12. : *Quia propitius ero iniquitatibus eorum , & peccatorum eorum jam non memorabor* . Statim subdit Propheta v.35. : *Hæc dicit Dominus , qui dat solem in lumine diei , ordinem lunæ , & stellarum in lumine noctis : qui turbat mare & sonant fluctus ejus* . Constat, quod iste est bonus Deus, de quo loquitur Apostolus & Jeremias , & dicit : quoniam *dat solem in lumine diei , ordinem lunæ & stellarum in lumine noctis : qui turbat mare & sonant fluctus ejus* . Nunquid dat dæmones ad illuminationem diei & noctis? absit , quod istud credat aliquis sapiens , vel fidelis . Si autem dicas mihi , quomodo potest fieri , quod aliquis relinquatur semivivus , idest medius vivus ? dico tibi , quod modus loquendi est, & a pluribus dicitur ; ego sum medius mortuus .

Præterea ille homo , qui ad litteræ sonum descendebat de Jerusalem in Jerico , figurabat Adam , qui descendit , non localiter a patria cælesti, sed spiritualiter , idest ab amore ejus , ad amorem rei mutabilis supra Deum . Jerusalem autem terrena figurabat cælestem patriam , Jerico , quæ interpretatur lunam significat remmutabilem , luna autem mutabilis est , modo enim crescit, modo decrescit ; unde Eccl. 27. v.12. : *Stultus sicut luna mutatur* : Latrones illi figurabant dæmones , qui spoliaverunt Adam veste innocentiæ, sicut latrones aliquem spoliant materiali veste . Sacerdos , quia legem nunciat, legem designat Mosaicam , quæ licet bona esset, & sancta , tamen non curabat peccatorum vulnera , non propter suum defectum , sed propter defectum illorum, qui eam putabant ad salutem sufficere præter Christum . Levita Prophetarum designat coetum,qui non curabat morbum , sed indicabat medicum , idest Christum venturum ad salvandum genus humanum. Samaritanus autem ille Christum designat , qui appropinquavit , quoniam carnem nostram assumpsit, & infudit vinum & oleum , idest gratiam suam , quæ oleum dicitur , quia sicut oleum penetrat profunda, ita gratia cordis secreta , illuminando & incendendo ad amorem Dei , & impinguando ea devotione spirituali . Vinum autem dicitur , quia sicut vinum feces ebulliendo emittit, sic gratia Dei feces peccatorum expellit . Hæc autem gratia fides est per dilectionem operans , ut habetur ad Galat. 5. v.6. : Jumentum Corpus Christi designat , in quod jumentum nos tulit , quando 1. Petri 2. v. 14. *peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum* , idest pœnam peccatorum nostrorum , & sic duxit nos in stabulum, idest in Ecclesiam ; Fides enim passionis Christi facit nos de Ecclesia sua cum perceptione Sacramenti Baptismi .

Altera autem die , idest post Resurrectionem suam stabulario idest Choro Apostolorum dedit duos denarios , idest duorum Testamentorum scientiam , in quibus Testatoris nomen , & imago Regis æterni exprimitur ; hoc autem fecit , quando aperuit illis sensum , ut intelligerent scripturas . Supererogat Paulus docendo Virgines dicens . 1. ad Corinth. 7. v. 25. *De Virginibus autem præceptum Domini non habeo : Consilium autem do , tamquam misericordiam consecutus a Domino , ut sim fidelis* . Supererogabat docendo de Christo 1. ad Corinth. 9. v. 6. dicens se, & Barnabam non esse usos potestate accipiendi carnalia ab illis , quibus spiritualia seminavit . Christus autem in judicio rediens , reddet quod supererogatum est dicens : *Quia super pauca fuisti fidelis , super multa te constituam intra in gaudium Domini tui* .

Præterea dicas mihi,nonne tu dicis,quod Christus oleum , & vinum infudit , idest pœnitentiam , & Spiritum Sanctum ? Hoc fuit ante diem alteram , idest ante resurrectionem , ergo ante resurrectionem Spiritum Sanctum habuerunt : Sed nonne tu dicis contrarium quotidie affirmans , quod ante Pentecosten ipsum non receperunt , quod tamen falsum est , ut dicetur in sequentibus ? Sic patet, quod in ore tuo consistit est , & non .

§. V.

Pluribus modis ostenditur , quod non possit stare intellectus Hæreticorum tertiæ Parabolæ de Villico iniquitatis .

NUnc videamus , utrum possit stare intellectus tertiæ Parabolæ de Villico (14) iniquitatis : pluribus autem modis possumus ostendere , quod istud non potest intelligi de Satana & Angelis ejus, & quod sensus hujus Parabolæ in cælo non fuit . Primum est , quia dicitur ibi , quod diffamatus est Villicus apud Dominum suum , eo quod dissipasset bona illius . Si autem iste Villicus Satan est, ut tu dicis , quem Dominus citavit, quia ipse dissipaverat bona illius , non est verisimile quod postquam eum citasset , quod Angelos debitores Dei postea convocare permisisset , aut decipere , ut tu ponis , maxime cum dicat ei Dominus Lucæ 16.v.2.: *Jam enim non poteris villicare* , idest officium villici exercere , postea enim exercuit , & ita esset mendax Dominus Deus .

Præterea dicitur quod bona illius dissipaverat; quæ erant illa bona ? Si dicas quod Angeli : Contra , tantum postea dissipavit eos , ut patet ex litera v. 3. *Convocatis itaque singulis debitoribus*, id est Angelis , prout exponis , *Domini sui , dicebat primo : quantum debes &c.*

Præterea nonne vides quod distinguit littera Evangelii inter bona Domini , & debitores ? Utique , unde ait : *quantum debes &c.* : Sed debitores sunt Angeli secundum te , ergo bona illa non sunt Angeli . Dic ergo quæ sunt bona ? Si supplicationes , & orationes quas ei debebant , ut tu exponere consuevisti , hoc tantum factum est postquam citatus est a Domino, & ita post dissipationem bonorum , quia bona dissipata sunt antequam esset citatus;

(14) Vide Notam VII. in hoc cap.

tus; bona ergo illa non sunt supplicationes & orationes, ut dixisti.

Præterea quomodo potes dicere hoc factum esse in cælo, & istud quomodo intelligi potest de Satana & Angelis ejus? Nonne vides quod dicit Villicus v. 3.: *Fodere non valeo, mendicare erubesco*. v. 4.: *Scio quid faciam, ut cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas?* Quæ sunt hæ domus; in quibus volebat hospitium ab eis? Constat quod non sunt cæleftes: de terrenis autem non potest intelligi, quia potius illius essent secundum te, qui ponis eum fabricatorem terrenorum.

Præterea ibi dicitur v. 8.: *Et laudavit Dominus Villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset*.

Præterea nunquam Dominus eum laudasset de hujus prudentia, ut ostensum est supra in prima parte 2. cap.

Præterea subditur caussa v. 8.: *Quia filii hujus seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt*: Ecce quod dixit, quoniam prudenter egerat, & subdit caussam, *quia filii ejus &c.* causa autem effectiva est prior; ergo jam erat lux seculum, & filii ejus, quod esse non posset secundum pravum tuum intellectum, ante enim illud factum nondum (15) fecerat Satan hoc seculum. Dicas ergo mecum, quod istud in hoc seculo factum est, sonat litera, & credas mihi, si a Domino terreno laudatur misericordia fraudulenta, quanto magis a Patre justorum clementia ordinata & sancta, unde v. 9. & ego vobis dico: *Facite vobis amicos*, scilicet pauperes quorum in regnum cælorum, *de mammona iniquitatis*, idest de vestris temporalibus, *ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula*. Et nota quod temporalia sunt mammona iniquitatis, quia inique retinerentur, si pauperibus non darentur 1. Jo. 3. v. 17.: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo caritas Dei manet in eo?*

§. VI.

De Parabola Filii Prodigi.

NUnc ad quartam parabolam veniamus, in cujus expositione dicunt adolescentiorem filium fuisse spiritum Adæ, seniorem autem Principem hujus mundi, sed si veritatem intentionis literæ attenderent, nunquam talia presumerent, si enim spiritus Adæ Angelus fuit, non possunt ostendere quod fuerit adolescentior, quam Satan, non enim Angelus ab Angelo in cælo genitus est.

Præterea nunquid fuit istud in principio mundi, & antequam mundus esset? quomodo ergo unus Angelus alio adolescentior, aut senior?

Præterea in Evangelio habetur, quod junior filius dixit Patri Lucæ 12. v. 12. *Pater da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. Et divisit illis substantiam*. Modo quæro quid appellas tu substantiam, quam sibi divisit Deus? Si divinam essentiam, a qua, seu a cujus beatitudine illos abjecit? Sed Satan irreparabiliter; Adam vero ad tempus. Contra: ergo Adam petiit & voluit portionem & divisionem a substantia Dei, sive a Deo. Quomodo ergo audes dicere ad Rom. 8. v. 20.: quod *creatura*, idest Adam *vanitati subjecta est non volens?*

Præterea si substantiam dicis Divinam essentiam, quomodo sequitur quod dicitur de filio adolescentiore Lucæ 16. v. 13., qui *dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose*. Nunquid dissipavit divinam essentiam? hoc esse non potest. Si autem dicas, quod substantia ibi dicitur virtutum possessio, hoc stare non potest, petebat enim a se dividi. Præterea tu dicis quod ejus peccatum primum fuit luxuria, sive opus, quod cum Eva perfecit. Contra. Nonne peccavit petendo portionem substantiæ suæ, propter quod etiam Deus abjecit eum a se, ut dicis? Nonne postquam abjectus est a Deo, & peregre profectus est, luxuriose vixit. Ergo prius peccavit, quam cum Eva faceret opus carnis.

Præterea ibi dicitur v. 14. quod cum ipse *omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere. Et abiit, & adhæsit uni Civium regionis illius*. Quis est iste Civis? dixit hæreticus, quod Eva. Prius ergo vixit luxuriose, quam adhæsisset Evæ, hoc autem esse non potest. Dicis enim quod primum opus luxuriæ cum Eva fecit. Si autem dicas, quod Civis iste Satan fuit, prius ergo vixit luxuriose, & consumpsit substantiam suam, quam adhæserit Satanæ, quod iterum falsum est secundum te.

Præterea dicitur v. 14. quod *facta est fames valida in regione illa*. Quæro de quo? dixit hæreticus; de verbo Dei.

Contra; nonne ibi dicitur v. 16. quod *cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant, & nemo illi dabat?* ergo habebat famem de siliquis porcorum. Quare igitur dicis quod fames esset facta de bono aliquo? Si dicas, quod de malo per siliquas designato: quomodo potest esse hoc, cum in mundo isto esset in omni magna abundantia?

Præterea quomodo hoc stabit: & nemo illi dabat, Satan enim non tantum illi dabat, imo cogebat ad malum! Præterea ibi dicitur, quod postquam junior filius receptus est a Patre, audiens hoc senior filius, qui erat in agro, indignatus est, & nolebat intrare domum Patris. Nunquid Satan non libenter intraret domum cæli? Nunquid Deus Pater egressus rogaret illum?

Præterea quomodo stabit quod dicit filius senior v. 29. *Nunquam mandatum tuum præterivi?* hoc expresse falsum est, si de Satan agitur.

Præterea quomodo dicit ei Deus Pater v. 31. *Fili mi tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt &c.* Ex his, quæ diximus evidens est, quod eorum errores falsis expositionibus parabolarum innituntur. Quod autem peccatum Adæ non fuerit prout dicunt, determinatur in capitulo de Deo Veteris Testamenti, & in cap. de matrimonio.

 Ad

(15) Namque sententia Catharorum Satanas ante Angelos malis artibus e cælo secum præcipites egerat, quam ad mundum sub oculos cadentem formasset, ac distinxisset. Adeundus Sachonus *pag.* 1773. *ubi de Concorrezensibus* agit. Idem omnino placuerat Bogomiliis *apud Euthym. l. c. n.* VI. & VII.

Ad illud quod dicunt de peccato Satanæ, ſcilicet quod ipſe deſcenderit, ut videret quod creatum erat a Deo, & cupivit inferius regnare ſuper illo creato, & rebus quas inde fabricare cogitabat, iſtud ſomnium eſt, nullo teſtimonio ſcripturæ probatum. Quod autem dicunt iſtam cupiditatem ejus eſſe radicem malorum omnium, & de ejus cupiditate intelligunt verbum Apoſtoli. 1. ad Timoth. 6. v. 10.: Fabuloſum eſt, nec verbum Apoſtoli de ejus cupiditate loquitur, imo de cupiditate hominum qui cupiunt abundare in divitiis mundi hujus, exiſtimantium queſtum terrenorum eſſe pietatem, ibi enim dicit Apoſtolus v.9.: *Nam qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem*; & ſubdit v. 10.: *Radix enim omnium malorum eſt cupiditas*. Non dicit, fuit, quod faceret ſi de cupiditate illa dixiſſet.

CAP. II.

§. I.

De diſtinctione Elementorum, & Formarum viſibilium, quod non ſit a Diabolo.

VIſo quod fabuloſum eſt id quod dicunt de ſervo, a quo Dominus exegit rationem Matth. 18. Item de conſervo, quem Adam fuiſſe fabulantur. Item viſo quod fabuloſum eſt id, quod dicunt de aliis Parabolis tribus. Luc. 16. v. 1.: *Homo quidam erat dives, qui habebat villicum*. Item *Homo quidam habuit duos Filios &c.* Luc. 15. v. 11. Accedamus (1) ad oſtendendum, quod falſum dicunt, cum promunt tum factorem, & formatorem horum viſibilium. Primo igitur ei dicendum eſt; invenias mihi unum teſtimonium, quod Deus mundum iſtum non fecerit, ut tu dicis, quod cum facere non poſſis, conſtat quod juſtitia tua non eſt teſtificata a Lege & Prophetis, ſed juſtitia Dei quæ eſt per fidem Jeſu a Lege & Prophetis teſtificata eſt. Igitur tua juſtitia non eſt Dei juſtitia; ergo neque tua fides eſt Dei fides. Si enim fides tua ejus eſſet, ergo & juſtitia quæ non eſt niſi per fidem Jeſu Chriſti. Quod autem juſtitia Dei teſtificata ſit a Lege & Prophetis, habetur ad Romanos 3. ubi dicit Apoſtolus v. 11. *Nunc autem ſine lege juſtitia Dei manifeſtata eſt, teſtificata a Lege & Prophetis*. Sine lege dicit eſſe juſtitiam, ideſt ſine legalium figurarum obſervatione, ipſa tamen juſtitia dicitur teſtificata a lege, quia lex dixit illum venturum, in cujus fide eſſet juſtitia. Forte diceret hæreticus quod ideo non invenitur expreſſum, quod Mundus iſte ſit a Diabolo factus, ſed a Deo Sancto, ne homines ſcandalizarentur. Sed contra, ubi diſcipuli ſoli erant, ſi mundus & ſpecies rerum quæ in mundo ſunt a diabolo factæ ſunt, cum ibi non eſſet ſcandalum, non debebant facturam rerum quæ in mundo ſunt Deo Sancto attribuere. Invenimus autem quod iſtud fecerunt Act.4. v. 24. *Domine tu es qui feciſti cælum & terram, & mare & omnia quæ in eis ſunt.*

Præterea in viſione B. Johannis Apoſtoli 14. v. 7. non debuiſſet Angelus facturam ſpecierum rerum hujus mundi attribuere Deo: *Timete Dominum & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus: & adorate eum qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt.*

Præterea auctoritates illæ quibus videtur velle hæreticus quod mundus iſte non ſit factus a Deo Patre, ſicut eſt illa auctoritas 2. ad Corinthios 4. ver. 4.: *Deus hujus ſeculi excæcavit &c.* Et aliæ plures determinatæ ſunt ſuperius in capit. de uno principio, ubi oſtenſum eſt quod pro eis non faciunt, imo potius contra eos. Quod autem objiciunt hæretici dicentes: quomodo poteſt eſſe quod Pater Sanctus feciſſet tam (2) immunda animalia, & tam nociva, ſicut legitur Deus Veteris Teſtamenti feciſſe, dicimus, quod illa non ſunt immunda, imo a mundis, ideſt fidelibus omnia cenſentur munda, ſed infidelibus immunda ſunt, ideſt ipſi quia infideles ſunt ea immunda judicant. Si autem dicas mihi, cum nociva ſint homini quomodo Deus ea feciſſet? Reſpondeo, imo Deus & homini nocivus eſt in peccatis perſeveranti, ſed nunquid iniquus quia nocet ei, & infert iram, ideſt pœnam pro peccato, abſit, ut dicit Apoſtolus: Quod Deus nocivus eſt homini peccanti, ex juſtitia eſt ipſius; ſimiliter quod animalia aliqua homini noceant ex ejuſdem juſtitia eſt, ſicut patet in igne æterno a Deo creato, qui tamen bonis nocivus non eſt, ſed malis, & ſi velles recipere Eccleſ. 39. v.30. dicitur: *Bona bonis creata ſunt ab initio, ſic nequiſſimis bona & mala*. Item enumeratis ibi quibuſdam rebus, dicit: v. 32. *Hæc omnia ſanctis in bona, ſic impiis & peccatoribus in mala convertentur*. Et per totum illud capitulum habes de iſta materia.

Præterea nulla animalia ſunt, in quibus non ſit aliqua utilitas, ſicut ſciunt illi, qui in naturis rerum ſunt experti; quod attendens Apoſtolus 1. ad Timotheum 4. ver. 4. dicit: *Omnis creatura Dei bona eſt*, cui concordat illud Geneſ. 1. v. 31. *Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, ideſt utilia, licet vitio hominis aliqua ſibi ſint noxia: nonne vides quod vinum bonum eſt corpori mediocriter ſumptum, unde Apoſtolus 1. ad Timo-

(1) Erat hæc opinio propria Concorrezenſium, quibus, quod ad *formationem* viſibilium attinet, aſſentiebantur Bajolenſes, ut auctor eſt Reinerius Sachonus *in ſumma de Catharis apud Martenium Vol.* v. *Anecdot. pag.* 1773. *ſeq.* Præiverant hiſce Catharis Bogomilii, apud Euthymium *in Panopl. Parte* 2. *Tit.*23. *num.*VII. *pag.*221. *Bibl. SS. PP. Edit. Lugdun.* Atque his quidem viam ſtraverant Gnoſtici illi, qui ab deſertoribus Angelis materiam informem diſtinctam formatamque fuiſſe jactabant. Conſulendi Irenæus *lib.* 1. *cap.* XXIII. *& cap.* XXIV. Epiphanius *Hæreſ.*XXI *n.*IV. & Theodoritus *lib.* 1. *Hæreticarum Fabularum cap.*1.

(2) Erat hæc veterum Manichæorum communis contra creatorem conqueſtio. Quare Titus Boſtrenſis *lib.* II. *Contra Manichæos pag.* 117. *Vituperat*, inquit, *non has ſolum iſte* [Manes]... *ſed etiam animantes, quæ naturam ſævam ſortitæ ſunt, a Creatore, more inimici, qui omnia accuſans, in creaturas Dei invehitur.* Reſpondet autem huic Manetis argumenti monſtro Boſtrenſis, ita omnino, ut noſter *pag. ead. & ſeq. omnes* dicens, *feras*, & *quadrupedes, ac ſerpentes cum vituperat, perinde mihi facere videtur, ut ſi quis ſervus deditus peccatis, & improbiſſimus, alia quidem Domini, & auctoris ſui approbet, odio autem habeat, & criminetur flagellum ſolum, quod apparet, qui ipſo quidem odio oſtendit, quam neceſſarium ſit flagellum appoſitum &c.* Adi-ſis quæ ſequuntur, ſunt enim ad rem noſtram maxime accommodata. Multa eodem ſpectantia reperies apud Auguſtinum.

Timoth. 5. v. 23.: *Modico vino utere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates*; & tamen si sumatur in ebrietate, nocivum est. Item febricitantibus, ut patet in pluribus malum est, non ex sui natura, sed ex infirmitate hominis.

§. II.

Probatio Ecclesiæ, quod distinctio Visibilium est a Deo.

QUod autem ista visibilia tam cælestia Corpora, quam elementa, & elementata secundum suas species a Deo sint facta, & distincta, probatur per hoc quod legitur in Psalm. 103. v. 1. *Benedic anima mea Domino: Domine Deus meus magnificatus es vehementer*, ubi patet quod tota hujus mundi dispositio, & distinctio rerum visibilium secundum locum, & species suas, & conservatio earum in esse quantum vult, & sicut vult a Deo Patre existit. Quod autem ita sit ostenditur per illud, quod Apostolus ad Hæbreos 1. v. 7. illa verba Psalmi 103. v. 4. *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis*, de Patre Christi exponit, & in eodem Psalmo potes videre hæretice, quod ibi agitur de Deo Veteris Testamenti. Ibi enim ponitur distinctio aquarum supra cælum ab his quæ sunt sub eo; quæ divisio palam legitur ab eo facta, qui fecit opera sex dierum Genesis cap. 1. v. 7. Deus ergo Veteris Testamenti est Pater Christi. Ad idem facit illud quod legitur in Psalmo 8. v. 1. *Domine Dominus noster quam admirabile est nomen tuum in Universa Terra*. v. 2. *Quoniam elevata est magnificentia tua super cælos*. v. 3. *Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum, & ultorem*: v. 4. *Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum Lunam, & Stellas quæ tu fundasti*: ad Deum Patrem loquitur, sicut patet per illud verbum quod dixit Christus Matthæi 21. v. 16. principibus Sacerdotum, & Scribis: *Nunquam legistis, quoniam ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem?* Item per illud verbum quod sequitur Psalm. 8. v. 5. *Quid est homo quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum?* v. 6. *Minuisti eum paulominus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum*. v. 7. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves, & boves universas, insuper, & pecora campi*. v. 8. *Volucres cæli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris*. Quæ verba Apostolus ad Patrem Christi esse directa ostendit; ergo Patris Christi est operatio, & distinctio corporum inferiorum, & superiorum, quæ omnia Genes. 1. attribuunt factori operum sex dierum. Igitur ille est Pater Christi: ergo Deus Veteris Testamenti est Pater Christi. Ad idem etiam facit, quod habetur Isaiæ 42. v. 5. *Hæc* (3) *dicit Dominus Deus, creans Cælos, & extendens eos; firmans Terram, & quæ germinant ex ea: dans flatum populo qui est super eam, & spiritum calcantibus eam*. Quod iste sit bonus Deus manifestum est ex eo, quod Christo ait Matth. 12. v. 15. post curationem cujusdam manus aridæ, quo viso *secuti sunt eum multi, & curavit eos omnes* v. 16. *& præcepit eis, ne manifestum eum facerent*. v. 17. *Ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem*: v. 18. *Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam super eum spiritum meum, & judicium gentibus nunciabit*. v. 19. *Non contendet, neque clamabit: neque audiet aliquis in plateis vocem ejus*: v. 20. *Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet: donec eiiciat ad victoriam judicium*: v. 27. *Et in nomine ejus gentes sperabunt*. Post illa verba ponit Isaias verba prædicta: *Hæc dicit Dominus Deus creans Cælos, &c.* ergo non solum creatio visibilium, imo & cælorum ipsorum extensio, creatio terræ, & productio terræ, nascentium ex ea, & vivificatio calcantium eam, est ex ipso Deo Patre Christi. Item Isaiæ 45. v. 12. *Ego feci Terram, & hominem super eam creavi ego: manus meæ tetenderunt cælos, & omni militiæ eorum mandavi. Quis autem iste sit, patet* per Apostolum Rom. 9. v. 20. qui sumit testimonium Isaiæ de loco illo cap. 45. v. 9. *Numquid dicet lutum figulo suo: quid facis, & opus tuum absque manibus est?* v. 10. *Væ qui dicit Patri: quid generas? & mulieri: quid parturis?* v. 11. *Hæc dicit Dominus Sanctus Israel, plastes ejus: Ventura interrogate me, super filios meos, & super opus manuum mearum mandate mihi*. Ad idem etiam facit illud Jeremiæ 31. v. 35. quod proximo cap. induximus: *qui dat Solem in lumine diei, ordinem lunæ, & stellarum in lumine noctis: qui turbat mare, & sonant fluctus ejus*: & secundum istum modum, si quæ Prophetarum auctoritates in Novo Testamento inveniuntur, quibus posset probari factura, & distinctio visibilium a Patre justorum, considerandum est. Ad idem facit auctoritas Zachariæ 12. v. 1. *Dicit Dominus extendens Cælum, & fundans Terram, & fingens spiritum hominis in eo*. Et ne diceres quod de alio Deo loqueretur, post pauca subjungit illud verbum Christi Jo: 19. v. 37. *videbunt in quem transfixerunt*. Item David Psal. 44. v. 7. *Thronus tuus, Deus in seculum seculi: virga æquitatis, virga regni tui*. v. 8. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis*. Et Psalm. 101. v. 26. *Et Tu in principio, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum*

(3) Præclare Irenæus *lib.* IV. *cap.* II. *n.* I. *pag.* 229. *Esaias*, inquit, *confitetur a Deo qui fecit cælum, & terram, & dominatur eorum fieri sermones* .... sic ait Dominus Deus, qui fecit cælum, & affixit illud; qui confirmavit terram, & quæ in ea sunt, & qui dat afflatum populo, qui est super eam &c. *cap.* XLII. *v.* 5. Quæ autem argumenta ex Evangelio & Isaia subinde affert Moneta, ut Catharos reprimat, hæc eadem adhibet Irenæus *lib.* III. *cap.* XI. *n.* 6. *seq.* ut Gnosticos, Angelos nescio quos mundi formatores invehentes revincat. Nam ubi Johannis, Matthæi, & ab eo indicati Isaiæ testimonia protulit, sic tandem argumenti concludit sententiam: *Et hæc quidem sunt principia Evangelii, unum Deum fabricatorem hujus universitatis, eum qui & per prophetas sit annunciatus, & qui per Moysen legis, dispositionem fecerit, Patrem Domini Nostri Jesu Christi annunciantia, & præter hunc alterum Deum nescientia, neque alterum Patrem*. Adeundus Tertullianus *lib. Contra Hermogenem cap.* XLV. *pag.* 249. quo loco hæc, & quæ mox sequuntur apud Monetam ex Prophetis expressa testimonia adhibet.

rum sunt Cæli, v. 27. *Ipsi peribunt; tu autem permanebis, & omnes ut vestimentum veterascent*. Quod testimonium inducit Paulus ad Hebræos 1. v. 8. & seqq. item David Psalmo 32. v. 6. *Verbo Domini Cæli firmati sunt*, &c.

§. III.

Auctoritatibus Novi Testamenti probatur quod distinctio visibilium est a Deo.

NUnc videamus auctoritates Novi Testamenti; quibus pateat formationem visibilium esse a Deo sancto, & vero, sine comparatione ad Prophetas, sicut patuit per præcedentes auctoritates comparatas Prophetis. In primis autem inducamus exempla, & testimonia, quibus probemus illud, quod Pater sanctus Mundi hujus factor fuit, & elementa divisit. Ad hoc autem posita sunt supra aliqua testimonia. Actor. 4. v. 24. & Apocalypsis 14. v. 7. Ad idem autem potest induci illud quod habetur Actor. 14. v. 14. ubi post miraculum ejusdem claudi erecti a Paulo, quando Sacerdotes Jovis cum populo volebant sacrificare Paulo, & Barnabæ, tamquam essent Dii, Apostoli conscissis tunicis exeuntes ad turbas, dixerunt: (4) *Viri quid hæc facitis, & nos mortales sumus similes vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit Cælum, & Terram, Mare, & omnia quæ in eis sunt*. Item ad Hæbreos 1. v. 2. *per quem*, id est per filium, *fecit & secula*. De his autem seculis habetur ad Hæbreos 11. v. 3. *Fide, intelligimus aptata esse secula verbo Dei*. Et subdit, quomodo, *ut ex invisibilibus visibilia fierent*. Ex invisibilibus, supple elementis. Verbo ergo Dei ex invisibilibus facta sunt visibilia. Verbum ergo Dei, id est Filius Patris dedit eis speciem visibilem, sed secundum speciem est distinctio rei, non secundum materiam; ergo Filius Dei, non tantum duxit materiam ipsam rerum visibilium de non esse ad esse, sed etiam distinxit ipsam, dando ipsis species, sive formas, quas videmus.

Præterea tu ponis quod in istis visibilibus aliquid est, quod Dei est, & aliquid quod Diaboli, illud, unde facta sunt Dei ponis, id est materiam; (5) formam autem, qua operta est, & vestita ipsa materia, a Diabolo esse dicis: ergo quod ibi videtur a Diabolo est; quod autem Dei est, ibi apertum est. Ergo si ita est, ut dicis, mendax est Apostolus, qui dicit; ex invisibilibus verbo Dei facta sunt visibilia, imo ex invisibilibus verbo Diaboli facta sunt ipsa visibilia, si ita est, ut dicis.

Ad idem facit, quod habetur 2. Petri 3. v. 3. *Venient in novissimis diebus in deceptione illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes*: v. 4. *dicentes: Ubi est promissio, aut adventus ejus? Ex quo enim Patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio Creaturæ*. v. 5. *Latet enim eos hoc volentes, quod Cæli erant prius, & Terra, de aqua, & per aquam consistens Dei verbo*. v. 6. *Per quæ ille tunc mundus aqua inundatus periit*: v. 7. *Cæli autem, qui nunc sunt, & terra, eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem judicii, & perditionis impiorum hominum*. In hac auctoritate loquitur contra quosdam dicentes; quod Christus non est venturus ad judicandum, & quod promissio sua quam facit fidelibus suis cassa est. Omnia enim uno cursu incedunt ab initio creaturæ, id est mundi, & sic stabunt in perpetuum. Ideo autem hoc dicunt, quia non habent præ oculis judicium mundi originalis, unde dicit Petrus: *Latet enim eos hoc volentes*; quod judicium non fuerit, neque futurum sit, latet dico, eos *quod* prius, id est ante diluvium, *cæli erant prius, & terra, de aqua, & per aquam, consistens Dei verbo*. Nota quod dixit, quoniam per verbum Dei qui dixit & facta sunt. Primo fuerunt Cæli, & Terra, quæ Terra fuit consistens de aqua, id est ab aqua; *Dei* enim divisionem notat; Verbo enim Dei divisa fuit Terra ab aqua, quæ operiebat eam, unde Genes. 1. v. 9. dicitur: *Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt in locum unum; & appareat arida*. Item verbo Dei terra per aquam terræ inclusam fuit consistens (supple) fructuosa: aliter enim non germinaret, nisi esset irrigata aquis, cum in se arida sit naturaliter, unde ibi dicitur: vocavitque Deus aridam terram, inde 2. Genes. v. 6. dicitur: Fons ascendebat e Terra, irrigans universam superficiem terræ. Sequitur in littera B. Petri 2. Pet. 3. v. 6. *Per quæ, ille tunc mundus*: per quæ, id est, quoad quæ, & quoad cælum, & quoad terram; & loquitur de cælo aereo. Ille mundus *periit*, non quoad esse, sed quoad statum, qui tunc erat. *Cæli autem, qui nunc sunt, (id est post diluvium) & terra, eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem judicii, & perditionis impiorum hominum*. Hic habes manifeste quod distinctio elementorum mundi Originalis a verbo Dei fuit. Item habes quod cæli, qui nunc sunt, & terra ab eodem verbo sunt, repositi, & reservati igni diei judicii. Quare ergo audes dicere, quod verbo diaboli distinctio elementorum fuerit, unde ad Hebræos 1. v. 10. *Et, Tu in principio Domine, terram fundasti*. Ecce verbum primi libri Genes. v. 1. *In principio creavit Deus Cælum, & Terram*. De Deo loquitur Veteris Testamenti, qui fecit opera sex dierum.

§. IV.

(4) Nititur his etiam testimoniis, cum Gnosticos exagitat, Irenæus *lib.* III. *Contra Hæreses cap.* XII. *n.* 9. *pag.* 197. & *lib.* II. *cap.* XXX. *n.* 9. *pag.* 165.

(5) Cathari videlicet existimabant Deum materiam confusam condidisse, distinctam autem, atque formatam ponebant a diabolo. Erant autem hi, ut sæpe animadverti, Cathari Concorrezenses. Mirum autem esse non debet, quod neque Sachonus, neque Bonacursius expressam hujusce erroris fecerint mentionem, nec hæreticorum, qui eum propugnabant; uterque enim brevitati consulere instituerat. Vide notam 1. in cap. 2. lib. 2.

§. IV.

Quod elementa, (6) & elementata secundum species suas sunt a Deo.

OStenso quod factura, & distinctio corporum cælestium, & elementorum fuerit a Patre sancto, ostendamus testimoniis scripturarum quod elementa secundum species suas ab eodem sunt. Multa vero testimonia sunt superius inducta in Tractatu de Creatione visibilium, quæ ad hoc idem faciunt, quæ breviter ponemus. Unum est illud quod habetur Matthæi 2. v. 11. de Magis, qui apertis (7) thesauris suis obtulerunt Jesu munera, Aurum, Thus, & Mirrham. Istas enim tres rerum species ei materialiter obtulerunt, sicut littera sonat, quod non fecissent, si facturæ, & species diaboli essent.

Præterea quomodo potest dicere, quod stellæ Dæmones sint, vel quod a Domino factæ non sint, cum ducatu illius Stellæ ad Jesum venerint. Non enim dubium est quin Stella materialis fuerit, licet aliquod spirituale designare posset, sicut & munera.

Præterea Magi dederunt Christo illa munera. Non est autem verisimile, quod aliquod spirituale ab eis receperit; imo ipse cunctis spiritualia bona confert. *Ipse est enim imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ, &c.* ut habetur Colos. 1. v. 15. Item ad Ephesios 4. v. 15. *Crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus*. Ergo illa non fuerunt munera spiritualia. Item Matth. 3. v. 4. *Et accedens tentator dixit ei: si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant*. Quasi dicat: si jusseris ita fiet; si factura rerum visibilium esset Principis hujus Mundi, idest Satanæ, sicut ipse dicis, cum ipse Princeps pura creatura sit, factura ergo rerum visibilium puræ creaturæ est; ergo per facturam earum non cognosceret eum esse Dei Filium. Nonne ipse Princeps consimilia facit, imo & majora, ut falsò ponis, nec tamen ipse est Filius Dei: ergo licet Christus istud fecisset, non tamen propter hoc ipsum esse Dei Filium cognovisset. Constat autem ex verbis tuis, quod per facturam cognoscere eum noluit. Ipse ergo sciebat quod factura non est nisi Filii Dei, id est Verbi ejus, per quod omnia facta sunt. Item attende verba ejus, *dixit, &c.* Ex quibus vocibus manifeste innuitur quod ipse est, qui dixit, & facta sunt; opera scilicet sex dierum. Ad idem facit illud verbum Domini Matth. 4. v. 45. *Qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos & injustos*. Hoc autem hic non disputamus, quia de Deo inquisitum est supra in cap. de creatione visibilium a Deo sancto. Ad idem facit illud Matthæi 6. v. 25. *Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini*. Modo quæro quid appellet hic animam, an vitam corporalem, an illam spiritualem, & rationalem substantiam, quæ corpori præstat vitam, sensum, & motum voluntarium, & quæ discernit bonum a malo, & verum a falso? Hoc ultimo modo sumi non potest; secundum hoc enim loqueretur de manducatione spiritualis cibi. Nunquid diceret Dominus: ne solliciti sitis quid manducetis, id est quem cibum spiritualem animæ vestræ detis? Nonne verba fidei, & bonæ doctrinæ cibus animæ sunt? Utique. Unde Paulus de Timotheo dicit 1. ad Timot. 4. v. 6. quod ipse erat *Enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ*? Nonne Dominus dicit Matth. 4. v. 4. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*? Nonne de illo cibo debet homo esse sollicitus? Nonne Paulus ad hoc monuit Timotheum dicens 2. Timoth. 2. v. 15. *Sollicite cura Teipsum*. Et quomodo ipse curavit seipsum sollicite, nisi se pascat verbo vitæ? Nonne David rogat, & dicit: *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum: & non dominetur mei omnis injustitia*. Psal. 118. v. 133. *Redime me a calumniis hominum, ut custodiam mandata tua*? Si rogabat David Deum, ut gressus ejus dirigeret, & ut mandata Dei custodiret, sollicitus erat de spirituali cibo, qui est custodia mandatorum Dei.

Præterea si de spirituali cibo loqueretur, ergo & de sollicitudine spirituali; ergo perhiberet Ecclesiæ spiritualem sollicitudinem. Contra quod dicit Apostolus ad Ephesios 4. v. 3. *solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis*. Restat igitur quod loquatur de sollicitudine corporali, & ita de cibo corporali, & de anima, idest de corporali vita, secundum quem modum sumit Apostolus animam dicens Act. 20. v. 24. *Non facio animam meam pretiosiorem quam me*.

Præterea Dominus dicit ibi Matthæi 6. v. 15. *Nonne anima plus est quam esca, & corpus plusquam vestimentum*? Si autem per animam intelligis spiritum humanum, dicas mihi, quid intelligis tu per corpus? Si corpus materiale, habeo propositum meum, quod de corporali vestimento loquatur Christus, & similiter de corporali cibo, quod verum est. Qui enim dedit majora, dabit minora illis vel necessaria. Unde Luc. 22. v. 35. *Quando misi vos sine sacculo & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis?* v. 36. *At illi dixerunt: nihil*. Si autem per corpus intelligis corpus spirituale, quæ differentia est inter animam, & spiritum humanum, & spirituale corpus? Si autem per corpus spirituale intelligis congregationem aliquam, sive Ecclesiam, vel per vestimentum intelligis vestimentum spirituale, vestimentum spirituale Christus est, unde ad Rom. 13. v. 14. *Induimini Dominum Jesum Christum*. Nunquid congregatio fidelium plusquam Christus?

Præterea nunquid anima melior est quam esca spiritualis? Si dicas quod sic. Quomodo potest hoc

(6) Bonacursus *lib. de Vita Hæreticorum cap. 1. pag. 63. T.* XIII. *Spicileg. Dacheriani Edit. an.* 1677. *Quidam illorum* [Catharorum] *dicunt Deum creasse omnia elementa, alii dicunt illa elementa diabolum creasse; sententia tamen omnium est, illa elementa diabolum divisisse*. Ac materiem quidem a Deo antea conditam, tum vero a Satanaele distinctam fuisse pugnabant Bogomilii, ut ex Euthymio demonstratur *Parte* II. *Panopliæ Tit.* XXIII. *n.* VII. *pag.* 211. Vide apud Irenæum *lib.* I. *cap.* III. *n.* 2. *pag.* 19. *seq.* quid de origine elementorum senserint Valentiniani.

(7) Consulitor Irenæus *lib.* III. *cap.* IX. *pag.* 184. ubi de Deo Cæli, & Terræ conditore disserit.

hoc esse, cum esca spiritualis faciat animam bonam, & sine ea non possit esse bona? Esca enim spiritualis est Christus, qui ait Johan. 6. v. 35. *Ego sum panis vitæ, qui venit ad me non esuriet*. Et doctrina ejus. Item quomodo potest hoc esse, cum anima sit mutabilis, & possit esse bona vel mala? Esca autem illa non potest esse nisi bona. Similiter objicias de corpore, & vestimento. Ex his omnibus patet, quod Dominus loquitur de vita, & cibo, & corpore, & vestimento materiali.

Præterea Matth.6. v.26. *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cælestis pascit illa*. De quibus autem volatilibus loquatur, patet per Lucam, quia de materialibus; unde Lucæ 12.v.24. dicitur: *Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, & Deus pascit illos. Quanto magis vos pluris estis illis?* Quasi dicat: Si pascet hæc minima, quanto magis nos. Si autem vis dicere, quod volatilia ibi dicuntur boni Angeli. Contra. Ipsi Apostoli adhuc erant mali; nondum enim habebant Spiritum Sanctum secundum te; quomodo ergo potes dicere, quod volatilia ibi dicuntur Angeli boni, cum dicat Matth. 6. v. 26. *Nonne vos magis pluris estis illis?*

Præterea nonne secundum illos, qui ponunt unicum principium, omnes æquales erunt in præmio? Quomodo ergo unus pluris pretii, quam alius tunc? Constat autem quod hi non erunt pluris pretii quam Angeli boni? Si autem volatilia cæli Dæmonia appellat, Deus non pascit illa. Quomodo ergo dicitur: *Pater vester cælestis pascit illa?*

Præterea si adhuc dicis quod volatilia dicuntur Angeli boni, ostende hoc aliquo testimonio, & ubi habes quod volatilia cæli dicantur Angeli boni? Ego enim possum ostendere, quod volatilia cæli dicuntur, vel Dæmonia. Lucæ 8. v. 12. vel volatilia materialia in Psalm. 78. v. 2. *Posuerunt morticina*, idest cadavera (ut dicit alia littera) *servorum tuorum escas volatilibus cæli: carnes sanctorum tuorum bestiis Terræ*. Si enim spiritualiter velles hoc intelligere, dicas mihi, qui sunt hi qui posuerunt nisi Dæmones, & quibus posuerunt, nisi volatilibus? Ergo illa volatilia non essent Dæmones, neque bestiæ terræ essent Dæmones. Propter hoc quidam hæretici exposuerunt illud verbum dicentes: volatilia esse Phariseos, scilicet nos Romanos; & dicunt; quod non serimus aliis, neque metimus nobis spiritualia præcepta, neque congregamus homines in cæleste horreum, & tamen Deus Pater pascit nos, idest dat nobis Evangelium, ut inde pascamur; ergo intelligitnr de cibo spirituali parabola dicta. Hoc autem esse non potest, cum dicat Dominus Matth.6. v.25. *Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini*. Similiter etiam de spirituali vestimento non potest intelligi, cum dicat & de vestimento; quid solliciti estis. In quo patet hæreticos istos male dicere, cum dicunt, quod per lilia intelliguntur fideles, & per agrum Mundus. Ubi fideles crescunt fide, & operibus, & non laborant in peccatis, neque metunt, idest non decipiunt. Contra. Erant isti Fideles quos per lilia intelligis, boni? Si hoc est, ergo Apostoli tunc non erant pluris illis; cum Dominus dicat Apostolos esse minimæ fidei; unde de istis liliis dicit Lucæ 12. v. 28. *Si autem fœnum, quod hodie est in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos pusillæ fidei?*

Præterea attende quid dicit Fœnum agri; de quo fœno, vel de quo agro intelligit? Si de agro cælesti ubi est fœnum, idest Angeli, ubi habes quod dicantur Angeli fœnum? Ego tamen video fœnum materiale. Item invenio aliud fœnum Isaiæ 40. v. 6. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri*.

Præterea quomodo potest esse, cum Dominus dicat: *Fœnum agri quod hodie est, & cras in clibanum mittitur?* Si dicas quod fœnum intelligitur Ecclesia. Quæ erat illa Ecclesia nisi Apostoli? Ex verbis autem Domini patet, quod aliud est fœnum, & aliud Ecclesia, idest Apostoli, quibus loquebatur dicens: Si autem fœnum, &c.

Præterea numquid erat jam Ecclesia, cum nondum datus esset Spiritus Sanctus secundum quod credis?

Præterea quomodo stabit: *Si autem fœnum agri quod hodie est? &c.* Si autem vis dicere quod fœnum sumitur in malo, sicut dicit Isaias 40. v.6. quomodo stabit quod Dominus ait: *Deus sic vestit fœnum?* Numquid Deus vestit spirituali vestimento fœnum, idest carnales? Contra quod non vestit; ergo intelligitur de vestimento materiali ipsius fœni materialis; unde & vestit dicit de præsenti.

Præterea ex verbis Domini patet quod idem est, qui vestit fœnum & Apostolos. *Si autem fœnum, &c.* ergo ab eodem facta sunt temporalia ista, & Apostoli.

Præterea nonne vides qualiter argumentatur ex præmissis. *Nolite ergo solliciti esse, &c.* Ubi patet quod non loquitur de sollicitudine spirituali, sed de corporali; ergo de cibo, & vestimento hujuscemodi.

Præterea assignat caussam quare de hujusmodi non debent esse solliciti, dicens Lucæ 12.v.30. *Hæc enim omnia gentes mundi quærunt*. Ecce quod non vult nos similes esse gentibus, quæ de istis sollicitæ sunt, sed non de spiritualibus. Igitur Dominus loquebatur de istis materialibus. Item aliam assignat caussam dicens v.30. *Pater autem vester scit quia his omnibus indigetis*. Ergo ista non sunt spiritualia, cum dicat Apostolus 1. ad Corinth. 12. v. 24. *Honesta autem nostra, nullius egent*.

Præterea dicit. *Pater autem vester scit quia his omnibus indigetis*. Si scit, ad quid hoc dicit, nisi, ut jactent cogitatum suum in ipsum, & spem, quoniam in his subveniet eis; ergo ista temporalia ab ipso sunt, ex quo ea dat, alioquin raperet aliena. Ad idem facit, quod legitur Matth. 13. v. 24. *Simile factum est Regnum cælorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo*. Cujus auctoritatis inquisitionem contra utrosque catharos posuimus in cap. de creatione. Ad idem etiam facit illud verbum

bum Matth. 19. v. 4. ubi Dominus ait Pharifæis: *Non legiſtis quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos?* Marci autem 10. v. 6. addit, & dicit quis fecit eos mafculum, & fœminam, cum ait: *Ab initio autem creaturæ maſculum & fœminam fecit eos Deus*. Dominus noster nunquam appellaret Dæmonem Deum fine aliqua determinatione, ex qua pateret quod Deus fumeretur in mala parte, unde patet quod diftinctio corporum fecundum fexum a Deo fancto eft. [*] Ad hoc autem refpondebit velate dicens: quod Deus fecit marem, & fœminam, & utriufque corpus. Sed contra. Si fecit illa corpora, cum ad aliquem ufum fecerit ea; ergo opus illud matrimoniale bonum. Cum enim aliquid fit fecundum Dei voluntatem non eft peccatum. Si enim peccatum eft, contra, vel præter Dei voluntatem eft.

Præterea puer nafcitur in utero, & ex utero; nunquid a Deo fancto? Si hoc; ergo falfum eft quod natus fit de peccato, quod tamen dicere confuevifti, quamvis non fit verum.

Præterea ergo actus matrimonialis non eft peccatum: [*] Ad idem facit illud quod habetur Lucæ 11. v. 37. ubi dicitur, *quod quidam Phariſæus rogavit Jeſum, ut pranderet apud ſe. Et ingreſſus recubuit*. v. 38. *Phariſæus autem cœpit intra ſe reputans dicere, quare non baptizatus eſſet ante prandium?* v. 39. *Et ait Dominus ad illum: Nunc vos Phariſæi quod deforis eſt calicis & catini mundatis: quod autem intus eſt veſtrum, plenum eſt rapina & iniquitate*. v. 40. *Stulti, nonne qui fecit quod deforis eſt, etiam id quod de intus eſt fecit?* In his verbis patet, quod de prandio materiali, & de corporali ablutione manuum loquitur. Dicit enim quod Pharifæus qui invitaverat Jefum, ut pranderet apud fe, cogitabat quæ effet cauffa quare Jefus antequam pranderet non effet baptizatus, ideft lotus. Super quo etiam arguebant difcipulos ejus Matth. 15. v. 2. *Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum, non enim lavant manus ſuas cum panem manducant*: Dominus autem eos arguit, quia munditiam corporis eligebant, & eam habere ftudebant, munditiam animæ relinquentes, & propter hoc Dominus ait Pharifæo: *Nunc vos Phariſæi, &c.* Loquebatur ergo Dominus de munditia animæ & corporis, oftendens utriufque munditiam effe procurandam, ratione factoris, qui fecit utrumque, ideft animam & corpus. Unde ait: *qui fecit quod de foris eſt, etiam id quod de intus eſt fecit*. Hoc tamen expofuit mihi hæreticus fic dicens: qui fecit quod deforis eft, ideft corpus, fecit id quod intus eft, ideft malum corpus, five malam voluntatem, fcilicet Diabolus. Quod autem hæc expofitio aliena fit a Fide Catholica, patet, fi infpiciantur verba Beati Matth. 23. v. 26. qui dicit: *Phariſæe cæce, munda prius quod intus eſt calicis & paropſidis, ut fiat id, quod deforis eſt, mundum*. Corpus autem dicis id quod de foris eft; ergo corpus poteft effe mundum; ergo non eft a Diabolo creatum, vel factum. Si autem per id, quod de foris eft, intelligas operationem pravam, per id quod intus eft pravam voluntatem, patet per B. Matthæum hæreticum effe quod dicis. Ponit etiam B. Matthæus id quod de foris eft, poffe effe mundum, cum dicit: *Munda prius quod intus eſt, &c.* Mala enim converfatio munda effe non poteft, id autem quod de bonis eft, mundum effe poteft, ergo per id quod de foris eft non intelligitur prava converfatio.

§. V.

Quod aliis teſtimoniis hoc idem probatur.

Nunc ad alia teftimonia tranfeamus, & primo inducamus illud quod ex parte tetigimus de Act. Apoft. 14. v. 14. *Nos mortales ſumus ſimiles vobis homines; annunciantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit Cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt*. v. 15. *Qui in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas*. v. 16. *Et quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens de cælo, dans pluvias, & tempora fructifera implens cibo, & lætitia corda noſtra*. Hinc videndum eft quibus loquebatur, quia Paganis & Idolorum cultoribus, a quibus Idolis valde vanis monebat eos converti ad Deum vivum.

Præterea dicit quod Deus in *præteritis generationibus*, ideft temporibus, *dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas*, quæ malæ viæ erant. Et dicit quod non reliquit fe fine teftimonio, benefaciens &c. Per beneficia enim rerum vifibilium quas eis dabat fe effe Deum teftatus eft juxta illud ad Rom. 1. v. 20. *Inviſibilia enim ipſius a creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*. Ifti Pagani, quibus loquebatur, non cognofcebant aliud cælum, neque aliam terram, aut aliud mare, vel alia, quam ea quæ in iftis effe videbant. Conftat autem quod per magnitudinem factorum volebat eos convertere ad factorem, fed alia facta nefciebant, nifi ifta, quæ videbant; ergo per alia facta non poterat illos inducere ad factorem, nifi per ifta. Ergo Deus bonus horum factor eft.

Præterea dicit, quod fe non reliquit fine teftimonio ad gentes illas; fed quod erat teftimonium ipfius Dei vivi, nifi ipfa facta quæ videbant gentes? ergo ipfa ab eo facta funt.

Præterea in hoc etiam non fe reliquit fine teftimonio, quia benefaciebat eis de cælo dans &c. Iftud autem de pluvia materiali intelligitur, quia de cælo materiali locutus eft, unde venit pluvia materialis quæ facit terram fructiferam.

Præterea de cibo materiali loquitur, quia dicit: *in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas*, ideft diverfimode curare, & tamen dabat eis pluvias &c. Corda enim illarum gentium numquam impleta fuerunt cibo fpirituali, neque lætitia fpirituali; ergo cibus materialis eft de quo loquuntur Apoftoli; pluvia ergo materialis eft a Deo. Sed contra hoc infurgit hæreticus dicens: Quomodo poteft effe quod veniat pro cibo corporali? ille enim cibus non eft cibus cordis. Ad hoc dico quod ille cibus eft cordis, illius fcilicet particulæ quæ eft principium vitæ in animalibus.

[*] Deeft in Cod. Bonon.

Illa enim particula cibo nutritur; illa etiam particula repletur gaudio, & lætitia materiali. Duplex enim distinguitur lætitia. Una est secundum materiam & alia est secundum species. Prima corporalis est, secunda autem in anima est. Unde de prima dicit Philosophus: si quis dicit animam gaudere, vel tristari, debet eam dicere texere, vel ædificare.

Præterea posito quod cordis nomine anima designetur; constat quod lætitia animæ est, cibus etiam corporalis animæ est, non quia de eo nutriatur, sed quia ab ipsa inde sustentatur corpus. Dico ergo quod ipsa anima dicitur impleri cibo, quia voluntas ejus ad nutriendum corpus suum inde impletur, & inde satisfit voluntati ejus. Nonne vides quid Lucæ 16. v. 25. dicit Abraham diviti, idest animæ ejus? *Accepisti bona in vita tua*. Et loquitur de temporibus bonis. Ille enim spiritualia bona contempserat. Temporalia ergo bona, scilicet purpura, byssus, & epulæ splendidæ animæ ejus fuerant, quia ea receperat. [*] Ex hoc patet solutio hujus objectionis hæreticorum, qui dicunt quod fructus terræ non sunt a Deo, sed ab ipsa terra, ab ejus humore, quoniam terra talis est aliquando ut habilis sit ad fructum, quia pinguis est; aliquando autem quia non est pinguis, sterilis est. Respondeo. Nunquam terra per se hoc potest facere, sed adjutorio caloris solaris, & pluviæ humectantis ipsam. Ista autem a Deo Sancto sunt. Unde Matthæi 5. v.45. *Qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos*.

Præterea Actor.14. v. 14. loquitur Paulus dicens ut supra in initio hujus capitis: *Et nos mortales sumus similes vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit Cælum &c.* Item Actor. 17. v. 22. dicit Apostolus Atheniensibus: *Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video*. v. 23. *Præteriens enim & videns Simulacra vestra, inveni & aram, in qua scriptum erat: Ignoto Deo; quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis*. v. 24. *Deus qui fecit Mundum, & omnia quæ in eo sunt, hic cæli & terræ cum sit Dominus non in manufactis templis habitat*. v. 25. *Nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia*. v.26. *fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum*. v.27. *Quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum*. v. 28. *In ipso enim vivimus, movemur, & sumus, sicut & quidam vestrorum Poetarum dixerunt. Ipsius enim & genus sumus*. Hic primo videndum est, quibus loquitur, quia Atheniensibus Idolorum cultoribus. Secundo videndum est, quid eis loquebatur, scilicet hunc Mundum a Deo factum, & omnia quæ in ipso sunt, scilicet Cælum & Terram, & sic describit ejus Omnipotentiam. Item incomprehensibilitatem, cum dicit: *non in manufactis templis habitat*. Item ejus sufficientiam; unde *nec manibus humanis colitur*; idest non fit indigens aliquo, quasi dicat, neque opere hominis exit de non esse ad esse, nec ejus esse indiget aliquo ad sui conservationem; ipse enim non est accipiens ab aliquo, sed dans; unde sequitur: *cum ipse det omnibus vitam, & inspirationem*, idest aerem, quem inspirat ad conservationem vitæ, & *omnia* alia ad vitam necessaria. Hic habes palam, quod Mundus a Deo factus est, & omnia quæ in eo sunt, & quod ipse Cæli & Terræ conditor est, & quod vita, & ea quæ ad vitam necessaria sunt, ab ipso sunt. Modo quæro de quo Mundo loquebatur, & de quo Cælo, & de qua Terra, nisi de isto? alium non potes ostendere.

Præterea nonne isti erant Idololatræ? Nunquid alium mundum, & Cælum, vel Terram cognoscebant? Certe non. Prædicabat autem eis Apostolus Deum esse factorem Mundi Cæli & Terræ. Quare nisi ut per facta quæ cognoscebant faceret eos venire ad cognitionem factoris, sicut dixerat Romanis Rom. 1. v. 20. *Invisibilia enim ipsius a Creatura Mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*; ergo Apostolus de his operibus loquebatur, quæ illi cognoscebant, ergo de hoc Mundo, & de hoc Cælo, & de hac Terra, & hujusmodi.

Præterea si tu velles recipere hanc litteram, qui ponis duo principia, nonne Apostolus dicit: *Deus qui fecit hunc Mundum*? Nonne cum ista dicebat, in isto materiali Mundo erat, & Athenienses, quibus loquebatur? Utique. Ergo non loquebatur de alio Mundo, alioquin dixisset illum.

Præterea dicit; *quod ipse dat vitam omnibus &c.* hoc non potest intelligi de vita spirituali; ergo de corporali vita; ergo hæc vita corporalis a Deo est.

Præterea dicit: *fecitque ex uno omne genus hominum &c.* Ex uno dicit, scilicet ex Adamo. Hoc non potest intelligi de generatione spirituali, ergo de materiali generatione. Et nonne vides eundem Apostolum dicere ad Galat. 1. v. 15. *Cum autem placuit ei qui me segregavit ex utero Matris meæ, & vocavit per gratiam suam*, quasi dicat, qui me fecit nasci ex fœmina, & qui natum vocavit per gratiam? Non enim hoc de spirituali generatione intelligitur, quia illa secuta est vocationem. Sine causa enim Apostolus non præmisit segregationem de matris utero, ipsi vocationi.

Præterea non dicit Apostolus, quod unum fecerit, scilicet Adam, ex quo est omne genus hominum, sed dicit quod omne genus hominum ex illo uno. Igitur propagatio & generatio humani generis ex Adam a Deo est. Nunquid ista est spiritualis generatio, quæ fit per fidem Jesu Christi? Non ergo carnalis generatio a Deo ut factore est.

Præterea, nonne dicit: *definiens statuta tempora*? Ergo distinctio temporum horum hominum, & distinctio partium habitabilium ab hominibus est ab ipso. In quibus verbis patet, quod de temporalibus rebus loquebatur ibi Apostolus, & de materialibus, cum fines habitationis dicit a Deo positos, & tempora ætatum & regnorum distincta esse. Ad quid autem fecerit Deus hoc hominibus, dicit Apostolus: *quærere*, idest ad quærendum *Deum si forte*, idest dummodo velint attrectare eum manu amoris, aut invenire cognitione fidei, *quamvis non sit longe &c.* quasi dicat, quamvis prope sit cuilibet per essentiam, tamen quærite, ut per gratiam prope fiat; quod

[*] Deest in Vat.

quod autem prope sit, probatur. *In ipso enim &c.* & ita habemus esse vivere & moveri ab ipso. Constat autem quod loquitur de esse vita & motu materiali. Non erat enim verum quod esse spirituale, vel vita spiritualis, vel motus spiritualis, esset in unoquoque eorum. Mentiretur ergo Paulus dicens: *quamvis non longe sit &c. In ipso enim* dicit *&c.*

Præterea nonne dicit: *ipsius enim & genus sumus, sicut & quidam vestrorum Poetarum dixerunt*? Isti Poetæ non habebant cognitionem generationis spiritualis, cum essent Idololatræ, & Pagani. Intelligebat igitur de materiali generatione. Ad idem induci possunt illa testimonia Apostoli pro magna parte, quæ posuimus in cap. de creatione rerum visibilium & transeuntium a Deo Patre justorum esse, sicut est illud ad Rom.1. v. 20. *Invisibilia &c.* Item ejusdem Epistolæ 6.v.19. *Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem*. Item 9. v. 18. *Deus ergo cujus vult miseretur &c.* Item 11. v. 35. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei*. v. 36. *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: Ipsi gloria in secula. Amen*. c.12.v.1. *Obsecro itaque vos Fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum*. Item 14. v. 20. *Noli propter escam &c.* Item 1. Corinth. 6. v. 15. *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi*. Item ad Galat.1. v. 15. *Cum autem placuit ei qui me segregavit &c.* Item Ephesior. 3. v. 1. *Hujus rei gratia, ego Paulus vinctus Christi Jesu pro vobis gentibus* Item ad Coloss.1. v.15. *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipso &c.* Item 1. Timoth.4. v. 1. *Spiritus autem manifeste dicit &c.* Item ad Hebræos 1. v.10. *Et Tu in principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.* Item 1. Cor.8.v.6. *Unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum*, idest ab ipso facti: *& unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum*, supple, facti sumus. Item c.9.v.10. *Debet in spe, qui arat, arare: & qui triturat in spe fructus percipiendi*. Sed de qua spe loquatur, patet illic, cum dicit statim: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus*? Si dicas mihi, a quo sperant isti aratores carnalia? Nonnisi a factore ipsorum. Sed quomodo a diabolo sperant illa, cum impugnent eum? Relinquitur ergo, quod ipsa non sunt facta ab ipso. Si autem a Deo Patre Sancto sperant illa, ergo ab ipso sunt facta, & de ejus dominio sunt. Ipse enim non usurparet alienum.

Præterea ex semine spirituali colligunt discipuli carnalia tamquam messem. Numquid ex tam pretioso semine messis diabolica colligeretur? Item 1. ad Corinth. 11. v.15. *Mulier vero si comam nutriat, gloria est illi: qaoniam capilli pro velamine ei dati sunt*. Constat quod Apostolus ibi docet mulierem materialem velare caput materiale, & dicit quare debeat libenter facere, quoniam hæc est gloria ei, & quod sit ei gloria facere hoc, ostendit quoniam capilli dati sunt ei ad hoc, idest, ad caput velandum. Apostolus autem nunquam diceret hoc esse gloriosum mulieri, vel quod deberet hoc facere, si essent ei a diabolo dati, ergo materiales capilli sunt ei dati a bono Deo & sancto, ad velandum materiale caput. Ipsa igitur dispositio membrorum corporis a Deo Sancto est, non tantum creatio.

Præterea istud velamen, de quo loquitur Apostolus, materiale est, sive corporale, quod patet sic. Si enim esset spirituale, aut bonum, aut malum? Si malum, nunquam diceret Apostolus, quod mulier eo velaret caput suum. Si bonum, nunquam diceret quod vir non velaret eo caput suum; ergo non est velamen spirituale istud, de quo Apostolus loquitur, ergo est corporale; ergo capilli corporales, & caput corporale, & mulier corporalis, & vir similiter. Constat autem quod Apostolus dicit capillos, sive ipsum velamen corporale esse datum a Deo, & ostensum est quod a Deo Sancto. Dicit etiam utrumque esse in Domino, sive per ipsum, scilicet virum & mulierem. Ergo dispositio corporis mulieris, & corporis viri, non tantum creatio ejus a bono Deo est, postquam & dispositio capitis, & velamen ejus.

Præterea dic mihi. Cum dicit ibi Apostolus; *quod non est vir ex muliere, sed mulier ex viro*, de qua muliere loquitur? Numquid de spirituali, idest de Ecclesia? Hoc stare non potest, quod vir spiritualis, idest Prelatus, ab Ecclesia constituitur etiam secundum te, & ipsa sibi virum eligit, idest Episcopum. Venit ergo mulier pro materiali muliere, & vir pro materiali viro. Sed dic mihi; quando hoc esse potuit, nisi in prima creatione Adæ & Evæ? Modo enim uterque ex utroque est. Loquitur ergo de Adam & Eva.

Præterea illud, quod dicit Apostolus: *Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum*; Non potest intelligi de Prælato & Ecclesia, quia Prælatus propter Ecclesiam constituitur, & ad eam regendam ordinatur; ergo illud verbum Pauli de muliere materiali & viro ejus intelligitur. Sed quomodo potest hoc stare, quod dicitur: *Non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum*, nisi intelligatur de Eva & Adam? Adam enim cum fuit primo creatus, non fuit creatus propter mulierem, idest propter Evam, sed e contrario. Sicut etiam probari potest per textum Genes. ubi dicitur cap. 2. v. 18. *Non est bonum hominem esse solum: Faciamus ei adjutorium simile sibi.* Creata est ergo mulier in adjutorium viri, idest Adæ, qui prius solus erat conditus, non e contrario, cum mulier nundum esset, idest Eva, & propter hoc dictum est a Paulo: *Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum*. Quod non est verum nisi quoad conditionem primi hominis, & primæ mulieris. De conditione enim posteriorum, subdit Apostolus: *Veruntamen neque vir sine muliere: neque mulier sine viro in Domino*. Quasi dicat: Uterque ex utroque est a Deo Auctore. *Nam sicut mulier ex viro*, (supple prius) *ita & vir per mulierem* (supple postea) nascitur. *Omnia autem ex Deo*, idest corpus & anima utriusque a Deo Auctore conditum est. Unde Lucæ 11. v.40. *Nonne qui fecit quod deforis est &c.* ut habetur in hoc eodem capite supra parum ante.

Præterea quid vult probare Apostolus, per hoc

quod dicit: *Non enim vir ex muliere &c.*? Istud scilicet quod sequitur ibi; Ideo debet mulier habere velamen super caput suum; numquid hoc dicit Apostolus, quia vir non est conditus a diabolo ex muliere, sed mulier ab ipso de viro condita est. Ideo debet mulier potestatem habere supra caput? Non.

Præterea post ea dixit v.7. ejusdem cap.11. Ep.1. ad Corinth. *quoniam vir est imago & gloria Dei, mulier autem gloria viri est*. Non e contrario supple, & hoc probat: *Non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro*: Numquid esset mulier gloria viri, si diabolus eam fecisset ex viro? Non.

Et notandum propter intelligentiam litteræ, quod gloria hic dicitur effectus alicujus rei ut caussæ, secundum quod per ipsum & ex ipso apparet caussa laudabilis. Dicitur ergo mulier gloria viri, sicut fructus dicitur gloria arboris, quia ex eo apparet arbor gloriosa. Item 1. ad Corinth.11. v.23. *Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens dixit: Accipite, & manducate, hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem*. Matthæi 26. v. 26. dicitur, *quod benedixit, ac fregit*. Quod iste esset materialis panis, inferius (ubi agemus de corpore Domini) ostendetur. Si autem Christus ipsum benedixit, si inde gratias egit, factura esse diaboli non potuit, sed Dei, cui inde gratias egit. Ei enim aguntur gratiæ de re, unde habetur res. Item 1. Corint. 12. v.20. & seqq. *Multa quidem membra, unum autem corpus: non potest autem oculus dicere manui: opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus: non estis mihi necessarii. Sed multo magis, quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessaria sunt: Et quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus: & quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent. Honesta autem nostra nullius egent, sed Deus temperavit corpus ei, cui deerat, tribuendo abundantiorem honorem*. Ecce quod Deus corpus disposuit; non enim potest dicere, quod de corpore loquatur spirituali, quia si hoc esset; ergo de honore & honestate spirituali. Ibi autem non est verum, quod membra ignobiliora recipiant majorem honorem in Ecclesia, neque quod membra inhonesta majorem habeant honestatem. Loquitur ergo de corpore materiali, licet in figura corporis spiritualis, quod etiam patet ad Rom.12. v. 4. ubi Apostolus distinguens inter corpus materiale & spirituale, quod est Ecclesia, ponit materiale corpus figuram esse corporis spiritualis, dicens: *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent*: v. 5. *ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra*. v.6. *Habemus autem donationes, secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes*. Item 1.Corinth.15. v. 36. *Insipiens tu, quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur*: v.37. *Et quod seminas, non corpus, quod futurum est seminas, sed nudum gramen, ut puta tritici, aut alicujus cæterorum*. v.38. *Deus autem dat illi corpus, sicut vult: & unicuique seminum proprium corpus* (8) Ecce evidentissimum testimonium quod terræ nascentia a Deo secundum proprias species distinguuntur, & ab ipso diversum esse trahunt, secundum diversas species & naturas ipsorum. Istud autem inferius in Tractat. de Resurrectione magis discutietur.

CAP. III.

§. I.

Rationes phantasticæ Hæreticorum, quibus probatur, quod creatio & factura horum visibilium est a Diabolo.

Nunc ad tertium capitulum accedamus contra utrosque (1) Catharos, videntes quasdam persuasiones phantasticas, quas ad hoc ostendendum inducunt, quod creatio horum visibilium non est a Deo Sancto.

Dicunt enim: quomodo potest esse, (2) quod ignis ille bonæ creationis sit, qui domum pauperculæ comburit, imo & homines sanctos.

Item, quomodo potest esse quod aqua similiter sit bonæ creationis, quæ tot homines submergit? Ad hoc potest multipliciter responderi. Quid enim dices tu de illo igne, de quo dicitur Psal.96. v.3. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit inimicos ejus?* Item quid dices de illo igne, de quo loquitur Sophoniæ 1. in fine: *ambulant ut cæci, quia domino peccaverunt: & effundetur sanguis eorum sicut humus, & corpora eorum sicut stercora. Sed & argentum eorum, & aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini: in igne cæli ejus devorabitur omnis terra*. Idem habetur cap.3. ejusdem Prophetæ. De hoc etiam habetur 11. Hieremiæ parum post medium, & Isaiæ 10. parum post principium, & circa finem, & in multis aliis locis Prophetarum, loquentium de Deo Sancto & vero, & de igne ab eo creato & facto; quod tu non audes negare. De aqua vero si homines occidit, accusa non aquam, sed illum,

(8) Adeundus Johannes Chrysostomus *Homil.* XLI. *in Epistola* 1. *ad Corinth. pag.* 389. *Tom.* X. *Opp. Edit. Paris*.

(1) Nempe omnes Cathari in ea erant opinione constituti, ut a malo quodam principe mundum formatum fuisse dicerent. Quamvis enim, ut alias sæpe observavi, pars omnia sub adspectum cadentia a principe hoc malo, pars contra a bono materiam tantum confusam conditam fuisse diceret, universi tamen censebant, formata saltem fuisse a diabolo ea quæ nostris oculis obversantur.

(2) In igne boni & mali nescio quid esse permixtum pugnabant Manichæi veteres. Ac bonum quidem esse contendebant, quod in igne salubre est, malum vero, quod urens, atque mortiferum. Hinc Titus Bostrensis *lib.* II. *Contra Manichæos pag.* 127. *Quomodo*, inquit, *videbitur ei* [Maneti] *in igne hoc quidem esse salutare, quod est boni, hoc vero mortiferum &, urens, quod est mali, nisi insane fingat mistionem elementorum ex bono, & malo?* Itaque Veteribus Manichæis cum hoc genere Catharorum Concorrezensium, quos hoc loco Moneta exagitat, præclare conveniebat. Nam & hi quidem boni aliquid inesse putabant in igne, cum ejus materiem saltem a Deo vero conditam esse arbitrarentur, distinctam autem atque formatam a Satana. Negari tamen non potest, quin Manichæi, qui in Africa versabantur Augustini ætate duum generum ignem esse, unum quidem a principio bono creatum, alterum vero a malo omnino profectum censerent, atque alterum, alteri oppositum consule *Augustin. l.* II. *Contra Faustum cap.* III. *col.* 186. *Tom.* VIII. *Opp.* quod etiam Balasinansæ sectatoribus placuit. Fallor igitur quid caussæ sit, cur Titus nonnihil boni in igne urenti posuisse Manichæos affirmet; nisi forte, ejus sanioi hæretici ex parte illa bona seu virtute, quam Deus immisit in materiam insolescentem, aliquid etiam manasse existimarint, quod facile crediderim.

lum, qui in aqua eos extinguit. Quid ergo dices de illo Deo, de quo legitur 10. Sap. v. 18., & de illa aqua, de qua ibi agitur: *transtulit illos*, ideſt filios Iſrael, *per mare rubrum, & transvexit illos per aquam nimiam* v. 19. *Inimicos autem illorum demerſit in mare?* Iſtud autem accuſare non audes, quia credis quod Liber ille agat de Deo Sancto; quod quidem verum eſt, & de Deo Veteris Teſtamenti. Si velles recipere, imo velis nolis, ut patet per hiſtoriam Veteris Teſtamenti, quæ ibi tangitur, & nunquam potes oſtendere, quod alia ſimilis huic inveniatur. Bene apparet, quod illa aqua in poteſtate Dei Sancti erat, quæ ad voluntatem ejus quoſdam occidebat, quoſdam non, propter quod infra in eodem lib. 16. v. 13. dicitur ei: *Tu enim es, Domine, qui vitæ & mortis habes poteſtatem, & deducis ad portas mortis, & reducis.* Vide etiam quid ibi dicit de igne boni Dei, & de aquis ejus v. 16.: *Negantes enim te noſſe impii*, ideſt Ægypti, *per fortitudinem brachii tui flagellati ſunt: novis aquis, & grandinibus, & pluviis perſecutionem paſſi, & per ignem conſumpti.* Præter prædictam ſolutionem poteſt & aliter ſolvi, & dici, quod iſtæ creaturæ, quæ in ſe bonæ ſunt, ideſt in ſui natura, & a bono Deo ſunt per creationem, & per facturam, ſive diſpoſitionem, & diſtinctionem ſpecificam, ut probabimus in ſeq. parte hujus cap. & in 2. parte hujus operis in cap. de factura harum rerum a Deo Sancto, imitatrices conditoris ſui ſunt, qui quibuſdam mitis eſt, quibuſdam autem ſeverus, ut patet in prædicto teſtimonio lib. Sap. c. 10. v. 18. *Transtulit &c.* Item Rom. 11. v. 22. *Vide ergo bonitatem & ſeveritatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt ſeveritatem: in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate.* Cur igitur Hæretice culpas creaturam imitatricem creatoris ſui? Legitur enim 16. Sap. v. 24. *Creatura enim tibi factori deſerviens exardeſcit in tormentum adverſus injuſtos: & lenior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt.* Eccleſiaſtici 39. v. 30. *Bona bonis creata ſunt ab initio, ſic nequiſſimis bona, & mala.* Supple bona ſi pœniteant, mala autem ſi in nequitia permaneant. Poſtea ſubdit v. 31. *Initium neceſſariæ rei vitæ hominum*, ſcilicet ſuſtentandum, *aqua, ignis, & ferrum, ſal, lac, & panis ſimilagineus, & mel, & botrus uvæ, & oleum, & veſtimentum.* v. 32. *Hæc omnia ſanctis in bona, ſic impiis & peccatoribus in mala convertentur.* Propter quod dicitur 5. Sapient. ver. 21. *pugnabit cum illo Orbis terrarum contra inſenſatos*; unde Eccleſ. cap. 39. v. 33. dicitur: *ſunt ſpiritus, qui ad vindictam creati ſunt, & in furore ſuo confirmaverunt tormenta ſua*: v. 34. *In tempore conſummationis effundent virtutem: & furorem ejus, qui fecit illos, placabunt.* v. 35. *Ignis, grando, fames, & mors, omnia hæc ad vindictam creata ſunt*: v. 36. *Beſtiarum dentes, & ſcorpii, & ſerpentes, & romphæa vindicans in exterminium impios.* 37. *In mandatis ejus epulabuntur, & ſuper terram in neceſſitatem præparabuntur, & in temporibus ſuis non prævenient verbum.* Tertio modo poteſt ſolvi contra omnes Catharos, ſi dixerint quoniam iſtæ res malæ ſint, quia pœnam & afflictionem aliquibus inferunt. Dicendum eſt eos carnales eſſe, & animalem ſive beſtialem ſenſum habere. *Animalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei*, ut dicit Apoſt. 1. ad Cor. cap. 11. v. 14. Vis videre te animalem eſſe? Nonne quidam quærebant, ut legitur Rom. 3. v. 5. *Nunquid iniquus eſt Deus, qui infert iram?* In cujus autem Perſona faciat Apoſtolus hanc quæſtionem, ſubdit, cum dicit: (*ſecundum hominem dico*) id eſt hanc quæſtionem facio; & ſumit ſecundum hominem, ſicut ſumit 1. Cor. 3. v. 2. *Adhuc carnales eſtis.* v. 3. *Cum enim ſit inter vos zelus & contentio: nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis?* Secundum hominem, ſcilicet animalem. Poſtea in perſona ſua dicit: *Abſit*, ſcilicet quod iniquus Deus ſit, quamvis iram, ideſt pœnam, inferat. Similiter dico de his creaturis, abſit quod iniquæ ſint, licet iram inferant. Si autem dicatur quod iniquus eſſet Deus, ſi bonis pœnam inferret; iſtæ autem creaturæ ſine diſtinctione bonis pœnam inferunt, ſicut & malis; ergo iniquæ ſunt. Reſpondeo illis, qui duos creatores ponunt, illud quod habetur Sap. 12. v. 12. *Quis tibi imputabit, ſi perierint nationes, quas tu feciſti?* Ubi etiam dicitur v. 15. *Cum ergo ſis juſtus, juſte omnia diſponis: ipſum quoque, qui non debet puniri, condemnare exterum æſtimas a tua virtute*, id eſt a pietate tua. Sic enim ſumitur, unde Pſalm. 53. v. 1. *In virtute tua judica me*, id eſt in pietate tua.

Contra omnes Catharos illud dicentes, ſcilicet quod Deus iniquus eſſet, ſi bonis pœnam inferret, dicas illud Rom. 9. v. 21. *An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem Maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Nonne Deus Pater iram intulit Chriſto, ideſt pœnam, licet per miniſtros malos? Ita videtur aperte. Sic enim ait Petro, increpans eund. Johan. 18. v. 11. *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis: ut bibam illum?* Act. 4. v. 28. *Manus tua & conſilium tuum decreverunt fieri*, ſcilicet illam paſſionem, & mortem, quam pro nobis Chriſtus dignatus eſt pati, ex quibus patet, quod non eſt Deus iniquus bonis, etiamſi eis pœnam inferat. Quare neque creaturæ ejus, quæ uſum rationis non habent, non ſunt de eodem culpandæ, quia hoc non faciunt intentione nocendi, neque ad nocumentum bonorum cedit, (3) imo magis ad profectum, unde Paulus ad Rom. 7. v. 24. exclamans ait: *Infelix ergo homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* & David Pſalm. 141. v. 8. *Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo.* Nonne vides quid legitur Sap. 4. v. 7. *Juſtus autem ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Forte dicet Tibi hæreticus: ergo & tu eodem modo potes illud facere, dummodo non facias illud intentione nocendi. Reſpondeo. Non eſt mihi datum, imo prohibitum eſt occidere innocentem. Ex quo oſtendo tibi, quod non eſt ſimile de me & de illis creaturis, igne & aqua, quia mihi data eſt lex; illis autem non. Ex quo etiam concludo Tibi. Ergo licet malum inferant bonis, vel & malis, non tamen malæ dicendæ ſunt, vel iniquæ, quia ſic non committunt aliquod pec-

(3) Eodem reſponſo utitur Titus Boſtrenſis *lib.* II. *pag.* 119. *ſeq.*

peccatum: *Ubi non est lex, nec prævaricatio* Roman. 4. v. 15.

Præterea aut illis data est lex, aut non? Si non: peccare non possunt. Peccare enim est contra legem Dei facere. Quare ergo eas malas dicis, si inferunt pœnas aliquibus? Si autem dicas quod data est eis Lex? ergo sunt susceptibiles doctrinæ, quod falsum est.

Præterea, si est eis data lex, quæro a quo? Numquid a Diabolo? Ipse non daret eis bonam legem; ergo si legem suam prævaricarentur, bene facerent. Si a Deo sancto? ergo sunt de jurisdictione ejus, ergo sunt conditæ a Deo.

§. II.

Probatio Ecclesiæ, quod Creaturæ visibiles bonæ & utiles sunt.

VEniamus ad secundam partem capituli hujus, ostendentes nunc, quod creaturæ istæ, & horum visibilium species bonæ sint in sui natura. Constans est, quod animæ in istis corporibus humanis possunt per pœnitentiam reconciliari Deo. Nusquam autem alibi reconciliantur ei. Ibi enim manus impositionem recipiunt, per quam salvari possunt, & non præter eam, ut credis: ibi jejunio corporis hujus creationis vel facturæ satisfaciunt: ibi orant, & alia bona faciunt, ex quibus salutem aquirunt. Quare ergo creationem talium, vel facturam accusas, & asseris malam, nisi quia erras, & alios in errorem inducis? Numquid illa manus malæ creationis vel facturæ existit, quæ salvationem illi impertitur, cui imponitur, & quem tangit? Quis enim credere potest, aut debet, quod manus a Diabolo creata vel facta Spiritum Sanctum exhibeat alicui, ac salutem? Ad hoc autem dicit hæreticus, quod non per impositionem manus visibilis, sed manus invisibilis datur Spiritus Sanctus, & salus, & illa manus invisibilis latet sub manu visibili, & hoc vult habere ex eo quod Apostolus distinguit inter hominem interiorem & exteriorem: & dicunt; si homo est interior & exterior, opus est etiam quod sit manus interior & exterior. Hoc autem volunt approbare per illud Lucæ 16. de oculis divitis, & lingua, & digito Lazari. Sed contra Actor. 8. v. 18. *Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam*. Si erat videns hoc, ergo per impositionem visibilis manus dabatur Spiritus Sanctus.

Præterea ponamus, quod ille qui manus imponit, ista manu visibili non tangat illum, qui recipit manus impositionem, sed elevet tantum ipsam super eum, numquid ille recipiet Spiritum Sanctum? Non. Ergo tactus manus visibilis necessarius est. Ergo per impositionem manus visibilis datur Spiritus Sanctus.

Præterea si distinguis mihi duplicem manum, sicut duplicem hominem, eadem ratione & duplicem oculum, & sic de aliis membris debes distinguere, quod totum concedit hæreticus. Sed si hoc est; ergo debes distinguere etiam duplex corpus scilicet interius & exterius, quod etiam ipse concedit, distinguens corpus materiale & corpus spirituale, sed istud improbabitur in quarta parte hujus Operis in cap. de Resurrectione, ubi ostenditur qua ratione dicatur homo interior & exterior. Quod autem dicitur Lucæ 16. in parabola divitis, & Lazari, determinandum est in quarta parte hujus Operis cap. de resurrectione supra illud verbum Matth. 13. v. 42. *Mittent eos in caminum ignis; Ibi erit fletus & stridor dentium*. Item quod istæ cognoscibilium species bonæ sint in una natura, & a Deo sancto non tantum creatæ sed etiam factæ, patet (4) per utilitatem ipsarum ad multa. Excludunt enim inimicitiam, & provocant homines ad dilectionem mutuam; unde Apostolus Roman. 12. dicit v. 19. *Scriptum est enim: Mihi vindicta: ego retribuam dicit Dominus*. v. 20. *Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi, hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus*; ignis, scilicet, illius, de quo Lucæ 12. v. 49. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Carbones ergo ignis sunt ipsæ res temporales esuriem & sitim repellentes, quia incendunt caput, idest mentem ad amorem eorum, qui impendunt eas inimicis propter Deum. Neque potest dicere quod loquatur de fame aut siti justitiæ, vel verbi Dei. Talis enim inimicus de hujusmodi non habet desiderium, ergo neque famem, neque sitim. Quod autem de hujusmodi non habeat esuriem patet per verbum Apostoli Rom. 12. v. 19. *Non vos metipsos charissimi defendentes; sed date locum iræ, scriptum est enim: mihi vindicta, &c.* ut superius hic. Loquitur ergo de illo qui injuriatur, & irascitur proximo suo; & ita non esurit aliquod bonum ab eo, neque sitit. Si ergo esuriem habet & sitim, de re temporali intelligendum est. (5) Utiles sunt etiam, quia per eas pauperibus distributas provocatur Deus ad dilectionem distribuentis. Unde 2. Corinth. 9. Apostolus eos monet ad eleemosynam materialem faciendam libenter pauperibus Christianis, dicit v. 7. *Unusquisque, prout determinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate*, supple det. Unde sequitur: *hilarem enim datorem diligit Deus*. Ecce quod de istis rebus, & pro istis Deus hominibns amorem suum impendit; ergo sunt creaturæ, vel facturæ ejus. Quod autem Apostolus ibi loquatur de materiali eleemosyna, patet in principio capitis, ubi dicit v. 1. *De ministerio quod fit in sancto, ex abundanti est mihi scribere vobis. Scio enim promptum animum vestrum: pro quo de vobis glorior apud Macedones. Quoniam & Achaja parata est apud Macedones*. Achaja vero Provincia est, in qua Corinthus est Metropolis civitas. Compara autem verba hæc verbis Pauli ad Rom. 15. in fine, & videbis

(4) Fuse hoc argumentum persequuntur Titus Bostrensis *lib.* II. *pag.* 101. *seqq.* Augustinus *lib.* XI. *de Civ. Dei cap.* XVI. *seq.* & *lib.* II. *seq. de Genes. ad Litt.* Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi IX. *n.* IV. *seq.* & Theodoretus *Sermone* VI. *de ei Providentia Tomo* IV. *Opp. pag.* 573. *seq.* quo nimirum loco pleraque ex Plotino adfert maxime ad rem nostram accommodata.

(5) Adeundus Titus Bostrensis *loco cit. pag.* 102. *seq.*

bis quod dixi, scilicet quod de materiali, & carnali eleemosyna Sanctis pauperibus ministranda loquitur v.25. *Nunc igitur proficiscar in Hierusalem ministrare Sanctis*. v. 26. *Probaverunt enim Macedonia, & Achaja, collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Hierusalem*. v.27. *Placuit enim eis: & debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles: debent in carnalibus ministrare illis*. Nota hoc verbum: *Nam si spiritualium, &c.* ubi habetur quod per spiritualia recepta ab eis obligati erant Gentiles ad carnalia eis ministranda. Numquid aliqui per divina & spiritualia alios obligant ad danda sibi diabolica? Ergo ista carnalia non sunt creaturæ & facturæ Diaboli, cum ita sit quod aliqui obligentur dare eis, a quibus divina & spiritualia receperunt.

Utiles sunt etiam ad merendam æternam retributionem, si in usu pauperum expendantur. Ergo non sunt a Diabolo factæ, vel creatæ; ex fructu enim cognoscitur semen. Probatio primæ propositionis ista est, quia Apostolus in prædicto cap.9.2. ad Cor. [*] ubi eos monet pauperibus sua parce largitur propter Deum; &, idest etiam metet retributionem æternam a Deo, sed parce. *Et qui seminat in benedictionibus*, idest in largitate, ut merito dignum sit bene dici de ipso, *de benedictionibus*, supple Dei sancti, *& metet*; quasi dicat. De larga Dei donatione large metet a Deo retributionem. Benedictionem largitatem appellat, unde supra dixerat v. 5. *Necessarium ergo existimavi rogare Fratres, ut perveniant ad vos, & præparent repromissam benedictionem hanc paratam esse, sic quasi benedictionem, non tamquam avaritiam*. Hoc autem quare dicat Apostolus, subdit: *qui parce seminat, &c.* Ubi patet quod de semine materialis eleemosynæ loquitur, quam eleemosynam appellaverat benedictionem repromissam.

Præterea in alio argumento ostensum est, quod de materiali eleemosyna locutus est. Venit ergo semen pro re materiali.

Sed numquid talis res, si a Diabolo est, semen est tam nobilis messis? Non ergo est a Diabolo, sed a Deo sancto hoc semen eleemosynæ materialis.

Præterea ex quo semen pro materiali eleemosyna sumitur, quid dices de illo verbo Pauli eod. cap.v.10. *Qui autem administrat semen seminanti: & panem ad manducandum præstabit?* Constat quod de Deo sancto loquitur; ergo ipse administrat ista temporalia.

Quod autem loqueretur de Deo sancto, patet, quod dixerat v. 8. *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: ut in omnibus*, idest in omni statu, sive paupertatis, sive divitiarum, *semper*, idest usque ad finem vitæ, *omnem sufficientiam habentes*, idest vos habere putantes omne quod vobis sufficit, *abundetis in omne opus bonum*, idest in hoc, sicut & in aliis, & ita abundetis in omni opere bono.

Quod autem istud opus bonum sit, probat per illud David Psalm. 111. v. 8. *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus*, idest justum ejus opus materialis eleemosynæ *manet*, idest ducit ad illud bonum quod est manens *in seculum seculi*. Quasi dicat: inde datur vita æterna. Et statim dixit: *Qui autem administrat, &c.* Sic igitur habemus eleemosynam esse opus bonum a bono fine suo, scilicet a futuræ vitæ remuneratione, unde *justitia ejus, &c.*

Item a remuneratione præsentis *vitæ*, unde: *qui autem administrat, &c.* Ubi patet quod utiles sunt etiam ad obtinendum a Deo sustentationem vitæ propriæ, sive necessaria huic mortali vitæ, imo etiam ad obtinendas divitias temporales. Obmutesce ergo miser, qui dicis res istas a Diabolo esse, cum dicat Apostolus quod Deus est qui administrat semen hoc materialis eleemosynæ, & dat panem ad manducandum, & multiplicat semen illud, scilicet unde fiat eleemosyna, & auget incrementa frugum merito justitiæ istius, scilicet quia justum est, quod si Deus dat ei, unde vitam sustentat, quod & ipse reddat & in paupere. Ipse enim dicet: *quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*, Matth.1.25. v.40. Hic habes, qualiter intelligi debeat illud verbum Apostoli ad Timoth.ep.1.c.4.v.8. *pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ*.

Item utiles sunt ad vitam temporalem pauperum sustentandam, & ad referendas Deo abundantes gratias, & ad Deum glorificandum; unde 2. Cor. 9. v. 12. dicit Apostolus: *Quoniam ministerium hujus officii non solum supplet ea, quæ desunt Sanctis*: ecce primum; *sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino*. Et sensus est. Eleemosyna pauperibus distributa, & per vos ad eos portata, abundat in gratiarum actione supra facta in Domino, idest per Dominum. Ecce secundum.

Sequitur tertium. Item *per probationem ministerii hujus, glorificantes Deum*. v.13. ejusd. c. Modo dicas mihi, quos sanctos appellat, nisi Christianos pauperes, qui tunc erant in magna necessitate, ut habetur Rom.15. in fine? Dicas etiam mihi, quæ erant illa, quæ eis deerant? Numquid spiritualia? Non. Ut enim dicitur 1. Cor. 12. v. 24. *Honesta autem nostra, melius essent*. Illa ergo erant carnalia, quæ illis deerant.

Quod etiam patet in illo cap. ad Rom. Hic autem habetur, & dicit Apostolus, quod inde gratiarum actio fiebat Deo per eos, idest per Apostolos; ergo illa carnalia a Deo.

Præterea dixerat 2. Cor. 8. v. 14. *Vestra abundantia*, o Corinthii, *illorum inopiam suppleat: ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum*. Illi ergo pro quibus rogabat Apostolus erant pauperes, & abundantes, & isti Corinthii similiter, unde dicebat, & monebat, quod isti Corinthi illorum inopiam, idest quæ illis deerant, supplerent de sua abundantia. Iterum e contrario illi de sua abundantia supplerent inopiam Corinthiorum, idest ea quæ deerant eis. Modo dicas unde erant illi inopes, nisi de istis temporibus? Constat quod non de aliis. Sancti enim erant illi, & spiritualiores quam isti, unde volebat quod illorum abundantia in spiritualibus esset supplementum inopiæ Corinthiorum; abundantia enim in spiritualibus illorum pauperum tanta erat, ut supplere posset inopiam Corinthiorum in spiritualibus.

Modo

[*] Mendosa lectio sic forte restituenda: ubi monet eum qui pauperibus sua parce largitur &c.

Modo quæro de qua abudantia monebat Paulus Corinthios, cum dicebat eis: *vestra abundantia illorum inopiam suppleat*? De spirituali non, ut ostensum est; ergo de temporali. Igitur doctrina Pauli erat de materiali eleemosyna, & materiali pane. Igitur ista a Deo sunt per facturam, & creationem, cum dicat Apostolus: *Qui autem administrat &c.* Et cum dicat inde Deo reddi gratias; & in fine c. 9. ejusdem, dicit ipse met v. 15. *Gratias Deo super inenarrabili dono ejus.*

Item Matthæi 10. v. 10. *Dignus enim est operarius cibo suo*. Similiter habetur Lucæ 10. v. 7.: Ubi Christus ait discipulis: *In eadem autem domo manete, edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt; dignus est enim operarius mercede sua*. Propter hoc verbum dicit Apostolus 1. Cor. 9. v. 14. *Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere*; idest vivandam suam habere, victum scilicet carnalem, propter quod dicit Apostolus de se, & aliis, qui Evangelium annunciant: Ait enim v. 11. ejusd. c. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Si malæ creationis esset cibus materialis, vel malæ facturæ, numquid Evangelium faceret discipulos Christi dignos esse talis rei, scilicet creaturæ diaboli, vel facturæ ejus? Non.

Item, numquid Deus verus & Sanctus ordinasset quod sui discipuli de his haberent suum victum, & inde sustentaretur eorum vita corporalis, nisi vita corporalis, & res unde sustentatur esset creata & facta a Deo Sancto? Vere non.

Item ibidem dicit Apostolus v. 10. *Quoniam debet in spe qui arat, arare: & qui triturat in spe fructus percipiendi*. De se, & de aliis Christi Apostolis loquitur, qui arant corda hominum prædicando, idest aperiunt Christo, cui clausa fuerant, & triturant supplicia comminando. In spe autem cujus fructus debebant hoc facere, subdit cum ait: *Si nos vobis spiritualia seminavimus &c.*

Item 1. Timoth. 6. v. 17. *Neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo &c.* Si ista carnalia essent a Diabolo, &c. Videtur ergo quod Apostoli in eo debebant ponere spem suam. In ipso enim habetur spes de re, a quo res est, & in cujus potestate est. Absit autem quod Apostoli Christi in eo sperarent; ergo ab ipso non sunt, nec in ejus potestate, sed illius qui ait Matthæi ult. v. 18. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*: *cujus est terra & plenitudo ejus*, ut dicit David psalm. 23. v. 1. Et Apostolus de cibis materialibus dicens, ut probabitur in cap. illius de quo dicit Apost. ad Hebræos 2. exponens verba David psalm. 8. v. 7. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*; & ostendens ea universaliter intelligenda ait: *In eo enim, quod omnia ei subjecit*, idest subjecta dedit, *nihil dimisit non subjectum ei*. Lege miser psal. 8. David; *Domine Dominus noster, quam admirabile &c.*, & videbis quod loquitur de speciebus rerum visibilium; ille ergo sunt facturæ ejus, & in ejus potestate.

Præterea, ille igitur est Pater Christi, de quo, & ad quem loquitur ibi David. Illum autem esse Dominum Veteris Testamenti posses ibi cognoscere, quia, ubi nos habemus: *quid est homo, quod memor es ejus*? Hebræus habet; *Quid est Adam*? per quem Christus figuratur, qui de carne ejus carnem assumpturus erat. Et vide quid ait: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*, scilicet *Oves &c.* Nonne hoc est illud Genes. 1. v. 26. postquam dixerat: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*; statim subjunxit: *& præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis universæ terræ &c.* Ista sunt verba, quæ David ei subjecta dicit: Quare ergo, miser hæretice, & Deum Veteris Testamenti accusas, & facturas ejus, nisi quia hæreticus es, in hoc etiam accusas Patrem Christi, qui idem est cum illo?

Item; numquid illud dicendum est malæ creationis esse, vel facturæ, per quem mundantur homines a peccatis? Nonne vides quid dicat Dominus Lucæ 11. v. 41. cuidam Pharisæo, qui intus erat plenus rapina & iniquitate: *quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*? Istud enim de superfluo spirituali non potest intelligi, quia Pharisæus ille nihil habebat spirituale superfluum. Quomodo ergo inde eleemosynam faceret, ut omnia sibi munda essent?

Item responde mihi, tu qui accusas creationem. Jac. 2. v. 15. *Si autem Frater & Soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano*: v. 16. *dicat autem aliquis ex vobis illis*: *Ite in pace, calefacimini & saturamini*; *non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit eis*? Quasi dicat; nihil. Constat autem quod non loquitur de victu spirituali, sed materiali; similiter de nuditate materiali, unde dicit: non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, victum scilicet & vestitum corporalem.

Modo quæro a Te, quis est, qui dicitur nudus frater vel soror indigens victu quotidiano, numquid interior homo tantum? Non. Ille enim non indiget tali re. Numquid exterior, vel totus homo secundum interiorem & exteriorem hominem? Si hoc est; ergo exterior homo frater est, & de Ecclesia est; ergo a diabolo creatus, vel factus non est.

Similiter potest objici de eo quod habetur 1. Jo. 4. v. 20. *Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* Homo interior ita invisibilis est, sicut Deus; ergo frater, quem aliquis videt, est vel homo exterior, vel totalis homo constans ex anima, & corpore; Utrolibet horum dato, corpus materiale de Ecclesia est; ergo a diabolo creatum non est, neque etiam factum, sive dispositum; quidquid etiam Cathari dicant, qui unum asserunt Creatorem.

Item ibid. c. 3. dicit Jo. v. 17. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?* Substantiam dicit hujus mundi; ergo non loquitur de spirituali substantia.

Præterea sic ostendit in Ecclesia Dei aliquem habere substantiam hujus mundi, alium non, quod non posset esse si de substantia spirituali loqueretur. Si enim frater est, aut soror spiritualis, non indiget, ut credis, spirituali substantia. Si autem frater aut soror est, bonus est. Dicitur autem 1. ad Corinth. 12. v. 24. *Honesta autem nostra*, membra, *nullius egent*. Quod tu intelligis de membris spiritualibus, unde

unde quod dicit: *nullius egent*, de ſpiritualibus intelligitur. Ergo quod hic dicit Jo: fratrem neceſſe habere, ideſt indigere, intelligitur de temporali ſubſtantia, ut etiam patet in auctoritate Jacobi, quam præmiſimus. Vide igitur, miſer hæretice, fructum ſubſtantiæ hujus mundi, ſi datur a fratre habente eam, manet in eo charitas, ſi non datur non manet: quomodo poſſet hoc eſſe, ſi malæ creationis eſſet, vel facturæ quæ charitatem Dei in eo manere non faceret? Nullo modo eſſe poſſet. Ergo non eſt malæ creationis, vel facturæ.

Præterea quis eſt iſte frater? aut tantum interior homo, aut tantum exterior, aut homo ex utroque compoſitus. Si primo modo, hoc eſſe non poteſt, cum dicat 1. Johan. 3. v. 17. *Si quis viderit fratrem ſuum neceſſe habere*; ille enim hujus rei non habet neceſſitatem, neque etiam videtur. Si autem ſecundo, vel tertio modo, homo ergo exterior de Eccleſia eſt; ergo a diabolo non eſt; ergo neque illud per quod ſuſtentatur in vita temporali.

CAP. IV.

De origine animarum, & primo unde conentur hæretici traductionem animarum oſtendere, & utrum ſint ex traduce.

VIſo an formatio horum viſibilium a Deo Sancto ſit, accedamus ad quartum capitulum, & videamus de inviſibilibus. Sed quia de Angelis in cælo conditis fatentur, quod a Deo immediate conditi ſunt; Reſtat nobis de aliis inviſibilibus quærere ſcilicet de animabus humanis, an a Deo formentur, an a diabolo. Sententia enim (1) eorum eſt quod anima ſit ſpiritus Adæ: Angelus fuit a Deo immediate conditus, ut dictum eſt in primo capite hujus ſecundæ partis. Et dicunt quod per coitum viri & mulieris ſicut caro eſt ex carne, ita ſpiritus ex ſpiritu, & dicunt, quod ex ſemine Angelico, ſcilicet ex ſpiritu Adæ omnes animæ traductæ ſunt, & traducuntur uſque ad finem ſeculi per ſucceſſionem, & de illo intelligunt illud, quod dicit Paulus Act. 17. v. 26. *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem terræ*. Ex uno dicit Apoſt., ideſt ex ſpiritu Adæ, ſecundum pravum intellectum hæretici: Hoc autem Caput in duas partes dividimus.

§. I.

PARS PRIMA.

Probatio hæretici quod animæ ſunt ex traduce.

IN primis ponemus rationes phantaſticas, quas inducunt ad oſtendendum, quod anima generatur, & traducitur ex anima.

Ad hoc autem inducunt talem rationem, pravam tamen. Si anima una non generatur ex alia, ut caro ex carne; ergo anima non eſt de genere humano; ergo cum ſcriptura loquitur de genere humano, non loquitur de eo niſi ſecundum corpus; ergo cum dicimus quod Chriſtus venit ad redimendum humanum genus, non intelligitur veniſſe niſi ad redimendum corpus; ergo non venit ad redimendas animas, quod falſum eſt.

Præterea, ſi anima non generatur ex anima, ſed creatur a Deo nova; ergo cum dicit Lucæ 19. v. 10. *Venit enim Filius hominis quærere, & ſalvum facere quod perierat*: hic non dicitur de anima noviter creata, quia illa nondum perierat. Solutio ad hoc ultimum eſt, quia licet de novo creata ſit a Deo, tamen perierat in Adam, ſicut dicit Apoſtolus Rom. 5. quod in Adam omnes peccaverunt. Numquid tunc erant in Adam quando ipſe peccavit? Non. Dicuntur ergo peccaſſe in Adam, non quia tunc eſſent animæ, quæ de novo creantur, ſed quia cauſſa quare perirent, præceſſerat, ſcilicet peccatum Adæ.

De hoc autem plenius dictum eſt in prima parte hujus operis in cap. 4. ſupra illud verbum Matthæi 15. v. 24. *Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael.*

Præterea idem poſſum objicere tibi, ſi anima de novo generatur ex anima, ut tu credis, ſicut tu mihi, qui pono, quod creatur a Deo nova.

(1) Fuerunt Origenis ætate hæretici, qui duas in homine animas ponerent. Harum alteram bonam & cæleſtem, alteram vero contra ad malum inclinantem, cognoſcentem tamen atque volentem, ſed quæ ſine corpore ſubſiſtere nequaquam poſſit. Hanc vero, quam poſteriore loco nominavi, cæleſti continenter reſiſtere, & cum corpore ſeminari cenſebant. *Lib.* III. *de Principiis cap.* IV. *num.* 2. *pag.* 146. Non exprimit autem Origenes quinam tandem Gnoſtici illi heterodoxi fuerint, qui hæc tam abſurda defenderunt. Duas item animas poſuerunt perinde Manichæi, bonam unam, alteram ad peccatum inclinantem, quod ex Serapione *Contra Manichæos pag.* 52. *Tom.* I. *Antiq. Lect. Caniſii Edit. Baſnagii*, & Auguſtino *lib. de Duabus animabus cap.* 1. *ſeq. Tom.* VIII. *Opp. col.* 75. *ſeqq.* colligo. Sed utrum hoc genus hæreticorum bonarum animarum propagationem ex traduce admiſerint, non facile eſt exiſtimare. Scio equidem Manetem *in Epiſtola ad Menochem quam filiam vocat* apud Auguſtinum *Tom.* X. *Parte* II. *Opp. col.* 1117. *lib.* III. *Operis Imper. Contra Julian. cap.* CLXXII. hæc habere: *Sicut animæ gignuntur ex animabus, ita figmentum corporis a corporis natura digeritur. Quod ergo naſcitur de carne caro eſt, & quod de ſpiritu ſpiritus eſt: ſpiritum autem animam intellige. Anima de anima, caro de carne.* Quæ eſt ipſa Catharorum, quos hic noſter exagitat, dicendi ratio. Nec dubium eſt, quin de bonis animabus Manes loquatur; cum Menochem ſuam hortetur, ut conſideret, *ex quo genere animarum manaverit*. Verum fieri potuit, ut minus proprie *propagationis traducisque* voces acceperit Manes, atque ita plane intellexerit, ut animas humanas, quas virtutem in materiam a Deo bono immiſſam eſſe arbitrabatur [vide notam 12. *in cap.* 1. *hujuſce* libri] materiæ immixtas fuiſſe cenſeret, atque per generationem in humana corpora immigrare. Vide Nemeſium *lib. de Nat. Hominis cap.* II. *pag.* 79. Ut ut ſit, dicendi ſaltem ratione veteribus Manichæis cum Catharis Concorrezenſibus mirifice conveniebat. Traducem porro animarum defendit etiam Tertullianus *lib. de Anima cap.* XXVI. *pag.* 292. In eamdem opinionem cogit Ruffinus Lactantium *Epiſt. ad Anaſtaſium Papam*, ut eſt apud Hieronymum *lib.* II. *Apol. Adverſus Ruffinum col.* 395. Sed errat vehementer Presbyter Aquilejenſis. Conſulitor Hieronymus *loco mox indicato*. Apollinarius quoque in eamdem ſententiam incidit, ut memorat Nemeſius *lib. de Natura Hominis cap.* II. *pag.* 76. *Edit. an.* 1671. & Hieronymus *Ep.* LXXVIII. *al.* LXXXII. *ad Marcellinum, & Anapſychiam col.* 642. *Tom.* IV. *Opp.* Sed Auguſtinus, quamvis in eam propendere videatur, anceps tamen hæſit, nec quidquam ſibi eſſe definiendum putavit. *Epiſtola* CLXVI. *ad Hieronymum, al.* XXVIII. *cap.* IV. *ſeq. n.* X. *col.* 587. *Tom.* II. *Opp.* & alias ſæpe. Ergo Cathari Concorrezenſes partim a Manete, partim autem a Valentino, qui, neſcio quid, ſeminis Angelici *electæ animæ ſomnum dormienti inſatum* fuiſſe ajebat, *ut vidimus nota* 12. *in cap.* 1. *hujuſce libri* ſuum hoc dogma conflarunt. Diſcrepant autem ab his Tertullianus & Auguſtinus, quod hic quidem traducem poneret, Angelum autem animam eſſe negaret; ille vero etſi Angelum perinde negaret eſſe, corpoream tamen animam, propagatam atque tranſductam generatione arbitraretur: ſed Cathari, & Angelum eſſe, & corpoream, & per traducem aliis hominibus communicatam cenſuerunt.

Ad aliud, quod primo objectum est, solvendum est per distinctionem hujus nominis Genus. Dicitur enim æquivoce hoc nomen genus; ut habetur in Porphyrio,(2) sed propter illas significationes quandoque dicitur genus natura, sive materies aliquarum rerum, sive prædicetur de pluribus differentibus specie, sive numero solo in eo quod quid est. Sic enim sumitur genus, cum dicit Paulus Act. 17. v.26. *fecitque ex eo omne genus hominum &c.* Numquid hoc modo vis sumere genus? Si sic. Modo procedamus, quoniam tu concludis. Si anima non generatur ex anima, ut caro ex carne; ergo anima non est de genere hominum, quomodo tu vis sumere hanc præpositionem *de*? Numquid itaut notet habitudinem partis subjectivæ, sicut cum dico: Petrus est de genere hominum? Si dicatur quod sic; Dico secundum hoc, quod anima non est de genere humano; Non enim est hominis pars subjectiva: non enim vere dici potest anima est homo. Similiter neque ipsa caro est de genere hominum propter eandem rationem. Hoc autem argumentum non valet; Christus venit ad salvandum genus humanum, idest id quod est de genere humano, sive ipsos homines. Anima autem non est de genere humano; ergo Christus non venit salvare animas. Sicut enim venit salvare genus humanum, idest ipsos homines, qui de genere humano sunt, ita etiam venit salvare partes ipsorum, scilicet animam & corpus; unde 1. Thessalonicens. 5. v. 23. *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, & anima, & corpus, sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur.*

Præterea tu non dixisti, quod Christus non venerit salvare nisi homines, sive genus humanum. Posito etiam quod illud dictum esset, & concessum, adhuc tamen non sequeretur; ergo non venit salvare animam. Dictio enim exclusiva adjuncta toti non excludit partem; unde non valet: Ego non veni nisi ad vincendum Petrum; ergo non veni nisi ad vincendum pedem ejus. Similiter dico, quia non valet: Christus non venit salvare nisi homines, sive genus humanum; ergo non venit salvare animam, quæ est ejus pars.

Si autem tunc dicas anima non est de genere humano, sive hominum, ipse sumis *de* ita quod notet habitudinem partis integralis. Dico quod falsa est propositio tua; imo ipsa anima est de genere hominum, idest pars naturæ hominum.

Voluit tamen hæreticus aliter sumere genus, scilicet pro generatione. Quam significationem, neque ex alia facultate, neque ex libris Sacræ Scripturæ habet. Licet enim genus a genero generas dicatur, non tamen genus idem est quod generatio copulata, per hoc verbum generatio, quæ generatio est actus vis generativæ.

Ponamus tamen, quod genus dicatur ipsa generatio, idest actus generandi, vel passio, numquid dicemus animam esse de genere hominum, idest de illo actu, vel passione, est ne sensus de actione, vel passione? Certe non. Anima ergo non est de genere hujusmodi, nisi tu velis *de* pro *ex* sumere; secundum quem intellectum dico, quod anima non est de generatione hominum, sive ex ea. Non enim procedit in esse per generationem sui ex alia anima, sed ex Dei creatione venit in esse. In hoc autem sensu, *de*, vel *ex*, notat habitudinem caussæ efficientis ad suum effectum. Generatio enim, idest actio vis generativæ, & aliæ mutationes ad caussam efficientem reducuntur. Et quia, tu hæretice, ignarus est talium, ideo erras, & in errorem alios inducis. Verum est tamen, quod generatio quandoque non sonat in actionem, vel passionem, sed in substantiam; unde in Cantico Deuteronom. 32. v. 19. *Generatio enim perversa est, & infideles filii.* Et loquitur de Populo Judaico. Secundum hoc generatio idem est quod genus; & secundum hoc, sicut judicavimus de ista quæstione, an anima esset de genere hominum, sic etiam judicandum est de ista, an anima sit de generatione hominum.

Præterea potest aliter melius solvi ad confusionem horum hæreticorum. Cum enim opinio hujus hæretici, & ejus sequacium sit, quod spiritus Adæ de cælo venit, ut prædictum est in eodem capite, & in primo capite hujus partis; Quærendum est, an ille spiritus sit de genere hominum? Si non, quia non est genitus ex alio spiritu, quid ergo nocet mihi, si dicam, quod alii spiritus humani non sunt de genere hominum?

Præterea si vis ex hoc habere, ut viliter argumentatus es, quod Christus veniens ad salvandum genus humanum, non venerit ad salvandam animam; similiter tibi objiciam; ergo eadem ratione non venit ad salvandam animam Adæ. Si dicat quod spiritus Adæ est de genere hominum, non quia genitus ex alio spiritu, sed quia generavit alios spiritus, unde hoc habes? Tu somnias, quia non habes testimonium ejus quod dicis.

Præterea dicas mihi, numquid animam Christus habuit? Non audebis in publico negare hoc, cum ipse dicat Matthæi 26. v. 38. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Sed numquid illa anima est de genere hominum? Si sic, ergo vel generavit aliam animam de se, vel est genita de alia anima. Quorum neutrum dicere auderes. Numquid enim de anima Adæ genita est anima Christi? & sic de aliis animabus per successionem quæ peccatrices fuerunt, & damnatæ sunt quædam? Non auderes hoc dicere. Si autem illa anima non est de genere hominum, non est mirum, si aliæ per eam redemptæ non sunt de genere hominum.

Præterea, nunquid Christus est de genere hominum? Si non; ergo non est homo. Si autem de genere hominum est; quomodo? Numquid secundum animam. Non, secundum Te, quia ejus anima neque genuit aliam animam, neque genita est ex alia anima.

Item, numquid secundum carnem? Si sic; ergo ejus caro decisa est per generationem ex carne aliorum hominum, & ita caro illa fuit de carne Adæ materiata, quod tu negare cum tuis consuevisti. Si autem secundum carnem est de genere hominum, licet non secundum animam; quare non dicam similiter de aliis hominibus, & quare non dicam quod venerit eos salvare, quia ei similes sunt; quia secundum

(2) *Libro de Prædicabilibus*, qui Porphyrio adscribi solet.

dum animam geniti ex alio non sunt; & ita secundum tuum intellectum secundum animam non sunt de genere hominum.

Si autem dicas quod Christus secundum carnem non fuerit de genere hominum; sed neque secundum animam; ergo nullo modo est de genere hominum; ergo non est homo. Præterea secundum hoc in nullo nobis attineret. Deberet ergo confundi fratres nos vocare, cujus contrarium probat Apost. ad Hebr. 2.

Objicit etiam Hæreticus. Si anima non generatur ex anima; ergo cum dicitur: *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob &c.* ut habetur Matth. 1. v.2. illud non intelligitur nisi secundum corpus; ergo cum dicitur Matthei 8. & Lucæ 13. v.28. *Cum videritis Abraham, Isaac, & Jacob, & omnes Prophetas in regno Dei*; non intelligitur nisi secundum corpus dictum a Christo.

Respondeo, miser Hæretice, licet tua objectio non esset digna responsione: Licet Isaac non sit genitus nisi secundum corpus, tamen non est Isaac tantum secundum corpus, neque erit in regno cælorum tantum secundum corpus. Tale argumentum non valet: non est genitus Isaac nisi secundum corpus, vel non erit in cælo nisi secundum illud, sicut non valet: Iste non est albus nisi secundum corpus, ergo non est, vel non est hic nisi secundum corpus: Licet enim generatio Isaac non sit nisi secundum corpus, tamen esse ejus est consistens secundum animam, & secundum corpus. Esse tamen secundum animam a Deo est per creationem, sed esse secundum corpus per generationem est ex alio corpore. Sed tu miser hærætice credis totum esse hominis esse per generationem.

Objicit etiam hæreticus assumens illud Apocalyp. 7. v.4. 144. *millia signati ex omni tribu Filiorum Israel*. Si anima ex anima non generatur, sed tantum caro ex carne; ergo anima non est de tribu, sed tantum caro: ergo in prædicta auctoritate Apocal. non loquitur Johan: nisi de corporibus, ergo tantum corpora erant signata.

Solutio. Anima non generatur ex anima, & non valet tua argumentatio: Ergo anima non est de tribu, necesse est quod ipsa sit de tribu; quidquid enim est pars partis, est pars totius. Et hæc præpositio *de* notat habitudinem partis ad suum totum integrale.

Præterea si secundum hoc non est Christus de tribu Juda secundum animam, quia ejus anima non est genita ab alia anima de illa tribu; quomodo ergo diceret Apostolus ad Heb. 7. v. 14. *Manifestum est enim quod ex Juda ortus sit Dominus noster*. Judas autem ibi pro tribu venit; unde Apost. dicit: *In qua tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est.* Vult ergo Apostolus, quod fuerit Christus de tribu Juda.

Si autem dicas, quod tantum secundum corpus fuit de tribu illa; Ergo ejus caro genita est de carne Judæ, & ita ejus caro fuit de massa carnis Adæ descendens, quod negare solebas cum tuis. Quod si mutasti, patet fidem tuam esse mutabilem.

Præterea de hoc inferius dicetur in tertia parte hujus operis.

Præterea, dato quod animæ non sint de tribu secundum illum intellectum, scilicet per generationem unius ex alia, non tamen sequitur; ergo cum dicitur: 144. *millia signati ex omni tribu filiorum Israel* non loquitur nisi de corporibus; sed dicendum est sic: ergo quoad hoc ipsum de tribu non loquitur nisi de corporibus, quod bene concedendo secundum prædictum intellectum, tamen quantum ad hoc ipsum *signati* loquitur de compositis ex anima & corpore.

Simile habetur in fine Marci v. 6. & 7. *Ecce locus ubi posuerunt eum; sed ite, & dicite discipulis ejus & Petro, quia præcedet vos in Galilæam*. De uno & eodem loquitur diversimode, idest de Christo. *Ecce locus ubi posuerunt eum*. Hoc dicitur ratione corporis. Sed *præcedet vos in Galilæam*, dicit ratione totius conjuncti ex anima & corpore.

Item objicit hæreticus. Deus dicit Matthæi 22. v. 32. *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob*. Ita dixit de eis post mortem suam: Et Christus in Evangelio addidit: *Non est Deus mortuorum, sed viventium.* Constat autem, quod non secundum corpus vivebant, vel aliquid erant; ergo secundum animam tantum. Ista omnia concedi possunt.

Postea objicit hæreticus. Nobis constat ex verbis Christi, quod Deus erat Deus Abraham, Isaac, & Jacob, & quod non erat Deus mortuorum, sed vivorum; ergo Abraham, Isaac, & Jacob vivi erant, sed illum Isaac qui tunc vivebat genuit Abraham, & illum Jacob, qui tunc vivebat, genuit Isaac; sed non genuit eum nisi secundum corpus, si anima non generatur ex anima; ergo corpus ejus tunc vivebat; hoc autem falsum; ergo illud ex quo hoc sequitur falsum est, scilicet quia anima non generatur ex anima.

Solutio. Miser & stulte hæretice, non sequitur illud falsum ex eo, quod posui; dixique ex eo quod anima non generatur ex anima, sed ex eo quod posuisti, & dixisti: Abraham genuit illum Isaac, qui tunc erat vivus. Hoc enim falsum est per se loquendo. Ille enim, qui tunc vivus erat, spiritus erat ipsius Isaac, & dicebatur Isaac improprie; quia quod est compositi quandoque attribuitur componenti, sive parti; esse enim Isaac proprie dicitur de composito ex anima & corpore, sed improprie de anima, vel de corpore. Et non valet hæc argumentatio: *Abraham genuit Isaac*, sed Isaac est vivus modo; ergo Abraham genuit viventem modo. Quare autem non valeat, patet, quia cum dicitur *Abraham genuit Isaac*, hoc ipsum *Isaac* stat ibi pro parte exteriori, idest corpore. Cum autem dicitur: Isaac est modo vivus, stat pro alia parte, scilicet pro anima, & ita sumitur diversimode. Instantia argumenti patens est, si dicam; iste fecit hoc scutum: hoc scutum est album, ergo fecit hoc scutum album. Fallacia accidentis est, quæ decipit sapientes: non mirum si & hæreticum decipit.

Ad idem objicit hæreticus illud Apostoli Rom. 5. v. 12. *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors*, (3) & dicit: Si ita est,

(3) *Ex his Verbis Apostoli*, inquit Augustinus, *lib.* x. *de Genesi ad litteram cap.* xi. *col.* 263. *Tom.* III. *P.* II. *Opp.*, *qui defendunt animarum propaginem sic adstruere moliuntur. Si secundum solam carnem, inquiunt, potest intelligi peccatum vel peccator, non cogimur in his verbis ex parentibus animam credere: si autem quamvis per illecebram carnis, non tamen peccat nisi anima, quomodo accipiendum est, quod dictum est*: in quo omnes peccaverunt?

eſt, quod anima non generatur ex anima, ut caro ex carne; ergo non erant homines in Adam ſecundum animam, ſed tantum ſecundum corpus. Ergo non peccaverunt in Adam, niſi ſecundum corpus: Verbum ergo illud Apoſtoli tantum ſecundum corpus intelligitur eſſe dictum.

Ad hoc dico, quod ſecundum corpus eramus in Adam. Corpus enim noſtrum in Adam fuit materialiter; materia enim, de qua fabricata ſunt corpora noſtra, fuit in Adam, ideſt in ejus corpore; ſed animæ noſtræ non fuerunt in anima Adæ iſto modo, quia non oriuntur ex anima Adæ. Bene ergo dicimur fuiſſe in Adam ſecundum corpus tantum, quia origo materialis corporum noſtrorum tantum in corpore ejus fuit. Secus autem eſt in peccato noſtro, cujus origo fuit in toto Adam, ideſt in anima ejus & corpore. Primum enim peccatum fecit voluntate ex parte animæ, & opere exteriori ex parte corporis; unde nos peccavimus in Adam ſecundum animam & corpus ejus, quia peccatum noſtrum originem habuit a ſuo, quod fuit ſecundum animam & corpus. Ex his patet, quare non valet hæc argumentatio: Nos fuimus in Adam tantum ſecundum corpus, ergo peccavimus in Adam tantum ſecundum corpus, ſive fuimus peccantes in Adam ſecundum corpus tantum. Inſtantia autem hujus argumentationis tuæ talis eſt, qualis iſta eſt: Nos ſumus ſecundum corpus, ergo ſumus intelligentes ſecundum corpus, quod falſum eſt; imo ſecundum animam.

Objicit etiam hæreticus illud Apoſtoli Epheſ.2.(4) v. 3. *Eramus natura filii iræ*; & dicit: Si anima non naſcitur ex anima ſicut caro ex carne; ergo hoc verbum Apoſtoli non eſt verum, niſi ſecundum corpus, cum ſolum corpus naſcatur. Natura enim dicitur a naſcor naſceris, & ita non ſumus filii iræ niſi ſecundum corpus.

Solutio. Si vis naturam appellare nativitatem, ideſt a nativitate eramus &c., ideſt ſtatim, cum nati ſumus, dico ſicut prius dictum eſt, quod naſci dicimur ſecundum corpus filii iræ ſecundum totum; ſimile habitum eſt ſupra ex tribu filiorum Iſrael &c. Debuiſti ergo dicere: cum ſolum corpus naſcatur ex corpore; ergo verbum Apoſtoli quoad hoc ipſum *natura* tantum pro corpore intelligitur; Sed ex hoc non ſequitur; ergo non ſumus filii iræ niſi ſecundum corpus. Inſtantia: *Ecce locus ubi poſuerunt eum* & ſurrexit &c.; ſed non erat poſitus in illo loco niſi ſecundum corpus; ergo non præceſſit eos in gallilæam ſecundum corpus.

Ad idem inducit illud Act. 17. v. 26. quod dicit Paulus: *fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem terræ*, & dicit cum anima ex anima non ſit; ergo Apoſtolus cum dixit illud verbum, intellexit illud ſecundum corpus tantum, quod concedo: quo ad hoc ipſum fecit ex uno. Fieri enim unum ex alio non convenit generi humano, niſi ſecundum corpus tantum: habitare autem ſuper faciem terræ convenit generi humano ratione conjuncti ex anima & corpore.

Ad idem inducit hæreticus illud David: Pſal. 50. v. 7. *in peccatis concepit me mater mea*. Cum ita ſit, quod anima non concipitur, ſed a Deo nova creatur; ergo cum David ſe dicit conceptum, non dicit niſi ſecundum corpus, quod non videtur poſſe ſtare. Sic enim corpus ſolum eſſet in peccato, non anima.

Solutio. Duplex eſt conceptio, ſcilicet duorum ſeminum; ſcilicet ſeminis viri, & ſeminis mulieris in loco naturali; & ſic pertinet conceptio tantum ad corpus. Eſt etiam conceptio naturarum, ſcilicet animæ & corporis, quando anima corpori infunditur. Secundum hunc modum ſumitur a David, cum dicit: *In iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*. Et ſic ſumpta conceptio non eſt ſolius corporis, imo corporis & animæ, vel cum anima, & animæ cum corpore. Unde etiam conceptio dicitur, ideſt ſimul captio. Falſum eſt ergo, quod dixit hæreticus, ſcilicet quod anima non concipitur.

Dato etiam, gratia diſputationis, quod conceptio ſumatur pro conceptione ſeminum; dico, ſicut verum eſt, quod conceptio ſic ſumpta ſolius corporis ſit, non tamen ſequitur; ergo cum David dicit illud verbum, non dicit illud niſi ſecundum corpus; ſed deberet concludere: ergo non dicit ſe conceptum, niſi ſecundum corpus, quod bene concedo, ſed ex hoc non ſequitur; ergo non erit niſi ſecundum corpus in peccatis. Oſtenſum eſt enim in præcedentibus, quod unum & idem ſemel poſitum diverſimode reſpicitur a diverſis. Propter hoc dico, quod cum David ait: *In iniquitatibus conceptus ſum*, de corpore David ſit ſermo, quoad hoc ipſum conceptum, & de anima, vel de conjunctione ex anima, & corpore, quoad hoc quod dicit: *in iniquitatibus*.

Similiter: *in peccatis concepit me mater mea*: hoc ipſum *concepit me* reſpicit hoc ipſum *me* ratione corporis; & hoc ipſum *in peccatis*, reſpicit eundem actum ratione animæ, vel conjuncti. Senſus autem verborum David ipſe eſt: *In iniquitatibus conceptus ſum*, ideſt in cauſſa iniquitatum, ſcilicet originalis, & actualis peccati. Illa autem cauſſa fœditas carnis eſt, & non eſt culpa, ſed pœna. Qualiter autem iſtud verbum intelligatur, adhuc inquiretur in cap. de matrimonio in 4. p. hujus operis.

§. II.

Quare dixit hæreticus animam ex anima tranſduci.

SCiendum autem, quod hæreticus (5) ideo dixit animam ex anima traduci, quia non vidit modum, quo aliter traduci poſſit peccatum, niſi per traductionem ſui ſubjecti ex alio, ideſt animæ ex anima, quod falſum eſſe oſtendemus. Licet enim modus, quo traducitur occultus ſit, certum eſt tamen ex Apoſtolo ad Rom. 5. quod traducitur, & iſtud ſufficit dicere iſti hæretico. Catholico autem dici

(4) Adi-ſis Auguſtinum libro mox indicato *cap.* XII. *col.*264.

(5) Hæc eadem ratio Auguſtinum, alioſque multos induxit, ut in opinionem de *traduce* propenderent. Conſulendus Auguſtinus *l.c.* *cap.* XI. *n.* 19. *ſeq. col.* 263. Adi-ſis etiam Cardinalis Noriſii *Vindicias Auguſt. cap.* IV. §. III. *per tot.*

dici poteft, quod traducitur per traductionem carnis fœdatæ a carne fœdata per peccatum primi Parentis. Anima enim primo infecit carnem, unde Rom. 8. v. 10. *Corpus quidem mortuum eft propter peccatum &c.* Item Rom. 7. v. 23. *Video autem aliam legem in membris mei repugnantem legi mentis meæ*. Sicut autem anima primo infecit ideft fœdavit carnem, ita ipfa fœdata poftea infecit animam fibi infufam, & quia ifta infectio carnis traducitur fucceffive ab infectione carnis Adæ, eo quod caro, in qua eft, traducitur a carne Adæ per fucceffionem, ideo dicitur, quod peccatum originale ab Adam traducitur, & fic traducitur non ratione fui fubjecti, quod eft anima, fed ratione fuæ carnis inficientis, ideft infectionis carnis.

Ad idem inducit hæreticus quafdam frivolas perfuafiones, quas libenter prætermittemus, tamquam inquifitione indignas, nifi quia ad fubverfionem fimplicium, eis ufus eft, & ad hoc fcripfit eas. Dicit autem fic: Deus corpori genito ex adulterio animam infudit, quando habile eft ad animam recipiendam; fic ergo adulterina actio hominis Dei creationem præcedit (6), & voluntas adulterii voluntatem creationis divinæ.

Item ex hoc vult habere, quod actio humana, quæ mala eft, fcilicet adulterium, fit caufa divinæ creationis, quia nifi illud adulterium committeretur, ex eo non conciperetur femen, neque formaretur hoc corpus, & ita hæc anima non crearetur.

Solutio. Bene concedendum eft, quod actio humana, quæ adulterium eft, præcedit creationem divinam, non tamen quamcumque creationem divinam, fed hujus animæ: fed non eft verum quod voluntas hominis præcedat voluntatem Dei, licet adulterium præcedat creationem illam, ut dictum eft. Deus enim voluntatem iftam creandi nunc hanc animam ab æterno habuit; non habet eam nunc primo, alioquin mutabilis effet; ideo dicendum eft, quod licet actio illa mala præcedat creationem divinam, non tamen præcedit eam nifi temporaliter, non caufaliter; eft enim prior tempore, non caufa ob quam creatio divina hujus animæ habetur.

Verum eft autem quod actio illa adulterina cauffa eft generativa hujus corporis, non tamen cauffa eft animæ infufæ corpori, vel infufionis animæ in corpore; Argumentatio hæretici non valet, fcilicet illa: nifi illud adulterium committeretur, femen ex ea non conciperetur, neque corpus informaretur, & ita hæc anima non crearetur; ergo illud adulterium eft cauffa creationis hujus animæ.

Inftantia talis eft. Jo: 15. v. 22. habetur, quod Chriftus ait: *Si non veniffem, & locutus fuiffem eis, peccatum non haberent*; ergo adventus Chrifti in mundum ad Judæos, fuit cauffa peccati eorum, quod falfum eft.

Item fi Adam non peccaffet, Deus Pater filium non mififfet, & tamen peccatum Adæ non fuit cauffa miffionis Chrifti in mundum in aliquo genere caufæ.

Item dicit hæreticus. Illud adulterium non eft de beneplacito Dei; quomodo ergo Deus animam creat, & creatam infundit corpori concepto ex tali adulterio? Imo deberet permittere illud corpus perire fine anima, & corpori concepto ex opere matrimoniali animam dare, ut oftenderet opus matrimoniale fibi placere, & adulterium difplicere: & ita videremus, quod una anima non traduceretur ex alia per opus carnale viri & mulieris, fed quod ex Deo tantum effet per creationem.

Solutio. Sicut annunciatio Chrifti bona eft, & tamen poteft fieri bona, & mala intentione, & non utiliter; Sic enim habetur ad Philipp. 1. v. 14. ubi dicit Apoftolus: *quod quidam quidem & propter invidiam & contentionem: quidam autem propter bonam voluntatem Chriftum prædicant: quidam ex Charitate &c.* & paucis interpofitis dicit: *Quid enim? dum omni modo, five per occafionem, five per veritatem Chriftus annuncietur: & in hoc gaudeo, fed non gaudebo.* Similiter dico, quod caro illa creatura Dei eft; neque prius maculata eft quam illa, quæ ordine debito, & intentione bona generata eft. Quid mirum ergo eft, fi Deus utrique animam infudit? Licet igitur illud adulterium non fit de beneplacito Dei, tamen corpus inde genitum, cum fit creatura Dei de beneplacito Dei eft; & ideo ne pereat, animam creat, & infundit ei illam ne pereat: Reprobat ergo, quod fuum non eft, fcilicet adulterium, & quod fuum eft approbat, fcilicet creaturam fuam, quæ bona eft, & tamen ex peccato adulterantis exiftit. Non enim eft inconveniens fi ex malo bonum effe dicatur, ut habetur in p. 1. hujus operis c. 1.

Nec eft inconveniens fi ipfa caro dicatur effe ex actione hominis adulterantis, & Dei creatione. Videmus enim, quoniam unum & idem eft opus Dei & Diaboli, & Judæ, & Judæorum, & Chrifti, ut habetur in hac 2. p. hujus operis in p. 1. capite de Deo veteris teftamenti.

Quod autem dicis, hæretice, quod Chriftus deberet permittere perire illud corpus, ut illud opus, fcilicet adulterium oftenderetur difplicere, & conjugale opus placere.

Refpondeo. Quod propter hominis malitiam non debet permittere quod fuum eft perire; ficut etiam prædicationem quæ fit per occafionem non permittit perire. Imo facit eam etiam (7) utilem, ut habetur ad Philippenfes 1. v. 14. Quod autem opus adulterii fibi difpliceat fatis ipfe oftendit per prohibitionem illius, & quod opus conjugatorum fibi placeat debito modo factum, aliter etiam infinuat, ut patebit cum de matrimonio tractabimus. Similiter quod animæ non fint per traductionem, fatis patebit, propter hoc quod dixifti, ut oftendemus in fecunda part. hujus Capituli.

Adhuc inftat hæreticus veneno perfidiæ plenus, & dicit: Si anima ex anima non eft per opus viri, & mulieris, fed Deus creat animas immediate, nonne creat eas immaculatas? Dicimus utique. Poftea addit hæreticus: nonne fcit eas ex corporibus maculam peccati contrahere, & fine baptifmo perire? dicimus

(6) Simile quiddam adhibet Auguftinus *lib. eodem cap.* XVI. *col.* 265. quin etiam & Apollinarius apud *Synefium cap.* II. *pag.* 76.

(7) Nemefius *l.c.* contra Apollinarium fic differit: *Nam de his qui ex adulterio nafcuntur, providentiæ rationi, quæ incognita nobis eft relinquamus. Verumtamen fi aliquid de providentia conjiciendum eft plane cognofcit id quod gignitur, aut vitæ hominum, aut fibi ipfi utile futurum, ideoque animam fubire corpus permittit.*

cimus utique. Et procedit hæreticus. Quare creat ſcienter tot animas perdendas, & cur corporibus Judæorum & Paganorum, qui Chriſtum, & ejus baptiſmum reſpuunt, infundit eas, cum ſcriptum ſit Lucæ 9. v.56. *Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare?*

Item ſi Deus quotidie creat novas animas ſcienter & voluntarie, plures creat perdendas, quam ſalvandas?

Item cum ſciat animas ſuas ex corporalibus maculam ex neceſſitate contrahere, quare non retinet eas apud ſe immaculatas, ſed infundit eas vaſis talibus?

Item quare de iſtis maculatis tam parvum numerum elegit, & tantum abjecit, *multi enim ſunt vocati, pauci vero electi?* Matth.20. v.16.

Item quare reſpuit opus ſuum, & abjicit illud? Nonne opus ſuum fuit anima Jacob, & anima Eſau per creationem novam? Quare ergo hunc dilexit, & alium odio habuit, ut habetur Rom.9. v.13., cum ſcriptum ſit Sap.11. v.25. *Nihil odiſti eorum, quæ feciſti.*

Ex his quæſtionibus patet hæreſis multipliciter hujus hæretici, & ſequacium ejus, & quæſtionibus ejus taliter reſpondemus.

Ad primum patet ſolutio per illud, quod legitur Sap.12. v.12. *Quis tibi imputabit, ſi perierint nationes, quas tu feciſti?* quaſi dicat: Nullus ei poteſt imputare. Iſto teſtimonio deberet eſſe contentus. Si enim teſtimonio Sapientiæ utitur, introducens illud: *nihil odiſti eorum, quæ feciſti*; merito ejuſdem teſtimonium deberet recipere. Si autem non vult, dicam illud Apoſtoli ad Rom.9. v.20. *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit: quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?*

Præterea tibi, Hæretice, qui unum ponis principium, ſed negas novam creationem animarum a Deo fieri, dico, quare creavit Deus ſcienter tot Angelos perituros? Si autem dicas mihi, non eſt ſimile, quia illi Angeli habebant uſum liberi arbitrii, & ex libero arbitrio peccaverunt, unde & perierunt: ſibi igitur imputent, non Deo. Sed animæ parvulorum non habent uſum liberi arbitrii, neque peccaverunt ex libero arbitrio.

Ad hoc dico, quoniam nec ſic habent conqueri de Deo, ſed potius de primis Parentibus unde peccatum contraxerunt, & per conſequens traxerunt inde, quod pereunt: *per unum enim hominem peccatum in hunc Mundum intravit*, ut habetur Rom.5. v. 12.

Si autem dicas mihi, ex quo ſcit eas perituras non deberet eas creare.

Reſpondeo. Ergo cum Deus ſciret Angelos perituros, non debuit eos creare.

Præterea dico, quod non habent conqueri de Deo propter hoc. Ipſi vero pueri, non dicuntur perire propter periculum pœnæ ſenſus, ſed pœnæ damni, pœnam enim incurrunt, ideſt damnum, quia non intrant in regnum cœlorum non baptizati, dicente Domino Jo. 3. v. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* ſed non ſentiunt materialem pœnam; habent ergo eſſe ſine omni læſione, unde melius eſt eis ſic eſſe, quam non eſse. Cauſsam igitur habent diligendi Deum, non conquerendi de eo. Iſtud autem plenius determinatur in 4. par. hujus operis in cap. de Baptiſmo, ubi etiam dicitur, quare talibus vaſis eas infundit.

Quod autem dicitur Lucæ 9. v.56. Chriſtus non venit animas perdere, verum eſt: & tamen multas perdet, licet ad hoc non venerit.

Præterea animas parvulorum non perdit, niſi quo ad hoc, quia eas ad regnum cœlorum non deducit; ſatis tamen facit eis, unde eum habent diligere, & laudare, ut prædictum eſt.

Ad aliud, quod opponit hæreticus: Si quotidie creat Deus novas animas, & corporibus iſtis infundit ſcienter & voluntarie plures creat animas perdendas quam ſalvandas. Dicimus: quod plures perduntur, quam ſalventur, de animabus a Deo creatis, & ex ſcientia Dei, & ex ejus voluntate eſt, quod creentur, & ſint, ſed non eſt ex ejus voluntate, quod perdantur. Neque ad hoc creat eas, imo ut ſalventur (8). Ipſe enim, ut dicit Apoſtolus 1.Timoth.2. v.4. *Omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Si autem animæ perduntur, vel ex culpa liberi arbitrii ipſorum eſt, ſi adulti ſunt, vel ex culpa Parentum, ſi parvuli.

Quod autem quærit hæreticus, quare eas creatas a ſe immaculatas non retinet apud ſe?

Solvendum eſt quærendo, quare Angelos, qui perierunt, apud ſe non retinuit: & quare, ne peccarent, eos non cohibuit? Poteſt tamen ad quæſtionem iſtam hæretici, & ad præced. reſponderi illud Pauli Rom. 9. v. 20. *Nunquid dicit figmentum &c.* Dicimus ergo, quod ſic facit Deus, quia vult, & ideo Jacob dilexit (9), & elegit, quia voluit, alium autem reprobavit, quia voluit; ſed in Jacob fuit voluntas cum miſericordia, in Eſau voluntas cum juſtitia. Juſtum enim fuit, quod eum abjiceret propter peccatum originale, quod in eo erat.

Quod autem dicitur Sap. 11. v. 21. *Nihil odiſti eorum, quæ feciſti*; verum eſt, quod propter facturam, ideſt ſecundum quod fecit ea, non odit aliquod operum ſuorum; tamen propter peccatum odit aliquod eorum, unde & per David ait Pſal.118. v.113. *Iniquos odio habui*: Item: *Iniquitatem odio habui &c.* Ad ipſum etiam dicitur Pſal.44. v.8. *dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea &c.*

Ad probandum etiam quod una anima generatur ex alia, ſicut caro ex carne, ſolent inducere hæretici iſti illud Jo.3. v.6. *Quod natum eſt ex carne caro eſt, quod natum eſt ex ſpiritu ſpiritus eſt*; ergo ſpiritus naſcuntur ex ſpiritu, & caro ex carne.

Solutio. Dominus oſtendit duplicem nativitatem ibi. Unam naturæ, alteram gratiæ Spiritu Sancti. Nativitas naturæ præcedit nativitatem gratiæ, unde Dominus dixit: *Niſi quis renatus fuerit &c.* Renaſci, idem eſt quod retro, ideſt poſt nativitatem naturalem naſci, ex aqua, & Spiritu Sancti gratia. Iſtud autem verbum: *niſi quis renatus &c.* dixit Chri-

(8) Non is fuit Moneta, qui illud de reprobatione dogma negaret, quod Auguſtinus ex Paulo, deindeque Thomas admiſerunt: ſe enim mox explicat de Jacob & Eſau.

(9) Adeundus Auguſtinus *lib.x.de Gen.ad litt.cap.xv.n.27.col.266.*

Christus Nicodemo, quia male intellexerat illud verbum Christi: *nisi quis renatus fuerit denuo non potest videre Regnum Dei*. Intelligebat enim Nicodemus, denuo nasci, esse iterum nasci, unde & dicebat: *Quomodo potest homo nasci cum sit senex? Nunquid potest in ventrem matris suæ iterum introire, & renasci?* Denuo autem nasci non est iterum nasci, quia non eadem nativitas repetitur. Sed hoc est de superiori nasci, scilicet de Spiritu Sancto; Græci enim habent (10) *anathon*, ubi nos habemus denuo & videtur idem quod denuo, vel de superiori. Deceptus ergo fuit hæreticus in illo verbo: *quod natum est ex spiritu spiritus est*; credens quod spiritus ibi dicatur anima, cum dicitur: ex spiritu. Imo dicitur spiritus ibi Spiritus Sanctus, sicut ostendit Dominus, cum ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* & statim subdit: *Quod natum est ex carne caro est, quod autem natus est ex spiritu, spiritus est*: Et ne intelligeret Nicodemus: quod natum est, & spiritu humano, spiritus est, licet hoc ipsum *spiritu* veniat pro Spiritu Sancto increato; tamen hoc ipsum *spiritus* venit pro homine nato ex Spiritu Sancto spirituali nativitate, quæ per fidem est. Dicitur autem homo spiritus, quia Spiritui Sancto similis factus est, sicut dicitur 1. Cor. 6. v. 17. *Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est cum eo*. Unus spiritus dicitur cum eo, non natura, sed charitatis copula.

Item quod animæ traducantur, una scilicet ex alia per traductionem carnis ex carne, volunt aliqui probare testimonio Genes. 46. v. 26. *Cunctæ animæ quæ ingressæ* (11) *sunt cum Jacob in Ægyptum, & egressæ sunt de femore illius, absque uxoribus filiorum ejus, sexaginta sex*. Si egressæ sunt de femore, traductæ igitur sunt per generationem carnis ex carne.

Ad hoc autem, quoniam dicimus, pars quandoque sumitur pro toto, & e contrario. Dico igitur, quod anima in Genes. 46. sumitur pro homine habente animam partem sui; homo enim genitus de femore generantis egreditur. Hæc tamen locutio adhuc impropria est, quia egredi de femore non prædicatur de homine, nisi ratione exterioris partis.

[*] Item objicit hæreticus; quomodo potest esse, quod Deus faciat novas animas, cum videamus quasdam earum esse sapientes, & quasdam stultas? Nunquid Deus sic dividit, cum facit, ut alias creet stultas, alias sapientes.

Respondeo illud ad Rom. 9. v. 20. *An non habet potestatem figulus &c.*

Præterea, si faceret aliquem stultum, nunquid hoc Deo imputandum? Si sic; quomodo dicit Apostolus ad Rom. 1. quod ipse tradidit quosdam in reprobum sensum?

Præterea Sap. 2. dicitur: v. 12. *Quis tibi imputabit &c.*

Præterea si facit stultam animam, hoc posset facere ex magna misericordia, videns quod male uteretur Sapientia, si haberet eam, ut etiam multi faciunt, unde gravior eis damnatio juxta illud Lucæ 12. v. 47. *Ille autem servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non præparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis*.

Verum tamen est, quod nullam facit stultam vel sapientem in principio suæ creationis, sicut postea per studium acquirit sibi sapientiam una anima, alia autem vel negligit acquirere, vel impeditur ex infirmitate corporis, quod impedimentum potest ex misericordia esse.

Similiter si dicat: nunquid facit corpora, cum unum sit turpe, idest cæcum, vel claudum, aut hujusmodi, aliud pulchrum?

Respondeo illud idem: *An non habet potestatem &c.*

Præterea, si facit aliquem, vel aliquam turpem, hoc facit ex misericordia, scilicet ad hominis humilitatem, ne de pulchritudine superbiat, & dicat: ne pulchritudo extollat me, *datus est mihi stimulus carnis*, sicut etiam dixit Apostolus 2. Cor. 12. v. 7. *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Sathanæ, qui me colaphizet*. Multi etiam abuterentur pulchritudine, & fortitudine, & ideo medicinam eorum contrariam immittit. Quandoque etiam in vindictam peccati, ut patet in Elymate Mago Act. 13., qui cæcus factus est ad tempus propter malitiam suam; quandoque etiam ad gloriam suam, ut in cæco nato Jo. 9.

§. III.

Rationibus & auctoritatibus probat Ecclesia quod anima ex anima non traducitur.

Viso qualiter hæretici moventur ad dicendum quod una anima ex alia traducitur, & ostenso quod fabulis innituntur, non veritati, ad secundam partem hujus Capituli accedamus, ostendentes rationibus, & auctoritatibus Scripturarum Divinarum, quod una anima ab alia non traducitur.

In primis sic objicimus eis. Constat apud omnes recte intelligentes, substantiam esse unum genus generalissimum, sive supremum, & quod substantiarum alia est corporea, & alia incorporea; omne enim corpus substantia est, sed non e contra. Divisio autem illa per opposita fit, ergo nulla substantia corporea est incorporea, & e contrario nulla incorporea est corporea. Modo quæro. Spiritus Adæ substantia fuit nunquid corporea, an incorporea? Si corporea: Spiritus ejus, ut tu ponis Angelica natura fuit, ergo Angelica Natura est substantia corporea; sed ex illa descenderunt, & descendunt (ut Tu credis) naturæ illæ, quæ dicuntur humanæ animæ, ergo illæ sunt corporeæ substantiæ: multo fortius anima sensibilis, & anima vegetabilis. Non est ergo invenire aliquam substantiam incorpoream, sed tantum corpoream; ergo prædicta divisio substantiæ nulla est, sed omnis substantia corporea est, & ita corpus est genus generalissimum, substantia vero

(10) Corrupte nempe Mss. Codices Monetæ; nam Græca exemplaria Novi Testamenti habent ἄνωθεν, quod est *desuper*.

(11) Hoc idem argumentum ex Moneta accepisse S. Thomam, atque eodem responso quo Moneta utitur, *de traduce sententiam* refellisse crediderim. Consulitor 1. P. Q. CXVIII. *Art.* 1. *ad* 1. *Arg.* & *in* II. *Sent. Dist.* XVIII. *Q.* II. *Art.* 1. *ad* 1. *Arg.*

[*] Deest in Cod. Bonon. & in Vatic.

vero non est genus generalissimum, vel si est, idem est corpus, & par ei, quod constat esse falsum.

Si autem vis dicere, quod substantia est genus supremum, & universalius, quam corporis, & dicere quod aliqua substantia incorporea est, scilicet Divina essentia, & de illa intelligenda est divisio hujus generalissimi substantia corporea, & incorporea. Hoc stare non potest, quia secundum hoc Deus esset sub genere aliquo, quia sub hoc genere substantia. Hoc autem falsum est; imo est substantia supra omne genus, & omnis generis caussa, & principium. Præterea si haberet genus, haberet principium, genus enim principium est ejus, cujus est genus.

Præterea si haberet genus, haberet & differentiam, non aliam, sed hanc, scilicet incorpoream; ergo haberet compositionem ex genere, & differentia; ergo esset creatum. Restat igitur, quod non sit in genere substantiæ, & substantia incorporea in divisione substantiæ non supponit pro Divina essentia.

Si autem dicas mihi. Nonne dicitur Deus esse substantia?

Respondeo, utique. Sed non in sensu generis generalissimi. Sensus enim substantiæ, secundum quod est genus generalissimum est ens per se, cujus esse aliud est ab illo, sicut testatur Avicenna Philosophus. Deus autem ita est per se ens, quod ejus esse non est aliud ab ipso propter summam simplicitatem suam. Istud autem magis patebit ex his quæ dicentur in tertia parte hujus operis in capite ubi ostendemus quod tres Personæ sunt ad invicem consubstantiales.

Item cum anima rationalis sit substantia, aut est simplex substantia & sine magnitudine, aut composita, & cum magnitudine? Si simplex, & sine magnitudine; sic ergo una anima non potest ab alia traduci, cum traductio fiat per decisionem partis alicujus ab eo a quo traducitur. Propter hoc dixit hæreticus, quod non est substantia simplex, neque sine magnitudine, imo (12) composita & corporea, & dixit eam esse corpus spirituale, distinguens corpus animale, & corpus spirituale propter illa verba Apostoli 1. Cor. 15. v. 44. *Si est corpus animale, est & spiritale*. Et dicit hæreticus: vide quod dicit Apostolus? Utitur enim verbo præsentis temporis dicens: *est & spiritale*; non dixit: erat. Et dixit hæreticus: frustra diceret corpus animale, nisi esset aliquod respectu cujus diceretur spirituale; quod non est verum. Imo dicitur animale, uno tempore, respectu sui ipsius alio tempore. Præterea iste sensus hæretici improbabitur in quarta parte hujus operis in cap. de resurrectione, quando disputabimus supra illud verbum Apostoli. 1. Cor. 15. v. 43. *Seminatur &c.* & ideo hic prætermittamus.

Præterea, quod anima non sit corpus aliquo modo in eodem cap. de resurrectione habebitur. Si autem non est corpus, non habet magnitudinem, & si hoc est, non potest pati decisionem, & sic non potest inde traduci anima alia.

Præterea si habet magnitudinem. Contra. Magnitudo triplex est. Una, quæ habet unicam dimensionem, scilicet longitudinem, & dicitur linea. Secunda, quæ habet duas dimensiones, scilicet longitudinem & latitudinem, & dicitur superficies. Tertia, quæ habet illas duas & profunditatem, sive altitudinem, & dicitur corporea validitas. Si anima magnitudinem habet, non solum primam, quia linea non separat se a superficie, cujus terminus est: neque secundam tantum, quia superficies a soliditate corporea non dividitur essentialiter, sed est ejus terminus, & continuat partes ejus. Habet ergo tertiam magnitudinem; Ergo non magis potest dici corpus spiritale, quam (13) corpus exterius. Si enim solidum est, & palpabile est.

Præterea tu dicis, quod una anima aliam generat. Contra. Omne quod aliud generat ex se, vel dat ei partem substantiæ suæ, vel totam substantiam suam; ergo si anima generat animam, dat ei hoc, vel hoc, si dat ei totam substantiam suam; ergo anima generans consubstantialis est genitæ. Sic ergo omnes animæ ab Anima Adæ descendentes, essent tantum una anima substantialiter. Si partem; ergo habent magnitudinem.

Præterea, si dat partem sui animæ generatæ, & aliam partem tantum sibi retinet, ergo quod retinet pars erat illius, quod constabat ex retento animæ generantis, & ex dato animæ genitæ. Sed omnis pars minor est suo toto; ergo illa anima generans minor est quam prius fuerit. (14)

Præterea, omne a quo aliquid deciditur, minus remanet post decisionem, si aliunde nihil superadditur, sed animæ generanti, a qua aliquid deciditur nihil superadditur, unde restituatur ei, quod decisum est ab ea, sicut e contrario nos videmus, quod ex cibis, & potibus restauratur, quod a carne deciditur, alioquin necessario minus esset, quam prius; ergo anima generans animam minoratur per illam generationem.

Præterea, hoc est per se notum, quod decisio diminutio est; ergo illud a quo deciditur in aliquo diminuitur, & inde ut prius.

Præterea, si dat ei partem substantiæ suæ, aut illa pars remanet penitus sub illa forma, sub qua erat, aut amittit priorem formam, & induit aliam. Si ammittit priorem formam, & inducit aliam, ergo corrumpitur; ergo anima constat ex partibus corrupti-

(12) Nempe animam, quam Angelum esse ajebat Catharus, corpus spirituale quoque esse putavit: quod quidem placuit Tertulliano *lib. de Anima cap.* VII. *seqq.* Adeundus etiam Augustinus *lib.* x. *de Gen. ad Litt. cap.* XXV. *seq. col.* 273. *seq.*

(13) Non negabat Tertullianus posteaquam ad Montanum defecit, animum tribus hisce dimensionibus esse præditum: *Non inconstanter*, inquit, *profitebimur solemniora quæque, & omnimodo debita corpulentiæ, adesse animæ quoque; ut habitum, ut terminum, ut illud trifariam distantivam, longitudinem dico, & latitudinem, & sublimitatem, quibus metantur corpora Philosophi.*

(14) Vidit horum argumentorum, multo ante quam Moneta floruerit, vim Tertullianus, atque ita implicatus fuit, ut exitum reperire nequiverit. Nam Augustinus *lib.* x. *de Gen. ad Litt.* c. XXVI. *num.* 44. *col.* 274. *Tom.* III. *P.* II. *Opp* „ Noluit Tertullianus, „ *inquit*, animam crescere substantia sicut corpus, afferens etiam „ timoris sui caussam, ne etiam decrescere substantia dicatur, „ inquit, atque ita & defectura credatur. Et tamen quia per cor- „ pus eam localiter tendit, non invenit exitum incrementorum „ ejus, quam vult de semine exiguo æquari corporis quantitati, „ & ait: *Sed vis ejus, in qua naturalia peculia consita retinentur, salvo substantiæ modulo, quo a primordio inflata est; paulatim cum carne producitur*. Sed nemo non videt, quam sit hoc Tertulliani responsum ineptum atque ridiculum. Vide *lib.* ejus *de Anima cap.* XXXVII.

ruptibilibus, ergo ipsa est corruptibilis, ergo mortalis.

Contra. Matthæi 10. v. 28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere.*

Si autem retinet priorem formam, hoc autem non potest esse, nisi altero duorum modorum; vel non recipiendo aliam formam super illam; vel præter illam recipiendo aliam. Si primo modo; ergo si modo cum decisa est, anima est, & priusquam decideretur anima erat; ab unica enim forma unicum est esse. Si ergo per illam modo est anima, per eandem etiam prius fuit anima, & secundum hoc anima ejus qui genuit constaret ex animabus tamquam ex partibus.

Præterea, sic ergo ille qui generat multas haberet animas, cum nulla pars sit suum totum. Si autem secundo modo se habeat, sicut etiam contingit in iis, quæ sunt per artem, v. g. aurum retenta forma auri superinduit formam annuli, dico sic: Illa ergo pars duplicem habet formam. Per secundam habet unum esse, secundum quod est in specie animæ humanæ; ergo secundum primam habebit aliquod esse; aut secundum istud est in specie animæ humanæ, at in specie altera, non in specie animæ humanæ; frustra enim, & nugatorie induisset secundam, quæ aliquid non facit ei, nisi ut sit in illa specie. Restat ergo, quod secundum illud esse, & secundum illam formam priorem in alia specie sit, quam in specie animæ humanæ.

Modo quæro in qua specie? quod cum etiam imaginari non valeas, constat te esse errore deceptum, dicendo animam generari ab anima per decisionem partis.

Præterea, si partem habet; ergo composita est ex partibus, aut natura similibus, aut natura dissimilibus. Si natura similibus: ergo sicut quælibet pars aquæ est aqua, ita quælibet pars animæ est anima; & cum nulla pars sit suum totum quælibet habet animas innumerabiles. Si autem constat ex partibus natura dissimilibus, sive secundum speciem, modo assigna differentiam illarum specierum partium animarum, quas tu ponis, quod tibi impossibile est facere, quia simpliciter impossibile est.

Si autem dicas, imo assignabo differentias specificas per actum ejus, sicut etiam differentias partium corporis exterioris, quoniam alia pars animæ manus est, alia oculus, & sic de aliis partibus, sive membris spiritualibus ipsius animæ. Contra. Anima integraliter ex his consistit sicut corpus exterius ex suis, secundum quod credis, sed partes animæ decisibiles sunt, cum anima per decisionem partis ab anima traducatur, ut dicis: Secundum hoc igitur anima potest esse manca, & monocula; & sicut eruitur oculus corporis exterioris ab eo, ita etiam erui potest oculus animæ ab anima, & manus poterit incidi.

Præterea, si anima est corpus compositum ex partibus secundum naturam dissimilibus. Contra. Omne corpus quod tale est, compositum est ex corporibus, quæ composita sunt ex partibus secundum naturam elementalibus, scilicet igne, & cæteris elementis; ergo anima est corpus elementatum, & ex contrariis: sed omne tale naturaliter corruptibile est, ergo naturaliter anima corruptibilis est, & ita mortalis, quod est contra Evangelium.

Præterea, anima immortalis est essentialiter; non est ergo corruptibilis per carnis corruptionem. Sicut autem se habet corruptio animæ ad corruptionem corporis, ita generatio ejus ad generationem illius in caussalitate; ergo non est generabilis per corporis generationem, neque per se; ergo nullo modo est generabilis; ergo non generatur anima ex anima,

Pæterea, si vis dicere, quod est generabilis per generationem corporis, ergo cum generationis terminus sit esse, anima habet esse per esse corporis; hoc autem falsum est. Constat enim corpus consummari in esse suo per animam; ergo esse animæ potius est caussa esse corporis, quam e contrario.

Item desinente corpore esse remanet anima in suo; ergo corpus per esse suum non est caussa animæ quoad esse ejus. Sic ergo non habet esse anima per esse corporis; ergo neque generatur per generationem corporis.

Præterea, si anima mea ex alia generaretur per decisionem, quare dixisset Apostolus ad Hebr. 12. v. 9. *Patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, & reverebamur eos: non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, & vivemus?* Si enim per decisionem est anima filii ab anima Patris, sicut caro filii ex carne Patris, ita appellasset Apostolus carnales Patres, Patres spirituum, sicut dixit eos Patres carnis.

[*] Si autem dicas, quod anima non venit ex anima per decisionem, & quod nihil de anima Adæ venit in animas traductas inde; ergo Deus neque naturaliter, neque formaliter fecit animas, materialiter autem fecit corpora. Magis ergo dicenda sunt corpora ista a Deo secundum te, quam animæ. [*]

Præterea, tu dicis, quod anima generatur ex anima, sicut caro ex carne, sed in generatione carnis ex carne, patet, quod generatio unius est corruptio alterius; ergo idem erit in generatione animæ ex anima. Quod autem in generatione carnis ex carne generatio unius sit corruptio alterius patet, quia illud quod deciditur a generante per corruptionem expoliatur forma propria, & induit aliam. Igitur si anima generatur ex anima, ut caro ex carne, idem erit in generatione animæ ex anima.

Item quod una anima non traducatur ex alia opere ipsius Satanæ, ut dicunt, probatur auctoritate Isaiæ 42. v. 4. & 5. qui post illam auctoritatem, qua Deus Pater loquitur Matthæi 12. v. 18. *Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam spiritum meum super eum, & judicium gentibus nunciabit.* v. 19. *Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus.* v. 20. *Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium.* v. 29. *Et in nomine ejus Gentes sperabunt*; pro quo ponit Isaias: *& legem ejus Insulæ expectabunt*: statim sub-

S

[*] Deest in Bon. & in Vat.

fubjungit v. 5.: *Hæc dicit Dominus Deus, creans cælos, & extendens eos: firmans terram, & quæ germinant ex ea: dans flatum populo, qui eſt ſuper eam, & ſpiritum calcantibus eam*; Non ergo Satan dat ſpiritum homini, ſed Deus Pater Chriſti.

Item Iſaiæ 57. v. 16. dicit Deus: *Spiritus a facie mea egredietur, & flatus ego faciam*. Quis autem iſte ſit, determinat Iſaias, loquens in Perſona Dei, & dicens: v. 19. *Creavi fructum labiorum,* ideſt verborum Dei, *pacem, pacem ei qui longe eſt, & qui prope*. Quæ verba Apoſtolus Epheſ. 2. v. 17. exponit de Chriſto & duobus populis, uno exſiſtente longe a Deo, ſcilicet Gentili, & alio exiſtente prope, ſcilicet Judæo, unde dicit Apoſtolus: *Et veniens evangelizavit pacem vobis*, ſcilicet Gentilibus, *qui longe fuiſtis; & pacem iis, qui prope*; ideſt Judæis. Ecce in verbis Iſaiæ, quæ præmiſſa ſunt, aperte oſtenditur, quod anima non traducitur opere Satanæ, ſed Deus eſt qui facit eam; Item Paulus Act. 17. v. 24. ubi ait: *Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt, hic cæli & terræ cum ſit Dominus non in manufactis templis habitat. v. 25. Nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cum ipſe det omnibus vitam & inſpirationem, & omnia*.

Item Eccleſ. 12. v. 7. *Revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Non ergo Satan eum dedit.

Item, quod una anima non traducatur ab alia aliquo modo, & maxime operatione Satanæ, declarat David in pſalm. 32. v. 1. *Exultate juſti in Domino; rectos docet collaudatio*; & quibuſdam interpoſitis ſubjungit: *qui finxit ſigillatim corda eorum*. Corda appellat animas, & non illam particulam materialem carnalem & palpabilem, quæ ſolet nomine cordis deſignari: Illas enim particulas non ſigillatim fingit, ſed traducit ex aliis; ergo animæ a Deo dantur, & ad eſſe ducuntur Dei operatione, ſine traductione unius ab alia.

Item Geneſ. 2. v. 23. *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*. Non dixit hoc anima de anima mea, per quod declaratur quoniam corpus traduxit inde. Iſtud autem teſtimonium etſi non valeat contra Catharos, valet tamen contra alios hæreticos vetus teſtamentum recipientes, ideſt contra pauperes Lombardos, qui (1) Validiſii dicuntur [*] qui ponunt animam ex anima traduci, unde Ambroſ. in lib. de Paradiſo: *Conſidera, quia ex corpore coſtam ſumpſit, non ex anima portionem: hoc eſt animam non ex anima*. Unde notandum quod duplex modus formationis corporis humani invenitur. Unus modus ſecundum quem non ex alio corpore humano, ut patet in corpore Adæ: alius autem modus eſt corporis humani ex corpore humano, ut patet in corpore Evæ. Utrumque modum determinat ſcriptura Geneſeos. Non fuit contenta aſſignare primum modum, ne arbitremur ſic eſſe in quolibet alio. Circa animam unicum modum expreſſit ſcriptura, ſecundum quem modum anima immediate eſt a Deo, non de alia anima; & quia non eſt alius modus exitus animarum ad eſſe, ideo nullum alium expreſſit. Sicut enim de carne Evæ dixit, quod erat de carne Adæ, ita dixiſſet quod anima ex anima, unde Heb. 12. v. 9. volens oſtendere Apoſtolus, quod non eſt anima ex anima, dixit; *Deinde Patres quidem carnis noſtræ eruditores habuimus*. [*]

C A P. V.

De eſu ciborum, carnium, ſicut & ovorum.

NUnc videndum eſt, utrum licitæ ſint carnes (2) animalium ad comedendum. Iſtud capitulum in duas partes dividitur. In prima videndum eſt, quare dicant quoſdam cibos eſſe illicitos. In ſecunda parte oſtendemus, quod nulli cibi illiciti ſunt. Dicunt enim omnes Cathari, quod illiciti ſunt. Hoc autem dicunt multis rationibus phantaſticis.

PARS PRIMA.

§. I.

Probatio hæreticorum, quod eſus quorundam eſt illicitus.

PRimam rationem ſumunt ex Scripturarum teſtimoniis male intellectis. Ad hoc enim probandum ſolent inducere illud Rom. 14. v. 21. (2) *Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum*. Sed contra. Eadem ergo ratione illicitum eſt vinum, & deberent ab eo abſtinere. Ad hoc autem dicunt, quod ſecus eſt de vino, quia illud poſtea Apoſtolus conceſſit Timotheo dicens Ep. 1. ad eum c. 5. v. 23. *Modico vino utere propter ſtomachum,*

[*] Ambroſ. in Lib. de *Paradiſo* c. XI.

[*] Deſunt in Bonon. & Vat.

(1) Hoc eſt Valdenſes, de quibus nos diſſert. II. & Noſter toto Lib. V.

(2) Neſcio qua ſuperſtitione ducerentur Cathari, ut licitum eſſe negarent ovis, & carnibus veſci. Non me latet Ægyptiorum Hieropantas & Magos Perſarum, qui animorum tranſmigrationem propugnabant, in hac eadem ſententia fuiſſe verſatos. Hos autem ſequuti Pythagorei, nefas eſſe putarunt carnes comedere animantium earum, quæ in Sacrificio adhiberi non poterant, ut tradunt Jamblichus in Vita Pythagoræ *num.* 99. *pag.* 83. & Porphyrius *in V. Pyth. n.* 34. *pag.* 37. *Edit. an.* 1707. Nam in ea quæ immolare liceret animas humanas numquam immigrare poſſe arbitrabantur; in cetera autem poſſe. Jamb. *n.* 85. *pag.* 71. ita fit, ut Clemens Alexandrinus *lib.* VII. *Strom. pag.* 515 eatenus ſibi a carnibus temperaſſe Pythagoreos affirmet quatenus tranſmigrationem defendebant. Idque jam placuit Saturnianis, apud Irenæum *lib.* I. *cap.* XXIV. *n.* 2. Ebioneis apud Epiphanium *Hæreſ.* XXX. *n.* 2. & 15. Encratitis, qui a Marcionitis acceperant, apud Irenæum *lib.* I. *cap.* XXVIII. *al.* XXX. *n.* I. Electis quoque Manichæorum apud Auguſtinum *lib. de Hæreſibus cap.* XLVI. & *lib.* XXX. *Contra Fauſtum cap.* V. & *lib.* XX. *cap.* XXIII. *Tom.* VIII. *Opp.* Priſcillianiſtis apud Auguſtinum *lib. de Hæreſibus cap.* LXX. & Euſtathio Melitinæ Epiſcopo, apud Socratem *lib.* II. *Hiſtoriæ cap.* XLIII. *Editionis Valeſii*. Sed hi quidem hæretici ita erant in factiones diſtracti, ut pars quidem ob animorum tranſmigrationem, pars contra ob vitium, quod ſuapte natura ineſſe putabant in belluis, ab eſu carnium abſtinendum eſſe judicarent. Utriſque arbitror Cathari conſenſere. Adi-ſis Sachonum *in ſumma Contra Catharos apud Martenium Tom.* V. *Theſauri Anecdot.* ubi de Catharis *tranſmigrationem* propugnantibus, & de aliis, qui eam non tuebantur ſermonem inſtituit.

(2) Hinc colligere fas eſt, hoc genus Catharorum a vino ſibi non temperaſſe; quamvis veteres Manichæi illud immundum eſſe, adeoque adhiberi non oportere arbitrarentur. Conſulendus Auguſtinus *lib.* XVI. *Contra Fauſtum cap.* XXXI. *col.* 303. & *lib.* XX. *cap.* XII. *col.* 341. *Tom.* VIII. *opp.*

cibum tuum, *&c.* Sed contra hoc sic objiciendum ad Rom. 14. Vinum prohibuit sicut carnes, ut dicitis, sed 1. ad Timoth. 5. vinum concessit: nonne dicit Apostolus Gal. 2. v. 18. *Si enim quæ destruxi, iterum hæc ædifico: prævaricatorem me constituo*; ergo ipse prævaricator erat qui ad Rom. destruxit, idest negavit vinum, ut dicitis; sed in Timoth. construxit, idest affirmavit, quod biberet vinum. Ex quibus constat quod ad Rom. 14. Non prohibuit bibere vinum; ergo neque carnes comedere; simul enim & communiter dicit: *Bonum est non manducare carnem*, *& non bibere vinum*. Unde qua ratione unum prohibetur, & alterum. (3)

Nec valet argumentum, quod aliquando fecit hæreticus: *Bonum est non manducare carnem*; ergo malum est comedere. Similiter enim sequeretur; *bonum est non bibere vinum*; ergo malum est bibere. Item bonum est jungere virginem suam matrimonio; ergo malum est non jungere. Quod est contra Apostolum 1. Cor. 7. v. 38. *Qui matrimonio jungit Virginem suam, bene facit*: *& qui non jungit melius facit*. Neque refert ad præsens, de quo matrimonio fiat ibi sermo.

Ad idem inducunt illud quod legitur Act. 10. v. 11. ubi dicitur, quod Petrus vidit *vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cælo in terram*. v. 12. *In quo erant omnia quadrupedia*, *& serpentia terræ*, *& volatilia cæli*. v. 13. *Et facta est vox ad eum*: *Surge Petre, occide*, *& manduca*. v. 14. *ait autem Petrus*: *Absit Domine*, *quia nunquam manducavi omne commune*, *& immundum*. Ex quo manifestum esse credunt, quod omnia quadrupedia animalia & volatilia cæli immunda sint, & ad comedendum illicita.

Ad quod dicendum, quod Petrus in hoc reprehensibilis fuit. (4) Judaizabat enim idest more Judæorum quosdam cibos illicitos, & immundos judicabat. Super hoc autem reprehensus est a Paulo ad Galat. 2. v. 11. ubi Paulus ait: *Cum autem venisset Cephas Antiochiam*, *in faciem ei restiti*, *quia reprehensibilis erat*. v. 12. *Prius enim quam venirent quidam*, supple Judæi missi, *a Jacobo*, *cum Gentibus edebat*, scilicet sicut gentes communiter, & indifferenter utendo cibis, quibus gentes utuntur: *Cum autem venissent*, *subtrahebat*, *& segregabat se*, *timens eos*, *qui ex circumcisione erant*. Super hoc autem reprehensus est a Deo Act. 10. Postquam enim dixerat: *Absit*, *&c. Et vox iterum secundo ad eum facta est. Quæ Deus purificavit*, *tu commune ne dixeris*. Hinc, idest ex hoc verbo Christi est, quod Apostolus, in quo Christus loquebatur ait Rom. 14. v. 14. *Scio*, *& confido in Domino Jesu*, *quia nihil commune per ipsum*. Quasi dicat: secundum ipsum, & ejus decretum nihil est commune, idest nihil est immundum. Postea autem determinat duos modos, in quibus aliquid immundum est. Unus modus est falsa existimatio, quas quis existimat aliquid immundum est. Hac conscientia comedit illud, unde ait. v. 14. *Nisi ei qui existimat quid commune esse*, *illi commune est*. Et a scandalo istius monet cavere dicens: v. 15. *Si enim propter cibum Frater tuus scandalizatur*: *jam non secundum caritatem ambulas*. Quasi dicat: abstine in hujus præsentia ne scandalizetur. Alius modus est, quando sumitur cum scandalo Fratris infirmi, unde & ait ibidem v. 20. *Omnia quidem sunt munda*, *sed malum est homini qui per offendiculum manducat*, idest cujus manducatio est ad offendiculum Fratris.

Ad idem etiam inducunt illud Act. 15. v. 5. Ubi dicitur facta contentione Judæorum quorundam adversus Gentiles dicentium: *Quia oportet circumcidi eos*: *præcipere quoque servare legem Moysi*, Beatus Jacobus dixit: v. 19. *ego judico non inquietari eos*, *qui ex Gentibus convertuntur ad Deum*, *sed scribere ad eos*, *ut abstineant se a contaminationibus simulacrorum*, *& fornicatione*, *& suffocatis*, *& sanguine*. Contaminationes simulacrorum appellat ea, quæ Idolis erant immolata, quia contaminabant illos, qui edebant illa in Idoli venerationem, vel cum scandalo infirmorum.

Ad hoc autem dicendum est, quod hæc auctoritas non est pro eis, imo contra eos. Si enim ab his solis cibis abstinendum judicat, ut patet eodem cap. Act. v. 28. *Visum est enim Spiritui Sancto & nobis nihil ultra imponere vobis oneris*, scilicet legem Moysi. Jugum enim totius legis tentabant ponere super eos, ut patet ex principio totius cap. & ex verbis Petri v. 10. *Quid tentatis*, *&c.* dicit ergo Petrus: nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, ut abstineatis *vos ab immolatis simulacrorum*, *&c.* licebat igitur, sicut & verum est omnibus cibis uti, qui non sunt de his; sed caro quæ non est Idolis immolata, de his non est; licebat ergo uti ea.

Neque potest dici, quod illa caro intelligatur per suffocatum; eadem enim ratione, qua illa diceretur suffocatum, diceretur & illa quæ est Idolis immolata.

Præterea, in quo facit pro eis illa auctoritas? Nisi velint dicere ova per suffocata intelligi, & ca-

seum,

(3) Pulchre Augustinus *lib. Contra Adimantium Manichæi discipulum cap.* XIV. *num.* 2. *col.* 128. *Tom.* VIII. *Opp. De Carne autem*, inquit, *non manducanda*, *& non bibendo vino*, *quod ait Apostolus*, *non quia illa immunda arbitratus est*, *hoc præcepit*, *sicut isti existimant .... Sed cum ipse posuerit caussam*, *cur hoc dixerit*, *non est nobis hæc interpretanda*, *vel exponenda sententia*. Affert deinde Apostoli longiusculum testimonium, ut quo consilio dicta ab illo hæc fuerint evincat. Consulitor omnino:

(4) Tum quidem Petrus Judæorum moribus assuetus, fassus est nunquam se immundum quidpiam comedisse; non quo suapte natura immunda esse, sed legis tantum præscripto animalium quædam genera existimaret; verum posteaquam celebrata est Hierosolymitana Synodus, Petrusque Antiochiam se contulit, ac veritus Judæos a Christianis, qui erant ex Gentibus ad Hebræos, qui Hierosolymis advenerant, defecit; [si tamen is fuit Petrus, non Cephas ab eo longe diversus; video enim Harduinum nonnullosque alios esse qui Petrum a Cepha distinguant] non ita erat animo comparatus, ut immunda quædam, quædam contra munda esse censeret. Itaque redargutus fuit a Paulo, non quod putaret carnes animalium esse immundas, sed, quod Judæorum præsentiam timens, se a Consortio Gentilium subtraxisset, eosque videretur ad Judaizandum cogere. Egregie Tertullianus *lib.* V. *Contra Marcionem cap.* III. *pag.* 463. *Reprehendit*, inquit, *Petrum* [Paulus] *non recto pede incedentem ad Evangelii veritatem. Plane reprehendit*; *non ob aliud tamen*, *quam ob inconstantiam victus*, *quem pro personarum qualitate variabat*; *timens eos qui erant ex circumcisione*, *non ob aliquam divinitatis perversitatem* [nempe ut natura malos esse cibos ejusmodi a principio haud bono conditos censeret] *de qua & aliis in faciem restitisset*. Adeun-dus Calmetus *Diss. de Cepha Præfixa Commentar. in Epist. ad Gal.*

ſeum, atque hæc ſignari nomine ſanguinis. Horum autem quæ dicunt teſtimonium non habent, propter quod evidens eſt eos errare.

Præterea, ſuper quo erat contentio, niſi ſuper lege Judæorum ſervanda, ubi prohibitum eſt edere ſuffocatum; quod gentes edebant: Judæi autem non appellant ſuffocatum, niſi animal, cujus ſanguis non eſt effuſus. Beatus ergo Jacobus dicens: *Viſum eſt enim Spiritui Sancto, & Nobis, nihil ultra imponere vobis oneris*, ideſt legem per ſuffocatum intelligi tale animal, & ab ejus eſu præcipit tunc abſtinere Gentiles. Et datum eſt mandatum ad tempus, ſicut & multa alia in Evangelio, unde & Paulus dixit Tito: 1. v. 15. *Omnia quidem munda mundis*.

Item, ut ſupra diximus ad Rom. 14. *Omnia quidem munda ſunt*.

Item 15. Matth. v. 11. *Non quod intrat in os coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore coinquinat hominem*. Non potes ergo dicere quod Eccleſia Romana ſit contraria Spiritui Sancto in eſu talium ciborum, qui tantum ad tempus ſunt prohibiti.

Ad idem inducunt illud 1. Cor. 8. v. 13. *Si eſca ſcandalizat Fratrem meum: non manducabo carnem in æternum, ne Fratrem meum ſcandalizem*.

Sed attende, hæretice, quod Apoſtolus non dixit, quod non manducaret carnes in æternum, ſed tantum in caſu iſto, ſi eſca ejus ſcandalizaret eum, ideſt ſi iſtud inde accideret; imo potius abſtineret in æternum ne accideret. Ex hoc verbo igitur oſtendit Apoſtolus ſe poſſe licite manducare carnem, dummodo Frater non ſcandalizaretur inde. Si enim Apoſtolus non manducaret carnem in æternum, & in nullo caſu uteretur eis, ad quid dixiſſet eis: *Si eſca ſcandalizat, &c.* Superflua, & otioſa eſſet illa conditio.

Præterea, nonne vides quod ipſe dicit 1. Cor. 10. ubi monet cavere a ſcandalo infirmorum v. 23. *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt, &c.* Et ſubdit: *Nemo quod ſuum eſt*, ideſt ſibi licitum *quærat, ſed quod alterius*, ſupple, eſt ædificationis. Licebat igitur Paulo carnem edere, ſed abſtinebat, quando proximum non ædificabat. Et ad idem te monet, cum dicit: *Nemo, quod ſuum eſt, &c.*

Idem dicit 1. Cor. 8. v. 9. *Videte autem ne forte hæc licentia veſtra offendiculum fiat infirmis*. Licentiam dicit eſum licitum in ſui natura, dummodo fieret ſine ſcandalo infirmorum.

Item objicit etiam hæreticus illud Rom. 14. v. 3. *Is, qui manducat non manducantem non ſpernat*: Dicit autem quod nos ſpernimus eos, quia non manducant hujuſmodi.

Reſpondeo, non quia non manducas ideo te ſperno, ſed quia credis, falsò tamen, quod illicitum ſit comedere talia, & pluries admonitus non vis redire ad veram fidem. Dicit autem Apoſtolus ad Tit. 3. v. 10. *Hæreticum hominem poſt unam, & ſecundam correptionem devita* v. 11. *Sciens quia ſubverſus eſt, qui ejuſmodi eſt*.

Præterea vide quod dicit Apoſtolus poſt illa verba ad Rom. 14. *Qui non manducat manducantem non judicet*. Contra quod tu venis; Judicas enim Eccleſiam talia comedentem: & hoc non eſſe in ſtatu ſalutis.

Ad ultimum hic nota multiplicem cauſſam abſtinentiæ. Unam perfectorum in fide ne ſcandalizaretur Frater. Alteram eorundem propter Dei honorem, unde dicit: Rom. 14. v. 7. *Deo non manducat*; & ad Gal. 5. v. 24: *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis*. Tertiam Fratrum infirmorum in fide. Tales autem erant quidam Judæi converſi ad fidem Chriſti, qui legem Moyſi credebant adhuc ſervandam, de quibus etiam dicit in principio cap. 14. *Infirmum autem in fide aſſumite*.

Item ibidem ait Apoſtolus v. 29. *Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum*, & ſubdit: *neque in quo Frater tuus offenditur. aut ſcandalizatur, aut infirmatur. Offenditur* a fide Chriſti recedendo; *ſcandalizatur* de fide aſſumpta conſtituendo; licet non recedat a fide: infirmatur dubitans in aliquo incipiendo. (5)

Secunda ratio hæretici, quare dicit eſſe abſtinendum a cibis.

Secunda cauſſa quare dicunt ſe a carnibus abſtinere, eſt, quia dicunt eas naſci de adulterio, dicentes coitum beſtiarum eſſe adulterium.

Contra. Rom. 4. v. 16. *Ubi enim non eſt lex, nec prævaricatio*; ſed beſtiis non eſt data lex; ergo non adulterantur, neque peccant aliquo modo. Quod autem beſtiis non ſit data lex, patet ex eo, quod non ſunt ſuſceptibiles ſcientiæ; ergo neque legis divinæ. Quod autem non ſint ejus ſuſceptibiles, patens eſt, quia carent intellectu, & ratione, in quibus abundat homo a beſtiis.

Tertia ratio hæreticorum, quare dicunt eſſe abſtinendum a cibis.

Tertia ratio, quare dicunt ſe abſtinere a cibis, ſcilicet a carnibus, caſeo, & ovis, iſta eſt, quia dicunt ſe voviſſe, & ex voto obligatos fore. Quærendum autem eſt ab eis, utrum aliter illicitæ ſint res iſtæ, niſi homo voviſſet inde non comedere.

Si dicat, quod non ſunt alio modo illicitæ res iſtæ

(5) His eiſdem rationibus utebantur Patres, qui contra Manichæos Gnoſticoſque ſcripſerunt, cum textus hoſce Apoſtoli explicarent. Adeundi præ cæteris Clemens Alexandrinus *lib.* VII. *ſtrom. pag.* 515. & *lib.* II. *Pædagogi pag.* 107. *Edit. an.* 1616. & Auguſtinus *lib. Contra Adimantium Manichæi diſcipulum cap.* XIV. *pag.* 128. *ſeq. Tom.* VIII. *Opp.* Itaque Patres ſatius eſſe dixerunt a carnibus, & vino abſtinere non ita tamen, ut peccare exiſtimarent eos, qui hujuſmodi cibo & potu uterentur. Quocirca jam inde ab initio Chriſtiani nominis ea conſuetudo invaluit, ut ſtatis quibuſdam temporibus fideles ſibi ab ovis & carnibus temperarent. Superſtitionem hanc ciborum diſtinctionem vocat Beauſobrius *lib.* IV. *Hiſt. Manich. cap.* VIII. *n.* VIII. Verum errat vehementer Calvinianus hæreticus. Ita enim non Clementi ſolum Alexandrino *l. c.* Auguſtino, ceteriſque veteribus Chriſtianis, ſed etiam Paulo infeſtum ſe prodit, & maxime adverſarium *qui ad Romanos* XIV. v. 29. *bonum eſt*, inquit, *non manducare carnem, & non bibere vinum*. Cur hæc duo exceperit Apoſtolus, ne Beauſobrium quidem præterit.

istæ ad comedendum. Quærendum est, utrum ad manus impositionem aliquem reciperent volentem facere omnia quæ faciunt, excepto voto de non edendo de prædictis rebus?

Si dicant, quod non reciperent eum. Quare non? Hoc est magna crudelitas non recipere hominem, & salutem ei negare; Hoc enim tu facis isti, quia si non facit votum istud, licitum est ei comedere; Inde & nullum peccatum committit, ut dixisti; ergo si omnia alia faceret, quæ tu facis, salvaretur. Tu autem hoc ei negas, ergo negas ei salutem.

Præterea, si edendo de illis rebus potest salvari, nunquid tu voveres nunquam comedere carnes? Certe non; sed ideo voves, quia illicitæ sunt & quia non potest esse salus edendo de eis, ut tu credis. Igitur non sunt illicitæ ex voto tuo, ut male dixisti; imo votum tuum est non comedere inde, quia sunt illicitæ.

Quarta ratio hæreticorum.

Quarta ratio eorum est, quia Ecclesia, ut dicunt hoc constituit ex ordinatione. Igitur Ecclesiæ est, quod illicitum est comedere de his rebus.

Modo quæro a te, qui hoc dicis, utrum comedendo de illis rebus posset quis venire ad regnum spirituum justorum; Si Ecclesia non constituisset hoc sed tantum alia quæ tu tenes? si dicatur quod non; ergo non sunt illicitæ ad edendum, quia Ecclesia constituit quod non comederetur de illis, sed potius e contrario.

Præterea, posito quod Ecclesia constituerit, aliquis est qui vult omnes alias constitutiones servare, ista excepta, & super hoc petit absolutionem, numquid absolves eum? Nunquid recipies eum ad manus impositionem? Constat quod non. Sed quare non? Si dicas, quod non licet Ecclesiæ absolvere ab ista constitutione aliquem. Contra. Licuit ei ligare, videtur ergo quod liceat absolvere. Matth. 16. v. 19. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Nonne videmus nos, quod aliquid est constitutum uno tempore, & relaxatum in alio, ut patebit in 5. parte hujus operis in cap. de constitutionibus Ecclesiæ; ergo licet Ecclesia ita constituerit, tamen pro tempore potest relaxare, ne aliquis perdatur. Nonne videmus nos, quod Paulus dixit de circumcisione ad Galat. 5. v. 2. *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Ex quo patet, quod circumcisio prohibita erat, & tamen relaxavit hoc circa Timotheum Act. 17. Multo fortius circa aliquem potest tota Ecclesia relaxare, quod constituerit de cibis non comedendis.

Quinta ratio hæreticorum.

Quinta ratio est, quod Christus legitur pavisse turbas ex 7. panibus, & piscibus paucis, ut habetur Matth. 15., & Marci 8. Item de quinque panibus, & duobus piscibus Matth. 14. Marci 6. Luc. 9. & Johan. 6. Post Resurrectionem quoque bis legitur comedisse pisces cum discipulis suis, scilicet Luc. & Johan. ult. Ex quo concludunt, quod non sit licitum comedere; quod argumentum valde frivolum est. Eadem enim ratione possent concludere, quod non est licitum comedere legumina, quia Christus ea non legitur comedisse.

Præterea, quid diceret hæreticus si respondeatur, quoniam legitur comedisse carnes, & quod eas comederit, evidenter habetur in quarta parte hujus operis in cap. de esurie & siti Christi.

§. II.

SECUNDA PARS.

Probatio Ecclesiæ, quod nullus usus ciborum est illicitus.

NUnc ad secundam partem hujus cap. accedamus, ostendentes, quod esus carnium animalium, & aliorum ciborum licitus est. In primis autem introducemus illud Matthæi 15. v 11. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore coinquinat hominem*:

Item ibidem dicit discipulis quærentibus ab eo ut exponeret eis illam parabolam v. 17. *Non intelligitis, quia omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur?* v. 18. *Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem.* Marci autem 7. cap. v. 15. expressius hoc dicit: *Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare; sed quæ de homine procedunt, illa sunt quæ coinquinant hominem*, & postea v. 18.: *Non intelligitis, quia omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum coinquinare* v. 19. *quia non intrat in cor ejus, sed in ventrem vadit, & in secessum exit, purgans omnes escas?*

Hæc verba Christi Apostolus diligenter considerans, & sciens quod ipse Christus nullam ciborum discretionem induxit ad Rom. 14. v. 14. dixit illud, quod in præced. parte hujus cap. posuimus, scilicet: *Scio, & confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum.* Ex quibus patet, quod quilibet nisi ex voto teneretur, carnes animalium potest licite comedere, & salvari edendo de illis. Tamen hæretici ad auctoritatem Domini respondent, quod ibi non erat facta mentio de carne, sed de pane; quodquidem verum est in principio, ubi Pharisæi loquuntur v. 5.: *Quare discipuli tui non ambulant juxta traditionem seniorum, sed communibus manibus manducant panem?* & propterea dixit: *non quod in os intrat &c.*

Ad hoc autem dicendum est eis: numquid Dominus tantum de pane intellexit quod dixit, *non quod in os intrat &c.*? Si dicat, quod sic, quare ergo universaliter locutus est, dicens: *Non intelligitis, quia omne, quod in os intrat &c.* ut prius? Item: *Nihil est extra hominem introiens in eum &c.* ut dixit Marci 7. v. 15.

Præterea, quare scandalizati sunt Pharisæi, uti ibi habetur in responsione Domini. Ipsi enim credebant, quod panis intrans in hominem non coinquinat

nat hominem; unde ſi nihil aliud intelligitur in verbo Domini, nullum ſcandalum inde fuerant habituri; ſed habuerunt inde ſcandalum, ergo aliud ibi intelligebatur, ſcilicet caro porcina, vel hujuſmodi, quæ ſecundum legem erat communis, ideſt immunda.

Præterea, quod eſus carnis licitus ſit, patet per Chriſtum, qui uſus eſt eis, ut probabimus in 4. p. hujus operis de eſurie & ſiti Chriſti.

Item Lucæ 10. v. 1.: *Poſt hæc autem deſignavit Dominus, & alios ſeptuaginta duos* Diſcipulos: *& miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem Civitatem & locum, quo erat ipſe venturus*. Et poſt pauca ſubjungit v. 7.: *In eadem autem domo manete, edentes, & bibentes quæ apud illos ſunt: dignus eſt enim operarius mercede ſua*. Dominus non diſtinguit hic inter cibos, ſed ſine diſtinctione dicit: *edentes &c.* Ex quo patet quod Dominus volebat diſcipulos ſuos ſine diſtinctione uti cibis, quos apud hoſpites ſuos inveniebant.

Item Rom. 14. v. 20. Apoſtolus omnium ciborum genera comprehendens, ait: *Omnia quidem ſunt munda; ſed malum eſt homini, qui per offendiculum manducat*.

Ad hoc autem dicit hæreticus; *Omnia quidem ſunt munda*, omnia ſcilicet piſcium genera (6). Sed contra. Dixit Apoſtolus, quod homini qui per offendiculum manducat, malum eſt manducare ea, quæ munda ſunt, ſed poſtea dicit cui bonum ſit comedere ea, ſcilicet ei, qui manducat ſine offendiculo Fratris. Unde & ait v. 27. *Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo Frater tuus offenditur*: In quo loco carnem ſumere conſuevisti pro carnibus animalium, ſcilicet volatilium, & beſtiarum; ergo prius quod dictum eſt: *omnia quidem ſunt munda &c.* loquitur de eiſdem, non de piſcibus.

Si autem velis dicere, quod cum dicitur: *Bonum eſt non manducare carnem*, Apoſtolus loquitur de carne piſcium, conſtat quod contra doctrinam tuam loqueris. Per hoc enim credentibus tuis eſum carnium illicitum oſtendere conſuevisti, & Eccleſiam Romanam contrariam eſſe Apoſtolo prædicaſti.

Præterea, dicit quod bonum eſt homini, qui non manducat cum offendiculo fratris, malum ei, qui manducat cum offendiculo. Conſtat quod de materiali cibo loquitur, non de ſpirituali. Comedens enim cibum ſpiritualem, ſpiritualis eſt & ſanctus. *quia animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei* 1. Cor. 2. v. 14. Neque abſtinendum eſt ab hujuſmodi cibo propter alicujus ſcandalum; loquitur ergo de materiali cibo.

Modo quæro, cui bonum eſt ſumere cibum illum ſine ſcandalo fratris, & cui malum, & cum ſcandalo? Si homini interiori, hoc eſſe non poteſt, quia ille non poteſt comedere de hujuſmodi cibo. Si homini exteriori, vel toti homini integraliter; ergo homini exteriori, vel toti homini eſt bonum, vel malum comedere cum offendiculo, vel ſine eo; ergo homo exterior, vel totus remunerabitur. Matth. 16. v. 27., & Rom. 2. v. 6.: *Dominus enim reddet unicuique ſecundum opera ejus*; ergo corpus iſtud reſurget ad gloriam, vel ad pœnam.

Item 10. cap. 1. ad Cor. v. 25. dicit Apoſtolus: *Omne quod in macello venit, manducate* (7). Ut notet quod ſine diſtinctione ciborum loquitur, dicit v. 26. *Domini eſt terra, & plenitudo ejus*, quaſi dicat, qui unum cibum facit & alium.

Forte dicet, quod non de materiali macello intelligitur, ſed de ſpirituali, ideſt de Eccleſia Dei. Contra. De ſpirituali cibo non loquitur, ſed de materiali; ergo loquitur etiam de macello materiali. Probatio primæ propoſitionis hæc eſt, quia ibi dicit Apoſtolus v. 27. *Si quis vocat vos infidelium ad cœnam, & vultis ire: omne quod vobis apponitur manducate*. Infidelis iſte extra Eccleſiam eſt, & vocat fidelem ad dandum ei cœnam, ſed non habet ſpiritualem cœnam quam det, habet illam ad quam invitat fidelem; ergo illa cœna eſt materialis, & in ea proponuntur cibi materiales, ergo & macellum fuit materiale, & non ſpirituale.

Præterea, ſi dicas, quod eſt cœna ſpiritualis ad quam invitat fidelem, hoc non poteſt eſſe. Non enim vult ab eo recipere, quem ad cœnam invitat ſed vult ei dare, niſi dicas quod vult dare ei ſeipſum ad cœnandum ſpiritualiter. Sed hoc eſſe non poteſt. Primo, quia dixerat: *Domini eſt terra, & plenitudo ejus*. Hæc fuit ratio edendi *omne quod vobis apponitur &c.*, ergo cibus erat terrenus. Secundo, quia dicit: *& vultis ire*, quod non diceretur, ſi ille ſenſus eſſet verborum Apoſtoli; imo diceret: ite. Tertio, quia dicit ibi v. 27. & 28. *Nihil interrogantes propter conſcientiam. Si quis autem dixerit: Hoc immolatum eſt idolis: nolite manducare propter illum qui indicavit*. Hoc non poteſt intelligi de cibo ſpirituali qui ab infidelibus non immolatur Idolis.

Præterea, nonne tu per cœnam intelligebas eum, qui invitabat infidelem? Quomodo poteſt hoc ſtare, cum dicat Apoſtolus: *Si quis autem dixerit: Hoc immolatum &c.* Ecce ſecundum Apoſtolum alius eſt vocans, aliud quod ponebatur in cœna ad manducandum. Ex his patet quod de materiali cibo loquitur, ergo de materiali macello, & de materiali etiam terra, cum dicit: *Domini eſt terra, & plenitudo ejus*.

Forte dices. Verum eſt quod de materiali cibo loquitur, & de materiali macello; & cum dicitur. *Omne, quod vobis apponitur ab infideli manducate*: non intelligitur de carnibus beſtiarum, & volatilium, ſed piſcium. Sed numquid piſces idolis (8) im-

(6) Ita plane, ut Marcionitæ. Quare non injuria Tertullianus *lib.* I. *cap.* XIV. *pag.* 372. *Reprobas*, inquit, *& mare, ſed uſque ad copias eius, quas ſanctiorem cibum deputas*. Marcionitis autem conſenſere Manichæi ſaltem ii, qui in Ægypto verſabantur, ut Beauſobrius animadvertit *lib.* IV. *cap.* VIII. *n.* VII.

(7) Confer huc, quæ exſtant in Codice Vaticano, deſuntque e Bon. & Neap. *dicitur autem macellum locus ubi carnes ad veſcendum mactantur; ſed ne videantur in honorem Idoli comedere, monet nihil interrogare propter conſcientiam. Nihil interrogare, eſt non ſcrutari an fuerit immolatum Idolo id quod apponitur ei, an non, & quod dixerat*: omne quod in macello venit &c. *Ut notet &c.*

(8) Plutarchus *lib.* VIII. *Sympoſiacorum Quæſt.* VIII. *pag.* 702. *Tom.* II. *Opp.* Sic introducit Syllam loquentem; *ἰχθύων δὲ θύσιμος οὐδείς, οὐδὲ ἱερεύσιμος ἐστιν. Piſcium vero nullus immolatur, nullo res ſacra fit*. Verum exſtant pleraque monumenta, quæ maxime ſuadeant piſces fuiſſe idolis immolatos, etſi raro, & non ab omnibus populis, immo vero ne ab omnibus quidem earum regionum incolis, ſed a quibuſdam tantum. Adeundus Voſſius *lib.* IX. *de Idololatr. cap.* VII. *pag.* 774. *Tom.* V. *Opp.*

immolantur? Hoc nunquam reperies; sed quod bestiæ in sacrificiis idolorum immolabantur, hoc inveniri potest, & in sacrificio Dei Veteris Testamenti, ut habetur 3. Reg. 18. Invenies etiam quod immolabantur Deo Prophetarum.

Præterea, videamus, quando dixit Apostolus: *nihil interrogantes propter conscientiam*, idest non quærentes utrum fuerit immolatum, idest sacrificium idolis, an non. Quare autem dixerit, determinat Apostolus cum dicit: *Si quis autem dixerit, hoc immolatum est idolis, nolite manducare*. Quare autem non debebant manducare, subdit, cum ait: *propter illum, qui indicavit*; idest ne ille idololatra glorietur de cultu suorum idolorum, & confirmetur in illo, credens te comedere in Idoli veneratione. Alia caussa est, quam subjungit Apostolus, & propter conscientiam fidelium infirmorum in fide, unde dicit Apostolus v. 29. *Conscientiam autem dico non tuam, sed alterius*, quasi dicat, tua est firma in fide, alterius autem conscientia infirma. De talibus dicit Apostolus 8. cap. v. 7. *Quidam autem conscientia*, idest fide, *usque nunc*, idest postquam conversi sunt ad Christum, licet non plene, *quasi idolothytum manducant, & conscientia ipsorum, cum sit infirma, polluitur*, supple non ex cibo, sed ex fide, quam habet ibi. Comedit enim ipsum, quia idolis immolatum, sperans hoc sibi valere. Polluitur etiam exemplo sapientum, unde subdit: *Videte autem ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis: Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam in Idolo recumbentem*, idest in præsentia idoli recumbentem cum conscientia idoli: *nonne conscientia ejus, cum sit infirma, ædificabitur*, idest firmabitur, *ad manducandum idolotytha?* supple cum Idolis veneratione &c. *Et sic peribit infirmus in tua conscientia*, idest per tuam conscientiam, *propter quam Christus mortuus est*: quasi dicat: Cave a cibo tali, ne propter te Frater pereat. Item cave, ne per hoc Christum offendas, unde v. 12. *Sic autem peccantes in Fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis*. Et subdit Apostolus v. 13. *Quapropter*, idest ne Christum offendam, *si esca scandalizat Fratrem meum: non manducabo carnem in æternum*. Ubi patet, sicut etiam dicere consuevisti, quod *dixerit hoc immolatum &c.* Locutus est de carnibus immolatis Idolis, quæ comedebantur cum scandalo infirmorum, ut ibi docet Apostolus. Per illam autem auctoritatem aliter probamus esum carnium. Item per illud Act. 15. v. 28. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis &c.*

Ad ultimum inducimus illud 1. Timot. 4. v. 1., *Spiritus autem manifeste dicit, quia novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum*. De hoc autem habetur circa finem 8. cap. primi libri. [*] Adhuc etiam addimus illud 1. Cor. 10. v. 37. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliquid facitis: omnia in gloriam Dei facite*. De materiali manducatione, & potatione loquitur; ergo illa est ad gloriam Dei, & ad eam fit a sanctis. Illa ergo non est a diabolo. Item cum ad Dei gloriam sint ii cibi, a diabolo non sunt. Item de quo agitis gratias post cibum? Si de cibo, vel gratias agitis diabolo, vel cibus iste datur a Deo.

CAP. VI.

Agitur utrum Deus dator Veteris Testamenti fuerit bonus, & de rationibus, quibus impugnant eum hæretici, quarum prima est contrarietas cum Deo Novi Testamenti.

QUoniam hæretici, qui Cathari (1) vocantur, Deum Veteris Testamenti datorem reprobare nituntur, hunc profanum errorem elidere intendimus hoc modo, scilicet, ut prius eorum objectiones velut proprios gladios in eosdem convertamus, ut gladius eorum intret in corda ipsorum. Deinde nostris probationibus Deum Veteris Testamenti Creatorem omnium visibilium & invisibilium, animarum & corporum, & Patrem Jesu Christi esse irrefragabiliter adstruamus. Notandum igitur prius, quod objectiones hæreticorum in hoc capite ex quatuor radicibus procedunt. Prima est ex contrarietate, quæ videtur inter Vetus Testamentum & Novum: Secunda radix est ex mutabilitate ipsius Dei, quæ ex ipsis Scripturis apparet: Tertia est ex crudelitate ipsius, quæ in Scripturis de ipso ostenditur: Quarta est ex mandato, de quo Deus ipse in Scripturis arguendus videtur.

§. I.

Probatio hæretici, quod dator Veteris Testamenti fuerit malus; & de prima radice quod fuerit malus.

PRimo autem, juxta primam radicem ad probandum Deum Veteris Testamenti esse malum, indu-

(1) Catharis, quos hoc loco vexat Moneta, præiverunt Gnostici, & Manichæi. Aut enim totum quantum est vetus Testamentum, aut ejus partem a mala quadam intelligentia datum fuisse putarunt. Consuli poterunt Irenæus *lib. I. Adversus hæreses cap.* XXIII. *al.* XX. *pag.* 99. *Edit. Paris. an.* 1710. Clemens Alexandrinus *lib.* IV. *Stromat. pag.* 348. *seq. & pag.* 336. *Edit. Lugduno Bat. an.* 1616. Tertullianus *lib. de Præscript. adv. Hæres. cap.* XVII. XXX. & XLII. & vetus Auctor Anonymus cujus ea sunt, quæ exstant post librum Tertulliani *de Præscriptionibus*: *pag.* 219. *Edit. an.* 1675. Titus Bostrensis *lib.* III. *contra Manichæos pag.* 139. *seq. Tom.* I. *Antiquar. Lection. Henrici Canisii Edit. Antuerp. an.* 1725. Athanasius *Orat.* I. *Contra Arianos pag.* 411. *Tom.* I. *P.* I. *Edit. Paris. an.* 1698. Archelaus Episcopus Mesopotamiensis *in Disputat. cum Manete num.* XIII. *pag.* 25. *n.* XXVIII. *pag.* 48. *seq.* quæ exstat Tom. I. Collectaneorum Monumentorum Veterum Ecclesiæ Græcæ a Zacagnio editorum *Romæ an.* 1698. Hieronymus *In Commentar. ad cap.* I. *Naum. Tom.* III. *Edit. Paris. an.* 1704. *col.* 1563. *seq.* Epiphanius *Hæres.* LXVI. *n.* III. *seq. pag.* 619. *Tom.* I. *Edit. Paris. an.* 1622. S. Augustinus *lib.* VIII. *de Genesi ad Litteram cap.* II. *Tom.* III. *part.* I. *Edit. Paris. an.* 1680. *col.* 227. & *lib. de Hæres. ad Quodvult. cap.* VII. *col.* 7. XVIII. *col.* 8. XXI. *col.* 9. XLVI. *col.* 16. & *lib.* XXII. *contra Faustum cap.* I. *seq. col.* 363. *seq.* & *lib.* I. *contra Adversarium Legis & Prophetarum cap.* I. *col.* 549. *Tom.* VIII. *Edit. Paris. an.* 1688. ut πλείστους ἑτέρους [*plures alios*, quemadmodum Photius ait *lib.* I. *contra Manichæos n.* XI. *Tom.* I. *Anecdot.* Christophori *Vvolfii pag.* 37.] missos faciam qui similia de Manichæis memoriæ tradiderunt. De veteribus, suique temporis Manichæis hæc habet *ibid. num.* VIII. *pag.* 23. *Photius*: *Sacros Prophetas, omnemque veterem Scripturam .... aversantur*. Non discrepabant Bogomilii ab hoc genere opinionis. Nam ut Auctor est Euthymius *Parte* II. *Panopliæ Tit.* XXII. *cap.* I. *pag.* 749. *Edit. Lugdun. an.* 1556. *rejiciunt*, inquit, *omnes libros Mosaicos, una cum Deo, qui in ipsis memoratur &c.*

[*] Deest in Bonon. & in Vat.

inducunt illud Genes. 1. v. 1. *In principio creavit Deus cælum & terram: terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi*. Ecce qualis est, patet ex operibus suis; terra enim ab eo creata erat inanis, & vacua (2) sed quis fecit eam talem, nisi Deus Veteris Testamenti? ergo ipse est auctor vanitatis.

Præterea opus suum a tenebris incepit; tenebrosus ergo erat & malus, cum e contrario de Deo Novi Testamenti 1. Jo: 1. v. 5. *Quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ*.

Solutio. Quomodo vis intelligere, quod terra fuerit inanis? Si dicas, inanis dicitur, idest vana; proba quod dicis.

Præterea, dato, quod ita sit, quod tamen non est verum; Quæro: quomodo intelligis quod terra fuerit vana? Si dicas, quod transitoria & mutabilis, ex hoc non sequitur, quod Deus Veteris Testamenti qui eam fecit vanus fuerit. Dicit enim David Psalm. 101. v. 26. & Paulus Hæb. 1. v. 10. *Tu in principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis: & omnes ut vestimentum veterascent: Et velut amictum mutabis eos, & mutabuntur; tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*.

Præterea nonne oves Israel fuerunt mutabiles, antequam peccarent? Constat quod sic; alioquin non potuissent peccare. Sed quis fecit eas tales nisi Deus bonus? Dico ergo, quod dicitur inanis, idest infructuosa, quia adhuc non faciebat fructum; tertia vero die fructuosa facta est terra, unde ibi dicitur v. 11. *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum*.

Item propter malitiam hominum facit terram sterilem, unde David psal. 106. v. 34. *Terram fructiferam in salsuginem a malitia inhabitantium in ea posuit*. Et vacua dicebatur ab habitatione usque ad sextam diem, in qua homo factus est. Isajæ 45. v. 12. *Ego Dominus feci terram, & hominem super eam creavi ego*. De fructu & habitatore terræ dicitur Isaiæ 42. v. 5. *Hæc dicit Dominus Deus creans cælos & extendens eos: firmans terram & quæ germinant ex ea: dans flatum populo, qui est super eam & spiritum calcantibus eam*.

Ad idem quod objicitur de tenebris, dico, quod tenebræ ille non fuerunt aliquod opus ejus, neque invenies hoc. Unde sensus est: tenebræ erant super faciem abyssi, idest non erat lux ibi. Tenebræ enim non sunt aliquid secundum quod ibi sumitur, nisi absentia lucis, ubi nata est esse.

Præterea, posito quod aliquod opus ejus fuerit, propter hoc opus non est culpandus, alioquin Deus bonus quem tu ponis similiter culpandus est. Sic enim legis Isaiæ 50. v. 3. *Induam cælos tenebris, & saccum ponam operimentum eorum*. Item Job. 38. v. 9. *Cum ponerem nubem vestimentum ejus & caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverem*. Item ad hoc confirmandum, nota illud sacrum verbum Apostoli 2. Cor. 4. v. 6. *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei*. Et nota hoc verbum: *dixit*, idest dicto fecit, cum prius essent tenebræ. Iste est Deus, de quo Genes. 1. v. 3. *Dixitque Deus: fiat lux. Et facta est lux*.

Præterea, nonne Deus bonus fecit lucem suam? Utique. Si fecit, ergo non erat prius, ergo prius erant tenebræ in regno suo. Cum autem dicitur 1. Jo: 1. v, 5. *Quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ*: tenebræ igitur dicuntur peccata, sicut ibi 1. Petri 2. v. 9. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuncietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum*.

Ad idem objiciunt sic: Deus Veteris Testamenti dixit Adæ: (3) *De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas*. Gen. 2. v. 17. Aut sciebat illum transgressurum fore mandatum, aut non? Si non; ergo non erat verus Deus, cum aliquid ignoraret. Si autem sciebat illud, & tamen dabat ei mandatum, videtur ergo quod vellet eum transgredi mandatum; ergo malus. Præterea ad quid dedit?

Respondendum est ad hoc sub quæstione, quid hæreticus intelligat nomine ligni scientiæ boni & mali; ad quod non auderet respondere. Præterea quidquid intelligatur nomine ligni, non curo. Fuit ne illud mandatum bonum vel malum? Si bonum? Non est arguendus qui dedit illud, sed qui fregit. Scio autem quod non auderes dicere, quod mandatum fuerit malum, imo ejus oppositum; scilicet comedere de eo malum secundum te, qui credis, quod de ligno comedere est Evam carnaliter cognoscere.

Præterea, si Deus Veteris Testamenti non dixisset ei: *de ligno &c.* nonne (4) credis, quod si comedisset, peccasset? Scio quod credis. Quare ergo culpas eum? imo magis laudandus est, quia nocumentum ei prohibuit, & pœnam si comederet adjecit, ut saltem timore pœnæ caveret. Ex quo evidenter apparet, quod eum transgredi noluit. Sic enim dicit: Genes. 2. v. 17. *In quocumque enim die comederis ex eo morte morieris*.

(5) Præterea, quare bonus Deus præcepit Adæ illud mandatum, cum sciret eum prævaricaturum? Videtur enim, aut frustra præcepisse, aut non bonus fuisse? Istam quæstionem facit (6) B. Ambrosius in lib. de Paradiso. Ad hoc respondet: *Nam & ipse Dominus Jesus elegit Judam, quem proditorem sciebat. Sic enim dicitur* Jo: 6. v. 65. *Sciebat enim ab initio Jesus, qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum*. Præterea, *venerat Dominus Jesus*

(2) Adisis Augustinum *lib. de Genes. contra Manichæos cap.* III. *col.* 647. *Tom.* I. *Opp.*

(3) Præiverunt Catharis Marcionitæ Tertullianus *lib.* II. *cap.* V. *pag.* 383. *O canes*, inquit, *quos foras Apostolus expellit, latrones in Deum veritatis, hæc sunt argumentorum ossa quæ abroditis. Si Deus bonus, & præscius futuri, & avertendi mali potens, cur hominem; & quidem imaginem, & similitudinem suam .... passus est labi de obsequio legis in mortem circumventum a diabolo? Si enim & bonus, qui evenire tale quid nollet; & præscius, qui eventurum non ignoraret, & potens, qui depellere valeret, nullo modo evenisset, quod sub his tribus conditionibus divinæ majestatis evenire non posset*. Nec abludebant Manichæi, ut colligo ex Tito Bostrensi in *Præf. ad lib.* III. *pag.* 183. cujusmodi pleraque etiam apud Augustinum, ceterosque reperire licet, qui Manichæos totis voluminibus concidere.

(4) Adisis Tertullianum l. c. pag. 384.

(5) Non exstant hæc in Codice Bononiensi usque ad in *alteram partem*.

(6) *Lib. de Paradiso cap.* VIII.

Jesus omnes salvos facere peccatores, unde etiam circa impios ostendere suam debuit voluntatem. Et ideo nec proditurum debuit præterire, ut adverterent omnes quod in electione etiam proditoris sui, servandorum omnium insigne prætendit, idest præclarum signum, sive evidens, *nec in eo Jesus est vel Adam, quia mandatum accepit, nec Judas, quia electus est. Non enim necessitatem Deus, vel illi prævaricationis, vel huic proditionis imposuit, quia uterque si acceperat, custodisset, a peccato abstinere potuisset*.

Præterea, ideo dedit mandatum Adæ, & elegit Judam, ut liberum omnibus insinuaret arbitrium, salutis caussam, vel perditionis.

Item, quomodo Deus bonus passus est serpentem tentare Evam, cum sciret, quod ipsa caderet, & quod peccatum intraret in hunc Mundum. Respondet Ambrosius: *Utrum hæc accusatio tunc locum haberet, si ita animæ vim, & intima secreta mentis inficeret, ut nullo pacto tentationi possit resistere, & non haberet potestatem liberam declinandi in alteram partem*.

Præterea, tu qui ponis duo principia responde mihi: Deus ovium Israel qui eis dederat legem & mandata antequam peccarent, nonne sciebat illas oves venturas? Constat quod sic. Contra Hebr. 4. v. 13. *Omnia autem nuda, & aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo*. Eccles. 16. v. 20. *Omne cor intelligitur ab illo*. Videtur ergo quod voluit eas transgredi mandata sua; ergo malus eadem ratione, qua Deus Veteris Testamenti, secundum Te.

Præterea, tu qui ponis unum principium, responde mihi. De spiritu Adæ, qui venit in hunc mundum secundum te, cum esset Angelus Dei, aut venit ex præcepto Dei, aut contra? Si contra, quare dedit ei illud præceptum, cum sciret eum contra venturum? Si ex præcepto Dei; sciebat autem Deus quod male ei accideret inde; ergo voluit quod male ei accideret, ergo malus eadem ratione, quod falsum est. Dico ergo quod scienti & volenti non infertur dolus, neque violentia, unde cum Adam sciret sibi pœnam imminere, quia dictum erat ei Genes. 2. v. 17. *In quocumque enim die, &c.* cum voluntarie venerit contra, non Deo, sed ei soli imputandum est; unde Eccles. 15. v. 20. *Oculi Domini ad timentes eum, & ipse agnoscit omnem operam hominis. Nemini mandavit impie agere, & nemini dedit spatium peccandi*.

Præterea ante ibi dicitur v. 14. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata, & præcepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit Tibi aquam, & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei dabitur illi: quoniam multa Sapientia Dei, & fortis in potentia; videns omnes sine intermissione*. Et nota, quod dicit, *vita, & mors*, ista sunt duo ligna, scilicet lignum vitæ, & lignum scientiæ boni & mali, ad cujus esum sequebatur mors, secundum quod Dominus comminatus est.

Item habes Eccles. 17. v. 1. *Deus creavit de terra hominem, & secundum imaginem suam fecit illum*, ubi exprimitur historia Dei Veteris Testamenti: Item Jeremiæ 21. v. 8. *Hæc dicit Dominus: Ecce ego do coram vobis viam vitæ, & viam mortis. Qui habitaverit in urbe hac morietur gladio, & fame, & peste: qui autem egressus fuerit, & transfugerit ad Chaldæos, qui obsident vos, vivet, & erit ei anima sua, quasi spolium*. (7) [*] Non dicitur autem lignum scientiæ boni & mali, ut hæreticus credit, exponens illud de Eva; sed quia edendo de illo experimentaliter scitum est, quantum malum sit non obedire. Rom. 5. v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*. Et sic persequens, scitum est quantum bonum fuisset obedire. Et nota quod verbo prædicto Apostoli concordat verbum Domini Genes. 2. v. 17. *In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*; morte scilicet culpæ, moriemini morte pœnæ in corpore. Rom. 8. v. 10. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum*. [*]

Item, ego quæro quid intelligatur per lignum scientiæ boni & mali? Si dicat quod Eva, sicut sua opinio est. Contra. Unde hoc habes? Nullo testimonio potes ostendere.

Præterea, quod istud falsum sit, patet. Prius enim fuit Paradisus cum ligno scientiæ boni & mali, & lignum vitæ, quam Adam, ut habetur ex Gen. ergo prius fuit lignum scientiæ boni & mali, quam Eva ex homine facta; ergo lignum illud non fuit Eva.

Præterea, ex verbis serpentis cum Eva evidenter id apparet. Tertio enim cap. dixit mulieri v. 1. *Cur præcepit vobis Dominus, ut non comederetis ex omni ligno paradisi?* Similiter ex verbis ejus cum serpente, ut ibidem habetur; ergo Eva non fuit illud lignum.

Præterea, si lignum esset mulier, & mulier inde comederet, de seipsa comederet, & sic secum coiret, secundum Te. Comedere enim intelligis carnale opus facere, quod falsum esse patet ex eo, quod concedit ei de omni alio ligno edere.

Præterea, quod lignum non sit ipse serpens, vel Diabolus, patet ex verbis prædictis, nempe cap. 2. v. 8. *Plantaverat autem Dominus, &c.* Et ex verbis serpentis cum Eva, & e contrario.

Quæro etiam, quis fuerit fructus ligni, de quo tulit mulier, & comedit inde, & dedit viro suo? Si dicat quod fuit concubitus, (8) Adæ cum Eva, & e contrario, hoc stare non potest, quia ut dicit littera cap. 3. v. 6. Mulier *tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro suo*. Prius ergo comedit, quam vir.

Si dicat, quod prius comedit de fructu ligni, quia prius concubuit cum serpente; ergo serpens erat lignum, quod stare non potest; ut patet ex littera.

Præ-

(7) Desunt hæc ex codicibus Bononiensi, & Vaticano usque ad *Propter peccatum*.

(*) Deest in Bonon. & in Vat.

(8) Vide Notam 7. *ad cap. 1. Secundi Libri*.

Præterea, proba quod dicis. Quod cum facere non poſſis, conſtat vanum eſſe quod dicis, & ſomnium tantum.

Dicunt etiam Cain natum ex concubitu Evæ & ſerpentis, volentes hoc habere ex eo, quod dicitur 1. Johan. 3. v. 11. *Hæc eſt annunciatio, quam audiſtis ab initio, ut diligatis alterutrum.* v. 12. *Non ſicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit Fratrem ſuum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant, Fratris autem ejus juſta.* Hoc autem ſtare non poteſt. Dicitur enim Geneſ. 4. v. 1. *Adam vero cognovit uxorem ſuam Evam, quæ concepit, & peperit Cain.* Qualiter autem Cain eſſet ex maligno, patet, quia imitatione, quia homicida, ſicut & ille, ut habetur Jo: 8. unde exponens Jo: quod dixerat: ex *maligno erat*, ſubdit: *& occidit Fratrem ſuum.*

Præterea ibi aſſignatur contrarietas inter eos, & dicitur: *propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant, Fratris autem juſta*; Ergo Abel bonus; quod verum eſt teſte Domino Matth. 23. v. 35. *A ſanguine Abel juſti, uſque ad ſanguinem, &c.* Quomodo ergo Frater illius, ſi ille de gente Diaboli erat, ipſe autem non, ſed juſtus?

Ad idem inducunt illud Geneſ. 1. v. 27. *Maſculum & fœminam creavit eos.* ita dicitur de Deo Veteris Teſtamenti. E contrario dicitur de Deo Novi Teſtamenti Gal.3.v.28. (9) *Non eſt maſculus, neque fœmina*, ſupple in Chriſto. Item Coloſ. 3. v. 10. *Induentes novum, eum, qui renovatur in agnitionem, ſecundum imaginem ejus, qui creavit illum*, ubi non eſt maſculus, & fœmina.

Ad hoc reſpondendum ponentibus duo principia. Quare ergo Jerem. 29. v. 6. conſuluit illis, qui transmigraverunt in Babylonem dicens: *Accipite uxores, & generate filios; & filias: & date filiis veſtris uxores, & filias veſtras date viris, & pariant filios & filias?*

Præterea, quomodo diceret Apoſtolus 1. Cor. 11. v. 11. *Neque vir ſine muliere, neque mulier ſine viro in Domino?* Multa etiam talia poſſent ad idem induci.

Præterea, omnibus reſpondeas: Si ad litteræ ſonum verba Apoſtoli vis accipere, eadem ratione in Chriſto non erit neque Judæus, neque Græcus. Quomodo ergo dicit Apoſtolus Rom. 1. v. 16. *Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti; Judæo primum, & Græco?* Item Rom. 3. v. 29. *An Judæorum Deus tantum? nonne, & Gentium?*

Præterea, ſecundum hoc, non erat aliquis ſervus, neque liber in Chriſto. Quomodo ergo dicit B. Petrus: *Servi, ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis.* 1. Pet.2.v.18. Dico ergo quod Apoſtolus per illa verba volebat oſtendere, quod propter Judaiſmum, vel Gentilitatem, item propter conditionem libertatis, vel ſervitutis, & propter ſexus varietatem, non eſt unus alio excellentior ad induendum Chriſtum in baptiſmo, unde ſubdit Apoſtol. ad Gal. 3. v. 28. *Omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu*, id eſt indifferentes, inde Rom. 3. v. 9. quærit Apoſtolus in Perſona Judæorum: *præcellimus eos?* id eſt Gentiles, & ſolvit, nequaquam. Similiter intelligitur illud Col. 3. v. *ubi non eſt maſculus & fœmina &c.* ubi dicit, ideſt induendo ſe novum hominem, nihil horum nocet, vel utile eſt.

Ad idem inducunt illud Geneſ. 3. v. 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius*, ideſt mulieris. Ecce Deus Veteris Teſtamenti ſeminator eſt diſcordiæ & inimicitiæ. Deus autem Novi Teſtamenti dator eſt pacis, & ſolutor inimicitiæ, ſicut legitur Coloſ. 1. v. 19. *Quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare: & per eum reconciliare omnia in ipſum.*

Reſpondeo. Numquid iſtæ inimicitiæ inter mulierem, & ſerpentem bonæ (10) erant? Conſtat quod ſic. Quare ergo inculpas Deum Veteris Teſtamenti inde?

Præterea, numquid Apoſtolus loquebatur: de reconciliatione, & amicitia inter mulierem, & ſerpentem, ſive Diabolum, vel de reconciliatione hominis ad Deum? Conſtat, quod non primo modo, ſed ſecundo: unde 2. Cor. 5. v. 20. *Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Reconciliatio autem cum Deo, eſt inimicitia cum ſerpente, ſive Diabolo; ergo Deus Novi Teſtamenti ponit inimicitias inter Diabolum, & mulierem.

Ad idem inducunt illud Gen. 3. v. 22. (11) *Nunc ergo ne forte mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum.* Ecce quod Deus Veteris Teſtamenti prohibet eſum ligni vitæ; ſed Deus Novi Teſtamenti Apoc. 2. v. 17. dicit: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ*: contrarius ergo eſt illi.

Reſpondeo. Cui promittitur? Conſtat quod nonniſi Vincenti. Sed numquid Adam erat talis? Non; imo victus. Sed numquid victus debet edere de ligno vitæ? Non. Unde Matth. 7. v. 6. *Nolite dare ſanctum canibus.* In quo convenit cum Deo Veteris Teſtamenti. Ergo bonus Deus, qui compeſcuit victum ab eſu ligni vitæ; ergo Deus Veteris Teſtamenti bonus.

Ad idem illud Geneſ. 3. v. 22. *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum.* Sed Adam tunc non erat factus niſi peccator, & malus, & erat tunc factus, ut ille qui loquebatur; ergo ille erat peccator, & malus, ſcilicet Deus Veteris Teſtamenti. Deus autem Novi Teſtamenti bonus, unde: Lucæ 18. & Marci 10. *nemo bonus, niſi ſolus Deus.*

Reſ-

(9) Verba hæc: *ubi non eſt maſculus, & fœmina* non ſunt Pauli ſed Monetæ, expreſſa tamen ex Epiſtola Pauli ejuſdem ad *Gal. cap.* III. v. 28.

(10) Conſulitor Auguſtinus *lib.* II. *de Gen. Contra Manichæos cap.* XVIII. *n.* 28. *col.* 676.

(11) Abutebantur perinde hoc eodem Geneſeos textu Manichæi veteres; ſed ab Catharis aliquatenus diſcrepabant: Nam Titus Boſtrenſis *in Proœm. ad lib.* III. *pag.* 138. Sic Manetem diſſerentem inducit: *Quomodo Deum decet, ut dicat. Ecce Adam factus eſt, tamquam unus ex nobis, ſciens bonum, & malum. Nunc autem ne forte mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum? Si enim poterat recuperare immortalitatem, invidus fuit, qui ex paradiſo virum ejecit, & a participatione ligni vitæ excluſit, cujus ſi particeps fuiſſet, ſemper participationem habere poterat.*

Respondeo, ironice loquitur, (12) non assertive Angelis suis Deus Veteris Testamenti, quasi dicat. Adam comedit, ut esset, sicut Deus sciens bonum, & malum, sed patet, quod non est ita; neque ex hoc modo loquendi culpandus est. Similem enim modum loquendi, invenio in Deo Novi Testamenti: Matth. 23. v. 37. *Verebuntur filium meum*. Quod ironice, & non assertive necessario accipiendum est, cum constet Judæos, de quibus ibi loquebatur nequaquam filium ejus reveritos fuisse; quem occiderunt suspendentes in ligno.

Si vero dicas ibi debere esse *forsitan*, ut scias eundem modum loquendi esse in Deo Veteris Testamenti, audi, quod dicit Apostolus 1. Cor. 4. v. 8. *Jam saturati estis jam divites facti estis: sine nobis regnatis: & utinam regnetis, ut & nos vobiscum regnemus*. Ubi patet Apostolum non assertive loqui, sed ironice, immo Christum in Apostolo.

Ad idem inducunt illud Genes. 3. v. 17. *Maledicta Terra in opere tuo*. Ecce iste maledicit terram suam, sed Deus Prophetarum, qui est Deus Novi Testamenti benedicit suam, unde David Psalm. 84. v. 2. *Benedixisti Domine terram tuam*, Et ita sunt contrarii Dii, Deus Veteris Testamenti, & Deus novi.

Respondeo, Idem est Deus hinc & inde, qui benedixit primo terram, idest eam bonam fecit solo verbo, unde ipse dixit, & facta sunt, ut dicit David; quem induxisti; sed propter peccatum hominis fecit eam malam; idest pœnalem, (13) unde sequitur ibidem Genes. 3. v. 17. *In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: spinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ: In sudore vultus tui vesceris pane tuo*. Quod autem propter peccatum hominis terra fiat sterilis, & homini pœnalis, patet per David, quem induxisti: 136. v. 39. *Posuit terram fructiferam in salsuginem &c.*

Item Jer. 26. v. 4. *Si non audieritis me, ut ambuletis in lege mea, quam dedi vobis* v. 5., *ut audiatis sermones servorum meorum Prophetarum, quos ego misi ad vos de nocte consurgens, & dirigens, & non audistis*, v. 6. *dabo domum istam sicut silo, & urbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus*. Item Thre. 2. v. 7. *Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ &c. tradidit in manu inimici muros turrium ejus*; ergo Deus Novi Testamenti, & Deus Prophetarum maledixit res suas. Quare ergo inculpas Deum Veteris Testamenti?

Item 1. Cor. 96. v. 22. *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum sit anathema*. Item Gal. 1. v. 9. *Si quis vobis evangelizaverit præter id, quod accepistis, anathema sit*.

Ad idem inducunt illud Genes. 6. v. 7. *pœnitet enim me fecisse hominem*. Ecce quod pœnitentia cadit in Deum Veteris Testamenti, & dolor, quia dicit: *& tactus dolore cordis intrinsecus*, & ita mutatio in Deum cadit, cum e contrario dicat Jacobus de Deo Novi Testamenti: Jacob. 1. v. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obrumbratio*.

Respondeo. Non cadit dolor, vel pœnitentia in Deum, sed dicitur dolere, vel pœnitere, quia facit ad modum pœnitentis, vel dolentis de opere, (14) cum illud destruit. Similiter & Deus, quem bonum ponis, cum tamen alius non sit, hominem, quem fecerat, destruxit propter peccata sua, unde Eccles. 17. v. 1. *Deus creavit de terra hominem, & secundum imaginem suam fecit illum*. v. 2. *Et iterum convertit illum in ipsam*.

Præterea, si tu vituperas Deum Veteris Testamenti, quia pœnitentia, vel dolor in eum cadat, vitupera igitur Deum Prophetarum, & Deum Novi Testamenti, cui in scripturis dolor, & pœnitentia assignatur, unde Jerem. 26. v. 2. & seqq. *Noli subtrahere verbum: si forte audiant, & convertantur unusquisque a via sua mala; & pœniteat me mali quod cogito facere eis propter malitiam studiorum eorum*.

Item ibidem dicitur circa medium cap. v. 13. *Nunc ergo bonas facite vias vestras, & studia vestra, & audite vocem Domini Dei vestri: & pœnitebit Dominum mali, quod locutus est adversum vos*. Item Psalm. 105. v. 45. *Memor fuit testamenti sui: & pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ*.

De dolore Dei habetur Isaiæ 1. v. 24. *Heu, consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis mei*. v. 25. *Et convertam manum meam ad te*. *Heu* interjectio dolentis est.

Item Ephes. 4. v. 30. *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptioni*.

Item, quare non attendis mecum præcedentiam, & caussam, quare hoc dixit Deus: *pœnitet me fecisse eos?* Genes. 5. v. 5. & seqq. Quæ fuit caussa nisi peccatum? Ibi enim dicitur parum ante: *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore: pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra, & tactus dolore cordis intrinsecus dixit: pœnitet enim me fecisse eos*. Et sic apparet quod peccata displicebant ei; ergo est Deus cui displicet iniquitas, & placet æquitas, ergo ex illa auctoritate: *pœnitet me*, *&c.* habemus, quod Deus Veteris Testamenti est bonus Deus.

Ad idem inducunt illud Genes. 6. v. 2. *Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegeraut*. Ecce quod isti peccaverunt, & ita ex Diabolo sunt. Sed e contrario dicitur. 1. Johan. 3. v. 9. *Omnis, qui natus est ex Deo peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. In hoc manifesti sunt filii Dei*,

(12) Adeundus Augustinus *lib.* II. *de Genes. Contra Manich. cap.* XXII. *col.* 678. *Tom.* I. *Opp. & lib.* I. *Contra Adversarium Legis & Prophetarum cap.* XV. *col.* 559. *seq. Tom.* VIII. *Opp.*

(13) Hoc idem responsionis genus adhibet Johannes Chrysostomus *Homil.* XVII. *in Gen. pag.* 148. *Tom.* IV. *Opp. Edit. Montfauc. Paris.*

(14) Adposite Johannes Chrysostomus: *Homil.* XXII. *pag.* 200. *Vide*, inquit, *Verbum crassum, & nostræ parvitati idoneum* Secum reputavit, *inquit*, *pro* pœnituit; *non quod pœnituerit Deum, absit; sed secundum humanam consuetudinem loquitur nobis divina Scriptura, ut nos doceat, enormia illorum peccata Clementem. Deum in indignationem concitasse*.

Dei, *& filii Diaboli*. Quem nomine Dei volunt intelligi hic *videntes &c.*

Respondeo. Hoc solutum est supra in alio cap. de duplici creatione: qui natus est ex Deo nativitate gratiæ, manens in illa nativitate non peccat. Ibi autem posita est ratio expositionis.

Præterea si tu simpliciter dicas mihi: *Omnis qui natus est &c.* & ego tibi objicio illud Lucæ 15. v.27. De filio prodigo, qui peccavit, unde ait: *Pater peccavi in cælum*, *& coram te*. Item de ovibus Israel, patet, quoniam ex Deo natæ sunt, & tamen peccaverunt, ut dicitur Rom. 3. v. 23. *Omnes enim peccaverunt*, *& egent gloria Dei*.

In auctoritate Genes. inducta, nomine Dei intelligitur ibi Seth, (15) qui fuit colens Deum, unde alia littera ponit Deorum, alia potentum. Similiter Johan. 10. v.35. *Si illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est*, *& non potest solvi Scriptura*. *Quem Pater sanctificavit*, *& misit in mundum*, *vos dicitis*: *quia blasphemas*: *quia dixi filius Dei sum*? Filias hominum dicit illas, quæ sunt de stirpe Cham, & dicuntur homines, sicut 1. Cor. 3. v.3. *Cum enim sit inter vos zelus*, *& contentio*: *nonne carnales estis*, *& secundum hominem ambulatis*?

Ad idem inducunt illud Genes. 9. v. 1. *Benedixitque Deus Noe*, *& filiis ejus*. *Et dixit ad eos*: *Crescite*, *& multiplicamini*, *& replete terram*. Idem dixit primo homini, & Evæ Genes. 1. Sed e contrario dicitur Lucæ 23. v.29. *Beatæ steriles*, *& ventres quæ non genuerunt*.

Respondeo. Imo dixit 1. Timoth. 2. 15. *Salvabitur autem mulier per filiorum generationem*. Item c.5. v.14. *Volo ergo juniores nubere*, *filios procreare*, *matresfamilias esse*.

Ad idem inducunt illud Genes. 17. v.14. *Masculus*, *cujus præputii caro circumcisa non fuerit*, *delebitur anima illa de populo suo*. E contrario Apostolus prohibet Gal. 5. v.2. *Si circumdamini*, *Christus vobis nihil proderit*; ergo contrarii sunt.

Solutio. Deus Veteris Testamenti, qui idem est cum Deo Novi Testamenti præcepit circumcisionem ad tempus, idest usque ad Christum, sicut & alia legalia Sacramenta, unde Matth. 11. v. 13. *Omnes enim Prophetæ*, *& lex usque ad Johannem*. Sic ergo usque ad Christum, quia quasi contemporanei fuerunt; parum enim præcessit Johannes Christum. Item Rom. 10. v. 4. *Finis enim legis Christus*, idest terminus. Apostolus autem videns hoc quod terminus esset legis, dixit Gal. 5. v. 2. *Si circumcidamini*, *Christus vobis nihil proderit* loquens pro tempore usque ad quem data fuit in signum. Unde Rom. 4. ubi loquitur de Abraham dicitur. 11. *Et signum accepit circumcisionis*, *signaculum justitiæ fidei quæ est in præputio*, *ut sit Pater omnium credentium per præputium*, idest in statu præputii. Sed quam circumcisionem accepit Abraham, nisi materialem? Et a quo accepit eam in signum, & signaculum fidei? Item a quo accepit eam in signum hujus justitiæ, ut sit Pater omnium credentium per præputium? Numquid a Diabolo? Non. Ergo a Deo justo & sancto: pessime ergo eum inculpas. Constat autem quod signum erat circumcisio illa circumcisionis a culpa in anima, & a pœna in corpore. Prima fit in Ecclesia per baptismum, & pœnitentiam. Secunda autem facta est in capite nostro, idest in Christo, & fiet in membris ejus in die judicii, scilicet quando *hoc corruptibile induet incorruptionem* 1. Cor. 15. v.53. Adveniente autem re non est curandum de umbra.

Illud vero quod sequitur in Genes. post auctoritatem inductam, sic expono. Genes. 17. v. 14. *pactum meum irritum fecit*; pactum scilicet de non frangendo illo mandato: Genes. 2. v. 17. *de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas*. Dicitur autem illud pactum fregisse, quia ex illo fracto traxit peccatum originale, & loquitur eo modo, quo Apostolus; imo idem Deus in Apostolo Rom. 4. v. 12. & seqq. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit*, *& per peccatum mors*, *& ita in omnes homines mors pertransiit*, *in quo omnes peccaverunt*. Item Oseæ v. 7. *Sicut Adam transgressi sunt pactum* meum, idest *prævaricati sunt in me*. Ecce quod idem est modus loquendi in Deo Veteris Testamenti, & novi, & prophetarum. Nec mirum, quia idem est.

Ad idem inducunt illud Exodi 3. v.21. & 22. (15) *Daboque gratiam populo huic coram Ægyptiis*, *& cum egrediemini*, *non exhibitis vacui*. *Sed postulabit mulier a vicina sua*, *& ab hospita sua*, *vasa argentea*, *& aurea*, *ac vestes*, *ponetisque eas super filios*, *& filias vestras*, *& spoliabitis Ægyptum*. Item Exodi 12. v. 50. *Feceruntque filii Israel sicut præceperat Dominus Moysi & Aaron*. Ecce Deus Veteris Testamenti suadet rapinam facere: Deus autem Novi Testamenti *non rapinam arbitratus est*, *ut dicitur* Philip. 2. v. 6.

Solutio. Ex verbis istis, nihil mali potest imputari Deo Veteris Testamenti. Non enim vult littera, quod vi, aut dolo aliquid tulerit ex Ægypto: imo magis innuit, quod gratis habuerunt quæ tulerunt secum. Duo enim dicit: Postulet & dabo gratiam. Si postulabant, ergo non tollebant per violentiam. Item si per gratiam habuerunt, ergo non fuit ibi fraus.

Si autem objicias: imputari potest ei, quia dixit: *spoliabitis*, quod sonat in malum. Accusa ergo Deum Novi Testamenti, qui in Paulo similiter faciebat 2. Cor. 11. v. 8. *Alias Ecclesias expoliavi*, *accipiens stipendium ad ministerium vestrum*.

Præterea, ut dicitur in lib. Sapientiæ 10. v. 20. *Justi*

(15) Neminem opinor præterit: Patres aliquot veteres in ea fuisse opinione constitutos, ut Angelos Dei accepisse filias hominum in uxores, atque ex iis filios procreasse censerent; quod pro *filii Dei*, Septuaginta legant, *Angeli Dei*. Verum ceteri omnes Sethoprognatos *filiorum Dei* nomine indicari contendunt. Videsis Johannem Chrysostomum *Hom.* XXII. *in Genes. pag.*196. & ex recentioribus Benedictum Pererium *Tom.* II. *in Genes. lib.* VIII. *cap.* VI. *pag.* 6. *seqq. Edit. an.* 1592.

(15) Nempe a Veteribus Gnosticis, & Manichæis mutuati sunt hoc argumenti genus Cathari, quos noster exagitat. Tertullianus *lib.* II. *Contra Marcionem cap.* XX. *pag.* 392. Hæreticum vexat his verbis: *Ingenia tenebrarum objicientia creatori vel maxime fraudem illam*, *& rapinam auri*, *& argenti*, *mandatam ab illo Hebræis in Ægyptios*. Adi-sis Auctorem Dialogi Contra Marcionitas, qui sub Eugenii nomine circumfertur *Sect.* I. *pag.* 811. *Tom.* I. *Opp. Orig. Edit. Nov.* & Epiphanium *Hæres.* LXVI. *Contra Manich. num.* 71. *pag.* 692. *Tom.* I. *Opp.* Theodoretum *Interrog.* XXIII. *in Exod. pag.* 89. *in Genes.*

Justi tulerunt spolia impiorum. Ecce quod justi dicuntur, quamvis illorum spolia haberent.

Præterea ipsi sciebant eos exire cum vasis suis, & urgebant eos exire, ut dicitur 12. cap. Et poterant eis auferre vasa, & vestes quas dederant; ergo volebant quod illi asportarent. Scienti autem & volenti non infertur dolus.

Præterea quid dices de Deo novi Testamenti? Nonne & ille videtur tibi fur, sit & Deus Veteris Testamenti? Apoc. 3. v. 3. *Si ergo non vigilaveris veniam ad te tamquam fur, & nescies qua hora veniam ad te.* Item 16. v. 15. *Ecce venio sicut fur: Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus*. Item Johan. 4. v. 38. *Ego misi vos metere, quod vos non laborastis: alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis*.

Præterea cum ea omnia essent illius Dei juxta illud: *Domini est terra, & plenitudo ejus*; & Aggæi 2. v. 9. Psalm. 23. v. 1. & 1. Cor. 10. *Meum est argentum, & meum est aurum*; cur non licuit ei facere de re sua quod voluit; quemadmodum etiam dicit Deus Novi Testamenti: *Aut non licet mihi, quod volo facere?* Matth. 20. v. 15. Dominium igitur Dei excludit rapinam.

Præterea cum Hebræi liberi multo tempore Ægyptiis servissent, (16) quare non juste potuerunt, jubente Deo mercedem sui laboris vendicare? unde Sapient. 10. v. 17. *Et reddidit justis mercedem laborum suorum*. Ibi enim loquitur de filiis Israel.

Præterea de spoliis Zachariæ 14. v. 1. & seqq. *Ecce veniet dies Domini, & dividentur spolia tua in medio tui. Et congregabo omnes gentes ad Hierusalem in prælium, & capietur civitas, & vastabuntur Domus, & mulieres violabuntur: & egredietur media pars Civitatis in captivitatem, & reliquum populi non auferetur ex urbe. Et egredietur Dominus, & præliabitur contra gentes illas, sicut præliatus est in die certaminis*. Ecce qualis est Deus Prophetarum qui est Deus Novi Testamenti. Heb. 1. v. 1. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum*.

Ad idem inducunt illud Matthæi (17) 5. v. 43. *Audistis, quia dictum est antiquis: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*. Sed constat quod hoc dictum est a Deo Veteris Testamenti: Deus autem Novi Testamenti dicit: *Diligite inimicos vestros*, igitur contrarii sunt sibi.

Solutio. Verum est, quod dictum est antiquis a Deo Veteris Testamenti: *Diliges proximum tuum*. Sed *odio habebis inimicum tuum* hoc asserit eis Dominus dictum, sed a quo dictum sit, non dicit, quia in tota lege hoc non invenies scriptum. Potest tamen esse, quod aliqui præsumptores & hæretici tunc temporis, quia invenerunt scriptum: (18) *Diliges proximum tuum*, a contrario sensu voluerunt inferre: *& odio habebis inimicum tuum*. Sed contrarium invenies dictum a Deo Veteris Testamenti Exod. 23. v. 4. *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum*. Et ibid. v. 5. *Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo*. Item Lev. 19. v. 17. *Non oderis Fratrem tuum in corde tuo*. Et iterum: *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum*. Ecce Deus Veteris Testamenti Sanctus & pius idem dixit, quod Deus Novi Testamenti, scilicet: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos*; quo non solum vult, ut non ulciscamur injuriam illatam, sed etiam ut non meminerimus eam.

Ad idem inducunt illud Matthæi 5. v. 38. (19) *Audistis, quia dictum est: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi alteram*. Ecce ille Deus vindictam, iste veniam imperat; igitur contrarii sunt.

Solutio. Ad hoc, & ad omnia similia, quæ reperiuntur in Evangelio, quæro prius, si est adversativum & destructivum præcedentium? Si dicit, ita est. Contra sic dicitur. *Audistis quia dictum est antiquis: non occides: qui autem occiderit reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur Fratri suo, reus erit judicio &c.* Si autem est adversativum & destructivum præcedentium, idem est dicere: quidquid dictum fuerit antiquis, illo dimisso, facite quæ dico; ergo propter hoc licet occidere, & sic de similibus. (20)

Præ-

(16) Hoc unum est responsum quo utuntur contra Manichæos, & Gnosticos Theodoretus & Tertullianus. Nam quæ ante adhibuit Moneta, etsi ad incitas plane redigant Catharos, usurpari a veteribus minime poterant, quippe cum Marcionitæ, & Manichæi non Sapientiam solum, verum etiam Apocalypsin contemnerent, quos tamen libros Cathari vehementer probabant. Consulendi Tertullianus & Theodoritus locis indicatis notatione superiore.

(17) Paria Catholicis objiciebant Marcionitæ & Manichæi veteres; atque iisdem fere verbis: Nam apud Auctorem Dialogi, qui Origeni adscriptus ab aliquot scriptoribus est: sic Adamantium Megetius Marcionita aggreditur: *Dominus legis ait*, diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum. *At Dominus Noster qui bonus est, dicit*: Diligite inimicos vestros, & orate pro persequentibus vos. Consulendi Irenæus *lib.* IV. *Contra Hæres. cap.* XIII. *al.* XXVI. *pag.* 242. *Edit. Paris. Massuet.* Et Faustus Manichæus apud Augustinum *lib.* XIX. *Contra Faustum cap.* III. *col.* 314. *Tom.* VIII. *Opp.*

(18) Perinde Auctor mox indicati Dialogi legem in hoc Evangelio consonare pugnat. l. c. Non discrepat Augustinus *lib. eodem cap.* XXIII. *seq. col.* 326.

(19) Abutebantur etiam Gnostici hoc Evangelii testimonio, quod ex Ptolemæi Hæresiarchæ ad Floram Epistola, quam refert Epiphanius Hæres. XXXIII. quæ est Ptolemaitarum *cap.* III. *seq.* plane liquet. Verum hujusce hæretici sententia aliquanto est discrepans ab Catharorum opinione. Aditor l. mox indicato Epiphanius. Ac Junioribus quidem Veteres Manichæi facem prætulerant. Testem adhibeo locupletem Augustinum; qui cum sæpe alias, tum *lib. Contra Adimantium Manichæi discipulum cap.* VIII. *col.* 119. *Tom.* VIII. *Opp. De eo*, inquit, *quod scriptum est in Exodo*: Oculum pro oculo &c. *& cetera talia. Huic loco Manichæi, quod in Veteri lege par permittitur .... sic calumniantur, quasi & ipse Dominus hæc duo sibi veluti adversantia atque contraria in Evangelio demostraverit*.

(20) Etsi solidum sit hoc Monetæ responsum, discrepat tamen aliquanto ab eo, quod Veteres adhibuere. Nam Augustinus loco indicato notatione superiore, ostendi quidem his testimoniis discrepantiam duorum testamentorum ultro fatetur, quæ tamen ab uno eodemque Deo constituta sint. Judæis enim, qui *passionibus carnalibus* implicati essent, adeoque ad vindictam propensi, ne multo amplius pœnas exigerent, quam esset injuria cuiquam illorum conflata, datum fuisse a Deo, primum lenitatis gradum: *ut injuriæ acceptæ mensuram nullo modo dolor vindicantis excederet*. Huic porro gradui superpositum ab eodem Deo fuisse alterum; *ut qui jam occiderat non ampliorem vindictam quam quisque læsus esset, reddere, placata mente totum se donare gauderet*. Id autem factum quo tempore per Evangelii gratiam ad summam pacem populum deducebat Christus. Eodem fere spectant, quæ habet auctor *Dialogi Contra Marcionitas sect.* 1. *pag.* 814. *Tom.* 1. *Opp. Origen.*

Præterea, quomodo intelligis; *non resistere malo?* Nonne si videris infantem occidi, aut adulterium committi, nonne resistes illi malo, dummodo sine læsione proximi, & percussione? Constat quod sic; ergo necesse habes dicere; *non resistere malo*, idest revindicare; & ita verum est. Sed hoc idem præcepit Deus Veteris Testamenti Levit. 19. v. 18. *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ Civium tuorum &c.*

Dico autem quod illud est consilium, *non resistere malo*; & non præceptum, quod probatur per hoc quod sequitur v. 39. *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, prebe illi & alteram.* Hoc enim in re Christus non servavit, sed dixit: Jo: 18. v. 23. *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: Si autem bene, quid me cædis?*

Si dicis; Deus non adstringitur legibus:

Contra. Numquid Christus veniret contra verbum suum?

Præterea audi Apostolum ejus Paulum Act. 23 v. 3. cum percuteretur non præbuit maxillam, sed dixit: *percutiat te Deus, paries dealbate*, quod non fuit præbere maxillam; Lib. 5. c. 5. & 12. de hoc habetur. Quod autem debeat ibi esse percutiat, & non *percutiet*, vel quod animo maledicendi hoc dixerit, probatur per hoc quod sequitur v. 4. *Summum Sacerdotem Dei maledicis?* Paulus autem non dixit: non male dixi, sed (v. 5.) *Nesciebam Fratres, quia Princeps est Sacerdotum. Nesciebam* dicit, idest non approbo eum. Ideo autem non placebat ei, quia contra legem præcipiebat eum percuti. Quod autem ita sit, patet ex vi litteræ: *Scriptum est enim: Principem populi tui non maledices.* Dicas mihi si potes, cujus caussam notat quod dicit: *Scriptum est enim &c.?* Constat autem quod ex nullius ibi positi caussam potest notare, qualitercumque velis intelligere quod dixit: *Nesciebam &c.* Oportet igitur quod notet caussam alicujus subintellecti v.g. hujusmodi: Si enim scivissem eum, non maledixissem, quia *scriptum est &c.* Ex his ergo patet hoc esse consilium non præceptum.

Ad idem inducunt illud quod dicitur de occisore Exodi 21. (21) v. 23. *quod reddet animam pro anima*; e contrario dicitur Lucæ 9. v. 56. *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.*

Respondeo; quomodo sumitur anima in Luca? Si pro vita ista corporali? ergo ista vita a Deo bono est; & ad ipsam salvandum missus est Christus, & ita corpora ista resurgent. Si pro spiritu humano? non est ergo ibi contrarietas aliqua. Ad illud quod dicitur in Veteri Testamento: *reddet animam pro anima*; ibi enim sumitur pro vita corporali, sicut Act. 20. v. 24. *Nec facio animam meam pretiosiorem quam me &c.*

Ad idem inducunt illud Jo: 1. v. 18. *Deum nemo vidit unquam*: & 1. ad Timoth. 6. *quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Sed e contrario de Deo Veteris Testamenti habetur num. 12. v. 6. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad eum. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei; & palam non per ænigmata & figuras Dominum videt.*

Solutio, si est de illis, qui ponunt duos creatores, & oves Israel fabulantur fuisse animas in cælo creatas, & per peccatum ibi factum huc venisse, & per pœnitentiam in corporibus istis fore salvandas;

Respondendum est sic. Quid ergo de ovibus Israel? Nonne Deum viderunt? Israel enim interpretatur: videns Deum. Dic ergo quod nullus homo in statu mortalitatis Deum vidit, unde Deus Veteris Testamenti Exod. 23. *non enim videbit me homo & vivet*, vita dico mortali; sed dicitur fuisse visus in subjecta creatura; in Angelo enim visus est. Sic testatur Stephanus Act. 7. v. 30. & seqq. *Apparuit illi in deserto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi. Moyses autem videns admiratus est visum. Et accedente illo ut consideraret, facta est ad eum vox Domini dicens: Ego sum Deus Patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob.* Idem etiam patet per illud Galat. 3. *Lex ordinata per Angelos in manu mediatoris.* Et illud Jo: 14. v. 8. cum Philippus diceret: *Domine ostende nobis Patrem & sufficit nobis. Dicit ei Jesus: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me? Philippe qui videt me, videt & Patrem.* Constat autem quod Pater non videbatur in sua Persona, sed in Christo in quo erat, unde & ait; v. 11. *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est?* Si dicat illum Angelum fuisse mentitum; per consequens Deum, qui eum misit, quia dicebat: *Ego sum Deus Patrum tuorum, Deus Abraham &c.* dicat & Angelum qui apparuit Johanni esse mentitum. Sic enim legitur Apocalypsis ult. *Et postquam audissem & vidissem, cecidi ut adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendebat.* Et postea paucis interpositis: *Ego sum Alpha & Omega, primus & novissimus; principium & finis.* Nonne Apocalypsis 1. idem dicitur loquens *per Angelum suum servo suo Johanni.*

Præterea Apostolus Hebr. 11. v. 26. dicit Deum illum invisibilem quem Moyses sustinebat in regimine illius Populi, qui multum erat gravis ei, unde de Moyse loquens ait: *invisibilem enim tamquam videns sustinuit.* (22)

Ad idem inducunt illud Levitici 26. v. 7. *Persequemini inimicos vestros.* At contra Deus Novi Testamenti. Matth. 5. v. 9. *Beati qui persecutionem patientur propter justitiam.* Et 10. *Cum autem persequuntur vos in civitate ista, fugite in aliam.* Ille docuit & permisit suos persequi alios; iste fugam docuit, & persecutionem pati ab aliis eis permisit.

Respondeo; Deus Novi Testamenti dicit: *Beati &c.*

(21) Confer, quæ disputat Augustinus *lib.* I. *Contra Adversarium Legis & Prophetarum cap.* XVI. *seq. col.* 561. *seqq. Tom.* VIII. *Opp.* nam responsis Monetæ maximam affundere lucem possunt.

[22] Variæ sunt Patrum de Veteribus Patriarchis & Prophetis an Dei naturam viderint, discrepantesque sententiæ. Etsi enim Basilius, & Augustinus Mosen Dei *substantiam* intuitum fuisse asfirment, quibus prima Parte Q. XII. *Art.* XI. consentit S. Thomas; negari tamen non potest, quin Patres ceteri magnam partem hoc idem inficientur, quos Theologi in *Tract. de Visione Dei* recensent. Adeundus omnino Irenæus *lib.* IV. *cap.* XX. *al.* XXXVII. *per tot.* Jam vero utra tandem sententia admittatur, ea quidem Evangelio non repugnabit. Nam Iohannes de comprehensione disserit, dum ait *Deum nemo vidit unquam*: ut constat ex iis, quæ mox subjicit verbis: *Unigenitus qui est in sinu Patris.* Innuit quippe neminem ita ut Unigenitum intueri Patrem. Eadem porro ratione testimonium quoque Pauli intelligi debet. Atqui etsi Prophetæ vidissent Deum, numquam tamen comprehendissent, quod satis est, ut funditus evertatur Catharorum argumentatio.

&c. non tamen prohibuit quin propter juſtitiam alios perſequantur; & Filii Iſrael hoſtes ſuos propter juſtitiam perſequebantur. Cathari qui duo ponunt principia, inducunt: *Perſequemini inimicos &c.* & alia hujuſmodi.

Ad idem inducunt illud, quod dicitur: Deus Veteris Teſtamenti præcepit ſibi immolari animalia, & in illis ſacrificiis delectabatur, Levit. 6. v. 23. & num. 18. v. 29. & ibid. in pluribus locis, ſicut dicit: *in odorem ſuaviſſimum Domino*. Deus autem Novi Teſtamenti non, unde Heb. 10. v. 5. *Hoſtiam & oblationem noluiſti*; & v. 6. *Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt.* Ille Deus talia præcipit, iſte autem reſpuit; ergo contrarii ſunt ſibi.

Solutio. Propheta qui hæc verba dicit pſalm. 39. v. 9. *hoſtiam & oblationem noluiſti &c.* ad tempus gratiæ reſpicit, ideſt ad tempus Chriſti, in quo omnia talia ceſſare debuerunt: & quod ad illud tempus referantur illa verba, probatur per litteram quam inducis, quæ habetur Hebr. 10. v. 1. & ſeqq. *Ingrediens mundum dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi &c.* unde Rom. 7. v. 4. *Vos mortificati eſtis legi per Corpus Chriſti: ut ſitis alterius qui ex mortuis ſurrexit: ut fructificemus Deo*, quaſi dicat: ſeparati eſtis a figuris legalibus per ipſum figuratum. Patet ergo quod Chriſtus loquens in Propheta, hæc verba loquebatur pro tempore ingreſſus ſui in mundum. Nos autem de plano concedimus, quod omnia legalia figurata poſt adventum Chriſti ceſſare debuerunt, quemadmodum legitur Coloſ. 2. v. 16. *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbathorum* v. 17. *quæ ſunt umbra futurorum: corpus autem Chriſti*: Cibo aut potu ſumpto, vel non ſumpto ſecundum ritum Judæorum, aut in parte diei feſti non obſervata, ideſt ſi nullam particularem diem feſtivam obſervatis more Judæorum, ideſt feſti ſcilicet neomeniæ, aut ſabbathorum quæ ſunt umbra, ideſt figurabant. Quod autem dicis: delectabatur in illis ſacrificiis, ideſt in figurato eorum, ſcilicet in oblatione Chriſti. Epheſ. 5. v. 1. & ſeq. *Eſtote ergo imitatores Dei, ſicut Filii Chariſſimi: & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis.*

Ad idem objiciunt: Deus Veteris Teſtamenti dicit Geneſ. (23) 1. & 9. *Creſcite & multiplicamini, & replete terram.* Deus autem Novi Teſtamenti dicit Luc. 21. v. 23. *Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus*; & c. 23. v. 29. *Beatæ ſteriles & ventres qui non genuerunt.* Et Matthæi 5. v. 28. *qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Ecce ille præcipit coitum; iſte prohibet omnem coitum tam uxoris, quam alterius mulieris.

Solutio. Dominus non dixit: *Beatæ ſteriles*: ſed venient dies, in quibus dicent: *Beatæ ſteriles*, & prædixit deſtructionem Hieruſalem, de qua etiam legitur Lucæ 21. v. 20. & ſeqq. *Cum autem videritis circumdari ab exercitu Hieruſalem: tunc ſcitote quia appropinquavit deſolatio ejus. Tunc qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes*: & infra: *Væ autem prægnantibus & nutrientibus*; quaſi dicat: Beatæ ſteriles, quia expeditæ erunt ad fugam; *væ autem* duplex, *prægnantibus & nutrientibus in diebus illis.* Unum *væ*, quia parvuli qui habentur ad ubera, vel qui in utero ſunt, portant difficultatem fugiendi. Aliud *væ*, quia ipſos parvulos videbunt ab uberibus abſtrahi & occidi. Propter hoc nihil habes contra matrimonium, neque habes quod fœcundæ ſint maledictæ, quia dicit *Beatæ ſteriles*: dicitur enim 1. Cor. 7. v. 78. *qui matrimonio jungit Virginem ſuam, bene facit: & qui non jungit melius facit.* Ad illud Matth. 5. *qui viderit mulierem &c.* intelligi oportet de muliere (24) non ſua; dicit enim Apoſtolus 1. Cor. 7. v. 2. *Propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum virum habeat.* Et intelligitur propter fornicationem vitandam. Similis enim modus loquendi habetur Rom. 4. v. 7. *quia traditus eſt propter delicta noſtra*, ſupple tollenda.

Ad idem inducunt illud Matthæi 20. v. 25. *Scitis quia Principes gentium dominantur eorum: & qui majores ſunt poteſtatem exercent in eos. Non ita erit inter vos.* Ecce Dominus principatum prohibuit, & poteſtatem ſuper alios. Item 1. Petri 2. v. 13. *Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum.* Et e contrario Deuteronomii 15. v. 9. dicit Legislator: *Dominaberis nationibus plurimis, & nemo tibi dominabitur.*

Solutio. Lege præcedentia, & videbis cauſſam quare Domus ſic locutus eſt. Dicit enim Luc. 22. v. 24. *Facta eſt autem contentio inter eos quis eorum videretur eſſe major.* Et tunc Dominus per illa verba reduxit eos ad humilitatem. Non autem dixit, non hoc erit inter vos, ideſt prælatio, ſed *non ita erit*, ſicut & inter gentes, ideſt cum contentione, & dominandi libidine; ſed *quicumque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter, & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus. Sicut Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare* Matthæi 20. unde per hoc nihil contrarium.

Præterea dicit: *non ita erit inter vos*; ideſt inter Apoſtolos, unde dico, quod tu male dicis, qui Reges appellas Eccleſiarum Prælatos, unde etiam arguit illos, quorum unus ad dexteram, alter ad ſiniſtram ſedere volebat.

Ad idem inducunt illud Deuteronomii 15. v. 6. *Fœnerabis gentibus multis* (25) Ecce Deus Veteri Teſta-

(23) Objecerunt hæc etiam Catholicis Marcionitæ, quos priore *libro Contra Marcionem cap.* XXIX. *pag.* 380. refellit Tertullianus, quem conſuli volo.

(24) Egregie Tertullianus *lib.* I. *Contra Marcionem cap.* XXIX. *pag.* 380. *Multum differt*, inquit, *inter cauſſam & culpam, inter ſtatum, & exceſſum. Ita hujuſmodi non inſtitutio, ſed exorbitatio reprobanda eſt, ſecundum cenſuram inſtitutoris ipſius, cujus eſt tam*: creſcite, & multiplicamini, *quam &* non adulterabis, & uxorem proximi tui non concupiſces; *morte punientis & inceſtam, & ſacrilegam, atque monſtroſam in maſculos, & in pecudes libidinum ingeniam. Sed & ſi nubendi jam modus ponitur .... ejuſdem erit modum figere, qui modum aliquando diffuderat .... Is dicet*, ſupereſt ut & qui uxores habent, ſic ſint quaſi non habeant, *cujus & retro fuit*, creſcite, & multiplicamini .... *Ejuſdem finis, cujus, & initium. Non tamen ut accuſanda ceditur ſilva, nec ut damnanda ſecatur ſeges .... ſic & connubii res, non ut mola, ſecurem, & falcem admittit Sanctitatis, ſed ut matura defungi, ut ipſi Sanctitati reſervata, cui cædendo præſtat & eſſe &c.*

(25) Hoc idem vitio vertebant Deo Veteris Teſtamenti Marcionitæ. Adeundus Tertullianus *lib.* 4. *cap.* XVII. *contra Marcionem pag.* 430.

Teſtamenti concedit uſuram. Deus autem Novi Teſtamenti prohibet. Luc. 6. v. 35. *mutuum date, nihil inde ſperantes*; ergo contrarii ſunt ſibi.

Solutio. Fœnerari æquivocum eſt ad mutuum, & ad uſuram. Cum autem dixit: *Fœnerabis gentibus multis*, intelligendum eſt ex ipſa vi litteræ, ideſt mutuaberis; ſequitur enim; *& ipſe a nullo accipies mutuum*. Et infra: *nec contrahas manum, ſed aperies eam pauperi, & dabis mutuum*, quaſi dicat: Ita abundabis, ſi præcepta mea ſervaveris, quod aliis mutuabis, & a nullo accipies mutuum. (26)

Ad idem inducunt illud Geneſ. 22. v. 1. *Tentavit Deus Abraham*. (27) Hic eſt Deus Veteris Teſtamenti. E contra dixit Jacobus de Deo Novi Teſtamenti: Jacob. 1. *Ipſe autem neminem tentat*.

Reſpondeo. Quod ergo dicitur Johann. 6. v. 5. de Chriſto, qui dixit Philippo: *Unde ememus panes, ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum.* Dico ergo, quod Jacobus exponit ſeipſum cum ait: *Deus enim intentator malorum eſt*, ideſt de malis, ſive de peccatis.

Si dicat quod Deus tentabat eum de malo, quia de occiſione Filii, proba quod malum.

Præterea Jacob commendat eum inde 2. c. v. 20. & ſeq. *Vis autem ſcire o homo inanis, quoniam fides ſine operibus otioſa eſt? Abraham Pater noſter, nonne ex operibus juſtificatus eſt, offerens Iſaac Filium ſuum ſuper Altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius: & ex operibus fides conſummata eſt? Et ſuppleta eſt Scriptura dicens: Credidit Abraham Deo & reputatum eſt illi ad juſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt.*

Ad idem objiciunt ſic. Levit. 3. dicitur quod per ſacrificia illa mundabantur peccata (28). E contrario Hebr. 10. v. 4. *Impoſſibile eſt enim ſanguine Taurorum & Hircorum auferri peccata*. Eodem etiam libro in primo cap. dicitur: quod illis ſacrificiis placabatur & delectabatur tamquam odore ſuaviſſimo.

Reſpondeo. Non per ſacrificia illa mundabantur peccata, ſed per figuratum ab illis (29) ideſt per Chriſtum, qui ab illis figurabatur, unde 16. Sapientiæ v. 5. & ſeqq. *Etenim cum illis ſupervenit ſæva beſtiarum ira, morſibus perverſorum colubrorum exterminabantur: ſed non in perpetuum ira tua permanſit: ſed ad correptionem in brevi turbati ſunt, ſignum habentes ſalutis ad commemorationem mandati legis tuæ. Qui enim converſus eſt, non per hoc, quod videbat, ſanabatur, ſed per te omnium Salvatorem.*

Ad idem objiciunt ſic. Deus Veteris Teſtamenti dixit Exodi 19. v. 9. *Veniam ad te in caligine nubis*: Deus autem Novi teſtamenti: *Lucem inhabitat inacceſſibilem* 1. ad Timoth. in fine. Contrarii ſunt ergo ſibi.

Solutio. Idem eſt Lux inacceſſibilis, quod caligo; quantum ad nos lux eſt inacceſſibilis, quia ad cognitionem ejus in hoc ſtatu accedere non poſſumus: Caligo, quia abſcondit nobis ipſum Deum, ne ipſum videamus in ſpecie ſua.

Præterea contra ponentes duos Deos Creatores, potes inducere illud quod dicit David, loquens de bono Deo pſalm. 17. *Et poſuit tenebras latibulum ſuum*. Item pſalm. 96. *Nubes & caligo in circuitu ejus*.

Item contra omnes Catharos inducas illud de Deo Novi Teſtamenti Apocalypſ. 15. v. 8. *Et impletum eſt Templum Dei fumo a Majeſtate Dei, & de virtute ejus*. Præterea caligo nubis, ideſt nubes caliginoſa prohibens ipſum videri. Nonne Actor. 1. v. 9. dicitur: *& nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum*? Et qualiter ſuſcepit eum ab oculis eorum, niſi faciens ne viderent eum? Nubes ergo caliginoſa erat. Nonne hoc eſt quod dicitur Ezech. 32. v. 7. *Solem nube tegam*? Et quis eſt iſte Sol, niſi ille de quo Malachiæ 4. v. 2. *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ*.

Ad idem objiciunt ſic. Deus Veteris Teſtamenti dixit Moyſi Exod. 3. v. 5. *Ne appropinques, inquit huc. Solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo ſtas, terra ſancta es*. Quid etiam accideret accedentibus ad eum, patet in Oza 2. Reg. 6. qui extendens manum ad arcam Domini, percuſſus eſt. E contrario dicitur Jacobi 4. v. 8. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis*. Ecce contrarietas.

Reſpondeo. Deus Veteris Teſtamenti non prohibebat appropinquare ſibi, ſed appropinquare irreverenter & indigne, & præter officium, ſicut patet Levitic. 10. v. 1. & ſeq. *Arreptiſque Nadab & Abiu, filii Aaron, thuribulis, impoſuerunt ignem & incenſum deſuper, afferentes coram Domino ignem alienigenum: quod eis præceptum non erat. Egreſſuſque ignis a Domino, devoravit eos, & mortui ſunt coram Domino. Dixitque Moyſes ad Aaron: Hoc eſt quod locutus eſt Dominus: Sanctificabor in iis qui appropinquant mihi, & in conſpectu omnis populi glorificabor*. Unde quare Oza ſit percuſſus, patet, quia venit contra mandata Domini num. 4. v. 15. *Tunc intrabunt filii Caath, ut portent involuta: & non tangent vaſa Sanctuarii ne moriantur.* Ibi autem dicitur; *& non tangent.* Verum eſt, nuda; non enim involvebantur; ſed de appropinquantibus digne, dicitur Deuteronomii 33. v. 3. *Omnes Sancti in manu illius ſunt: & appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius*. Et nonne etiam idem tibi videtur fieri a Deo Novi Teſtamenti 1. Corinth. 11. v. 29. *Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit*: & cæteræ pœnæ ibi memoratæ?

Ad idem inducunt illud Deuteronomii 21. (30) v. 23.

(26) Conſuluntor Tertullianus *ibid.* & Origenes *lib.* VII. *n.* 18. *contra Celſum pag.* 107. *Tom.* I. *Opp. Edit. Novæ Paris.*

(27) Gnoſticis Veteribus hæc item fuiſſe Creatori objecta auctor eſt Tertullianus libro adverſus Praxeam *cap.* XVI. *pag.* 509.

(29) Veteris Teſtamenti ſacrificia execrabantur quoque Veteres Manichæi, ut ex Auguſtino *lib.* VI. *contra Fauſtum cap.* V. *col.* 205. *Tom.* VII. *Opp.* & *lib.* XVIII. *cap.* VI. *col.* 312. ceteriſque Patribus, qui contra Hæreticos calamum acuere, plane liquet. Utebantur autem his Paulis teſtimoniss, ut illis invidiam eamdem conflarent.

(29) Conſulitor Auguſtinus loco mox indicato. Cyrillus Alexandrinus *lib.* I. *Glaphyr. in Levit. pag.* 343. *ſeqq. Tom.* I. *Opp. Edit. an.* 1638. ceterique Eccleſiæ Patres, quorum omnium concors eſt, unanimiſque ſententia.

(30) Perinde Marcionitæ de Teſtamenti Veteris auctore expoſtulabant. Auctor hujuſce rei Tertullianus eſt, qui obinde genus illud hæreticorum exagitat lib. III. *cap.* XVIII. pag. 407. *De exitu, inquit, pacto diverſitatem tentatis inducere, negantes paſſionem crucis*

v. 23. *Maledictus a Deo eſt qui pendet in ligno*. Ecce Deus Veteris Teſtamenti maledixit Chriſtum, & Apoſtolus ſumit illud Galat. 3. v. 13. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia ſcriptum eſt: maledictus omnis, qui pendet in ligno.* E contrario Deus novi Teſtamenti non maledixit Chriſtum Filium ſuum.

Solutio. Non eſt (31) verum quod Chriſtum maledixerit Deus Veteris Teſtamenti, ut patet per litteram antepoſitam, quia ibi loquitur de peccatore. Præterea, dato quod de Chriſto loqueretur, non tamen de hoc culpandus eſt Deus Veteris Teſtamenti. Si enim dicis, quod Deus Novi Teſtamenti Chriſtum non maledixit. Reſpondeo: immo idem & plus facit. Dicitur enim 2. Cor. 5. v. 21. *Eum qui non noverat peccatum fecit pro nobis peccatum*; ſupple Deus Pater. De eo enim loquitur.

Præterea illa maledictio, qua Deus Chriſtum maledixit, non eſt blaſphemia, qua ei imprecatus fuerit malum. Non enim dixit: *Maledictus ſit*, ſed *eſt*. Iſta autem maledictio non eſt aliud quam ipſa Paſſio, quam Chriſtus ſuſtinuit ex decreto Patris, ut habetur Act. 4. v. 27. *Convenerunt enim vere in Civitate iſta adverſus ſanctum puerum tuum Jeſum, quem unxiſti*. Et quia ex decreto Patris paſſus eſt, ideo a Deo dicitur *maledictus* in Veteri Teſtamento.

Præterea, quod iſta maledictio ſit ejus Paſſio in ligno Crucis patet ex verbis Apoſtoli ad Galat. 3. cum ait, quod Chriſtus factus eſt pro nobis maledictus, & ſubdit quare: *quia maledictus omnis, qui pendet in ligno*. Ergo illa maledictio eſt pendentia ejus in ligno.

Præterea dicit Apoſtolus, quod per illam maledictionem redempti ſumus a Chriſto de maledicto legis. Conſtat autem quod per blaſphemiam illam non ſumus inde redempti; ergo maledictio illa non eſt blaſphemia; ergo ejus maledictio eſt ejus paſſio. Nonne Deus Pater illam Paſſionem decrevit fieri? Utique. Ergo Deus Veteris Teſtamenti eſt Deus Pater Chriſti, a quo maledictus eſt Chriſtus maledictione pœnæ, non culpæ. Nonne hoc dicit Apoſtolus Rom. 8. v. 32. *Qui etiam proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum?* Nonne & Deus Prophetarum ait Zachariæ 13. v. 7. *percute*, vel percutiam *Paſtorem, & diſpergentur oves gregis?* Nonne hoc habetur Iſaiæ 53. v. 8. *propter ſcelus populi mei percuſſi eum*. Idem ergo eſt Deus Veteris Teſtamenti, Deus Prophetarum, & Deus Novi Teſtamenti.

Ad idem objiciunt ſic. Deus Veteris Teſtamenti tantum permittit Terram unde Geneſ. 15. v. 18. *Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Ægypti uſque ad fluvium magnum Euphratem.* Et Exodi 3. promittit *Terram fluentem lacte & melle*. Item Iſaiæ 9. v. 19. *Si volueritis & audieritis me, bona Terræ comedetis*. Et Deus Novi Teſtamenti promittit cælum, unde Matthæi 5. v. 3. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Item 11. v. 19. *Et invenietis requiem animabus veſtris*.

Solutio. Imo promittebat Spiritualia, ſicut patet Galat. 3. (32) v. 13. *Chriſtus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum; quia ſcriptum eſt: maledictus omnis qui pendet in ligno: ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Chriſto Jeſu: ut pollicitationem ſpiritus accipiamus per fidem*: Ecce quod benedictio Abrahæ debebat fieri a Chriſto in Gentibus, quæ eſt ſpiritualis, unde ſequitur: *ut pollicitationem ſpiritus accipiamus per fidem*.

Item eodem cap. v. 16. *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus: Non dicit: Et ſeminibus quaſi in multis: ſed quaſi in uno: & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus*. Ecce quod Chriſtus ſemen eſt Abrahæ ei promiſſum. Igitur in Veteri Teſtamento fiebant promiſſiones ſpirituales.

Item eodem cap. in fine. *Si autem nos Chriſti: ergo ſemen Abrahæ eſtis, ſecundum promiſſionem hæredes*. Item Hebr. 11. v. 15. & ſeqq. *Et ſi quidem ipſius meminiſſent de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi. Nunc autem meliorem appetunt; ideſt cæleſtem. Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum; paravit enim illis Civitatem.* Quod vocetur Deus eorum Pater Chriſti, dicit Petrus Act. 3. v. 13. *Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob, Deus Patrum noſtrorum glorificavit Filium ſuum Jeſum*. Item eodem cap. Hebr. 11. v. 24. *Fide Moyſes grandis factus negavit ſe eſſe Filium Filiæ Pharaonis*.

Ad idem objiciunt ſic. Deus Veteris Teſtamenti, ut dicit Apoſtolus ad Galat. 3. v. 13. ait: *Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in Libro Legis, ut faciat ea*. Deuteronom. 27. Unde Beatus Petrus. Act. 15. v. 10. & ſeqq. *Quid tentatis Deum imponere jugum ſuper cervices Diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti credimus ſalvari, quemadmodum & illi*. Imponit ergo Deus illud impoſſibile, & importabile jugum. Sed Deus Novi Teſtamenti dicit Matthæi 11. v. 29. *Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris*.

crucis in Chriſtum creatoris prædicatum, & argumentantes inſuper, non eſſe credendum, ut in id genus mortis expoſuerit creator filium ſuum, quod ipſe maledixerat: Maledictus, *inquit* omnis, qui pependit in ligno. Paria perſequitur Tertullianus *lib.* v. *Ejuſd. Operis Cap.* III. *pag.* 664. Nec ſibi ab hiſce teſtimoniis opponendis Manichæi veteres temperabant. Adeundus Auguſtinus *libro contra Adimantium Manichæi diſcipulum cap.* XXI. *col.* 144. & *lib.* XIV. *Contra Fauſtum cap.* I. *col.* 263. *Tom.* VIII. *opp.* ubi hæc Fauſti ejuſdem verba refert: *Ait* maledictum eſſe omnem qui pendet in ligno: *Hunc ergo tu vis, ut accipiam? huic ut credam? cum ſi divinus fuit, conſtet eum ſcientem volentemque maledixiſſe Chriſto? &c.*

(31) Eodem recidunt, quæ fuſius, perſequitur Auguſtinus *lib.* XIV. *Contra Fauſtum cap.* II. *ſeq.* Vide quoque Tertullianum *lib.* III. *Contra Marcionem. Cap.* XVIII. *ſeqq. pag.* 417. *ſeq.* quo loco multa profert, quibus mortem Chriſti in Cruce prænunciatam in Vetere Teſtamento fuiſſe, quidque Myſterii ſub ea maledictione contineretur, demonſtrat.

(32) Id etiam Gnoſtici vitio vertebant Deo Veteris Teſtamenti, quod temporalia tantum, non autem ſpiritualia polliceretur, legemque veterem condidiſſet, quæ abrogata deinde a Chriſto fuerit. Non diſcrepabant autem a Gnoſticis Manichæi. Conſule Irenæum *lib.* IV. *cap.* XIII. *pag.* 242. Tertullianum *lib.* V. *Contra Marcionem cap.* XIII. *pag.* 477. *Auguſtinum libro* II. *Contra Adv. legis & Prophetarum cap.* VII. *col.* 593. & Epiphanium *Hæreſi* LXVI. *n.* LXXVIIII. *ſeqq.* Quin etiam & auctorem Carminum contra Marcionem *lib.* IV. *pag.* 636.

ſtris. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.

Solutio. Cum Petrus ait: *Quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus*, ſupplendum eſt de facili, & præter paucos, unde Lucæ 1. v.6. dicitur de Elizabeth, & Zacharia, *quod erant ambo juſti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & juſtificationibus Domini ſine querela*. Et hujus etiam ſolutio habetur capite ſuperiore, ubi agitur de uno Creatore, circa principem.

Ad idem inducunt illud Geneſ.18. (33) v.21. *Deſcendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint; an non eſt ita ut ſciam*. E contrario dicitur de Deo Novi Teſtamenti. Hebr.4. v.13. *Et non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus: omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus, ad quem nobis ſermo.*

Solutio. Nonne dicitur Marci 13. v.32.(34) *De die autem illo, vel hora, nemo ſcit, neque Angeli in Cælo, neque Filius, niſi Pater?*

Præterea per hoc quod dicitur: *Deſcendam & videbo*, non habes Tu quod nuper videret, ſicut per hoc quod dicit deſcendam, non habes quod ipſe in eſſentia ſua deſcenderet, imo per Angelos, unde dicitur 19. Geneſ. v. 1. *Veneruntque duo Angeli Sodomorum veſpere, ſedente Loth in foribus Civitatis*. Eodem modo dico quod nuper vidit in Angelis, ſicut & in eis deſcendit, ſicut & in Apoſtolis dicitur loqui Matth. 10.

Præterea. Nonne ille eſt Deus Novi Teſtamenti? Videtur quod ſic. 2. Petri 2. v. 4. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*. Et hoc probabitur in capite: quod Angeli de Cælo ruerunt, non ſalvantur. Dico tamen propter Catholicos inſtruendos, ſicut Filius dicitur neſcire, quia non facit nos ſcire, ita dicitur videre, quia facit homines, vel Angelos videre.

Ad idem objiciunt illud (35) Exod. 3. v. 13. & ſeqq. *Si dixerint mihi Filii Iſrael; quod eſt nomen ejus? Quid dicam eis? Dixit Dominus ille ad Moyſem: EGO SUM QUI SUM. Ait: Sic dices filiis Iſrael: QUI EST miſit me ad vos*. Ecce qualiter notificat nomen ſuum. *QUI EST &c.* ita etiam & bos eſt. Matth. 1. & Lucæ 1. Deus autem Novi Teſtamenti nomen ſuum ſpecificat, unde & dicit per Angelum ſuum: *& vocabis nomen ejus Jeſum.*

Solutio. Primo reſpondeo, quia hoc non eſt nomen ejus ſecundum quod Deus, ſed ſecundum quod homo, unde ſic non indicavit ſibi nomen ſuum, ſecundum quod Deus. Ad aliud dico, quod bene indicavit nomen ſuum, & ſi tu intelligeres virtutem vocis, laudares eum qui hoc dixit. Nonne a Grammaticis ſum, es, eſt, dicitur *Hyparcticon*, id eſt extrapraxin? Et quare? Niſi quia id quod ſignificat extra omnem motum eſt, & operationem quæ in motu fit. Per hoc ergo ſe immutabilem deſignavit, & operantem ſine motu, quia ejus velle eſt ejus facere, omnia enim quæcumque voluit fecit. Nonne & Beatus Jacobus Patrem luminum declaravit, cum dicit: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens a Patre luminum?* Jacob 1. 17. Nonne idem dicit Paulus 2. Cor. 1. v. 19. & ſeqq. *Dei enim Filius Jeſus Chriſtus, qui in Vobis per nos prædicatus eſt, per me, & Sylvanum, & Timotheum, non fuit in illo EST, & NON, ſed Eſt in illo fuit*, ideſt immutabilitas. Quod etiam probat per effectum: *Quotquot enim promiſſiones Dei ſunt, in illo Eſt*. Nonne idem dicit Matth. 14. v. 27. Diſcipulis timentibus cum viderent eum ambulantem ſuper mare, & putarent eum eſſe phantaſma: *Habete fiduciam: ego ſum*. Ecce qualiter reſpondit ſimpliciter. Etiam poſſum tibi objicere bos eſt.

Si dicas: Ipſi enim eum cognoverunt tunc per vocem ſuam: ſimiliter & illi eum per vocem ſuam *EGO SUM QUI SUM*, quia vox iſta ſignum eſt immutabilitatis, quæ eſt ſolius Dei, unde ipſe proprie dicitur *ENS*; Creatura autem non, quæ eſt vanitati ſubjecta, ut habetur Rom.8.

Præterea quare non attendis quod ibi ſequitur Exodi 3. *Hæc dices Filiis Iſrael: Dominus Deus Patrum veſtrorum apparuit mihi, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob miſit me ad vos: hoc nomen mihi eſt in æternum?* Nonne Petrus Act. 3. idem dicit: *Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob, Deus Patrum veſtrorum glorificavit Filium ſuum Jeſum*. Ecce quod ille eſt Pater Chriſti. Eodem ergo modo indicatur ejus nomen in Novo, & in Veteri Teſtamento.

Ad idem objiciunt ſic (36) Deus Veteris Teſtamenti præcepit populo ſuo ne faceret opus in Sabbatho, unde dicit Exod.31. v. 14. *Cuſtodite Sabbathum meum; ſanctum enim eſt vobis: qui polluerit illud, morte morietur: qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi ſui*. Sed Deus Novi Teſtamenti opera ſua faciebat in Sabbatho; ſimiliter & ejus diſcipuli Matthæi 12. eſurientes evellebant ſpicas, & Dominus eos excuſavit contra Phariſæos, dicentes, eos facere quod non licet.

Ad hoc dico quod totum ab uno fuit (37) & obſervantia Sabbathi, & ejus ſolutio, & ſine culpa licuit

(33) Feſtive, ut ſolet, proponit Tertullianus argumentum hoc a Marcionitis adhibitum *lib.* II. *cap.* XXVI. *pag.* 395. *Sed ad Sodomam, & Gomorrham deſcendens,* videbo, *ait,* ſi ſecundum clamorem pervenientem ad me conſument; *ſi vero non, ut agnoſcam. Et hic videlicet ex ignorantia incertus, & ſcire cupidus.*

(34) Perinde reſpondet Tertullianus, ſi Marcionis argumento vis ulla ineſſet, redargui Deum Novi Teſtamenti poſſe, ſiquidem is a Deo veteris diſcreparet. *An hic ſonus pronunciationis neceſſarius, non dubitativum, ſed comminativum exprimens ſenſum ſub ſciſcitationis obtentu? Quod ſi deſcenſum quoque Dei irrides, quaſi aliter non potuerit perficere judicium, niſi deſcendiſſet; Vide ne tuum æque Deum pulſes. Nam & ille deſcendit, ut quod vellet, efficeret.*

(35) Numquam veteres Gnoſtici, & Manichæi hoc argumenti genere, uſi ſunt, quod inde viderent nihil ſe poſſe exculpere: verum Cathari cum pinguiore eſſent minerva, ne ab iis quidem ſibi teſtimoniis temperabant, quæ maxime illis adverſabantur. Nam quid hoc tandem probat, quam Deum Veteris Teſtamenti bonum eſſe, & per ſe exſiſtentem.

(36) Id quoque Catholicis opponebant Veteres heterodoxi, qui Legem Moſis averſabantur. Adeundus Irenæus *lib.* IV. *cap.* VIII. *pag.*206. & Tertullianus *lib.* IV. *Contra Marcionum cap.* XII. *pag.* 414. & Auguſtinus *lib.* XVIII. *Contra Fauſtum cap.* 1. *ſeq. col.* 309. quo loco Manichæi ejuſdem verba refert.

(37) Adeundi loc. cit. Patres quos nota ſuperiore recenſui, quique argumentum Gnoſticorum ita fere, ut Moneta diſſolvunt; quamvis tamen Irenæus, & Tertullianus non ſublatum omnino, ſed obſerva-

cuit ei mutare; ficut & quædam alia, ut jam diximus in præcedenti radice, unde & Matthæi 12. v.8. *Dominus enim eft Filius hominis etiam Sabbathi*. Quod etiam patet Hebr. 4. v. 3. & feqq. *Et quidem operibus ab inftitutione Mundi perfectis. Dixit enim in quodam loco de die feptima fic. Et requievit Deus die feptima ab omnibus operibus fuis. Et in ifto rurfum; fi introibunt in requiem meam*. Quis autem hoc dixerit, habetur in fuperiori cap. ad Hebr. 3. v. 7. *quapropter ficut dicit Spiritus Sanctus &c.*

Præterea Sabbathum figura erat, five fignum futuri Sabbathi, de quo habetur Hebræorum 4. v. 9. *relinquitur Sabbathifmus Populo Dei*. Quod autem effet fignum 31. Exodi v. 13. patet, ubi dicitur: *Videte ut Sabbathum meum cuftodiatis: quia fignum eft inter me & vos in generationibus veftris*. Simile ad Coloffenfes 2. v.16. & 17. *Sabbathorum quæ funt umbra futurorum &c.*

Ad idem objiciunt fic. Si Chriftus effet Filius Dei Veteris Teftamenti, deberet in operibus imitari Patrem fuum. Ipfe enim ait Johan. 5. v. 19. *Non poteft Filius a fe facere quidquam, nifi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius fimiliter facit*. Et iterum Jo:10. v. 4. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi*. Sed ifta quæ faciebat Jefus, non erant opera Dei Veteris Teftamenti, imo contraria ei; (38) ergo ille non erat Pater Chrifti.

Solutio. Non dixit quæcumque ille (39) fecit, fed *facit*, de præfenti loquens, ut etiam patet ibi per feriem litteræ quæ fequitur: *Pater enim diligit Filium, & omnia demonftrat ei quæ ipfe facit, & majora his demonftrabit eis opera, ut vos miremini. Sicut enim Pater fufcitat mortuos, & vivificat: fic & Filius quos vult vivificat*. Ubi etiam patet quod de operibus miraculorum loquitur, unde dico, quod illa opera Chrifti, erant opera Dei Veteris Teftamenti Patris fui, ut probabitur in fequenti capitulo, quod Deus Veteris Teftamenti fuit bonus, & fuit Pater Chrifti. Similiter dico quod illa opera Dei Veteris Teftamenti, fuerunt opera Chrifti, ut probabimus poftea.

Item in Novo Teftamento invenimus fimilia fieri a Deo Novi Teftamenti, etfi non omnia: aliqua enim funt mutata; Nonne Chriftus aliqua mutavit?

Ad idem objiciunt fic: Deus Veteris Teftamenti (40) Exodi 21. v. 25. præcepit fieri *vulnus pro vulnere*. Deus autem Novi Teftamenti fervum Pontificis quem Petrus vulneraverat, fanavit. Et ita contrarii funt.

Refpondeo contra illos, qui duos ponunt Creatores illud quod dicitur Job 5. v. 18. *ipfe vulnerat & medetur, percutit & manus ejus fanabunt*. Unde dico quod idem fuit qui præceptum dedit, & qui fervum fanavit.

Præterea contra omnes Catharos refpondeo. Etfi fanavit vulnus fervi, non prohibuit fieri vulnus a poteftate, five a Judice in cafu.

Præterea fi fanavit vulnus illud contra ponentes duo principia; ergo fanitas ifta naturalis & corruptibilis eft ab eo. Sed contra ponentes unum principium, dicas: fi reficit ifta corpora, quare negas facere illa?

Ad idem objiciunt fic. Deus Veteris Teftamenti præcepit occidi Fratrem fuum; ut patet Exodi 32. v.27. & feqq. *Ponat vir gladium fuper femur fuum: ite & redite de porta ufque ad portam per medium caftrorum, & occidat unufquifque fratrem, & amicum, & proximum fuum. Feceruntque Filii Levi juxta fermonem Moyfi: cecideruntque in die illa quafi triginta millia hominum*. Deus autem Novi Teftamenti præcepit eum diligi, unde 1. Johan. 4. v.21. *hoc mandatum habemus a Deo: ut qui diligit Deum, diligat & Fratrem fuum*. In quo apparet crudelitas Dei Veteris Teftamenti, & manfuetudo Dei Novi Teftamenti, & per confequens contrarietas eorum ad invicem.

Refpondeo. Numquid in illo præcepto: *Diliges proximum tuum &c.* Matth.22. & Marc. 12. datum eft mandatum de corpore diligendo? Si fic, ergo corpus eft de imperio fuo, & factura.

Præterea; ergo corpus bonum eft, & a Deo bono factum & formatum, quod tu tamen negas, ubi fine velamine loqueris.

Præterea dico: Deus Novi Teftamenti præcepit Fratrem diligi, imo & inimicum, fed non præcepit eum non occidi a Poteftate pro aliquibus peccatis, cum iftud fit juftum (41) ut patet Hebr. 2. v. 2. & feqq. *Si enim qui per Angelos dictus eft fermo, factus eft firmus, & omnis prævaricatio, & inobedientia accepit juftam mercedis retributionem: quomodo*

obfervatum a Chrifto religiofe fuiffe, atque ita ut par erat Sabbathum addant; cum non veniffet diffolvere legem, fed adimplere.

(38) Sic etiam argumentabantur Marcionitæ, & Manichæi. Nempe fi Deus Novi Teftamenti unus atque idem eft, quid ergo cauffæ fuit, cur Novi conditor non eadem præfcripferit, quæ Veteris inftitutor præfcripfit, fed omnia potius revocarit? Præftat audire Auctorem Carminum contra Marcionem, quæ Tertulliano adfcribi folent: pag.636.

Cur Deus ergo jubet pecorum fibi fanguine fundi?
Legeque conftringit, ne quis tranfcenderet errans.
In populo, lapidum præfenti morte minatus:
Atque iterum hæc reprobat, negat hæc fibi munera grata,
Corripiens plebem peccati examine preffam.
Ipfe jubet verax; juftus fimul ipfe repellit?
Mentibus orbati, quas amifere furentes,
Externum legi Chriftum affirmare volentes,
Nec mundi Dominum, carnis neque velle falutem,
Nec virtute Patris, factorem corporis ipfum;
Quos obturatis fugiendum eft auribus ultro.
Ne fermone fuo maculent innoxia corda.

(39) Ita quoque Patres. Verum Auctor Carminum *l. c.* Veteris quoque legis Filium fuiffe auctorem ait, eam porro revocaffe, quod ad cæremonias attinebat, quia figuræ erant Novi Inftrumenti.

(40) Simile eft hoc argumentum illorum quæ fupra notatione xx. & alibi perfæpe indicavimus, quemadmodum fuerint a Patribus refutata. Adire tamen poterit præterea Lector quæ exftant in *Actis Archelai* num. XL. *pag. 69. & pag. 73. Edit. Zaccagn. an.* 1698.

(41) Id vero ne Bafilidiani quidem negabant. Nam Bafilides apud Clementem Alexandrinum *lib.* IV. *Strom. pag.* 600. *Edit. Oxon.* fatetur jufte puniri eum, qui aut occifor fuerit, aut adulter. Atque hæc quidem eft omni Patrum, & Hagiographorum communis & pervulgata fententia. Nam fi impune homines fcelefti in alios graffarentur, quæ tandem effe poffet pax in Republica? Pulchre Tertullianus: *Metu ultionis*, inquit, *omnis iniquitas refrænatur. Ceterum paffim emiffa libertate dominabitur, utrumque oculum effoffura, & omnem dentem excitatura præ impunitatis fecuritate.*

modo nos effugiemus ſi tantam neglexerimus ſalutem ? Quis autem ſit ille ſermo datus per Angelos patet ad Galat.3. v.19. *Lex ordinata per Angelos in manu mediatoris .*

Item quare vituperas , ſi occidit eos quos juſtum eſt occidi ? Quare non attendis quod dicit Apoſtolus Rom.3. v.5. *Numquid iniquus Deus , qui infert iram ? (ſecundum hominem dico) Abſit : alioquin , quomodo judicabit Deus hunc Mundum ?* Infert , dixit , iram , ideſt pœnam in præſenti , & eſt ſenſus ; ſi inferendo pœnam temporalem eſt iniquus, multo magis iniquus erit inferendo æternam .

Præterea numquid dilectio Fratris excludit occiſionem , qua quis dignus eſt pro peccato ſuo , ſicut vult Rom.1?

Si dicas non excludit , quare ergo inculpas Deum Veteris Teſtamenti de ultione Fratris facta ab eo per Moyſen ? Si dicas , quod excludit eam , neque poſſunt eſſe ſimul dilectio & occiſio : quid dices ad Abraham, qui unicum Filium occidebat ex Dei mandato , & tamen eum diligebat , ſuper quo etiam laudabatur a B. Jacobo 2. v.20. *Vis autem ſcire , o homo inanis quoniam fides ſine operibus mortua eſt ? Abraham Pater noſter nonne ex operibus juſtificatus eſt , offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare ?* & Apoſtolus Heb. 11.

Ad idem objiciunt ſic . Deus Veteris Teſtamenti præcepit adulterantes lapidari Levit. 20. (42) Deus Novi Teſtamenti abſolvit mulierem deprehenſam in adulterio Jo:8. v.11. dicens . *Nec ego te condemnabo . Vade & jam amplius noli peccare .*

Solutio . Dico quod non prohibuit eam lapidari , licet eam non condemnaſſet , neque etiam hodie lapidatur , licet poſſit fieri de jure .

Præterea . Numquid in illo adventu venerat Judex eſſe ? Conſtat quod non . Sic enim legitur Jo:3. v.17. *Non enim miſit Deus Filium ſuum , ut judicet Mundum , ſed ut ſalvetur Mundus per ipſum .* Ergo non debebat eam condemnare . (43)

Ad idem objiciunt ſic . (44) In Deuteronom. 13. ubi agitur de eo, qui vult aliquem abſtrahere a cultu Dei , dicitur v. 8. *Neque parcat ei oculus tuus , ut miſerearis , & occultes eum : ſed ſtatim interficies .* E contrario in Lucæ 6. v. 36. *Eſtote ergo miſericordes , ſicut & Pater veſter miſericors eſt .*

Reſpondeo . Non dixit , plus ſitis miſericordes ; ipſe autem eſt miſericors & juſtus . Numquid iſpe ſemper miſeretur , vel parcit ? imo graviter punit etiam in præſenti , ut dicetur in hac eadem radice; unde Pſalm.39. *Deus ultionum Dominus : Deus ultionum libere egit .* Bis dicit ultionum , quia ulciſcitur in præſenti, & in futuro . Nonne hoc dicit Paulus Rom.1. v. 18. *Revelatur enim ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem , & injuſtitiam hominum eorum , qui veritatem Dei in juſtitia detinent ?* De præſenti loquitur .

Ad idem objiciunt illud Deuteronomii 2. v. 30. (45) *Noluitque Seon Rex Heſebon dare nobis tranſitum : quia induraverat Dominus Deus tuus ſpiritum ejus , & obfirmaverat cor illius , ut traderetur in manus tuas, ſicut nunc vides .* Ecce nunc qualis eſt iſte Deus , qui non permiſit illum Regem acquieſcere populo ſuo Iſrael,ut occideret eum ; nonne doloſus eſt , & crudelis ? E contrario dicit Petrus ep.1. c.2. v.20. *Qui peccatum non fecit , nec inventus eſt dolus in ore ejus .*

Reſpondeo . Imo permiſit , (46) ſed ille induratus in malitia non acquievit .

Sed dices : Nonne ille Deus induravit eum ? Ita dicitur ibi .

Reſpondeo . Deus dicitur indurare , non quia duritiam ponat in homine , ſed quia in duritia hominem dimittit propter peccata ſua, a quibus non vult exire ; quod patet ex littera præcedente in eodem cap. v.26. Deuter. 2. *Miſi ergo nuncios de ſolitudine Chademoth ad Sehon Regem Heſebon verbis pacificis dicens : Tranſibimus per terram tuam , publica gradiemur via : non declinabimus neque ad dexteram , neque ad ſiniſtram . Alimenta pretio vende nobis , ut veſcamur : aquam pecunia tribue , & ſic vivemus . Tantum eſt ut nobis concedas tranſitum .*

Præterea , nonne idem inveneris de Deo Novi Teſtamenti ad Rom. 9. v. 18. *Deus cujus vult miſeretur , & quem vult indurat .* Hoc dicitur de bono Deo .

Similiter contra illos , qui ponunt duos Creatores , inducas illud Iſaiæ 63. v.17. *Induraſti cor noſtrum ne timeremus te :* Ecce quod Deus Prophetarum indurat , qui bonus eſt etiam ſecundum Te , qui ponis duo principia . [*] Quod tamen permiſſive intelligendum eſt , ſicut & illud Exodi 7. v. 3. *indurabo cor ejus ,* ideſt in duritia ſua permit-

(42) Veteres Gnoſticos contra Deum Creatorem ſæviiſſe, quod morte affici adulteros conſtituiſſet tradit *Homil.* XI. *in Leviticum* Origenes Adamantius . Hæc eadem erat Epiphanis & Carpocratianorum ſententia , ut eſt auctor Clemens Alexandrinus *lib.* III. *Strom. pag.* 512.

(43) Paria habet Clemens Alexandrinus loco mox indicato *pag.* 513. Origenes porro *ibid. Quid igitur ?* inquit , *dicemus quod lex Moyſi crudelis ſit quæ jubet puniri adulterum , vel adulteram ? Et Evangelium Chriſti per indulgentiam reſolvit auditores in deterius ? Non ita eſt . Propterea enim ſermonem Pauli protulimus in ſuperioribus dicentis :* quanto magis deterioribus ſuppliciis dignus eſt qui filium Dei conculcaverit ? *Audi ergo quomodo neque tunc crudelis fuerit lex , neque nunc diſſolutum videatur Evangelium propter veniæ largitatem , ſed in utroque Dei benignitas diverſa diſpenſatione teneatur . . . . . Et ideo invenitur hoc genus præcepti non crudele , ſicut hæretici aſſerunt, accuſantes legem Dei , & negantes in ea humanitatis aliquid contineri .* Non probo quod ibidem habet Origenes , quod hac ſupplicii pœna in Vetere Teſtamento purgarentur a ſcelere , qui lapſi eſſent in adulterium ; in novo autem pœnitentiæ præſidio ; quaſi vero pœnitentia ad *purgationem* non fuerit olim neceſſaria .

(44) Eodem recidit hoc argumentum , quo cetera ſuperius aliquanto allata ; quare non eſt opus quidquam adjicere . Conſulitor interea Titus Boſtrenſis *l.* III. *Contra Manichæo pag.* 155.

(45) Nempe hoc ſimile eſt ejus , quod Gnoſtici , Manichæique veteres de *obduratione* Pharaonis a Deo factæ Catholicis opponebant . Vide Tertullianum *lib.* II. *Contra Marcionem* XIV. *pag.* 389.

(46) Audiendus omnino Tertullianus , qui perinde diſſerit de Pharaonis obduratione . *Indurat cor Pharaonis ,* inquit , *ſed meruerat in exitium ſubminiſtrari , qui jam negaverat Deum : qui jam legatos ejus toties ſuperbus excuſſerat , qui jam populo laborem operis adjecerat , &c. . . . . cujus ſi ratio conſtiterit , nunc & ſeveritas . & per quæ ſeveritas decurrit , rationi & juſtitiæ reputabuntur . Ac ne pluribus immoremur , adſcrite cauſſas ceteras quoque , ut ſententias condemnetis : excuſate delicta , ut judicia reprobetis .* Videſis quæ habet Auguſtinus *lib.* V. *Quæſtionum in Deuteron. Q.* II. *col.* 555. *Tom.* III. *P.* I.

[*] Deeſt in Bonon. & in Vat.

mittam, quæ tamen duritia non fuit naturæ, sed voluntatis liberæ; quod patet, cum Dominus dixerit ei Exodi 10. v. 3. *Usquequo non vis subjici mihi, dimitte populum meum ut sacrificet mihi* v. 4. *& seqq. sin autem resistis, & non vis dimittere eum, ecce ego inducam cras locustam in fines tuos: quæ operiat superficiem terræ, ne quidquam ejus appareat, sed comedatur, quod residuum fuerit grandini: Corrodet enim omnia ligna, quæ germinant in agris: Et replebunt domos tuas, & servorum tuorum, & omnium Ægyptiorum; quantam non viderunt Patres tui & avi ex quo orti sunt super terram usque in præsentem diem*. Hoc etiam patet ex confessione Pharaonis Exodi 9. v. 27. *Peccavi etiam nunc: Dominus justus; & ego & populus meus impii*.

Item dixit Exodi 10. Patet ergo ex his verbis: *usquequo &c.* liberam in Pharaone fuisse voluntatem, & obdurationem ejus non naturæ fuisse, sed voluntatis perversæ. Quod autem dicit Dominus: *indurabo &c.* modus loquendi est, sicuti etiam de Domino aliquo dicitur, quod ipse servum aut Filium pravum fecerit, quia patiens erga eum fuit. Sic enim ait sermo divinus Exodi 8. v. 15. *Videns autem Pharao quod data esset requies, ingravavit cor suum, & non audivit eos, sicut præceperat Dominus*. Ubi patet quod indulta requies aggravavit cor ejus. Vis autem hoc videre? Cum percuteretur mitigabatur, cum relaxaretur ingravabatur. Sic illum impium divina severitas inclinabat, bonitas obdurabat, & ut secundum liberum arbitrium esse ostendere, & castigante Domino Populum dimittere promittebat, eo parcente revocabat; populumque Israel, quem post decimam plagam emisit, ad primam eum mittere potuisse, voluntas postrema testatur, cum etiam inter medias correptiones profiteatur: *Dominus justus, & ego & populus meus impii*. [*]

Ad idem inducunt illud Exodi 21. v. 12. & 13. *Qui percusserit hominem volens occidere morte moriatur. Qui autem non est insidiatus, sed Deus tradidit illum in manus illius, constituam tibi locum, in quem fugere debeat*. Sed Dominus Jesus non tradidit aliquem peccatorem in manus alicujus ad occidendum, imo, ut legitur Ephesiorum 5. v. 2. *tradidit seipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis*.

Solutio contra eos qui ponunt duo principia. Respondeo illud quod habetur Threnor. 2. v. 6. *Oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem & Sabbathum: & in opprobrium & in indignationem furoris sui Regem & Sacerdotem*. Et quomodo dicitur Threnorum 5. v. 43. *Aperuisti in furore, & percussisti nos: occidisti, nec pepercisti*. Respondit Ezech. 15. v. 6. *Quomodo lignum vitis inter ligna sylvarum, quod dedi igni ad devorandum, sic tradam habitatores Hierusalem*.

Præterea contra omnes facit illud quod dicitur Matthæi 22. v. 7. *& missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & civitatem illorum succendit*.

Ad idem inducunt illud Numer. 11. v. 1. *Interea ortum est murmur Populi quasi dolentium pro labore contra Dominum. Quod cum audisset Dominus iratus est. Et accensus in eos ignis Domini devoravit extremam castrorum partem*. Sed Christus ignem alium misit in Terram, ut dicitur Lucæ 12. v. 49. *Ignem veni mittere in Terram*.

Hujus objectionis solutio patet ex jam dictis, auctoritate Matthæi 22. *& missis &c.* Item 22. Ezech. in fine ubi dicitur: *in igne iræ meæ consumpsi eos: viam eorum in caput eorum reddidi, ait Dominus Deus*.

Ad idem inducunt illud 1. Reg. 16. v. 14. *Spiritus Domini malus arripiebat Saul*. Item Judicum 9. v. 23. *Misitque Dominus spiritum pessimum inter Abimelech & habitatores Sichen*. Nusquam autem legitur in Novo Testamento, quod spiritus cælestis Patris malus sit, aut pessimus, imo bonus, unde Lucæ 11. v. 13. *Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris: quanto magis Pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se?*

Solutio. Spiritus Domini quandoque dicitur ipse Deus, & sic accipitur pro Spiritu increato. Jo. 4. v. 24. *Spiritus est Deus*. Item Jo: 16. v. 13. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. & Galat. 4. v. 6. *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem Abba Pater*. Et in pluribus aliis locis. Quandoque sumitur pro spiritu creato, & bono. Heb. 1. v. 14. *Omnes sunt administratorii spiritus: in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*. Quandoque pro spiritu creato, & malo, & sic sumitur in Libro Regum, & dicitur spiritus Domini per creatorem, non in eo quod malus sit; de hoc habetur Eccles. 39. v. 33. *Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt*.

Item Job 4. v. 7. *Quis unquam innocens periit? aut quomodo recti deleti sunt?* v. 8. *Quin potius vidi eos qui operantur iniquitatem, & seminant dolores & metunt eos, flante Deo periisse, & spiritu oris ejus esse consumptos*. Quod autem spiritus mali sint a Deo bono per creationem, habetur in capite de creatione invisibilium a Deo Novi Testamenti.

Præterea, quod dicitur: *Misit* permissive intelligitur, idest ire permisit.

§. II.

De secunda radice, quæ est Mutabilitas, *& quia Vetus Testamentum mutabile esse videtur, Hæretici dicunt, quod dator Veteris Testamenti fuit malus.*

Circa secundam radicem, quæ est Mutabilitas, quæ videtur fuisse in Deo Veteris Testamenti, sic objiciunt. (47) Deus Veteris Testamenti dicit Exod. 3. v. 5. *Solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas Terra sancta est*. Sed postea 12. dicit v. 11. *Calceamenta habebitis in pedibus vestris*.

(47) Hoc tam ineptum argumentum ab antiquis Gnosticis adhibitum fuisse nusquam reperio. Non enim, ut alias sæpe animadverti tam erant ridiculo inscitoque Cathari capite.

ſtris. Item Epheſiorum 6. v. 15. Deus Novi Teſtamenti dicit ſuis: *calceati pedes in præparationem Evangelii pacis*. Ecce quod & ſibi contrarius eſt Deus Veteris Teſtamenti, & ita mutabilis. Contrarius etiam fuit Deo Novi Teſtamenti.

Solutio. Imo convenit cum Deo Novi Teſtamenti, præcipiens calceamenta haberi in pedibus.

Si dicas quod ſibi contrarius eſt & mutabilis, quid dices de Deo Novi Teſtamenti? Nonne mutabilis eſt in illo modo, ſcilicet, aliquando unum præcipiendo, & alio tempore contrarium? Dicit enim Diſcipulis Matthæi 10. v. 5. *In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis*. In fine vero Marci dixit eis: *Prædicate Evangelium omni creaturæ*. Matthæi ultimo dixit: *docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritu Sancti*.

Item Act. 1. v. 8. *Accipietis virtutem ſupervenientis Spiritu Sancti in vos, & eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ*; ergo non Deus Veteris Teſtamenti; nec Deus Novi Teſtamenti, qui idem eſt cum illo, mutabilis eſt in ſe, vel ſibi contrarius, licet diverſa præceperit pro loco & tempore.

Ad idem inducunt illud Exod. 32. v. 10. poſtquam Filii Iſrael adoraverunt Vitulum, dixit ille Deus Moyſi: *Dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos & deleam eos* (48) placatus infra eſt Dominus ne faceret malum, quod locutus fuerat contra populum ſuum. Ecce quam mutabilis eſt Deus Veteris Teſtamenti. Deus autem Novi Teſtamenti immutabilis eſt, juxta illud Jacobi 1. v. 17. *Apud quem non eſt tranſmutatio*.

Solutio. Mutabilitas non eſt in eo, ſed in nobis; (49) ſecundum enim varietatem temporum, & merita perſonarum, modo inferre vult malum pœnæ peccantibus, modo placari pœnitentibus. Nunquid dices ſolem mutabilem in ſe, quia aliqua diſſolvit, aliqua vero unit? Item aliqua mollificat, aliqua indurat: quia eiſdem oculis aliquando eſt delectabilis, aliquando noxius? Sic & ſol juſtitiæ abſque ſui mutatione diverſa operatur, & ſecundum varietatem temporum & merita Perſonarum modo iraſcitur, modo placatur; iraſcitur peccantibus, placatur autem pœnitentibus.

Præterea, contra eos, qui ponunt duo principia; nonne Deus Prophetarum ſimilia faciebat Ezech. 20. v. 21. & ſeqq. ubi ait: *& comminatus ſum ut effunderem furorem meum ſuper eos, & implerem iram meam in eis in deſerto. Averti autem manum meam, & feci propter nomen meum, ut non violaretur coram gentibus, de quibus ejeci eos in oculis eorum?* Nonne hoc dicit David: *Iratus es, & miſertus es nobis?* Nonne & Paulus dicit Rom. 1. v. 18. Pſal. 59. *Revelatur enim ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent?* Quod placetur, patet Iſaiæ 61. v. 2. *Ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo noſtro*. Marci 3. v. 5. *Et circumſpiciens eos Jeſus cum ira, contriſtatus ſuper cæcitate cordis eorum*.

Ad idem inducunt illud Exodi 20. v. 14. (50) *Non mœchaberis*. Hæc dixit Deus Veteris Teſtamenti; & idem Deus dicit 2. Reg. 12. v. 13. *Ecce ego ſuſcitabo ſuper Te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo*, ideſt filio. Ecce quanta mutabilitas in Deo Veteris Teſtamenti, & quam turpe & abominabile quod fecit.

Item aperiebat vulvas mulierum, ut habetur Geneſ. 29. Vide quanta turpitudo fuerit in Deo Veteris Teſtamenti.

Solutio ad hoc eſt. Quid dices Tu de Deo Novi Teſtamenti Rom. 1. v. 24. *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam: ut contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis?* Item: *tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ. Nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem uſum in eum uſum quod eſt contra naturam. Similiter in deſideriis ſuis invicem, maſculis in maſculos turpitudinem operantes?* Si vis dicere quod intelligitur ſic *tradidit*, ideſt permiſit, & ego ſimiliter dico de Deo Veteris Teſtamenti.

Præterea, quid de Deo Prophetarum Zachariæ 14. v. 1. & ſeqq. *Ecce venient dies Domini, & dividentur ſpolia tua in medio tui: & congregabo omnes gentes ad Jeruſalem in prælium &c?*

Ad aliud de mutatione reſpondeo, ut prius dictum eſt.

Præterea quid dices; Nonne Paulus dixit Galat. 5. *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit?* Nonne poſtea circumcidit Timoth. Act. 96.

Ad idem inducunt illud Exodi 20. v. 4. (51) *Non facies*

(48) Simile quidpiam opponebant Catholicis Marcionitæ; ut prodit *lib.* II. *cap.* XXVI. *ſeq.* 395. Tertullianus. Sic enim argumentabantur. *Satis & tunc puſillus Deus in ipſa etiam ferocia ſua, cum ob vituli conſecrationem efferatus in populum, de famulo ſuo poſtulat Moyſe, ſine me, & in ira diſperdam illos, & faciam te in nationem magnam.* Quare idem ipſe Tertullianus Marcionis aſſeclas alloquens. *Meliorem*, inquit, *ſoletis affirmare Moyſen Deo ſuo, deprecatorem, immo & prohibitorem iræ. Non facies enim, inquit, iſtud, aut & me una cum eis impende.*

(49) Non explicat Moneta quemadmodum hic Sacræ Scripturæ locus intelligi debeat. Id vero præter alios perfecit Tertullianus loco mox indicato. *Sufficit*, inquit, *ſi & Moyſi proprie donatus eſt populus ad præſens, quod ut famulus poſtulare poſſet a Domino, id Dominus a ſe poſtulavit. Ad hoc enim famulo dixit*, ſine me: & diſperdam illos, *ut ille poſtulando, & ſemetipſum offerendo non ſineret, atque ita diceres quantum liceat fideli, & prophetæ apud Deum. Jam nunc eſt, & cetera compendio abſolvam, quæcumque adhuc ut puſilla, & infirma, & indigna colligitis ad deſtructionem creatoris, ſimplici & certa ratione proponam. Deum non potuiſſe humanos congreſſus inire, niſi humanos & ſenſus & affectus ſuſcepiſſet, per quos vim majeſtatis ſuæ, intolerabilem utique humanæ mediocritati, humilitate temperaret, ſibi quidem indigna, homini autem neceſſaria; & ita, jam Deo digna, quia nihil tam dignum Deo, quam ſalus hominis. De iſto pluribus retractarem, ſi cum Ethnicis agerem; quamquam, & cum hæreticis non multo diverſa congreſſio ſtet, &c.*

(50) Ridiculum eſt hoc antilogiæ genus. Nihil enim judicant aliud, quam Deum permiſiſſe, ut unius hominis uxores ob ſcelera alterius fierent: non tamen probaſſe Mœchiam. Quemadmodum autem Deus permittat identidem mala; exſequitur Auguſtinus non in libris ſolum *de Libero Arbitrio*; verum etiam in aliis, quos contra Manichæos, & Pelagianos perſcripſit.

(51) Non abludebant Gnoſtici, præſertimque ii, qui erant a Marcione. Tertullianus lib. II. cap. XXI. pag. 492. *Sic & in ceteris*, inquit, *contrarietates præceptorum ei* (Creatori o Marcion.) *exprobras, ut mobili & inſtabili.*

facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem. Et infra 25. v. 18. *facies duos quoque Cherubim aureos*. Ecce quanta mutabilitas; facies, & non facies.

Solutio. Non facies ad colendum ut Deum. (52) Et quod ita sic intelligendum patet ex littera Exodi 20. v. 5. *Non adorabis ea, neque coles*. Cherubim vero non fecit fieri ad colendum tamquam Deum, unde & duos voluit fieri, ut ex collatione ad id, quod dictum fuerat, *audi Israel: Dominus Deus tuus unus est*, cognoscerent quod non essent adorandi tamquam Dii, cum Deus eorum unicus esset.

§. III.

De tertia radice, quæ est Crudelitas, quæ esse videtur (53) *in Deo Veteris Testamenti.*

Circa tertiam radicem, quæ est Crudelitas, quæ in illo Deo Veteris Testamenti apparet, objiciunt sic. Qualis est Deus Veteris Testamenti, qui tot millia hominum submersit in diluvio Genes. 6. & 14. & 19. & in mari rubro. Exod. 14. & in multis aliis locis? Si erat Omnipotens, & omnia sciens, sciebat eos peccaturos & futuros malos, & propter hoc damnandos; quare ergo fecit eos? Crudelis est iste Deus, qui ad hoc fecit homines, ut perderet. (54)

Solutio contra illos qui ponunt unum Creatorem Quæro, quare fecit Deus Angelos, quos sciebat futuros malos, & perpetuo supplicio damnandos? Sic dicitur. 2. Petr. v. 4. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tantum tradidit cruciandos, in judicium reservari.*

Similiter ab illo qui ponit duo principia: quare fecit oves Israel cum sciret eas peccaturas, & gravibus tormentis affligendas de manu diaboli, & filium suum unigenitum tam turpiter mactandum & occidendum in cruce?

Præterea vide, quod tuæ quæstioni respondet Paulus Rom. 9. v. 21. *An non* (55) *habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Et quis est iste figulus? Nonne ille de quo prius dictum est: *Deus cujus vult miseretur, & quem vult indurat?* Et de cujus domo dicitur 2. Timoth. 2. v. 20. & seqq. *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis autem emundaverit se ab istis: erit vas in honorem sanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum.* Nonne iste est ille figulus de quo dicitur Isaiæ 45. v. 9. *Nunquid dicet lutum figulo suo: quid facis?* Et 64. v. 8. *Et nunc Domine Pater noster es tu, nos vero lutum: & fictor noster es tu, & opera manuum tuarum omnes nos.*

Præterea dico: quod creavit eos quos malos futuros esse sciebat ad suæ virtutis ostensionem, & ad laudem & ad gloriam suam, unde Rom. 9. v. 6. *In hoc ipsum*, idest idcirco *excitavi Te*, idest excitatum dimisi, vel idest signa coram te feci, quibus excitatus es ad majorem populi mei persecutionem, *ut ostendam in te virtutem meam, & ut annuncietur nomen meum in universa terra.*

[*] Item ad bonorum multiplicem utilitatem; v. g. ad eorum lætitiam & delectationem duplicem, scilicet ad gaudium de justitia Dei in eos, unde *lætabitur justus cum viderit vindictam*. Hoc autem patet verum esse ex eo quod legitur Apocalyps. 6. v. 10. *Usquequo Domine (Sanctus & verus) non judicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra?* Job. 22. v. 17. & seqq. *Qui dicebant Deo: recede a nobis: & quasi nihil posset facere Omnipotens æstimabant eum: Cum ille implesset domos eorum bonis: quorum sententia procul sit a me. Videbunt justi & lætabuntur, & innocens subsannabit eos. Nonne succisa est erectio eorum, & reliquias eorum devoravit ignis?* Apocalyp. 19. v. 17. & seqq. *Et vidi unum Angelum stantem in sole, & clamavit voce magna, dicens omnibus avibus, quæ volabant per medium cæli: Venite & congregamini ad cœnam magnam Dei: ut manducetis carnes regum & carnes fortium, & carnes equorum & sedentium in ipsis, & carnes omnium liberorum, & servorum, & pusillorum & magnorum.* Angelus, Christus, idest nuncius, inquantum homo: qui sedebat, idest plene quiescebat in Deo, cui unitus erat. Aves, electi Dei. Dicitur autem cœna magna Dei, quia in vindicta malorum jucundabitur. Proverb. 1. v. 26. *Ego quoque in interitu vestro ridebo*. Hoc dicit malis. Si autem ibi delectatur; ergo & sui, qui unus spiritus sunt cum

(52) Eodem recidit Tertulliani responsio: *ibid. cap.* XXII. *Proinde & similitudinem vetans fieri omnium, quæ in Cælo, & in terra, & in aquis, ostendit caussas, idololatriæ scilicet substantiam cohibentes. Subjicit enim, non adorabitis ea, neque servietis illis.... Cherubim & Seraphim aurea in Arce figuratum exemplum, certe simplex ornamentum, accommodata suggestui, longe diversas habendo caussas ab idololatriæ conditione, ob quam similitudo prohibetur &c.*

(53) Ita quoque de Creatore expostulabant Gnostici, & veteres Manichæi, cujus profecto rei testes sunt Irenæus, Tertullianus, ceterique Patres, qui contra illud hæreticorum genus calamum acuere. Sed ego uno Titi Bostrensis testimonio contentus ero; qui *lib.* III. *contra Manichæos pag.* 155. *Ajunt*, inquit, ... *Misericors est.... qui Evangelia scripsit, & qui misericors est filius est misericordis. Lex vero dura, & aspera est, non parcens delinquentibus: misericordiam autem continet Evangelum, quod delicta quidem coercet; pœnitentias vero prædicat &c.*

(54) Fuit hoc idem ab Celso Epicureo objectum iis, qui veteri Testamento fidem adjungunt & auctoritatem. Consulendus Origenes *lib.* VI. *Contra Celsum Num.* LVIII. *&* LIX. *pag.* 677. *Tom.* I. *Opp. Edit. Parif. Mon. Sancti Mauri*; quo loco hæc affert Celsi verba: *Cur enim pœnitet ingratos creasse & improbos, de sua arte conqueritur, & odio habet, & intendit minas, & proprios filios pessumdat? Aut si non proprios filios pessumdat; quo tandem ablegat ex hoc mundo, quem ipse fecit?* Simile quiddam Marcionitæ Catholicis exprobabant, ut ex Auctore *Dialogi de recta in Deum Fide Contra Marcionitas Sectione* II. *pag.* 824. *Tom.* I. *Opp. Origenis* colligo. Sic enim differit apud eumdem Megethius Marcionita: *Hic* [Nempe Deus Vetetris Testamenti] *sua voluntate homines finxit.* Pœnitet, *inquit*, me quod feci hominem. *Eum igitur pœnituit fecisse improbos, eosque & condemnare voluit, & perdere. Bonus igitur id passus non est, sed generi hominum misertus est.* Eadem sentiebant Manichæi, & qui eos sequuti deinde sunt, quippe Vetus Testamentum aversabantur, a quibus porro Catharorum Sectæ manarunt.

(55) Consule Augustinum *lib.* I. *Adversus Adversarium Legis, & Prophetarum cap.* XXI. *col.* 574. *Tom.* VIII. *Opp.* qui simile quiddam adhibet.

[*] Quæ duobus asteriscis conclusimus desunt e Cod. Bonon. & Vatic. extant autem in Neapolit.

cum eo; ut dicitur 1. Cor.6., ideſt unius voluntatis. Item hoc erit ad gaudium bonorum de miſericordia Dei erga ſe pro ſui liberatione a conſimili pœna, unde Pſal. 57. *Manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris*, ideſt lotas eſſe gaudebit viſo ſanguine, ideſt viſa ultione malorum [*].

Item ſunt a Deo ad probationem bonorum, unde Eccleſ.27. v. 6. *Vas figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tribulationis*. Item ad ſuperbiæ evitationem, unde 2. Cor.12. v.7. *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet*.

Item ad patientiæ eorum exercitationem, unde Rom. 5. v.3. *Gloriamur in tribulationibus, ſcientes quod tribulatio patientiam operatur*.

Item ad virtutis perfectionem 2. Corinth. 12. v.9. *Nam virtus in infirmitate perficitur*.

Item ad virtutis Chriſti in homine inhabitationem, unde ibidem dicitur: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti*.

Item ad oſtendendum ex miſericordia eſſe divitem (56) & glorioſam bonorum beatificationem, & malorum juſtam eſſe punitionem, ad quæ duo potens eſt, unde & de his duobus dicit Apoſtolus Rom. 9. v. 22. quod eſt: *quod ſi Deus volens oſtendere iram ſuam, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ*. Iram in contemptoribus bonitatis ejus patientiæ & longanimitatis. Abundantes vero divitias gloriæ ſuæ in vaſis miſericordiæ, ideſt in in illis, qui miſericordiæ Dei innituntur. In his autem duobus notam facit patientiam ſuam, unde Jacobus 4. v. 12. *Unus enim eſt legislator, & Judex, qui poteſt perdere & liberare*. Et Lucæ 2. v. 34. *Ecce poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſrael*. Nonne videtur tibi in auctoritate iſta Pauli, quod idem eſt Deus iræ ſuæ & miſericordiæ? Nonne iſte eſt, de quo ſupra: *Deus cujus vult miſeretur, & quem vult indurat?* In cujus etiam poteſtate eſt perditio & liberatio etiam animæ & corporis, unde Matth. 10. v.28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus: animam autem non poſſunt occidere; ſed potius timete eum, qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam*. De ejus ergo poteſtate eſt perditio animæ & corporis. Nonne hic eſt crudelior eo, in cujus poteſtate eſt tantum perditio corporis? Principaliter ergo fecit eos, ut ſi vellent ſalvarentur, & ad agnitionem veritatis venirent, ut dicitur 1.Timoth.2. Et ſi non ſalvantur, culpa eorum eſt, unde Rom.2. v.4. & ſeqq. *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei, qui reddet unicuique ſecundum opera ſua*.

Quæro de qua creatione ſit iſte, cui dicitur hoc?

Secundario autem fecit eos propter cauſas, quas diximus, licet ſciret eos non ſalvandos.

Præterea ſi Deus occidit corpora iſta, cui facit injuriam? Quis ei dedit legem, & quis ei inhibuit hoc, & cui reddet rationem de hoc? Nonne de rebus ſuis ſuam faciet voluntatem? *O homo*, inquit Apoſt. Rom. 9. v. 20. *tu quis es, qui reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit: Quid me feciſti ſic?* Subauditur, *non*: quaſi dicat, male fecit, qui Deo ſic dicit. Neque debet aliquem movere, ſi ipſe occidit, vel aliquam peſtilentiam immittit, quia nihil facit ſine juſta ratione.

Ad idem inducunt illud Geneſ.6. ubi diluvio etiam parvulos, qui non offenderunt, (57) ſubmerſit, unde crudelis videtur Deus Veteris Teſtamenti, qui juſtum & injuſtum ſimul occidebat. Geneſ. 19., ut patet in deſtructione Sodomæ & Gomorrhæ, ad minus quoad parvulos.

Solutio. Pius erat ille Deus & juſtus; pius, quia non ſolum punit juſtum pro impio, imo pro juſto vult liberare injuſtum; ad preces enim Abrahæ pro quinquaginta juſtis voluit indulgere omnibus; imo, pro decem juſtis, ut innueret, quod non meretur veniam, qui decalogum non ſervat.

Quod autem dicis de parvulis, nonne credis quod peccatum habebant in ſe? Nonne dicitur Rom. 5. v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit?* Dico etiam, quod pie (58) cum illis factum eſt; rapti enim ſunt, dum neſcirent, quid

(56) Præclare imprimis Titus Boſtrenſis *lib.* III. *pag.* 154. *Contra Manichæos*. *Accuſant*, inquit, *Veterem legem tamquam acerbam, & crudelem .... Non intelligentes quod ſcriptum eſt*: Miſericordiam & Judicium cantabo Tibi domine; *neque ſcientes perfectionem ratione gubernationis ex miſericordia & vindicatione pendere. Idcirco cæcati miſerationes legis tacent, & vinditationum potius meminerunt .... ſi hujus mali accuſationes, & vindictas inter vitioſa & mala referunt; quid dicturi ſunt de Paulo, qui caſu videret aliquando Bar-jeſu Magum .... increpavit, punivit, privavit oculis .... Quid de Petro dicent .... cum Ananiam judicatum, & mendacii convictum morte affecit; Sapphiram autem eidem ſepulcro tradidit?* Concludit deinde, aut malos fuiſſe Apoſtolos, quod ſcelus eſt arbitrari; aut malos paribus pœnis jure eſſe multandos. Adeundus Johannes Chryſoſtomus *Homil.* XXV. *in cap.* VII. *Geneſ.* & Cyrillus Hieroſolymitanus *Catecheſi* VI.

(57) Hæc atque alia generis ejuſdem argumenta a Marcionitis in Catholicos fuiſſe contorta colligo ex Tertulliani *lib.* VI. *cap.* XXIX. *Contra Marcion. pag.* 446. Sed longe clarius ex auctore *Carminis contra Marcionem lib.* IV. *pag.* 366. *inter Opp. Tertull.* quo loco hæreticos ſic diſſerentes inducit.

Reddidit ergo Deus gratis peccata paterna,
In Cataclyſmo enecans pariter cum prole parentes;
Genteque jam quarta genitos ſe ſtirpe nepotes,
Cum fere nongentos hos tunc adjuverit annos,
Judicium durum, ſententia ſaeva videtur.
Parvulus & Sodomis adhuc ingens mollis inermis,
Ut careat vita, quid enim peccaverat infans?

Utitur porro Tertullianus eodem fere reſponſo, quod etiam adhibet noſter.

(58) Pelagianorum, & Semipelagianorum ſententia fuit, parvulos pleroſque ante baptiſmum interire propter peccata, quæ ſi vitam longius produxiſſent, patraturi erant. Itaque intempeſtivum interitum &c. pœnam ſcelerum, quæ nulla ſint, omnino eſſe volebant. Atque id quidem tam eſt pervulgatum, ut neminem fugiat, qui primis, ut ajunt, labris Hiſtoriam Pelagianorum attigerit. Contra Moneta veteres Patres, ipſoſque Scriptores Hagiographos Auctores ſequutus, eatenus ſublatos fuiſſe infantes illos affirmat, quatenus originali peccato vitiati eſſent, adeoque puniri merito deberent. Relucere autem pietatem Dei, propterea quod ſi adoleviſſent multis ſe implicaſſent flagitiis, atque ita porro graviorem pœnam meruiſſent. Id quod nec Sacris Bibliis, neque Auguſtinianæ, Thomiſticæque doctrinæ repugnat. Eſt vero hoc reſponſi genus illius ſimile, quod loco mox indicato nota Superiore adhibet *Auctor Carminis contra* Marcionem.

Quod

quid esset peccatum, ne diu viventes & peccantes scienter amplius punirentur Luc. 12. *Servus qui cognovit voluntatem Domini sui, & non se præparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit plagis multis.*

Idem dicendum est ad illud, quod objiciunt de parvulis Amalecitarum occisis a Saule mandato Domini illius.

De Bethsamitis vero 1. Reg. 6. qui videntes Arcam illius Domini & lætati, inde occisi sunt ab illo.

Respondeo, quod juste occisi sunt, quia contra præceptum Dei num. 4. v. 20. *Alii nulla curiositate videant quæ sunt in Sanctuario, priusquam involvantur, alioquin morientur*, ad Rom. 3 v. 5. *Numquid iniquus est Deus, qui infert iram?*

Præterea contra illos, qui ponunt duos Creatores induc illud, Sap. 12. v. 15. *Cum ergo sis justus, juste omnia disponis: ipsum quoque qui non debet puniri condemnare exterum æstimas a tua virtute.*

De pueris igitur dico, si baptizati sunt vel fuerint circumcisi, & ab eo occisi, benefacit (59) & benefecit eis, quia gloriam habent tales.

Præterea, si diutius vixissent, potuissent peccare, & damnationem incurrere Sapient. 4. v. 11. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Si autem neque circumcisi, neque baptizati sunt, aut salvabantur in fide Parentum, de quibus dicitur Rom. 2. v. 14. *Cum enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex.* Vel si de infidelibus nati, quid eis nocet occidi, cum pœnam sensibilem non sint habituri, sed victuri sine læsione sensibilis pœnæ? Multi talem statum eligerent. Quod autem pœnam talem non sint habituri patet 4. lib. cap. de baptismo, ubi agitur de baptismo parvulorum. Quod autem dixi de pueris circumcisis in Veteri Testamento, patet ex Genes. 17. v. 14. *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo.* Ex quo patet quod circumcisio non sinebat perire.

Ad idem inducunt illud Josue 7. de Achan, qui tulerat de Anathemate Jerico, pallium coccineum, & quædam alia, ut ibidem in fine cap. habetur, quod non tantum eum, qui fecerat hoc malum, sed etiam filios, & filias ejus occidit Josue de voluntate illius Dei; & tamen dederat legem Deuteronom. 24. quod non occiderentur Filii pro Patribus.

Solutio. Dico, quod Filii & Filiæ suæ participes fuerunt illius furti, illud servantes in tabernaculo, & consentientes, unde & dicitur ibidem v. 11. *furati sunt, atque mentiti, & absconderunt inter vasa sua.* (60)

Præterea etsi illos, vel alios occidisset, nonne digni erant morte? Ita. Nam mali erant secundum te o Cathare.

Ad idem objiciunt sic. Ille Deus consultus a Moyse (61) præcepit quendam occidi, quia ligna colligebat in Sabbatho num. 15. Ecce magna crudelitas pro tam modica re hominem occidere.

Solutio. Imo justitia magna, quia prohibuerat Exodi 31. Ideo autem Moyses Dominum consuluit, quia nesciebat an ex ignorantia, an ex certa malitia illud fecisset. Dominus autem videns, quia ex superbia contempserat mandatum, præcepit eum occidi, ut patet superius ex vi litteræ ejusdem (cap. 30. Num. 15.) *Anima autem quæ per superbiam aliquid commiserit, sive civis sit ille, sive peregrinus: quoniam adversus Dominum rebellis fuit, peribit de populo suo.* Verbum enim Domini contempsit.

Ad idem inducunt illud 2. Reg. ultimo cap. de David numerante populum, ad quod faciendum commotus erat ab illo Deo, nt ibi dicitur, vel ad minus populus non peccaverat, ut ibi dicitur, sed tantum David.

Solutio. Justus fuit Deus in hoc facto, quia contempserat David mandatum Dei Exod. 30. v. 12. *Quando tuleris summam filiorum Israel, juxta numerum, dabunt singuli pretium pro animalibus suis Domino, & non erit plaga in eis, cum fuerint recensiti.* Quod David non fecit, neque populus & ideo fuit in eo plaga.

Sed contra hoc sic objiciunt. 2. Reg. ult. dicitur v. 1. quod *addidit furor Dei irasci contra Israel*; ergo sequitur quod furiosus est Deus Veteris Testamenti. (62)

X Solu-

Quod crudele putes, hoc est pietatis honestum.
Auctores sceleris (facinus ne cresceret ultra)
Exstinxit, sobolemque patrum peccata sequentem.
Sed non cum patribus pœnas innoxius infans.
Perpetuas luit; ignarus neque criminis auctus;
Ne fieret sceleris consors ætatis adultæ.
Sponte futura mala mors immatura resolvit.

Nempe, non eas tam acres quibus parentes tot scelerum rei perpetuo punientur, sed alias longe mitiores, ut ut perpetuas, ferent infantes peccatis *actualibus* minime implicati: Hoc enim pacto infantes, vocat innoxios.

[*] Quæ duobus asteriscis conclusimus desunt e Bononiensi, & Vatic. exstantque in Neapol. Cod.

(59) Circumcisos infantes, qui ex hac vita migrarent minime periisse; communis est omnium Patrum, Theologorumque sententia: Parvi autem refert ex *opere ne operato*, an ex *opere operantis* peccatum originale circumcisio tolleret. De hac enim re maximam esse video inter Theologos dissensionem. Consulitor Sanctus Augustinus *Lib.* XVI. *De Civ. Dei cap.* XXVII. *col.* 440. *Tom.* VII.

(60) Egregie Tertullianus *lib.* II. *Contra Marcionem cap.* XV. *pag.* 389. ad similia quædam veterum gnosticorum argumenta respondet: *Adserite caussas ceteras quoque*, inquit, *ut sententias condemnetis, excusate delicta, ut judicia reprobetis. Nolite reprehendere judicem, sed revincite malum judicem. Nam & si Patrum delicta ex filiis exigebat, duritia populi talia remedia compulerat, ut vel posteritatibus suis prospicientes, legi divinæ obedirent. Quis enim non magis filiorum salutem, quam suam curet? Sed etsi benedictio Patrum, semini quoque eorum destinabatur, sine ullo adhuc merito ejus, cur non & reatus Patrum in filios quoque redundaret?* &c. quæ sequuntur. Vide S. Aug. *l.* 16. de Civit. Dei *cap.* 27. *col.* 440. *Tom.* VII. & *lib.* IV. *de Baptismo Contra Donatistas cap.* XXIV. *Tom.* IX. *opp. col.* 140. & *lib.* II. *de Nuptiis & Conc. Tom.* X. *P.* 1. *col.* 313. Cui consentit Gregorius Magnus *lib.* IV. *Moral. cap.* III. *Tom.* 1. *opp. col.* 102.

(61) Objiciebant id quoque Catholicis Marcionitæ; sed aliorsum quidem accipiebant; sic enim argumentabantur: ut inconstantem fuisse ostenderent Deum, propterea quod passus fuerit, ut Sabbathi die arcam circumferrent Israelitæ, ut Jericuntem everterent; voluerit porro contra, ut is qui Sabbatho ligna collegerat interimeretur. Adeundus Tertullianus libro II. *Contra Marcionem cap.* XXI. *pag.* 392. qui hisce verbis respondet. *Qui Sabbathis lignatum ierat, morti datus est. Suum enim opus fecerat lege interdictum. Qui vero arcam Sabbathis circumtulerant, impune gesserunt; non suum enim; sed Dei opus, ex præcepto scilicet ipsius, administraverant.*

(62) Tertullianus *lib.* II. *cap.* XVII. *pag.* 390. *Contra Marcion. Israel toties*, inquit, *restituit* (creator) *quoties judicavit, toties refovit, quoties & increpuit. Non solum igitur judic=m aspiciens, convertere & ad optimi exempla: notans cum ulciscitur, consid:ra quum indulget. Repende austeritati lenitatem*, &c.

Solutio. Et Deus Prophetarum, si disputetur contra ponentes duo principia; inde Isaiæ 30. v. 27. *Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor ejus, & gravis ad portandum: labia ejus repleta sunt indignatione, & lingua ejus quasi ignis devorans.*

Item Psal. 32. *Domine ne in furore tuo arguas me.*

Contra omnes Catharos dic illud Roman. 3. v. 5. *Numquid iniquus est Deus qui infert iram? (secundum hominem dico) absit.* Idem autem est ira ejus & furor, scilicet vindicta, sed furor dicitur ira gravior.

Item objiciunt, & dicunt, quod iste Dominus, de quo agitur ibi est Satan, & hoc volunt probare, ex eo, quod habetur 1. Paralip. 23. v. 1. *Consurrexit autem Satan contra Israel, & incitavit David, ut numeraret Israel.* De eodem locutus est in 2. Reg. ult., sed locutus est de Deo Veteris Testamenti; ergo ipse est Satan.

Solutio. Non est verum, (63) quod de eodem locutus sit in libro Regum, & in Paralipomenon. Imo in libro Regum de Deo Veteris Testamenti, qui est Pater Christi; in Paralipomenon de adversario ejus. Nonne vides, quod Deus Pater dicitur tradidisse Christum ad Rom. 8. v. 32. *pro nobis omnibus tradidit illum?* Judas etiam eum dicitur tradidisse, numquid de eodem fit mentio ad Rom. 8. ubi aperte Deus Pater dicitur eum tradidisse, & Matthæi 10. ubi ibidem dicitur de Juda? Non. Similiter dico, quod neque in libro Regum & in Paralipomenon fit mentio de eodem. Imo in libro Regum de bono Deo; in libris Paralipom. fit mentio de Satan, sive Diabolo; sicut 8. Rom. de Deo sancto fit mentio, & Matthæi 10. de Juda membro ipsius Satan. Nam & in Lucæ ultimo dicitur: quod tradiderunt eum Summi Sacerdotes, & Principes Judæorum. Ipse etiam se dicitur tradidisse. Ephes. 5. v. 2. *Et tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.*

Ad idem objiciunt sic. Deus Veteris Testamenti Num. 21. misit in Populum Israel ignitos serpentes, (64) ad quorum plagas occidebantur multi ex Populo. E contrario Deus Novi Testamenti sui dedit virtutem calcandi super serpentes, & scorpiones Lucæ 10. Item Marci ultimo: *serpentes tollent*: In quo apparet ejus crudelitas.

Solutio. Imo justitia, quia juste fecit Deus Veteris Testamenti, ut ibidem patet, quia murmurabant.

Præterea: Nonne Apostolus 1. Cor. 10. v. 9. approbat hoc factum, & adscribit illud Christo, dicens: *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, & a serpentibus perierunt?* Quod autem ipsi Christum tentarent, patet, quia illum tentabant, qui illos sequebantur. Ibi autem dicitur v. 4. *bibebant autem de spiritali, consequente eos petra: Petra autem erat Christus.*

Ad idem objiciunt sic. Deus Veteris Testamenti interfecit totum populum, quem eduxerat de Ægypto 600000. & plures, præter Josuè, & Caleb, ut legitur Numer. 14.

Solutio. Juste fecit, ut ibidem patet; Domino enim detrahebant.

Præterea nonne Apostolus 1. Cor. 10. v. 4. istud etiam Christo adscribit: dictum est enim; *bibebant autem de spirituali, consequente eos petra*: & statim subdit v. 5. *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto: Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum.* Sed quis hoc fecit, ut non simus concupiscentes malorum? Certe non Diabolus; Ipse enim non concupiscentiam malorum tolleret, sed potius augeret.

Ad idem inducunt illud Judic. 20. dicitur enim ibi, quod cum Filii Israel vellent pugnare contra Filios Beniamin, propter scelus quod commiserant in uxorem cujusdam Levitæ, consuluerunt Dominum, utrum pugnandum esset, & quis esset Dux bello. Et respondit illis: Judas; & quod pugnandum esset; unde hac fiducia inierunt bellum; & mortui sunt ex eis in primo conflictu 22. millia; in secundo 18. millia. Ecce quam deceptor, & crudelis Deus Veteris Testamenti, qui sic eos decepit, ut perirent.

Solutio. Justus est Deus ille, qui non decepit, sed illorum superbiam humiliavit. Permisit enim cadere illos propter superbiam, & confidentiam quam habebant in multitudine bellatorum, quod ex ipsa vi litteræ patet, sequitur enim ibidem. v. 22. *Rursum filii Israel, & fortitudine, & numero confidentes, in eodem loco, in quo prius certaverant, aciem direxerunt.* Sed certe quam cito conversi in solo Deo speraverunt, victores fuerunt; unde sequitur in littera v. 26. *Quamobrem omnes Filii Israel venerunt in domum Dei, & sedentes flebant coram Domino.* Ecce humiliatio contra superbiam. *Et jejunaverunt illo die, & obtulerunt ei holocausta.* Ecce placatio de offensa, quam ei fecerant in multitudine confidentes, & tunc consulto Domino inierunt certamen, & obtinuerunt victoriam unde per hoc ostendit eis, & nobis suam Omnipotentiam, quia quod non potuerunt in multitudine confidentes, tot millibus hominum perditis, conversi ad Dominum, & humilitati, & sperantes in Domino solo, postmodum potuerunt.

Ad idem objiciunt sic. Deus Veteris Testamenti misit lapides grandinis ad occidendum homines, unde Josuè 10. v. 11. *Dominus misit super eos lapides grandinis magnos de Cælo usque ad Azeca: & mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant Filii Israel.*

Respondeo illud Apocalypsis 8. v. 7. & seqq. *Et primus Angelus tuba cecinit, & facta est grando, & ignis, mixta in sanguine, & missum est in Terram,*

(63) Loquitur quidem auctor *lib.* II. *Regum* Spiritus Sancti afflatu, de Deo; de Satana autem auctor libri Prioris Paralipomenon, ipse quoque ductus instinctu divinitatis; sed nulla est inter hos discrepans ratio, nec Satan idem est atque Deus Veteris Testamenti, ut Cathari delirabant: *Commotum* enim *fuisse Davidem a Deo* traditur II. Regum, ut præciperet recensionem Israelitarum, non se ipso, ita ut per se incitarit regem, sed, veluti proditum in Paralipomenis est, permittendo, ut a Satana tentaretur, & cederet tentationi. Ex hisce Sacrorum Bibliorum testimoniis colligi nequit Satanam eumdem esse ac Deum Veteris Testamenti.

(64) Hoc item argumentum opponebant Marcionitæ, quos Tertullianus exagitat *lib.* II. *Contra Marcionem cap.* XIV. *seqq. pag.* 389.

ram, & tertia pars terræ combuſta eſt, & tertia pars arborum concremata eſt, & omne fœnum viride combuſtum eſt. Et ſextus & ſeptimus Angelus, &c. Ecce idem facit Deus Novi Teſtamenti. Contra illos qui ponunt duos Creatores, induc illud quod de Joſue dicitur. Eccleſ. 46. v. 6. & 7. *Audivit illum magnus & ſanctus Deus in ſaxis grandinis virtutis valde fortis. Impetum fecit contra gentem hoſtilem, & in deſcenſu perdidit contrarios.*

Ad idem inducunt illud de maledictionibus (65) ab illo Deo factis, duris & abominabilibus. Levitic. 26. ubi videtur quod crudelis erat.

Reſpondeo. Imo juſtus. Et Chriſtus maledixit ficum Marci 11. Item maledixit per Paulum 1. Cor. ultimo v. 22. *Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anathema.* Item Act. 23. *Percutiat te Deus, paries dealbate.*

Ad idem inducunt illud Apocalypſis 9. v. 10. & 11. *Et habebant ſuper ſe Regem Angelum Abyſſi, cui nomen exterminans.* Et dicunt quod iſte eſt ille, qui populum Iſrael proſtravit in deſerto, ſecundum Apoſtolum 1. Cor. 10. v. 10. *Neque murmuraveritis, ſicut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore.* Ex his concludunt ſic. Angelus Abyſſi, qui dicitur exterminator populum occidit in deſerto, ſed in lege veteri dicitur, quod Deus ille occidebat eos. Ergo Angelus Abyſſi erat Deus Veteris Teſtamenti.

Ad hoc reſpondeo ſic. Numquid ille ſolus, ſcilicet Angelus Abyſſi dicitur exterminans? Sic dicas quod non. Quare ergo vis dicere, quod iſte eſt ille qui dicitur ab Apoſtolo exterminator, & qui populum in deſerto proſtravit? Si dicas quod ille ſolus dicitur exterminans: Contra eos qui ponunt duos Creatores inducas illud Amos 2. v. 9. *Ego autem exterminavi Amorrheum a facie eorum.* Et Nahum 2. v. 13. *Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum: & ſuccendam uſque ad fumum quadrigas tuas, & leunculos tuos comedet gladius: & exterminabo de terra prædam tuam, & non audietur ultra vox nunciorum tuorum.* Vinum etiam exterminat Eccleſiaſtici 31. v. 30. *Multos enim exterminat vinum.* Item ignis Sap. 16. v. 19. *Et quodam tempore in aqua ſupra virtutem ignis exardeſcebat undique, ut iniquæ terræ nationem exterminaret.* Contra omnes Catharos dic: Nonne & Matthæi 6. v. 16. dicitur *de quibuſdam: exterminant enim facies ſuas?*

Præterea nonne Apoſtolus Heb. 3. adſcribit illud exterminavit Spiritui Sancto: v. 7. *Quapropter, ſicut dicit Spiritus Sanctus: Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione, ſecundum diem tentationis in deſerto, &c.*

§. IV.

De quarta radice, quæ eſt mendacium, quod dicunt eſſe in Deo Veteris Teſtamenti.

CIrca quartam radicem, quæ eſt mendacium, (66) ſic objiciunt hæretici, volentes per mendacium oſtendere, quod Deus Veteris Teſtamenti fuerit malus. Primo autem inducunt illud Geneſ. 11. de Gigantibus, qui ædificabant Turrim, dixit Deus ille v. 6. *Non deſiſtent a cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant.* Sed ſequitur ibi etiam: *& ceſſaverunt ædificare*: ecce quam mendax eſt Deus ille.

Solutio. Conditionaliter intelligitur, non deſiſſent, niſi reſiſtamus eis; & quod ita ſit intelligendum, patet ex litera quæ ſequitur: v. 7. *Venite igitur deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unuſquiſque vocem proximi ſui. Atque ita diviſit eos Dominus ex illo loco in univerſas Terras, & ceſſaverunt ædificare Civitatem.*

Ad idem inducunt illud Geneſ. 12. & 14. & 15. Promiſit ille Deus ſe daturum Abrahæ terram Chanaam, & non dedit neque paſſum pedis, ut dicit Beatus Stephanus Act. 7. ergo fuit mendax.

Solutio eſt. Quod non promiſit ſe daturum ei in propria Perſona, ſed ei in ſemine, ut patet Geneſ. 15. v. 13. & ſeqq. *Scito prænoſcens, quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua: & ſubjicient eos ſervituti, & affligent quadringentis annis. Veruntamen gentem, cui ſervituri ſunt, ego judicabo: & poſt hæc egredientur cum magna ſubſtantia. Tu autem ibis ad Patres tuos in pace, ſepultus in ſenectute bona. Generatione autem quarta revertentur huc*; quod completum eſt ſecundum Tribum Leviticam, quia Levi ingreſſus eſt in Ægyptum, qui genuit Caath, qui Amram, qui Aaron, qui Eleazar, ſunt quatuor generationes.

Si dicat, quod non dedit illam Terram ſemini Abrahæ, ſcilicet Iſaac, neque etiam Jacob &c.

Reſpondeo. Non promiſit omni ſemini, ſed ſemini, & ita indefinite loquitur, non univerſaliter, & ſine dubio aliquibus de ſemine Abrahæ data eſt.

Si dicat, quod non eſt data eis, qui exierunt de Ægypto. Imo, licet non omnibus.

Item promiſſio illa fuit conditionalis, ut patet Exodi 23. v. 22. *Quod ſi audieris vocem ejus*, id eſt Angeli, *& feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes Te; Præcedetque Te Angelus meus & adducet Te ad Amorrhæum & Hethæum, & Pherezæum, Chananæumque, & Hevæum & Jebuſæum, quos ego conteram.* Item Pſalmiſta Pſalm. 131. v. 12. & 13. *Si cuſtodierint Fi-*

(65) Eodem ſpectabant argumenta cetera, quæ Gnoſtici, & Manichæi Veteres ex Sacris Bibliis Antiqui Teſtamenti repetebant, ut Creatori conflarent invidiam, eumque malum, ſævumque eſſe probarent: cujuſmodi plura apud Tertullianum toto fere *libro ſecundo Contra Marcionem*, apud Titum Boſtrenſem, Auguſtinum, Epiphanium, atque alios cernere licet. Hos ergo conſulere poterit lector, quo reſponſa a Patribus tantis adhibita, a noſtri momentis minime diſcrepare ſimul una perſpiciat.

(66) *Mobilitatem* quamdam, & *inſtabilitatem* Deo Creatori affingebant Gnoſtici, ut auctor eſt Tertullianus *lib.* II. *contra Marcionem cap.* XXI. *ſeqq.* Quod Manichæi prope & Pauliciani, & aliæ peſtes generis ejuſdem probarunt.

lii tui Testamentum meum , & testimonia mea hæc quæ docebo eos ; Et Filii eorum usque in seculum sedebunt super sedem tuam .

Præterea , quod esset illud semen , patet per Paulum Galat. 3. v.16. *Abrahæ dictæ sunt promissiones , & semini ejus . Non dicit : & seminibus , quasi in multis : sed quasi in uno . Et semini tuo , qui est Christus .* Iste est hæres non tantum Terræ Chanaam , de qua loquebatur Abrahæ , sed etiam universorum Hebr. 1. v. 2. *Quem constituit hæredem universorum per quem fecit & secula .*

Ad idem inducunt illud Genes.32. v.28. dixit Angelus Dei ad Jacob cum pugnasset cum eo : *Nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum , sed Israel.* Et postea dixit Exodi 3. v.6. *Ego sum Deus Patris tui , Deus Abraham , & Deus Isaac , & Deus Jacob .* Mendax est Deus ille apud quem est , & non invenitur .

Respondeo . Quid ergo dices de Christo qui ait : *Mea doctrina non est mea* Johan. 7. v.16. Item : *qui credidit me , non credit in me , sed in eum , qui misit me* Jo:12. v.44. Ecce est , & non ; numquid mendax? dico ergo illud sic intelligendum esse ; non vocabis nomen tuum Jacob tantum, sed Israel. Similiter dico in Johanne intelligitur tantum .

Ad idem inducunt illud Exodi 4. v.21. *Ego indurabo cor ejus , & non dimittet populum .* Et loquitur de Pharaone , & tamen postea dimisit . Ergo mendax erat ipse .

Respondeo . Conditionem apponebat hanc ; scilicet nonnisi in manu forti , ut patet Exodi 3. & 4.

Ad idem inducunt illud Exodi 33. v. 18. petiit Moyses a Deo Veteris Testamenti , dicens : *Ostende mihi gloriam tuam . Respondit Dominus : Ego ostendam omne bonum Tibi .* Et paucis interpositis ait : *videbis posteriora mea : faciem autem meam videre non poteris .* Ecce qualis Deus ; promisit ei ostendere omne bonum , & ostendit turpitudinem suam .

Solutio . Miser blasphemas non intelligens scripturam . Idem enim appellat omne bonum , & posteriora sua ; scilicet ipsa visibilia , unde Genes. 1.v.32. *Viditque Deus cuncta , quæ fecerat , & erant valde bona .* Horum notitiam dedit Moysi , unde Psalmista Psalm. 102. *Notas fecit vias suas Moysi .* Creaturæ enim visibiles sunt via ad cognitionem invisibilium , unde Rom. 1. v. 20. *Invisibilia enim ipsius a Creatura mundi , per ea quæ facta sunt , intellecta, conspiciuntur .* Faciem vero suam , vel gloriam , id est deitatem non videbit homo vivens in hoc statu mortalis vitæ . De istis Creaturis dicit Apostolus ad Philippenses 3. v.13. *Quæ quidem retro sunt obliviscens: ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum.* Quod idem est ei quod dicitur 2. Cor. 4. v. 18. *Non contemplantibus nobis quæ videntur , sed quæ non videntur æterna sunt .* Vel posteriora dicit humanam naturam Christi , idest Corpus & Animam, quæ posteriora sunt Deo , sicut Creatura Creatore, unde ibi dicitur : *Stabis supra petram .* Exod. 33. Per fidem illius petræ , de qua 1. Cor. 10. v. 4. *bibebant autem de spiritali , consequente eos petra ; petra autem erat Christus .* Ibidem . Unde dicitur : *ponam Te in foramine petræ .* Ipse enim habuit fidem Passionis Christi . Heb.11. v.26. *majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi .*

Præterea per auctoritatem ibi positam : *miserebor &c.* quam ponit Apostolus Rom. 9. dicens v. 18. & 14. *Numquid iniquitas apud Deum ? Absit . Moysi enim dicit : Miserebor , cujus miserebor .* Patet quod ille Deus est bonus a quo Paulus iniquitatem removet .

Ad idem inducunt illud Exod. 33. v. 3. *Non enim ascendam tecum , quia populus duræ cervicis est .* Postea eodem Capitulo dixit Moysi v.15. *Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto : In quo enim scire poterimus ego , & populus tuus invenisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaveris Nobiscum, ut glorificemur ab omnibus populis , qui habitant super Terram ? Dixit autem Dominus ad Moysem : Et Verbum istud , quod locutus es , faciam :* idest ascendam . Ecce in re fuit est , & non .

Respondeo . Johan. 7. v. 8. *Vos ascendite ad diem festum hunc , ego non ascendo ad diem festum istum .* Ipse tamen postea ascendit , ut ibidem habetur . Si autem illud Johannis vis intelligere cum determinatione , quare hoc non , quod dicitur in Veteri Testamento ?

Ad idem inducunt illud Numer. 14. v.13. *Usquequo detrahet mihi Populus iste ?* Postea dixit v. 12. & seqq. *Feriam igitur eos pestilentia, atque consumam ; Te autem faciam Principem super gentem magnam , & fortiorem , quam hæc est .* Postea dixit Moyses : *Dimitte , obsecro peccatum populi tui hujus , secundum magnitudinem misericordiæ tuæ , sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto usque ad locum istum . Dixitque Dominus : dimisi juxta verbum tuum .* Igitur in eo fuit est , & non, idest mendacium .

Item Judicum 10. filiis Israel traditis in manu Philistinorum & filiorum Ammon , ait Dominus v. 13. *coluistis Deos alienos : idcirco non addam ut ultra vos liberem ;* & tamen postea eos liberavit per Jephte 11. cap. ejusdem libri .

Solutio est harum objectionum & similium , quoniam ille Deus inde est laudandus , unde tu eum vituperas, quoniam exorabilis est ille Deus , & placabilis peccatoribus super malitia eorum .

Præterea . Nonne idem modus loquendi habetur in Deo Novi Testamenti , ut dictum est Jo: 7. v. 4. *Ego non ascendo .* Unde dico , quod sicut id , quod dicit Deus Novi Testamenti sine determinatione aliqua , intelligitur cum determinatione , vel conditione , ita & id quod dicitur a Deo Veteris Testamenti , qui idem est cum Deo Novi Testamenti .

Ad idem objiciunt , quod habetur 2. Reg.7. v.12. ubi dixit Dominus Deus ad David : *Suscitabo semen tuum post Te , qui egredietur de utero Tuo .* Et postea dixit : *& stabiliam Regnum ejus usque in sempiternum ;* quod minime fecit .

Solutio . Conditionaliter intelligebatur , sicut patet in Psalmo : Sic enim ait David Psalm. 131. *Juravit Dominus David veritatem , & non frustrabitur eum . De fructu ventris tui ponam super sedem tuam . Si custodierunt filii tui testamentum meum , & testimonia mea hæc quæ docebo eos .*

Præterea : istud completum est in Christo spiritualiter , sicut dicitur Lucæ 1. v. 32. & 33. *Et dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus , & regna-*

gnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.

Ad idem inducunt illud 3. Reg. ult. v. 13. & seqq. *Et vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cæli assistentem ei a dextris & a sinistris. Et ait Dominus: Quis decipiet Achab Regem Israel, ut ascendat & cadat in Ramoth Galaad? Et dixit unus verba hujuscemodi, & alius aliter. Egressus est autem spiritus, & stetit coram Domino, & ait: Ego decipiam illum. Cui locutus est Dominus. In quo? Et ille ait: Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus. Et dixit Dominus: Decipies, & prævalebis: egredere, & fac ita.* Ecce qualis Deus est iste qui decepit Israel Regem Achab spiritu mendacii. Iste est, de quo dicitur Jo: 8. v. 44. *In veritate non stetit: quia non est veritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & Pater ejus.*

Solutio. In nullo reperietur hic mentitus esse. Dixit enim: *decipies & prævalebis*: & hoc verum fuit.

Præterea dic ubi mentitus sit, quod cum facere non possis, constat te esse blasphemum. Præterea Rex ille idolatra erat, & pseudo prophetas sequebatur: nonne igitur merebatur decipi a spiritu mendacii?

Præterea si objicis, quia dixit: *egredere, & fac ita*: nonne & Dominus noster Jesus Christus dixit Judæ: *Quod facis fac citius?* Item Apocalypsis ult. v. 11. *qui nocet noceat adhuc: & qui in sordibus est sordescat adhuc: & qui justus est justificetur adhuc: & sanctus sanctificetur adhuc?*

Si dicat: Et dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum. Nonne idem dicit Paulus de Deo Novi Testamenti Rom. 1. v. 24. *tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt.* Item 2. Thessalon. 2. v. 10. & 11. *Charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio: ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati*: Item Jo: 9. v. 39. *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.*.

Si objicis: de hoc ait 3. Reg. 22. v. 23. *Et Dominus locutus est contra te malum*: dico quod malum appellat pœnam, non culpam, de quo malo illud dicitur, ut cadat in Ramoth Galaad.

Sed quid sibi vult hoc, quod ait v. 19. *Et omnem exercitum cæli assistentem ei a dextris & a sinistris.* Numquid mali spiritus, & mendaces ibi sunt? Ita credunt qui duos Creatores ponunt, hoc intelligentes de malo Creatore, & de malo solio, & de malo cælo, scilicet de isto quem nos videmus: & ponunt quod Ramoth-Galaad in patria boni Dei sit, ad quam volebant ascendere & expugnare, de quo nullam habent rationem, & nullum testimonium. Dico ergo, quod solium, dicit non aliquam corporalem sedem, sed Angelos, quibus Dominus præsidens inferius cuncta disponit. Similiter exercitus cæli, dicit Angelos administratores, quorum quidam electi per dextram signantur, quidam reprobi per sinistram. Deus enim neque dextra, neque sinistra corporali concluditur. Non enim corporeus est; quia sic esset compositus, & ita non esset principium.

Sed quomodo mali de exercitu cæli sunt?

Respondeo sic: Quoniam in cælo creati, & quia inde expulsi, adhuc tamen in cælo aereo demorantur, unde Ephes. 6. v. 12. *Contra spiritalia nequitiæ in cælestibus.* Et omnis exercitus spirituum assistit Deo, quia voluntas electorum spirituum deservit potestati Divinæ, & reproborum sensus propriæ serviens malitiæ vindictam Omnipotentis exercet, Ecclesiast. 39. v. 33. *Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt; & in furore suo confirmaverunt tormenta sua.* Item Isaiæ 13. v. 4. *Dominus exercituum præcepit militiæ belli, venientibus de terra procul, a summitate cæli: Dominus & vasa furoris ejus, ut disperdat omnem terram.* Et nota benignitatem illius Dei & justitiam.

Item & 22. pepercerat ne induceret malum, quod fuerat comminatus. Et 3. Reg. 21. v. 21. *Si mortuus fuerit Achab in Civitate, comedent eum canes: si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cæli.* Et quare pepercit? quia humiliatus fuerat coram Domino, ut dicitur 22. Postea autem punivit eum, quia tamquam superbus contra mandatum Dei sequebatur falsos Prophetas, unde hoc est quod dicit Jacob 4. & 1. Pet. 5. v. 5. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

Item per impossibilitatem dictorum, probant Deum Veteris Testamenti malum fuisse, & non Deum verum, unde objiciunt illud Levitici 16. de hirco qui portabat peccata populi, quod penitus impossibile est.

Solutio. Eodem modo quo dicitur 1. Corinth. 10. *Petra erat Christus*: Dicimus quod hircus portabat peccata, quia figurabat portantem, unde 1. Petr. 2. v. 24. *qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* Illa autem legalia erant figuræ, ut prædictum est de Serpente Æneo in indice de contrarietate. Quod autem legalia figuræ, patet de agno paschali; unde Jo: 19. v. 37. *Os non comminuetis ex eo.* Item de azymo & fermentato 1. Cor. 5. & 10. *Petra autem erat Christus.* Item ibidem v. 11. *Omnia in figura contingebant illis.* Item Coloss. 2. v. 17. *quæ sunt umbra futurorum.* Item Hæbr. 9. v. 8. *Hoc significante Spiritu Sancto nundum propalatam esse Sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum: quæ parabola est temporis instantis.* Et 10. v. 1. *Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum; per singulos annos iisdem ipsis hostiis quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere.* Item Galat. 4. v. 24. *Hæc enim sunt duo testamenta*; & loquitur ibi de Sara & Agar. (67)

§. V.

(67) Multa ejusdem generis argumenta congerebant Manichæi Veteres, quæ prima specie pugnantia esse videbantur, quo Deum Veteris Testamenti mendacem esse ostenderent. Ea porro ab Augustino, & Epiphanio relata & refutata sunt. Quod autem subdit Moneta de hirco ferente peccata, quia figurabat personam Christi, omnium Patrum consensione probatur. Jam vero hoc idem responsum adhibet *Auctor Carminum contra Marcionem lib. III. pag. 639.*

Cur Deus ergo jubet pecorum sibi sanguine fundi?
* * * * * *Aspice*

§. V.

Probatio Ecclesiæ, quod Deus dator Veteris Testamenti fuerit bonus, & unus, & idem cum Deo Novi Testamenti.

PRobationibus hæreticorum de Deo Veteris Testamenti solutis in præcedenti parte hujus capitis, restat, ut in hac secunda parte nostris argumentis Deum Veteris Testamenti, & novum unum eundemque esse ostendamus. Legitur (68) Act. 7. v. 35. *quod Deus Moysem Principem & Redemptorem misit, cum manu Angeli, qui apparuit illi in rubo*. Modo vero quæro, an ille Deus, qui per Angelum suum locutus est Moysi in rubo, sit Deus Abraham, Isaac, & Jacob? Si dicat sic esse; Dicas, si Christus est Filius illius Dei, quod patet testimonio B. Petri, qui dicit Act. 3. v. 13. *Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, Deus Patrum vestrorum glorificavit Filium suum Jesum*; Ergo Christus est Filius illius Dei, qui per Angelum locutus est Moysi in rubo, sed ille qui locutus est Moysi in rubo est ille, qui dedit Vetus Testamentum; ergo ille Deus, qui dedit Vetus Testamentum est Pater Chisti, & ita idem cum Deo Novi Testamenti.

Si autem dicas ad quæstionem primam, quod ille qui locutus est ad Moysem in rubo per Angelum, non est Deus ille, qui dicitur *Deus Abraham, & Isaac, & Jacob*. Contrarium dicit B. Stephanus Act. 7. v. 31. & seqq. *Apparuit Moysi in deserto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi. Moyses autem videns admiratus est visum. Et accedente illo ut consideraret, facta est ad eum vox Domini: Ego sum Deus Patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob*. Idem Marci 12. v. 30. patet, ubi Christus ait Judæis: *De mortuis autem quod resurgant non legistis in libro Moysi super rubum, quomodo dixerit illi Deus inquiens: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob?* Idem habetur Matthæi 22. & Lucæ 20. Ille ergo Deus, qui Moysi locutus est per Angelum in rubo, in deserto montis Sina, est Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob, & inde procede ut prius. Qui ponunt unum Creatorem, non habent quid respondeant; quia non faciunt omnia duplicia.

Sed alii dicunt quod de alio Moyse, & de alio rubo, & de alio Sina, & de alio Abraham, Isaac, & Jacob loquitur, quibus dicendum est: habetis ne de istis aliquod testimonium, quo possitis ostendere alium rubum, & alium montem Sina, ubi locutus sit Deus Pater (69) alii Moysi? Numquid etiam habetis testimonium alterius Abrahæ, qui de alia creatione sit? Non. Vana ergo est fides vestra, quia non est testificata a lege, & Prophetis. Mea autem sic. Ego autem ista quæ dicit B. Stephanus ostendere possum Exodi 3.

Item quod Deus Veteris Testamenti bonus fuerit, probatur per illud quod dicit B. Stephanus Act. 7. in principio: *Viri Fratres, & (70) Patres audite. Deus gloriæ apparuit Patri nostro Abrahæ, cum esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charan: & dixit ad illum. Exi de Terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram quam monstravero tibi*. Constat quod iste est Abraham Veteris Testamenti per verba ad ipsum dicta, quæ sumpta sunt de Genes. 12. Modo quæro de Deo qui ei apparuit, ut dicit Stephanus, an fuerit bonus Deus, an non? Si dicat quod non. Contra. Quomodo hoc stare potest, cum dicat eum Deum gloriæ? diabolus enim non est Deus gloriæ, sed ignominiæ.

Si dicas, ut dicere consuevisti, quod ipse diabolus dicitur Deus gloriæ, eo quod ipse est Deus illius gloriæ, de qua ad Philippenses 3. v. 19. *gloria in confusione eorum qui terrena sapiunt*: Hoc stare non potest, quia B. Stephanus nunquam diceret eum Deum gloriæ sine determinatione, in quo sensu sumeret gloriam, sicut etiam Apostolus in prædicta auctoritate ostendit gloriam in malo sumi, per determinationem istam, *in confusione* alioquin Stephanus nos mitteret in errorem.

Præterea, licet gloria quandoque in mala parte intelligatur, tamen Deus, vel Dominus gloriæ non invenitur in mala parte sumptus, sed in bona sic, ut patet 1. Cor. 2. v. 9. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Nonne etiam vides de quo Deo, & de qua gloria loquatur? quia de bona tantum, cum dicat eodem cap. 7. Act. circa finem

Aspice per speculum fulgentis luminis umbram
Quid vituli sanguis, vitulæ cinis hircus uterque
Hic dimissus abit, cadit alter at hostia templo.
Sanguine nam vituli populum, simul omnia vasa,
Atque Sacerdotes, & scripta volumina legis
Sparsit aquæ mixto, vates sic jussus ab alto;
Non propriam spem, nec speciem virtute vacantem,
Exemplo vituli passurum in corpore Christum;
Qui juga dura ferens humeris, temonis aratro
Fortiter abrupit sua pectora vomere ferri,
Infundens sulcis animæ sui sanguinis undam. &c.

(68) Cathari, ut antea sæpe animadvertimus, totum quantum est Novum Testamentum admittebant, Paulicianis, Bogomiliisque in hoc a Veteribus Gnosticis, & Manichæis dissentientibus, vehementer adstipulati. Sapienter igitur ex Actis Apostolicis Moneta Catharos refellere adgreditur. Atque hoc quidem argumentum adhibuit etiam contra sui temporis hæreticos, qui Vetus Testamentum rejicerent, Irenæus *lib.* III. *cap.* XXII. *n.* 10. ubi postea quam Stephani verba protulit, sic tandem concludit argumenti sententiam. *Et reliqua quidem verborum ejus eumdem Deum annunciant, qui fuit cum Joseph, & cum Patriarchis, qui & colloquutus est Mosi. Num. autem* III. relatis Petri verbis, quæ extant III. *Capite Actorum Apostolicorum v,* 12. *seqq. Manifestam ergo*, inquit, *preconationem Petrus cum Johanne preconavit eis, repromissionem quam fecit Deus Patribus per Jesum adimpletam evangelizans: non quidem alterum Deum annuncians, sed filium Dei, qui & homo factut est, & passus in agnitionem adducens Israel, & in Jesu Resurrectionem, quæ est a mortuis, annuncians, & significans, quoniam omnia, quæ Prophetæ annunciaverunt de passione Christi, hæc adimplevit Deus.*

(69) Ludunt Cathari, qui hoc responsum adhibent. Neque enim uspiam exstat ullius cujusquam alterius Abrahæ mentio. Longe aliter se gerebant Marcionitæ, qui sæpe ubi Abraham in Epistolis Pauli memoratum offendebant, eradebant hoc nomen per summam impudentiam, ut Auctor est Tertullianus *Lib.* V. *cap.* II. *pag*464. Fuerunt etiam ex Gnosticis, qui reponerent: *quod apud Judæos preconantes Apostoli non poterant alterum Deum annunciare, præter eum qui creditus fuerat ab ipsis*: ut prodit Irenæus *Lib.* III. *cap.* XII. *n.* 6. Dissolvit autem hoc responsi genus Irenæus, quem adire poterit Lector.

(70) Consulendus Irenæus *loc. cit. num.* X.

finem: *Cum autem esset Stephanus plenus Spiritu Sancto, intendens in cælum vidit gloriam Dei?* Quid autem est videre gloriam Dei, nisi videre Dominum gloriosum, sive Dominum gloriæ? unde statim subdit: *Et Jesum stantem a dextris Dei*. Jesus enim Deus est, & Dominus gloriæ, unde Hæb. 1. dicitur v.3. *Splendor gloriæ*. Iste autem splendor Deus ipse est, unde 1. Johan. 1. v.5. *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ*. Iste est ille Deus gloriæ, qui apparuit Patri nostro Abraham, sicut Stephanus ait. Vis Testimonium ejus, quod dico? Attende illud, quod dicit Christus Judæis Johannis 8. v. 56. *Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit, & gavisus est*.

Præterea, quod Deus gloriæ qui apparuit Abrahæ non sumatur in malo, patet ex verbis quæ dixit Deus ille Abrahæ statim post illa verba Genes. 22. v. 18. *& benedicentur in semine tuo omnes gentes Terræ*: quæ verba sunt illius Dei, qui Abrahæ loquebatur. Sunt autem verba Dei nostri Novi Testamenti, qui ex fide justificat gentes; quod probo testimonio Apostoli Galat. 3. v. 38. *Provideus autem scriptura, quia ex fide justificat gentes Deus, prænunciavit Abrahæ; quia benedicentur in Te omnes Gentes*. Ergo Deus gloriæ, qui apparuit Abrahæ, est Deus Novi Testamenti.

Item in prædicto cap. Act. dicit Stephanus: quod Deus gloriæ *dedit* Abrahæ *Testamentum Circumcisionis, & sic genuit Isaac, & circumcidit eum die octavo*. Modo dico. Iste qui dedit Abrahæ Testamentum Circumcisionis, est Deus Veteris Testamenti, sed iste idem est Deus Novi Testamenti, & Pater Christi; ergo Deus Veteris Testamenti bonus est & Sanctus.

Si autem dicas quod idem iste non est Deus Novi Testamenti vel Pater Christi. Contra Rom. 4. v. 11. dicitur quod Abraham *signum accepit Circumcisionis signaculum justitiæ fidei*. A quo autem acceperit Circumcisionis signum, determinat ibi Apostolus cum dicit: *quæ est in præputio: ut sit Pater omnium credentium*. Hoc enim a diabolo non accepisset.

Præterea, hoc idem determinat Apostolus cum dicit v. 16. *Secundum gratiam firma fit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solum, sed & ei, qui ex fide est, Abrahæ, qui Pater est omnium nostrum (sicut scriptum est: Quia Patrem multarum gentium posui Te)* Ecce quod Apostolus dicit Abraham Patrem omnium nostrum, idest omnium credentium, ut habetur in illo cap. Rom. 4. Et quod ita sit, probat per Scripturam Genes. 17. unde illa verba sumit Apostolus, & aliunde non, quod tu possis ostendere: Loquitur ergo de Abraham Veteris Testamenti, & de Circumcisione carnali, quæ est signaculum justitiæ fidei. Postea de suo addit Apostolus & dicit: *ante Deum cui credidit*, & qui sit ille Deus, cui credidit ante Abraham, determinat, ne eum malum dicas, unde & ait v. 17. *Qui vivificat mortuos; & vocat ea quæ non sunt tamquam ea quæ sunt*. Iste autem est Deus Novi Testamenti, Pater scilicet Christi. Et quod ita sit patet testimonio Jo: 5. v. 29. *Sicut enim Pater suscitat mortuos, & vivificat: sic & Filius quos vult vivificat*. De alio enim non potes ostendere quod hoc faciat. De isto autem habetur 1. Cor. 1. v.28. qud *Deus* Novi Testamenti *elegit ea quæ non sunt*. Ex his omnibus patet quod Deus gloriæ, qui apparuit Abrahæ, & qui dedit Testamentum, idest pactum Circumcisionis, & Veterem Legem, postea Deus est Novi Testamenti, & Pater Christi.

Item quod *Deus gloriæ qui apparuit Patri nostro Abrahæ &c.* Act. 7. ubi sup. bonus Deus fuerit, probatur per illud Rom. 4. v. 10. ubi dicit Apostolus: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* (71) Quomodo ergo reputatum est? In Circumcisione, an in Præputio? Non in Circumcisione, sed in Præputio. Hic videtur ab Apostolo, quod Abraham habuit per fidem justificationem, non per Circumcisionem; prius enim fuit justificatus, quia credidit Deo, quam circumcisus, ut ostendit Apostolus, quando dicit, quomodo *reputata est &c.*, & sumit Apostolus hanc probationem ex eo quod Genes. 15. v.6. dictum est: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam*. Postea autem accepit fœdus Circumcisionis, ut habetur Genes. 17. Postea addidit Apostolus: *Et signum accepit Circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in Præputio*; supple, data ei. Et vult dicere. Ex hoc, quod Circumcisio non fuit ei caussa justificationis, sed signaculum ejus quod prius habuerat. Ad quod autem justificatus est in Præputio: idest tempore Præputii, sive antequam circumcideretur, subdit Apostolus cum dicit: *ut sit Pater omnium credentium per Præputium*, idest in Præputio, idest in gentibus, quæ aliquando dicuntur Præputium. Rom. 2. v.26. *Si igitur Præputium justitias legis custodiat, nonne Præputium illius in Circumcisionem reputabitur*. Postea dicit Apostolus v. 28. *Non iis tantum qui sunt ex circumcisione, sed & iis qui sectantur vestigia fidei*, ejus, *quæ est in Præputio*; supple data sibi. Hic aperte habetur quod Apostolus vult fidem esse caussam justificationis, & justificationem esse ex fide, & hoc probat per Abraham, qui primo ex fide justificatus est, non ex opere illo legali, quod est Circumcisio; ideo quia primo justificatus est per fidem Pater est omnium credentium, per exemplum credendi. Modo dico sic. Si Abraham per illam fidem qua credidit ei qui loquebatur secum, & promit-

(71) S. Irenæus *lib.* IV. *Contra Hæreses cap.* V. *al.* X. *num.* 3. *seqq.* posteaquam hæc Apostoli verba recensuit: *Didicerat*, inquit Abraham, *a verbo Domini, & credidit ei: quapropter & deputatum est ei ad justitiam a Domino. Fides enim, quæ est ad Deum Altissimum, justificat hominem: & propter hoc dicebat:* Extendam manum meam ad Deum Altissimum, qui constituit Cælum & Terram: Gen. XI v. v. 22. *Hæc autem omnia conantur evertere illi qui sunt malæ sententiæ, &c.* Apposite quoque Tertullianus *in* V. *Contra Marcionem Libro, cap.* III. *seq. pag.* 464. *Sed & cum adjicit* [Apostolus] inquit, *Omnes enim Filii estis fidei; ostenditur quid supra hæretica industria corrasit, mentionem scilicet Abrahæ, qua nos Apostolus filios Abrahæ per fidem affirmat; secundum quam mentionem hic quoque filios fidei notavit. Ceterum quomodo filii fidei? Et cujus fidei si non Abrahæ? Si enim Abraham Deo credidit, & deputatum est justitiæ, atque exinde pater multarum nationum meruit nuncupari. . . . Ipsum quod fidem a circumcisione revocabat, nonne Abrahæ filios constituere quærebat, qui in carnis integritate crediderat? Denique alterius Dei fides, ad formam Dei alterius non potest admitti, ut credentes justitiæ deputet, ut justos vivere faciat ut nationes filios fidei dicat &c.*

mittebat ei Filium, & femen ficut ftellas cæli, & ficut arenam quæ eft in littore maris, juftificatus eft, & Pater omnium credentium in Chriftum, tam Judæorum, quam Gentilium? Si fic; Ergo bonus Abraham, & fides ejus bona, & ille cujus verbis adhibuit fidem bonus.

Præterea dicit: *credidit Abraham Deo &c.* de quo intelligit Apoftolus? Si de bono. Habeo propofitum, quod Deus Veteris Teftamenti bonus eft; ille enim erat Deus Veteris Teftamenti; ut patet Genef. 15. Si de Deo malo intelligit, hoc non poteft ftare, quia credendo diabolo, ipfum fuum credere non reputaretur ei ad juftitiam, fed potius ad reprobationem & damnationem. Si autem facias vim in verbo; *dicens*; non dixit juftificatus eft, fed *reputatum eft*, & dicas reputatum eft illi ad juftitiam non in rei veritate, fed in fola æftimatione, male effet Apoftolo, & aliis credentibus Ecclefiæ Dei, tum quia malum Patrem credendo haberent, fcilicet Abraham diabolo credentem, ut dicis; tum quia in fine illius cap. dicit Apoftolus. *Non eft autem fcriptum tantum propter ipfum, quia reputatum eft illi ad juftitiam: fed & propter nos quibus reputabitur credentibus in eum, qui fufcitavit Jefum Chriftum Dominum noftrum a mortuis.* Sed illud verbum reputatum eft illi ad juftitiam, propter nos etiam fcriptum eft, & reputatum dicitur ad juftitiam non rei veritate, fed fola æftimatione. Male igitur credentibus in eum, qui fufcitavit &c. Sic enim fides non effet eis ad juftitiam, fed tantum reputaretur &c.

Præterea nonne vides quia fides reputabitur ad juftitiam credentibus in eum? fed in quem eum? nifi in Deum Abraham loquentem. Relatio enim eft ante relatæ rei reprefentatio, ergo Deus qui loquebatur Abraham eft ille, qui fufcitavit Jefum a mortuis; & ita ille Deus eft Pater Chrifti. Si autem fugias & dicas, quod in eum non eft intelligendum, ideft Deum Abraham, fed in eum cui credidit. Contra: ifte idem eft Deus Abraham: probatur Act. 3. v. 13. & feqq. *Deus Abraham, & Deus Ifaac, & Deus Jacob Deus Patrum noftrorum glorificavit Filium fuum Jefum, quem vos quidem tradidiftis, & negaftis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti. Vos autem Sanctum, & juftum negaftis, & petiftis virum homicidam donari vobis: authorem vero vitæ interfeciftis, quem Deus fufcitavit a mortuis.*

Præterea dicit Apoftolus, quod Abraham Rom. 4. *Contra fpem in fpem credidit*: *Contra fpem*, fcilicet de impoffibilitate naturæ fuæ credendo, venit in fpem habendi Filios ex Dei promittentis virtute, fecundum quod dictum eft ei Genef. 15. v. 6. *Sic erit femen tuum ficut ftellæ cæli, & arena maris.* Ibidem. Et poftea fubjungit Apoftolus: *Et non infirmatus eft fide*, licet cauffam haberet unde fubdit Apoftolus: *nec confideravit corpus fuum emortuum, cum fere centum effet annorum, & emortuam vulvam Saræ*; fupple ad generandum; & licet differretur promiffum, tamen ficut fubdit Apoftolus: *In repromiffione etiam Dei non hæfitavit diffidentia*, fupple quando Angelus ei promifit Genef. 18. v. 14. & dicens: *Juxta condictum revertar ad Te hoc eodem tempore, vita comite, & habebit Sara filium.* Et ideo non dicit promiffione, fed repromiffione, quafi iterum facta promiffiones, ut dicit Apoftolus: *Sed confortatus eft fide dans gloriam Deo, pleniffime fciens, quia quæcumque promifit potens eft & facere.* Ecce quod Abraham Deo promittenti fibi prolem, gloriam dedit, quia conftans in credulitate ejus fuit, quia erat Deus qui ei per Angelum loquebatur gloriofum, five honorificum.

Præterea dicit Apoftolus, quod Abraham erat fciens, nec tantum fciens, imo pleniffime fciens, quia quæcumque promiferat ille Deus fibi potens erat facere, fed iftud fciebat, ergo ita erat verum: hoc autem effe non poffet, fi diabolus effet.

Præterea dicit ftatim Apoftolus: *Ideo & reputatum eft illi ad juftitiam.* Sine dubio non effet ei ad juftitiam reputatum, credere diabolum omnia poffe facere quæ promittit: & ficut prius oftenfum eft quod dicitur: *reputatum eft illi ad juftitiam*: intelligitur de juftitia Chriftianorum, quæ eft ex fide. Et quod ita fit probari poteft, per ea quæ dicit Apoftolus eodem capite. *Non enim per legem promiffio Abrahæ aut femini ejus, ut effet hæres mundi: fed per juftitiam fidei*; ergo juftitia Abrahæ juftitia fidei erat; hæc autem eft juftitia Chriftianorum, non juftitia legis. Hæc enim juftitia fidei nufquam reperitur, nifi pro juftitia Chriftianorum, & pro illa quæ falutem æternam præbet. Nonne vides quod Apoftolus Rom. 10. v. 5. & feqq. diftinguit duplicem juftitiam dicens: *Moyfes enim fcripfit, quoniam juftitiam quæ ex lege eft, qui fecerit homo, vivet in ea. Quæ autem ex fide eft juftitia, fic dicit: Ne dixeris in corde tuo: Quis afcendet in cælum? ideft Chriftum deducere: aut quis defcendet in abyffum? hoc eft Chriftum a mortuis revocare; fed quid dicit Scriptura? Prope eft verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc eft verbum fidei quod prædicamus. Quia fi confitearis in corde tuo Dominum Jefum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum fufcitaverit a mortuis, falvus eris. Corde enim creditur ad juftitiam: ore autem confeffio fit ad falutem.*

Præterea eodem cap. dicit Apoftolus v. 16. *ex fide eft hæreditas*; Rom. 4. *ut fecundum gratiam firma fit promiffio omni femini, non ei qui ex lege eft folum, fed & ei qui ex fide eft Abrahæ*; fupple, undecumque fit. Modo dico fic. Si fides Abrahæ effet fides, quam exhibebat dictis Diaboli fibi loquentis, ut dicis, numquam dixiffet Apoftolus quod hæreditas effet ejus, qui ex fide ejus effet; fides ergo Abrahæ erat fides adhibita dictis Dei fancti, & jufti, fed ille eft Deus Veteris Teftamenti, ergo Deus Veteris Teftamenti eft bonus.

Præterea, vide quid promittebat ille Deus ei Genef. 15. v. 5. *Sic erit femen tuum, &c.* Numquid ifta promiffio erat tantum carnalis? vel tantum fpiritalis, vel talis & talis? Si fpiritalis? ficut verum eft fecundum Apoftolum Rom. 4. & conftat quod erat bona; ergo Deus promittens fpiritualis eft, & bonus. Si carnalis? quod etiam verum eft, ergo propagatio carnalium filiorum a Deo bono Veteris Teftamenti.

Item Actor. 3. in fine dicit Petrus Judæis: *Vos eftis Filii Prophetarum, & teftamenti, quod difponit Deus ad Patres noftros dicens ad Abraham: Et in femine tuo benedicentur omnes familiæ Terræ.* Ifte

Deus

Deus qui dixit ad Abraham: *in semine tuo benedicentur omnes familiæ Terræ*, fuit (72) Deus Veteris Testamenti, quod patet Genes. 22. unde sumptum est illud testimonium, idest illa promissio. Iste autem idem Pater Christi est, ut patet Act. 3. post verba quæ præmissa sunt, ubi postquam dixerat: *in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ*: statim subjungit: *Vobis* igitur *primum Deus suscitans Filium suum, misit eum benedicentem vobis, ut convertat se unusquisque a nequitia sua*.

Item ille Deus qui promisit Abrahæ, *quod in semine, &c.* Act.3. Rom. 4. *& cui credidit Abraham, est Deus, qui vivificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt tamquam ea quæ sunt*; quod de solo Deo Novi Testamenti intelligitur. Idem ergo est Deus Veteris Testamenti, & Novi Testamenti.

Item Galat. 3. v. 16. *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini ejus: Non dicit: Et seminibus quasi in multis; sed quasi in uno. Et semini tuo, qui est Christus*. Modo quæro a quo dictæ sunt, & factæ promissiones istæ? Numquid a malo Deo? Non. Sic enim malo Deo fidem adhibuisset, ejus promissionibus credendo; quod si esset verum, mentiretur Apostolus ad Galat. 3. dicens v. 7. *Qui ex fide sunt* Abrahæ, *ii sunt Filii Abrahæ*: imo ei contrarii essent; quia ille Diabolo credebat secundum Te: isti autem Christo.

Præterea, ut dictum est prius, ille Deus, cui credebat est ille *qui vivificat mortuos*, ut testatur Apostolus Rom.4. Iste autem est Deus Novi Testamenti; ergo a Deo Novi Testamenti factæ sunt ei istæ promissiones, non a Diabolo.

Item, quod a Bono Deo factæ sunt ei promissiones, patet ex eo, quod dictum est prius Act.3. *Vos estis Filii Prophetarum, &c.*

Item ad Hebræos 6. v. 12. & seqq. *Imitatores eorum estote qui fide & patientia hæreditabunt promissiones. Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem juraret majorem, juravit per semetipsum dicens: Nisi benedicens benedicam Te, & multiplicans multiplicabo Te*. Imitari enim jubet Apostolus eos, qui fide, & patientia hæreditabunt promissiones, inter quos statim ponit in exemplum fidei, & patientiæ ipsum Abraham, de cujus fide habetur in auctoritatibus prædictis Rom. 4. & Galat. 3. v. 6. *Cognoscite ergo, quia qui ex fide sunt, ii sunt Filii Abrahæ*. Et parum postea subjungit v. 29. *Si autem vos Christi: ergo semen Abrahæ estis secundum promissionem hæredes*, supple regni. Constat quod per fidem in Christo Jesu dicitur quis esse Christi, & per eandem fidem dicitur esse semen, idest Filius Abrahæ per imitationem, ergo fides Abrahæ fuit fides Christi, quod verum est, alioquin non moneret nos Apostolus ad imitandum fidem ejus.

Præterea quod ejus fides esset fides Christi, testatur Christus Johan. 8. v.56. *Abraham* (73) *Pater vester exultavit, ut videret Diem meum, vidit, & gavisus est*. Ecce patet de fide Abrahæ. Sed de patientia ejus habetur Genes. 22. ubi habetur quod ad imperium Dei, etsi gravissimum esset, paratus fuit occidere filium suum unigenitum, quem diligebat, scilicet Isaac. Modo sic dico contra illos, qui ponunt unum principium. Iste fuit Deus Veteris Testamenti, qui promissiones fecit Abrahæ, quod patet ex verbis Apostoli, quæ sumpta sunt de Genes. 22. ubi dicit Deus ille per Angelum suum v. 16. *Per memetipsum juravi, dicit Dominus; quia fecisti hanc rem, & non pepercisti Filio tuo Unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum*. Dicitur autem Abraham fecisse rem illam, quam sibi Dominus imperavit, idest immolasse Filium suum, & non pepercisse ei, quia decrevit hoc facere; sicut etiam dicitur: Psalm. 2. & Act. 4. *Quia astiterunt reges Terræ, & principes convenerunt adversus Dominum, & adversus Christum ejus*. Non quia tunc factum esset, sed quia decretum erat a Deo Patre, ut fieret, ut patet Act. 4. Modo dico sic: Iste fuit Deus altissimus & bonus, quod probatur testimonio Apostoli, qui dixit: quod non habuit majorem se. Hoc enim de Diabolo non potest intelligi, quia ille est Creatura Dei boni, & Deus bonus major est eo: ergo Deus Veteris Testamenti bonus.

Præterea, Apostolus postea dicit Hebr. 6. v. 17. quod *abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immortalitatem consilii sui, interposuit jusjurandum*. Interposuit dicit, idest inter promissionem de multiplicatione seminis Abrahæ simpliciter factam sine juramento Genes. 15. & impletionem ejus deposuit jusjurandum Genes. 22. Ad hoc autem interposuit juramentum, *ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus*. Ibid. Hebr.6. Duæ res immobiles sunt simplex promissio, & juratoria. Ecce quod Apostolus dicit, quoniam consilium Dei, qui juravit Abrahæ per memetipsum, &c. immobile est; quod non esset, si Diaboli consilium esset; ergo iste est Deus bonus, de quo Jacob dicit cap. 1. v. 17. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*.

Præterea dicit, quod impossibile est Deum mentiri in illis duabus rebus prædictis; ergo ille Deus non est Diabolus qui est mendax, & Pater ejus. Postea dicit, quod per illas duas fortissimum habeamus solatium. Numquid Paulus, & alii Christiani in promissionibus Diaboli haberent solatium? Certe non. Bonus est ergo ille Deus, qui sic primo promisit Abrahæ Genes. 15. & postea juravit ei Genes. 22. quod multiplicaret eum. Ista objicienda sunt illis Catharis, qui ponunt unum principium; sed illi qui ponunt duo, dicent, quod de Deo bono intelligitur, & non de Deo Veteris Testamenti; similiter de bono Abraham, sed non de Abraham Veteris Testa-

(72) Videtor Irenæus *lib.* III. *cap.* XII. *num.* 3.

(73) Photius *lib.* II. *contra Manichæos* & Euthymius in Panoplia *P.* II. *Tit.* XX. *pag.* 210. *si Mali Principii vetus est Testamentum, quomodo Christus servator Noster gratiam cum lege conjungens*: Multi prophetæ, *inquit*, & justi cupiverunt videre quæ vos videtis, & non viderunt? *Cur enim videre voluissent, qui a malo essent, ea quæ boni sunt? Boni enim cupiditas a bono nascitur. Et quomodo rursum dixit*, Abraham vidit diem meum, vidit & gavisus est? *si enim Christi Mysterium latuit* principes, & potestates, & dominationes, *earumque Imperatorem, quo pacto servi ejus prævidissent diem Christi, & gavisi essent?*

ſtamenti. Quibus dicendum eſt: Numquid habetis teſtimonium ejus quod dicitis? Non. Sed ego expreſſum teſtimonium habeo. De eo quod dico in Geneſ.22. ubi ſunt verba, quæ dicit Apoſtolus, Mihi ergo credendum eſt, Tibi non.

Præterea Apoſtolus oſtendit errorem tuum. Dicit enim poſtea Hebr.6. v.20. Quod *Jeſus ſecundum ordinem Melchiſedech Pontifex factus eſt in æternum*. Et ſubdit de iſto Melchiſedech dicens Hebr.7. v.1. *Hic enim Melchiſedech Rex Salem, Sacerdos Dei Summi, qui obviavit Abrahæ regreſſo a cæde Regum, & benedixit ei, cui & decimas omnium diviſit Abraham*; ut habetur Geneſ.14. Numquid iſte Deus, cujus Sacerdos fuit Melchiſedech bonus fuit, an malus? Si bonus? Sed ille eſt Deus Veteris Teſtamenti; ut patet ex teſtimonio Geneſ. unde Apoſtolus ſumit verba ſua, & aliunde non ſumit quæ tu poſſis oſtendere; ergo Deus Veteris Teſtamenti bonus.

Si dicatur, quod malus fuit ille Deus; ergo Melchiſedech ordinatus erat Sacerdos a Deo malo; ergo ejus ordo malus; hoc autem eſſe non poteſt in veritate. Quomodo enim factus eſſet Pontifex Chriſtus ſecundum Ordinem ejus? Sic enim eſſet Pontifex ſecundum malum Ordinem. Aſſignat enim Apoſtolus ſimilitudinem Ordinis Sacerdotii Chriſti ad Ordinem Melchiſedech; unde non dixit ſecundum Melchiſedech, ſed ſecundum Ordinem ejus. Item Hæbr.11. v.8. *Fide, qui vocatur Abraham obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem: & exiit neſciens quo iret*. De fide loquitur, quæ eſt *ſubſtantia rerum ſperandarum argumentum non apparentium*; & ex qua eſt juſtitia, & vita, ut ibi dicitur. Hebr. 10. *Juſtus autem meus ex fide vivit*. Illam ergo fidem dabat Abraham verbis boni Dei; per fidem enim quam daret verbis Diaboli, non eſſet juſtitia, vel vita. Quod autem de iſta fide loquatur Apoſtolus, cum dicit: *Fide, qui vocatur Abraham, &c.* patet ex eo quod Apoſtolus poſtquam dixerat: *Eſt autem fides ſperandarum, &c.* ſtatim ſubdit: *In hac autem teſtimonium conſecuti ſunt ſenes*, ideſt antiqui Patres, inter quos enumerat Abraham dicens: *qui vocatur Abraham, &c.* Ex hoc patet quod ille Deus, qui dixit Abraham Geneſ. 12. v.1. *Egredere de Terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in Terram quam monſtrabo Tibi: Faciamque te in gentem magnam, & benedicam Tibi, &c.* Et quem B.Stephanus Act.3. appellat Deum gloriæ, bonus Deus fuit, & Sanctus; & ita Deus Veteris Teſtamenti Deus Sanctus eſt.

Iſtud argumentum confirmatur per illud quod dictum eſt ſupra in hac eadem parte capitis hujus ſupra verbum Stephani: *Deus gloriæ, &c.*

Item Lucæ 1. v.46. dicit B. Virgo: (74) *Magnificat anima mea Dominum*, ideſt Patrem: *Et exultavit Spiritus meus in Deo ſalutari meo*, ideſt in Filio ejus, ideſt in Chriſto qui dicitur Jeſus, ideſt ſalutaris. Et quare exulto in ipſo, & ipſum manifeſto? Ideo, *quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*. Reſpicere enim idem eſt, quod miſericordiam facere ei; *ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, ideſt Judæi & Gentiles: *quia fecit mihi magna qui potens eſt* (Exodi 15. v.3. *Omnipotens nomen ejus*) *Et ſanctum nomen ejus*. (Unde Iſaiæ v.3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis Terra gloria ejus*.) Et miſericordia ejus, ideſt a præterita in præſentem, & futuram generationem *timentibus eum*. *Fecit potentiam*, ideſt miracula potentiſſima *in brachio ſuo* ideſt in fortitudine ſua: *Diſperſit ſuperbos*, ideſt Ægyptios, propter *mentem cordis ſui* mali. *Depoſuit potentes de ſede*, ſupple magnitudinis ſuæ, ſcilicet Ægyptios, *& exaltavit humiles*, ideſt Hebræos. *Suſcepit Iſrael puerum ſuum*, ideſt populum Iſraeliticum, ſicut nutrix parvulum educendo eum de Ægypto: *recordatus miſericordiæ ſuæ*, ideſt promiſſionis factæ miſericorditer ipſis Patribus, unde ſequitur: *Sicut locutus eſt ad Patres noſtros*, & ſpecificat quos Patres, cum dicit; *Abraham, & ſemini ejus in ſecula*. In quibus notandum eſt, quod ille Deus, quem Beata Virgo magnificabat, in cujus ſalutari exultabat, locutus eſt Abrahæ, & ſemini ejus. Tu autem dicis quod Diabolus. Cui ergo credendum eſt, Tibi ne, an B. Virgini? Ad hoc autem dicit alius Catharus, qui duo ponit principia, quod iſte Abraham de quo loquitur B.Virgo alius eſt ab Abraham Veteris Teſtamenti. Hoc autem cum oſtendere non poſſit teſtimonio aliquo, evidens eſt ſomnium ſuum eſſe & non veritatem.

Item eodem cap. Lucæ v.67. habetur quod Zacharias Pater Johan. Baptiſtæ *repletus eſt Spiritu Sancto, & prophetavit dicens: Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ. Et erexit cornu ſalutis nobis, in Domo David pueri ſui*; ideſt in familia ejus. Maria enim de Domo, & familia David fuit, ut patet per virum ſuum Joſeph de quo dicitur 1. Lucæ 27. *quod erat de domo, & familia David*. *Cornu ſalutis*, appellat Chriſtum. Cornu ideo ipſum dixit, quia ſicut cornu in animali ad protectionem eſt ejus, ita Chriſtus in Eccleſia ad protectionem Eccleſiæ, & liberationem a nocivis. Et propter hoc dicitur *cornu ſalutis*, ideſt liberationis populi ſui ab hoſtibus. Poſtea dixit: *ſalutem*, ſupple, *erexit ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos*. *Salutem* appellat Chriſtum, quia ipſe eſt noſtra ſalus, ideſt noſter Salvator. Quod autem Deus ipſe dicatur ſalus, patet in David, qui orans Deum ait: *Dic animæ meæ ſalus tua ego ſum*. Ad quod autem dixit: *erexit* iſtud *cornu*, ſcilicet iſtum Salvatorem, ſubdit Zacharias loquens per Spiritum Sanctum. *Ad faciendam miſericordiam cum Patribus noſtris, & memorari teſtamenti ſui ſancti*, ideſt ad memorandum, hoc eſt ad oſtendendum, ſe memorem teſtamenti ſui Sancti, illius ſcilicet; *& benedicentur in ſemine tuo omnes gentes Terræ* Geneſ.22.v.18. De quo teſtamento ſubdit: *Juſjurandum quod juravit ad Abraham Patrem noſtrum daturum ſe nobis*; quaſi dicat, ad implendum *juſjurandum, quod juravit ad Abraham Patrem noſtrum*, ſcilicet *daturum ſe nobis*. Ecce habemus per Lucam quod Zacharias per Spiritum Sanctum dixit iſta de Deo Iſrael, ideſt populi Iſraelitici, de quo

(74) Hoc idem argumentum intorquet in eos hæreticos ſui temporis Irenæus, qui Vetus Teſtamentum averſabantur. *Lib.* III. *cap.* x. *al.* XI. *pag.* 185. *n.* 2. Adjicit porro *num.* 3. alterum illud, quod Moneta ex Cantico Zachariæ mox adjungit.

quo dixit Beata Maria : *Suscepit Israel puerum suum, &c.* Dixit igitur ista de Patre Christi, & de ipso Christo. Verum ergo dixit. Deus ergo Pater Christi, Abrahæ locutus est, promittens ei, & jurans quod in semine, idest in Christo, benedicentur omnes Gentes. Iste autem qui hoc juravit non est alius quam Deus Veteris Testamenti Genes.22. v.18. ut patet ex iis, quæ supra dicta sunt super illa verba ad Hebr.6. v.12. *Imitatores estote, eorum qui fide, & patientia hæreditabunt promissiones. Abrahæ namque promittens Deus: quoniam neminem habuit, per quem juraret majorem, juravit per semetipsum dicens: Nisi benedicens benedicam Te, & multiplicans multiplicabo Te.* Ex his constat quod Deus Veteris Testamenti est Pater Christi, & locutus est Abrahæ.

Ad idem etiam induci potest illud quod habetur Jac.2.v.20.& seqq. *Vis autem scire o homo inanis, quoniam fides sine operibus otiosa est? Abraham Pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens,* idest offerre volens, *Isaac Filium suum super Altare?* idest offerre paratus. *Vides quoniam fides cooperatur operibus illius, & ex operibus fides consumata est? Et impleta est Scriptura dicens: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam, & amicus Dei appellatus est.* Postea subdit: *Videtis quoniam ex operibus justificatur homo: & non ex fide tantum?* *Videtis* scilicet per exemplum fidei, & operis Abrahæ, scilicet imolationis saltem in voluntate. Ad cujus imitationem invitat hic Jacobus, sicut & Paulus Hebr.6. *Imitatores estote eorum, qui fide & patientia hæreditabunt promissiones Abrahæ.* De quo dictum est supra eodem capite. Bona igitur erat fides sua, & opera sua. Similiter ergo & ille cui credebat, & cui Filium offerebat, bonus, alioquin non invitaret ad ejus imitationem, in fide, & operibus. Iste est Deus Veteris Testamenti, ut patet per verba Jacobi sumpta ex Gen. 22. nec possunt ostendi aliunde sumi; ergo Deus Veteris Testamenti bonus.

Præterea, Jacob dicit, amicum Dei eum appellatum: Numquid ipse Jacobus Diabolum appellaret Deum sine determinatione? Non. Neque invenies Deum sumi in malo sensu sine determinatione.

Præterea contra illos, qui ponunt duo principia, potes inducere, & dicere illis; ubi appellatus est Amicus Dei, nisi in Prophetis, ut in Isaia 41. v.8. *Et Tu Israel serve meus Jacob, quem elegi semen Abraham Amici mei.* Ista sunt verba Dei Prophetarum. Sed secundum Jacobum dictus est amicus illius qui tentavit eum, & petiit, ut offerret sibi Filium: Ille autem est Deus Veteris Testamenti, ut probatum est; neque potest ostendi quod alius sit; ergo Deus Veteris Testamenti, est Deus Prophetarum; & idem est qui Deus Veteris Testamenti; sed Deus Prophetarum bonus; ergo & Deus Veteris Testamenti bonus.

Præterea ad Hebræos 11. v. 17. dicit Apostolus: *Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur: & unigenitum offerebat, in quo susceperat repromissiones: (ad quem dictum est: Quia in Isaac vocabitur Tibi semen) arbitrans quia & a mortuis suscitare potens est Deus; unde eum & in parabolam accepit.* Ecce quia dicitur, quoniam fide obtulit eum, & de qua fide intelligatur, patet ex eo quod dictum est supra eodem cap. super illo verbo: *Fide, qui vocatur Abraham, &c.* De fide enim intelligitur ex qua est justitia, & vita, quæ est rerum sperandarum substantia. Si fides ista bona est, ergo & oblatio ex hac fide procedens, bona erit, & ita verum est quod Jacobus dixit: *ex operibus justificatur homo: & non ex fide tantum.* Si autem fides bona, & opus bonum; ergo Abraham bonus: sed ut testatur Jacobus, ex iis *amicus Dei appellatus est.* Ergo Deus bonus est, qui loquebatur Abrahæ, & qui eum tentabat, & qui præcipiebat ei, ut offerret ei Filium, & ita Deus Veteris Testamenti bonus. Et nota, quia dicit, quod Abraham *qui susceperat repromissiones*: & (*ad quem dictum est: Quia in Isaac vocabitur Tibi semen*) idest ex Isaac multiplicabitur Tibi semen tuum, Dei vocatione, idest Dei gratia: vel in Isaac, idest ex Isaac erit Tibi semen, idest Christus, in quo benedicentur omnes Gentes Terræ, sola Dei vocatione, idest gratia divinæ electionis; istum, inquam, Unigenitum offerebat. Hoc autem ideo dixit Apostolus, ne ideo imputaretur Abrahæ imolare Isaac, quia alium haberet, in quo implerentur repromissiones prædictæ, sequitur *arbitrans*, idest credens, quod Deus perficeret repromissiones prædictas de semine multiplici, & de semine, idest Christo, in quo benedicentur omnes Gentes nasciturœ ex Isaac; *quia & a mortuis suscitare potens est* eum, *Deus*, immo & quod suscitaret, & ita impleret promissa, unde quia tantam fidem habuit, eum accepit, non tantum in seminis multiplicationem, sed in parabolam, idest significationem. Isaac enim Christum figurat Deum, & hominem. Per hoc enim quod aries est immolatus, & Isaac a morte liberatus, signatum est Christum secundum carnem passurum esse; secundum divinitatem vero mortem non esse sensurum. Aries ergo humanitatem Christi, Isaac divinitatem ejus figurat. Aries hærebat cornibus inter vepres, quia Christus secundum quod homo cornibus Crucis adhæsit inter Judæos, qui velut spinæ eum pupugerunt, & coronam de spinis ejus capiti circumposuerunt. Abraham portans ignem, & gladium, Deum Patrem figurat. Deus enim Pater ignem portavit, idest ferventem amorem ad nos habuit. Item tulit & gladium, idest ex ferventi amore ad nos, Christum passioni exposuit. Johan.3.v.16. *Sic enim Deus dilexit Mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, &c.*

Sed quid est quod Isaac tulit ligna, nisi quia Christus tulit lignum Crucis, in quo erat crucifigendus Johan.19. v.17. *bajulans sibi Crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum, Hebraice Golgotha.* Isaiæ 9.v.6. *& factus est Principatus super humerum ejus,* idest Crux Imperiosa?

Præterea quid dices de illo Abraham, de quo legitur Ecclesf.44. v.20. & seqq. *Abraham magnus Pater multitudinis gentium, & non est inventus similis in gloria, qui conservavit legem Excelsi, & fuit in Testamento cum illo. In carne ejus stare fecit Testamentum, & in tentatione inventus est fidelis. Ideo jure jurando dedit illi gloriam in gente sua, crescere illum quasi Terræ cumulum, & ut stellas exaltare semen ejus.* Ista sunt verba Jesu filii Syrach, quem ut testem inducere consuevisti, quod *omnia duplicia, &c.*

&c. Eccleſ.45. Et ego iſto teſte utor contra Te, qui duo ponis principia: iſte teſtis laudat Abraham. Sed de quo Abraham loquitur, niſi de Abraham Veteris Teſtamenti? Iſtud patet ex verbis hujus Teſtis, quæ de Geneſ.17. ſumuntur, & 15. & 22. quod de alio loquatur, non potes oſtendere aliquo teſtimonio. Quare ergo audes loqui, & quare non dicis Abraham Veteris Teſtamenti bonum, & ſanctum, & Deum qui tentavit eum, ut patet Geneſ. 22. & dicitur hic Eccleſ. 44. v. 21. *In tentatione inventus eſt fidelis?* Patet igitur quod ſi Jeſus filius Syrach verus teſtis eſt, Deus Veteris Teſtamenti bonus & ſanctus eſt. Si autem vis dicere quod falſus teſtis ſit, quomodo audes uti eo ad teſtimoniandum fidem tuam; quod omnia ſunt duplicia, niſi quia falſus es? Dicas ergo mecum, quod verus teſtis eſt, & Deus Veteris Teſtamenti ſanctus, & bonus cum Abraham eſt. Qualiter autem omnia dicuntur duplicia, & quod illa duplicia ab uno & eodem ſint, ſcripturarum teſtimoniis dictum eſt in parte prima hujus operis primo capitulo.

Item quid dices adhuc Tu qui ponis duo principia de illo Abraham, unde Deus Prophetarum, Deus ſanctus, & verus per Iſaiam 51. v. 1. & ſeqq. loquitur, & dicit: *Audite me qui ſequimini quod juſtum eſt, & quæritis Dominum: attendite ad petram unde excisi eſtis, & ad cavernam laci, de qua præciſi eſtis?* Poſtea exponit petram, & cavernam dicens: *Attendite ad Abraham Patrem veſtrum, & ad Saram quæ peperit vos: quia unum vocavi eum, & benedixi ei, & multiplicavi eum.* Iſte eſt bonus Abraham ſecundum Te & Deus qui vocavit eum Pater juſtorum eſt. Sed iſte eſt Abraham Veteris Teſtamenti, quod oſtendo Tibi per verba Iſaiæ, quæ ſumpta ſunt de Geneſ. 22. *Vocavit autem Angelus Domini Abraham ſecundo de Cælo dicens: Per me metipſum juravi, dicit Dominus, quia feciſti hanc rem, & non pepercisti Filio tuo Unigenito propter me, benedicam Tibi, & multiplicabo ſemem tuum.* Hoc idem dicit Iſaias; unde: *vocavi eum, & benedixi ei, & multiplicabo eum.* Hoc idem dicit Apoſtolus Hebr.6. 13. & ſeqq. *Abrahæ namque promittens Deus: quoniam neminem habuit per quem juraret majorem, juravit per ſemetipſum dicens: Niſi benedicens benedicam Te, & multiplicans multiplicabo Te.*

Item 11. v. 11. & ſeqq. *Fide & ipſa Sara ſterilis virtutem in conceptione ſeminis accepit, etiam præter tempus ætatis: quoniam fidelem credidit eſſe eum, qui repromiſerat. Propter quod & ab uno orti ſunt (& hoc mortuo) tamquam ſydera cæli in multitudine, & ſicut arena quæ eſt ad oram maris innumerabilis.* Quæ omnia manifeſte ſunt dicta de Abraham, & Sara Veteris Teſtamenti, nec poſſunt oſtendi eſſe dicta de alio.

Eodem modo potes objicere contra iſtos illud Daniel.3. in medio cap. ubi Daniel orans, dixit ad Dominum ſanctum, & verum, ſicut & Hæreticus confitetur: *Ne quæſumus tradas nos in opprobrium propter nomen tuum, & ne diſſipes teſtamentum tuum, neque auferas miſericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſervum tuum, & Iſraël ſanctum tuum: quibus locutus es, pollicens quod multiplicares ſemen eorum ſicut ſtellas Cæli, & ſicut arenam quæ eſt in littoris maris.*

§. VI.

Quod Deus Veteris Teſtamenti, qui locutus eſt Abrahæ, ſit idem qui locutus eſt & Moyſi, & quod ipſe ſit bonus, & idem cum Deo Novi Teſtamenti fuerit.

Viſo, & oſtenſo, quod Deus, qui Abrahæ Veteris Teſtamenti locutus eſt, bonus & ſanctus eſt; videamus de eodem Deo, utrum ipſe ſit ille idem qui per Moyſem datorem Veteris legis locutus eſt. Quod autem ille idem ſit, patet Act. 7. ubi aperte habetur, quod ille idem qui apparuit Abrahæ Deus, ſcilicet gloriæ, apparuit etiam Moyſi. Ibi enim dicitur v.37. *facta eſt ad eum vox Domini dicens: Ego ſum Deus Patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob.* Probatum eſt autem prius, quod ille qui Abraham loquebatur bonus Deus eſt; ergo & ille qui loquebatur Moyſi.

Item Act. 7. dicitur v.20. de Moyſe, quod *eodem tempore natus eſt Moyſes, & fuit gratus Deo:* Ergo fuit bonus; ergo & Deus ille, cui gratus erat, bonus fuit.

Si autem dicat Hæreticus, quod Deus ibi ſumitur in mala parte.

Dicas: Numquid Beatus Stephanus Diabolum appellaret Deum ſuum ſine aliqua determinatione? Certe non. Neque Tu potes oſtendere aliquo teſtimonio, quod a Chriſto vel ab aliquo ejus Diſcipulo Deus ſumeretur in mala parte ſine determinatione aliqua, qua cognoſcitur, quod in malo ſumatur.

Præterea; Numquid diceret Moyſen gratum Deo? Si Moyſes malus, & Deus, cui gratus erat eſſet malus? Non. Hoc enim eſſet mittere homines in errorem.

Præterea, quod ibi ſumatur Deus in bona parte, patet per hoc, quod ille Deus eſt ille qui apparuit Moyſi per Angelum in rubo, ut habetur infra eodem cap. Sed oſtenſum eſt prius in principio hujus capituli, quod ille qui locutus eſt Moyſi in rubo, bonus eſt; ergo ille, cui gratus dicitur Moyſes, bonus eſt.

Item eodem cap. Actorum dicitur v. 35. *Hunc, Moyſem, Deus Principem & Redemptorem miſit, cum manu Angeli, qui apparuit ei in Rubo.* Ecce quod Stephanus dicit, quod Deus miſit eum, & Tu dicis quod Diabolus. Cujus ergo teſtimonio ſtandum eſt? Tuo, an Stephani? Si autem dicis quod Diabolus ibi appellatur Deus, hoc ſtare non poteſt, quia dicitur 14. Sapientiæ v.21. *Et hæc fuit vita humanæ deceptio: quod aut affectui, aut regibus deſervientes homines, incommunicabile nomen lapidibus, & lignis impoſuerunt.* Ergo ſi ipſe, vel ejus Apoſtolus hoc nomen Deus Diabolo imponeret, ipſe & Apoſtolus deceptores eſſent.

Præterea, quod Diabolus non dicatur ibi Deus, patet per illa quæ diximus ſupra hoc verbum: *Eodem tempore natus eſt Moyſes, & fuit gratus Deo.*

Ne

Ne autem de alio Moyse dicat Hæreticus, qui duo ponit principia, hoc esse intelligendum, quam de Moyse Veteris Testamenti; occurrit Stephanus dicens v. 36. *Hic eduxit illos*; idest Filios Israel, *faciens prodigia & signa in Terra Ægypti, & in rubro mari, & in deserto annis quadraginta*.

Item: *Hic est Moyses, qui dixit Filiis Israel* Deuteron. 18. *Prophetam suscitabit vobis Deus de Fratribus vestris: tamquam meipsum audietis*. Quod testimonium a nullo dictum invenitur, nisi a Moyse Veteris Testamenti.

Item eodem cap. Actorum dicit Stephanus v. 38. *Hic est qui fuit in Ecclesia in solitudine, cum Angelo qui loquebatur ei in Monte Sina, & cum Patribus nostris: qui accepit verba vitæ dare nobis. Cui noluerunt obedire Patres nostri*. Et notandum quod B. Stephanus accusatus fuit a Judæis de blasphemia in Deum Veteris Testamenti; & in legem, & in Moysem, & in Templum, ut habetur Act. 6. post medium cap. Beatus autem Stephanus de quolibet horum se excusat, & primo quod non male sentiebat de Deo Veteris Testamenti dicens: Act. 7. vers. 2. *Deus gloriæ apparuit Patri nostro Abraham &c.*

Item ostendit se non male sentire de Moyse dicens v. 20. *Eodem tempore natus est Moyses, & fuit gratus Deo*.

Item: *hunc Deus Principem, & Redemptorem misit &c.*

Item ostendit se non male sentire de lege, unde v. 38. *Hic est qui fuit in Ecclesia in solitudinem &c.* Psalm. 131. & Act. 7. ut supra. Quarto excusat se de loco, sive de Templo, ubi dicit: David, *invenit gratiam ante Deum, & petiit ut inveniret tabernaculum Deo Jacob*, idest ut faceret, & factum inveniri posset. *Salomon autem ædificavit illi domum*, supple non ad habitandum, sed ad venerandum eum, unde subdit Stephanus: *Sed non Excelsus in manufactis Templis habitat*, sicut per Prophetam Isaiam 66. v. 1. & seqq. *dicit*: *Cælum sedes mea, Terra autem scabellum pedum meorum: quæ est ista domus quam ædificavi mihi, & quis est iste locus quietis meæ? Omnia hæc manus mea fecit*.

Item, quod non ad habitandum ibi Dominum fieret domus illa, patet 3. Regum 8. & 2. Paralip. 2. sed tantum ad orandum ibi Deum, & ad adolendum ei incensum. Modo dico sic: Beatus Lucas Act. 6. dicit, quod falsi Testes contra Stephanum inducti sunt; & testabantur quod ipse loquebatur contra Deum Veteris Testamenti; contra legem, contra Moysen, & contra locum sive Templum, ut ibi dicitur. Stephanus ergo non loquebatur contra Deum Veteris Testamenti, vel contra Moysen, & alia duo; ergo non erat contrarius Deo Veteris Testamenti, vel Moysi, vel Legi ejus, vel Templo; ergo neque Ecclesia Dei est contraria illis; sed Tu es ei contrarius, ergo non es de Ecclesia Dei.

Responde ad præmissum testimonium: Hic est Moyses, *qui fuit in Ecclesia in solitudine &c.* Ex præmissis patet, quod iste Angelus est ille qui apparuit Moysi in igne flammæ Rubi; per quem Angelum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob, Deus Patrum nostrorum loquebatur Moysi, ut dicit Stephanus dicens: *& facta est ad Deum*, idest ad Moysen, *Vox Domini, dicens: Ego sum Deus Patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob*. Deus ergo bonus loquebatur Moysi per illum Angelum, sed ille est Deus Veteris Testamenti; ergo Deus Veteris Testamenti bonus.

Præterea, locutus est ei verba vitæ, ut dicit Stephanus, & increpans eorum Patres dicit: *Cui noluerunt obedire Patres nostri*; ergo bonus erat qui loquebatur, & bona quæ loquebatur, scilicet verba legis Moysi. Quomodo Tu ausus es dicere, quod ille Deus malus fuerit, & verba ejus similiter? Si autem dicas quod dicuntur verba vitæ, non æternæ, sed temporalis hujus, quæ mala est, ut Tu ponis, proba quod hæc vita sit mala. Nonne Lazarus temporaliter mortuus, temporali vitæ restitutus est per Christum? ergo vita ista temporalis a Deo.

Præterea, quod verba legis Moysi, erant verba vitæ æternæ, probari potest per illud Matthæi 19. v. 16. & seqq. ubi dicitur cum quidam quæsivisset a Christo: *Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Unus est bonus Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata. Dicit ille: Quæ? Jesus autem dixit: Non homicidium facies: non adulterabis: non falsum testimonium dices: non facies furtum: Honora Patrem tuum & Matrem tuam: Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Ista & similia, sunt verba legis per quæ ingreditur quis ad vitam æternam, ut dicit Christus: Verba ergo legis sunt verba vitæ æternæ, non tantum temporalis.

Ad hoc tamen dicit hæreticus, quod per vitam ibi Christus intelligitur. qui ait Jo: 14. *Ego sum via & veritas, & vita*. Sed tamen valet nobis ad probandum, quod intendimus.

Præterea, a quo accepit Moyses verba vitæ dare filiis Israel cum loquebatur de vita æterna? Constat quod a diabolo non accepisset illa ad dandum populo suo; ergo a Deo Sancto, qui ei loquebatur. Sed non loquebatur eis, nisi Deus ipse Veteris Testamenti; ergo ille est Deus bonus.

Item ibi dicit Stephanus v. 40. quod filii Israel *vitulum fecerunt in diebus illis*, ut habetur Exodi 32. *& obtulerunt hostiam simulachro, & lætabantur in operibus manuum suarum. Convertit autem Deus, & tradidit eos servire militiæ cæli, sicut scriptum est in libro Prophetarum*, scilicet Amos 5. *Numquid victimas & hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto domus Israel?* Modo dico tibi, qui duo ponis principia: Deus iratus est eis propter peccatum vituli. Iste est Deus Veteris Testamenti, de cujus ira propter vitulum habetur Exodi 32. parum post principium capitis. Iste est Deus Prophetarum, ut dicit Stephanus, qui recitat verba Amos 5. circa finem. Deus autem Prophetarum bonus; ergo Deus qui iratus est eis propter peccatum vituli bonus est. Sed ille erat Deus Veteris Testamenti; ergo bonus; & idem cum Deo Prophetarum.

Item eodem cap. Act. v. 44. dicitur: *Tabernaculum testimonii Dei fuit Patribus nostris in deserto, sicuti disposuit Deus loquens ad Moysem, ut faceret illud secundum formam quam viderat*. Istud habetur ex eodem Exod. 25. in fine. Sequitur Actor. v. 45.

v. 45. *Quod & induxerunt suscipientes Patres nostri cum Jesu in possessionem gentium quas expulit Deus a facie Patrum nostrorum.* Ecce quod dicit Stephanus Deum dixisse Moysi, ut faceret Tabernaculum, quod minime faceret, si diabolus fuisset ille, qui ei loquebatur de tabernaculo faciendo. Credendum est ergo, quod dator Veteris Testamenti, qui Moysi locutus est per Angelum, & præcepit ei, ut faceret tabernaculum, bonus & verus Deus fuerit. Istud argumentum per sequentia firmabitur magis, ut patebit. Dicebatur autem tabernaculum testimonii, ubi erant illa quæ testificabantur beneficia a Deo exhibita, scilicet Manna & Tabulæ Testamenti. (75)

Item Rom. 9. v. 13. *Jacob dilexi,* (76) *Esau autem odio habui.* Hoc dixit Deus, qui loquebatur Moysi Veteris Testamenti, ut patet per seriem litteræ Apostoli ibidem. Modo quæro, nunquid Deus, qui hoc dixit Malachiæ 1. bonus fuit? Illi qui ponunt unum principium, dicunt quod malus fuit, quia odio habuit Esau.

Contra. Apostolus removet ab eo iniquitatem dicens v. 14. *Quid ergo dicemus?* quasi dicat, ex quo odivit Esau? *Nunquid iniquitas est apud Deum?* Et facta quæstione solvit. *Absit: Moysi enim dixit: miserebor, cui miserebor; & misericordiam præstabo cui miserebor.* Exodi 33.

Item quod istud *miserebor &c.* intelligatur de Deo bono & vero patet ex eo quod Apostolus ex verbis illis argumentatur dicens: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Quæ constant esse dicta de Deo bono ab ipso Apostolo; sicut etiam illa quæ ponit ad Philippenses 2. v. 13. *Deus enim est qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* Ex his ergo patet quod Deus Veteris Testamenti bonus est, quia misericors eligendo Jacob.

Item ibi, scilicet Rom. 9. v. 14., dicit Apostolus: *Dicit enim Scriptura Pharaoni,* idest Deus in Scriptura Veteris Testamenti: *Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, & ut annuncietur nomen meum in universa Terra. In hoc ipsum,* idest propter hoc ipsum, scilicet ut *ostendam,* ut habetur Exodi 9. *Induravit cor ejus,* quod sic intelligitur, idest in duritia sua dimisit eum propter peccata sua, & ita justus est. In hoc ergo non est iniquus Deus Veteris Testamenti ex iis duobus testimoniis: *miserebor &c.* Item: *Quia in hoc ipsum excitavi te &c.* Concludit Apostolus: *Ergo cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Quod intelligitur de bono Deo, sicut patet per sequentia. Cum enim quidam ex his verbis Apostoli: *cujus vult &c.* quærerent: *quid adhuc quæritur? voluntati ejus quis resistet?* Apostolus statim illam quæstionem stultam esse ostendens dicit: *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit: quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vas in contumeliam?*

Præterea, si vis dicere, quod Deus ille malus est, de quo loquitur Malachias; Secundum hoc ostendo tibi, quod inimicus diaboli damnatus est, amicus autem ejus salvus. Esau enim damnatus est, ut habetur Hæb. 12. Jacob autem bonus est; unde Matthæi 8. v. 11. *Multi ab Oriente & Occidente venient; & recumbent cum Abraham & Isaac, & Jacob in regno cælorum.*

Ad primam quæstionem de auctoritate Malachiæ; dicit ille qui duo ponit principia, quod de Deo bono intelligitur. Quo dicto, dicas ei: sed ille loquebatur Moysi Veteris Testamenti; ergo Deus bonus erat qui loquebatur Moysi. Si autem dicat quod de alio Moyse ibi loquatur Apostolus, dicas ei, quod hoc ostendat testimonio aliquo; quod cum facere non possit, constat, quod somnium vanum est quod dicit. Ego enim ostendo quod de Moyse & Pharaone Veteris Testamenti loquitur per testimonia scripturarum Apostoli Rom. 9. quæ de Exodo sumpta sunt.

Item 2. Timoth. 3. v. 8. *Quemadmodum* (77) *autem Jamnes & Mambres restiterunt Moysi; ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem; sed ultra non proficient: insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit.* Insipientes ergo fuerunt illi, quia resistebant Moysi; ergo bonus, & sapiens erat, faciendo signa illa quæ faciebat in Ægypto. Si enim ille male egisset, illi bene & sapienter fecissent resistendo illi.

Item Hebr. 3. v. 1. & seqq. *Unde Fratres Sancti vocationis* (78) *cælestis participes, considerate Apostolum, & Pontificem confessionis nostræ Jesum, qui fidelis est ei, qui fecit eum, sicut & Moyses in omni domo ejus,* idest Jesu, vel Dei Patris, qui fecit eum hominem; ergo Moyses fuit fidelis in domo Dei Patris & Filii ejus Jesu Christi; ergo Pater Christi fuit qui Moysi loquebatur; ergo Deus Veteris Testamenti bonus, & Moyses similiter bonus, quia fuit fidelis in domo Patris Christi, sicut & Christus fuit: sed Christus non fuit fidelis nisi ex bona fidelitate; ergo & Moyses bonus, & Deus Veteris Testamenti bonus.

Præterea, si de Moyse malo intelligitur, ergo de mala fidelitate. Sed miser, ubi unquam invenitur in Scriptura Sacra, fidelis in malo? Ostende hoc aliquo testimonio, alioquin somnias.

Si autem dicat Hæreticus, ut aliquando mihi dixit, (79) quod sic intelligendum est: *sicut & Moyses*

(75) Eodem hæc recidunt atque ea, quæ ex Irenæo attulimus *Nota 69. in hoc cap.*

(76) Euthymius *P.* II. *Panopliæ tit.* XX. *pag.* 212. simile quidpiam contra Paulicianos affert, quod est mutuatus a Photio *lib.* II. *Contra Manich.* Consulitor.

(77) Archelaus Epistola ad Diodorum Presbyterum *num.* XLV. *pag.* 81. *Edit. Zacagnii Collect. Vet. Monum.* „ Tu vero, *inquit,* „ (o Manes) qui dicis legem Mosi esse maligni principis, & non „ boni Dei, dic mihi, qui erant illi, qui resistebant in faciem „ Moysi, Jamnem dico, & Mambrem? Omne enim quod resistit „ non sibimetipsi resistit, sed alii aut meliori, aut deteriori, sicut „ Paulus indicat ad Timotheum in II. Epistola sua scribens: *Quemadmodum Jamnes, & Mambres restiterunt Moysi &c.* Vides „ quomodo Jamnem, & Mambrem hominibus comparat corruptis mente, & reprobis circa fidem; Moysen vero veritati?

(78) Vide Irenæum *lib.* III. *cap.* VII. *n.* 5. *pag.* 181.

(79) Ineptus hic hæreticus erat. Etenim ne vim quidem verborum Pauli, quæ ceteroqui perspicua sunt, assequi potuit. Quotus enim quisque non videt, fidelem appellari Mosen in omni domo Dei? Hæc enim erat dicendi ratio communis, ac pervulgata apud Ju-

ses in omni domo ejus; ideſt Moyſi. Conſtat hoc eſſe non poſſe; *ille* enim non eſt relativum reciprocum: Nihil enim eſt dictu Moyſes videt illum, ſi *illum* eſt relativum, licet dicibile ſit ſi Moyſes videt ſe.

Præterea, quod alius ſit Moyſes qui fidelis dicitur, & alius ille in cujus domo fidelis ab Apoſtolo perhibetur, patet ex lib. Num. 12. ubi Deus Veteris Teſtamenti de Moyſe dicit illa verba Apoſtoli. Sic enim ait: *At non talis ſervus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt*. Ex hoc etiam patet, quod Deus Veteris Teſtamenti eſt ille Deus qui fecit Chriſtum hominem.

Præterea, aſſignata differentia inter Moyſem & Chriſtum in fidelitate, oſtendit Apoſtolus, quod licet ſimiles eſſent in illa domo, quia ambo fideles in ea, non tamen æquales, unde ait v. 3. *Amplioris enim gloriæ iſte præ Moyſe dignus habitus eſt*. Modo quæro: hoc ipſum gloriæ, aut tenetur pro honore, ſive pro gloria mala, aut pro bona? ſi pro mala? hoc ſtare non poteſt, quia Chriſtus non eſt dignus malæ gloriæ. Si pro bona; ergo Moyſes dignus erat gloriæ bonæ, licet non tantum quantum Chriſtus; ergo Moyſes bonus, & Deus qui regebat eum bonus.

Præterea, dicit eod. v. 3., *quod ampliorem honorem habet domus qui fabricavit illam*; quam ille qui non fabricavit; per hoc intelligens probare, quod Chriſtus ampliorem honorem debet habere in domo illa, quam Moyſes. Et quod ipſe Chriſtus potuerit illam fabricare, oſtendit per hoc, quod ait: Jo: 1. v. 3. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt. Qui autem omnia creavit Deus eſt* (Hebr. 3. v. 4.) quaſi dicat: Chriſtus Deus eſt qui omnia creavit, *quia omnia per ipſum facta ſunt &c.* Si omnia, ergo & domus illa. Ecce quod Apoſtolus appellat Jeſum omnium Creatorem. Quare ergo tu, qui duo ponis principia, aſſeris Creaturam puram, niſi quia mendax es?

Præterea, ſi uterque, ideſt Chriſtus & Moyſes tantum creatura eſt, ut tu dicis, qui duo ponis principia, ergo neuter eſt in domo ut fabricator, ſed tantum ut famulus, Chriſtus vero ut Fabricator & ut Filius in domo propria.

Præterea, vides, quod Apoſtolus in eadem domo ponit Moyſem & Chriſtum, ſed Chriſtum ut Fabricatorem, Moyſem vero non. De ſimili ergo homine loquitur, licet non de æquali, & ita dignus eſt Moyſes honoris boni & ſancti, ſicut & Chriſtus, licet non æqualiter. Vis etiam videre, quod in eadem domo ponit Apoſtolus Moyſem & Chriſtum, attende verba ſequentia Apoſtoli v. 5. *Et Moyſes quidem fidelis erat in tota domo ejus tamquam famulus, in teſtimonium eorum quæ dicenda erant. Chriſtus vero tamquam filius in domo ſua*. Ex quibus verbis patet, quod non intelligitur in domo ejus, ideſt in domo Moyſi, quia Moyſes in domo Moyſi, ſive ſua non eſſet ut famulus, immo ut Dominus. Intelligitur ergo in domo ejus, ideſt in domo Chriſti, vel Dei Patris, qui fecit illam, in qua erat tamquam famulus, ideſt quaſi in aliena; Chriſtus vero ut in ſua, & ideo ampliorem honorem debet habere in illa domo, quam Moyſes. Et nota quod ibi erat ut famulus, ſed cujus famulus, niſi illius, cujus erat domus? Domus autem erat Chriſti & Patris ejus; ergo Moyſes famulus Chriſti; ergo regebatur a Patre Chriſti, & ab ipſo Chriſto vero Deo, & mandata ejus accipiebat ab eo, ut famulus a Domino, Deus ergo Pater Chriſti erat ille qui loquebatur Moyſi. Pater ergo Chriſti Deus eſt Veteris Teſtamenti.

Præterea, Apoſtolus dicit; quod *Moyſes fidelis erat in tota domo ejus tamquam famulus*. Conſtat ex prædictis, quod nonniſi Patris Jeſu Chriſti, & ad quod erat ejus famulus, ſubdit Apoſtolus; *in teſtimonium eorum quæ dicenda erant*. Si ejus erat famulus; ergo non erat famulus diaboli. *Nemo* enim *poteſt duobus Dominis ſervire*. Item ſi ea teſtabatur quæ dicenda erant, & ad hoc erat fidelis famulus; ergo erat fidelis bona fide, & ſancta; ergo erat bonus & ſanctus.

Præterea, domus Dei Patris, in qua fuit Moyſes ut famulus, eſt illa domus, in qua fuit Chriſtus, ut Filius in domo ſua, ſicut patet per ea, quæ diximus ex verbis Apoſtoli, ſed Apoſtolus loquens in perſona Eccleſiæ dicit: *quæ domus ſumus nos*; ergo Moyſes fuit intra Eccleſiam Dei & Chriſti ejus, ergo Eccleſia Chriſti fuit in Veteri Teſtamento. Hoc eſt quod teſtatur B. Stephanus de Moyſe Act. 7. v. 38. *Hic eſt qui fuit in Eccleſia in ſolitudine, cum Angelo qui loquebatur ei in Monte Sina, & cum Patribus noſtris, qui accepit verba vitæ dare nobis*. De quibus verbis dicit Apoſtolus Hebr. 3. v. 5. *quod Moyſes fidelis erat in tota domo ejus, tamquam famulus in teſtimonium eorum quæ dicenda erant*. Et hæc ſunt verba vitæ.

Item ad Hebræos 11. v. 24. & ſeqq. *Moyſes grandis factus negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis: magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti; aſpiciebat enim remunerationem*. Vides manifeſte quod Apoſtolus fidem Moyſi laudat, quia de Chriſto, & ejus improperio in Crucis patibulo erat, & quia de æterna erat remuneratione, ad quam venitur per Chriſti paſſionem. Ignominioſam habebat ergo Moyſes fidem Chriſti, ſed ei ſoli credebat, cujus fidem habebat, & ille cui credebat, loquebatur ei; ergo Chriſtus erat qui loquebatur Moyſi; ergo Deus loquens Moyſi, & regens eum, bonus fuit; Igitur Deus Veteris Teſtamenti bonus & Moyſes bonus.

Si autem dicas, quod Moyſes non habuit reſpectum ad Chriſtum; quod enim dicitur improperium Chriſti, ſic intelligendum eſt, ideſt quod ipſe pertulit ab ipſo populo, ſicut & Chriſtus poſtea, ſed quod ad Chriſtum aſpiceret; & alii qui in illo capite introducuntur, & quod Chriſtus eum, & populum ſuum regeret, patebit inferius, cum diſputabitur ſuper illud verbum Apoſtoli 1. Corint. 10. *neque tentemus Chriſtum &c.* Hoc idem etiam patebit per illud

Judæos quod 12. *Numer. cap.* ita ſit ſcriptum. Hinc Philo *De Allegoriis*, ut eſt Grotio in hoc *cap.* 11I. *Ep.* ad Hebræos animadverſum ad x11. *Numer. cap. reſpiciens*: καθάπερ, inquit, Μωσῆς λέγεται πιστὸς ἐν παντὶ τῷ οἴκῳ γεγενῆσθαι. *Ut Moſes dicitur in omni domo fuiſſe fidelis*. Hoc ipſum argumentum intorquet in Paulicianos Euthymius *Panopl. Part.* II. *Tit.* xx. *pag.* 212.

illud, quod etiam infra habetur: *Fide* Moyses *reliquit Ægyptum &c.*

Item patebit per illud quod habetur Jo: 5. v. 45. *Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem; est qui accusat vos, Moyses, in quo speratis.* De quo dicetur in hoc eodem patet ex eo quod Apostolus dixit Hæbr. 12. cap. v. 1. & seqq. *Ideoque & nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus & circumstans nos peccatum per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Jesum.* Ideoque caussam notat, idest quia illi testes, & tot aspiciebant in eum; nos exemplo & testimonio ipsorum aspiciamus in eundem.

Ad idem facit illud Judæ 1. v. 5. *Jesus, populum de terra Ægypti salvans &c.* super qua auctoritate postea disputabitur.

Dicit etiam Hæreticus: quod non aspiciebat ad æternam remunerationem ipse Moyses, sed ad temporalem; intendebat enim dominari populo, quod & fecit.

Respondeo: hoc stare non potest, quia Apostolus dicit de eo Hæbr. 11. v. 25. *Magis volebat affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem.*

Item quod per fidem suam non respiceret ad remunerationem temporalem & visibilem, patet per illam fidem quam habebat de invisibili Deo, unde dicit Apostolus Hæbr. 11. v. 28. *Invisibilem enim tamquam videns sustinuit*; ergo ad invisibilem remunerationem aspiciebat.

Præterea, hoc idem patet per principium cap. de fide, ubi dicitur v. 1. *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Et subdit v. 2. *In hac enim testimonium consecuti sunt senes*; Inter quos ponit Moysen; ergo fides ejus fuit invisibilium, & ita permanentium bonorum. *Quæ enim videntur temporalia sunt; quæ autem non videntur æterna sunt.* 2. Cor. 4. v. 18.

Præterea, vide quod dicit Apostolus, quod Moyses per fidem elegit affligi cum populo Dei. Modo quæro: ille Populus, dicebatur Dei populus Gentilis? Non. Quare hoc dicitur? Non propter creationem. Ad Rom. 3. v. 29. *An Judæorum tantum? Nonne & Gentium*; ergo per creationem, vel facturam æqualiter, uterque populus Dei erat.

Si dicat propter promissiones factas illi populo.

Ergo Deus verax illi populo promisit illas promissiones; ergo ille loquebatur eis; sed non loquebatur eis, nisi Deus Veteris Testamenti; ergo ille Deus bonus est.

Si dicat per culturam, quod verum est, scilicet quod iste colebat Deum, scilicet Judaicus populus: ille autem idola, & creaturas, unde ad Roman. 1. v. 45. de eis dicit: *Et servierunt Creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in secula.* Dominus autem Matthæi 15. v. 6. increpans Judæos ait: *irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias dicens: Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est a me. Sine caussa autem colunt me.* Judæi ergo dicebantur populus Dei, quia eum colebant, sed non volebant nisi illum, qui dederat mandata; ille autem erat Deus Veteris Testamenti; ergo Deus Veteris Testamenti, verus Deus est, cujus populus, ille dictus est.

Præterea si vis dicere, quod dictus sit ejus populus, propter promissiones ei facta; dicas a quo factæ sunt illæ promissiones ei, nisi a Deo vero, & sancto; ergo Deus verus & sanctus eis loquebatur per Moysen, & alios Patres.

Item Hebr. 11. v. 17. *Fide* Moyses, *reliquit Ægyptum: non veritus animositatem Regis*, quasi dicat, per fidem reliquit Ægyptum, non propter timorem crudelitatis Regis; & quod non timeret, probat Apostolus dicens: *invisibilem enim, tamquam videns sustinuit*; idest expectabat eum quem non videbat esse sibi ad auxilium, ac si videret eum. Quis est iste invisibilis? Nisi ille de quo Apostolus 1. Timoth. 1. v. 17. *Regi autem seculorum immortali, invisibili, soli Deo honor, & gloria in secula seculorum. Amen.*

Item de quo Johan. 1. v. 18. *Deum nemo vidit unquam.* Ecce in quo sperabat Moyses, quia in domo invisibili illi fidem dabat. Ille ergo est Deus invisibilis, qui solus est Deus, & cui honor, & gloria in secula seculorum. Amen. Ex quo patet error tuus, quo blasphemas etiam Deum Veteris Testamenti, dicens eum esse visibilem, & visum a Moyse Exodi 33., de quo diximus supra in cap. de Deo Veteris Testamenti, contra Ecclesiam.

Item Hæb. 11. v. 28. *Fide*, Moyses *celebravit Pascha, & sanguinis effusionem: ne qui vastabat primitiva*, supple Ægyptiorum, *tangeret eos*, idest Judæos. Per fidem ergo non apparentium, effudit sanguinem agni; sed hæc est fides, *sine qua impossibile est placere Deo*, & a qua qui subtraxerit se, non placet animæ suæ, ut dixerat Apostolus. Fides ergo Moysi sancta & bona est, & ille, cujus dictis fidem dabat, sanctus & bonus.

Præterea: ergo effusio sanguinis Agni non erat peccatum.

Item Johan. 5. v. 45. dixit Jesus Judæis. (80) *Nolite putare, quod ego accusaturus sim vos apud Patrem: est qui accusat vos, Moyses, in quo speratis.* Si Moyses accusat eos apud Patrem Christi, & nonnisi de hoc, quia non credunt Christo, de quo ipse dixerat Deuteronom. 18. v. 14. *Prophetam de gente tua, & de Fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus &c.* Moyses ergo habebat fidem Patris, & Filii ejus Jesu Christi; Sed nullius fidem habebat, nisi ejus, qui secum loquebatur; ergo Deus Pater Christi, & ipse Christus erat ille Deus, qui ei loquebatur. Deus igitur veteris Testamenti fuit Pater Christi.

Præterea ibi dicitur Jo: 5. v. 46. *Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi*; idest si audieritis

(80) Regerit hoc ipsum in Gnosticos argumentum S. Irenæus *lib.* IV. *cap.* II. *n.* 3. *pag.* 229. „ Quoniam, *inquit*, Moysi litteræ „ verbi sunt Christi, ipse ait ad Judæos, quemadmodum Johannes „ in Evangelio commemoratus est: *si credidissetis Moysi, credidissetis & mihi &c.* Manifestissime significans Moysi litteras „ suos esse sermones; ergo si Moysi & reliquorum sine dubio „ Prophetarum sermones ipsius sunt. Vide Titum Bostrensem „ *lib.* III. *pag.* 141.

tis eum aure cordis, audiretis & me; sed ut habetur Lucæ 10.v.16. Christus dixit discipulis suis: *Qui vos audit me audit*. Et quare? Quia ipse loquebatur in eis, unde unus eorum dicebat. 2.Corint.13.v.3. *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur, Christus?* ergo a simili & ipse loquebatur in Moyse, cum dicat de eo: *Si enim crederetis &c.*

Nec obstat mihi, quod dicat, forsitan; quia non sumitur dubitative, sed notat eventum. Nonne vides, quod Christus in Johanne dicit Judæis c.8.v.19. *Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis?* Utique hoc dixit. Sed numquid dubitative sumitur hoc ipsum *forsitan*? Non. Similiter neque ibi. Quod autem non sumatur dubitative cum dicitur: *Si me sciretis &c.* patet ex eo quod Johan. 14. v. 9. dicit Christus Philippo assertive: *qui videt me, videt & Patrem*.

Item Apocalypsis 15. v.2. dicit Beatus Johannes: *Et vidi tamquam mare vitreum mixtum igne, & eos qui vicerunt bestiam, & imaginem ejus, & numerum nominis ejus, stantes super mare vitreum, habentes cytharas Dei: & cantantes canticum Moysis servi Dei, & canticum Agni*. Vide quod B. Johannes appellat Moysem servum Dei; ergo non erat servus Diaboli; Ut enim dicitur Matthæi 6. v. 24. *Nemo potest duobus Dominis servire*.

Præterea, si erat servus Dei, ergo non faciebat peccatum: *omnis* enim *qui facit peccatum, servus est peccati*, ut habes Jo:8. v.14.

Præterea S. Johannes dicit eum servum Dei, & Sanctus Stephanus dicit eum gratum Deo, & Paulus dicit, quod in tota domo Patris Jesu Christi fuit fidelis. Ad Hebr.11. v.25. dicitur: quod *magis eligens affligi cum populo Dei quam temporalis peccati habere jucunditatem*.

Item v.28. *quod invisibilem Deum tamquam videns sustinuit*.

Item Jo.5. dicitur quod (81) accusat Judæos apud Patrem. Et Lucæ 16. v.30. *Habent Moysen, & Prophetas, audiant illos*; quasi dicat: si illos audierint, in loco tormentorum non venient. Ecce qualia, & quot testimonia, & multa alia inveniuntur de laudibus Moysi in Novo Testamento. Invenies tu miser unum solum testimonium in Novo Testamento, quod sit contra Moysem? hoc minime potes ostendere; ergo sileas.

Præterea, quod fuit canticum Moysi, quod ille cantabat, nisi illud, quod habetur Exodi 15. v. 1. *Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est, equum, & ascensorem dejecit in Mare*. Nonne vides quod parum ante ibi dicitur: Exod. 14. *timuitque populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moysi servo ejus*. Et hoc est propter quod dicit Johannes, Moysen servum Dei, de cujus cantico sequitur in Exodo c.15. v.1. *Tunc cecinit Moyses, & Filii Israel carmen hoc Domino, & dixerunt: cantemus Domino &c.*

Præterea, quod ita sit, patet ex sententia cantici, & verborum Johan. in Apocalyp. 15. v. 2. quæ concordant. In Apocalyp. dicitur: quod *vicerunt bestiam, & imaginem ejus, & numerum nominis ejus*. Per bestiam Pharao designatur; animalis enim homo erat, non percipiens quæ Dei sunt, unde & dicebat prius: *Nescio Dominum, & Israel non dimittam*. Imago dicitur quasi imitago, idest principes imitatores, sive sequaces ejus. Numerum appellat numerositatem, & multitudinem bellatorum ejus, qui dicti sunt numerus nominis ejus, quia per illos nomen ejus diffundebatur ubique; & ita erat ubique ad nomen, sive ad famam ejus, & idem dicitur in Cantico Moysi: *equum & ascensorem* ejus *dejecit in Mare*, scilicet Pharaonem.

Item Exod. 15. v.3. *dicitur Dominus quasi vir pugnator, currus Pharaonis, & exercitum ejus projecit in mare*, vel bestiam, dicit [*] dextrarium Pharaonis, imaginem ejus ipsum Pharaonem, qui sine discretione fuit, quasi equus suus. *Nolite* (dixit David Psalm. 31.) *fieri sicut equus, & mulus quibus non est Intellectus*, propter hoc dicitur in Exodo: *Equum & ascensorem dejecit in mare*. Alia non mutantur; ibi dicitur quod illi, qui vicerant bestiam, & imaginem ejus habebant cytharas. Et in Exod. 15. v. 20. dicitur: *Sumpsit ergo Maria Prophetissa soror Aaron tympanum in manu sua: egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis, & choris*. In Apocalypsi 15. v. 3. Omnia ex toto eo cap. 15. Exod. & ex toto cap. 15. Apocalyp. *Magna, & mirabilia sunt opera tua Domine Deus Omnipotens*. In Cantico Exodi enumerantur ista mirabilia ex parte: In Apocalypsi dicitur: *Domine Deus Omnipotens*. In Exodo: *Dominus quasi vir pugnator Omnipotens nomen ejus*. In Apocalypsi dicitur: *Quis non timebit Te?* In Exodo dicitur: *Terribilis*. In Apocalypsi dicitur: *Et magnificabit nomen tuum*. In Exodo dicitur: *Dextera tua Domine magnificata est &c.*

Item: *gloriose enim magnificatus est: equum & ascensorem dejecit in Mare*.

Item Apocalypsi dicitur: *quia tu solus pius es*; supple populo tuo. In Exodo dicitur: *Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti*. In Apocalypsi dicitur: *quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conspectu tuo*. In Exodo dicitur: *Sanctuarium tuum Domine quod firmaverunt manus tuæ*. Per quod *Sanctuarium* intelligitur domus Domini, scilicet Templum, de quo dicitur Marci 11. v. 17. *Nonne scriptum est, quia domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus?* Quod intelligendum est de Templo Jerosolymitano, ut inferius ostendetur.

Item in Apocalyp. dicitur v. 5. ejusdem capit. *quoniam judicia tua manifestata sunt*. In Exodo autem manifestum apparet judicium Domini inter Ægyptios damnatos, & Israelitas salvatos seu liberatos.

Si autem objicias mihi, quod ista non possunt stare propter hoc, quod Filii Israel steterunt supra mare rubrum: illi autem de quibus dicitur Apocalyps. 15. *steterunt supra mare vitreum mixtum igne*.

Z Re-

(81) Ne hoc quidem omittit Irenæus *loco indicato* nota superiore. Sed Titus Bostrensis *lib.* III. *contra Manichæos pag.* 140. Ubi hoc Johannis ῥητὸν attulit: *O rem, inquit, miram neque si quis a mortuis excitatus nuncium afferat, ei creditur sine Lege, & Prophetis.*

[*] *Dextrarium pro* Equo: Ita nempe vulgari Italorum sermone equus *destriero* dicitur.

Respondeo quod ad litteræ sonum non intelligitur, neque inveniri potest. Dico ergo, quod idem est Mare, & per similitudinem loquitur Johannes, mixtum enim fuit igne, idest igneum, quasi igni simile, quasi dicat rubeum, vel igneum, illis, quos devoravit. Sed vitreum fuit Hebræis, quia sicut vitrum facile rumpitur, ita illud Mare facile divisum est Hebræis, ut transirent liberati, unde Psal. 135. *Qui divisit mare rubrum in divisiones*.

Item sicut vitrum non fluit, ita illud Mare non fluxit transeuntibus Hebræis per siccum in medio ejus, unde Heb. 11. v. 22. *Fide transierunt mare rubrum, tamquam per aridam Terram: quod experti Ægyptii devorati sunt*. Quod autem dicitur: *canticum Moysi servi Dei, & canticum Agni* Apocalypsis 15. idem canticum intelligendum est. Erat enim canticum Moysi, quia Moyses illud cecinit dicens: Exod. 15. v. 1. *Cantemus &c.* Erat autem canticum Agni, idest ad laudem ejus decantatum est, de quo dicitur Jo. 1. v. 36. *Ecce Agnus Dei*. Et dicitur Christus Agnus, quia figuratus est per illum Agnum immolatum in Ægypto, unde Hebr. 11. v. 21. *Fide Moyses, celebravit Pascha, & sanguinis effusionem. Sanguinis*, scilicet Agni, *fide*, scilicet illius qui figurabatur per illum agnum. Fidem enim Christi habuit Moyses, ut probatum est prius, unde & dixit eis: *Os non comminuetis ex eo*. Unde legitur Exodi 12. in fine, & Numer. 9. quod Johan. 19. dicit impletum esse in Christo. Ad hoc autem dicet Hæreticus qui ponit duo principia, quod de alio Moyse intelligitur, quam de Moyse Veteris Testamenti, cujus dictum, quia testimonium non habet, patet quia vanum est, & de vano corde procedens.

Præterea vide quid dicat Deus sanctus, & verus, quod & tu fateris, Deus scilicet Prophetarum per Malachiam in fine, idest c. 4. v. 4. Mementote *legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel præcepta & judicia*. Modo ostende Horeb alium, quam illum, in quo Moyses accepit legem, quod facere non potes. Ego autem ostendo Tibi quod dico; & quod dicit Malach. & Deuteronom. intelligendum est de Deo Veteris Testamenti, & de Moyse similiter. *Memento, & non obliviscaris, quomodo ad iracundiam provocaveris Dominum Deum tuum in solitudine. Ex eo die, quo egressus es ex Ægypto usque ad locum istum, semper adversum Dominum contendisti. Nam & in Horeb provocasti eum; & iratus delere te voluit, quando ascendi in montem, ut acciperem tabulas lapideas pacti quod pepigit vobiscum Dominus &c.* Ecce testimonium habeo dicti mei, Tu vero non habes. Cui ergo credendum est? Nonnisi mihi.

Respondeo ad præcedentia verba Apocalypsis 15. *Et vidi tamquam mare vitreum &c.* Quæ verba quidam ad sonum litteræ intelligunt arbitrantes aliquod mare esse vitreum, non attendentes, quod Johannes non dicit se vidisse mare vitreum, sed addidit *tamquam*, ostendens per hoc se loqui per similitudinem. Si autem velint spiritualiter intelligere Verba Johannis, non nocet mihi hoc, quia ut dixi multa præconia laudis inveniuntur in Novo Testamento de Moyse. Nullum autem contrarium invenitur. Credimus enim quod & spiritualiter possunt intelligi illa verba; Per mare illud intelligitur baptismus, quia sicut aqua maris lavat sordes corporis, ita aqua baptismi sordes mentis, ut ostendetur in cap. de baptismo in 4. parte hujus operis. Illud mare ad litteram fuit, & dicitur mare rubrum, unde David Psal. 135. *Qui divisit mare rubrum in divisiones*. Et baptismus rubeus est, quia rubricatus sanguine Jesu Christi, inde enim habet efficaciam. Dicitur autem vitreum propter perspicuitatem fidei, quæ necessaria est in baptismo, in seipso, si adultus est, vel in Ecclesia ubi baptizatur, si parvulus. Per vitrum ergo quod perspicuum est perspicuitas fidei signatur. Dicitur ergo mare rubrum, vel vitreum ipse baptismus, quoad caussam efficientem suæ efficaciæ; & nonnisi ista duo necessaria sunt, scilicet fides, & baptismus, unde Marci ultimo v. 15. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit*. Fidem baptismo præmittit ut caussam; mixtum igne dicitur, ut effectus baptismi signetur, quia in eo datur spiritus Sanctus, qui in specie ignis Apostolis est collatus. Per bestiam ipse Satan signatur. Per imaginem Dæmones ejus. Per numerum nominis ejus, multitudo malorum hominum, nomen Satanæ extollentium in mundo isto. Illi, qui vicerunt ista, cantant canticum Moysi servi Dei, & canticum Agni, qui tollit peccata mundi, qui utrumque testamentum laudant, & Deo attribuunt; isti habent cytharas Dei. In cythara duo sunt, lignum, & chorda. In ligno crux intelligitur, in chordis corpora Sanctorum, quæ sunt in Cruce, idest in mortificatione, unde Galat. 5. v. 24. *Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*. Tales cytharæ dicuntur Dei, quia a Deo sunt, & ad Dei laudem debent referri, quod Hypocritæ non faciunt, *qui exterminant facies suas, ut appareant hominibus jejunantes* Matth. 6. v. 2. Super mare vitreum stant isti, quia non recedunt a gratia baptismi. Per cytharam etiam signatur fides, quia sicut cythara plures chordas habet, ita fides plures articulos continet, & sicut cythara tantum delectabilis est, cum pulsata manibus resonat, ita etiam fides sine operibus mortua est; sed pulsata manibus operum, & resonans Dei laudes, & proximi ædificationem, delectat Deum, & homines.

Item contra illos, qui duo ponunt principia, potes inducere illud Psalm. 104. ubi David ait de Deo Prophetarum, quem Tu credis bonum, & sanctum, quem etiam David laudare monet in principio Psalmi dicens: *Confitemini Domino &c.* v. vero 26. *Misit Moysen servum suum &c.* ubi etiam patet quod loquitur de Deo Veteris Testamenti, quia ponit plagas a Deo inductas super Ægyptum.

Similiter potes eis objicere illud quod de Moyse in Psalm. 105. habetur; ubi loquitur de sancto Deo, cui & monet confiteri. Dicitur autem ibi de Judæis *qui irritaverunt Moysen in castris; Aaron sanctum Domini*. Et de quo loquatur patet per plagam, de qua subditur: v. 17. *Aperta est Terra, & deglutivit Dathan, & operuit super congregationem Abiron*. Quod factum a Deo Veteris Testamenti legimus Numerorum 16.

Item Psal. 98. *Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus,*

ejus, *& Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus*.

Similiter potes eis objicere quod legitur de Moyse Ecclesiastici 45. in principio, & post medium.

Item illud quod legitur Isaiæ 63. v. 9. & seqq. *& Angelus faciei ejus salvavit eos: in dilectione sua, & in indulgentia sua ipse redemit eos, & portavit eos, & elevavit eos cunctis diebus seculi. Ipsi autem ad iracundiam provocaverunt, & afflixerunt Spiritum Sancti ejus; & conversus est eis in inimicum, & ipse debellavit eos. Et recordatus est dierum seculi Moysi, & populi sui*. Recordatus est, supple miserendo, Exod. 32. *recordabitur seculi Moysi*, idest quando Moyses oravit pro populo Exodi 32. & 33. populi sui liberati per orationem Moysi, ex parte, ut patet Exodi 32. in fine.

Ad idem potes contra eos inducere quod legitur post illa verba Isaiæ, qui videns in spiritu futuram misericordiam populi sui, exclamat dicens, v. 11. *Ubi est, qui eduxit eos de mari cum pastoribus gregis sui? Ubi est qui posuit in medio ejus Spiritum Sancti sui? Qui eduxit ad dexteram Moysen brachio majestatis suæ &c*. Ubi patet historia Veteris Testamenti. Dicit ergo Isaias: *Ubi est &c*. Quasi dicat ubi est Dei misericordia, quæ fuit in populo ejus tempore Moysi, per quem salvavit populum, redimendo eum de servitute Ægyptiorum, portando etiam eum in terram promissionis Deuteron. 32. v. 11. *expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit eum in humeris suis*. Et levavit eos super alias nationes cunctis diebus seculi, idest, ex quo elegit eos pastores etiam gregis sui, appellat Moysen, & Aaron, & alios Duces populi.

Ad idem etiam potest induci, quod legitur Ecclesiastici 45. v. 1. *Dilectus Deo, & hominibus Moyses, cujus memoria in benedictione est*. Quod autem loquatur de Moyse Veteris Testamenti, patet ex littera sequente quæ dicit: v. 5. *Et induxit illum in Nubem*. Quod etiam Apostolus 1. Corinth. 10. memorans ait v. 2. *Omnes in Moyse baptizati sunt in Nube, & in Mari*.

Ad idem induci potest, quod legitur 1. Baruch in fine, & 2. ejus in principio. Item illud Daniel. 9. v. 11. *Et omnis Israel prævaricati sunt legem tuam, & declinaverunt ne audirent vocem tuam: & stillavit super nos maledictio, & detestatio quæ scripta est in libris Moysi Servi Dei, quia peccavimus ei*.

Item Daniel. 13. ubi agitur de falsis testibus inductis contra Susannam, & convictis, quia dixissent falsum testimonium adversus eam, & occisis secundum consilium Danielis, ubi dicitur v. 61. *Et consurrexerunt adversus duos Presbyteros* (convicerat enim eos Daniel ex ore suo falsum dixisse testimonium) *feceruntque eis, sicut male egerant adversus proximum, ut facerent secundum legem Moysi: & interfecerunt eos*. Ecce quod secundum legem Moysi interfecerunt eos. Istud non potest intelligi, nisi de lege Moysi Veteris Testamenti, ubi scriptum est: *Si steterit testis mendax contra hominem, accusans eum prævaricationis; stabunt ambo, quorum caussa est, ante Dominum in conspectu Sacerdotum, & Judicum qui fuerint in diebus illis. Cumque diligentissime perscrutantes, invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit. Deuteron. 19. in fine*.

Sed quia isti, qui duo principia ponunt, omnia duplicia faciunt, & ideo duos Moyses ponunt, & dicitur eis a nobis, quod alium ostendant, quam sit Moyses de creatione Dei Veteris Testamenti. Ipsi autem respondent illud Rom. 10. v. 19. *Primus Moyses dicit: Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem: in gentem insipientem: in iram vos mittam*. Si autem unus primus est, ergo alius est secundus ab eo? Ad quod dicendum est, quod primus non semper notat ordinem numeri, idest non semper dicitur respectu secundi, sed notat dignitatem, & sic sumitur hic, & dicitur Moyses primus idest maximus in dignitate in populo illo. Quod autem ita quandoque sumatur primus, patet Matthæi 20. v. 28. *Qui voluerit inter vos primus esse erit vester servus*. Primus dicitur hic, idest major; & quod ita sit probatur ex Marci 10. & Lucæ 22. qui ponunt *major* ubi Matthæus ponit *primus*. Posito etiam, quod primus ordinem dicat; dico tamen quod ordinem non notat unius Moysi ad alium in essendo, idest quod unus Moyses primus sit respectu alterius: sed notat ordinem Moysi ad alios Prophetas in prophetando de ignominia Judæorum, quasi dicat; Moyses primus dicit quoddam ad ignominiam Judæorum pertinens, illud scilicet: *Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem &c. In non gentem* idest contra gentilitatem, quæ quasi non erat gens, quando non invocabat nomen Domini, ut habetur Isaiæ 65. Istud habetur in Cantico Deuteron. cap. 32. per totum. *Audite Cæli quæ loquor &c*. ubi dicit: *Ipsi me provocaverunt in eo, qui non erat Deus, & irritaverunt in vanitatibus suis: & ego provocabo eos in eo, qui non est populus, & in gente stulta irritabo eos*. Isaias etiam postea dixit quiddam simile ad eorum ignominiam pertinens c. 65. v. 1. *Quæsierunt me, qui ante non interrogabant, invenerunt qui non quæsierunt me*. Ista sunt verba Apostoli Rom. 10. post quæ verba ponit verba Isaiæ ibidem quæ pertinent ad ignominiam Judæorum, quia ad eorum excæcationem, & dicit Apostolus Rom. 10. v. 21. *Ad Israel autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi*.

Præterea responde Tu mihi: *Primus Moyses dicit &c*. Modo quæro a Te, quis sit iste Moyses, de quo dicitur: *Primus &c*. Si dicas mihi quod iste est Moyses bonæ creationis. Contra. Iste est Moyses Veteris Testamenti, quod patet per verba quæ dixit, quæ sumpta sunt ex 32. Deuteronom. *Ego ad æmulationem &c*. ergo Moyses Veteris Testamenti bonæ creationis fuit, quod verum est, quamvis tu contrarium fatearis, & Deus, qui in eo loquebatur bonus. Cum enim istud, quod ibi dicit; *Ego ad æmulationem &c*. Quæ sunt in illo Cantico, sint duriora legis; Si bonus Deus ista dedit, multo fortius alia legalia. Si autem dicas, quod iste est Moyses malæ creationis, aut dicitur primus tempore, aut dignitate? Si tempore? Ergo prior fuit Moyses malus, quam bonus. Quomodo ergo audes dicere & ponere populum Dei antiquum respectu populi Dei mali, quem Tu fingis? Si autem dicitur pri-

primus dignitate. Ergo Moyſes Veteris Teſtamenti dignior eſt alio, quod eſſe non poteſt. Reſtat igitur, quod non dicatur primus reſpectu alterius Moyſi tempore, vel dignitate. Si autem dicitur primus dignitate, hoc eſt reſpectu populi, cujus erat Dux; maximæ enim dignitatis fuit in populo illo; ergo non dicitur primus reſpectu ſecundi; ergo ex hoc non habes quod duo ſunt Moyſes ſecundum duas creationes.

§. VII.

Utrum ille Deus, qui loquebatur Moyſi in Nube, & in Monte Sina, fuerit Deus bonus?

AD hæc, quæ diximus, addendum videtur, & quærendum utrum ille Deus, qui loquebatur Moyſi in Rubo, & in Monte Sina, fuerit Deus bonus, vel malus, vel uterque pro tempore? Si bonus? habeo quod volo, quod Deus bonus dedit totum Vetus Teſtamentum. Si malus? Contrarium probatum eſt ſuperius, ubi inductum eſt illud teſtimonium Rom. 9. v. 14. *Numquid* (82) *iniquitas apud Deum? Abſit Moyſi enim dicit: Miſerebor cujus miſerebor, & miſericordiam præſtabo cujus miſerebor.* Similiter & aliis pluribus locis. Si autem uterque locutus eſt Moyſi, aliquando bonus, aliquando malus.

Contra. Bonus ſemper loquebatur (83) utilia, & bona, malus vero ſemper mala, & nociva. Occaſione autem bonorum, & utilium recepta ſunt alia a populo, ut Tu dicis. Stultus ergo fuit bonus Deus, aut malignus, qui dedit illa præcepta bona, & utilia tunc temporis, quorum occaſione recepta ſunt alia, quæ a Diabolo dicis eſſe data.

Præterea, cum iſtud ſciret Deus bonus, qui omnia novit, antequam fiant, quomodo tunc miſcuiſſet ſua præcepta bona, per quæ haberent locum Diaboli præcepta? Alii dicunt, quod malus Deus dedit omnia illa præcepta tam bona, quam mala, & fecit ſicut ille qui vult aves capere, & præmittit quædam allectativa. Contra hoc ſatis diximus.

Præterea ſi ſolus malus Deus dedit illa præcepta, ut dicis, ſed ejus præceptis nullus tenebatur obedire; ergo ante adventum Chriſti, non erat malum occidere, vel fornicari, vel furari, vel pejerare; malum enim, ſive peccatum dicitur aliquid, ideo quia eſt contra præceptum Dei boni, & ſancti. *Ubi enim non eſt lex* Dei ſancti, *nec prævaricatio*, ut dicit Apoſtolus Rom. 4. v. 16. Ergo cum omnes eſſent damnabiles ante adventum Chriſti, ut Tu dicis, omnes erant damnabiles abſque peccato.

Sed contra. Conſtat quod tunc temporis erat peccatum, ergo & lex Dei.

Si etiam dicas, quod illa præcepta ſcripta erant in corde hominis, ſcilicet non occidere, & hujuſmodi. Quæro: ſi merebatur homo vitam æternam illa ſervando? Non diceres, quod mereretur eam. Ad quid ergo ſcripta erant in corde hominis? Videtur quod fruſtra. Hoc autem eſſe non poteſt. Omnes igitur errant, qui dicunt Deum Veteris Teſtamenti, qui loquebatur Abrahæ, & Moyſi, non fuiſſe bonum.

§. VIII.

Alia teſtimonia ex Apoſtolo ad Roman: quibus probatur, quod idem fuerit Deus Veteris Teſtamenti cum Deo Novi Teſtamenti.

POſtquam oſtendimus per teſtimonia Scripturarum, de Abraham, & Moyſe loquentium, quod Deus Veteris Teſtamenti bonus fuit; reſtat quod aliorum etiam teſtimonia alia inducamus, quibus pateat quod Deus Veteris Teſtamenti ſanctus eſt, & bonus. Rom. 9. v. 10. legitur quod *Rebecca* (84) *ex uno concubitu Iſaac Patris noſtri* fuit habens duos Filios, ſcilicet Jacob, & Eſau. *Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali (ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: Quia major ſerviet minori Geneſ.* 25. *ſicut ſcriptum eſt* Malach. 1. *Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Modo ſic: Apoſtolus dicit dictum eſſe Rebeccæ, quod major ſerviet minori. Dictum eſt autem ei, non ex operibus, ſed ex vocante, ut propoſitum Dei maneret ſecundum electionem. A quo autem dictum ſit ei illud, patet ex Geneſ. 25., & ita a Deo Veteris Teſtamenti. Deus igitur Veteris Teſtamenti illud dixit ei, cum nondum egiſſent aliquid boni, aut mali; ideo vero dixit ei, ut propoſitum *Dei maneret ſecundum electionem*, non ex operibus. Modo quæro de quo Deo intelligat Apoſtolus, cum dicit propoſitum Dei? Si de bono Deo? Numquid Deus Veteris Teſtamenti illud dicebat Rebeccæ hac intentione, ut propoſitum Dei maneret ſecundum electionem? ergo volebat quod propoſitum Dei maneret ſecundum electionem. Hoc autem non vellet, ſi Deus malignus eſſet; ergo Deus Veteris Teſtamenti benignus fuit, & idem cum Deo Novi Teſtamenti. Si autem dicas quod loquitur de Deo malo ibi. Contra; oſtende teſtimonio aliquo quod ibi inveniatur propoſitum Dei in malo; Ego enim oſtendo per teſtimonium quod in bono ſumitur.

Non-

(82) Huc recidunt, quæ extant apud Euthymium in Panoplia *P.* II. *Tit.* XX. *pag.* 212.

(83) Fuſiſſime tractat hoc argumentum Titus Boſtrenſis *lib.* III. *Contra Manichæos pag.* 146. *ſeq.* oſtenditque nihil vitioſum ineſſe in Lege. Immo vero multis evincit omnem vitii ſpeciem a lege ſublatam eſſe, invectamque eam, quæ eſt propria virtutis.

(84) S. Irenæus *lib.* IV. *cap.* XXI. *n.* 2. *pag.* 258. „ Et ea, *inquit*, quæ circa Iſaac non ſine ſignificatione ſunt. In ea enim „ Epiſtola, quæ eſt ad Romanos, ait Apoſtolus: *ſed & Rebecca* „ *ex uno concubitu habens Iſaac Patris noſtri, a verbo reſponſum* „ *accepit, ut ſecundum electionem propoſitum Dei permaneat &c.* „ Ex quibus manifeſtum eſt, non ſolum prophetationes Patriarcharum, ſed etiam partus Rebeccæ prophetiam fuiſſe duorum populorum, & unum quidem eſſe majorem, alterum vero minorem, & alterum quidem ſub ſervitio, alterum autem liberum; „ unius autem, & ejuſdem Patris. Unus & idem Deus noſter, & „ illorum, qui eſt abſconſorum cognitor, qui ſcit omnia antequam „ fiant, & propter hoc dixit: *Jacob dilexi, Eſau autem odio* „ *habui.*

Nonne supra dixit Apostolus Rom. 8. v. 28. *Scimus autem, quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti?* Loquitur de bono proposito Dei boni, unde & statim subdit v.29. *Nam quos praescivit, & praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui: ut ipse sit primogenitus in multis fratribus*. Item ad Ephesios 1.v.5. *qui praedestinavit nos in adoptionem Filiorum per Jesum Christum, secundum propositum voluntatis suae*.

Praeterea nonne electio ibi sumitur in bono? Utique, ergo & propositum; ergo loquitur de Deo bono. Quod autem electio sumatur in bono, patet Rom. 11. v. 5. *Secundum electionem gratiae ergo reliquiae salvae factae sunt in hoc tempore. Si autem gratia, jam non ex operibus*. Nonne hoc est illud idem, quod dixit Apostolus Rom. 9. *ut secundum electionem propositum Dei maneret*, *idest impleretur*, *non ex operibus*, *sed ex vocante dictum est ei &c.*? Iste igitur Deus vocans bonus est.

Praeterea, ubi sumitur Deus vocans in malo? Ego invenio tibi in bono. Rom.4. v.17. *qui vocat ea quae non sunt tamquam ea quae sunt*. Et hic dicitur: *Cum enim nondum nati fuissent &c.* Item supra Roman.8. *Quos praescivit, & praedestinavit, hos & vocavit*.

Praeterea, responde tu, qui ponis duo principia: *ex vocante dictum est ei: quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi &c.* Idem ergo est Deus Veteris Testamenti, & Deus qui in Malach. loquitur; sed Deus qui loquitur in Malachia bonus est, ergo Deus Veteris Testamenti bonus est.

Praeterea, ex isto vocante dictum est Rebeccae: *quia major serviet minori &c.* Ergo ex Deo vocante est conceptus filiorum carnalium.

Item Rom.2. v.23. *qui in lege gloriaris, per praevaricationem legis Deum inhonoras*. Constat quod de Deo Sancto loquitur populo Judaeorum, & vituperat eum, qui praevaricando legem, in qua gloriabatur, Deum Sanctum inhonorabat; ergo Deus Sanctus dederat legem illam populo Judaeorum per Moysen; ergo ipse loquebatur ei non Satan.

Praeterea Apostolus subdit v. 24.: *Nomen enim Dei per vos blasphematur, sicut scriptum est*. Sed ubi est scriptum? Ezech.36. v.12. ubi dicit Deus Sanctus illis Judaeis: *Non propter vos ego faciam domus Israel, sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis in gentibus, ad quas intrastis*. Constat quod nullius nomen Dei polluebant, nisi nomen illius Dei, quem colebant, & cujus auxilium invocabant. Nullius autem Dei invocabant auxilium, nisi illius, qui dedit Vetus Testamentum per Moysen; ergo Deus Veteris Testamenti est Deus Sanctus.

Praeterea, nomen Dei blasphematur inter Gentes propter eorum malam vitam. Gentes autem non attendebant alium esse Deum Judaeorum, praeter eum, qui eos ex Aegypto eduxit, & per Moysen eis legem dedit; ergo ille est Deus, de quo Apostolus ait: *Nomen enim Dei per vos blasphematur inter Gentes*; ergo ille est Sanctus, & verus Deus.

Item Rom.3. v.1. & seqq. dicit Apostolus: *Quid ergo amplius Judaeo est? aut quae utilitas Circumcisionis?* Postea solvit: *Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei.* Constat quod Apostolus loquitur ibi de duobus populis, scilicet Judaeo & Gentili, & dicit amplius fuisse Judaeo, quia credita sunt eis eloquia Dei. Et de quo Deo loquatur, patet ex eo quod Apostolus ait postea: *Quid enim si quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuavit? Absit*. Deus igitur ille erat fidelis.

Item dicit Apostolus de eodem v. 4. *Est autem Deus verax*. Sed quare dicitur verax, nisi quia implet quae dicit & promittit? ergo verax Deus loquebatur eloquia sua illis; ergo si non loquebatur, nisi Deus Veteris Testamenti, Deus Veteri Testamenti Deus verax est.

Praeterea, dicto: *Est autem Deus verax*, ibi subdit Apostolus: *Omnis autem homo mendax, sicut scriptum est*: psalm. 50. *Ut justificeris in sermonibus tuis &c.* verba sunt David adulteri & homicidae petentis misericordiam Dei veracis, ut lavaret eum ab iniquitate, idest homicidio & a peccato, idest adulterio. Sed constat, quod ille David non intelligebat alium Deum, nisi Deum Veteris Testamenti; ergo ille Deus verax. Et nota, quod per illa duo verba, quae Apostolus dicit; scilicet *fidem Dei*, idest fidelitatem, & quia *verax*, patet quod eloquia illa, non dicuntur eloquia Dei, nisi quia fuerunt data ab eo.

Item Rom.9. dicit Apostolus, quod promissa, scilicet de Christo, & de hominis redemptione a diabolo, & de vita aeterna fuerunt Israelitarum, pro quibus erat eis tristitia magna & dolor continuus. Et quare? Quia errabant a Christo. Ne autem falsum videretur locutus Deus, quia illa promissa fecerat, excusat eum Apostolus cum subdit v. 6.: *Non autem quod exciderit verbum Dei*; verbum scilicet promissionis hujus: *In Isaac vocabitur tibi semen*, sicut dicit ibi Apostolus, & sumitur de Genes. 21. Aliunde enim non potes ostendere quod sumatur. Ille igitur fuit Deus Veteris Testamenti, qui illud promisit, cujus verbum non excidit; ergo Deus Veteris Testamenti bonus. Ponit etiam aliud promissum, scilicet illud quod sumptum est de Genes. 18. *Secundum hoc tempus veniam: & erit Sarae filius*. Quod verbum patet non excidisse, sed impletum fuisse verbum Dei Veteris Testamenti. Subdit & tertium verbum promissionis, quae facta est Rebeccae: Quod *major serviet minori*, & sumitur de Genes.25. Quod etiam verbum patet non excidisse.

Item ad Rom. 7. v. 23. dicit Apostolus: *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem*. Quae est illa lex, nisi haec quae dicit: *Non concupisces*? De hac enim dixerat v. 7. *Sed peccatum non cognovi, nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret. Non concupisces*. De hac modo dicit: *Condelector enim legi &c.* Bene dicit secundum interiorem hominem, idest secundum mentem, secundum quam nolebat concupiscere, & tamen concupiscebat, secundum hominem exteriorem, unde & dicebat v.23.: *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae*. Propter hoc dicebat v. 40.: *Si autem quod nolo malum*, scilicet concupiscere, *illud facio*: *consentio legi quoniam bonum est*. Et postea dicit; *Et condelector*

ctor legi Dei. Sed cujus Dei? nisi Dei Veteris Testamenti: alius non dederat aliquam legem pro tempore, pro quo Apostolus loquebatur; ergo Deus Veteris Testamenti bonus, quia de Deo bono intelligit Apostolus, cum dicit: *Condelector enim legi Dei &c.*

Item Rom. 9. v. 27. *Si fuerit numerus filiorum Israel tamquam arena maris, reliquiæ salvæ fient.* Et sumitur testimonium hoc de Isaia 10. Per quod autem fiant salvæ reliquiæ determinat, quia per verbum Evangelii, unde subdit Apostolus v.28. *Verbum enim consumans & abbrevians*, supple fiet illis. Isaiæ 10. dicitur expressius: *Consummatio abbreviata inundabit justitiam*; supple & propter hoc salutem. Et postea subdit Apostolus v. 29. *Quia verbum breviatum faciet Dominus super terram*. Et sumitur de Isaia 10. Similiter hoc addit & affirmat Isaias, ne quis dubitet sic futurum. Quis autem sit iste Dominus, notum est eodem cap. Isaiæ, ubi plagam Madian in petra Oreb ei attribuit, quam plagam factam scimus a Deo Veteris Testamenti. Judic. 7. neque alicujus similis rei poteris aliud testimonium invenire.

Item Rom.8. v.36. introducit Apostolus Scripturam istam: *propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis*. Ista scriptura ad Christum loquitur, sicut vult Apostolus: sed istud non est scriptum, nisi in psalmo 43. v. 1. *Deus auribus nostris audivimus &c.* ubi patet quod ad Deum Veteris Testamenti sermo dirigitur; ergo Deus Veteris Testamenti dator Christus est. Lege psalmum illum, & videbis ita esse, ut dixi per facta quæ ibi narrantur. Quod autem Scriptura illa loquatur in Apostolo, & loquatur ad Christum patet. Dixerat enim Apostolus v.35. *Quis ergo nos separabit a charitate Christi*; quasi dicat, nullus, & subdit: *sicut scriptum est*: *quia propter te*, idest, quia a te non separamur, ideo *mortificamur &c.*

Item Rom: 9. dicit Apostolus, fideles esse vocatos a Deo v. 24. *Non solum ex Judæis, sed etiam ex Gentibus*. Et ponit testimonium de Oseæ 2. in fine, dicit Dominus: *Vocabo non plebem meam, plebem meam*. Quod autem loquitur Apostolus, & dicit: *Et erit in loco*, habetur Oseæ 2. in fine. De Deo Sancto loquitur Oseas, sicut patet per Apostolum. Sed quod ille sit Deus Veteris Testamenti, patet per facta quæ notantur ibi ab Oseæ de Deo illo, quæ constat esse facta a Deo Veteris Testamenti. Deus ergo Veteris Testamenti bonus est.

Item Rom.10. v. 21. dicit Apostolus: *Ad Israel* autem, idest de populo illo dicit: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem mihi*. Postea subdit Rom.11. v.1. *Numquid Deus repulit populum suum? Absit. Nam & ego Israelita sum, ex semine Abraham de Tribu Beniamin*, supple, quem non repulit, sed elegit per gratiam. Ex quo intelligitur probare, quod ille populus non est totaliter repulsus a Deo, unde statim ponit: *Non repulit Deus plebem suam*, supple totam *quam præscivit*; idest elegit ad vitam æternam habendam, licet non totam. Constat, quod Apostolus loquitur de populo Judæorum, & appellat istum populum Dei Sancti, & veri. Quomodo autem dicatur populus Dei, inquisitum est superius in eodem capite super illo loco: Hebr.11. *Fide Moyses grandis factus &c.*, unde

Transeamus ad aliud, quod postea ponit Apostolus ad probandum, quod ille populus non est repulsus totus, sed ex parte; & dicit Rom.11. v. 3. & 4. *An nescitis in Elia quid dicit Scriptura* 3. Reg. 19. *quemadmodum interpellat Deum adversum Israel? Domine Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt: & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit illi divinum responsum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua sua ante Baal.* Constat quod Elias appellavit Dominum, ut dicit Apostolus, & respondit Eliæ: *Reliqui mihi &c.* Apostolus autem dicit hoc esse divinum responsum; ergo non est diabolicum; est Dei Veteris Testamenti; ergo Deus Veteris Testamenti verus Deus fuit non diabolus. Sicut enim sæpe diximus Apostolus nunquam diabolum appellat Deum sine determinatione, qua cognoscitur, quod Deus venit in mala parte, unde responsionem diabolicam non appellaret divinam.

Præterea dicit Apostolus, quod Elias interpellabat Deum adversum Israel; non ergo diabolum. Nusquam enim dicitur Deus ab Apostolo aliquo, vel a Christo, nisi ut supra diximus.

Præterea, detur, etsi non sit verum, quod malum Deum interpellaret, nunquid ille malus Deus dixit verum, vel falsum, cum dixit: *Reliqui mihi &c.*? Si verum dixit? ergo illi septem mille non curaverunt genua sua ante Baal. Deus ille laudat eos, quia non fecerunt reverentiam Baal, & quia non idolatraverant, & propter hoc etiam illos reliquit sibi: placebant ergo sibi propter hoc. Hoc autem constat fuisse bonum, bonus ergo erat Deus Eliæ cui placebat bonum; ergo Deus Veteris Testamenti bonus, & Elias similiter servus ejus bonus, & illi qui non fecerunt reverentiam Baal.

Præterea vide quid infert Apostolus ex præmissis v.5.: *Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt*. Nota quod dicit quod reliquiæ in hoc tempore sic salvatæ sunt, quemadmodum reliquiæ 7000. virorum in illo; ergo illi fuerunt salvati bona salute, & ita illi fuerunt salvati, idest a diabolo, & a peccatis liberati, licet non venissent ad salutem perfectam gloriæ æternæ ante adventum Christi. Nonne vides, quod istud etiam dicit D. Petrus Act.15. v. 11. dicens: *per gratiam Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi*; scilicet Patres Judæorum. Nonne vides, quod istud fatetur hic Paulus? *Sic ergo & in hoc tempore, reliquiæ salvæ factæ sunt, secundum electionem gratiæ. Si autem gratia Dei, jam non ex operibus.*

Si autem dicat, quod falsum dixit Deus ille.

Contra. Apostolus infert: *Si ergo & in hoc tempore &c.* ergo si ille falsum dixit, cum ait: *Reliquiæ &c.* & Paulus falsum dicit cum ait: *Si ergo &c.* Si enim sic: Sed ibi falso dicit Reliquias, ergo & hic.

Præterea, si dicit falsum, sed non dicit nisi hoc: *Reliquiæ mihi &c.* ergo non reliquerat illos sibi, ergo illi erant boni; ergo boni homines fuerunt in Veteri Testamento.

Forte autem dicet Hæreticus, quomodo potest esse

esse quod Elias fuerit bonus, & haberet spiritum Dei boni in se, qui credebat se relictum solum, & tamen tot boni relicti erant, ut credit Ecclesia Romana?

Respondeo, licet haberet spiritum Dei, tamen non omnia sciebat, sed errabat in hoc. Nec mirum, quia etiam Petrus reprehensibilis fuit Gal. 2. non ambulans recte ad veritatem Evangelii.

Item Act. 10. v. 14. cum ait: *Absit Domine, quia nunquam manducavi omne commune, & immundum.* In quo ipse nesciebat quid diceret.

Item quod Elias bonus homo fuerit, probatur ex eo quod habetur Jacobi ult. v. 17. ubi dicitur: quod *multum valet deprecatio justi assidua*. Et hoc probat exemplo Eliæ dicens: *Elias, homo erat similis nobis passibilis, & oratione oravit, ut non plueret super terram, & non pluit annos tres & menses sex. Et rursum oravit, & cælum dedit pluviam: & terra dedit fructum suum*. De primo habetur 3. Reg. 17. secundo Reg. 18. Si per exemplum Eliæ probat hoc, quod multum valet deprecatio justi assidua; ergo Elias bonus homo fuit, & justus, ergo & Deus, qui eum regebat, & ita Deus Veteris Testamenti bonus.

Præterea Jacobus dixit, quod Elias similis erat sibi & aliis de Ecclesia. Illa similitudo, vel in bona parte intelligitur, vel in mala? si in bona? ergo Elias bonus fuit, quod verum est. Si in mala? ergo Apostoli mali. Forte dicet, quod illa similitudo, de qua Jacobus dicit, quod erat Elias homo similis Apostolis, attenditur in passibilitate, quia persecutiones patiebatur, sicut & illi. Sed illi patiebantur propter justitiam; ergo & Elias; ergo bonus, & Deus ejus rector bonus. Vel si Elias patiebatur propter diabolum & propter injustitiam, ergo non patiebatur sicut Apostoli, qui propter Deum & justitiam patiebantur. Immo patiebatur Elias, secundum te, quasi homicida, cum dicatur 1. Pet. 4. v. 15. *Nemo vestrum patiatur ut homicida*. Eum enim homicidam dixit, quia occidit duos quinquagenarios missos ab Achab, ut traherent eum, & ducerent etiam invitum, ut legitur 4. Reg. 1., & quia occidit Prophetas Baal quadringentos quinquaginta, prophetasque lucorum quadringentos, ut habetur 3. Reg. 18., eumque irridens, qui transtulit eum in curribus igneis, ad quæ postea respondebimus.

Item quod Elias bonus sit, & Deus, qui eum regebat, patet ex eo, quod Johannes Baptista, de quo dicitur Luc. 1., quod in utero Matris Spiritu Sancto plenus erat, & Pater ejus & Mater similiter, ut ibi habetur, dicitur v. 17. processurus *ante eum in spiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda Patrum in Filios, & incredulos ad prudentiam justorum, ut habetur* Lucæ 1. Ad quid autem præcedat eum, dixit Spiritus Sanctus per Zachariam Lucæ 1. v. 30. *Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus*. Non dixit destruere; ergo bonus erat spiritus Eliæ, quia spiritus Joannis bonus, & ita Deus Veteris Testamenti bonus & aliqui tunc boni.

Item contra illos, qui duo ponunt principia, specialiter induci potest illud Malachiæ ult. v. 5. & 6. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magna & horribilis. Et convertet cor Patrum ad Filios, & cor Filiorum ad Patres eorum.* Idem dixit Angelus Gabriel de Johan. Luc. 1., propter quod etiam dicendum est, quod Johan. Christum præcedet in spiritu & virtute Eliæ. Nonne iste Elias bonus est, & de quo Malachias loquitur? Utique; ergo & ille de quo Angelus in Luca loquitur. Idem enim est, ut patet per verba Angeli & Prophetæ. Sic ergo Johan. Baptista bonus & Parentes ejus boni, quia Spiritu Sancto pleni, ut dicit Lucas. Igitur Deus Veteris Testamenti bonus, quia illi Deo serviebant.

Præterea Ecclesiast. 48. v. 1. *Et surrexit Elias Propheta, quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat*. Iste Elias bonus est secundum te; sed iste est Elias Veteris Testamenti; ergo Elias Veteris Testamenti bonus & Deus ejus similiter. Quod autem iste sit Elias Veteris Testamenti, probatur per gesta, quæ numerantur in Ecclesiastico, quæ a nullo repeeriuntur facta, nisi ab Elia Veteris Testamenti. Si autem ab alio velis dicere ea esse facta, non habes inde testimonium. Nonne vides, quod dicit Ecclesiasticus, quoniam surrexit quasi ignis, hoc fuit quando, ut habetur 4. Reg. 1. duos quinquagenarios missos ab Idolatra Achab igne cælitus misso combussit, & quia istud fecit solo verbo, dicit Ecclesiasticus: *Et verbum ejus quasi facula ardebat*. Sequitur in Ecclesiastico; *Qui induxit in illos*, idest in idolatras, *famem* 3. Reg. 17. Quando *orationem oravit, ut non plueret &c.* ut habetur Jacobi 5. sequitur, *imitantes illum*; idest imitari volentes, idest volentes facere, sicut ipse dicebat, scilicet per invocationem habere ignem de cælo ad devorandum holocaustum. Isti inquam *pauci facti sunt*, quia de idolatris Sacerdotibus, quadringenti quinquaginta occisi sunt. *Non enim poterant*, ut dicit Ecclesiast. *Sustinere præcepta Domini*; quasi dicat, grave fuit eis; itaut ferre non posset præceptum, idest voluntatem Dei, de eis occidendis, quia non potuerunt resistere; ut habetur 3. Reg. 18. Sequitur: *Verbo Domini continuit cælum*; idest verbo orationis ad Deum fusæ clausit annis tribus & mensibus sex, ne plueret super terram 3. Reg. 18. Et additur caussa hic, quare famem induxit in illos, sequitur in Eccles. *Et dejecit a se ignem terræ*; quasi dicat verbo orationis suæ obtinuit ignem de cælo ad devorandum holocaustum suum in signum quod Baal non erat Deus, quia ad hoc impotens fuit. Deus autem Eliæ verus Deus, ut habetur 3. Reg. 18. Sequitur in Eccles. *Qui sustulisti o Elia mortuum ab Inferis*. Hoc habetur 3. Reg. 18. Sequitur in Eccles. *Qui dejecisti Reges*, idest dixisti deijciendos. Prædixit enim mortem Achab 3. Reg. 21. & Ezechiæ & Ochosiæ 4. Reg. 1. sequitur: *confregisti facile potentiam ipsorum*, idest prædixisti confringendam: sequitur: *Qui audis in Sina judicium*, idest secretum Dei consilium: Rom. 11. *Reliqui mihi 7000. virorum &c.* 3. Reg. 19. Per quod judicavit Dominus, quod ipse errabat, putans se solum esse relictum: sequitur: *& in Horeb judicia defensionis*. 3. Reg. 19. ista judicia fuerunt. Sequitur in Ecclesiast. *Qui ungis Reges*, scilicet Jehu & Hazael 3. Reg. 19. Unxit eos autem non facto, sed præcepto, *ad pœnitentiam*, dicit, idest in ultionem idolatrarum, ut patet 4. Reg. 4. & 10. vel 19. & 20. sequitur: *& Prophetas facis*, istud patet in Elisæo 3. Reg.

Reg. 19. ſequitur : *Qui receptus es in turbine ignis, in curru æquorum igneorum*. 4. Reg. 2. Ecce patet per geſta ipſius Eliæ, de quo habetur Eccl. 48., quod ipſe idem eſt cum Elia Veteris Teſtamenti. Sed iſte bonus eſt, de quo loquitur Eccleſiaſticus; ergo & ille; ergo Deus Veteris Teſtamenti bonus. Quod autem iſte, de quo habetur in Eccleſiaſtico idem ſit cum illo, de quo loquitur Dominus in Malachia, patet per verbum Eccleſiaſtici, qui dicit Eliam inſcriptum in vindictis v. 10. *Lenire iracundiam Domini, conciliare cor Patris ad Filium, & reſtituere tribus Jacob*; ſupple ad Deum.

Idem habes Malach. 4. *Et convertet &c.* Idem igitur eſt hic Elias cum Elia, de quo ait Malach. Sed ille bonus, & Dei bonus nuncius, qui ibi dicit v. 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam &c.* ergo Elias (de quo in Eccleſiaſt. legitur) bonus eſt, & ita Elias Veteris Teſtamenti bonus, & Deus ejus ſimiliter. Eccleſiaſt. dicit v. 13. *Elias, qui in turbine tectus eſt, & in Eliſæo completus eſt ſpiritus ejus*: qui duplicatus eſt ſpiritus in Eliſæo, ut habetur 4. Reg. 2.

Item Matthæi 17. v. 11. *Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia*: Ecce quomodo laudat Eliam ipſe. Quæ autem ſint illa quæ reſtituet, apparet Malachiæ ult. v. 5. *Ecce ego mittam Eliam vobis &c.* ut prius. Ipſa enim converſio eſt ipſa reſtitutio, de qua etiam habetur Eccleſ. 48. quod debebat conciliare cor Patris ad Filium; ideſt ad populum Judæorum, & reſtituere tribus Jacob ad Deum ſuum.

Item Lucæ 4. v. 24. dicit Chriſtus, *quod nemo Propheta acceptus eſt in Patria ſua*. Et ponit ſimilitudinem Eliæ & Eliſæi, quia ſicut illi non fuerunt accepti in Patria ſua, imo multa ibi paſſi, ita & Chriſtus. Ecce quod illos ita ſibi aſſimilat, & ſe eis, quod totum eſt ad eorum laudem. Quare ergo detrahis illis?

Item Matthæi 17. legitur ad laudem Moyſi & Eliæ, quod apparuerunt cum illo, ideſt Chriſto in monte, ubi transfiguratus erat cum tribus diſcipulis; dicitur enim ibi v. 3. *& apparuerunt eis*, ideſt tribus diſcipulis *Moyſes & Elias cum illo loquentes*. Non dixit contra illum, ut tu fingis, nec unquam invenies hoc, imo contrarium ego invenio Deuteron. 18. v. 14. *Prophetam de Gente tua, & de Fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus &c.*

Item Chriſtus Jo: 5. v. 46. ait: *Si enim crederetis Moyſi; crederetis forſitan & mihi; de me enim ille ſcripſit*. Non dixit contra me, nec potes dicere, quod *forſitan* ponatur dubitative; quod patet ex cauſſa, quæ ſubditur: *de me enim ille ſcripſit*. Item ex eo quod ſubditur: *Si autem illius literis non creditis: quomodo verbis meis credetis?*

Præterea, *forſitan*, quando eſt nota dubitationis, eam notat in proferente. Sic ergo Chriſtus dubitaſſet de credulitate eorum, quod eſſe non poteſt.

Præterea, *forſitan*, non ſemper dubitationem notat, ut patet Lucæ 20. v. 13. ubi Pater ait: *Mittam Filium meum dilectum: forſitan cum hunc viderint, verebuntur*.

Si autem quærat hæreticus, quid notet ibi *forſan?* dicas, quod nota eſt eventus, vel libertatis arbitrii ex parte illorum; quaſi dicat in libero illorum arbitrio eſt vereri Filium meum. In auctoritate autem Johan: nota eſt eventus, quaſi dicat; hoc eveniret, ſi crederetis Moyſi, quod etiam mihi crederetis, quia ſcripſit de me Deuteronom. 18. Ideo autem apparuerunt cum illo in monte, ut oſtenderet, quod lex & Prophetæ non ſunt illi contraria, ſed conſona.

Immo, ante eos transfiguratus eſt, ut oſtenderet Legislatorem & Prophetas dignos eſſe gloria Reſurrectionis, quam tunc eis oſtendebat.

Nunc reſpondendum eſt ad verſutias eorum; quarum una eſt, quia irrident illum, qui in curru igneo rapuit eum. Quam irriſionem non poteſt facere qui duo ponit principia; quia Elias bonus, ſecundum eos Eccleſ. 48. ſimiliter raptus eſt; qui tamen alius non eſt, quam Elias Veteris Teſtamenti, ut oſtenſum eſt. Si autem ille Catharus, qui unum ponit principium, ab hac irriſione non vult ceſſare, irrideant Chriſtum Dei Filium in flamma ignis daturum vindictam illis, qui non noverunt veritatem, nec obedierunt Evangelio.

Item 2. Pet. 3. v. 10. *Adveniet autem dies Domini, ut fur: in quo cæli magno impetu tranſient, elementa vero calore ſolventur; terra autem & quæ in ipſa ſunt opera exurentur*. Si autem irrident eum de occiſione, dicamus eis illud Rom. 3. v. 5. *Nunquid iniquus eſt Deus qui infert iram? (ſecundum hominem dico) Abſit: alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum?* Quaſi dicat: Si nefas eſt dicere, quod inferat Deus temporalem pœnam, magis nefas eſt dicere, quod æternam. Si enim Deus æterna morte damnabit impios, multo fortius temporali. Et quid mirum; ſi corpus ad tempus occidit, qui ipſum æternaliter cruciabit? Jacob. 4. v. 12. *Unus eſt Legislator, & Judex, qui poteſt perdere & liberare*. Matthæi 10. v. 28. *Nolite timere eos, qui occidunt Corpus, animam autem non poſſunt occidere; ſed potius timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam*. Dicimus ergo quod Elias Sanctus & bonus zelo juſtitiæ armatus Prophetas Baal, qui Populum ſeducebant ad Idolatriam, occidendo, non peccavit. Similiter autem duos quinquagenarios Principes cum militibus ſuis occidit, qui venerant armata manu ad ipſum, ut eum, vel invitum traherent ad Regem; nec peccavit occidendo eos, quia favebant Regis Idolatriæ, *quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte: non ſolum, qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*. Rom. 1. v. 32. ſed ſignum dedit, quod hæretici ſeductores populi, igni comburantur cum fautoribus ſuis.

Item quod Deus Veteris Teſtamenti Chriſtus ſit, patet ex eo, quod habetur Rom. 10. v. 20. ubi Paulus introducit teſtimonium de Iſaia 65. ait enim: *Inventus ſum a non quærentibus me; palam apparui iis, qui me non interrogabant*. Et loquitur de populo gentili. Quod autem loquatur ibi Deus Veteris Teſtamenti, patet ex verbis ante poſitis: Iſai. 64. v. 9. *Ecce reſpice, populus tuus omnes nos &c.* ubi ſit mentio de Populo Judæorum, & de Sion & de Jeruſalem, & de Templo. Et populus ille ad alium non dirigebat ſermonem, niſi ad Deum Veteris Teſtamenti, in cujus honorem fecerant domum. Idem patet ex verbis ſequentibus v. 21. quoniam de Judæis loqui-

loquitur Isaias, ubi dicit Apostolus: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem mihi*. Assignat autem Dominus solutionem quæstionis, quam Isaias fecerat 64. v. 9., ubi Isaias introducit populum Judæorum, dicentem de eo: *Ecce* Domine *respice, populus tuus omnes nos. Civitas Sancti tui*, idest Sanctuarii, hoc est Templi, *facta est deserta; Sion deserta facta est; Jerusalem desolata est. Domus sanctificationis nostræ, & gloriæ nostræ, ubi laudaverunt te Patres nostri, facta est in exustionem ignis, & omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas*. Postea ponit quæstionem. *Numquid super his continebis te Domine, tacebis & affliges nos vehementer?* Postea solvit quæstionem, & ostendit, quod non acciderent ista eis, ex eo quod ipse misericordiam suam contineat, sed ex malitia eorum, qua repellunt a se misericordiam Christi, non quærendo eum, sed contradicendo ei, cum tamen opera quæ facturus erat, testimonium perhiberent de eo, quæ opera per manus intelligit, quas tota die, idest toto tempore, quo cum eis fuit, ad eos expandit. E contrario autem in Gentibus, unde: *Inventus sum a non quærentibus me*, priusquam homo fierem.

Item Rom. 11. v. 7. dicit Apostolus de Judæis incredulis, quoniam *excæcati sunt, sicut scriptum est: Dedit illis Deus spiritum compunctionis: oculos, ut non videant, & aures ut non audiant usque ad hodiernum diem*. Sententia horum verborum habetur Isaiæ 6. v. 20. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat*. Quod autem loquatur de Deo sancto, patet ex his quæ ponit Apostolus, & David dicens: 68. v. 23. & 24. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum: Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurva*. Quæ verba sunt Christi ad Patrem, ut patet ex verbis ejus, quæ de eodem Psalmo sumpta sunt nu. 10. *Quoniam zelus domus tuæ comedit me*; quæ de Christo, & ab ipso creduntur dicta, ex eo quod legitur Johan. 2. v. 17. *Recordati sunt vero Discipuli ejus, quia scriptum est: Zelus domus Tuæ comedit me*.

Item ex illis verbis ejusdem Psalmi v. 10. *Opprobria exprobrantium Tibi ceciderunt super me*. Quæ Apostolus Rom. 15. de Christo, & a Christo exponit esse dicta. Psal. 68. *Quoniam Zelus domus &c.* in illo Psalmo: *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt &c.* Ibi enim ait de domo materiali, scilicet de Templo Judæorum, quæ quidem domus erat Dei Veteris Testamenti: ergo cum Christus dicit: *Zelus domus Tuæ comedit me &c.* cum loquatur ad Patrem, domus illa erat Patris Christi; ergo Pater Christi Deus est Veteris Testamenti. Quod autem illa domus esse intelligatur Templum materiale ipsorum Judæorum, inferius ostendemus.

Item Roman. 12. v. 19. dicit Apostolus: *Non vos metipsos defendentes Carissimi, sed date locum iræ: Scriptum est enim: Mihi vindicta: ego retribuam dicit Dominus*. Hanc auctoritatem plene exequemur cum Dei auxilio in quinta parte hujus operis. Ad præsens autem, tantum de ea dicimus, quod ipse Dominus Veteris Testamenti, Deus sanctus, & verus, cui obediendum est, declaratur. Monebat enim Apostolus Romanos, ut darent locum iræ, idest vindictæ Dei locum suum non auferrent, quod facerent se vindicantes. Et quasi quis diceret Paulo: an confirmare potes faciendum esse aliquo testimonio? subjungit: *Scriptum est enim &c.* Sed ubi scriptum est, nisi 32. Deuteronom. v. 1. *Audite Cæli quæ loquor?* Hic autem non loquebatur nisi Deus Veteris Testamenti per Moysen; ergo Deus Veteris Testamenti est ille Deus, cui obediendum est. Sic enim dicit Apostolus: Facite hoc, quia Deus Veteris Testamenti præcipit illud.

Item Rom. 14. v. 11. dicit Apostolus, introducens Testimonium Isaiæ 45. *Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu: & omnis lingua confitebitur Deo*. Patet autem quod de Christo loquitur, sicut vult Apostolus. Quod autem loquatur de Deo Veteris Testamenti, ostensum est.

Item Rom. 15. v. 4. dicit Apostolus: *Quæcumque enim scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, &c.* Quæ erant tunc scripta nisi Lex, & Prophetæ, quibus uteretur Apostolus in Testimonium eorum quæ dicebat? Non alia. Istud patet in epistolis suis, & in Scripturis aliorum Apostolorum, unde Paulus dicit 24. Actorum v. 14. *Sic deservio Patri, & Deo meo, credens omnibus, quæ in lege, & Prophetis scripta sunt*.

Item 26. v. 22. *Testificans majori, atque minori, nihil extra dicens quam ea, quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, & Moyses*.

Item ult. Actor. in fine: *Suadensque eis de Jesu ex lege Moysi, & Prophetis, a mane usque ad vesperam*. Dicit Apostolus, quod ista scripta sunt ad nostram doctrinam, sed non a maligno spiritu; ipse enim non vult nostram doctrinam, vel patientiam, vel consolationem, vel spiritum in Deum. Quod autem illa non sint testimonia Diaboli, patet Roman. 15. v. 8. *Dico enim Christum Jesum fuisse ministrum circumcisionis propter veritatem Dei*. Luc. 1. Item: *Sicut locutus est ad Patres nostros, &c.* ut dicit B. Virgo.

Item Apostolus non uteretur eis in Testimonium, si a Diabolo essent scripta, & data. Testimonium enim Diaboli non valet; ergo sunt scripta, & data a Deo sancto. Bonus ergo Deus loquebatur per Moysen; ergo Deus Veteris Testamenti bonus.

Item ibidem dicit Apostolus: *Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis*, idest Judæorum, *propter veritatem Dei*, idest, ut Deus verax appareat, qui Filium suum eis promiserat Redemptorem; unde Psal. 110. v. 9. *Redemptionem misit Dominus populo suo*.

Item ut promissiones factas Patribus de Redemptione Gentium confirmaret Gen. 22. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes*, unde propter confirmandas promissiones Patrum, idest factas a Deo vero Patribus. Et quibus Patribus, patet ex verbis B. Mariæ: *sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham, & semini ejus in secula*. Luc. 1. ergo Deus verax illas promissiones fecerat Patribus, scilicet Abrahæ: ergo Deus Veteris Testamenti bonus,

quia ille solus ei, & semini ejus loquebatur per Angelum suum.

Item ibidem dicit Apostolus, introducens testimonium David de Psalm. 17. *Diligam Te Domine fortitudo mea &c.* in cujus fine habetur: *Propterea confitebor Tibi in Gentibus Domine: & nomini tuo cantabo*; ut consueta littera habet. Iste autem Psalmus sumitur de 2. Reg. 22. v. 1. & seqq. in quo Psalmo patent gesta Veteris Testamenti, unde ibi dicitur: *Locutus est autem David Domino verba carminis hujus, in die qua liberavit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum, & de manu Saul.* Constat autem, quod David ad Deum Veteris Testamenti dirigebat sermonem: Paulus autem in ejusdem verbis dicit verba illa intelligi de Deo Novi Testamenti, quia de Deo, quem honorem debebant gentes super misericordia. Igitur Deus Veteris Testamenti est Deus Novi Testamenti.

Si autem dicat Hæreticus: numquid David ista fecit in Gentibus?

Dicas, & quod David illa fecisse dicitur, quia semen ejus illa fecit, idest Christus, qui etiam hoc modo illa fecit in Gentibus, scilicet per Apostolos. Quidquid tamen sit, David Scriptura ad Deum Veteris Testamenti loquitur; & Apostolus dicit, quod de Deo Novi Testamenti; ergo ut prius diximus idem est Deus utriusque Testamenti.

Item dicit Apostolus: *Lætamini Gentes cum plebe ejus*. Et sumit testimonium Isaiæ 66. cap.

Præterea, quare dicit Apostolus populum Judæorum plebem ejus, potiusquam Populum Gentilem ante adventum Christi, quæ posita sunt supra in hac parte hujus Capituli super illo verbo Hebr. 11. v. 25. *Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem*? Tantum autem ponimus hic, dicentes, quod Populus Judæorum ante Christi adventum dictus est ejus populus per regimen, quia illum populum regebat, licet ex eo plures essent mali. Quod autem ita sit, patet per literam Apostoli, quam sumit de Isaia 11. v. 1. *Erit radix Jesse: & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes sperabunt*. Nota quod non dicit; exurget regere Judæos, sed Gentes, quia super eas non regnabat, quando Isaias illud prophetavit: Tunc enim Gentes idololatrabant. Sed Judæos regebat, ideo dicit: *Lætamini*, idest lætabimini ad fidem conversæ cum plebe ejus, idest cum Judæis, qui jam sunt ejus plebs per regimen.

§. IX.

Alia Testimonia ex aliis Apostoli Epistolis.

Viso quod Deus Veteris Testamenti bonus est per testimonia, quæ inducta sunt ab Apostolo ad Romanos; videamus illud idem per testimonia aliarum epistolarum. Legitur 1. Cor. 9. v. 9. *Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os bovi trituranti* (85). Prius dixerat de se & Barnaba v. 4. *Numquid non habemus potestatem manducandi, & bibendi?* Ubi patet, quod loquitur de cibo, & potu materiali, quem poterat sumere ab eis, quibus dabat spiritualia, unde infra dicitur. 11. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus &c.* Et cum multis testimoniis probatur, quod hanc potestatem habet. Ad illud probandum, inducit illud testimonium legis, quod sumitur Deuteronom. 25. & dicit quod lex illud dicit, scilicet quod potestatem haberet illud operandi, cum ait: *Non alligabis os &c.* Quod autem istud intelligatur non de materialibus bobus, sed spiritualiter de Apostolis, probat dicens: v. 10. *Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt*. Apostolus dicit, quod Deus hoc dicit propter Apostolos, sed non Deus malus, scilicet Satan; Ille enim non præciperet, quod eis provideretur in necessariis; ergo Deus bonus illud præceptum dedit; ergo Deus Veteris Testamenti bonus.

Forte dicet Tibi Hæreticus: Nonne de materialibus bobus curam habet Deus, si ab eo sunt, cum scriptum sit: Psalm. 146. *Qui dat jumentis escam ipsorum &c?*

Respondeo: curam habet, sed non ibi: *Non alligabis &c.* imo de bobus spiritualibus, scilicet Apostolis intelligitur. Lex enim spiritualis est, ut dicit Apostolus Rom. 7. Vel si habet ibi curam de materialibus, non tamen primo, & principaliter; imo & de spiritualibus bobus, unde sic intelligitur illud verbum: Numquid de bobus materialibus cura est Deo, primo & principaliter in illis verbis? Non: An propter nos, & principaliter hoc dicit? Utique. Simile habetur Matth. 15. v. 26. *Non est bonum sumere Panem Filiorum*, idest Judæorum, *& mittere canibus*, idest Gentibus. Et etiam intelligendum est: non est bonum primo &c. Unde Marci 7. v. 27. *Sine prius saturari filios*.

Præterea, infra dicit Apostolus v. 14. quod *Dominus ordinavit iis qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere*. Istud autem habetur Matthæi 10. v. 10. *Dignus est enim* (ait Christus) *operarius cibo suo*. Iste Dominus, qui hoc ordinavit, ille est, qui dixit pro Apostolis: *Non alligabis &c.* Christus ergo fuit Deus Veteris Testamenti. Quod autem idem sit, qui dedit hoc, & illud, jam probatum est per hoc quod ille dicit: *Non alligabis &c.* Bonus Deus fuit.

Alio etiam modo potest hoc ostendi, per hoc scilicet, quod Apostolus 1. Timoth. 5. v. 17. dicit: *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habentur: maxime qui laborant in verbo, & doctrina*. In verbo scilicet exhortationis ad scientes, in doctrina ad nescientes. Postea conjungit testimonia Veteris Testamenti, & novi ad illud probandum quod dixerat v. 17. & 18. *Dicit enim Scriptura*, idest Deus in ea: *Non infrænabis os bovi trituranti*; & : *Dignus est operarius mercede sua*. Si autem dicat Hæreticus, quod illud intelligitur spiritualiter, quod dicit Apostolus 1. Cor. 9. v. 14. *Dominus ordi-*

(85) Similia sunt, quæ contra Paulicianos ex libro II. *Photii contra Manichæos*, adhibet Euthymius *in Panoplia Parte* II. Tit. XX. qui est *contra Paulicianos pag.* 212.

ordinavit &c. & non intelligitur de cibo, & potu carnali. Hoc stare non potest, cum dicat Apostolus v.11. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia metamus*, ut prius.

Item v.12. *Si alii potestatis vestræ Principes sunt: quare non potius nos? Sed nos usi sumus hac potestate*. Et quæ sit hæc potestas dixit prius v. 4. *Numquid non habemus potestatem manducandi, & bibendi?* Sed numquid Apostolus non usus erat potestate cibi, & potus spiritualis apud Corinthios? Imo; ergo non intelligitur de cibo, vel potu spirituali.

Præterea, si de illo intelligatur verbum illud: *Dominus ordinavit &c.* Quomodo stabit illud quod statim dicit Apostolus: *Ego autem nullo horum usus sum?* ergo Apostolus non erat usus vivanda spirituali, vel Evangelio spirituali.

Item, quod de materiali vivanda loquatur, patet 1. Cor. 11. v.7. & 8. Ubi ait: *Numquid peccatum feci me ipsum humilians, ut vos exaltemini? quoniam gratis Evangelium Dei evangelizavi vobis. Alias Ecclesias expoliavi, accipiens stipendium ad ministerium vestrum. Et cum essem apud vos, & egerem: nulli onerosus fui: nam quod mihi deerat, suppleverunt Fratres, qui venerunt a Macedonia*.

Item 1. Cor. 10.v.1. & seqq. *Nolo autem vos ignorare Fratres quoniam Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari: & omnes eandem escam spiritalem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt, consequente eos petra: petra autem erat Christus, sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo, nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt, neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est: Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere. Neque fornicemus, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt una die viginti tria millia. Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, & a serpentibus perierunt*. Ecce quod Apostolus (86) dicit quoniam bibebant de spiritali consequente eos Petra, quæ petra erat Christus. Ergo Christus sequebatur eos; ergo Satanas non minabat eos. Sed Deus Veteris Testamenti eos minabat, ergo Deus Veteris Testamenti non erat Satanas. Deus ergo bonus fuit.

Præterea, dicit, quod omnes eundem potum spiritalem biberunt, & eandem escam spiritalem manducaverunt. Numquid in mala parte sumitur esca, vel potus spiritualis? Si dicas sic. Contra. Numquid aliquo testimonio potes ostendere, quod esca spiritualis, aut potus spiritualis in mala parte sumatur? Non.

Præterea, quomodo potest sumi spiritualis potus ibi in mala parte, cum dicat: *Bibebant autem de spiritali, consequente eos petra; petra autem erat Christus?*

Præterea, ibi dicitur: *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est, &c.* De Deo sancto loquitur. Illa ergo prostratio fuit a Deo sancto, & fuit a Deo Veteris Testamenti. Ille ergo sanctus Deus est; & nota quod dicit: *Non in pluribus eorum*. Non dixit, in omnibus, unde etiam ait: *Sicut quidam eorum &c.* ergo in aliquibus eorum beneplacitum erat Deo sancto; ergo Deus sanctus regebat aliquos illorum spiritualiter, de quibus etiam dicit: *Omnes eandem escam spiritalem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt, consequente eos petra; petra autem erat Christus*.

Præterea, ibi dicitur, quod ista *scripta sunt ad correptionem nostram*. Si Moyses, vel Deus, qui jussit illa inscribi, malus esset, illa ad nostram correptionem scribi non fecisset.

Præterea, ibi dicit: *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, & a serpentibus perierunt*. Nullum tentabant, nisi illum, qui eos de Ægypto ducebat. Christus ergo eos de Ægypto ducebat. Et ne alium dicas tentatum ab illo populo, occurrit tibi Judas 1. cap., ut dicetur postea.

Præterea, ibi dicitur: *Hæc autem omnia in figura &c.* ut habitum est in prima parte hujus capituli, in radice tertia.

Item, 2. Cor. 4. v. 4. dicit Apostolus: *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Jesu*. Dixerat Apostolus se, & alios Apostolos esse servos, idest ministros aliorum. Modo ponit caussam sui ministerii: *quoniam Deus, qui dixit*, idest dicto suæ voluntatis fecit *de tenebris*, ad hoc ut lumen aliis ministremus, & hoc est quod ait: *ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Jesu*; idest illuminemus illos lumine scientiæ claritatis Dei. Illuminationem dico habitam in facie Christi Jesu, idest per Christum Jesum, qui dicitur facies Patris, quia per eum innotescit Pater. Quod autem *de* tantum valeat quod *post* in hujusmodi, patens est exercitatis in scientia naturali, ut dicit Avicennas, quod intellectus hujus propositionis *de* vel *ex*, est intellectus *de*, *post*, cum dicitur *de* non Grammatico, vel *ex* non Grammatico fit Grammaticus. Similiter & in verbis Apostoli.

Sed quis est iste Deus, *qui dixit de tenebris &c.* Nisi Deus Veteris Testamenti? Non potest ostendi, ubi dixerit hoc alius. Quod autem Deus Veteris Testamenti hoc dixerit, patet Genes. 1. v. 3. ubi habetur: *quod tenebræ erant super faciem abyssi: & spiritus Domini ferebatur super aquas. Dixitque Deus fiat Lux, & facta est Lux*. Ex quibus patet quod Deus veteris testamenti est Deus novi testamenti.

Item, Ephes. 6. v. 1. *Filii obedite Parentibus vestris in Domino*: quasi quis quæreret, quare obe-

Aa 2 dien-

(86) Adposite Euthymius *loco mox indicato* ubi hoc idem Apostoli testimonium contra Paulicianos affert: *Audis quomodo Christus Patrum populum, idest suum potaverit? Et quomodo pater ducebat Israelem ad Filii agnitionem, & adorationem? Per quos autem? Per Mosem utique, & Prophetas. Ubi igitur hic malus? Ubi mali Principii opus?* Adeundi Irenæus *lib.* IV. *cap.* XXVII. *n.* 3. *seq.* Tertullianus *lib.* III. *contra Marcionem cap.* V. *seq. pag.* 399. & *cap.* XVI. *pag.* 406. Auctor Dialogi *de recta in Deum, Fide contra Marcionem sect.* V. Inter Opp. Origenis *pag.* 370. Tom. I. Opp.

diendum ſit eis a Filiis? Reſpondet Apoſtolus v. 2. *Hoc enim juſtum eſt: Honora Patrem tuum, & Matrem tuam*, obediendo, & ſubveniendo; quaſi dicat, ideo obediendum, quia debitum eſt. Quod autem debitum ſit probat, quia eſt mandatum, unde *quod eſt*, ideſt quia eſt *mandatum primum* in ſecunda tabula. Alia etiam ratione dicit obediendum eſſe a Filiis, quia fructuoſum, unde *in promiſſione*, ideſt cum ea & illa. Promiſſio duplex eſt, ſcilicet temporalis, & æterna, unde, *ut bene ſit tibi* in præſenti vita, *& ſis longævus ſuper terram*, illam ſcilicet Dei ſancti: *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt Terram*. Iſtud autem ſumptum eſt Deuteron. 5. ubi verba iſta ſunt, nec aliunde potes oſtendere ipſum eſſe ſumtum. Ex quo patet, quod Deus veteris teſtamenti dedit illud præceptum. Dicit autem Apoſtolus, quod juſtum eſt obedire illi; quod minime verum eſſet, ſi Deus veteris teſtamenti Satan eſſet. Ergo Deus veteris teſtamenti bonus eſt.

Item, Epheſ. 2. v. 12. Apoſtolus diſtinguit inter populum Judæorum, & Gentilium in multis, dicens Gentilibus: *Eratis in illo tempore ſine Chriſto* ideſt ſine promiſſione Chriſti, quæ fiebat Judæis, ſed non vobis Epheſiis, neque aliis Gentilibus. Sequitur: *Alienati a converſatione Iſrael*. Non enim converſabantur Judæi Gentibus, ut habetur Johan. 4. Sed a converſatione Iſrael. Sequitur: *& hoſpites teſtamentorum*, ideſt legis & prophetiæ, poſtquam eas receperant, tamquam hoſpites reputabantur a Judæis. Sequitur: *Promiſſionis ſpem non habentes*, illius ſcilicet *in ſemine tuo benedicentur omnes gentes Terræ* Geneſ. 22. Ideo autem ſpem hujus promiſſionis non habebant, quia eis ſcilicet de Chriſto promiſſio facta non erat, unde ſupra dixerat, ſine Chriſto fuiſſe Gentes, ideſt ſine Chriſti promiſſione, quod eſt illud ſemen, in quo benedicentur omnes familiæ terræ. Sequitur: *Et ſine Deo in hoc Mundo*. Supra autem Rom. 2. dixerat Judæo, quod gloriabatur in Deo; & noverat voluntatem ejus inſtructus per legem. Diſtinguebantur ergo Judæi a Gentibus, quia Judæi erant cum Deo, Gentes ſine eo. Conſtat autem quod per creationem æqualiter erant ambo cum ipſo. Ergo quod dicit Judæos fuiſſe cum Deo, & Gentes ſine eo, hoc eſt intelligendum, quia Judæi habebant fidem Dei, Gentes autem non: ſed Judæi non habebant fidem alterius Dei, niſi Dei veteris teſtamenti; ergo ille eſt verus Deus, & Sanctus.

Præterea dicit Apoſtolus Epheſ. 2. v. 13. *Vos Gentes, qui aliquando eratis longe, facti eſtis prope in Sanguine Chriſti*. De quo etiam dicit poſtea v. 17. quod *veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuiſtis, & pacem iis, qui prope*. Iſti qui prope fuiſſe dicuntur, Judæi ſunt, qui erant prope, ideſt juxta Deum; gentes vero longe a Deo, quæ poſtquam Chriſtus venit, factæ ſunt prope Deum; ſed nonniſi per fidem veram; ergo Judæi per fidem veram prope Deum erant prius: ſed fidem non habebant niſi de Deo veteris teſtamenti, ergo ille eſt verus Deus.

Præterea, gentes erant Idololatræ, & colebant Idola, Judæi vero colebant Satan, ſi ipſe eſt dator veteris teſtamenti. Deterior autem eſt fides, qua colitur Satan, quam fides qua coluntur iſta viſibilia: magis ergo erant longe Judæi a Deo vero, quam gentes, ſi Judæi fidem Satan habebant, & per fidem eum colebant. Hoc autem falſum eſt, quod Judæi haberent fidem Satanæ; ergo habebant fidem veri Dei, ſed nonniſi Dei Veteris Teſtamenti; ergo ille eſt Deus verus.

Item 2. Cor. 6. v. 16. habetur, quod Apoſtolus dicit Corinthiis: *Vos enim eſtis Templum Dei, vivi, ſicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis; & inambulabo, & ero illorum Deus: & ipſi erunt mihi populus*. Quis autem Deus hoc dicat habetur Levit. 26. v. 11. & 12. *Ponam tabernaculum meum in medio veſtri, & non abijciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, & ero Deus veſter, voſque eritis populus meus*. Ergo Deus veteris teſtamenti eſt Deus vivus, cujus Templum ſunt Sancti, & ejus populus, & ipſe Deus eorum.

Item, 2. Cor. 6. v. 2. in Perſona Dei Patris Apoſtolus introducit teſtimonium de Iſaia 49. *Tempore accepto exaudivi Te, & in die ſalutis adjuvi Te*. Quis autem iſte ſit, patet parum ſupra in fine 48. cap. v. 21. *Redemit Dominus ſervum ſuum Jacob. Non ſitierunt in deſerto cum educeret eos; aquam de petra produxit eis, & ſcidit petram, & fluxerunt aquæ*. Quis autem iſta fecerit, non poteſt oſtendi, niſi Deus Veteris Teſtamenti.

Præterea Iſaiæ 49. v. 6. dicitur de redemptione Jacob, unde facta eſt mentio ſupra 48., & ſunt verba Patris ad Chriſtum Redemptorem: *Parum eſt, ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas Tribus Jacob*, & fæces Iſrael convertendas. *Ecce dedi Te in lucem Gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum Terræ*. Quod autem iſta verba dicantur ad Chriſtum, & ejus diſcipulos patet Act. 13. ubi Apoſtolus introducit Teſtimonium hoc, de tranſitu Chriſti ad Gentes per Apoſtolos. Illa ergo verba quæ ſunt in Iſaiæ 48. *Redemit Dominus ſervum ſuum &c.* de Chriſto intelliguntur; ergo Deus Veteris Teſtamenti eſt Deus Novi Teſtamenti, quia ſolus Deus Veteris Tementi invenitur illa feciſſe. Nec mireris, quia dicit Iſaias de Judæis: *Non ſitierunt in deſerto*, cum tamen inveniantur ſitiſſe. Omiſſis enim aliis expoſitionibus, fideliter poteſt ſic intelligi: Non ſitierunt, quin Deus eis ſubveniret; & hoc vult littera Iſaiæ, quæ dicit: *aquam de Petra &c.*

Item, ad Heb. 3. v. 7. *Sicut dicit Spiritus Sanctus: Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecundum diem tentationis in deſerto; ubi tentaverunt me Patres veſtri, probaverunt, & viderunt opera mea: Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi: ſemper hi errant corde. Ipſi autem non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam*. Ad hoc autem reſpondit hæreticus, quod iſta verba ſpiritualiter ſunt dicta, quia de ſpirituali requie intelliguntur; ſicut oſtendit Apoſtolus parum infra, 14. ſcilicet cap. Sed etſi hoc ſit, tamen dicere poſſumus, & oſtendere, quod loquitur de Deo, qui per quadraginta annos duxit eos per deſertum, ſicut patet ex verbis Apoſtoli qui refert verba Spiritus Sancti: *Hodie ſi vocem ejus audieritis &c.*

Item

Item constat, quod ille Deus non erat Satan, alioquin non diceret Spiritus Sanctus; *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*; imo diceret; obdurate ea. Ille ergo Deus, qui eduxit eos 40. annos per desertum, bonus Deus fuit, sed ille fuit Deus Veteris Testamenti, sicut potest probari ex eo quod habetur Act. 7. v. 35. & 36. ubi Stephanus ait: *Hunc* idest Moysen, *Deus Principem, & Redemptorem misit cum manu Angeli, qui apparuit illi in rubo. Hic adduxit illos faciens prodigia, & signa in Terra Ægypti, & in rubro mari, & in deserto annis quadraginta.*

Item, Act. 13. idem patet, ubi habetur, v. 17. quod *Deus plebis Israel elegit Patres nostros, & plebem exaltavit, cum essent incolæ in Terra Ægypti, & in brachio excelso eduxit eos ex ea, & per quadraginta annorum tempora mores eorum sustinuit in deserto*; ubi historia Veteris Testamenti evidenter exprimitur. Deus igitur Veteris Testamenti bonus fuit.

Præterea Apostolus dicit Ecclesiæ: *Nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illa exacerbatione* quidam *illorum*. Modo quæro: contra quem obduraverunt corda sua illi? Si contra Satan, boni ergo erant.

Præterea, qui obduraverunt contra Spiritum Sanctum, ut dicit Apostolus in prædicto testimonio ad Hebræos, patet Act. 7. v. 51. ubi Stephanus ait Judæis: *Dura cervice, & incircumcisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis: sicut Patres vestri & vos*. Si autem obduraverunt corda contra bonum Deum; sed non obduraverunt corda, nisi contra illum, qui minabat eos, ergo ille qui minabat eos bonus fuit, & ita Deus Veteris Testamenti bonus. Quod autem non obduraverint corda contra alium, patet per verba Spiritus Sancti posita ab Hebr., qui arguens eos dicit se tentatum ab eis in deserto; ubi Patres eorum probaverunt, idest probare voluerunt; an possem facere quæ promittebantur; & viderunt 40. annis opera mea, quibus cognoverunt me posse.

Præterea dicit Heb. 3. v. 16. *Quidam enim audientes exacerbaverunt, sed non universi, qui profecti sunt ex Ægypto per Moysen*. Ex quo patet, quod de Deo Veteris Testamenti locutus est, & distinguit, quia quidam eorum exacerbaverunt, & quidam non; unde & quibusdam infensus est, ut ipse ait ibi, & quibusdam non. Illis, qui peccaverunt offensus fuit, ut patet per Apostolum. Iste non potest esse malus Deus qui offenditur, dum peccatur. Ex eo etiam quod dicit Apostol. *Quibus autem offensus est 40. annis? Nonne illis, qui peccaverunt, quorum cadavera prostrata sunt in deserto?* Patet per illud quod supra diximus super illud verbum 1. Cor. 10. *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo; nam prostrati sunt in deserto*; scilicet quod de Deo Sancto loquitur, & quod a Deo Sancto facta est illa prostratio mortuorum in deserto.

Præterea dicit Apost. v. 18. *Quibus autem juravit non introire in requiem ipsius, nisi illis, qui increduli fuerunt? Et videmus quod non potuerunt introire in requiem ejus propter incredulitatem. Videmus*, dicit, quasi dicat: ego & vos hoc scimus, quod propter incredulitatem non intraverunt in requiem Terræ Palæstinorum. Ista incredulitas est offensio, qua offensum se dicit Spiritus Sanctus ab eis 40. annis, ut dicit Apostolus. Ex hoc infert Apostolus Hæbr. 4. v. 1. *Timeamus ergo ne forte relicta*, idest non credita *pollicitatione introeundi in requiem ejus, existimetur aliquis ex vobis*, idest judicetur *deesse*. *Ejus* dicit, de quo sermo processerat; ergo ille bonus Deus erat. Si enim malus esset, non timeremus relinquere ejus pollicitationem, vel ejus requiem. Postea dicit v. 2. *Etenim & nobis nunciatum est, quemadmodum & illis*, illud scilicet verbum: *Hodie si vocem ejus &c.* & a Spiritu Sancto est nunciatum, unde dicit Apostolus Hæbr. 3. v. 6. *Quapropter, sicut dicit Spiritus Sanctus: Hodie si vocem ejus &c.* sequitur Heb. 4. v. 2. *Sed non profuit illis sermo auditus, non admistus fidei ex iis, quæ audierunt*. Si esset malus Deus, profuisset illis, qui non audissent.

Item Hæb. 4. v. 3. & 4. *Et quidem operibus ab institutione mundi perfectis. Dixit enim quodam loco de die septima sic: Et requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis. Et in isto rursum; si introibunt in requiem meam.* Debet autem sic ordinari constructio. *Dixit sic in quodam loco* de die septima istud; scilicet dixit: *Et requievit Deus die septimo ab omnibus operibus suis*. Quando autem istud dixerit, determinat, cum ait: *& quidem*; hoc est certe hoc dixit: *operibus ab institutione mundi perfectis*, idest post perfectionem operum ab initio mundi. Postea determinat Apostolus quis dixerit illud, cum ait: *Et in isto rursum*; supra dixit: *Si introibunt in requiem meam*. Si rursum dixit hoc idem, ergo dixit illud & hoc: sed hoc dixit Spiritus Sanctus, ut dixit Apostolus 3. cap. *Quapropter sicut dixit &c.* ergo illud dixit Spiritus Sanctus: *Et requievit &c.* Ergo tota mundi factura, distinctio scilicet operum sex dierum, & tota lex a principio Genes. a Spiritu Sancto est, a Deo scilicet vero & Sancto.

Item ad Heb. 5. v. 4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron*. Ergo Aaron fuit vocatus a Deo. Quod autem ita sit; patet per David: *Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus*. Quod autem David loquatur ibi de Deo Veteris Testamenti & de Aaron, patet per psalmum illum: *Dominus regnavit irascantur populi &c.* ubi narrat facta Veteris Testamenti ex parte.

Item ad Heb. 10. v. 30. dicit Apostolus: *Scimus enim qui dixit: Mihi vindictam, & ego retribuam. Et iterum quia judicabit Dominus populum suum*. Idem dicit utrumque, ut patet Deuter. 32. v. 1. in Cantico: *Audite cæli quæ loquor &c.* De prima parte hujus Testimonii habitum est supra in hac eadem parte hujus cap. De secunda videbimus quæ ab eodem dicta est: *Judicabit Dominus populum &c.* Iste est Christus, cui Pater omne judicium dedit, ut habetur Jo: 5., de quo etiam dicitur: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis*. Deus igitur Veteris Testamenti est Deus vivens, scilicet Christus, & Pater ipsius.

Item ad Heb. 12. v. 18. & seqq. *Non enim accessistis ad tractabilem montem, & accessibilem ignem & turbinem, & caliginem & procellam, & tubæ sonum & vo-*

& vocem verborum, quam qui audierunt, excusaverunt se, ne eis fieret verbum. Non enim portabant, quod dicebatur. Etsi bestia tetigerit montem, lapidabitur. Et ita terribile erat, quod videbatur: Moyses dixit: Exterritus sum & tremebundus. Sed accessistis ad Sion montem & Civitatem Dei viventis Jerusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cælis, & Judicem omnium Deum, & spiritus Justorum perfectorum, & Testamenti Novi mediatorem Jesum, & sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel. Postea subjungit Apostolus v.25. *Videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt recusantes eum qui super terram loquebatur: multo magis nos, qui de cælis loquentem nobis avertimus: Cujus vox movit terram tunc: nunc autem repromittit dicens: Adhuc semel; & ego movebo non solum terram, sed & cælum.* Si vox illius, quæ de cælo loquitur vobis, movit tunc terram, palam est, quod idem Deus est Veteris Testamenti, qui & Novi. De isto motu terræ David dicit in psal. 67. v. 1. *Exurgat Deus & dissipentur inimici ejus &c.* ubi etiam ait v.8. & 9. *Deus cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto: terra mota est, etenim cæli distillaverunt a facie Dei Sinai.* Deus ergo qui in Sina legem dedit, est ille qui loquitur vobis de cælo.

Ad hoc dixit hæreticus sic: Cujus vox movit terram tunc, scilicet quando aspersus est sanguis Christi in Cruce, & non tunc quando lex data est. Quod autem hoc falsum sit, patet ex Testimonio Aggæi Prophetæ, quod inducit Apostolus: *Adhuc semel &c.* Nam ante Christi mortem dixit Aggæus in persona Dei: *Adhuc semel &c.* ergo jam commoverat terram; ergo non intelligitur de commotione terræ facta in Passione Christi.

Præterea, illud testimonium est Dei Veteris Testamenti, ut patet Aggæi 2. ubi loquitur Dominus de reædificatione domus Dei, quæ destructa erat; & præcepit quod templum reædificaretur ei in Jerusalem, obtenta licentia a Cyro, ut habetur 1. Esdræ 1., secundum quod prophetaverat Jeremias 29. sicut enim legitur 2. Aggæi v.2. & seqq. *Factum est verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ dicens: Loquere ad Zorobabel filium Salathiel Ducem Juda, & ad Jesum filium Josedech Sacerdotem magnum, & ad reliquos populi dicens: Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? Et quid vos videtis hanc nunc? numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris? Et nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus: & confortare Jesu filii Josedech Sacerdos magne, & confortare omnis populus terræ, dicit Dominus exercituum: & facite (quoniam ego vobiscum sum, dicit Dominus exercituum.)* Postea ponit illa verba Apostoli. *Adhuc unum modicum est*, idest semel. Idem enim intelligit Apostolus per *semel*, & Propheta *per unum*; *& ego commovebo cælum & terram.* De ista autem reædificatione domus, sive Templi Dei, habetur in Esdra 1. lib. 5. cap. v. 1. & seqq. *Prophetaverunt autem Aggæus Propheta & Zaccharias filius Addo prophetantes ad Judæos, qui erant in Judæa & Jerusalem, in nomine Domini Israel. Tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel, & Josue*, sive Jesus *filius Josedech, & cœperunt ædificare Templum Dei in Jerusalem.*

Item Heb. 13. v. 1. *Charitas fraternitatis maneat in vobis; Et hospitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim placuerunt quidam Angelis hospitio receptis.* Constat quod Apostolus invitat eos ad caritatem fraternitatis, & ad hospitalitatem, sed non ad malam. Hoc autem facit exemplo illorum, qui per hospitalitatem placuerunt Angelis, vel Deo propter eos receptos. Sed qui fuerint hi, qui placuerunt Angelis? non inde habes testimonium, quod adducas. Ego autem testimonium habeo, quod unus fuit Abraham Genes. 18., & alius fuit Loth Genes. 19. Illi igitur Angeli boni fuerunt, quibus placuerunt quidam per caritatem & hospitalitatem. Fuerunt autem Angeli Dei Veteris Testamenti; ergo Deus Veteris Testamenti bonus, cujus Angeli fuerunt boni, quibus charitas, fraternitatis & hospitalitatis placuit, quod esse non posset si mali essent.

Item ibidem dicit Paulus v. 4. *Fornicatores enim & adulteros judicabit Deus. Sint mores sine avaritia contenti præsentibus: ipse enim dixit: Non te derelinquam.* Apostolus invitaverat ad cavendum ab adulterio & fornicatione, dicens: *Honorabile connubium in omnibus & Thorus immaculatus*; & subdit caussam, scilicet ne judicemur, quia *fornicatores &c.* Modo dicit, quis judicabit adulteros, nisi Christus? Nullus. Unde Jo: 5. v. 22. *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Item Rom. 2. v. 6. *qui reddet unicuique secundum opera ejus.* Postea monet ad cavendam avaritiam, cum dicit: *Sint mores sine avaritia*, idest ne sitis tenaces habitorum. Item sitis *contenti præsentibus*: idest non sitis cupidi non habitorum.

Sed ne diceres: Si contentus fuero præsentibus, & non fuero cupidus eorum, quæ nondum habeo, male erit mihi, ideo subjungit Apostolus; *ipse enim dixit: non te deseram, neque te derelinquam.* Ipse scilicet qui judicabit fornicatores & adulteros. Sed ubi hoc dixit, nisi Josue 1. v.35. idest Christus; ergo filius Dei loquebatur ad Josue, & ipsum regebat; ergo Christus est filius Dei Veteris Testamenti; ergo bonus fuit Deus Veteris Testamenti.

Præterea, vide quid ibi dicit Apostolus v.6. *Itaut confidenter dicamus: Dominus mihi adjutor: non timebo quid faciat mihi homo.* Si fuisset diabolus, qui illud dixit, non dedisset nobis (Apostolus) fiduciam sperandi in adjutorio ejus.

Præterea, vide quid dicit Apostolus v. 8. *Jesus Christus heri, & hodie: ipse & in secula*, quasi dicat, ille qui heri, idest qui in Vetero Testamento fuit adjutor Josue, ipse hodie, idest in præsenti & in secula, idest in futuro sine fine suorum adjutor est & erit.

Præterea, *Jesus Christus heri, & hodie: ipse & in secula.* Quid vis tu intelligere per hodie, numquid tantum diem illam, in qua dixit hoc Paulus? & per heri diem, quæ immediate erat ante illam? si dicat ita volo, hoc satis vile verbum esset.

Præterea, non faceret ad illud, quod intendit Apostolus; ipse enim dixit ad Josue: *Non te deseram, neque derelinquam, itaut confidenter dicamus: Dominus mihi adjutor: non timebo quid faciat mihi homo.*

mo. Quis autem sit iste Dominus, de cujus auxilio confidendum est, subjungit, cum ait: *Jesus Christus heri, & hodie &c.* Per hoc ergo, quod fuit adjutor Josue in Veteri Testamento, sicut promisit ei, cum dixit: *Non te deseram &c.* Vult Apostolus quod confidamus de ipso, ideft Christo. Et ad hoc induxit illud verbum: *Jesus Christus heri &c.*, ideft in Veteri Testamento & hodie; ideft tempore suæ Incarnationis. Quod autem ita sumatur hodie, patet ex eadem Epist. Heb. 4. v. 6. *Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, & ii, quibus prioribus annunciatum est, non introierunt, propter incredulitatem* (v.7.) *iterum terminat diem quendam, hodie in David dicendo, post tantum temporis, sicut supra dictum est: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* (v.8.) *Nam si eis requiem præstitisset Jesus, numquam de alia loqueretur post hac die.* 3. capite etiam dixerat v. 12. & 13. *Videte Fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi a Deo vivo, sed adhortamini vos metipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur.* Ad Heb. 1. v. 5. dicit Pater Christi. *Ego ero illi in Patrem & ipse erit mihi in Filium.* Quod testimonium est Dei Veteris Testamenti, ut ostendetur in 3. parte hujus Operis in capitulo de humanitate Christi.

Item Act. 13. v. 16. & seqq. *Viri Israelitæ, & qui timetis Deum audite: Deus plebis Israel elegit Patres nostros, & plebem exaltavit, cum essent incolæ in terra Ægypti, & in brachio excelso eduxit eos ex ea, & per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto: & destruens gentes septem in terra Chanaam sorte distribuit eis terram eorum, quasi post quadrigentos & quinquaginta annos; & post hæc dedit Judices, usque ad Samuelem Prophetam. Et exinde postulaverunt Regem, & dedit Deus Saul, filium Cis, virum de Tribu Benjamin annis quadraginta, & amoto illo suscitavit illis David Regem, cui testimonium perhibens dixit: Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum qui facit omnes voluntates meas. Hujus Deus ex semine secundum promissionem eduxit Israel Salvatorem Jesum.* Quis sit Deus plebis Israel, nemo sani capitis dubitat; sed firmiter credit, quod Pater Christi Deus sit illius plebis, unde Rom. 15. dicit Paulus Gentibus v. 10. *Lætamini Gentes cum plebe ejus.*

Item Rom. 11. v. 1. *Numquid Deus repulit populum suum? Absit: Nam & ego Israelita sum, ex semine Abraham de Tribu Benjamin. Non repulit Dominus plebem suam.* Et nonne vides Hæretice, quod iste Deus præcipua facta Veteris Testamenti dicitur operatus? Deus igitur Veteris Testamenti Pater est Christi.

Præterea, quis Deus elegit Patres Judæorum, nisi Pater Christi? Nullus. Patres enim Judæorum fuerunt Abraham & ejus semen. Dicit enim B. Virgo de Deo, quem magnificat, quod locutus est ad Patres nostros Abraham & semini ejus. Ille autem, qui loquebatur eis, eos elegit. Bonus ergo Deus ista fecit, de quibus hic loquitur Paulus.

Item ibidem dicitur: *Hujus Deus ex semine secundum promissionem eduxit Israel Salvatorem Jesum.* Iste est Deus plebis Israel, non alius. Iste autem est Pater Christi. Deus igitur Veteris Testamenti est Pater Christi. Alia quædam hic pertransimus, quia in tertia parte hujus Operis, in cap. de humanitate Christi plene habentur.

Item Act. 24. v. 14. *Confiteor autem hoc tibi, quod secundum sectam, quam dicunt hæresim esse, si deservio Patri Deo meo, credens omnibus, quæ in lege & Prophetis scripta sunt: spem habens in Deum, quam & hi ipsi expectant resurrectionem futuram justorum & iniquorum.* Si illam spem in Deum habebat, quam & illi; ergo si ipse sperabat in Deum bonum, & illi. Sed illi non sperabant, nisi in Deum Veteris Testamenti; ergo ille est bonus Deus.

Item 1. Petr. 1. v. 13. dicitur: *Sperate in eam quæ offertur vobis gratiam in revelatione Jesu Christi, quasi filii obedientiæ, non configurati, ideft non assimilati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis: sed secundum eum, qui vocavit vos Sanctum, ut & ipsi in omni conversatione Sancti sitis: quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum.* Ista autem sunt verba Dei Veteris Testamenti Levit. 11. & 19. & 20. Ibi enim scripta sunt. Ergo ille Deus est Sanctus: alibi enim scripta esse non potes ostendere illa verba, nisi in Veteri Testamento.

Item 1. Petr. c. 3. v. 5. *Sic* ideft in spiritu, *aliquando & sanctæ mulieres sperantes in Deo, ornabant se subjectæ propriis viris. Sicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans: cujus estis filiæ benefacientes.* Sara ergo & sancta mulier erat, & in Dominum sperabat, sed non in alium, nisi in Deum Veteris Testamenti, ergo ille est, in quem sperandum est; ergo ipse bonus Deus est.

Item 2. Pet. 2. v. 4. & seqq. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni,* ideft funibus ejus, *detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari. Et originali mundo non pepercit, sed octavum Noe justitiæ præconem custodivit, diluvium mundo impiorum inducens. Et Civitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens eversione damnavit, exemplum eorum, qui impie acturi sunt, ponens; & justum Loth oppressum a nefandorum injuria, ac luxuriosa conversatione eripuit. Aspectu enim & auditu justus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant. Novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem judicii reservare cruciandos.* Ecce quod Beatus Petrus expresse vult, quod Deus Veteris Testamenti sit Deus Sanctus & justus, qui reddet unicuique secundum opera sua in cælo & in terra ab initio mundi.

Ad hoc autem respondit Hæreticus; quod Petrus omnibus suis sermonibus præposuit, *si*: unde non affirmavit Deum Sanctum fecisse hoc; unde sive fecerit, sive non fecerit ista cum eis, manifestum esse debet, quod Deus novit pios de tentatione eripere. Sed constat hæreticum deceptum esse. Verum est enim, quia manifestum esse debet illud, quod Deus novit &c. Sed Beatus Petrus ostendit per quod debet, & potest esse manifestum, quia per ante facta in cælo, unde: *Angelis peccantibus non pepercit*: Et etiam in Terra, unde: *Et originali mundo non pepercit &c.*

Præ-

Præterea, si Deus Angelis peccantibus non pepercit; istud affirmative intelligitur; ergo & reliqua quæ sequuntur. Quod autem secundum affirmationem intelligantur, probatur per illud, quod habetur Isaiæ 54. v. 1., ubi ponitur illud verbum Apostol. ad Galat. 4. v. 27. *Lauda sterilis, quæ non paris: erumpe & clama quæ non parturis: quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum, dicit Dominus*. Postea subdit iste Dominus (eod. cap. Isaiæ v. 9.) *sicut in diebus Noe, istud mihi est, cui juravi, ne inducerem aquas Noe ultra supra terram*; ut habetur in prima parte hujus Operis 2. p. 1. cap. super illa verba Isaiæ *creavit &c.* ubi dicitur: *Sicut in diebus Noe &c.* Constat autem, quod ille, qui ait: *Lætare sterilis &c.* bonus est; ergo & ille, qui juravit Noe illud quod dicit Isaias, quod habetur Genes. 9. bonus Deus est; & ita ille, qui non pepercit Mundo originali, Deus Sanctus est; & sic habes, quod secundum verbum intelligitur affirmative.

Præterea, contra illos, qui unum ponunt principium, potes inducere, quoniam fides sua est, quod Deus Sanctus pro seminario generis humani Noe octavum custodivit, sicut notatum est supra eodem lib. cap. 1.

Præterea Isaias dicit cap. 13. v. 19. *Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldeorum, sicut subvertit Dominus Sodomam & Gomorrham*. Subversorem illarum dicit Dominum, quod non faceret, si Satan fecisset illarum subversionem. Numquam enim in Scripturis invenitur Deus in mala parte sine determinatione.

Præterea, ex verbis B. Petri patet, quod bonus Deus subvertit Sodomam & Gomorrham, quia dicit: exemplum eorum, qui impie acturi sunt, ponens. Diabolus enim non poneret istud exemplum eis, ut confidentius impie agerent. Bonus ergo fuit, qui exemplum illud posuit eis. Ad quid vero poneret exemplum hoc, nisi, ut fugiant a facie arcus; ut dicit David: Psalm. 59. v. 6.: *Dedisti mentuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus*.

Præterea, nonne ibi dicit Petrus 2. cap. 2. *Et justum Loth &c.* Ecce quod Loth justum dicit Petrus, & ereptum per illum, qui subvertit Sodomam & Gomorrham ab injuria nefandorum & luxuriosa conversatione: quod minime fuisset, si Satan esset: Immo in luxuriosam conversationem eum misisset.

Præterea vide, quid dicit ad hoc Petrus, de eo *aspectu & auditu justus erat habitans &c.* idest licet cum talibus habitaret, quod valde difficile est: *Aspectu enim & auditu justus erat*, ut dicit Petrus, quia nihil in eo videri, vel audiri poterat, quod justum non esset.

Si autem dicas, quod justus dicitur fuisse non justitia Christi, sed justitia mundana. Hoc stare non potest, primo propter illud quod dicit Petrus, quod illi *iniquis operibus cruciabant animam suam justam*; affligebatur enim; quia cernens eorum facta mala corrigere non valebat, ut patet Genes. 19.

Præterea illa justitia justus erat, qua & Noe; sed Noe justus fuit justitia quæ per fidem est, ut dicit Apostolus Heb. 11. ergo & Loth. Ita autem justitia in epistolis Pauli, & in aliis locis non invenitur, nisi pro justitia salvandorum. Uterque ergo bonus fuit; ergo & Deus, qui eos custodivit, bonus fuit. Ille autem qui custodivit eos, fuit ille, qui fecit diluvium, & qui subvertit Sodomam & Gomorrham; ergo qui hoc fecit fuit Deus bonus.

Præterea Petrus dicit: *Novit Dominus pios &c.* Iste bonus est, qui salvat, & cruciat. Sed nonne hoc ostendit Petrus in verbis præcedentibus de Deo Veteris Testamenti, qui pios salvat, alios cruciat? Utique. Deus ergo Veteris Testamenti est iste, de quo dicit Petrus: *Novit Dominus &c.* Quod etiam patet Jacobi 4. v. 12. *Unus est enim legislator, & Judex, qui potest perdere, & liberare*. Ubi etiam patet quod ex lege Moysi loquitur, ubi habetur Levit. 19. v. 16. *Non eris criminator, nec susurro in populo*. In alia lege non. Deus ergo Novi Testamenti fuit lator illius legis.

Item Judæ 1. v. 5. & seqq. *Commonere autem vos volo, scientes semel omnia, quoniam Jesus populum de Terra Ægypti salvans, secundo eos, qui non crediderunt perdidit. Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magnæ diei, vinculis æternis sub caligine reservavit*. Ecce habemus evidens testimonium, quod Jesus qui primo salvavit populum de Ægypto, & postea perdidit, incredulos Angelos ad judicium servavit. Istud autem non potest intelligi de Josue. Nam quia ille neque populum de Ægypto salvavit, neque in judicium magnæ diei Angelos cruciandos servavit.

Præterea, constat, quod hæc determinatio de Terra Ægypti determinat hoc participium salvans, ergo non venit pro Josue, qui hoc non fecit, sed tantum Moyse, ut habetur Act. 7. v. 35. *Hunc Deus Principem*. Quod autem Josue non salvaverit eos de Terra Ægypti, patet ex eo, quod non fuit ductor populi, nisi post mortem Moysi, ut habetur Num. 27. v. 16. *Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc, & possit exire, & intrare ante eos; & educere eos vel introducere, ne sit populus Domini sicut oves absque Pastore: Dixitque Dominus ad eum: Tolle Josue filium Nun &c.* Idem patet Deuteron. ult. v. 9. *Josue vero Filius Nun repletus est spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas*,

Item in principio Josue c. 1. v. 1. *Et factum est post mortem Moysi servi Domini, ut loqueretur Dominus ad Josue Filium Nun ministrum Moysi*.

Item nota, quod ubi Judas dicit *Jesus*, Petrus dicit *Deus*: 2. Petr. 2. *Si enim Deus Angelis, &c.* Unde sciendum, quod Judas, sicut & Petrus adversus doctrinam hæreticorum loquebantur, qui Jesum Christum Deum esse negabant, & ipsum purum hominem esse, & initium totale habuisse, cum carnem sumpsit ex Virgine, ideoque Judas Apostolus, ante Incarnationem eum extitisse ostendens, ait, quod populum de Terra Ægypti salvaverit. Et ut etiam hoc clarius ostenderetur, subintulit dicens: quoniam ille idem Jesus Angelos in Cælo peccantes, tartareis vinculis tradidit cruciandos, unde con-

constat ipsum dominatorem fuisse Angelorum, & hominum, quod non fuit secundum quod homo; ergo secundum quod Deus; & ita fuit, & est unus Deus, & unus solus dominator cum Patre, & Spiritu Sancto, propter quod insinuandum dicit: *Sic enim Deus &c.* ubi Judas dicit *Jesus*.

Ad ista autem respondit quidam Hæreticus, quod in hac clausula, sive parte: *Angelos vere, &c.* loquitur de alio, quam prius, quod stare non potest. Si enim dicam, Deus justum remunerat, illum vero condemnat, intellectus locutionis non patitur de alio, & alio dici. Ergo neque in verbis Judæ Apostoli patitur hoc, cum penitus idem sit modus loquendi. Alius autem Hæreticus dixit, quod non intelligitur de populo Judæorum, neque de Ægypto materiali. Impossibile est enim, quod ille nefandus populus per Moysen de Ægypto materiali eductus, tunc esset salvatus, cum dicat Apostolus Rom. 3. v. 9. & seqq. *Caussati enim sumus Judæos, & Græcos omnes sub peccato esse, sicut scriptum est: quia non est justus quispiam, non est intelligens, non est requirens Deum: Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*. Deceptus autem fuit Hæreticus iste ignorans, quod salvari quandoque quis dicitur, id est liberari, & ita sumitur in epistola Judæ ubi ait: *Jesus populum de Terra Ægypti salvans* idest liberans eum de servitute in qua erát ibi. Quod autem ita sit, patet in Psalm. 43. *Deus auribus nostris audivimus &c.* ubi David loquitur in persona illius populi ad Deum Patrem justorum, & ait v. 8. *Salvasti nos de affligentibus nos: & odientes nos confudisti*. Ubi patet, quod *salvasti* tantum valet quantum liberasti. Quod autem sermo fiat ad Deum Patrem justorum, patet ex testimonio Apostoli Rom. 8. v. 36. quod sumitur de eodem loco: *Quia propter Te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis*. In illo enim testimonio fit sermo ad Deum sanctum, & verum.

Item, quod dicis, absit quod populus ille, quem Moyses eduxit de Ægypto tunc ab aliquo salvaretur, cum dicat Apostolus: *Caussati enim sumus &c.* Rom. 3. v. 9. Quæro a Te, quomodo intelligis, quod populus ille non sit salvatus? Si intelligis, idest non fuit liberatus ab Ægypto, falsum est, nec huic contradicit Apostolus Rom. 3. *Caussati enim sumus &c.* Alioqui enim sine peccato esse potuerunt, & tamen liberati dici possunt a servitute Ægyptiorum. Si autem vis intelligere, illum populum non esse salvatum salute æterna, de qua dicit Apostolus Rom. 8. v. 24. *Spe enim salvi facti sumus*; Verum est, quod non fuit sic salvatus, neque Judas intelligitur, quod Jesus eum sic salvaverit de Terra Ægypti.

Si autem vis dicere, quod non fuit salvatus, idest a peccato liberatus, ad minus in parte. Dico: falsum est; imo liberatus fuit a peccato, ad minus quoad aliquos, ut patet Heb. 3. v. 16. ubi dicit Apostolus: *Quidam enim audientes exacerbaverunt*; supple Spiritum Sanctum, ut prius dixerat ipse Spiritus Sanctus teste Apostolo. Postea subdit Apostolus: *Sed non universi qui profecti sunt ex Ægypto per Moysen*, & ita non omnes exacerbaverunt spiritum Sanctum. Quomodo autem debeat intelligi verbum Apostoli: *Caussati enim &c.* in cap. An aliqui boni fuerint, antequam Christus veniret, determinabitur.

Nec obstat illud, quod Christus ait Luc. 9. v. 56. *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare*. Et qui dicit Judæis, quod Jesus eos, qui non crediderunt, perdidit, quia illud quod Judas dicit, fuit antequam Christus veniret.

Præterea Judas dicit; quia perdidit incredulos. Christus autem venit salvare credentes in eodem, ut habetur Johan. 3., & tamen *malos male perdet*, ut dicitur Matthæi 21. Et quoniam quidam illorum illud tantum spiritualiter intelligunt quod Judas dicit: *Jesus populum &c.* dicas: Si alia ad sonum litteræ intelliguntur quæ ibi ponuntur, ergo & istud.

Præterea, etsi istud verum est, quod Jesus de Ægypto, idest de Mundo salvavit suos, & secundo perdidit alios, & Angelos peccantes reservat in judicium magni diei: sed qui illa fecit, fecit etiam subversionem Sodomæ, & Gomorrhæ, & finitimarum Civitatum, ut patet ex littera Petri Apostoli, ergo Jesus Dei Filius & finitimas Civitates similiter, idest contra naturam exfornicatas dejecit. Non negamus tamen quia Deus salvet aliquos spiritualiter a mundo, sicut illos salvavit ex Ægypto, tamen illud ad litteram intelligitur, ut patet ex illo testimonio Actor. 13. v. 16. & seqq. *Viri Israelitæ &c.* ut prius. Et quia in littera Judæ est aliqua difficultas exprimamus eam.

Prima difficultas, quæ ibi est, in isto verbo est: *Scientes semel omnia*, & est sensus, ut sciatis hoc uno sermone, quo dicam omnia quæ necessaria sunt ad sciendum, quod Christus est omnium Dominus, quod quidam negabant. Primo autem eos salvavit ex Ægypto. Secundo illos, qui increduli fuerunt, perdidit in deserto, ut patet Num. 21. quando misit in eos ignitos serpentes; quod etiam recolit Apostolus 1. Cor. 10. v. 10. *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, & a serpentibus perierunt*.

Item Sap. 16. v. 5. & seqq. *Etenim cum illis supervenit sæva bestiarum ira, morsibus perversorum colubrorum exterminabantur; sed non in perpetuum ira tua permansit, sed ad correptionem in brevi turbati sunt, signum habentes salutis ad commemorationem mandati legis tuæ. Qui enim conversus est, non per hoc, quod videbat, sanabatur; sed per Te omnium Salvatorem*. De quo etiam dicitur Philippens. 3. v. 21. *Salvatorem expectamus Dominum Nostrum Jesum Christum*.

Secunda difficultas verborum est in distinctione versuum ejus. Versus autem primus: *Commonere autem vos &c.* terminatur ibi: *sub caligine reservavit*. Et secundus versus incipit ibi: *Sicut Sodoma, & Gomorrha &c.* Et hoc ipsum *sicut* respicit hoc adverbium *similiter*, quod sequitur; & tantum valet quantum *ita*. Dicit autem, quod istæ civitates *abeuntes post carnem alteram*, idest alienam a carnali commixtione, quod faciunt Sodomicium exercendo. Quod autem dicit: *Factæ sunt exemplum ignis æterni*, supplendum est, dandi impiis. Factæ autem sunt exemplum sustinentes pœnam ignis temporalis propter luxuriam suam.

 Item

Item Matthæi 13. v. 34. & 35. dicitur de Jesu: *quod sine parabolis non loquebatur eis: ut impleretur, quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione Mundi*. Istud testimonium sumitur de Psal. 77. v. 1. *Attendite populus meus legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei: Aperiam in parabolis os meum*. Ista sunt verba Christi, ut dicit B. Matthæus. Et nonne vides, quod totam historiam Veteris Testamenti attribuit Deo, ponens quædam inductiva timoris, & quædam amoris, ut non discedant a mandatis ejus. Deus ergo Veteris Testamenti bonus.

Item Matthæi 15. v. 3. dixit Christus Pharisæis, qui discipulos reprehendebant, quare non lotis manibus manducarent contra traditiones eorum: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit: Honora Patrem, & Matrem, & qui maledixerit Patri, & Matri, morte moriatur &c.* loquitur autem de Testamento per Moysen dato, unde Marci 7. v. 10. *Moyses enim dixit: Honora Patrem & Matrem, &c.* ubi Matthæus dicit: *Nam Deus dixit: Honora Patrem, & Matrem &c.* Absurdum est credere, quod Dei Filius Diabolum nominasset Deum. Bonus ergo Deus dedit illis mandatum; sed qui illud dedit, dedit totum Vetus Testamentum, ergo bonus Deus dedit ipsum.

Præterea, quod Christus non loquatur de alio, quam de Deo Veteris Testamenti, patet ex eo quod dicit: *& qui maledixerit &c.* Istud enim ab alio non est præceptum, nisi ab illo Deo, Exod. 21.

Præterea, arguit eos de transgressione mandati Dei, sed de transgressione Dei mali non eos redargueret; ergo de transgressione mandati Dei boni; ergo Deus, qui illud dixit Judæis, bonus Deus fuit, & ita Deus Veteris Testamenti bonus.

Item, quod bonus Deus fuerit patet per illud Ephes. 6. v. 1. & 2. *Filii obedite Parentibus vestris in Domino: hoc enim justum est: Honora Patrem tuum, & Matrem tuam; quod est mandatum primum in promissione*. De quo testimonio supra eodem capite disputatum est.

Præterea, eodem cap. Matthæi 15. v. 7. & seqq. habetur, quod Christus dixit eis: *Hippocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias 29. dicens: Populus hic me labiis honorat: cor autem eorum longe est a me. Sine caussa autem, idest* in vanum (ut dicit Marcus) *colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum. Et relinquentes* (ut dicitur Marci 7.) *Mandatum Dei*. Constat, quod Deus bonus per Isaiam loquebatur; in vituperium enim eorum dicit: *cor autem eorum longe est a me*. Si autem esset Satan, honor esset eis, & bonum, si cor eorum longe esset ab eo. Sed ille Deus bonus dicit, quod eum colunt, sed in vanum colebant; ergo bonum Deum: sed colebant tantum Deum, qui dedit legem per Moysen, ergo ille fuit, & est Deus bonus.

Item eodem cap. Matthæi v. 31. dicitur, quod turbæ mirabantur, *videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes: & magnificabant Deum Israel*. De hoc laudat Judæos. Sed non magnificabant nisi illum, cujus fidem habebant, scilicet Deum Veteris Testamenti; Ille igitur est magnificandus.

Item Matthæi 21. v. 12. dicitur: (87) *Et intravit Jesus in Templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes, & ementes in Templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit, & dixit eis: Scriptum est: Domus mea, domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum*. Prima pars hujus testimonii sumitur de Isaia 56. Secunda pars de Jeremia 7. Si autem domus illa materialis, templum scilicet Israelitarum erat ejus domus, & domus orationis, manifestum est, quod Deus Veteris Testamenti, Deus sanctus est, cujus erat illa domus; & qui præcepit illam sibi ædificari, ut habetur 3. Reg. 6., quod B. Stephanus commemorat Act. 7.

Præterea, quod loquatur de domo, sive templo materiali, ad quod conveniebant Judæi caussa orandi Deum, patet ex littera Jeremiæ 7. v. 11. Item ex littera Isaiæ 56. v. 7., unde sumpta sunt illa testimonia, quæ ponit Dominus Jesus: *Scriptum est enim &c.*

Præterea, quid vis Tu intelligere per domum, sive Templum? Si Corpus Christi, propter illud, quod habetur Johan. 2. v. 19. *Solvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*. Dicit autem ipse Johannes, quod Jesus hoc dicebat de Templo Corporis sui; Sic autem intellectum fuit aliquando ab Hæreticis aliquibus. Sed istud stare non potest, quia illa quæ leguntur Matth. 21. Marci 11., Luc. 19., & Johan. 2. non possunt convenire Corpori Christi, scilicet de ingressu ejus in Templum post illa facta, quæ ante narrantur, sed de egressu ejus a Templo. Si enim egrediebatur a Civitate Jerusalem, in qua erat Templum, ut patet per Marcum, egrediebatur & a Templo.

Item, quod in illa domo essent mensæ Nummulariorum, & Cathedræ vendentium columbas, oves, & boves. Item ementes, & vendentes alia animalia. Item, quod in templum illud ingressi sunt cæci, & claudi, ut dicit Matth. Item, quod vasa per illud templum ferebantur, ut innuit Marc. Item, quod illud erat spelunca latronum.

Quidam autem Hæretici illud intelligunt spiritualiter, scilicet de templo, & domo spirituali, id est de Ecclesia. Quod stare non potest etiam secundum eos. Sic enim jam fuisset Ecclesia, quod ipsi negant, cum nondum essent aliqui habentes spiritum Sanctum, secundum, quod ipsi dicunt; licet & in hoc errent, ut probabitur in cap. de Spiritu Sancto in tertia parte hujus operis.

Præterea, sic esset Ecclesia Dei habens maculam, & rugam, quod etiam ipsi diffitentur. Sic esset spelunca latronum, quod Dei Ecclesiæ minime potest convenire.

Sunt & alii, qui dicunt, illud non intelligi in hoc

(87) *Veritas erat ipsa, quæ loquebatur, & vere vindicabat suam domum, projiciens ex ea nummularios, qui & emebant, & vendebant, dicens eis:* Scriptum est: Domus mea, domus orationis vocabitur &c. *Et quam caussam habuit hoc facere, & dicere, & domum suam vindicare, si alterum Deum annunciabat*. S. Irenæus *lib.* IV. *cap.* XI. *n.* 6. *pag.* 229.

hoc mundo: Illi scilicet, qui duo asserunt Creatores, quod improbatum est in prima parte hujus operis 7. cap. super illud verbum Zachariæ 9. *Exulta satis Filia Sion*, *&c.*

Præterea, numquid ibi illa sunt, de quibus loquuntur Evangelistæ, scilicet oves, & boves, & columbæ, cathedræ ementium, & vendentium, mensæ nummulariorum, cæci, & claudi. Numquid cælestis Patria est spelunca latronum? Non. Patet ergo, quod templum ibi dicitur materialis domus; de hoc autem habetur 6. cap. in secunda parte hujus operis.

Item Matthæi 22. v.35. & 36. dicitur; *Et interrogavit eum unus ex eis Legis Doctor, tentans eum: Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Jesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum, & primum mandatum. Secundum autem est simile huic. Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*. Ista sunt mandata in lege Moysi Deuteronom. 6. Modo quæro, a quo sunt mandata in lege illa?

Si dicas a Satan. Contra. Satan, aut de se, aut de alio dedit mandatum primum: *Diliges Dominum &c.* Si de se; hoc stare non potest, cum Christus Lucæ 10. v. 28. admoneat legis peritum dicens: *Hoc fac, & vives*. Si dicat de alio, idest de Deo bono, nec hoc esse potest, quia non præciperet, ut Deus Sanctus diligeretur ex toto corde. Sic enim ad odium suum provocaret eos, ad quos mandatum perveniret, & quod tota damnatio tolleretur ei, & daretur alii. Ex his relinquitur, quod illud mandatum non est datum a Satana; ergo a Deo Sancto; sed totum Testamentum Vetus datum fuit ab illo, a quo illud datum est; ergo a Deo Sancto fuit totum Vetus Testamentum.

Præterea ibi dicitur: *In his duobus mandatis universa lex pendet, & Prophetæ*. Tota ergo Lex, & universa Prophetia pendet a dilectione Dei, & proximi. Ergo tota bona.

Præterea Lucæ 10. dicitur de isto; vel etiam si de alio, si Tibi placet sit ita. Cum interogasset: *Quid faciendo, vitam æternam possidebo?* Quod Jesus dixit ei: *In lege quid scriptum est? Quomodo legis?* quasi dicat, si bene intelligis, lex Tibi indicat quod quæris. *Ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus virtutibus tuis, &c. ex omni mente tua, & proximum tuum sicut te ipsum. Dixitque illi Jesus: Recte respondisti: hoc fac, & vives*. Et in Marci 12. dicit ei, quod non est longe a regno Dei. Modo quæro, de quo Deo intelligebat ille legisperitus? Constat quod nonnisi de Deo Veteris Testamenti, & Dominus dixit ei, quod istud faceret, & viveret, & quod non esset longe a regno Dei; ergo Deus Veteris Testamenti est ille, qui sic est diligendus, & per cujus dilectionem vivitur, & Dei regno fit homo propinquus.

Item Johan. 8. v.54. & 55. dixit Christus Judæis: *Est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est, & non cognovistis eum*. Ecce evidentissimum Christi testimonium, quod ille, quem Judæi dicebant esse suum Dominum, Pater Christi est: nullum autem dicebant esse suum Dominum, nisi illum, qui dederat Vetus Testamentum per Moysen illi populo. Igitur Deus Veteris Testamenti est Pater Christi. Quod autem illum, qui Moysi loquebatur, & non alium Deum suum dicerent, patet Johan. 9. 2. 29. ubi dicunt cæco illuminato: *Nos scimus quod Moysi locutus est Deus*. Numquam autem potes invenire testimonium, quod alium dicerent Deum suum. Ego autem testimonium habeo de illo, qui Moysi locutus est, quod eum dicebant Deum, & non alium. Victus igitur es. Supra etiam 8. cap. v. 41. dixerunt Judæi Christo: *Unum Patrem habemus Deum*. Istud autem non dicebant nisi de Deo locuto Moysi, ut patet ex prædicto testimonio, & ex testimoniis Prophetarum. David enim ait ad Deum Psalm. 76. v. 21. *Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi, & Aaron*. Similiter Esdras orans ad Deum ait 2. Esdræ 9. v. 14. & 15. Tu Domine *legem præcepisti eis in manu Moysi servi Tui. Panem quoque de cælo dedisti eis in fame eorum, & aquam de petra eduxistis eis sitientibus*. Dixit quidam Hæreticus: hoc ipso, quod Judæi dicebant Deum Omnipotentem, esse Deum suum, dicebant Patrem Christi Deum suum esse. Ad hoc dicendum est, quod Deum Omnipotentem non dicebant nisi datorem legis Moysi. Solum igitur datorem legis Deum suum dicebant. Sed Christus dicit, quod ille est Pater suus. Ergo Deus Veteris Testamenti est Pater Christi. (88)

CAP. VII.

Agitur, an Vetus Testamentum bonum fuerit, & quare ipsum blasphemant Hæretici.

NUnc transeamus ad 7. cap. hujus secundæ partis, ubi videbimus de Lege, sive de Veteri Testamento, an bonum fuerit, an non? Istud cap. in duas partes dividitur. In prima ponuntur argumenta Hæreticorum contra legem, & tamquam frivola dissolventur. In secunda vero ponuntur argumenta pro Lege.

 Pro-

(88) Hactenus egit de Deo Veteris Testamenti, quæsivitque bonus ne fuerit, nec ne; & an idem qui locutus fuit Abrahæ, Mosen quoque instituerit. Atque ex his quidem Monetæ Quæstionibus colligi facile poterit, fuisse aliquos Catharos, qui Deum qui Abrahæ præsidio fuit, a Mosis Deo distinguerent. Aggreditur deinceps noster eam tractationem quæ est de *Vetere Testamento*, utrum sit bonum; quæ sane quoniam conjuncta est cum superiore, idcirco a Patribus non divisim, sed junctim explicata fuit.

§. I.

Probatio Hæretici, quod Vetus Testamentum sit malum.

AD probandum Legem malam fuisse, inducunt illud Rom. 3. v. 20. *Ex operibus legis* (1) *non justificabitur omnis caro coram illo*, idest Deo. Quomodo ergo bona potest dici illa lex, cum non justificaret?

Solutio: *Ex operibus legis non &c.* Dico, quod Apostolus intelligit de operibus legis sine fide Christi, unde & talis est, qui fidem Christi non habet. Carnem dicit non spiritum; carnalis enim est, non spiritalis, unde Rom. 9. v. 32. in fine, quod quærebat Israel, non est consecutus, *quia non ex fide, sed quasi ex operibus*; supple quærebat justitiam. Memento autem hujus auctoritatis o Lector ad dissolvendum omnia talia argumenta Hæreticorum contra legem. Potest etiam facili modo responderi Hæretico; quia non dicit ex operibus legis, non est justificatus quis coram illo; sed non justificabitur; quod quidem verum est, quia cessant illa opera legalia. Si autem alicubi inveniatur, quod ex operibus legis non potest esse justificatio, ut Act. 14. Dicas, quod loquitur de lege sine gratia, & fide Christi, ut patet ex auctoritate 9. Rom. quam præmisimus; & etiam ex textu Act. 15. v. 10. ubi dicitur: *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi.* Nota, quod dicit per gratiam Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi. Alii vero non justificabuntur, qui per Christi gratiam salvari non credebant.

Item, parum ante dixit B. Petrus v. 7. & seqq. *Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Evangelii, & credere. Et qui novit corda Deus testimonium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum sicut & nobis: & nihil discrevit inter nos, & illos, fide purificans corda eorum.* Et notandum, quod antiquos dies dicit illos, qui fuerunt a tempore illo, quo Cornelius cum suis Act. 10. baptizatus est, quibus etiam in linguis datus est Spiritus Sanctus, sicut & Apostolis, quod fuit testimonium electionis Gentium a Deo.

[*] Præterea, quod dicitur Act. 13. v. 38. *Ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi justificari*; subaudiendo hoc ipsum *plene*, manifeste verum est: plene autem justificari est plenum effectum justitiæ consequi. Obtinetur autem ex fide Christi jam missi quoad animam. In novissimo autem die quoad corpus habebitur. Pro ipsa expositione facit illud Roman. 8. v. 3. & 4. *Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.* Ubi nota illud quod dicit: *impleretur*. Plena autem justificatio ab originali, est facultas introitus cæli, per illum, qui ait Johan. 10. v. 9. *Ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur.* Eodem modo potest solvi illud Galat. 2. v. 21. *Si enim per legem justitia* plena, idest plenum fructum habens, de quo 1. Cor. 13. v. 10. *Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est.* Heb. 7. v. 19. *Nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum.* Rom. 10. v. 4. *Finis enim legis Christus ad justitiam*, idest ad plenum fructum ejus, alioquin falsum est illud: *Erant ergo ambo vulnerati amore ejus.* Rom. 13. v. 8. Item quod dicitur Rom. 4. v. 14. *Sed per justitiam fidei.*

[*] Ad idem inducunt illud Apostoli Rom. 4. v. 2. *Si enim Abraham ex operibus* legis *justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Ecce quod opera legis excludunt gloriam ab Abraham apud Deum, si ex eis dicitur justificatus, unde videtur, quod opera illa Deo non placerent, & ita Lex non placebat, quæ illa opera mandabat.

Respondeo. Si Abraham ex operibus legis justificatus est, supple sine fide Christi &c. Quod autem ita debeat intelligi, patet ex verbis Apostoli, qui vult probare, quod ex fide Christi justificatus est, quod probat auctoritate Genes. 15. v. 5. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* (2) Vult etiam probare, quod ex operibus legis, idest ex circumcisione, vel aliis legalibus operibus non est justificatus, quia ante justificatus est per fidem, quam circumcisio esset, vel opera illa legalia, scilicet sacrificium animalium ex mandato legis; unde ibi dicit Apostolus v. 10. *Quomodo ergo reputata est ei fides ad justitiam? in circumcisione, an in præputio?* idest cum fuit circumcisus, vel ante cum esset præputiatus, idest incircumcisus? Et solvit Apostolus dicens: *Non in circumcisione, sed in præputio.* Et ita justificatus est ex fide sine operibus legis, sicut & prius tertio capite dixerat Apostolus de quocumque homine v. 28. *Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis.*

Quod autem dixit Apostol. *Habet gloriam, sed non apud Deum*; taliter est intelligendum: habet gloriam apud homines, quia homines eum glorificant de exteriori observantia mandati divini, quia eum vident. Homo enim videt in facie; sed non habet gloriam, idest laudem a Deo, qui intuetur cor. Nullus enim habet a Deo gloriam, nisi per fidem Christi, unde si Abraham sine ista fide justificatus

(1) Paria ex Epistolis Pauli afferebant Gnostici Veteres, & Manichæi, ut antiquæ legis testamentum refellerent, ut ex Irenæo; Tertulliano, Tito Bostrensi aliisque constat. Verum ex eodem *cap.* v. *seq.* ostendit Irenæus Marcionitas, aliasque generis ejusdem pestes magnis in erratis versari. Subjungit enim Paulus: *Justitiam testificatam esse a lege, & Prophetis: justum enim ex fide vivere.* Adeundus Irenæus *lib.* IV. *cap.* XXXIV. *n.* 2.

[*] Deest in Vatic.

(2) Consulendi Irenæus *lib.* IV. *cap.* V. *al.* X. *n.* 3. *&* *cap.* VIII. *al.* XVIII. *n.* 2. & Tertullianus *lib.* V. *contra Marcionem cap.* III. *seqq. pag.* 464. *& Johan. Chrys. Hom.* VIII. *in Epist.* ad Romanos *pag.* 498. *Tom.* IX. *Opp. Edit. Montfauc. Paris.*

catus eſt, ideſt dicatur eſſe ex legis operibus, non habet gloriam a Deo; unde 2. cap. in fine dixit Apoſtolus, quod circumciſio cordis, quæ in ſpiritu, ideſt per eum facta eſt, non per litteram, ideſt cultellum petrinum; ſicut dicit littera Joſue, non habet laudem ex hominibus, ſed ex Deo, qui videt ejus facta fide mediante Spiritus Sancti; Unde Act. 15. v. 9. *fide purificans corda eorum*. Per hoc igitur, quod dixit Apoſtolus: *Si enim Abraham &c.* vult oſtendere, quod ſi Abraham non ex fide, ſed ex operibus legis juſtificatus dicitur, juſtificatio fruſtrata eſt Dei gloria.

Ad idem inducit Hæreticus illud, quod ibidem dicit Apoſtolus v. 4. *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum*. Si merces non imputatur ſecundum gratiam illi, qui operatur illa opera, ergo illa opera non placent Deo; ergo neque lex, quæ mandat illa opera.

Reſpondeo. Si tu hæretice quod Apoſtolus dicit, intelligeres, ab argumento tali ceſſares. Nonne vides, quod Apoſtolus dixit, quoniam merces, ideſt juſtitia data eſt Abrahæ, quia credidit, non quia operatus ſit, qui operatur, merces, ideſt juſtificatio quæ datur ei a Deo, ideſt quæ datur a quibuſdam Judæis, qui gloriantur de operibus ſuis, tali homini dari ſine fide Chriſti, imputabitur ei data eſſe, non ſecundum gratiam Dei, ſed ſecundum debitum, ideſt, quia debebatur ei ex opere ſuo. Sicuti ſi aliquis operatur in vinea alicujus, & datur ei inde merces aliqua, iſtud non eſt ex dono ſive gratia, ſed ex debito laboris ſui. Si autem non operatur, & datur ei merces, ex dono & gratia illam habet. Simile ſubdit Apoſtolus. Ei autem, qui non operatur aliqua bona opera, dummodo credat in eum, qui juſtificat impium, fides ejus reputabitur ad juſtitiam ſecundum gratiam Dei, qui propoſuit juſtificare hominem gratis per fidem; ideſt juſtitiæ merces dabitur ei per fidem ex gratia Dei, & dono ejus. Per hoc ergo dicit Apoſtolus: *Ei autem qui operatur &c.* Non ſequitur, quod opera illa non placuiſſent Deo, ſed quod non juſtificabant, imo per fidem. Per hoc ergo quod dicit Apoſtolus: *Ei autem qui operatur &c.* oſtenditur, quod ſi aliquis dicatur juſtificatus ex operibus ſine fide, juſtificatio non eſt gratuita Deo, quod falſum eſt.

Ad idem inducunt illud Rom. 4. v. 13. *Non enim per legem promiſſio Abrahæ, aut ſemini ejus, ut hæres eſſet mundi: ſed per juſtitiam fidei. Si enim qui ex lege hæredes ſunt: exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio. Lex enim iram operatur. Ubi enim non eſt Lex: nec prævaricatio.* (3)

Reſpondeo, verum eſt, quod Abrahæ facta eſt promiſſio, quod ipſe eſſet hæres mundi, ideſt Pater, & Dominus Judæorum, & Gentium in mundo iſto: ſed Pater fuit in ſui Perſona per exemplum credendi aliis datum. Dominus autem non in ſeipſo, ſive in ſui Perſona, ſed in ſemine ſuo, ideſt in Chriſto, cui Pater dixit: Pſalm. 2. v. 8. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos Terræ*; per poteſtatem Chriſto traditam; ut Chriſtus dicit Matthæi ult. v. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo, & in Terra*. Chriſto enim &c. Promiſſio facta Abrahæ, quod eſſet hæres mundi legitur Gen. 17. v. 5. & 6. *Patrem multarum Gentium conſtitui: Faciamque Te creſcere vehementiſſime, & ponam Te in Gentibus*. Sumitur etiam de Geneſ. 12. vel 15. ubi dictum eſt ei v. 1. *Egredere de Terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui*. Et poſt pauca dicitur v. 3. & 4. *Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi; atque in te benedicentur omnes cognationes terræ*. Facta ergo fuit ipſa promiſſio ei non ex lege, vel ex circumciſione, quæ nondum erat, ſed per juſtitiam fidei, ideſt per fidem juſtificantem eum. Si enim ipſe, vel alius potuit eſſe hæres ex lege; ergo non ex ſeminis promiſſione: abolita ergo eſt promiſſio; ideſt fruſtra facta eſſet promiſſio ſibi de Chriſto, per quem promittitur ei, quod ipſe ſit hæres mundi, & ita fides vana, quæ credidit dicenti: *Benedicentur in ſemine tuo omnes Gentes Terræ*. Geneſ. 22. v. 18. Hoc autem falſum eſt manifeſte, quod Dei promiſſio ſit vana, vel fides Abrahæ, ergo ex lege non eſt Abraham hæres, neque alius.

Alio modo idem probat, quod ex lege non eſt quis hæres, quia ex lege eſt ira Dei in homine. Non ergo hæreditas eſt ex lege. Rom. 4. Tu autem hæretice per hoc, quod lex operatur iram, vis habere quod lex mala ſit, ſed propter hoc non eſt lex mala, ſed juſta. *Lex enim*, ut dicitur Gal. 3. v. 19. *propter tranſgreſſiones poſita eſt*. Ideſt propter eas puniendas. Et ſi ad hoc poſita eſt, non eſt mirum, quod infert iram Judæis, in quibus fuit, qui etiam prævaricantur eam, non in Gentibus, in quibus non fuit, unde prævaricatio ejus non fuit in illis. Quare lex iram non operatur eis. Si autem ex hoc, quod lex iram operatur, vis habere quod mala ſit, dic ergo Deum eſſe iniquum, qui infert iram, quod negat Apoſtolus Rom. 3.

Ad idem inducunt illud verbum Apoſtoli Roman. 5. v. 20. *Lex autem ſubintravit ut abundaret delictum*. Solutio. Sicut dicit Ambroſius (4) per hoc verbum: *Lex ſubintravit &c.* Non dicitur, quod lex fecerit, ſed quod data lege evenerit; data enim erat in adjutorium, ſed ex hoc iratus eſt Diabolus, & ad magis impugnandum hominem commotus, & accenſus. Homo autem conſuetudinem ſequens, nolens in pugna contra Diabolum laborare viriliter, legem ſcriptam confregit, & ſic abundantius peccavit, quam prius, quando ſolum contra legem naturæ venit. Quod autem ita ſit intelligendum, patebit infra in hoc eodem capite ubi diſputabuntur verba

(3) Conſulitor Chryſoſtomus Homil. VIII. mox indicata *pag.* 500. ubi hoc Apoſtoli ῥητὸν explicat.

(4) Ambroſiaſter in Epiſtolæ ad Romanos *cap.* V. *v.* XX. *pag.* 58. *in Append. Opp. Ambroſii Edit. Nov.* Proponit hoc ipſum argumentum, acuteque diſſolvit. Tertullianus *lib.* V. *contra Marcionem cap.* XIII. *pag.* 478. *Lex*, inquit, *ſubintravit, ut abundaret delictum. Quare? ut ſuperabundaret*, inquit, *gratia. Cujus Dei gratia, niſi cujus & lex? niſi ſi creator ideo legem intercalavit, ut negotium procuraret gratiæ Dei alterius, & quidem æmuli, ne dixerim ignoti &c.*

ba Apostoli, quæ videntur esse contraria legi.

Præterea, si per illud Apostoli: *Lex subintravit &c.* Vis dicere legem malam; Dicas ergo Christum malum, qui, ut habetur Lucæ 2. v.34. *positus* dicitur *in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel.*

Item qui de seipso dicit Johan. 9. v. 39. *In judicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident videant: & qui vident cæci fiant.* In quo verbo non dicitur, quod Christus fecerit eos cæcos, sed quod evenerit eis Christo veniente, unde Johan. 3. *Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Caussa ergo judicii, idest damnationis est culpa hominis, non adventus Lucis, unde parum ante dixerat: *Non enim misit Deus Filium suum in Mundum, ut judicet Mundum, sed ut salvetur Mundus per ipsum.*

Obijciunt etiam illud contra legem Rom. 7. v. 5. & 6. *Cum essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per peccatum erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti: nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur, itaut serviamus in novitate spiritus, & non in vetustate litteræ.*

Item in principio 8. capitis v. 2. *Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu, liberavit me a lege peccati & mortis.* Ecce in quantis exprobrat legem, quia dicit, quod peccata erant per legem. Item appellat eam legem mortis, & legem peccati. Item 2. Cor. 3. dicitur: ministratio mortis, & ministratio damnationis. Quomodo ergo a Deo sancto data est.

Solutio. Satis potest concedi, (5) quod peccata erant per legem & per bonum, unde etiam ad Rom. c.7. v.13. dicit Apostolus, *quod peccatum per bonum operatum est mihi mortem.* Bonum autem dicit ipsum mandatum legis, & ipsam legem, quæ illud mandat. Ex quo patet, quod licet peccata per legem sint, non tamen lex mala, imo bona, & tamen per eam peccatum & mors, unde Apostolus videns in spiritu te venturum & dicturum propter illud verbum Pauli, quod Lex esset mala, quæstionem facit dicens: Rom. 7. *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est?* & absolvit. *Absit*: Quomodo autem per legem sint peccata, determinat Apostolus statim, cum dicit v. 8. *Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Peccatum dicitur emphatice, & dictum est diabolus emphatice ipsum scelus, & dicitur istud ad determinandum magnitudinem, & excessum malitiæ. Diabolus ergo videns mandatum esse homini contra seipsum in adjutorium hominis, magis impugnavit homines, ut prius dictum est super illud verbum: *Lex subintravit &c.* Bonum igitur nocivum est homini non vitio sui, sed vitio hominis tentationibus & concupiscentiis suis resistere nolentis. Quod autem lex, non vitio suo, sed vitio hominis fuit nociva homini, patet per illud, quod dicit Apostolus v.5. *Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti.* Nota quod dicit: *Cum enim essemus in carne*, idest in carnali sensu & in carnali appetitu, quasi dicat ex vitio nostro erat, non ex lege, quæ passiones peccatorum operabantur in membris nostris. Simile habetur 1. Cor. 11. v. 19. *Qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Quasi dicat; non accidet hoc tibi, nisi ex indignitate hominis, non ex vitio corporis & calicis Domini. Dico ergo, quod per illud verbum Apostoli: peccata erant per legem, non intendit dicere, quid fecerit lex, sed quid evenerit ea data. *Per* enim caussam non notat ibi, sed occasionem fuisse eventus. Nonne vides idem esse in Evangelio? Dicitur enim Jo: 15. v.12. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent*, supple tantum, vel illud quod habuerunt ex eo, quod Christo personaliter loquenti, non crediderunt, maxime, cum sicut ipse dixit v.14. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit peccatum non haberent.* Et ita quod Christus locutus est eis, non fecit peccatum eorum, sed ex eo quod Christus locutus est eis, & ipsi credere noluerunt ei, hoc peccatum eorum fuit, vel ad minus majus. Similiter peccatum data lege majus fuit, non lege hoc faciente, sed homine non obediente; unde Roman. 7. v. 13. dicit Apostolus: *Peccatum per bonum operatum est mihi mortem, ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.* Peccatum ergo supra modum priorem, idest statum ante legem est peccans, idest peccare faciens.

Ex his, quæ dicta sunt, patet, quod Lex fuit Lex peccati & Lex mortis occasionaliter tantum non caussaliter. Similiter ministratio damnationis & ministratio mortis, ut dicitur 2. Cor. 3. Quod autem dico non caussaliter, sed occasionaliter fuit lex peccati, vel lex mortis, tale est ac si dicam: non quia fecerit peccatum, sed quia ea data evenit: quibus verbis oportet uti pro simplicibus & minus capacibus.

Præterea, si ex eo quod hic dicit Apostolus, quoniam lex est peccati & mortis, & ministratio damnationis & mortis 1. Cor. 3., vis dicere legem malam; dicas Apostolos Christi malos, qui teste Apostolo 2.Cor.2.v.16. *Aliis quidem erant odor mortis in mortem: aliis autem odor vitæ in vitam.* Item dicas ipsum Christum malum, qui Rom. 9. dicitur, lapis offensionis, & petra scandali, de quo Jacobi 4. v.12. *Unus est enim Legislator & Judex, qui potest*, idest in cujus potestate est *perdere & liberare: qui etiam positus est in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel*, ut dicitur Luc.2. v. qui, ut dicitur Jo: 9. *In judicium venit &c.*

Aliter potest solvi, & facilius si dicetur, quod dicitur lex peccati quatuor modis: indicativa, unde Rom.3. v.20 *Per legem enim cognitio peccati*, & 7. v.7. & 8. solvens illam quæstionem: *lex peccatum est? Absit* dixit: *Nam concupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi lex diceret, non concupisces &c.* Item dicitur lex peccati prohibitiva, unde: *non concupisces.* Item lex peccati dicitur punitiva, unde Heb. 10. v. 28. & 29. *Irritam quis faciens legem Moysi, & sine ulla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur,*

(5) Consulendus Auctor Dialogi de recta in Deum fide contra Marcionitas *Sect.* v. *pag.* 866. *Tom.* 1. *Opp. Origenis*. Videndus quoque Clemens Alexandrinus *lib.* III. *Strom. n.* XII. *pag.* 549. *Edit. Oxoniensis.*

ritur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit &c. Sed numquid iniqua est, quia infert iram &c.? Non. Item dicitur lex peccati aggravativa, unde Roman.5.v.20. *Lex autem subintravit, ut abundaret delictum.* Scientia enim aggravat peccatum,& ideo pœnam; propter quod Lucæ 12. v. 47. *Ille autem servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non se præparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus; vapulabit multis: qui autem non cognovit & fecit digna plagis, vapulabit paucis*: Quia etiam lex Evangelii aggravat peccatum, ut notatum est parum supra in illo verbo Jo:15. v.12. *Si non venissem &c.* Non est tamen malum Evangelium, ergo neque lex mala propter hoc; imo bona, quia indicat peccatum mihi, ut caveam, & prohibet illud mihi, & punit, si non caveo; & aggravat ipsum, quia gravius est peccare cognoscenti quam ignoranti, unde 1. Timot.2. dicit Apostolus: se misericordiam consecutum, quia ignorans fecit. Numquid propter hoc malum est scire Dei voluntatem? Non; quia non nocet suo vitio, sed hominis nolentis credere vel obedire.

Similiter etiam intelligendum est illud Apostoli: Rom. 2. *Passiones peccatorum, quæ per legem erant.* Supple cognita, prohibita, aucta sive aggravata & punita. Quod autem dicitur: *Ministratio damnationis & mortis*, hoc ideo, dicitur, quia transgressores suos condemnat, & judicat puniendos morte temporali vel æterna, unde Rom.4. v. 15. *Lex enim iram operatur*. Nec tamen propter hoc mala, sed justa est, ut notatum est eodem capite.

Item tertio modo potest solvi, ut quæratur ab hæretico, quid ibi dicitur lex, ubi dicit Apostolus: peccatum erat per legem? Numquid non venit ibi pro isto mandato: non concupisces? Utique; & pro consimilibus. Numquid ista lex, & istud mandatum malum? Non. Igitur per istud verbum Apostoli: *passiones peccatorum &c.* non habes, quod lex mala sit. Quod autem de illo mandato loquatur, patet in illo cap. Roman.7. v.7. & seqq. ubi dicit Apostolus: *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces.* Et de isto mandato dicit: *cum venisset mandatum, peccatum revivisscit. Ego autem mortuus sum, & inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem.* De isto legis mandato, loquitur Apostolus per totum illud caput, & dicit illud esse *Sanctum & justum & bonum*. Unde etiam ait: *Quia peccatum per bonum operatum est mihi mortem.* De isto etiam concludit: *Invenio igitur legem volenti mihi facere bonum*; supple esse, & dicit ibi, quod legi Dei, illi scilicet mandato condelectatur secundum interiorem hominem. Deus ergo Sanctus & verus dedit illud mandatum, non Satan, ut dicis. Si vis ergo legem accusare, accusa Deum, quia per legem, idest mandatum datum a Deo peccata sunt. Ipse autem non est accusandus de aliquo; ergo neque lex ejus data per Moysen illi populo.

Ad idem inducunt illud 2. Cor.3. v. 6. *littera* (6) *enim occidit: spiritus autem vivificat*; & loquitur de littera legis. Solutio. Apostolus de se & aliis Apostolis dixit, qui erant a Deo facti idonei Ministri Novi Testamenti, non littera, sed spiritu & ponitur ablativus pro genitivo; idest non litteræ legalis, sed spiritu, idest intelligentiæ spiritualis & observantiæ. Postea dicit illud verbum: *littera occidit*; quod verum est modo. Litteralis enim observantia nocet Galat. 5. v.2. *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.*

Ad idem etiam inducunt illud Galat.2. v.16. *Nos natura Judæi, & non ex Gentibus peccatores. Scientes autem quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi: & nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Jesu Christi, & non ex operibus legis: propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro.* Quomodo ergo a Deo facta est?

Respondeo. Apostolus loquitur pro tempore illo, quo Christus jam venerat, unde dicit: *non justificatur*, & non dixit: non justificabitur. Similiter, quod dicit in fine ejusdem cap. *Si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est*; sic debet intelligi. Si enim per legem justitia est, postquam Christus venit.

Si autem objiciatur illud Act.13. v.38. *Non potuistis in lege Moysi justificari*; solutum est supra in principio hujus cap.

[*] Hæreticus Matth.5.v.20. *Nisi abundaverit justitia vestra*; ergo justitia legis non sufficiebat ad salutem; ergo nullus antiquorum salvus.

Præterea dicunt: Illi dicebant, ne occideretur innocens, sed nocens. Vos Romani idem dicitis: ergo non abundat vestra justitia.

Respondeo ad primum. Imo ergo nullus Scribarum & Pharisæorumillorum, salvus. Quæ enim esset justitia illorum, habetur Lucæ 11. v. 39. *Nunc vos Pharisæi, quod de foris est calicis & catini, mundatis; quod autem intus est vestrum, plenum est rapina & iniquitate.*

Præterea justitia mea debet esse abundantior quam justitia illorum, ergo justitia illorum bona, etsi non sufficiens ad intrandum Paradisum sine morte Christi.

Ad aliud dico, quod licet non abundet in illo, quod dixisti, abundat tamen in eo, in quo debet abundare, scilicet in remotione iræ, unde ibi dicitur: *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur Fratri suo, reus erit judicio*. Matth.5. v.52.

[*] Item Galat.3. v.10. habetur: *Quicumque* (7) *enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.* Quomodo ergo lex a Deo data?

Respondeo. Nonne vides, quod de præsenti dicit;

(6) Hoc etiam erat argumentum Marcionitarum, quod refellit Tertullianus *lib. v. cap. xi. pag.* 474. *sic & Testamentum novum non alterius erit, quam qui illud repromisit, & si non littera at ejus spiritus hoc erit novitas. Denique qui litteram tabulis lapideis inciderat, idem & de spiritu edixerat effundam de meo spiritu in omnem carnem. Et si littera occidit spiritus autem vivificat, ejus utrumque est qui ait,* ego occidam, & ego vivificabo, percutiam, & sanabo. *Olim duplicem vim creatoris vindicavimus, & judicis, & boni; littera occidentis per legem, & spiritu vivificantis per Evangelium. Non possunt duos Deos facere, quæ etsi diversa apud unum recenseri prævenerunt.* Lege quæ sequuntur.

[*] Deest in Vatic.

(7) Hoc ipsum a Marcionitis afferebatur. Vide Tertullianum *lib. v. cap.* III. *contra Marc. pag.* 164.

cit: *sunt*, non dicit fuerunt. Verum enim est, quod lex modo non imponitur a Deo, imo prohibetur.

Præterea, si de præterito intelligatur, idest ante Adventum Christi, hoc quod dixit Apost. *Quicumque enim ex operibus &c.* dico, ut jam dixi, quod loquitur de illis, qui sequebantur opera legis sine fide Christi; quod etiam patet ex eo quod Apost. ait v. 10. *Scriptum est enim: Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ sunt scripta in libro legis*. Istud habetur Deuteron. 27. in fine cap. mandatum autem de fide Christi ibi scriptum erat Deuteron. 18. v. 18. *Prophetam suscitabo eis de medio Fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi, qui autem verba ejus quæ loquetur in nomine meo, noluerit audire, ego ultor existam*. Item Deuteron. 30. v. 14. *Juxta te est sermo Domini, in ore tuo & in corde tuo*. Quod Apostolus exponit Rom. 10. v. 8. dicens: *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus*. In hoc autem pauci permanserunt, & illi sub maledicto fuerunt, non illi, qui per gratiam Christi crediderunt salvari, ut ponit Petrus Act. 15.

Item, ad idem inducunt illud Galat. 3. v. 13. *Lex autem non est ex fide*, cui postea conjungunt illud, quod habetur Rom. 14. v. 23. *Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est*. Et ex his concludunt; ergo lex cum non sit ex fide peccatum est, ergo non est a Deo.

Ad hoc dico, quod Apostolus intendit probare, quod ex lege, postquam Christus venit non est justitia, unde de præsenti loquens, ait parum ante illa verba, quæ sumpta sunt de Epistola ad Galat. 3. dicit v. 11. *Quoniam autem in lege nemo justificatur apud Deum, manifestum est* per hoc testimonium, *quia* ut dicit Habacuc 2. v. 4. *justus ex fide vivit*. Loquitur autem ibi Habacuc pro tempore Christi, unde dicit parum ante v. 3. *Quia adhuc visus, procul, & apparebit in finem, & non mentietur: Si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet & non tardabit. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso: justus autem in fide sua vivit*: ergo dicit Apostolus, quod lex non est ex fide; bene concedo, quod ejus observantia modo non est ex fide, & modo peccatum est, & a Deo modo non est præcepta, sed prohibita; unde idem Galat. 5. v. 2. dixit: *Si circumcidamini Christus nihil vobis proderit*. Et supra 2. v. 19. *Ego enim per legem legi mortuus sum, ut Deo vivam.* Per legem enim Deuter. 18. v. 18. *Prophetam suscitabo &c.*

Item per legem, psalmorum: *Sacrificium & oblationem noluisti*, ut habetur in psalm. 39. v. 7., quod etiam exponit Apostolus Heb. 10. de tempore postquam Christus venit. Item per legem Prophetiæ Habacuc & aliorum, unde hoc dixit Apostolus; *justus autem ex fide vivit*; supple non ex lege.

Si autem velit exponere verba Apostoli ad Galat. lex non est in fide ante adventum Christi. Dico: quod lex, idest observantia mandatorum ejus in multis Judæis, paucis exceptis, non erat ex fide futurorum dandorum per Christum; sed ne occiderentur si venirent contra; Galat. 3. v. 13. unde Apostolus post illa verba ad Galat: *Lex autem non est ex fide*, subdit: *sed qui fecerit ea, vivet in illis*; quasi dicat, ex fide non fiebat lex a multis, sed ideo, quia dictum erat Deuteron. 30. qui fecerit ea, quæ dicuntur in lege, vivet in eis, idest per ea, quæ facit; hoc est non occidetur. Nullus talis justificatur apud Deum, ut ostendimus super illo verbo præcedentis argumenti v. 10. c. 3. ad Galat. *Quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt*. Et in principio hujus capitis, ubi introducta est auctoritas de Ep. Rom. 9. v. 11. *Quod quærebat Israel &c.*

Ad illud autem, quod dicit Apostol. Roman. 14. v. 23. *Omne autem quod non est ex fide peccatum est*. Dico, quod Apost. locutus erat de cibis dicens: *Qui autem discernit cibos*, idest qui judicat aliquos cibos immundos, hoc est aliquos esse immundos, *si manducaverit damnatus est, quia non ex fide*; supple manducaverit, idest, quia secundum fidem suam manducavit de cibis, imo contra illam, credens scilicet se male facere; & secundum istum modum dicit postea: *Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est*, idest quod fit contra fidem peccatum est. Si enim tu credis, quod malum est aliquid facere, & facis illud, dico quod peccas. Si autem postea dicas: lex non est ex fide, idest non fuit ex ea. Dico quod dupliciter potest intelligi, idest ab illis fiebat contra fidem, idest credentes se non debere facere ea, falsum est; nec sic sumit Apostolus illud verbum Gal. 3. v. 13. *lex autem non est ex fide*; idest non fiebat pro fide, & spe futurorum bonorum per Christum dandorum, verum est, & sic sumit Apostolus prædictum verbum ad Galatas. Sed non sic sumit ad Rom. 14. non esse ex fide. Dico ergo, quod fides ad Galatas sumitur pro fide futurorum bonorum dandorum per Christum. Ad Romanos vero sumitur pro existimatione, quod non debeat aliquid fieri, contra quam existimationem si venit, dico, quod peccatum est illi, unde eodem capite Rom. dixerat prius Apostolus v. 14. *quod existimat quid commune esse*, idest immundum, *illi commune est*. In mala parte enim sumitur commune, unde prædixerat: *Scio & confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum*, idest per adventum ejus factum est, quia nihil commune est, idest nullum genus cibi.

Ad idem inducunt illud Galat. 3. v. 13. *Christus nos redemit de maledicto legis*, idest de maledictione ejus. Quomodo ergo bona lex? quomodo est a Deo, quæ maledictionem inducebat?

Respondeo. Maledicebat lex, idest puniebat & vindicabat transgressores: quod patet Deuteron. 27., ubi habetur, quod tantum illos, qui transgrediebantur Dei præcepta maledicebat; idest talibus inferebat pœnam lex; unde Rom. 4. v. 15. *Lex enim iram operatur*. Sed numquid propter hoc iniqua est, quia infert iram talibus? Absit: Alioquin dicas Christum iniquum, qui infert iram, & qui dicet: Matth. 15. *Discedite a me maledicti in ignem æternum*. Maledictum ergo sumitur pro vindicta, sive pœna in testimonio Apostoli: Gal. 3. v. 13. *Christus nos redemit de maledicto legis*. Quod etiam patet per illud testimonium Apostoli, quod ibi sequitur de Christo, qui *factus est pro nobis maledictum* (*quia scriptum est* Deuteron. 21. v. 23. *maledictus omnis, qui pendet in ligno*). Quod testimonium, quia inducitur ab Hære-

Hæreticis ad diffamandum Deum Veteris Testamenti, & ipsum Vetus Testamentum examinavimus supra cap. 6., ubi agitur de Deo Veteris Testamenti in prima parte Capit., & ideo hic inde nihil dicimus.

Item Galat. 3. v. 21. *Si enim data esset lex, quæ posset justificare, vere ex lege esset justitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato*. Vide, quia dicit, quod lex illa non poterat justificare, neque vivificare, & quia conclusit omnia sub peccato. Non ergo a Deo.

Ad hoc dicimus, quod vita æterna non habebatur per legem, sive cælestis beatitudo & hæreditas filiorum Dei, neque justitia. Dico tibi, verum est in illis, qui non habebant fidem Christi, unde Roman. 11. v. 7. *Quod quærebat Israel, hoc non est consecutus, electio autem consecuta est &c.* Illos autem, qui ejus fidem habuerunt, & opera legis fecerunt justificavit, & ad vitam æternam duxit in adventu Christi; ante enim non debuit, neque potuit, alioquin Christus gratis mortuus est, idest frustra. Quod autem dicit: *conclusit Scriptura omnia sub peccato*; ergo lex non est a Deo, vel non fuit bona, non valet. Nonne vides, quod dicit Apostolus Rom. 11. v. 32. *Conclusit enim Deus omnia in incredulitatem*. Nonne incredulitas peccatum est? Conclusit ergo Deus omnia in peccato. Si hoc facit lex, imitatrix est Dei; bona est ergo. Vel si mala, & Deus malus. Quod autem dicit Apostolus: *Sed conclusit Scriptura omnia &c.* sic intelligitur; idest ostendendo eis peccata sua, monstravit eos esse clausos sub peccato.

Præterea, quod illa conclusio Scripturæ bona sit, patet ex eo, quod dicit Apostolus: *conclusit*, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. Cujus enim finis bonus est, ipsum quoque bonum est; & ita Scriptura bona; ex fructu enim arbor cognoscitur Matthæi 7.

Item Philip. 3. v. 6. dicit Paulus de se: *Secundum æmulationem persequens Ecclesiam Dei*. Æmulationem dicit legis dilectionem. Talis ergo, qui legem diligit, Ecclesiam Dei persequitur.

Respondeo: Zelum legis habebat, sed non secundum scientiam, unde dixit 1. Timoth. 1. v. 13. *quia ignorans feci in incredulitate*; & malum est zelare legem eo modo, quo ipse obzelabat, idest ut observaretur contempto Christo: tamen ante Christi adventum bona & utilis erat lex; loquitur autem Apostolus pro tempore post adventum Christi.

Item, objiciet hæreticus illud Philip. 3. v. 6. *Secundum justitiam quæ in lege est, conversatus sine querela. Secundum justitiam*, idest secundum mandata legis. Dicit hæreticus: non est verisimile, si secundum legem Dei conversatus est sine querela, qui Ecclesiam Dei persequebatur.

Ad hoc dicendum est, quod male observabat eam, quia non suo tempore observabat, & male conversabatur in ea propter eandem rationem. Quod autem dicit: *sine querela* conversatum esse, verum est quo ad alios judaizantes, non quo ad Deum.

Item Phil. 3. dicit Apostolus de legalibus operibus v. 8. *Propter quem* Christum *omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam*. Quomodo ergo a Deo sunt mandata?

Respondeo: Apostolus loquitur ibi de operibus legis, idest de Sacrificiis & Circumcisione, & figuris futuræ veritatis secundum duo tempora, scilicet secundum tempus postquam Christus venit, dicit illud verbum, in quo notat quod legalia opera nociva sunt & inquinativa debent reputari, unde Gal. 5. v. 3. *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*; ergo Circumcisio modo est nociva. [*] Item insinuat, quia peccatum est observare legalia, postquam venit Christus, unde Gal. 2. v. 18. *Si enim quæ destruxi, iterum hæc ædifico, prævaricatorem me constituo*. Hoc autem dixit propter Christum esse, idest propter ejus adventum jam factum, cujus Christi figuræ fuerunt illa legalia, unde Rom. 7. v. 4. *mortificati estis legi per Corpus Christi*; quia omnia illa Sacrificia de corporibus animalium Corpus Christi in Cruce oblatum figurabant, unde cessare debent postquam venit id quod figurabant. Heb. 10. v. 5. & 6.: *Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt*. Loquitur etiam de lege secundum tempus ante Christi adventum, & dicit legalia fuisse sibi lucra; & hoc ideo, quia fuerunt signa futuræ veritatis, idest Christi, quia Christum figurabant, unde dicitur Galat. 3. v. 24. *Lex pædagogus noster fuit in Christo Jesu*. Sed postquam Christus venit, qui est finis legis ad justitiam omni credenti, ut dicit Apostolus Rom. 10., cessare debet. Unde miser hæretice si attendis, quod dicit Apostolus Phil. 3. v. 8. *propter Christum omnia detrimentum feci*; quare non attendis illud quod Apostolus affirmat: *quæ mihi fuerunt lucra*, non dicit: putabam fuisse, sed fuerunt; ergo ita erat; ergo legalia bona & utilia; & ita lex a Deo.

Item Heb. 7. v. 18. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus, & inutilitatem*. Quomodo ergo illud mandatum a Deo?

Respondeo: Non dixit Paulus, quod reprobatio fuerit prius illius mandati, sed dicit *fit* de præsenti loquens. Modo enim reprobatum est, & non est observandum, quia *finis legis Christus*, ut habetur Rom. 10. v. 4. Item quod dixit: *propter inutilitatem ejus*, verum est postquam Christus venit, sed ante fuit utilis, quia pædagogus noster in Christo fuit, ut ex fide justificemur, ut habetur Galat. 3.

Item, ut præhabitum est Philip. 3. v. 7. *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta*. Infirma autem fuit ante Christi adventum, idest insufficiens; ad quod dicit Apostolus: *Nihil enim ad perfectum adduxit lex*; ad illud scilicet perfectum, de quo 1. Cor. 13. v. 10. *Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*. Licet autem non sufficeret ad hoc, non tamen mala, quia neque fides, neque prophetia, neque omnis scientia, aut martyrium, aut etiam distributio bonorum suorum in cibos pauperum sufficit sine charitate, ut habetur 1. Cor. 13. & tamen nihil horum malum est. Similiter neque lex sine Christo sufficiebat ad vitam æternam, hæreditatem scilicet cælestem sine Christo, nec tamen lex mala propter hoc.

Ad

[*] *Mortifera* esse legalia nunc temporis merito concludit Moneta; nec vero affirmat *mortifera* item fuisse ætate Apostolorum, nam alioqui Discipulos Christi sceleris reos ageret; quippe qui aliqua post Christi obitum, oeconomia quadam ducti, observaverint. Erant ergo *mortua* ut ajunt Theologi, quæ post ætatem illorum *mortifera* evaserunt.

Ad idem inducunt illud Hæb.8. v.8. *Si illud prius culpa vacaſſet: non utique ſecundi locus inquireretur*. Ecce dicit Apoſtolus, quod prius teſtamentum non vacavit a culpa, ergo fuit malum.

Solutio. Verum eſt, quod prius non vacavit a culpa, ſed hoc ſic eſt intelligendum, quia non fecit eos ceſſare a culpa, nondum ab eis facta; & quia non evacuabat eos a culpa perpetrata. Hoc autem non erat ex vitio legis, quæ ſancta fuit, & mandatum juſtum, ſanctum & bonum, ut dicit Apoſtolus Rom.7. Sed hoc erat ex culpa eorum, qui nolebant permanere in teſtamento Dei, unde poſt illa verba dicit Apoſtolus: *Vituperans enim eos dicit: Ecce dies veniunt dicit Dominus: & conſumabo ſuper domum Iſrael, & ſuper domum Juda Teſtamentum Novum, & non ſecundum teſtamentum, quod feci Patribus eorum, ut educerem illos de terra Ægypti: quoniam ipſi non permanſerunt in teſtamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus*. Quod verbum differimus ad ſequentem partem hujus capitis, ubi probabimus legem bonam fuiſſe, & a Deo Novi Teſtamenti datam. Culpa ergo illa, de qua dicit Apoſtolus, quod prius non vacavit a culpa, non erat culpa teſtamenti, ſed illorum; unde non ſequitur, quod lex fuerit mala, ſed ipſi fuerunt mali, unde & ipſi vituperantur, non illa. Dicit enim Apoſtolus: *Vituperans enim eos*, non dicit illud teſtamentum. Iſtud autem patebit melius in ſecunda parte hujus capitis quando introducemus illud teſtimonium ad probandum legem datam a Deo Sancto: *Ecce dies veniunt &c.*

Item objiciunt illud Heb. 10. v.10. *Nec placita ſunt tibi, quia ſecundum legem offeruntur*; ergo lex fuit mala.

Solutio. Non valet, quia dicit: *Nec placita ſunt tibi &c.* loquitur ergo pro tempore adventus Chriſti, unde etiam ſubdit: *tunc dixi*: *Ecce venio*. Ex hoc etiam patet, quod illud verbum David, quod ſumit Apoſtolus v. 6.: *Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt*, aliter intelligitur quam litera ſonet, quia ponitur ibi præteritum pro futuro.

Ad idem inducunt illud Apoſtoli parum ante illud quod præmiſimus: *Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum*; & ſumitur imago paſſive; quaſi dicat, non res imaginatas, ſive figuratas ab illa umbra, ſive figura; quaſi dicat figura erat rei quæ nundum exiſtebat, ſed futura erat; & ſubdit Apoſtolus v. 2. *Eiſdem ipſis hoſtiis quas offerunt indeſinenter, non quia poteſt accedentes perfectos facere: alioquin non ceſſaſſent offerri*. Et poſt pauca v. 4. *Impoſſibile eſt enim ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata*.

Solutio. Ex his inculpant legem, ex quo magis deberent eam laudare. Si enim umbra erat futurorum bonorum, bona erat. Bona enim res bonam umbram jacit. Quod autem dictum eſt ab Apoſtolo, quod non poterat eos facere perfectos, ideſt juſtos: *impoſſibile enim eſt &c.* dico, quod ſanguis illorum non poterat facere, faciebat fides rei figuratæ per illa animalia, ideſt fides Chriſti. Illos autem, qui non habebant fidem Chriſti futuri, non perficiebat, hoc eſt non juſtificabat.

Ad idem inducunt quod habetur Ezech.20. v. 25. *Dedi eis præcepta non bona, & judicia in quibus non vivent*, ex quo volunt habere, quod lex mala ſit, quia dicit: *Dedi eis præcepta non bona &c.*

Solutio. Iſto autem teſtimonio uti poſſumus contra illos, qui duos aſſerunt Creatores, quia credunt Deum Patrem juſtorum univerſaliter fuiſſe locutum in Prophetis. Ex quo teſtimonio videtur, quod Deus, qui in Prophetis loquebatur, non fuerit bonus, vel ſi bonus fuit, dicas: quomodo præcepta non bona dedit?

Item, quænam ſunt illa præcepta non bona? Si lex Moyſi, (8) ad quam reprobandam dictum teſtimonium induxiſti; ergo lex Moyſi a bono Deo data eſt, quod verum eſt. Si autem illa præcepta non bona, non intelliguntur fuiſſe lex Moyſi, male ergo induxiſti illud teſtimonium contra legem ejus.

Præterea, ſi tu inculpas Deum Veteris Teſtamenti, dicendo, quod dederat præcepta aliqua non bona, accuſa ergo Deum Prophetarum, qui dicit ſe non bona præcepta dediſſe.

Præterea, quod ille ſit Deus Veteris Teſtamenti, qui in Ezechiele loquitur, evidenter patet in illo capite; ergo ſi Deus Prophetarum bonus, & Deus Veteris Teſtamenti bonus eſt: quod neceſſe eſt, quia idem eſt Deus.

Contra Catharos alia via incedendum eſt, & dicendum eſt eis, quod præcepta legis Moyſi bona fuerunt. Dicit tamen Deus per Ezechielem quod non erant bona; quod ſic debet intelligi, illis ſcilicet, qui non faciunt ea. Et quod ſic debeat intelligi, patet per illud, quod habetur eodem capite. Ezechielis v. 11. Legitur enim ante Teſtimonium illud tale verbum dictum a Deo loquente per Ezechielem: *Dedi eis præcepta mea, & judicia mea oſtendi eis: quæ faciens homo vivet in eis*. Nota quod dicit: *quæ faciens homo, vivet in eis*; unde quæ poſtea dixit: *& judicia mea in quibus non vivent*. Verum eſt, ſi non fecerint ea. Lege Apoſtolum, & ſic eſſe videbis. Dicit enim Rom. 10. v. 4. *Juſtitiam quæ ex lege eſt, homo qui fecerit eam, vivet in ea*. Legitur etiam Heb. 10. v. 28. *Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine ulla miſeratione duobus, vel tribus Teſtibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem ejus pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit*. Iſtis non ſunt præcepta bona, imo dura & amara. Lege Rom. 7. v. 10. & videbis, quod hic dicit Apoſtolus uno verbo: *Inventum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem*. Quod enim erat ad vitam ſcienti, hoc eſt obedienti; ad mortem fuit tranſgredienti. Ibidem etiam dicit v. 12. *mandatum ſanctum & juſtum, & bonum*; & tamen occaſionaliter eſt nocivum, ut eſt dictum ſupra in hac parte hujus capitis.

Ad idem inducunt illud Iſaiæ 1. v. 11.: *Holocauſta arietum, & adipem pinguium & ſanguinem vitu-*

(8) Sanctus Irenæus *lib.* IV. *cap.* XV. poſteaquam hæc Ezechielis verba protulit, concludit: *Manifeſte ſignificat, quoniam non ab altero Deo talis illis data lex eſt, ſed ab eodem ipſo apta illorum ſervituti. Quapropter & in Exodo ad Moſen dicit*: Emittam ante te Angelum meum, non enim aſcendam tecum, quoniam populus duræ cervicis &c.

vitulorum & agnorum , & hircorum nolui .

Solutio ad hoc & ad omnia similia , si qua inveniuntur hæc est, quia loquitur pro tempore adventus Christi jam facti , unde parum ante de Christo locutus est dicens v. 9. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen , quasi Sodoma fuissemus , & quasi Gomorrha similes essemus .* Quod verbum Apostolus Rom.9. de Christo intelligit . Prius ipsum appellaverat *Verbum* ; deinde appellat ipsum semen, Christus enim Verbum Patris est Jo.1. v.1. *In principio erat Verbum , & Deus erat Verbum .* Ipse est & semen , de quo dictum est Abrahæ : Genes. 22. *Benedicentur in te omnes gentes terræ .*

Similiter respondeo ad illud Psalm.39. quod Apostolus ponit Hebr. 10. v. 5. *Hostiam & oblationem noluisti &c.* Verba autem sunt Christi ad Patrem, ubi patet quod Apostolus exponit ea dicta a Christo , pro tempore ingressus sui in Mundum ; unde ait ante illa verba : *ideo ingrediens mundum dicit : Hostiam & oblationem noluisti &c.*

Similiter dicit ad illud Psalm. 49. v. 7. & 8. *Audi populus meus & loquar Israel , & testificabor tibi: Deus , Deus tuus ego sum . Non in sacrificiis tuis arguam te: holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper* : Et propter hoc etiam dicit Dominus per Hieremiam 7. v.1. *Holocautomata vestra addite victimis & comedite carnes .* Quasi dicat ; tenete ea vobis ; & loquitur pro tempore gratiæ , sive adventus Christi . Holocautomata dicebantur illa , quæ tota incendebantur : Victimæ vero , de quibus Sacerdotes partem aliquam consequebantur. Quod autem sequitur in Jeremia v. 22. *Quia non sum locutus cum Patribus vestris, & non peperci eis in die, in qua eduxi eos de Terra Ægypti, de verbo holocautomatum & victimarum .* Hoc planum est , quia loquitur de præceptis , quæ data sunt post exitum de Ægypto ; & ideo dicit in die illa *non sum locutus &c.* In die illa non est locutus de illis victimis , vel holocaustis; sed tamen post peccatum idololatriæ, de quo habetur Exodi 32. & 33. Postea enim præcepit sibi construi Tabernaculum , in quo fuerunt illa sacrificia , ut patet Exodi 34. usque in finem . Constructo tabernaculo , dedit mandata de holocaustis & sacrificiis in Levitico , & in libro Numer. . Sed ante dationem illorum, dedit eis in Sina decem mandata , in duabus tabulis , ut habetur Exod.20. & judicia quædam , ut habetur Exodi 21. & 22. Primum autem præceptorum datorum post exitum de Ægypto fuit , quod præceptum est post exitum de Ægypto in mari rubro Exodi 15. v.26. *Si audieris vocem Domini Dei tui , & quod rectum est coram eo feceris, & obedieris mandatis ejus , custodierisque omnia præcepta illius , cunctum languorem , quem posui in Ægypto , non inducam super te : ego enim sum Dominus sanator tuus .* Hoc est quod dixit Jerem. 7. v. 23. post verba prædicta : *Sed hoc verbum præcepi eis dicens : Audite vocem meam , & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus: & ambulate in omni via, quam mandavi vobis , ut bene sit vobis .*

Item objiciunt illud , quod habetur Jo: 19. v. 7. ubi dicunt Judæi Pilato : *Nos legem habemus , & secundum legem debet mori , quia Filium Dei se fecit .* Si secundum illam legem debet mori ; illa ergo lex mala erat .

Solutio est , quia ipsi falsum dixerunt ; nusquam enim in tota lege est istud , quod Christus occideretur , si se filium Dei diceret . Et hæc responsio sufficit ad Hæreticum . Propter illos autem , qui fideles sunt, & rationem illius verbi capiunt, dicamus quod lex præcipiebat blasphemum occidi , ut habetur Levit. 24. Ipsi autem eum blasphemum credebant & judicabant eum propter hoc reum mortis ; ut habetur Matthæi 26. In hoc autem putabant Christum blasphemum esse , quia Filium Dei se dicebat . Si enim filius Dei esset naturaliter , ergo & Deus esset; ergo cum unicus Deus sit ; ipse esset unicus Deus cum Deo Patre , quod quidem verum est , & non est blasphemia . Purus autem homo , si hoc diceret , blasphemaret , & de tali loquitur lex , quæ judicat blasphemum reum mortis ; & non loquitur de Christo , qui non est purus homo , sed Deus & homo . (9)

§. II.

Probatio Ecclesiæ evidentibus Testimoniis, quod Lex bona est a Deo bono data .

POst primam partem hujus capitis accedamus ad secundam, ostendentes evidentibus testimoniis legem bonam a bono Deo datam ; & licet ad hoc sufficerent rationes inductæ ad laudem datoris ejus ; tamen alias pro lege specialiter inducamus . Primo autem inducimus illud testimonium Apostol. Rom.3. v. 21. *Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est ; testificata a lege & Prophetis . Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes & super omnes , qui credunt in eum .* Pro lege , idest legalibus observantiis , scilicet circumcisione , holocaustis & sacrificiis, & hujusmodi, justitia Dei manifestata est, testificata a lege & Prophetis . Si lex est falsus testis & Prophetia , quomodo testificari potest Dei justitia ab eis ? Si autem sunt veri testes , aut universaliter , aut tantum in parte . Si universaliter ? igitur tota lex bona est & a Deo bono . Si tantum in parte ? Modo quæro : aut in modica , aut in majori parte ? In modica , dices , idest ubi loquitur de Christo ? Sed quisnam propter illum testem , quem sciret, vel crederet fere in omnibus mentitum, moveretur ad credendum aliquid propter aliquod ejus verbum ? Quomodo crederet , aut sciret illud verbum magis quam alia esse verum ? Si autem non credit , neque scit illud esse verum , non potest per illud ei ferri fides de aliquo . Male ergo dicis , cum asseris , quod lex a Deo malo sit data . Si enim hoc esset, non esset testis validus ad probandum Novum Testamantum, imo & Novum Testamentum esset invalidum ; quod constat esse falsum . Restat ergo quod si Novum Testamentum validum est, quod

[*] Deest in Vat.

(9) Paria a Manichæis objecta refellit Archelaus *in Disp. contra Man. n. XL. pag. 70.*

ejus teſtis validus ſit, ſcilicet lex. Iſtud eſt contra utroſque Catharos. (1)

Idem modus argumentandi haberi poteſt de Prophetis ex prædicto verbo Apoſtoli: *Nunc autem ſine lege &c.* Contra illos, qui ponunt unum principium Rom. 2. v. 2. & 3. *Quid ergo amplius eſt Judæo, aut quæ utilitas circumciſionis? Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita ſunt ei eloquia Dei.* Deus ergo illis loquebatur per Moyſen; unde Heb. 1. v. 1. *Multifariam multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: noviſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio.* Hebr. 3. verſ. 5. & 6. *Moyſes quidem fidelis erat in tota domo ejus tamquam famulus, in teſtimonium eorum, quæ dicenda erant: Chriſtus vero tamquam filius in domo ſua.*

Item Rom. 7. v. 7. ubi poſt quædam verba, quæ videbantur legem culpare, ut habitum eſt in præcedenti parte hujus capitis. Subdit Apoſtolus: *Quid ergo dicemus? lex peccatum eſt? Abſit?* (2) Sed, ideſt quia *peccatum non cognovi, niſi per legem, nam concupiſcentiam neſciebam niſi lex diceret: Non concupiſces.* Ex quo patet, quod de lege Moyſi loquebatur; nulla enim alia lex reperta fuerat hoc dixiſſe. Vides ergo quod lex & malum prohibet, & ipſum notificat, ut vitetur; ergo cum non ſit mala, ut dicit Apoſtolus, reſtat quod bona ſit. Item v. 13. *Itaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum & juſtum, & bonum.* Iſtud dicit Apoſtolus ibidem, concludens, ex eo quod habetur parum antea v. 10. *Inventum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem.* Sed tantum occaſionaliter fuit ad mortem, ut in alia parte hujus capitis oſtenſum eſt.

[*] Forte dicet: Lex quidem ſancta. Verum eſt quo (3) ad illud mandatum: *non concupiſces.* Iſtud autem improbatur inferius ſuper illo verbo Matthæi 22. verſ. 36. *quod eſt mandatum magnum in lege?* [*]

Præterea, duo nominat, ſcilicet mandatum & legem dicens: *Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum & juſtum, & bonum*: quaſi dicat: Qualis ſit tota lex, poteſt videri per illud mandatum, unde Rom. 11. v. 16. *Si delibatio ſancta, & maſſa.*

[*] Præterea, ad illud teſtimonium reſpondet Hæreticus ſic: Verum eſt, quod ſancta erat lex, ſed cujuſmodi ſanctitate & juſtitia, erat prius Teſtamentum ſanctum & juſtum? Illa, de qua dicitur Heb. 9. v. 1. *Habuit quidem & prius juſtificationes culturæ, & ſanctum ſeculare.* Sed quid hoc contra me? Nihil, imo pro me, quia legem ſacrificiorum appellat juſtificationes. Illæ autem juſtificationes erant præcepta culturæ carnalis, ſcilicet de animalibus offerendis, & bona erant & ſancta, & juſta. Sanctum autem appellat Tabernaculum, quod ferebatur de loco ad locum per deſertum, unde ſtatim ſubdit v. 2. *Tabernaculum enim factum eſt primum, in quo erant candelabra & menſa, & propoſitio panum, quæ dicitur ſancta*; & dividit illud ſanctum in duas partes Apoſtolus. Unam appellat Sanctam, alteram Sancta Sanctorum, & dicebatur ſeculare, ideſt mobile, ſicut etiam res hujus ſeculi mobilis eſt. Ex hoc autem potes videre tuum errorem, & quod peſſime reſpondiſti, quia Apoſtolus appellat ſanctum Teſtamentum mandatum filiis Iſrael; & iſtud ſanctum voluiſti intelligere illud quod ad Heb. habetur, cum hoc evidenter eſſe non poſſit, imo ſumitur ſanctum pro ipſo Tabernaculo, ut oſtendit Apoſtolus.

Præterea, tu ipſe confeſſus es, quod prius intelligitur Vetus Teſtamentum, quod reſervo ad locum illum, ubi inducemus illud teſtimonium Heb. 8. v. 8. *Ecce dies venient dicit Dominus &c.*

Item, ut prædictum eſt, Apoſtolus dicit illud mandatum Veteris Teſtamenti fuiſſe ad vitam. De qua vita intelligis Tu? Ipſe dicit, quod de vita temporali; propter quod dicit idem Apoſtolus Rom. 10. v. 5. *juſtitiam quæ ex lege eſt, qui fecerit homo, vivet in ea.* Nos autem dicimus quod & ad vitam æternam veniente Chriſto, *Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non ſine nobis conſummarentur*; ut dicit Apoſtolus Heb. 11. v. 40. de viris fidelibus in Veteri Teſtamento. Quod autem ad vitam æternam fuerit mandatum Veteris Teſtamenti, patet Matthæi 19. v. 16. ubi cuidam quærenti: *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* Reſpondit Chriſtus: *Si vis ad vitam* æternam *ingredi, ſerva mandata.* Et ſtatim poſuit illa verba legis Moyſi, per quæ ille noverat mandata illa, unde & dixit ei Marci 10. v. 19. *Præcepta noſti.* [*] Adhuc poteſt induci illud Actorum 7. ubi dicit S. Stephanus de Moyſe, *qui accepit verba vitæ dare nobis*, & arguens eos ſubdit: *& noluerunt obedire Patres noſtri*: ſi de obedientia verborum lege eos arguebat ergo tenebantur ei obedire, ergo non erat a diabolo miniſtrata. [*]

Item Rom. 9. v. 31. *Iſrael vero ſectando legem juſtitiæ in legem juſtitiæ non pervenit.* Ego autem dico:

(1) Præclare quidem Irenæus *lib.* IV. *cap.* XXXIV. *pag.* 274. *ſeq.*
„ Dicemus, *inquit*, adverſus omnes hæreticos, & primo quidem
„ adverſus eos, qui ſunt a Marcione, & adverſus, eos qui ſunt
„ ſimiles illis, ab altero Deo dicentes eſſe prophetas. Legite dili-
„ gentius id quod ab Apoſtolis eſt Evangelium nobis datum, &
„ legite diligentius Prophetas. ... Omnia enim ipſe [Chriſtus]
„ adimplevit veniens, & adhuc implet in Eccleſia, uſque ad con-
„ ſummationem, a lege prædictum Novum Teſtamentum. Quem-
„ admodum & Paulus Apoſtolus ejus ait in ea, quæ eſt ad Roma-
„ nos: *Nunc autem ſine lege juſtitia Dei manifeſtata eſt, teſtifi-*
„ *cata a lege & Prophetis. Juſtus enim ex fide vivet.* Hoc au-
„ tem, quoniam juſtus ex fide vivet per prophetas prædictum
„ fuerat. Unde autem poterant prædicere Prophetæ regis ad-
„ ventum, & eam libertatem, quæ ab eo dabatur prævangeli-
„ zare .... ſi ab altero Deo propheticam inſpirationem accepe-
„ runt &c.

(2) Feſtive, ſolideque, ut identidem ſolet, Tertullianus *lib.* V. *contra Marcionem cap.* XIII. *pag.* 478. Quid ergo dicemus? quia lex peccatum? Abſit. *Erubeſce Marcion*: Abſit. *Abominatur Apoſtolus criminationem legis*; ſed ego delictum non ſcio, niſi per legem. *O ſummum ex hoc præconium legis, per quam liquuit peccatum latere! Non ergo lex ſeduxit, ſed peccatum per præcepti occaſionem. Quid Deo imputas legis, quod legi ejus Apoſtolus imputare non audet? Atquin & accumulat*: lex ſancta, & præceptum ejus juſtum & bonum. *Si taliter veneratur legem Creatoris, quomodo ipſum deſtruat, neſcio.* Paria adhibet Clemens Alexandrinus *lib.* III. *Strom. num.* XII. *pag.* 549. *Edit. Oxon.* quo loco Tatianum refellit. Adeundus quoque Titus Boſtrenſis *lib.* III. *pag.* 147.

[*] Quæ duobus aſteriſcis complexi ſumus, non extant in Cod. Vat.

(3) Refellit hanc oppoſitionem a Manichæis fortaſſe olim adhiberi ſolitam, Titus Boſtrenſis *lib.* III. *contra Manichæos pag.* 549. Videtor S. Thomas in *cap.* VII. *Ep. ad Rom. Lect.* II. *pag.* 64. *Tom.* VIII. *Edit. Lugdun. an.* 1689.

[*] Quæ duobus aſteriſcis comprehendimus, deſunt e Bonon. & Neapolitano Codd. extant autem in Vaticano *pag.* 146.

to: legem justitiæ appellat legem Moysi, quoad figuras, quia justificabat illos, qui accipiebant tamquam figuras Christi, unde Apostolus post prædicta verba dixit, quod lex illa non justificabat illos Israelitas, qui non ex fide quærebant eam, sed ex operibus, tamquam ex justificantibus per se. Tales autem dicit sectari legem justitiæ, quia post eam ibant, tamquam post pedagogum; sed dicit eos non pervenisse in legem justitiæ, idest non perfecte venisse in eam, idest in ejus medullam, scilicet intelligentiam spiritualem; in quorum persona dicit Rom. 7. v. 14. *Lex spiritualis est: ego autem carnalis sum*. (4) Ex quo apparet, quod illa sancta fuit & justa & bona.

Ad hoc autem dicit Hæreticus, quod in prædicta auctoritate loquitur Apostolus de duabus legibus, scilicet nova, & veteri, mala, & bona, & sectando malam non venit in bonam.

Ad hoc autem improbandum (5) valet, quod dicit Apostolus Galat. 3. v. 24. *Lex pædagogus noster fuit in Christo*; ergo sectando illam venit in istam, dummodo sectaretur bene eam ex fide futurorum. Quod autem aliqui sectati sunt legem justitiæ, non quod ex fide, patet in præcedenti testimonio.

Item Rom. 3. v. 3. *Quid enim si quidam illorum non crediderunt?*

Item Heb. 4. v. 2. *Sed non profuit illis sermo auditus, non admixtus fidei ex iis, quæ audierunt*. Quod autem aliqui ex fide illam sectati sunt, patet Heb. 11. ubi de Moyse loquitur, & de aliis Patribus Judæorum post ipsum.

Item Rom. 10. v. 4. dicitur: *Finis legis Christus ad justitiam omni credenti*. Quod qualiter intelligi debeat habetur Galat. 3. v. 24. *lex pædagogus noster &c.* Ex quo patet duplex finis legis; unus est Christus, ut dicit Apostolus, alius est justitia, ut ipse etiam testatur, sed cujus finis bonus est; ergo lex bona.

Item Rom. 13. v. 8. dicitur: *qui enim diligit proximum, legem implevit*. Nam postea dicitur: *Nam: non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces* rem proximi tui, *& si quod est aliud mandatum in hoc instauratur: diliges proximum tuum sicut te ipsum: dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio*. Constat quod de lege Moysi loquitur, ubi illa præcepta erant, unde Rom. 7. v. 7. de uno illorum loquens ait: *Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: non concupisces*. Istam legem appellat Jacobus c. 2. v. 8. regalem, dicens: *Si tamen legem perficitis regalem secundum scripturas*, scilicet ipsius legis, habetur v. 8. & 9. ejusdem cap. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum: bene facitis: si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege quasi transgressores*. Levit. 19. v. 15. *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis*. Deuteronom. 1. v. 16. *quod justum est judicate: sive civis ille sit, sive peregrinus*. Ecce quod Apostolus Paulus dicit, quod dilectio est plenitudo legis. Lex ergo bona est, quia ejus plenitudo bona, & ejus perfectio, ut dicit Jacobus. Quod autem Apostoli loquantur de veteri lege, patet, quia in illa scripta erant illa mandata; & si in Novo Testamento reperiuntur, hoc fit per recordationem ejus, quod in Veteri scriptum est, ut patet Marci 10. v. 19. *Præcepta nosti*.

Item Matthæi 22. v. 35. & 36. *interrogavit eum unus ex eis legis Doctor, tentans eum: Magister quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Jesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua*. Maxime autem de Veteri lege loquitur, propter illud, quod dicit Jacob. c. 2. v. 8. *Redarguti a lege quasi transgressores*. Ergo lex Vetus est lex regalis, idest a Rege Deo Sancto data. Si enim a malo Rege, non dixisset: Si tamen legem perficitis regalem a malo Rege datam, benefacitis.

Præterea B. Jacobus dicit, peccatum esse transgredi legem illam, unde subjungens ait v. 10. *Quicumque enim totam legem servaverit, offendit autem in uno, factus est omnium reus*. v. 11. & 12. *Qui enim dixit: non mœchaberis, dixit &: non occides. Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis*. Hic differit Jacobus de lege Moysi dicens: *Qui enim dixit &c.* & eam transgredi peccatum est. Ergo bona.

Forte dicet, quod lex in parte bona fuit. (6)

Contra; cum ibi dicat Dominus v. 38. Matth. c. 22. *In his duobus mandatis universa lex pendet, & prophetæ*.

[*] Item 1. Cor. 9. v. 8. *Numquid secundum hominem hæc dico? An & lex non dicit?* hoc scilicet v. 9. *Non alligabis os bovi trituranti?* Ex quo patet quod lex bona, etiam ubi figura est. Hoc autem discussum est supra in cap. de Deo Veteris Testamenti, ideo pertransimus illud. [*]

Item 1. Cor. 14. v. 34. *Mulieres in Ecclesiis taceant: non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit*. Ecce legem approbat.

Item

(4) Scite cum primis Titus Bostrensis *lib.* III. *pag.* 147. *Et scimus*, inquit, *quod lex spiritualis est. Quod enim Sanctum est, & spirituale, & bonum, ab omni turpitudine liberatum est, & nulla culpa in eo hæret*. Consulendi Clemens Alexandrinus *lib.* IV. *Strom. num.* III. *pag.* 568. Origenes *lib.* VII. *Contra Celsum num.* XX. *pag.* 709. Et S. Thomas *l. c.*

(5) Simile quidpiam huic responso reperire licet apud Clementem Alexandrinum *lib.* IV. *stromat. num.* III. *pag.* 567.

(6) Adposite Titus Bostrensis *lib.* III. *pag.* 147. „ Ne quis autem, „ *inquit*, arte fallacissima studiose, & accurate usus dicat: simu„ lavit lex, & quædam pulcra furata, tamquam sua protulit, cum „ vellet sua flagitia honestare, & partes honestatis inseruit studio „ obtegendi turpitudinem aliarum partium: Age excutiamus pri„ mo, utrum aliquid absurdum, & flagitiosum apud legem ap„ pareat, atque ita flagitium istorum redarguatur. Secundo si „ *quasdam* partes vitii ulciscendo dissipavit, reddens eos, qui „ credebant liberos ab omni parte vitii, non jam lex simulata ap„ parebit, quin potius inimica, & hostis vitii, & nequitiæ. Ter„ tio, si quædam honesta circumseminavit, & non omnem speciem „ virtutis cum litera legis conjunxit, ut quædam videatur scripsis„ se, plura vero reliquisse, habeat vim aliquam refutatio legis. „ Sin vero universa, quæ honesta, & decora sunt, omnino in li„ teris legis posita sunt, admiremur legem, & Dei legem confitea„ mur, dicamusque sermonem Dei esse; in hoc vero accusationem „ a lege transferamus, quorum sententia adulterina, & depra„ vata est. Quod igitur nullam partem vitii lex habeat insemina„ tam, neque partem abstulerit aliam, & alii pepercerit; sed po„ tius pura sit lex, & Sancta, & Dei lex; Paulus clamat. *Lex qui„ dem sancta &c.* Videsis quæ sequuntur.

[*] Desunt in Vaticano, quæ asteriscis duobus comprehensa vides.

Item Galat. 3. dicitur v. 19. *Lex propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promiserat: ordinata per Angelos in manu Mediatoris*. Hic dicit Apostolus ad quid data sit lex, (7) quoniam propter transgressiones, & usquequo duratura erat, quia donec veniret semen, idest Christus, cui promiserat Deus, & dicit, quod ordinata fuit per Angelos, & in manu Mediatoris. Ego autem sic intelligo propter transgressiones legis Dei vitandas. Et si hoc est, ergo bona fuit. Cujus enim finis bonus est, ipsum quoque bonum est. Etiam diabolus non posuisset eam propter hanc caussam, sive ad hoc; ergo a Deo Sancto posita fuit.

Forte dicet: imo propter transgressiones legis Dei factas. Sed hoc stare non potest; primo propter illud, quod dicit Apostolus: *donec veniret semen*, idest Christus; si nondum venerat semen, nondum data erat lex ejus: ubi autem non est lex, nec prævaricatio, sive transgressio.

Præterea ibi dicit Apostolus v. 24. c. 3. ad Galat. *Lex pædagogus noster fuit in Christo*. De se, & aliis Judæis loquitur. Et dicit, quod pædagogus eorum fuerit ad Christum, ut ex fide justificarentur. Lex igitur bona fuit, (8) & a bono Deo data; Diabolus enim nunquam dedisset legem ductivam ad Christum, ut ex fide justificaremur.

Item ex hoc patet, quod falsa fuit illa expositio præmissa, lex propter transgressiones faciendas posita est. Si enim transgredi Legem Christi fecisset, ad Christum pædagogus noster non fuisset; imo potius a Christo separasset.

Præterea, nec ad hoc fuisset posita, ut ex fide justificaremur, imo ut in justitia contra fidem remaneremus.

Præterea, numquid in manu Mediatoris, idest Christi esset, si diabolica esset? non, imo in manu diaboli.

Ad hoc dixit hæreticus, quod per Angelos malos ordinata fuit lex in manu Moysi, qui mediator erat inter populum illum, & diabolum. (9)

Sed contra. Nullo testimonio Christi, vel discipulorum ejus potest ostendere, quod mediator sumatur in mala parte. Ego autem possum ostendere quod in bona 1. Timoth. 2. v. 5. & 6. *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Jesus Christus*, cui concordat Apostolus ad Galatas 3. v. 20. post verba prædicta dicens: *Mediator autem unius non est? Deus autem unus est*.

Præterea, quod Tu dixisti, quod per malos Angelos ordinata sit, hoc numquam potes ostendere. Ego autem possum ostendere quod per bonos. Dicit enim Apostolus Heb. 2. v. 2. *Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prævaricatio & inobedientia accepit justam mercedis retributionem*. Non enim esset justa retributio, si mala esset, & per malos Angelos data, quia non tenerentur ad eam.

Item Galat. 3. v. 8. *Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat gentes Deus, pronunciavit Abrahæ, quia in Te benedicentur omnes gentes*. Vide quia dixit, quod Scriptura hæc prævidit, & ideo pronunciavit illud ipsum Abrahæ. Bona igitur Scriptura, & a bono Deo data, & facta.

Item Galat. 4. v. 4. *At ubi* idest postquam, *venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere factum sub lege*. Ubi dicit Augustinus (10) factum ex muliere quam fecerat, factum sub lege quam dederat. Et Tu quid dicis inde? De qua lege loquitur ibi, nisi de Veteri lege? Incredibile enim est, quod sub lege fieret, si a Diabolo, & mala. Si autem dicas, quod de lege Nova loquitur, hoc stare non potest, quia illa adhuc non erat data, cum factus est, sed ipse postea dedit eam.

Item ibidem dicit Apostolus: *Abraham duos Filios habuit; Unum de Ancilla, & unum de libera*. Galat. 2. v. 22. Postea dicit ista esse dicta per allegoriam, idest per alium intellectum: *Hæc enim* idest ancilla, & libera *sunt duo Testamenta*, idest signant illa. Isaac autem, qui de libera natus est, signat illos, qui ex Novo Testamento nati sunt; unde ait, Apostolus v. 28. *Nos autem Fratres secundum Isaac promissionis filii sumus*, idest fidei adhibitæ promissionis Dei. Ismael vero qui de ancilla natus est, signat illos, qui ex Veteri Testamento orti sunt in servitutem, idest in timorem, quia exteriorem faciebant legem, quod innuit Apostolus Heb. 12. v. 20. *Non enim accessistis ad tractabilem montem, & accensibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & Tubæ sonum, & vocem verborum, quam qui audierunt excusaverunt se, ne eis fieret verbum*. Illa enim omnia in donatione legis sunt facta, quæ ibi dicit Apostolus, ut corda Judæorum concuterentur timore, ne auderent legem transgredi.

Similiter, quod Abraham duas uxores habuit, ancillam, & liberam, & ex utraque filios, significat quod Deus duo Testamenta habuit, & ex utroque filios; sed ex uno filios timoris servilis, & ex alio filios amoris filialis.

Quia

(7) Nempe ut homines a peccato deterreret. Atque ita quidem explicat Clemens Alexandrinus *lib.* IV. *Strom.* III. *pag.* 567. *Si timoris caussam*, inquit, *peccatum abstuleris, abstulisti etiam timorem: multo autem magis supplicium, cum id abfuerit, a quo oriri solet concupiscentia*. Justo enim, *Scriptura* inquit, lex non est posita. *Pulcre ergo Heraclitus*: Justitiæ, *inquit*, nomen non novissent, si hæc non essent. *Socrates autem dicit*: legem non fuisse factam propter bonos .... *Præcepta quæ metum injiciunt, dilectionem pariunt, non odium. Vitium ergo non est lex, eo quod timorem procreet*. Vide Irenæum *lib.* III. *cap.* VII. *Contra Hæreses num.* 2. *pag.* 182. & Notas Masuetii ad eumdem locum.

(8) Adito S. Thomam *ad cap.* III. *Ep. ad Galatas*.

(9) Sunt hæc a Simonis Magi, Saturnini, Basilidis, & aliorum quorumdam Gnosticorum disciplina profecta. Nam de Simone quidem hæc habet in I. *Contra Hæreses cap.* XXIII. *al.* XX. *Irenæus*. *pag.* 99. *Prophetas* (ait) *a mundi fabricatoribus Angelis inspiratos dixisse prophetias*. De Saturnino autem. *Cap.* XXIV. *al.* XXII. *nu.* .. *pag.* 101. *Prophetias quasdam quidam ab iis Angelis, qui mundum fabricaverunt dictas; quasdam autem a Satana, quem & ipsum Angelum adversarium mundi fabricatoribus ostendit: minime autem Judæorum Deo*. Postremo autem de Basilide *ibid. num.* 5. *pag.* 102. *Prophetias autem & ipsas a mundi fabricatoribus fuisse ait principibus; proprie autem a principe ipsorum qui eduxerit populum de Terra Ægypti*. Nemo profecto non videt, quod etsi aliqua inter hos hæreticos fuerit diversitas, viam tamen Catharis præparaverint, ut hoc genus opinionis defenderent.

(10) Etsi Augustini Interpretationes huic Apostoli ῥητῷ adhibitæ huc recidant, nusquam tamen in ejus operibus hæc verba, imo ne in Apocryphis quidem reperi. Vide Expositionem *in Ep. ad Galatas Tom.* III. *P.* II. *Opp. col.* 959. *seq.* Et Epist. CXL. *al.* CXX. *ad Honoratum num.* 6. *col.* 423. *Tom.* II. &c. * Quod autem adjungit Moneta aliquanto inferius, filios timoris servilis ex Vetere Testamento accepisse Deum, sensu Augustiniano, & Thomistico intelligendum est. Vide S. Th. 1. 2. *qu.* 98. *art.* 1. *seq.* & *q.* 99. *art.* 6. & *qu.* 96. *Articulo* 2. *in corpore*.

Quia Hæreticus huic ultimæ allegoriæ contradicit, hoc infra probabitur, ubi disputabitur illud Testimonium Hebr: 8. *Ecce dies venient*, *&c.* Hoc tantum hic dicimus, quod frustra, & otiose dixissent quod duos filios habuerat ex libera, & ancilla, nisi per similitudinem voluisset dare intelligi, quod Deus ex utroque Testamento aliquos genuit.

Item 1. Timoth. 1. v. 8. dicit Apostolus: *Scimus autem* (11) *quia bona est lex*, *si quis ea legitime utatur*. Hic autem Apostolus loquitur de lege Veteri data per Moysen; unde subdit v.9. *Sciens hoc, quia lex justo non est posita*, *sed injustis*, scilicet parricidis &c.

Quomodo autem illis posita sit patet, si quis eam legat, quia eis feriendis per legem ipsa est posita. Hoc autem modo non est posita justis, cum Exodi 23. v.7. dicatur: *insontem*, *&* *justum non occides*. Ecce quod eam dicit bonam, ubi magis est dura, & ponit caussam: sciens quod lex ista sic dura non est posita justo: quasi dicat: non est posita ad feriendum eum, sed ad eum custodiendum a malo. Quod autem loquatur de lege Veteris Testamenti patet, quia nullo Testimonio potest ostendi quod alia lex sit posita parricidis, &c. quæ non sit posita justis.

Item 2. Timoth. 3. v. 14. dicit Paulus ipsi Timotheo: *Tu vero permane* (12) *in iis*, *quæ didicisti*, *& credita sunt tibi*: *sciens a quo didiceris*. 15. *Et quia ab infantia sacras literas nosti*, *quæ te possunt instruere ad salutem*, *per fidem*, *quæ est in Christo Jesu*. Apostolus hic ostendit Timotheum quædam didicisse per ipsum: unde dicit: *Tu vero permane in iis*, *quæ didicisti*, *& credita sunt tibi*, idest, commissa a me. Unde subdit dicens: *sciens a quo didiceris*. Postea ostendit quod ab infantia sciebat quædam, quæ mora didicerat ab ipso: unde ait: *& quia ab infantia &c.* Modo dicas mihi: quæ erant sacræ illæ literæ ab infantia ei notæ, quæ erant instructoriæ ad salutem, quæ est in Christo Jesu, nisi lex Moysis. Quæ ut dicit Paulus ad Galat. 3. v.24. *pædagogus noster fuit in Christo*, *ut ex fide justificemur*: ergo lex Moysis sacra, & utilis ad salutem: ergo non a Diabolo data. Quod confirmat Paulus statim post illa verba dicens Timoth. v. 16. *Omnis Scriptura divinitus inspirata*, *utilis est ad docendum*, *ad arguendum*, *ad corripiendum*, *ad erudiendum*, *in justitia*: 17. *ut perfectus sit homo Dei*, *ad omne opus bonum instructus*.

Similiter Hebr.8. v. 4. & 5. quod Sacerdotes offerebant munera secundum legem: quod deserviebant exemplari, & umbræ cælestium. Si illa munera, scilicet sacrificia erant exemplaria cælestium: ergo bona erant; quale enim est exemplatum, tale est exemplar.

Præterea Apostolus dicit illos deserviisse exemplari, & umbræ cælestium: *sicut responsum est Moysi*, *cum consummaret tabernaculum*: *vide* (inquit) *omnia facito secundum exemplar*, *quod tibi ostensum est in monte*, ut habetur Exodi 25. v. 40. Quis autem hoc dixerit Moysi ostendit B. Stephanus Act.7.v.44. dicens: *Tabernaculum testimonii fuit cum Patribus nostris in deserto*, *sicut disposuit illis Deus*, *loquens ad Moysen*, *ut faceret illud secundum formam*, *quam viderat*. Numquam Sanctus Stephanus illum dixisset Deum, qui locutus est Moysi de dispositione Tabernaculi, si fuisset Satanas. Ergo Deus Sanctus, & verus cum Moyse loquebatur; licet per Angelum, ut dixerat Stephanus eodem cap. v.30.

Si autem vis dicere, Stephanum sic locutum esse propter Judæos, & factum esse Judæis Judæum, ut Judæos lucraretur, sicut & Paulus dicit de se 1.Cor.9. v.20. hoc stare non potest; quia sic non lucraretur eos Stephanus, immo amitteret; sic enim illos in errore confirmaret, scilicet quod ille esset Deus, qui cum Moyse loquebatur, cum non sit Deus, secundum quod dicis, licet falso.

Præterea, Stephanus post illa verba arguens eos dicit aperte v.51. *dura cervice &c.* Quomodo autem restitissent, subdit Stephanus dicens v. 53. *Qui accepistis legem in dispositione Angelorum*, *& non custodistis*. Et supra dixerat de Moyse v.38. *qui accepit verba vitæ dare nobis*: 39. *cui noluerunt obedire Patres nostri*. Ecce in quo restiterunt Spiritui Sancto.

Præterea, quod Spiritus Sanctus eos duceret, habetur Heb. 3. v.7. *Sicut dixit Spiritus Sanctus*, *&c.* quod testimonium examinatum est in cap. de Deo Veteris Testamenti. De ipso Spiritu habetur etiam Isa.63. v.11. *ubi est qui eduxit eos de mari*, *&c.* usque *Spiritus Domini ductor ejus fuit*: quod testimonium maxime valet contra ponentes duo principia, qui alium Moysen ostendere non possunt.

Item Heb. 8. v.8. *Ecce dies venient*, *dicit Dominus*; *& consummabo* (13) *super domum Israel*, *& super domum Juda*, *testamentum novum*. 9. *Non secundum testamentum*, *quod feci patribus eorum in die*, *qua apprehendi manum eorum*, *ut educerem illos de terra Ægypti*: Istud testimonium sumitur Deuter. 31. v. 31. ubi evidentissime patet quod ille idem fuit dator utriusque, sicut diximus supra illud verbum ad Galat.4. v. 22. *Abraham duos filios habuit &c.*

Ad hoc autem nequissime responderunt quidam Hæretici. Dixerunt enim quod Deus fecit Vetus Testamentum quoad illa, quæ in eo scripta erant de ipso: quibus dicendum est. Nonne vides quid dixit Deus per Jeremiam? Quomodo arguit eos dicens c. 31. quod ipse fecit Testamentum illud Patribus eorum? Dicit etiam Hebr. 8. v.9. *Quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo*, *& ego neglexit eos*. Numquid Vetus Testamentum a duobus Dominis contrariis est factum? Istud numquam potes ostendere; solus enim ille fecit Vetus Testamentum, qui

(11) Utuntur hoc argumento Augustinus contra Faustum Manichæum *lib.* XV. *cap.* VIII. *col.* 280. *Tom.* VI. *Opp.* & Bonacursus *contra Catharos pag.* 77. *Tom.* XIII. *Spicilegii Dacheriani*. *Edit. an.* 1677.

(12) Observat hoc etiam Sanctus Thomas *in* II. *ad Timotheum cap.* III. *Lect.* II.

(13) Eodem recidit argumentum, quod adferunt Euthymius *Parte* II. *Panopliæ Tit.* XX. *pag.* 211. *Contra Paulicianos*. Bonacursus loco mox indicato.

qui cum Moyse loquebatur in Monte Sinai, ubi ipse legem accepit.

Præterea dicit: *non permanserunt in testamento meo*. Numquam diceret istud Testamentum suum propter duo verba, vel tria ad ipsum pertinentia.

Præterea: *quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, ego neglexi eos*. Ergo fuerunt in eo quoad illa, propter quæ dicit istud suum, scilicet propter Testimonia de Christo. Ergo crediderunt in Christum, sicut debebant, illa, quæ de eo scripta erant. Ergo Christus minabat eos per desertum; ille enim minabat eos, in quantum credebant: quod etiam patet per illud verbum: *quando apprehendi manum eorum, &c.* Similiter per illud 1. Cor. 10. v. 9. *Neque tentemus Christum &c.* Non ergo minabat eos Diabolus.

Postea dicit, quod ipse fecit illud, idest, permisit illud fieri: contra. Propter hoc non diceret istud Testamentum suum dicens: *quoniam, &c.* Istud autem de Novo Testamento intelligi non potest, quia illud non erat eis datum, sed promittebatur dandum.

Præterea tu dicis quod fecit, idest, permisit fieri; & ego dico: imo ordinavit illud. Ad Galat. 3. v. 19. *Lex ordinata* scilicet a Deo *per Angelos in manu mediatoris*, idest, potestate Christi: ipse enim Dominus erat legis; unde Matth. 12. v.8. *Dominus est filius hominis etiam sabbati*. Constat autem quod Sabbatum præcipuum festum erat in lege. Malach. 4. v.4. *Mementote legis Moysis &c.*

Alii Hæretici dixerunt, quod istud Testamentum factum est a Deo Sancto, nec de illo loquitur Jeremias, & asserunt quod nusquam legitur quod Judæis, vel Israel, vel eorum patribus lex data fuerit: in quo falsum esse locuti convincuntur per B. Stephanum Act. 7. v. 38. dicens de Moyse: *Hic est, qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum Patribus nostris*. Constat quod Judæis loquitur Stephanus, & Israelitis. Et ibidem v.44. *Tabernaculum testimonii &c.* usque *quam viderat*.

Dicunt etiam, quod nusquam reperitur quod in die, qua apprehendit manum eorum, ut educeret eos de Terra Ægypti, eis Testimonium fecerit, unde verbum Jeremiæ non intelligitur de Testamento dato Moysi, quia illud fuit datum ei quinquagesimo die.

Ad istud autem facilis est responsio. Dicendum est enim quod in illa die datum est, qua Deus apprehendit manum eorum, &c. Vetus enim Testamentum magnus liber est; unde non potuit legi totum illa die, sed lecta fuit una lectio, idest, datum est eis mandatum de agno paschali, ut habetur Exodi 12. v.13. similiter de azymis comedendis septem diebus: de circumcisione eorum, qui comesturi erant agnum, de agno paschali, & de primogenitis Deo offerendis. Post exitum vero de Ægypto postquam transierant mare rubrum iterum dedit eis alia mandata, ut habetur Exodi 15. scilicet in Mara, ubi aquæ amaræ dulcoratæ sunt; & dicitur 25. *ibi constituit ei præcepta, atque judicia*.

Dico etiam, quod nec quinquagesimo die ab egressu de Ægypto datum est totum Vetus Testamentum; imo quadraginta diebus fuit in monte cum Deo, & accepit duas tabulas, in quibus erant decem mandata, & iterum postea aliis quadraginta diebus fractis tabulis primis accepit adhuc duas alias tabulas cum eisdem mandatis: accepit etiam mandata de sacrificiis. Bene ergo dicitur datum in illa die, quia pars ejus data est.

Præterea, nonne vides, quod calix Dominicus dicitur Novum Testamentum, cum non sit nisi ejus pars? Similiter & immolatio agni illo die data dicitur, quia ejus pars est.

Præterea illis, qui duo ponunt principia potest responderi. Ego invenio diem pro anno poni Ezech. 4. v.6. *diem pro anno dedit tibi*. Similiter dico, quod in illo die, idest, in illo anno datum est Vetus Testamentum.

Adhuc instat Hæreticus dicens, quod non loquitur Deus per Jerem. de Testamento Veteri, sed de isto Novo Testamento, quod hic habemus. Et hoc volunt probare per literam Apostoli Hebr. 7. v. 11. quia dicit Apostolus, quod post illud Testamentum non docebit vir proximum suum, & fratrem suum dicens: *Cognosce Dominum: quoniam omnes scient me a minore usque ad majorem eorum*. Datum est etiam istud Testamentum Novum; & tamen unus homo alium docet.

Ad hoc dicendum, quod Dominus per prophetiam illam multa promittit dato illo Testamento. Aliqua pars prophetiæ impletur in præsenti, & aliqua pars implebitur in futuro, ista scilicet: *Et non docebit unusquisque proximum suum, & unusquisque fratrem suum dicens, &c.* Hæc cognitio est fructus Novi Testamenti; hæc est vita æterna, ut habetur Johan. 17. v.3.

Nec mirum debet videri quod dico, quia in eadem epistola Hebr. 2. v.7., ubi ponitur illa prophetia de Christo, dicitur: *minuisti eum paulominus ab Angelis &c.* usque *sub pedibus ejus*. Istud autem nondum impletum est, ut ibi dicit Apostolus v. 8. *nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei*, sed alia dicit Apostolus se videre impleta. Illam autem subjectionem omnium Christo, dicit Apostolus implendam in communi resurrectione, quando *novissima inimica destruetur mors*, ut habetur 1. Cor. 15. v. 26.

Si autem aliquis eorum diceret: malus Deus, cum dicatur Hebr. 8. v.8. *Vituperans enim eos dicit: ecce dies venient &c.* Hoc stare non potest; dicit enim Apost. Hebr. 10. v. 15. quod Spiritus Sanctus illud dixerit. Sic enim ait: *Contestatur autem nos, & Spiritus Sanctus, &c.*

Visis eorum malitiis in Testimonio Apostoli, ostendamus, quod Apostolus loquitur ibi cum Jeremia de Testamento dato per Moysen, & de isto Novo Testamento dato per Christum. Primo autem dicamus quod ostendant alia Testamenta, de quibus loquitur Jeremias, si possunt. Quod cum facere non possint, consentiant quod de illis loquatur. Secundo dicamus quod Apostolus duplex Testamentum nominat, unum prius, & aliud posterius: unde ait Heb. 8. v.7. *Nam si illud prius culpa vacasset: non utique secundi locus inquireretur*. In quibus,

bus, verbis dat intelligere Apoſtolus quod illud prius ceſſet, ſecundum vero maneat. Et hoc vult probare per Jeremiam, qui dicit: *Vituperans enim eos, &c.* Conſtat igitur quod Apoſtolus vult quod adveniente ſecundo ceſſet prius Teſtamentum, quod non vacabat a culpa. Ergo & Jeremias illud idem intellexit. Sed Jeremias non intellexit quod aliud Teſtamentum ceſſaret, niſi quod prius factum erat Patribus a Deo Sancto. Ergo Deus Sanctus fecit illud Teſtamentum, quod non vacabat a culpa. Ergo illud Teſtamentum bonum fuit. Qualiter autem non vacaverit a culpa dictum eſt prius in prima parte hujus capituli.

Præterea, Apoſtolus exponens verba Jerem. dicit v. 13. *Dicendo autem novum veteravit prius.* Quaſi dicat: cum Propheta dicit: Teſtamentum novum dat intelligere, quod illud, quod erat factum Patribus, veteraſcit, ideſt tendit ad non eſſe. Poſtea autem dicit Hebr. 9. v. 1. *Habuit quidem & prius juſtificationes culturæ, & ſanctum ſeculare*: quod ſine dubio intelligitur de Teſtamento Moyſis. Unde ſequitur v. 2. *Tabernaculum enim factum eſt primum, &c.* Hoc autem eſt illud, de quo Stephanus Act. 7. v. 44. ait: *Tabernaculum Teſtimonii fuit, &c.* Ex quo patet quod Teſtamentum factum Patribus fuit prius Teſtamentum, ſcilicet Moſaicum.

Præterea, reſponde Tu, qui duo ponis principia, unum rerum permanentium, & aliud tranſitoriarum: quid factum eſt de illo Teſtamento, quod fecit Patribus dato ſecundo, & quod fecit illud? Dic hoc: Quod iis factum eſt, evacuatum eſt; ſic enim ait Apoſtolus: *dicendo autem novum veteravit prius.* Quod autem antiquatur, & ſeneſcit, prope interitum eſt. Ergo Deus Sanctus factor eſt rerum tranſitoriarum.

Præterea dicit ibidem Apoſ.v. 8. quod *conſummabit Teſtamentum novum non ſecundum Teſtamentum, quod fecit Patribus eorum.* Dic in quo differebant illa Teſtamenta. Ego autem dico, quod unum conſummat, unum dicit conſummabo, ideſt, conſummans dabo. Hæc conſummatio eſt æterna beatitudo. Alterum vero neminem ad perfectum duxit, ideſt ad ſtatum beatitudinis æternæ. Item prius non vacabat a culpa, iſtud autem vacat, ideſt, vacare facit ex toto. Unde eo dato dicit v. 12. quod propitius erit iniquitatibus eorum, & peccatorum ipſorum jam non memorabitur amplius. Secus autem in priori Teſtamento, ubi hoſtiæ, & munera offerebantur, quæ non poterant juxta conſcientiam perfectum facere ſervientem, ut dicit Apoſ. Heb.9. v. 9. Ibi offerebantur hoſtiæ irrationabiles, ſcilicet animalia irrationabilia; hic autem hoſtia rationabilis; unde Heb. 8. v. 4. dicit Apoſtolus quod ſecundum legem offerebant munera, quæ ſerviebant exemplari, & umbræ cæleſtium Domini. Dicit autem quod in Novo Teſtamento Chriſtus ſeipſum obtulit; ut habetur Heb.7. v.27.

C A P. VIII.

Teſtimonia Evangeliorum, & Prophetarum de laudibus Veteris Teſtamenti.

VIſo per Teſtimonia diſcipulorum Chriſti, & Prophetarum, qui Chriſtum præceſſerunt, quod lex bona eſt, & a Deo Sancto data, accedamus ad oſtendendum hoc idem per Teſtimonia Evangeliorum. Legitur enim Matth.4. (1) quod Chriſtus, quando tentabatur a Diabolo, verbis legis Moſaicæ veluti armis protexit ſe, & defendit. Ergo verba illa erant Diabolo contraria. Ergo non erant ab eo data ad ſerviendum ei. Primum verbum ſumitur Deuteronom. 8. v.3. ubi Moyſes de Deo, qui eduxerat Iſraelitas per deſertum quadraginta annis, dicit eis: *Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu, & Patres tui, ut oſtenderet tibi quod non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei.* Ecce qui dedit eis manna, & ad quid dedit, ſcilicet ut oſtenderet &c. quod minime feciſſet, ſi eſſet Satan. Alia duo verba: *Non tentabis Dominum Deum tuum; & Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.*, ſumuntur ex eodem lib. Deuter. 6. v.6. & 13.

Præterea, Matth.5. v. 17. *Nolite putare* (2) *quoniam veni ſolvere legem, aut prophetas: non veni ſolvere, ſed adimplere.* 18. *Amen quippe dico vobis, donec tranſeat Cælum, & Terra, jota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.* Si Diabolus ea dediſſet, Chriſtus illud non dixiſſet, cum dicatur 1.Johan.3. v.8. *in hoc apparuit filius Dei, ut diſſolvat opera Diaboli.*

Ad hoc autem reſpondit Hæreticus quidam, & ſcriptum reliquit, quod iſtud non de lege Moyſis dictum eſt a Chriſto, ſed hoc dixit de prima lege, de illa ſcilicet, quam poſtea dat Matth.7. v.12. *omnia ergo quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc eſt enim lex, & Prophetæ.*

Iſta autem intelligentia Hæretici convincitur eſſe falſa, primo per illud, quod dicitur: *nolite putare &c.* Numquid ipſi putabant quod ipſe veniſſet ſolvere illam legem: *omnia &c*? Certe non. Ergo non intellexit Chriſtus de illa lege. Secundo adhuc non dederat Chriſtus illam legem, ſed daturus erat eam.

Præterea ex eo, quod dicitur: *jota unum &c.* uſque *fiant.* Et poſtea ſtatim argumentatur v. 19. *qui ergo ſolverit unum de mandatis iſtis minimis &c.*

(1) Adeundus Irenæus *lib.*v. *Contra* hæreſes *Cap.* xxi. *pag.*318.

(2) Hoc eodem argumento uſi ſunt contra Gnoſticos Irenæus *lib.* iv. *cap.* xxxiv. *pag.* 275. Epiphanius Hæreſi xxi. *pag.* 59. *Tom.*I.*Opp.* & adverſus Manichæos. Titus Boſtrenſis *l.*iii.*pag.*144. & Euthymius in Panoplia. *Parte* ii.*Tit.*xx.*pag.*210. Marcionitæ qui Matthæi Evangelium negligebant non æque movebantur hoc teſtimonio. Eraſum autem ab illis Tertullianus affirmat, non quo ex Matthæi Evangelio expungendum eſſe cenſuerint, ſed quo ſicubi in Lucæ Evangelio, aut in Scripturis quas admittebant legi favens deprehendebant, aut eradebant, aut pervertebant per ſummam impudentiam. Hinc in ſuum Evangelium hæc intruſere. *Non veni adimplere legem ſed ſolvere*: cujus quidem rei teſtes ſunt Auctor Dialogi contra Marcionem *inter Opp. Origenis Tom.* I. *nov. Edit. pag.* 850. Et Iſidorus Peluſiotes *lib.* I. *Epiſt.* cccLxxi. *ad Panſophium.* Conſuli tamen omnino volo ab Lectore Tertullianum *lib.* iv. *Contra Marcionem cap.* viii. *pag.* 419. *ſeq.* qui hoc argumentum acutiſſime tractat, atque in Marcionitas intorquet.

manifeſtum eſt quod non loquitur de illo mandato: *omnia &c.* ſed de lege Moyſi, ubi continebantur illa mandata de quorum ſolutione minatur, & de quorum obſervantia præmium pollicetur dicens ibidem: *qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum*. Sed ne putent quod ad iſtud habendum ſufficiat facere illa, poſtea cum additione exponit ex parte illa mandata v. 20. *dico enim vobis, quia niſi abundaverit juſtitia veſtra &c.* Et v. 21. ponitur primo iſtud mandatum: *non occides*, & v. 27. ponitur illud: *non mœchaberis*, & quædam alia, quæ poſtea Chriſtus exponit.

Præterea Chriſtus dicit: *Hæc eſt enim lex, & Prophetæ*. Numquid iſtud ad ſonum literæ intelligendum eſt? Si ſic: ergo illud mandatum datum eſt ipſis Prophetis: quod ſtare non poteſt, quia Prophetæ fuerunt homines ſancti, & Spiritu Sancto inſpirante locuti, ut dicitur 2. Petr. 1. v. 21. Non ergo intelligendum eſt illud verbum ad ſonum literæ, ſed ſic: ideſt, huic concordant lex, & Prophetæ. Ex quo etiam apparet bonitas legis Moyſis, & Prophetiæ.

Dixit etiam Hæreticus quod de illa lege (3) Moyſis intelligi non poteſt: ipſe enim illam legem ſolvit. Unde Jo: 5. v. 16. dicitur: *propterea perſequebantur Judæi Jeſum, quia hæc faciebat in Sabbato*.

Ad hoc dicimus: (4) quod in lege Dei fuerunt tria genera mandatorum. Fuerunt mandata moralia, & illa implevit Jeſus in ſe, & Eccleſiæ ſuæ implenda reliquit; & de illis inquit: *qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum*. Fuerunt judicialia mandata, quæ implevit, quia implenda eſſe docuit; unde de utriſque dicit Jeſus Matth. 15. v. 3. arguens Phariſæos: *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit*: 4. *Honora Patrem, & Matrem: & qui maledixerit Patri, vel Matri, morte moriatur*. Per iſtud probat ſuum propoſitum. Quaſi dicat: iſta tranſgredimini: ergo tranſgredimini mandatum Dei. Fuerunt etiam figuræ quædam futurorum, ſicut ſacrificia de animalibus, quæ figurabant ſacrificium, in quo Chriſtus Dominus ſe obtulit Patri oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis. Iſta autem implevit Chriſtus. Unde Johan. 19. v. 33. dicitur: *Ad Jeſum autem cum veniſſent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura . . . Ut ſcriptura impleretur: os non comminuetis ex eo*. Exod. 12. v. 46. Ille etiam agnus, quem Hebræi comedebant in Ægypto, cujus ſanguine liniebantur poſtes domorum, ne Angelus, qui vaſtabat Primogenita Ægyptiorum, tangeret eos, ut dicitur Hebræ. 11. v. 28. ille, inquam, agnus figurabat Chriſtum pro ſalute mundi occiſum, per cujus ſanguinis effuſionem redempti liberantur a Diabolo, qui eſt Angelus devaſtans. Ex eo autem, quod Agni oſſa confracta non ſunt, figurabatur quod oſſa Chriſti in cruce pendentis confringenda non erant. Omnia etiam animalia, quæ ibi ſacrificabantur erant figura Chriſti oblati in cruce. Unde animalia, quorum corpora cremabantur extra caſtra, fuerunt figura Chriſti extra Civitatem crucifixi. Propter quod Apoſtolus dicit Heb. 13. v. 11. *Quorum enim animalium infertur ſanguis pro peccato in ſancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra*. Prima pars hujus auctoritatis habetur Levit. 6. v. 30. Sed quod extra caſtra habetur 1. 4. v. 12. ubi agitur de peccato Sacerdotis, & Levit. 16. v. 27. ubi dicitur: *Vitulum autem, & hircum &c.* Hoc dico, dicit Apoſtolus Hebr. 13. v. 12. *propter quod & Jeſus, ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt*. Apoſtolus dicit: *propter quod &c.* Et eſt ſenſus, ut impleret quod per id figurabatur, & ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum. Numquam autem impletio figuræ diaboli, eſſet cauſſa alicujus operis Chriſti, qui apparuit, ut diſſolveret opera Diaboli. Sabbatum etiam Judæorum figura fuit, & ſignum ſabbati ſpiritualis, ideſt, feriationis, ſive ceſſationis ab operibus ſervilibus animo, & corpore, voluntate, & actu. Sicut etiam Neomenia, ideſt, lunæ innovatio, quam Judæi celebrabant, figurabat innovationem hominis quantum ad animam, & corpus, hoc eſt quantum ad voluntatem, & actum. Sufficiat autem tibi o catholice iſta expoſitio ad Hæreticum. Quod autem iſta eſſent ſigna, habetur Coloſs. 2. 16. *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbatorum*: 17. *quæ ſunt umbra futurorum*. Iſta autem ſigna dicebantur umbra, quia ſicut umbra dependet a corpore; ita iſta dependebant a Chriſto incarnato: unde Apoſtolus addit: *corpus autem Chriſti*. Quaſi dicat: res illarum umbrarum pertinet ad Chriſtum, qui implet rem figuratam per illas umbras.

Item Ezech. 20. v. 19. legitur quod Dominus dixerit Judæis: *In præceptis meis ambulate, judicia mea cuſtodite, & facite ea*: 20. *& ſabbata mea ſanctificate, ut ſint ſignum inter me, & vos*. Signum autem erat ſabbatiſmi ſpiritualis, de quo habetur Hebr. 4. v. 9. *relinquitur ſabbatiſmus populo Dei*. Illum autem ſabbatiſmum jam compleverat in ſe Chriſtus. Impleverat ergo Sabbatum Judæorum, quod prius erat ſignum vacuum; ſed in Chriſto factum eſt plenum ſignum, quia a Chriſto impletum eſt, qui figurabatur per ipſum.

Cum ergo Hæreticus vult probare, quod Chriſtus venit ſolvere legem Moyſis, ut oſtendat quod Dominus non intellexit de lege Moyſis, cum dixit: *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere*, dicendum eſt, quod ſolvere dicitur multipliciter. Uno modo dicitur ſolvere, ideſt, diſſolvere, ſive dividere ab eo, quod promittebat, vel figurabat. Hoc autem idem

(3) Vetus hæc Manichæorum reſponſio eſt. Nam Diodorus apud Archelaum in Act. *Diſp. Cum Manete pag.* 69. hæc habet: *Dicebam ſermonem Evangelium quomodo dixit Dominus Noſter Jeſus Chriſtus*, non veni ſolvere legem, ſed adimplere. *Ille vero* (Manes) *ait, nequaquam eum hunc dixiſſe ſermonem; cum enim ipſam inveniamus eum reſolviſſe legem, neceſſe eſt nos hoc potius intelligere, quod fecit*. Subdit deinde aliquot exempla a Manete fuiſſe prolata, præſertimque illud de Sabbato, quo Catharus, quocum Moneta manus conſeruerat, abutebatur: ut verba illa ex Evangelio Matthæi expreſſa, aut a Chriſto numquam adhibita, aut longe aliter eſſe intelligenda, oſtenderet. Verum non ii erant Cathari, qui dicta hæc eſſe a Chriſto negarent, ſed aliter eſſe transferenda nempe in neſcio quam diſcrepantem a Moſaica legem jactabant.

(4) De hoc triplici genere mandatorum Veteris Legis fuſe eruditeque agit S. Thomas 1. 2. a quæſt. xcix. ad quæſt. cvi.

idem est quod mutare promissiones legis, & figuras ejus. Sic non solvebat legem, vel sabbatismum, imo implebat. Secundum hoc dicit Apostolus Roman. 15. v. 8. *Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum*. Et 2. Cor. 1. v. 19. *Dei enim filius Jesus Christus qui in vobis per nos prædicatus est, per me, & Silvanum, &c.* usque *in illo est*. Sabbata, & legem solvisset Jesus, si ipsam non implevisset: si ea, quæ in Christo promissa erant, verbis, & signis ad effectum non duxisset. Sicuti si ego chartam tibi fecissem de dando tibi decem talenta, chartam solverem, idest, dissolverem, si id, quod promissum est in ea, non attenderem; & posses mihi dicere quod ego dissolvo pactum, quod tibi feci. Secundo modo dicitur solvere, idest, dissolvere ab obligatione figurarum legis. Sic solvit Christus legem. Unde ad Galat. 4. v. 4. dicitur: *factum ex muliere, factum sub lege*: 5. *ut eos*, idest, Judæos, *qui sub lege erant, redimeret*, idest, ab ejus obligatione. Hoc patet Rom. 7. v. 4. ubi dicit Apostolus: *Et vos mortificati estis legi per corpus Christi, &c.* Hoc modo Christus solvebat Sabbatum, quia exemplo suo ostendebat quod non obligabat. Tertio etiam modo dicitur solvere secundum usum Lombardicum, idest, *pagare*. Hoc modo posset dici quod Christus venerit solvere legem, idest, *pagare*. Et sicut charta alicujus obligationis dicitur soluta, idest, *pagata*, ut sonat nostrum idioma; sic lex a Christo impleta potest dici soluta, idest, *pagata*. *Pagavit* enim, ut sic loquar, quod ibi promisit Deus. Sic ergo ubi inveniatur quod lex a Christo sit soluta, dissoluta, & rupta, referendum est ad obligationem, quia jam non obligat postquam impletum est quod promissum erat in ea, vel per verba, vel per figuras. Eodem etiam modo dicit Apostolus quod destruxit eam, quia ostendebat eam jam non obligare. Similiter dicitur quod evacuatur ab obligatione, quam continebat. In charta est promissio dandi tibi decem, & obligatio surgens ex ea. [*] quando ego do tibi decem, impleo promissionem, & destruo obligationem. Unum ergo, & idem quoad aliquid impletur, & quoad aliquid destruitur. Similiter etiam in lege Moysis Christus unum venit implere, scilicet promissionem legis factam verbis, vel signis; alterum autem destruxit, idest, obligationem, & debitum observantiæ legalium figurarum, ne ad illas reverterentur Judæi. Ad Galat. 4. *Ut eos, qui sub lege erant, redimeret*. Destruxit etiam obligationem Dei, & hominum quoad ea, quæ in lege se facturum promisit; jam enim non est obligatus ad illas promissiones, quas implevit per Christum. Unde 2. Cor. 1. v. 20. *Quotquot promissiones Dei sunt &c.* [*]

Alii sunt, qui aliter responderunt ad istud verbum Matthæi: *nolite putare, &c.* dixerunt enim quod non venit solvere legem, ubi de ipso loquebatur. Hoc autem dixerunt propter id, quod Christus dixit Lucæ 24. v. 44. *Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me*.

Sed contra istud est id, quod dicit Dominus Matthæi 5. v. 18. *Amen quippe dico vobis: Donec transeat Cælum, & Terra, jota unum &c.* Sed per jota, quod est j, & per apicem, qui est literæ summitas, intelligebat Testimonia legis, & Prophetarum de Christo. Falsum autem eos dixisse patet ex illatione: *qui ergo solverit, &c.* Et postea ponit illa mandata.

Præterea, Dominus implevit moralia, figuralia, & etiam judicialia, ut dictum est supra in eodem argumento: quod etiam patet per Apostolum suum. in quo loquebatur Christus; hic enim de judiciali lege loquens 1. Timoth. 1. v. 8. ait: *scimus autem quia bona est lex*, ut prius habitum est in hac eadem parte hujus cap. Ergo non tantum venit eam implere; ubi de ipso loquitur. Et Matth. 8. v. 4. dixit Christus cuidam, quem a lepra mundaverat: *Vade, ostende te Sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyses, in testimonium illis*. Istud ex parte tactum est in prima parte hujus operis in cap. de miraculis. Tantum addimus hic, quod si istud, quod offerebatur in lege Moysis pro emundatione leprosi, ex præcepto Diaboli offerebatur, Christus non præcepisset illud fieri; nulla enim est societas lucis ad tenebras, nec justitiæ cum iniquitate, quia nulla conventio est Christi ad Belial, ut dicit Apostolus 2. Cor. 6. v. 15.

[*] Ad idem (5) facit illud Matth. 23. v. 2. quod Christus dixit ad Turbas, & ad Discipulos suos: *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, &c.* Ex hoc patet quod lex Moysis bona erat.

Ad hoc autem dixit Hæreticus: quod illa verba: *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, &c.* veniunt tantum pro illis, quæ de Christo dicta erant; alioquin Christus sibi esset contrarius, qui ait Matth. 5. v. 20. *Nisi abundaverit justitia vestra, &c.* & 1. 16. v. 6. *Intuemini, & cavete a fermento Pharisæorum, & Sadducæorum*. Et quibusdam interpositis ait Matthæus, v. 12. *Tunc intellexerunt quia non dixerit cavendum a fermento panum, sed a doctrina Pharisæorum, & Sadducæorum*.

Ad hoc dicendum: quod non esset sibi Christus contrarius, si de aliis intelligeret, non obstante eo quod dicitur: *nisi abundaverit &c.* quia sicuti exposuimus in hac eadem parte hujus cap. loquitur non de justitia doctrinæ, sed de justitia vitæ. Doctrina enim eorum in quantum legi adhærebat, Christum nunciabat, quamvis figuraliter, & quasi in universali. In singulari autem contrarii erant Christo, non credentes hunc esse Christum.

Ad aliud: *Intuemini, & cavete, &c.* patet quod non est contrarium alteri Christi verbo: *super Cathedram, &c.* quia fermentum appellat quasdam traditiones eorum, quæ non erant de lege Moysis. Unde

[*] Desunt hæc usque ad alterum asteriscum e Vat. Cod.

(5) Hæc etiam quæ duobus astericis comprehendimus non exstant in *Vatic. Codice*, quamvis exstent in *Bonon.* & *Neap.* Atque est id etiam argumentum palmare a Patribus contra Gnosticos & Manichæos sæpe ac multum adhibitum. Irenæus *lib.* IV. *Cap.* XII. *al.* XXV. *num.* 4. *pag.* 241. *Quem autem*, inquit, *non confundat Dominus, ostendens non ab altero Deo esse legem, sic dicens eis, qui a se docebantur, turbæ, & discipulis*. Super Cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi &c. *Non ergo eam legem, quæ est per Moysen data, incusabat, quam adhuc salvis Hierosolymis suadebat fieri*.

Unde Matth. 15. v. 3. *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?*

Ad illud autem, quod dicitur: omnia quæ de Christo, & quæcumque de Christo dixerint vobis, &c. patet quod stare non potest. Numquid enim standum est omnibus, quæ dicebant de Christo Scribæ, & Pharisæi? Quamquam quod illa expositio falsa sit ostensum est proximo loco, scilicet illo verbo: *non veni solvere, &c.* [*]

Præterea Matth. 23. v. 23. *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium, & misericordiam, & fidem: hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Nota quod ipse arguit Judæos de fide relicta. Prius ergo fuerant in ea. Sed non fuerant nisi in fide Dei Veteris Testamenti. Ergo Deus Veteris Testamenti est ille Deus, in quem credendum est. Item arguit eos, & minatur pro judicio legis Moysi relicto. Quod autem istud judicium sit, ego possum ostendere ex Exodi 21. v. 1. ubi Deus dixit Moysi: *Hæc sunt judicia, quæ propones eis*, scilicet filiis Israel; & enumerat judicia multa, in quibus secundum modum culpæ erat inflictio pœnæ: anima pro anima, oculus pro oculo, &c. In illo autem judicio legis aliquando fuerunt Judæi, sed istud reliquerunt, sicut potest ostendi Testimonio Prophetarum. Isa. 1. v. 21. *Quomodo facta est Meretrix civitas fidelis plena judicii?* & cap. 59. v. 14. *Conversum est retrorsum judicium, &c.* Et v. 15. *Vidit Dominus, & malum apparuit in oculis ejus, quia non est judicium.* Et Michææ 1. v. 1. *Væ qui cogitatis, &c.* Et cap. 3. v. 1. *Audite principes Jacob, & duces domus Israel: numquid non vestrum est scire judicium?* Et v. 9. *Audite hoc principes, &c.* Sicut etiam dimiserunt judicium de servo Hebræo, postquam servi fuerant sex annis dimittentes liberum gratis, ut habetur Exodi 21. v. 1. quod etiam Jeremias exprobravit in cap. 34.

Forte diceret Hæreticus, quod ibi non loquatur Christus de lege Moysi.

Sed istud non potest dicere, ut patet ex eo, quod præcedit: *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi, &c.* Horum enim decimationes legis Moysi erant. Faciebant ea, quæ leviora legis Moysi erant, dabant enim de his decimas: sed graviora ejusdem legis reliquerant, scilicet judicium, misericordiam, fidem, & charitatem, ut Lucas addit cap. 11. v. 42.

Præterea dicit: *Hæc oportuit facere, & illa non omittere*, & loquitur de præterito: unde patet quod de lege Moysi loquitur, ubi omnia illa inveniuntur. Si autem lex Diaboli esset, decimationes illorum minimorum non oportuisset facere, nec illa non omittere, nec comminaretur eis: Væ &c. si omitterent mandata legis Diaboli.

Præterea Lucæ 2. v. 22. *Postquam impleti* (6) *sunt dies purgationis ejus*, scilicet Mariæ, *secundum legem Moysi tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino 23. Sicut scriptum est in lege Domini, & ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Et v. 39. dicitur: *Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, &c.* Ecce quod Jesus voluit præcepta legis circa se impleri, scilicet oblationem Primogeniti, & oblationem duarum turturum, vel duorum pullorum columbarum. Offerebant unum in holocaustum Domino, & alterum in sacrificium. Non est autem credibile quod Christus voluerit ista a Matre sua perfici, si mala essent, maxime cum homo, vel mulier illa offerret ad occidendum, unum in holocaustum, quod totum incendebatur, & alterum in sacrificium, ut habetur Lev. 12. v. 8. quod etiam exponitur Lev. 1. v. 17. cap. 5. Lex ergo hostiarum a Domino erat: quod etiam vult Lucas, qui ait de Maria, & Joseph, quod tulerant eum ad Templum, ut darent pro eo, sicut scriptum est in lege Domini, par turturum, &c. Lex ergo hostiarum offerendarum erat a Domino. Incredibile autem est quod Diabolus a Luca dicatur Dominus sine ulla determinatione; alias posuisset Ecclesiam in errore. Incredibile est etiam, quod Mater Christi faceret omnia secundum legem Diaboli. Venit ergo Dominus pro bono Domino, & ideo lex a bono Deo data est etiam ubi de hostiis loquitur. Et nota quod Simeon a Spiritu Sancto inducitur in Templum: quod non faceret si Templum Diaboli esset.

[*] (7) Præterea quia dicitur de Simeone, quod erat justus, & timoratus, & Spiritus Sanctus erat in eo, & venit in Spiritu in Templum, idest, per Spiritum Sanctum, qui erat in eo, quæro: de quo Templo loquitur? Constat quod non de spirituali, quia si venisset in ipsum, non fuisset in eo antequam venisset. Quomodo ergo dicitur quod Spiritus Sanctus erat in eo, & quod justus, & timoratus expectabat redemptionem Israel? Ergo jam erat spirituale Templum, scilicet Ecclesia: de quo 2. Cor. 6. v. 16. *Vos estis Templum Dei vivi.* Hoc autem soles negare. Si autem de materiali Templo loquitur, quod verum est: ergo non erat Templum Diaboli; alioquin per Spiritum Sanctum venisset in ipsum. Quod si Templum istud dicatur esse Dei creatione, dico: imo etiam cultu; quia ibi orabatur. Unde & *domus orationis* vocatur Matth. 21. v. 13. & cap. 15. v. 8. dicitur: *populus hic labiis me honorat &c.* Idem etiam patet Lucæ 2. v. 22. ubi dicitur, quod parentes ejus *tulerunt illum in Jerusalem &c.* Et postea dicitur v. 39. *Et ut perfecerunt, &c.* Ex quibus patet, quod Deus bonus fuit dator legis Moysi. [*] Et ibidem v. 37. ad laudem Annæ dicitur quod non discedebat de Templo, jejuniis, & obsecrationibus serviens die, ac nocte. Templum ergo bonum. Item cui illa serviebat, nisi Domino Templi hujus? Hoc quoque ponit

(6) Ne ab hoc quidem argumento sibi temperarunt Patres, ut Veteres Hæreticos reprimerent. Atque ille sane, quem supra commemoravi, Irenæus *lib.* III. *cap.* x. *al.* xi. *nu.* 5. *pag.* 187. *Adhuc*, inquit, *ait Lucas de Domino*: Cum impleti essent dies purgationis; imposuerunt eum in Hierusalem adstare Domino, &c. *Ex sua persona manifestissime appellans eum, qui legislationem fecerit* &c.

(7) Duobus hæc asteriscis complexi sumus, quod non exstent in *Cod. Vat.* Jam vero, quæ de Simeone, & Anna differit noster, similia sunt eorum, quæ in Gnosticos intorquet *ibid.* Irenæus. Nam posteaquam attulit testimonia Lucæ, sic tandem concludit argumenti sententiam: *Per hæc autem omnia unus Deus demonstratur novam libertatis dispositionem per novum adventum filii sui hominibus aperiens.*

ponit Lucas ad laudem ejus. Ergo illud Templum bonum: Ergo Dominus hujus Templi bonus.

Præterea Lucæ 11. 52. dicitur: *Væ vobis Legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis*. Isti tulerunt, & habuerunt clavem scientiæ. Modo quæro: cujus scientiæ? An Dei boni, an mali? Si mali: non dixisset eis *væ*, quia non introibant, & alios intrare non permittebant, immo bene esset eis. Si boni Dei: non tulerunt nisi clavem scientiæ legis. Ergo lex illa fuit boni Dei, & ab ipso data.

[*] (8) Præterea Lucæ 16. v. 17. *facilius est cælum & terram præterire, quam de lege unum apicem cadere*, De qua autem lege loquitur? Patet parum antea v. 16. ubi dicitur: *Lex & Prophetæ usque ad Johannem: ex eo regnum Dei evangelizatur, & omnis in illud vim facit. Facilius est autem &c.* quasi dicat: Ne credas quod legem non impleam, quamvis eam dicam usque ad Johannem. Propter hoc Matth. 5. v. 18. dicitur: *Jota unum &c.* dicit *donec*, ut ostendat quod lex prætereat postquam illa fuerit facta: unde dominus caute dixit: *non veni solvere legem, sed adimplere*. Nota ordinem verborum; non enim prius est solvenda lex; immo prius adimplenda. Postea autem dicit cessare. [*]

Præterea Lucæ 16. v. 29. dicitur: *Habent* (9) *Moysen & Prophetas: audiant illos*. Verba sunt Abrahæ ad divitem, cui iterum dixit v. 31. *Si Moysen & Prophetas non audiunt; neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent*. Ex quibus patet, quod lex bona est & prophetia, cum docet evitare tormenta infernalia. Non ergo est a diabolo data, quia ipse nunquam doceret illa vitare.

Præterea Jo: 7. v. 19. dixit Christus Judæis: *Nonne Moyses dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem?* Ecce quod arguit eos de transgressione legis Moysis. Sic etiam Rom. 2. v. 23. *qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras*.

Si ad hoc dicat Hæreticus, quod loquitur de prophetiis legis, ubi de Christo loquebatur: dicas: immo de præceptis moralibus &c. unde ibi dicitur eis v. 21.: *qui prædicas non furandum, furaris &c.* Propterea dicit ibi, quasi ex illo inferens, quod per prævaricationem legis Dominum inhonorabat.

Dixit alius Hæreticus: quod de diversis legibus loquitur, idest de Mosaica: *qui in lege gloriaris*, & de lege Christi: *per prævaricationem legis Deum inhonoras*.

Sed contra Act. 7. v. 38. *qui*, scilicet Moyses, accepit *verba vitæ dare vobis*. Ibidem v. 53. *qui accepistis legem in dispositione Angelorum, & non custodistis*. Et cap. 24. v. 14. *Confiteor autem hoc tibi, quod secundum sectam, quam dicunt hæresim, sic deservio Patri & Deo meo, credens omnibus, quæ in lege & Prophetis scriptæ sunt*. Et cap. 26. v. 22.: *Auxilio autem adjutus Dei, usque in hodiernum diem sto, testificans minori, atque majori, nihil extra dicens quam ea, quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, & Moyses*. Si ipse non dicebat aliud, nisi dictum a Moyse, & Prophetis, patet, eos per Spiritum Sanctum fuisse locutos. Non ergo per spiritum malignum.

Præterea testimonio Prophetarum potest ostendi, quod lex Moysis bona fuit, & a bono Deo. Legitur enim Jer. 32. v. 23. *Ingressi sunt & possederunt eam: & non obedierunt voci tuæ, & in lege tua non ambulaverunt: omnia, quæ mandasti eis ut facerent, non fecerunt*. Ne autem dicas, quod non loquitur de Deo Veteris Testamenti, & de Veteri Testamento, audi quid dicatur Jer. 34. v. 13. *Hæc dicit Dominus Deus Israel: ego percussi fœdus cum Patribus vestris, in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de domo servitutis, dicens:* 14. *cum completi fuerint septem anni, dimittat unusquisque fratrem suum Hebræum, qui venditus est ei, & serviet tibi sex annis: & dimittes eum a te liberum: & non audierunt Patres vestri me*. Istud fœdus nunquam invenietur factum, nisi cum filiis Israel, nisi Exodi 21. in principio: quod tu possis ostendere. Obmutesce ergo; vel dicas mecum, Vetus Testamentum a Deo Sancto datum, Deo scilicet Prophetarum, & ipsum esse Deum Novi Testamenti. Valet autem hoc argumentum contra illos, qui ponunt duo principia, & Prophetas sustinent.

Præterea Malach. 2. v. 8. *Irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum &c.* usque *faciem in lege*. Et cap. 4. v. 4. *Mementote legis Moysi servi mei &c.* Et Daniel. 9. v. 7. *Nobis autem confusio faciei &c.*

Hæretici objiciunt adhuc, & instant ad simplicium subversionem, & dicunt: Si lex Moysis bona fuit, quare non servatis eam vos, qui ita eam approbatis?

Et tu dicas mihi: quare istud mandatum Matthæi 10. v. 5. *In viam gentium ne abieritis*, non servaverunt discipuli post resurrectionem Domini, sed iverunt ad prædicandum gentibus? Si dicas, quod Dominus mutavit mandatum post resurrectionem; ego similiter dico, quod mandatum Vetus mutatum est in Novum post adventum Domini in Mundum. Si dicas, quod istud mandatum: *In viam gentium &c.* tantum ad tempus datum est; similiter dico, quod etiam Vetus Testamentum datum fuit ad tempus: unde Rom. 10. v. 4. *Finis legis Christus*. Et cap. 7. v. 4. dixerat Apostolus: *Et vos mortificati estis legi per Corpus Christi &c.* usque *resurrexit*. Atque Heb. 9. v. 1. *Habuit quidem prius justificationes &c.* usque ad *justitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis*; de qua actoritate tantum sumimus ad tui confusionem hæretice, scilicet quod lex ad tempus data est.

Præ-

(8) Duobus perinde asteriscis comprehendimus, quæ desunt e Cod. Bononiensi, extantque in Neapolitano, & Vaticano. Consonat porro his Tertullianus *lib.* IV. *Contra Marcionem cap.* XXXIII. *pag.* 449. *Lex & Prophetæ*, inquit, *usque ad Johannem ex quo Regnum Dei annunciatur. Quasi non & nos limitem quemdam agnoscamus Johannem constitutum inter vetera & nova, ad quem desineret judaismus, & a quo inciperet Christianismus: non tamen ut ab alia virtute facta sit sedatio legis, & Prophetarum in Johannem occasu, & exinde ortu, regnum Dei. Transeat igitur cælum & terra citius & lex, & Prophetæ, quam unus apex verborum Domini*; Verbum, *enim* inquit *Isaias* Dei nostri manet in ævum. *Nam quoniam in Isaia jam tunc Christus .... Johannem prædicaret*, vocem clamantis in deserto parare viam Domini, *in hoc venturum, ut legis & Prophetarum ordo exinde cessaret, per adimpletionem, non per destructionem*.

(9) Affert hoc etiam Titus Bostrensis *lib.* III. *Contra Manichæos pag.* 140.

Præterea lex illa erat lex promiſſionis ; lex nova lex eſt ſolutionis. Soluto autem promiſſo dicitur ceſſare promiſſio ; & adveniente re, debuit umbra ceſſare, de qua Hebr. 10. v. 1. dicitur : *Umbram enim habens lex futurorum bonorum &c.* [*] & Heb. 9. v. 8. *Hoc ſignificante Spiritu Sancto, nondum propalatam eſſe ſanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente ſtatum*. Status ejus erat, quod in priorem ejus partem ſemper introibant Sacerdotes quotidie ſacrificiorum officia conſummantes ; in ſecundam autem partem ſemel in anno ſolus Pontifex non ſine ſanguine quem offerret pro ſua & populi ignorantia. Per hoc quod introibant quotidie Sacerdotes officia conſummantes, ſignificabat Spiritus Sanctus, quod in Eccleſia Dei debemus nos Deo ſacrificare cum ſanguine ; prima enim pars Eccleſiam ſignificabat, ſecunda autem pars cælum; unde & velum erat inter primam partem, & ſecundam, in ſignum, quod adhuc eſt velum inter Eccleſiam, quæ hic eſt, & ipſum Deum, quia non videt eum facie ad faciem, ſed, ut dicit Apoſtolus Heb. 6. v. 19., ſpe tendit ad interiora velaminis, ideſt ad beatitudinem modo velatam, quæ intra cælum eſt, & quod iſtud velum amotum eſt per Chriſti ſanguinem, ideſt, per mortem ejus ſignificatum eſt, quia in morte Chriſti velum templi ſciſſum eſt a ſummo uſque deorſum. Pontifex, qui ſemel introibat quolibet anno cum ſanguine, ſignificabat Chriſtum, qui ſemel in anno, ideſt, in tempore gratiæ intravit in cælum per proprium ſanguinem, ut pararet Fidelibus locum. Per hoc autem, quod ille quolibet anno introibat, ut dicit Apoſtolus, ſignificabat Spiritus Sanctus nondum eſſe propalatam, ideſt apertam viam ſanctorum, ideſt, ad ſancta, ad cæleſtes ſcilicet manſiones, de quibus dicit Apoſtolus, quod Chriſtus introivit in ſancta. Propterea autem dicit, quod non in manu facta ſancta introivit Jeſus, ſed in ipſum cælum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. Propter hoc dicit Apoſtolus : *ſignificante Spiritu Sancto* hoc, quod quolibet anno iſtud fiebat, *nondum propalatam &c.* quæ parabola eſt temporis inſtantis, ideſt, quod omnia parabolica ſigna ſunt, ideſt, ſimilitudinaria eorum, quæ facta ſunt, & fiunt in hoc tempore, juxta quam parabolam munera ſcilicet de aliis, & hoſtia ſcilicet de animalibus offeruntur a Sacerdote Levitici generis, *quæ non poſſunt juxta conſcientiam perfectum facere &c.* uſque *impoſitis* : dixerat autem prius : *hoc ſignificante Spiritu Sancto*. Illa ergo fuerunt ſigna Spiritus Sancti. Non ergo ſpiritus maligni. Ergo oblatio ſacrificiorum, & uſus tabernaculi a Deo Sancto fuit. [*]

[*] Adhuc inſtant, & objiciunt illud Jo: 19. v. 7. *Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit*. Si ſecundum illam legem debebat mori : ergo mala erat.

Solutio. Ipſi falſum dixerunt ; nuſquam enim in tota lege eſt iſtud, quod Chriſtus occideretur, ſi filium Dei ſe faceret. Et hæc reſponſio ſufficit ad Hæreticum. Propter fideles autem dicamus, quod Lex præcipiebat blaſphemum occidi Lev. 24. v. 16. Ipſi autem Jeſum blaſphemum credebant, & propter hoc judicabant eum reum mortis, ut habetur Matth. 26. v. 63. In hoc autem putabant eum blaſphemum eſſe, quia Dei filium ſe dicebat. Si enim Dei filius eſſet naturaliter : ergo & Deus eſſet : ergo cum unicus Deus ſit, ipſe eſſet unicus Deus cum Deo Patre : quod verum eſt, & non eſt blaſphemia. Si autem purus homo hoc diceret, blaſphemaret, & de tali loquitur lex, quæ judicabat blaſphemum reum mortis. [*] (10)

C A P. IX.

An in Veteri Teſtamento, & ante adventum Chriſti fuerint aliqui boni viri.

NUnc ad nonum Capitulum hujus ſecundæ partis accedamus & inquiramus: an in Veteri Teſtamento fuerint aliqui boni viri. (1) Iſtud autem caput tripartitum eſt. In prima parte ponuntur falſæ Hæreticorum perſuaſiones ad probandum quod ante Chriſtum in hoc mundo nulli fuerint boni ; & diſſol-

[*] Quæ duobus primis aſteriſcis comprehenſa vides deſunt e Codice Bononienſi, quæ autem poſterius duobus aliis, ex Neapolit. & Vaticano.

(10) De bonitate veteris legis diſſerunt fuſiſſime Irenæus locis ſupra indicatis, Tertullianus quoque *l. c.* Auctor Dialogi contra Marcionem *l. c.* Clemens Alexandrinus *l. c.* Titus Boſtrenſis toto fere libro III. contra Manichæos, S. Epiphanius Hæreſ. LXVI. quæ eſt contra Manichæos, aliiſque pluribus in locis ubi contra Simonianos, Marcionitas, & Æncratitas diſputat, S. Auguſtinus in *lib. contra Adverſar. leg. & Prophetar.* & *lib.* IV. *contra Fauſtum* : *per tot. & ſeqq. Euthymius Panopl. part.* II. *Tit.* aliique innumeri, quos recenſere non vacat. Sed lubet hoc caput hiſce *Incerti Auctoris carminibus contra Marcionem inter Opp. Tertull. pag.* 636. concludere.

Sic igitur lex, & miri cecinere Prrophetæ,
Omnia ſic conjuncta vigent, veteriſque novique
Fœderis, illa ſacra, & verborum immania dicta.
Sic & Apoſtolicæ voces teſtantur ubique
Nec quidquam veteris non eſt novo denique junctum.

(1) Negabant enim Cathari Albanenſes, qui a Balaſinanſa ſtetere. Nam Reinerus Sachonus *pag.* 1769. *Item*, (dicunt) inquit, *quod Abraham, Iſaac & Jacob, & Moyſes, & omnes antiqui Patres, atque Johannes Baptiſta, fuerunt inimici Dei, & Miniſtri diaboli*. Sed Cathari qui Concorrezenſes appellabantur, omnes quidem Moyſen damnabant : quamvis, ubi de cæteris Patriarchis ſermo erat, in partes eſſent diſtracti, & pars quidem de Abrahæ, Iſacii, & Jacobi, ceterorumque Patriarcharum & Prophetarum ſalute dubitaret, pars vero contra opinaretur ; pars item ætate Reinerii, nempe circa an. 1250. recte de Johanne Baptiſta ſentiret, quem olim omnes damnabant. Adeundus Reinerius Sachonus : *pag.* 1773. Hoc genus Catharorum inſectatur etiam Auctor Bonacurſus *de Vita Hæreticorum* apud Acherium *Spicil. Tom.* XIII. *pag.* 64. 69. *Diſputationis inter Catholicum, & Paterinum apud Martenium Tom.* V. *Theſauri Anecdot. col.* 1715. Nam etſi *Paterinorum* appellatio longe aliam originem habuerit, ut in Prolegomenis oſtenſum eſt ; tamen uſu obtinuit lapſu, fluxuque temporum, ut in Catharos etiam caderet. Cujus quidem rei clariſſimi ſuppetunt documenta : Vide Sachonum *l. c. col.* 1761. nam ceteros Scriptores lubens prætereo. Præti vere Catharis Gnoſtici, præſertimque ii, qui erant a Marcione; ut Auctor eſt Irenæus *lib.* I. *cap.* XXVII. al XXIX. Videſis Theodoritum *lib.* I. *Hæret. Fabul. cap.* XXIV. *Tom.* IV. *Opp.* Neque vero ab hac hæreſi diſcreparunt, qui Vetus Teſtamentum a mala quapiam poteſtate datum fuiſſe jactabant, ut Cerdon, Tatianus, aliique quos ſupra priore libro numeravi. His acceſſere Manichæi, ut colligo ex Tito Boſtrenſi *lib.* III. *pag.* 142. Et *Aug. Lib.* XXII. contra Fauſtum *cap.* III. & IV. A Manichæis tamen, qui ſeculo IX. Pauliciani appellati ſunt, hunc errorem accepere Bogonilii : ut de Paulicianis quidem refert *Photius Lib.* I. *contra Manichæos*, & de Bogomiliis Euthymius in Panoplia *Parte* II. *tit.* XXIII. *n.* I. *pag.* 220. *col.* 2. *Tom.* XIX. *Bibl. PP. Edit. Lugd.* Pauliciani tamen Petro quoque Apoſtolo infenſi erant.

ſolventur rationes eorum : in ſecunda declarabitur evidentibus teſtimoniis, quod aliqui boni fuerint ante Chriſtum : in tertia parte agemus ſpecialiter de Prophetis.

PARS I.

§. I.

Probatio Hæretici, quod ante adventum Chriſti nullus bonus fuerit.

AD hoc inducunt illud, quod habetur Jo: 10. (2) v. 8. *Omnes quotquot venerunt, fures ſunt & latrones.*

Solutio. Quotquot venerunt non miſſi ; unde Dominus per Jer. 23. v. 21. ait : *Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant : non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant.* Rom. 10. v. 15. *quomodo vero prædicabunt niſi mittantur ?* de quibus habetur 2. Pet. 2. v. 1. : *fuerunt vero & pſeudo-prophetæ in populo, ſicut &c.*

[*] Hæc etiam ſolutio poteſt haberi ex Jo: cap. 5. v. 43., ubi Chriſtus dicit : *Ego veni in nomine patris mei*, ideſt, miſſus ab eo, ad ejus nomen & famam, & laudem ; *& non accipitis me : ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.* [*]

Ad idem inducunt illud, quod habetur Rom. 3. v. 12. *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum*, ideſt, nec etiam unus.

Solutio. Non loquitur univerſaliter, licet ita videatur, ut probabitur in ſecunda parte; ſed loquitur de illis, qui in lege ſunt, vel fuerunt ſine fide Chriſti, de quibus in eadem Epiſtola dicit Apoſtolus Roman. 9. v. 31. : *Iſrael ſectando legem juſtitiæ, in legem juſtitiæ non pervenit*. 32. Quare ? *quia non ex fide.*

[*] Et quod ita ſit, patet per literam proximam ante illud verbum : *Omnes declinaverunt &c.* ubi dicitur v. 11. *Non eſt intelligens, non eſt requirens Deum*, ideſt, non eſt juſtus, quia ſine fide : unde Rom. 1. v. 17. : *Juſtus autem ex fide vivit.* Et Rom. 1. v. 1. *Juſtificati ergo ex fide &c.* unde Apoſtolus ſubdit : non eſt intelligens fide mediante, de qua Hebræi 11. v. 3. *fide intelligimus &c.* [*]

Ad iſtud etiam inducunt quædam (3) acta Patrum Veteris Teſtamenti, ſcilicet de Loth, Abraham, Iſaac, & Jacob, & de mulieribus etiam Veteris Teſtamenti: quæ acta mala fuere ; ut de Loth, qui concubuit cum filiabus ſuis, ebrius prius factus ex potu nimio. De Noe inducitur quod inebriavit ſe vino : de Abraham dicunt quod mendax fuit, cum Saram ſororem ſuam dixerit ; licet ſi fuit ſoror, peccavit, quia propriam ſororem accepit in uxorem, & mœchatus eſt cum ancilla ſua conſilio Saræ. Ecce qualis erat Sara. Similiter de Iſaac & Jacob mala dicunt. Similiter introducunt quod David adulter fuit & homicida. De Elia etiam multa mala dicunt, & de pluribus aliis.

Solutio ad iſta. Si aliqui eorum peccaverunt uno tempore, numquid non potuerunt eſſe boni alio tempore ?

Præterea. Si reprehendis Loth de inceſtu, & Abraham de mendacio : ego etiam Petrum de trina negatione Domini, & de mendacio, & quod non recte ambulabat ad veritatem Evangelii, ut habetur ad Galat. 2. v. 14.

Quod autem dicitur Abraham (4) fuiſſe mentitum, hoc non poteſt oſtendi. Licet enim dixerit Gen. 20. v. 12. eam ſororem ſuam, non tamen mentitus eſt, nec per hoc quod dixerit Loth eſſe fratrem ſuum Gen. 13. v. 8. Sic etiam in Evangelio invenimus conſanguineos dici fratres ſecundum carnem. Et Apoſt. 1. Cor. 9. v. 3. & 5. dicit eos fratres Dei. Item Rom. 9. v. 3. Judæos appellat fratres ſuos, quia cognati erant ejus ſecundum carnem. Nec mentitus eſt Abraham, quia eam dixit filiam Patris ſui, quia hoc verum erat. Thare enim Pater Abraham genuit Aram fratrem Abrahæ. Aram autem genuit Loth & Melcha, & Sarai, quæ alio nomine dicta eſt Jeſcha. Erat neptis Patris Abrahæ ; ſed filia dicitur ejus, quia ab eo genita, licet non immediate, ſed mediate. Sicut & Chriſtus dicitur filius David ſecundum carnem. Quod autem dicunt eum peccaſſe, quia accepit eam uxorem, falſum eſt, quia tunc non erat prohibitum neptem accipere. Quod vero dicunt eum peccaſſe, & Sarai ſimiliter, quia acceſſit ad ancillam ſuam de voluntate Saræ, dico, quod non peccavit, quia etiam illa erat uxor ejus, licet Sara principalis uxor eſſet ; & tunc non fuit peccatum habere plures uxores. Si autem Hæreticus dicat, quod peccatum fuerit, dic ei, quod probet hoc.

PARS

(2) Hoc idem a Catharis objectum fuiſſe Catholicis colligo ex *Auctore diſp. inter Cathol. Et Paterinum apud Marten. tom.* v. *Theſaur. Anecdotor. col.* 1718.

[*] Deſunt hæc e Codice Bononienſi, quæ ſunt duobus aſteriſcis comprehenſa, ut & illa, quæ aliquanto inferius duobus perinde aſteriſcis complexi ſumus.

(3) Simile quidpiam objectum a Marcionitis fuiſſe arbitror; etenim Irenæus, poſtquam refellit quædam illorum argumenta, ad Lothum excuſandum appellit animum. *lib.* IV. *cap.* XXXI. *pag.* 268. Nec Manichæi Veteres ab hoc genere argumentorum abſtinuere. Sic enim habet Fauſtus apud Auguſtinum *lib.* XXII. *contra Fauſtum cap.* III. *col.* 363. *ſeqq. Ad hæc & Prophetas & Patriarchas veſtros cur nos blaſphemare exiſtimetis, ego non video. Nam ſi a nobis ſcripta hæc dictatave fuiſſent, quæ iidem commiſiſſe leguntur, eſſet veſtra hæc in nos, non irrationabilis accuſatio . . . cap.* V. *Alioquin neque illa nos de Abraham ſcripſimus, quod habendæ prolis inſana flagrans cupidine . . . . . cum pellice volutatus ſit ſub conſcientia, quod ſit inhoneſtius, uxoris. Nec quod matrimonii ſui infamiſſimus nundinator . . . . . duobus Regibus, Abimelech & Pharaoni diverſis temporibus, memoratam Saram Conjugem ſuam ſororem mentitus, quia erat pulcherrima, in concubitum venditavit.* Subjungit deinde Fauſtus, quæ de Loth, Iſaac & Jacob, apud Monetam objiciunt Cathari.

(4) Confer Auguſtinum *lib. mox indicato cap.* XXXII. *ſeqq. col.* 381. *ſeqq.* ubi hæc argumenta refellit, iiſdem fere adhibitis rationibus. Ceterum quod Moneta adjungit de Sara, quæ Jeſcha alio nomine diceretur; ex ſcriptura non conſtat. Probatur tamen Joſepho *lib.* I. *Antiq. Judaicar. cap.* VI. *pag.* 27. *Tom.* I. *Opp. Edit. Havercampii*, Hieronymo in *Quæſt. Hebraicis*, & Auguſtino *lib.* XVI. *de Civit. Dei cap.* X. aliiſque multis, quos prætermitto.

PARS II.

§. II.

Probatio Ecclesiæ, quod aliqui boni fuerunt ante adventum Christi.

NUnc accedamus ad secundam partem hujus capitis, ostendentes aliquos fuisse justos & salvos in Veteri Testamento, & ante adventum Christi. Apostolus Hebr. 11. v. 4. tractans de fide, sine qua impossibile est placere Deo, dicit: *Fide plurimam hostiam, idest magis Deo acceptam, Abel, quam Cain, obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justum, testimonium perhibente muneribus ejus Deo; & per illam defunctus adhuc loquitur*, non locutione verbi vocalis, sed exempli. Loquitur enim nobis exemplum dando, ut eum imitemur. Et Matth. 23. v. 35. *A sanguine Abel justi &c.* Et 1. Jo: 3. v. 11. *Hæc est annunciatio, quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum*. 12. *Non sicut Cain, qui ex maligno erat*, scilicet per imitationem, non per generationem carnalem, ut dicit Hæreticus. Sequitur: *& occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant, fratris autem ejus justa*. Ecce quod Dominus appellat eum justum, & Paulus dicit: qua justitia? Justitia fidei, cum ait: *per quam &c.* Hæc autem justitia fidei est illa, per quam salvantur electi Dei, per quam fit peccatorum remissio, purificatis cordibus per eam Apostolus autem Rom. 10. duplicem justitiam distinguit, scilicet legis & fidei, & huic dat salvare. Similiter Deus Veteris Testamenti perhibet ei testimonium justitiæ, perhibendo testimonium muneribus ejus.

[*] Vides etiam bonum credulitatis non novellum esse, sed vetustum, & ut patet ex textu Apostoli Hebr. 11. usque ad Christi tempora continuatum. Deus enim inter prima coalescentis exordia hominis, sicut eum intellectu & ratione, ita fide dotavit; & jam tunc dedit animæ notitiam suam, quando ei committere dignatus est imaginem suam. [*]

Præterea. Numquid est conventio Christi ad Belial? non: ut habetur 2. Cor. 6. v. 15. ergo non fuit Belial Deus ille, cui obtulit munera. Similiter nonne vides, quod Beatus Johannes distinguit inter opera illorum, dicens, opera eorum contraria, quia unius, scilicet Cain maligna sunt, Abel autem justa? Sed quomodo justa, si diabolo oblata, ut dicis? Quomodo etiam contraria erant malignis operibus Cain? Si enim oblata erant diabolo, maligna erant, ut opera Cain. Similia ergo erant amborum opera.

Nunc videamus de Henoch, de quo dicit Paulus Hebr. 11. v. 5. *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem, & non inveniebatur, quia transtulit illum Deus*. Ante translationem autem testimonium habuit placuisse Deo. Quasi dicat: causa translationis ejus fuit, quia Domino placuit. Eccles. 44. v. 16.: *Henoch placuit Deo, & translatus est.* Causa autem quare Deo placuit, fides fuit, sine qua impossibile est placere Deo, ut dicit Apostolus Hebr. 11. v. 6. Et bene dicit, quia sine fide non potest quis Deo placere, immo nec ad ipsum accedere: unde dicit Apostolus ibidem: *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit*: Sic Apostolus dicit Henoch placuisse Deo per fidem, sine qua impossibile est placere Deo. Per illam fidem non placuisset maligno. Placuit ergo Deo Sancto, & vero; & ita fuit bonus. Judas etiam in fine epistolæ suæ dicit v. 14. *Prophetavit autem & de his*, scilicet impiis, *septimus ab Adam Henoch, dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis*. 15. *Facere judicium contra omnes & arguere omnes impios.* Vides ergo quod Propheta Dei Sancti fuit, qui reddit unicuique secundum opera sua. Illius ergo fidem habuit; dicit enim Apostolus Rom. 12. v. 6. quod prophetia datur secundum rationem fidei. Translatus ergo est in paradiso non a diabolo, sed a Deo Sancto.

Nunc videndum esset de Noe; nisi quia de ipso egimus in capite de Deo Veteris Testamenti. Istud tamen sufficit ad probandum eum bonum, quia dicit Apostolus Hebr. 11. v. 7. quod *justitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus*. Hæc enim justitia, quæ per fidem est, non invenitur nisi pro justitia Christianorum Sanctorum. Quod autem inebriatus est, licet peccaverit aliquando, ut prius habitum est, & Petrus peccavit aliquando, & tamen postea bonus fuit.

De diluvio omnes dicunt, quod a Deo malo fuit. Caussam hujus sui erroris dicunt esse istam, quia scilicet crudelitas fuit tot homines occidere.

Sed ad hoc responsum est in prima parte capitis de Deo Veteris Testamenti.

Caussam autem hujus ponunt istud verbum Gen. 6. v. 7. *Pœnitet enim me &c.* Ad quod responsum est etiam in dicta prima parte.

Dicunt alii ex eis, scilicet qui unum ponunt principium, quod diabolus noluit Noe cum suis periclitari in diluvio, ut totum genus humanum deleret, ne spiritus humani possent incorporari ad pœnitentiam faciendam, & locum, quem ipse cum suis in cælo amiserat, amplius non obtinerent. Sed Deus Omnipotens seminarium generis humani octo corporibus in arca liberatis voluit reservari, ut spiritus præordinati ad vitam ibi pœnitentiam agerent.

Ex 2. Petr. 2. constat, quod diluvium a Deo bono, & quod Noe justus & bonus fuit. Et ex cap. 3. v. 7. ejusdem epistolæ patet quod ille, qui diluvium fecit, totum mundum ipse purgabit: dicitur enim: *cæli autem, qui nunc sunt & terra, eodem verbo repositi sunt &c.* Sed ille, qui purgabit mundum igne, ipse est Christus. Ergo ille idem induxit diluvium. Similiter 1. Pet. 3. v. 18. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est &c.* 19. *In quo*, idest, pro quo scilicet offerret eos Deo *his, qui in carcere erant*, supple peccatorum, *spiritibus veniens prædicavit*. Quasi diceret: qui carne venit ad nos, spiritu venit ad eos.

Sequitur de Loth, & de subversione Sodomæ & Gomorrhæ, cujus Loth peccatum subjiciunt. Responde. ut

[*] Quæ duobus asteriscis conclusa sunt, desunt e Codd. Vat. & Bon.

ut prius. Alia requiras in capite de Deo Veteris Teſtamenti in ſecunda parte ejus.

Quod autem Abraham bonus fuerit, oſtenſum eſt in capite de Deo Veteris Teſtamenti in ſecunda parte. Iſtud ſufficiat quod dicit Apoſtolus Rom. 4. v. 13. *Non enim per legem promiſſio Abrahæ, aut ſemini ejus, ut hæres eſſet mundi; ſed per juſtitiam fidei.* Hæc eſt illa juſtitia, per quam ſperamus venire ad cælos, quæ nuſquam niſi in bona parte intelligitur. A quo autem eſſet ei iſta promiſſio, patet Hebr. 6. v. 13. *Abrahæ namque promittens Deus &c.* Ad Galat. 3. v. 9. *Igitur qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham.*

De Sara autem uxore ejus, licet aliquando peccaverit, vide quid dicitur 1. Pet. 3. v. 5. *Sic enim aliquando & Sanctæ mulieres, ſperantes in Deo ornabant ſe, ſubjectæ propriis viris. 6. Sicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans: cujus eſtis filiæ benefacientes &c.* Et Hebr. 11. v. 11. Apoſtolus de fide loquens, ſine qua &c. dicit: *Fide & ipſa Sara ſterilis virtutem in conceptionem ſeminis accepit.* Per fidem ergo placuit Deo Sancto, & vero.

De Abrahæ, Iſaac, & Jacob laudibus habemus Hebr. 11. v. 9.: *Fide demoratus eſt Abraham in Terra promiſſionis, tamquam in aliena, in caſulis habitando, cum Iſaac & Jacob &c.* uſque *paravit enim illis Civitatem.* Matth. autem 8. v. 11. *Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Iſaac, & Jacob in regno cælorum.* Et Lucæ 13. v. 28. *Cum videritis Abraham & Iſaac, & Jacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras.* (5)

§. III.

DE CIRCUMCISIONE.

Utrum a Deo Sancto fuerit.

ANtequam ad alia procedamus, de circumciſione data Abrahæ videamus, oſtendentes quod a Deo Sancto fuit. (6) Licet enim hoc ſufficienter oſtenſum ſit in capite de Deo Veteris Teſtamenti in ſecunda parte capitis; tamen hoc addere volumus, quod dicit Apoſtolus Rom. 2. v. 25. ubi Judæo loquens dicit: *Circumciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerves: ſi autem prævaricator legis ſis, circumciſio tua præputium facta eſt.* Dico ergo, quod de materiali circumciſione loquitur, & dicit: *prodeſt*, ideſt, profuit ante adventum Chriſti. Unde quod dicit Apoſtolus ad Gal. 5. v. 2. *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit*, pro tempore iſto intelligendum eſt, ideſt, poſt Chriſti adventum; unde Philipp. 3. v. 7.: *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta.* Dixi quod intelligo. Tu Hæretice quid dicis? Numquid pro materiali circumciſione venit circumciſio in prædicto teſtimonio Apoſtoli, an pro ſpirituali? Si dicas, quod pro materiali circumciſione venit: atque illa profuit: Bona ergo fuit, & a bono Deo data Abrahæ. Si dicas, quod venit pro ſpirituali circumciſione a vitiis.

Contra. Iſta enim circumciſio, de qua loquitur Apoſtolus, poteſt eſſe cum obſervantia legis Dei, & ſine ea, ut patet ex verbis Apoſtoli. Sed circumciſio ſpiritualis non poteſt eſſe ſine obſervantia legis Dei. Ergo circumciſio, de qua ibi loquitur Apoſtolus, non eſt ſpiritualis, ſed carnalis: quod verum eſt, & illa profuit, quia fuit ſignaculum juſtitiæ fidei, ideſt, juſtificationis, ſive purificationis cordis humani per fidem. Act. 15. v. 9. *Fide purificans corda eorum.* Modo autem non prodeſt, ſed obeſt, quia ad tempus data eſt, & propter hunc, & quoad hunc ſtatum dicit Apoſtolus poſt illa verba Rom. 2. v. 28.: *Non enim qui in manifeſto, Judæus eſt: neque quæ in manifeſto, in carne, eſt circumciſio: 29. Sed qui in abſcondito, Judæus eſt, & circumciſio cordis in ſpiritu, non litera: cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.*

Nunc videndum eſſet de Moyſe, niſi quod de ipſo habitum eſt ſupra in capitulo de Deo Veteris Teſtamenti. Ibi enim apparet evidenter quod bonus fuit. Similiter & de Elia habetur in eadem parte capitis, & quod aliqui boni fuerunt in Veteri Teſtamento, patet in Zacharia Patre Joannis Baptiſtæ, & Matre ejus Eliſabeth, de quibus dicit Lucas c. 1. v. 6. *Quod erant juſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & juſtificationibus Domini ſine querela,* Ante Deum dicit, non ante mundum; multi enim juſti ſunt mundi judicio, qui injuſti ſunt ante Deum.

[*] Ad hoc reſponſum fuit quod velate locutus eſt Lucas. Sed contra ſtat, quod Eccleſiæ Dei ſcribebat, cui datum eſt noſſe myſterium regni Dei Lucæ 8. v. 10. Ergo non loquebatur velate.

Præterea Zacharias erat Sacerdos Dei Veteris Teſtamenti ſerviens Deo Abrahæ, ut patet ex Cantico ſuo Lucæ 1. v. 68.: *Benedictus Dominus Deus Iſrael.* Apoſtolus autem loquens de Abraham dicit Rom. 4. v. 17.: *Ante Deum, cui credidit, qui vivificat mortuos.* Iſte non poteſt eſſe niſi Deus bonus; unde Jo: 5. v. 21. *Sicut Pater ſuſcitat mortuos &c.* Hujuſmodi Sacerdos erat Zacharias. Ergo erat boni Dei, & dicitur juſtus ante illum. Ergo ita fuit, cum Lucas Spiritu Sancto locutus ſit. [*]

Præterea Rom. 3. v. 3. Loquens Paulus de Judæis dicit: *Quid enim ſi quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit?* Nota quod dicitur quoſdam non credidiſſe, non dicit nullum credidiſſe. Aliqui ergo crediderunt, & aliqui non. Aliqui ergo boni, & aliqui non. Et Hebræ. 3. v. 16.; *Quidam audientes exacerbaverunt, ſed non univerſi qui profecti ſunt ex Ægypto per Moyſen &c.* uſque *propter incredulitatem.* Nota quod dicitur: exacerbaverant, ſupple, Spiritum San-

(5) Conſulendi Auguſtinus, Irenæus, Euthymius, Bonacurſus, & Auctor *Diſputationis inter Catholicum & Patarenum locis indicatis in Notis ad hoc cap.* qui perinde Sanctorum Patriarcharum & Prophetarum ſanctitatem multis oſtendunt.

(6) Circumciſionem a Creatore, quem eſſe alium putabant, Marcionitæ ceterique Gnoſtici, præſcriptam fuiſſe dixerunt apud Tertullianum *lib.* v. *cap.* IV. *pag.* 465. Irridebant quoque Manichæi Veteres circumciſionem, ut patet ex Fauſto *apud Aug. lib.* xxv. *cap.* 1. *ſeqq.* Verum ab univerſis Patribus rejecti ſunt Conſule Auguſtinum *l. c.* & Tertullianum *l. c.*

(*) Quæ duobus aſteriſcis concluſa ſunt, deſunt e Codd. Vat. & Bonon.

ctum, ut patet ex illo verbo Apostoli: ibidem v. 7.: *Quapropter sicut dicit Spiritus Sanctus: hodie &c.* Et dicit, *quod non universi*; & dicit quod offensus fuit, idest, iratus; sed tantum incredulis, & quod tantum illos juravit non introire in requiem suam. Ergo aliqui boni, & aliqui non. Istud etiam patet 1. Cor. 10. v. 5.: *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto.* In aliquibus ergo eorum fuit beneplacitum ei, sed sine fide impossibile est placere Deo Sancto. Ergo aliqui eorum habuerunt ejus fidem; & ita justi fuerunt, quia *justus ex fide vivit.*

§. IV.

De Prophetis, qui boni fuerunt.

Sequitur tertia pars hujus noni capituli de prophetis. Differunt autem Cathari circa Prophetas, ut dictum est in principio hujus operis. Qui enim duo ponunt principia, eos asserunt bonos fuisse: qui autem unum ponunt principium, malos eos judicant. Et sicut dicunt diabolum dedisse Vetus Testamentum; ita etiam dicunt ipsum misisse Prophetas. Asserunt etiam eos quandoque coactos per Spiritum Sanctum prophetasse de Christo, sicut & Moysen fecisse credunt; nec credunt eos tunc intellexisse quid dicerent. Quando autem de bellis, pestilentiis, & captivitatibus populi loquebantur, dicunt eos maligno spiritu tunc locutos. Quidam autem eorum credunt eos esse, de quibus dicitur Matthæi 27. v.52. *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt*: Arbitrantes eos propter aliqua bona, quæ dixerunt de Christo, surrexisse cum Christo, & denuo homines esse factos, & recepisse manuum impositionem ab Apostolis, cum quibus postea conversabantur, ut dicunt, & sic salvi facti sunt. Idem intelligunt de Abel, Abraham, Isaac, & Jacob, & de quibusdam aliis, de quibus credunt Apostolum loqui 1. Cor. 15. v. 6.: *Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul &c.* Ista autem fides ipsorum convincitur esse falsa, quia non est testificata a lege, & Prophetis, sicut prius dictum est. Qui duo ponunt principia, dicunt Prophetas bonos fuisse; aliquando autem omnes damnabant præter Isaiam, cujus dicunt esse quemdam libellum, in quo habetur, quod spiritus Isaiæ raptus a corpore usque ad septimum cælum ductus est, in quo vidit, & audivit quædam arcana, quibus vehementissime innituntur. Absit autem, quod ille liber unquam fuerit Isaiæ; sed eorum peccatis exigentibus, sicut in aliis spiritibus erroris intendunt, ita & in illo libello.

Contra Catharos, qui Prophetas dicunt a diabolo missos, & malos fuisse, & quod de Christo prophetaverunt, velut bruta animalia non intellexisse, possumus inducere illud Rom. 3. v. 21.: *Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est.* Et quia idem est modus argumentandi contra eos de Prophetis, qui & de lege notatus est in capitulo de lege in secunda parte capitis; ideo, illo dimisso ad alia transeamus. Duo autem intendimus ostendere de Prophetis: unum, quod intelligebant id, quod dicebant; alterum, quod boni fuerunt.

Quod autem intelligerent, probatur primo per hoc, quod si non intelligebant, quod dicebant, testes idonei justitiæ Dei esse non possunt, sed reprobari possunt, & tamquam bruta animalia repelli a testimonio. Secundo probatur istud per fidem, quam habebant, fidem scilicet, sine qua impossibile est placere Deo. Quod autem ita sit, patet Heb. 11. v.32., ubi Apostolus in laudem omnium Prophetarum, qui sub lege fuerunt, ponit spirituales laudes aliquorum dicens: *Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barach, Samson, Jephte, David, Samuel, & Prophetis.* 33. *Qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones*, idest, quæ promittebantur ut victoria, vel aliqua hujusmodi. Infra autem ubi loquitur de gloria animæ & corporis in generali resurrectione, dicit repromissionem in numero singulari. Et inferius v. 39.: *Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem.* 40. *Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.* Si fidem habuerunt: ergo & intellectum eorum, quæ dicebant. Nam & nos quæ de Christo intelligimus, per fidem tantum habemus. Et nota, quod laudat Apostolus eos de fide, & quia fides sine operibus mortua est, laudat eorum fidem ab operatione justitiæ; & sic ostendit eorum fidem operativam, sicut victoriam inimicorum cum dicit per fidem vicerunt regna. Et nota quod insuper dicit: *Et hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem*, idest, vitam æternam, & cælestem beatitudinem, quamvis tales essent; immo dilati sunt usque ad Christum: *Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur*; idest, ne obtinerent consummationem sine perfectione beatitudinis æternæ, idest, duplicem gloriam corporis & animæ, de quibus Isaias ait cap. 61. v. 7.: *In terra sua duplicia possidebunt &c.* post illos qui fuerunt post Christi adventum. Non dicit: ut non consummarentur; sed ut ne sine nobis consummarentur, quia qui ex fide sunt benedicentur cum fideli Abraham, ut dicit Apostolus. Non erat ergo fur, vel latro qui fidelis erat. Cum Sanctis ergo consummandi sunt. Ergo boni fuerunt, & habuerunt per fidem intellectum eorum, quæ prophetaverunt; data est enim prophetia secundum rationem fidei.

Præterea per Moysen potest istud ostendi, de quo dicit Apostolus Hebr. 3. v. 5. *Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tamquam famulus, in testimonium eorum, quæ dicenda erant.* Fidelis erat in domo Dei Patris, ut probatum est in capit. de Deo Veteris Testamenti, ad testificandum ea, quæ dicenda erant. Ergo non erat non intelligens ea, quæ dicebat. Et Hebr. 11. v.24. *Fide Moyses grandis factus est &c.* usque *aspiciebat enim in remunerationem.* Et v.27. *Invisibilem enim tamquam videns sustinuit*, idest gravia pro eo pertulit. Atque hoc idem potest ostendi per David; sed dimittamus istud usquequo de David specialiter loquamur in fine hujus cap.

Ad

Ad idem inducimus iſtud 1. Petr. 1. v. 9. *Reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum* 10. *de qua ſalute exquiſierunt, atque ſcrutati ſunt prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt*: 11. *ſcrutantes in quod, vel quale tempus ſignificaret in eis Spiritus Chriſti: prænuntians eas, quæ in Chriſto ſunt, paſſiones, & poſteriores glorias*: 12. *quibus revelatum eſt, quia non ſibimet ipſis, vobis autem miniſtrabant ea, quæ nunc nuntiata ſunt vobis, &c.* Vides quod dicit quod exquiſierunt, & ſcrutati ſunt: quod non eſt hominis ad modum animalis irrationalis ſe habentis; ſed hominis ratione utentis, & laborantis pro invenienda veritate: dicit etiam Petrus quod Spiritus Chriſti nuntiabat eis paſſiones, quæ de Chriſto ſunt, & poſteriores glorias, immo & quod revelatum eſt eis, quod non ſibimet ipſis, ſed vobis, ideſt, tempore veſtro miniſtrabat ea, ideſt, dicebat ea eſſe miniſtranda. Quomodo ergo audes dicere, quod velut non intelligentes, & velut animalia irrationabilia dicebant bona de Chriſto?

Præterea Johan. 4. v. 37. *In hoc eſt verbum verum: quia alius eſt qui ſeminat, & alius eſt qui metit.* Prophetæ ſeminaverunt, quia futura prædixerunt: Apoſtoli meſſuerunt, quia quod promiſſum fuerat, impletum oſtenderunt; & in hoc apparet verbum, ideſt, doctrinam Chriſti eſſe veram. Si enim Apoſtoli prædicaſſent Incarnationem Chriſti, paſſionem ipſius, & prophetæ non prædixiſſent illa, non fuiſſet creditum doctrinæ eorum. Sed quomodo eſſet manifeſtum quod verbum Evangelii eſſet, ſi prophetæ fuiſſent filii Diaboli, & mendaces homines fere in omnibus?

Præterea 2. Cor. 4. v. 3. *Habentes autem eundem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt: credidi, propter quod locutus ſum: & nos credimus, propter quod & loquimur.* Eundem ſpiritum dicit, quem & prophetæ habuerunt, & ponit unum ex prophetis, ſcilicet David, & dicit, quod ſicut David propter illum ſpiritum credebat, & ideo loquebatur; ita & Apoſtoli. Fides ergo, quæ movebat Apoſtolos ad credendum, movebat David, & alios prophetas. Ergo non ſunt locuti velut irrationabilia animalia, & bruta non intelligendo, ſed velut Fideles Chriſti fidem habentes.

Idem etiam poteſt probari per illud Act. 2. v. 30; ubi dicit Petrus de David: *Propheta igitur cum eſſet, & ſciret quia jurejurando juraſſet illi Deus de fructu lumbi ejus ſedere ſuper ſedem ejus*: 31. *providens locutus eſt de Reſurrectione Chriſti.* Si ſciebat illud, & provide loquebatur de Chriſti Reſurrectione: ergo non loquebatur tamquam non intelligens quid diceret. Ergo & alii prophetæ ſimiliter. De David autem ſciendum eſt, quod quidam ex toto eum damnant; Alii autem dicunt eum poſt Chriſti Reſurrectionem juſtum factum per modum, quem diximus in hac parte hujus cap.; de David tamen ſatis habebitur in tertia parte hujus operis de humanitate Chriſti. Qui autem duo ponunt principia, dicunt duos David eſſe: David Veteris Teſtamenti ex toto malum, & damnatum; alium vero bonum. De hoc autem non habent teſtimonium.

Similiter laudes, quas ponit Paulus de Antiquis Hebræ. 11. intelliguntur non de illis, qui in Veteri Teſtamento leguntur, ſed de aliis. Ejus autem, quod dicunt, patet falſitas, cum teſtimonio non firmetur. Quod autem boni eſſent, & intelligentes quod dicebant, & a Deo Sancto locuti, habetur 2. Petr. 1. v. 19. *Habemus firmiorem propheticum ſermonem, &c.* uſque *ſancti Dei homines.* Si prophetæ eſſent mali, & a diabolo miſſi, non eſſet eorum ſermo firmus. Ergo nec id, quod per ſermonem probaretur a Chriſto, vel a Petro, aut ab alio eſſet firmum. Item quomodo benefacerent, ſi attenderent ſermoni prophetico, ſi propheta malus eſſet, & velut brutum animal non intelligeret quid diceret? Quomodo poſſunt diſcernere quod potius huic ſermoni eorum eſſet attendendum, quam alii? Vide quod dicit Petrus, quod prophetia non ſit propria, ideſt, humana ratione, aut interpretatione; unde ſubdit v. 21. *Non enim voluntate, &c.* Item dicit: *Sancti Dei homines.* Boni ergo fuerunt, & quod dixerunt intellexerunt, cum fuerint inſpirati, atque illuſtrati a Spiritu Sancto.

Præterea Act. 4. v. 26. *Qui Spiritu Sancto per os patris noſtri David, pueri tui, dixiſti: quare fremuerunt gentes, &c.* David ergo puer Dei erat: non ergo diaboli, & Deus in eo loquebatur. Quod autem intelligeret, patet ex pſalmo 50. v. 6. *Tibi ſoli peccavi, &c.* uſque *manifeſtaſti mihi.* Et Act. 3. v. 18. *Deus autem, quæ prænunciavit per os omnium prophetarum, &c.* uſque *dies iſtos.* Ecce quod ſancti fuerunt, & Deus per eos locutus eſt. Luc. 1. v. 70. *Sicut locutus eſt per os Sanctorum, quia a ſeculo ſunt, prophetarum ejus.* Sancti ergo fuerunt, & a Deo locuti. Et Apoſtolus Rom. 1. v. 1. dicit quod erat *ſegregatus in Evangelium Dei*, 2. *quod ante promiſerat per prophetas ſuos in Scripturis ſanctis.* Non eſſent ergo ſui prophetæ, nec eorum Scripturæ ſanctæ, licet aliquid boni dixiſſent, ſi a diabolo miſſi eſſent, & eorum ſcripturæ fere in omnibus malæ fuiſſent.

CAP. X.

Agitur de miraculis & primo de miraculis Chriſti contra ponentes unum principium. (1)

§. I.

NUnc ad decimum cap. de miraculis tranſeuntes, primo videamus quid inde ſentiant Cathari, qui unum aſſerunt Creatorem, ſicut & vidimus quid inde ſentiant duos ponentes. Solent autem

(1) De Catharis unum principium ponentibus diximus *Not.* 8. *ad cap.* VIII. *l.* 1. *pag.* 88. dicemuſque notatione ſequente; ac pluribus aliis in locis. De miraculis autem *Nota.* 2. *ad cap.* IX. *lib.* 1. *pag.* 104. jam vero nota 1. in idem *cap.* IX. *pag.* 98. Factionem Balaſinanſæ exagitari diximus a Moneta. Vide notationem ſequentem.

autem isti dicere quod Christus fecit (2) corporalia miracula in his, & de his rebus visibilibus, quibus sic objiciendum est. Si Deus refecit species istas visibiles, quare Tu negas eum facere eas; nobilius enim est aliquid facere de novo, quam istud reficere?

Præterea sola peccata non reficiuntur; unde 1. Johan. 3 v. 8. *In hoc apparuit filius Dei, ut dissolvat opera diaboli*. Ideo autem ea non reficit, quia ea numquam facit. Unde 1. Petr. 2. v. 22. *Qui peccatum non fecit*, &c. Signum ergo evidentissimum est quod facit harum rerum species hoc ipso quod reficit eas. Hic notandum est, quod hi Hæretici velantes suum errorem in publico, dicunt, quod Deus Sanctus, qui ista refecit per Christum, & per ejus discipulos circa principium Ecclesiæ, ille idem fecit eas. Hoc autem intelligunt, scilicet quod fecit eas materialiter, idest, earum materiam; sed non credunt quod dederit formas specificas rebus. Unde utendum est verbo præteriti temporis quærendo ab eis: quis fecit hæc visibilia? Concedunt de plano, quod Deus pater justorum. Item est utendum verbo præsentis temporis: quis facit hæc? Demonstrato aliquo, quod fit de novo, ut possimus detegere eorum malitiæ velamen. Dicamus quod facere, vel fecisse non sumitur pro creare, vel creasse: quod etiam est secundum eos de nihilo aliquid facere, vel fecisse, sed sumitur pro formare. Et tunc quæramus utrum fecerit, vel faciat ista visibilia. Ad hoc dicunt quod sic; sed intelligunt istud permissive, quia permisit Satan septem diebus ista facere. Unde inquirendum est postea, si fecit ea per se ipsum, idest, sine ministro, vel per ministrum. Quod sine ministro faciat, vel fecerit, hoc non audent dicere. Unde dicent quod per ministrum. Sed iterum quærendum an ille minister fuerit Satan, an non, & sic detegetur eorum velamen.

[*] Præterea si contingat ipsos dicere, quod per se fecit opera sex dierum, scias quod æquivoce respondent, & sumunt facere pro creare. Unde ad detectionem erroris sui dic ei: numquid solus, secundum quod est factura Dei, ut Tu dicis, an aliquis alius superaddidit aliquid? Idem quærere potes de aliis creaturis.

Præterea huic quæstioni: quis fecit ista visibilia? respondit quidam Hæreticus quod Deus Sanctus potentialiter. Cui dicendum: quis fecit ea actualiter? Aliquis potentialiter est Episcopus. Ergo si Deus tantum potentialiter ista fecit, non fecit ea. [*]

Nunc redeamus ad illud, quod proposuimus, scilicet de miraculis visibilibus, quæ Christus fecit, ut Hæreticus concedit, qui unum tantum creatorem ponit. Christus sanavit aliquod corpus, immo & plura, ut probari potest per Evangelium: Suscitavit ea de morte ad vitam. Aut sanavit, & vivificavit tantum quod creaverat, aut totum, id est, illud, quod constat ex creato a Deo, & ex superaddito a Satana? Si tantum illud, quod ibi de suo est, idest, quatuor elementa, vel eorum materiam: contra. Numquid elementa sunt paralitica, vel hujusmodi? Constat quod non, quia illa non sunt susceptibilia sanitatis, aut ægritudinis. Non enim omnia corpora susceptibilia sunt istorum, sed tantum corpora vegetabilium, & animalium, ut notum est omnibus recte intelligentibus. Ergo non potes dicere, quod sanavit tantum, quod ibi erat de suo. Si autem sanavit istud totum, quod est ex creato a Deo, & ex superaddito, ipsum totum est susceptibile sanitatis, & vitæ. Sanavit ergo, & vivificavit opus Satanæ: quod minime fecisset.

Præterea dicas mihi: Istud superadditum aut bonum est, aut malum. Si bonum: ergo cum omne bonum principaliter sit factum a Deo Sancto, istud etiam factum est ab eo principaliter. Non ergo tantum materialiter, sed etiam formaliter est principaliter facta res ista visibilis, & transitoria a Deo vero. Ipsa ergo forma corporalis a Deo est principaliter, & membrorum distinctio. Ergo membra bona. Ad quid enim distinxit membra, nisi ad usum aliquem? Si autem istud superadditum malum est, Deus istud malum non reficeret aut sanando, aut vivificando illud. Ergo non est malum, sed bonum; & ita ut prius.

[*] Præterea ad quid fecit Dominus quatuor elementa, aut eorum materiam? Quæ utilitas ex eis, si inde rerum species non essent formatæ? Ergo ipsa formatio ex Dei voluntate. Omnia autem quæcumque voluit fecit principaliter.

Præterea opus Dei lux est, opus Satan tenebræ. Quæ conventio lucis ad tenebras? [*] Ex his patet quod si Deus fecit miracula materialia, quod istæ res materiales ab eo totaliter sunt factæ.

§. II.

(2) Contra nempe ac Balasinansæ sectatores dicerent. Nam Balasinansa, qui duo ponebat principia, *putative* facta fuisse a Christo miracula contendebat, ut tradit Sachonus in *summa de Catharis Col.* 1796. *Tom.* v. *Thesauri Anecdot. Martenii*. Jam vero non alios arbitror Catharos hic Monetam indicare, qui unum principium ponerent, quam Concorrezenses qui Christum vere carnem de B. Virgine assumsisse, & unum esse principium arbitrabantur, ut ait Sachonus *ibid. Col.* 1773. Verum nihil habet Sachonus de illorum circa prodigia Christi sententia. Neque vero Concorrezenses tantum; sed etiam Lugienses, qui tamen duorum principiorum adsertores erant, quamvis diversa a Balasinansæ asseclis ratione, vera miracula *corporalia* a Christo fuisse patrata pugnabant. Videndus Sachonus *ibid. col.* 1773. Hoc ergo genus hæreticorum sapienter refellit Moneta; omnes enim aut conditum, aut formatum a diabolo Mundum fuisse existimabant: ut auctor est Sachonus locis supra indicatis: quod si refectas fuisse a Christo res aliquot *corporeas* arbitrabantur, quid caussæ esse poterat, cur conditas formatasque omnes a bono principio fuisse negarent; quum præstantius sit facere, quam reficere quidpiam?

[*] Quæ duobus asteriscis comprehensa sunt, non exstant in Cod. Bon. & Vat.

[*] Desunt hæc etiam e Vat. & Bon. Codd.

§. II.

Probatio, quod Ecclesia Dei fecit miracula materialia etiam ante passionem Christi.

SEcundo videndum est si Ecclesia Dei hanc habuit potestatem. Quod autem habuit eam, patet Matth. 10. v. 1. Ubi dicitur: *Et convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem*. Et paucis interpositis, dixit eis v. 8. *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite*. Hoc idem habetur ex parte Marci 6. v. 7., & Lucæ 9. v. 1. Et Lucæ 10. v. 17. dicitur, quod reversi septuaginta duo cum gaudio, dixerunt: *Domine etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo*. Ecce habemus, quod potestatem faciendi miracula dedit Ecclesiæ suæ, & illam potestatem exercuerunt ante passionem Christi, ut patet Marci 6. Lucæ 9. v. 10. Eandem etiam potestatem habuerunt post Resurrectionem suam, ut legitur Marci 16. v. 17. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia ejicient: linguis loquentur novis*: 18. *Serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt*. Et post pauca dicitur ibi v. 20. *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis*. Ista fuerunt miracula visibilia, quibus Dominus confirmavit prædicationem eorum apud homines. Si enim non viderent ea, non essent eis signa. Ecce quod Dei Ecclesia visibilia miracula fecit etiam ante passionem Christi, & post passionem. Nono etiam cap. primæ partis ostensum est quod Apostoli visibilia miracula fecerunt. (3)

§. III.

Probatio, quod sola Romana Ecclesia debet dici Ecclesia.

HIs visis, manifestum esse debet quod sola Romana Ecclesia est Dei Ecclesia; ipsa enim sola istam potestatem retinuit, & habet eam in aliquibus membris suis, non dico in omnibus, quia Dominus dixit quidem: *Signa autem eos, &c.* Sed non dixit omnes eos. Hoc tamen ex parte impletum est in Cornelio, & in omnibus his, qui cum ipso erant, ut habetur Act. 10. v. 45. Ubi dicitur quod *obstupuerunt ex circumcisione Fideles, qui venerant cum Petro: quia & in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est*. 46. *Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum*. De his dicit Apostolus 1. Cor. 14. v. 5. *Volo autem omnes vos loqui linguis: magis autem prophetare*. Et paucis interpositis dicit v. 22. *Itaque linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus: prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus*.

§. IV.

Objectio Hæreticorum, quod illi de Ecclesia Romana non faciunt vera miracula.

OBjicit etiam Hæreticus, & dicit quod in Ecclesia Romana signa faciunt illi, de quibus Dominus dicit Matth. 7. v. 22. *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* 23. *Et tunc confitebor illis: quia numquam novi vos: discedite a me, qui operamini iniquitatem*. Et ad hoc dicendum est eis, quoniam Dominus non arguit eos de incredulitate, sed de iniqua operatione, fidem enim habebant sine operibus, & in fide nominis Jesu Christi illa faciebant, sicut & boni habentes cum fide opera sancta: de quibus habetur Act. 3. v. 16. ubi Petrus dixit de quodam claudo ex utero matris suæ, quem sanaverat *in fide nominis ejus*, idest, Jesu; *Hunc, quem vos vidistis, & nostis, confirmavit nomen ejus*. Quod autem eos non arguat de infidelitate, patet ex verbis Domini ad eos: *discedite a me, qui operamini iniquitatem*. Non dixit: qui non creditis æquitatem, idest, sicut æquum est. Patet etiam ex eo, quod in nomine ejus illa faciebant, quæ minime fecissent, nisi fidem nominis ejus habuissent.

Præterea quando dicunt ei: *Domine, Domine*. Ex qua duplici professione insinuant, quod fidem habeant duplicis naturæ Christi, idest, divinæ, & humanæ, & quod secundum utramque Dominus erat. Secundum divinam, quia omnia per ipsum Deum facta sunt; secundum humanam, quia per eum hominem humana natura pretio sanguinis ejus redempta est: unde Apostolus 1. Cor. 6. v. 19. ait: *Non estis vestri*; 20. *Empti enim estis pretio magno. Glorificate, & portate Deum in corpore vestro*.

Quod autem per talem fidem possint quandoque fieri miracula, patet per Apostolum 1. Cor. 12. v. 2. *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuerim, nihil sum*. Aliquis ergo habens totam fidem, cui deest charitas, potest ista facere. Si ergo dicas mihi quod in Ecclesia

(3) Non solum ab Apostolis, sed etiam ab aliquot Christianæ Religionis cultoribus in Ecclesia Catholica patrata fuisse miracula tradiderunt Patres. Ac de sua quidem ætate pleraque habet contra Gnosticos disserens Irenæus ad rem nostram mirifice accomodata *lib.* II. *cap.* XXXII. *al.* LVII. *pag.* 166. ut ceteros omittam Justinum in *Dial. Cum Triphone*. Tertullianum *in Apologet.* Eusebium *in Hist.* aliosque sex centos. Sed quod in Ecclesia Catholica vera a Deo patrari prodigia soleant, multis evincunt, Bellarminus, Fratres Vuallemburchii, & Eminentissimus Cardinalis Gottius *De Vera Ecclesia* Melchior Cornæus. *Disp. De* Miraculis Ecclesiæ Catholicæ contra Danhaverum.

sia Romana faciunt signa illi, de quibus Dominus dicit Matth.7. v. 22. *Multi dicent mihi &c.* cum isti habeant veram fidem, licet non opera charitatis, sola Romana Ecclesia habet fidem. Ergo tu es sine fide, qui de ea non es.

Præterea quod tales sint in Ecclesia Romana, qui signa faciunt, hoc non potes ostendere. Sed detur gratia disputationis; non tamen est contrarium Ecclesiæ Romanæ, sed pro ea, ut ostensum est.

Objiciunt etiam illud, quod legitur Matth. 24. v. 24. *Surgent pseudochristi, & pseudoprophetæ: & dabunt signa magna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi*. Ad idem etiam inducunt illud, quod habetur Apocalyp. 16. v. 13., ubi Joannes ait: *Et vidi de ore draconis, & de ore bestiæ, & de ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum*. 14. *Sunt enim spiritus dæmoniorum: facientes signa*. Ex his volunt, quod qui in Ecclesia Romana signa faciunt, pseudoprophetæ sunt, & qui talia faciunt dæmonium habent, per quod illa faciunt.

Ad quod dico, quod, sicut ostensum est, Ecclesia Dei hanc potestatem habuit. Si ergo Ecclesia Romana ista facit, ex hoc non cognoscitur, quod mala sit; immo potius cognoscitur Ecclesia Dei esse. Et si dicas, quod qui talia faciunt, pseudoprophetæ sunt, & dæmoniaci, idem poterunt dicere homines de Apostolis, & de credentibus eorum, quos talia signa sequebantur, ut dicit Dominus Marci ultimo.

Præterea ego dico, quod ista signa, de quibus Dominus loquitur Matth. 24., & Apocalyp. 16. phantastica sunt, nec sunt vera signa; unde Dominus ipse appellat eos pseudoprophetas, idest falsos. Et in Apocalypsi dicitur: *Vidi de ore pseudoprophetæ*, idest, falsi. Sicut ergo falsi erant; ita falsa signa faciebant. E contrario autem est in signis, quæ in Ecclesia Romana faciunt; vera enim esse sciuntur per experientiam.

Præterea, numquid illi in nomine Christi talia facient? Non; immo dicent se esse Christum, illum autem, de quo credimus, & loquimur, non fuisse Christum. Vis videre quod dico? Attende quid Dominus ait: *Surgent enim pseudochristi &c.* Isti ergo falso ostendent se esse Christum; & Prophetæ eorum falsi idem ostendere conabuntur.

Præterea, Dominus dixit Matth. 10. v. 25. Ecclesiæ suæ: *Si Patrem familias Belzebub vocaverunt: quanto magis domesticos ejus*. Matth. vero 12. v. 24. habetur quod, cum Christus dæmonium ejecisset a quodam, Pharisæi dicebant: *Hic non ejicit dæmones nisi in Belzebub*. Quasi dicat: Opera miraculosa, quæ testimonium perhibebant de Christo quis esset, adscribebant dæmoni. Eorum autem imitatores vos esse ostenditis, quia scilicet opera in nomine Jesu facta ab Ecclesia Romana dæmoni assignatis. In hoc etiam apparet subjectos Romanæ Ecclesiæ esse Christi domesticos, qui in perpetuum illud a nobis sustinent, quod Christus suis domesticis, idest, familiaribus promisit dicens: *Si Patrem familias &c.*

Propter hæc, & his similia alii Cathari, qui duo ponunt principia, ut dictum est capitulo nono primæ partis, dicunt, quod Christus, & ejus Ecclesia numquam fecit materialia signa, dicentes: *Litera occidit; spiritus autem vivificat*. Spiritualiter ergo, dicunt ipsi, debemus intelligere signa Christi. Hoc autem in illo capitulo destruximus. Hic autem addimus ad veritatis confirmationem, & suæ hæresis confusionem, quod quandoque verba Evangelii habent intelligentiam multiplicem, scilicet literalem; & hæc est fundamentum aliarum intelligentiarum; & etiam spiritualem. Quandoque enim Christus loquebatur in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis, ut habetur Matth. 13. v. 34. & Marci 4. v. 34. Et tunc omnia spiritualiter intelligenda sunt, ut patet in parabola de semine, & de thesauro abscondito in agro, & hujusmodi. Horum autem spiritualem intelligentiam seorsum dicebat Apostolis, ut dicitur Matth. 13. v. 17. Quibus datum erat nosse mysteria regni Dei, idest, occulta Ecclesiæ ejus, ut habetur Lucæ 8. v. 10. Sed post promissionem, quam fecit Apostolis Jo: 16. v. 25. Quod in proverbiis non loqueretur eis. Quæ promissio facta est imminente tempore passionis ejus. Postea post suam passionem & resurrectionem, in die scilicet Ascensionis dixit Apostolis, ut habetur Marci ultimo: *Signa autem eos, qui &c.* Illa ergo ad literam oportet intelligere esse dicta, non parabolice, idest, per similitudinem tantum.

§. VI.

Quædam alia Hæreticorum blasphemia refutatur.

TErtio in isto capite videnda est alia Catharorum blasphemia, qui unum ponunt principium, de miraculis. Dicunt enim quod licet Dei Ecclesia potestatem faciendi materialia miracula habuerit, & fecerit ea, non tamen post mortem; nullus enim sanctus fecit aliquod signum post mortem suam.

Quibus dicendum est, quod Christus postquam mortuus est, signa fecit, sicut patet Matth. 27. v. 50. ubi dicitur, quod Jesus *clamans voce magna, emisit spiritum*. 51. *Et ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum, & terra mota est: & petræ scissæ sunt*, 52. *& monumenta aperta sunt: & multa Corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt*. Si Christus fecit, non est incredibile, quod ejus discipuli similiter faciant signa post mortem.

Præterea dicendum est Hæretico: unde hoc habes, quod nullus Christi discipulus, nullus sanctus homo fecit signa post mortem? Si dicat, quod non est scriptum, dicas illi: ubi deberet esse scriptum, cum etiam de morte alicujus eorum scriptum non sit, nisi de morte Stephani Act. 7. v. 59., & de morte Jacobi fratris Joannis Evangelistæ Act. 12. v. 2.? Cessate ergo a blasphemiis, & nolite Dei Ecclesiam impugnare.

§. VII.

§. VII.

Litera quędam Johannis discutitur.

QUarto in isto capite videnda est, & discutienda litera quædam Johannis 14. v. 12. *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.* Dicimus autem, quod ista litera de materialibus miraculis loquitur. Jo: 10. v. 25. dixit Jesus Judæis: *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me*; idest, quod ego sum Deus unius scilicet sapientiæ, unius potentiæ & bonitatis. Quod autem istud verbum intelligatur de miraculis visibilibus, quæ ipse faciebat, & Ecclesiæ suæ facienda relinquebat, patet ex eo, quod Christus ait Jo: 9. v. 4.: *Me oportet operari opera ejus, qui misit me.* Hoc autem dixit quando cæcum illuminavit. Ostensum est autem supra quod istud miraculum fuit materiale. De istis ergo dicit: *Opera, quæ ego facio, & ipse faciet* in nomine Sancti Patris ejus. Et Jo: 10. v. 37. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi*. 38. *Si autem facio: etsi mihi non vultis credere, operibus credite.* Quod autem ista sint opera miraculorum materialium, patet Jo: 11. v. 45., ubi de Lazaro corporaliter resuscitato, dicitur: *Multi ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant quæ fecit Jesus, crediderunt in eum.* Nota istud fuisse visibile miraculum, quia dicitur: *Et viderant quæ fecit Jesus.*

[*] Si autem objiciat Hæreticus: quomodo ergo stabit, quod Jesus ait illis: *Et majora horum faciet?*

Respondetur. Etsi enim Christus ad tactum fimbriæ mulierem patientem fluxum sanguinis sanaverit Matth. 9. v. 22. Petrus tamen umbra proprii corporis sanabat Act. 5. v. 15. Majus autem dicitur non potestate, sed modo faciendi, quia *ego mitto promissum Patris mei &c. Quoadusque induamini virtute ex alto*, ut habetur Lucæ 24. 49. Et Ephes. 4. v. 8. *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus.* Virtute enim Spiritus Sancti accepta a Christo ista faciebant, non pertimescentes ullam persecutionem occasione horum operum.

Præterea, faciebant illa majora per orationem: unde sequitur v. 13. *Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo &c.* Vestrum est supplicare ut fiant; meum autem est potestatem illam in actum deducere sine vobis. Jo: 5. v. 26. *Sicut Pater habet vitam &c.* Quasi dicat in sui potestate. Jo: 5. v. 21. *Sicut enim Pater suscitat mortuos, & vivificat: sic & Filius, quos vult, vivificat.* (4) [*]

[*] Desunt hæc è Vaticano Cod.

(4) Concludam hoc caput Augustini verbis; nam ut hac nostra ætate Ecclesiæ Catholicæ miracula hæretici Calviniani & Lutherani contemnunt, merasque esse fabulas autumant, sic Cathari XIII. seculo, & Augustini temporibus improbi quidam, scelestique homines in Ecclesia eadem ulla miracula fieri negaverunt. Sic ergo habet Augustinus *lib.* XXII. *de Civ. Dei cap.* VIII. *col.* 663. *Etiam nunc fiunt miracula in ejus* (Christi) *nomine, sive per Sacramenta ejus, sive per Orationes, vel memorias Sanctorum ejus: Sed non eadem claritate illustrantur, ut tanta, quanta illa gloria diffamentur. Canon quippe Sacrarum Literarum, quem diffamatum esse oportebat, illa facit ubique recitari, & memoriæ cunctorum inhærere populorum: hæc autem ubicumque fiunt, ibi sciuntur vix a tota Civitate, vel quocumque commanentium loco.* Recenset deinde varia miracula quæ tempore suo, Dei Optimi Maximi gratia contigerant. Quæ cum ita sint, ridendus est Danhaverus, qui in *Disp. de Miraculis Veris Falsisque pag.* 726. *Tom.* I. *Opp. Edit. ann.* 1707. Augustinum sibi esse præsidio putat, affirmanti non esse permissa prodigia, ut ad suam usque ætatem durarent.

Explicit Liber Secundus.

VE-

VENERABILIS PATRIS

MONETÆ CREMONENSIS

ORDINIS PRÆDICATORUM

SUMMÆ

ADVERSUS CATHAROS, ET VALDENSES

LIBER TERTIUS.

PErtractata hujus operis prima, ac secunda particula accedamus ad tertiam. Dividitur autem hæc pars in quinque capitula. Primum capitulum est de Præcursore Christi, idest de Beato Johanne Baptista. Secundum est de matre ejus, scilicet Beata Virgine. Tertium est de Christo. Quarto capitulo hujus partis de Antichristo tractatur. Quinto de Spiritu Sancto.

CAP. I.

De Præcursore Christi.



Icut diximus primum cap. est de Johanne Baptista, de quo tractabimus hoc ordine. Prius videbimus de (1) Angelo, per quem facta est annunciatio ejusdem Præcursoris, an a Deo missus sit eum annunciare, an a Diabolo. Secundo de Parentibus Johannis, quibus facta est illa annuntiatio. Tertio de ipso Johanne.

§. I.

De Angelo per quem facta est Annuntiatio ejusdem Præcursoris.

AD hoc autem (2) detestandum sufficiet dicere, quod hoc nullo testimonio scripturæ possunt ostendere verum esse.

Præterea B. Lucas c. 1. v. 11. asserit quod fuit *Angelus Domini, stans a dextris altaris incensi.* Ecce quod Lucas dicit eum (3) Angelum Domini: Tu autem Hæretice dicis eum Angelum Satanæ. Cui credendum est? Tibi, an Lucæ?

Præterea si esset, ut dicis, non appellasset eum Lucas Angelum Domini. Et si dicas, quod ideo eum sic appellat, quia ab eo creatus est: dico, quod si eum ita Angelum Domini appellasset, apposuisset determinationem, sicut in 1. Regum 16. v. 23. dicitur:

(1) Fuit hic error proprius Albanensium Catharorum, qui Balasinansæ parebant. Etenim, ut est a Reinerio Sachono memoriæ traditum, credunt: *quod Abraham, Isaac, & Jacob .... atque Johannes Baptista fuerunt inimici Dei, & ministri Diaboli. Col. 1769. Tom. v. Thesauri Anecdotor. Martenii.* Nec longe aberant veteres Concorrezenses, quamvis multi, qui ætate Reinerii Ecclesiam infestabant, Johannem in servorum Dei numero ponerent, scripsit autem Sachonus *an.* 1250. suntque illius verba hujusmodi: *Col.* 1773. *Multi ex eis modo bene credunt de B. Johanne Baptista, quem olim omnes damnabant.* Ab Concorrezensibus non discrepabant, qui erant ex pseudo-Ecclesia Bajolensi, vel Bagnolensi quippe qui *fere in omnibus erroribus supradictis conveniebant cum Catharis de Concorrezo, excepto hoc, quod* dicebant, *quod animæ sunt creatæ a Deo ante mundi constitutionem, & quod tunc etiam peccaverunt.* Sachonus *col.* 1773. sed longe clarius Bajolensibus hoc dogmatis pravi genus tribuit Peregrinus Priscianus apud Muratorium *Tom. v. Antiq. Ital. Medii Ævi: pag. 94. dicunt,* inquit, *quod Johannes Baptista malus fuit,* Albigenses, Bagnolenses, & quidam Concorrezenses. Jam vero Lugienses in ea erant sententia, ut placuisse quidem Deo censerent Johannem Baptistam, sed in alio Mundo, non in hoc aspectabili vitam degisse. Sachonus *ibid. col.* 1772. Itaque Albanenses Catharos, veteresque Concorrezenses hic vexare aggreditur noster. Id agit etiam auctor Anonymus *Disputationis Inter Catholicum, & Paterinum Hæreticum Cap.* VI. *Col.* 1723. *seq. Tom.* v. *Thesauri Anecdotor. Marten.* Gnostici, teste Epiphanio Hæres. XXVI. *pag.* 88. *Tom.* I. *Opp.* Johannem tunc, cum a Christo vehementer laudaretur, minus fuisse perfectum ajebant. A pluribus enim ventis perflatum, modo Judæis, modo Christo consentire solitum fabulabantur, ac Judæis quidem, cum principis hujus Mundi; Christo autem, cum veri Dei sanctique spiritu ducebatur. Itaque concludebant, eum qui in eorum factione minor esset, longe Johanne esse præstantiorem. Huc enim pertinere jactabant ea Christi Servatoris verba. *Qui minor est in Regno Cælorum major est illo.* Atque hinc plane constat Catharos minus ab Gnosticis discrepasse.

(2) Nempe, quod a malo Deo missus Angelus Gabriel fuerit, quod Cathari indicati notatione superiore pugnabant. Sequebatur autem hæc illorum absurda opinio ex eo, quod Johannem ejusque parentes a malo principio profectos fuisse arbitrabantur.

(3) Sapienter Irenæus *lib.* III. *cap.* X. *al.* XI. *num.* I. *pag.* 185. de

citur : *Spiritus Domini malus arripiebat Saul*; malus enim erat propria voluntate, licet esset bonus Dei creatione.

Præterea non est dubium quod Lucas c. 1. v. 29. dicat Angelum illum dixisse Zachariæ ne dubitaret de filio habendo : *Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum : & missus sum loqui ad te, & hæc tibi evangelizare*. Credis Tu quod verum dixit? Si hoc credis : ipse ergo erat ille, qui Christi ortum annuntiavit ex Virgine. Bonus ergo fuit, & a Deo missus, ut dicit Lucas eodem cap. v. 26. *In mense autem sexto, missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth*. (4) Si autem non credis ipsum dixisse verum, sed credis eum non fuisse Gabrielem, quomodo Lucas illud mendacium ponebat sine determinatione aliqua, cum illa verba secundum hoc sint erroris inductiva? Sic enim provocabat eum ad cognoscendam uxorem suam : quod tu credis illicitum; nos autem licitum, & per Angelum Dei procreatum suasione illorum verborum.

Item eorumdem occasione credimus illum esse, qui apparuit Virgini : quod non est verum secundum Te, immo hæreticum.

Item ex hoc credimus Parentes Johannis bonos fuisse, quoniam iste Angelus, qui propter Lucæ verba Gabriel esse creditur, dixit Zachariæ Luc. 1. v. 13. *Ne timeas Zacharia* (5) *quoniam exaudita est deprecatio tua* : Ut enim habetur Jo: 9. v. 32. *Peccatores Deus non audit, sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit*.

Præterea quod ille, qui annuntiavit ortum Christi ex Virgine, esset ille, qui annuntiavit ortum Johannis ex sterili, patet ex verbis Gabrielis ad Mariam. Cum enim quæsivisset ab Angelo Luc. 1. v. 34. *quomodo fiet istud : quoniam virum non cognosco?* Per exemplum Elisabeth ostendit hoc Deo impossibile non esse dicens v. 36. *Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua, & hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis*. Ex hoc quod menses ita computat ostendit aperte se ortum Johannis annunciasse.

Præterea dixit, quod non erat impossibile apud Deum omne Verbum, idest nec promissio facta Elisabeth sterili, nec promissio facta Tibi Virgini : sed utrumque verbum, idest promissum suum potens est complere. Ergo qui promisit filium Zachariæ, promisit etiam Virgini Mariæ, & per eundem, idest per Gabrielem. (6)

§. II.

Probatio Ecclesiæ, quod Parentes Johannis fuerint boni.

Viso de Angelo, per quem facta est annuntiatio, videamus de Parentibus Johannis, quos malos credunt fuisse. Quibus dicas : Numquid aliquo testimonio potes ostendere, quod mali essent? Non.

Præterea Lucas eos asserit bonos fuisse ante ortum Johannis; sic enim ait Lucas c. 1. v. 6. *Erant autem justi ambo ante Deum*, (7) *incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela, & non erat illis filius, eo quod esset Elisabeth sterilis*. Lucas eos laudat a plena justitia, quia incedebant in omnibus, non tantum in quibusdam mandatis Dei, & in omnibus justificationibus ejus; & quod erant sine querela, quia nullus de eis conqueri poterat; tu vero eos vituperas sine testimonio Scripturæ. Cujus ergo testimonio standum est. Tuo, an Lucæ?

Præterea Luc. 1. v. 11. *Angelus* Gabriel *apparuit* Zachariæ, *stans a dexris altaris incensi*. 12. *Et Zacharias turbatus est, videns : & timor irruit super eum*. 13. *Ait autem ad illum Angelus* bonus, & sanctus, scilicet Gabriel, ut ostendimus : *Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua*. Dicas mihi : A quo exaudita est? Constat, quod nonnisi ab illo, ante quem Lucas eum justum esse testatur. Sed non testatur Lucas cum justum, nisi ante Deum patrem justorum. Ergo exaudita est a Deo patre justorum. Illum ergo orabat. Ab illo ergo habuit Elisabeth quod Johannem conciperet. Opus ergo matrimoniale a Deo Sancto est.

Præterea Zacharias erat Sacerdos Dei Veteris Testamenti. (8) Ergo Deum Veteris Testamenti orabat. Sed orabat patrem justorum, ante quem justus dicitur a Luca. Ergo Deus Veteris Testamenti pater justorum est.

Item dicit Lucas dicto c. 1. v. 9. Quod Zacharias *sorte exiit ut incensum poneret, ingressus in Templum Domini*. Illud ergo templum erat Dei. Quare dicis quod Diaboli, cum Lucas dicat ipsum Dei? Lucas enim Satanam ibi Dominum non appellaret sine determinatione, ne mitteret homines in errorem.

Item de sanctitate Parentum habetur Luc. 1. v. 40. Ubi dicitur quod Maria ingressa domum Elisabeth salu-

de Zacharia, & Elisabeth Johannis parentibus contra hæreticos suorum temporum disserens. „ Qui præest, *inquit*, in conspectu Do-
„ mini simpliciter, & absolute, & firme Deum, & Dominum con-
„ fitens ex sua persona, eum qui elegerit Jerusalem, & legislatio-
„ nem Sacerdotii fecerit, cujus est & Angelus Gabriel. Etenim
„ alterum super hunc nesciebat : Si enim intellectum perfectiori
„ alicujus Dei, & Domini, præter hunc habuisset, non utique
„ hunc quem sciebat labis esse fructum, absolute, & in totum Do-
„ minum, & Deum confiteretur ... Et iterum de Angelo refe-
„ rens ait. *In ipso autem tempore missus est Angelus Gabriel*
„ *a Deo, &c.*

(4) Videtor Irenæus *ibid. num.* 2.

(5) Hoc item affertur a Bonacurso *De Vita Hæret. apud Dacherium Tom.* XIII. *Spicileg. pag.* 69. *Edit. Primæ*.

(6) Huc spectant, quæ contra Catharos. quos supra commemoravi, disputat Ermengaudus, non *Contra Vvaldenses*, ut male in editis. *Tom.* XXIV. *Bibl. PP. Edit. Lugdun. pag.* 1605. quo loco *cap.* VI. probat *Conceptionem, & Nativitatem Johannis Baptistæ a bono Angelo annuntiatam fuisse*.

(7) Hoc idem testimonium adhibet Irenæus, tum deinde contra Hæreticos sui temporis ea subnectit, quæ supra notatione tertia retulimus.

(8) Simile quidpiam habet Irenæus *lib.* III. *cap.* X. *pag.* 105. *num.* 2. Prævidit fortasse hoc argumenti genus, quod contra Catharos adhibet noster, impudentissimus Marcion; quare ut vim ejus effugeret, hæc verba, ut alia multa, quæ sibi adversabantur; ex Evangelio Lucæ expunxit, Vide Epiphanium *Hæresi* XLII. *Num.* XI. *pag.* 311. *Tom.* I. *Opp.*

salutavit ipsam, & impleta est Spiritu Sancto. Si erat plena Spiritu Sancto: ergo in ea non erat locus spiritui maligno. Erat ergo sancta, & bona mulier ante Dominum, licet esset gravida. Quare ergo dicis gravidas spiritum malignum in se habere?

Item Luc. I. v. 58. *Et audierunt vicini, & cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam cum illa, & congratulabantur ei.* Ergo ipsa bona erat.

Præterea, in quo magnificavit misericordiam suam cum illa, nisi in conceptione Johannis? Ergo conceptio carnalis est ex Dei misericordia. De Zacharia etiam habetur similiter; ibi enim dicitur v. 67. quod Zacharias pater Johan. Baptistæ plenus Spiritu Sancto prophetavit dicens: *Benedictus Dominus, &c.* Ergo bonus erat iste Spiritus Sanctus, qui ad talia dicenda virum, & uxorem ejus movebat. Iste est ille Spiritus Sanctus, quo superveniente Maria concepit in utero, & peperit filium, ut habetur eodem capite Lucæ.

§. III.

De Johanne Baptista.

Viso de Angelo, qui nuntiavit Johannem, & de Parentibus ejus, videamus de ipso Johanne, contra quem plures dicunt blasphemias. Una est, quia dicunt eum a Diabolo missum. Hoc autem nullo testimonio scripturæ possunt ostendere. Nos autem illud esse falsum ostendemus ex eo, quod B. Johannes Evangelista dicit c. I. v. 6. *Fuit homo missus a Deo,* (9) *cui nomen erat Johannes.* Tu dicis quod a Diabolo: Johannes dicit quod a Deo. Cujus verbo standum est: Tuo, an Johannis?

Dicunt etiam, quod ejus baptismus fuit a Diabolo, qui misit eum baptizare, ut baptismum Christi impediret. Hoc autem falsum esse ostendemus in quarta particula hujus operis in cap. de Baptismo Johannis.

Asserunt etiam prædicti Hæretici eum fuisse malum ab utero matris suæ, cujus rei testimonium non habent; immo contrarium testatus est Gabriel de ipso dicens Luc. I. v. 15. *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris* (10) *suæ*: quod totum impletum est, quando Maria salutavit Elisabeth, & hæc impleta Spiritu Sancto dixit ad Mariam ibidem 44. *Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in* (11) *auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo.* Si Johannes malus fuisset, idest si malus spiritus, vel malum spiritum in se habens, ad vocem B. Virginis Matris Christi nequaquam exultasset; immò potius tristis effectus fuisset, & perterritus, sicut dicitur Jacobi 2. v. 19. *Et dæmones credunt, & contremiscunt.*

Præterea dicit Lucas, quod Deus magnificavit misericordiam suam cum Elisabeth. Si malus filius erat Johannes, ut dicis, non magnificasset misericordiam suam cum illa, immo potius iram.

Item dicit Lucas c. I. v. 67. *Etenim manus Domini erat cum illo*: quod non esset, si talis esset, ut dicis. Item ibidem 13. dicit Angelus Gabriel Zachariæ: *Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: & uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, &c.* Et in his verbis septem notantur, ex quibus apparet bonitas Johannis, & quod nuncius Dei fuit, non Diaboli, & quod ad parandam viam Domini venit, non ad impediendum eum. Primum est annuntiatio nativitatis ejus per Angelum Gabrielem; idem enim nuntiavit conceptum, & ortum Johannis, & Christi. Hoc habetur ibi: *Ne timeas, &c.* usque *Johannem.* Secundum, lætitia multorum de ortu ejus 14. *Et erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt*: quod nequaquam ei fuisset, si talis erat, ut dicis. Tertium est ipsius spiritualis magnitudo coram Domino 15. *Erit enim magnus coram Domino,* (12) non dicit coram Diabolo. Fuit ergo bonus, & justus. Quartum est mira ejus abstinentia; unde ibidem dicitur: *Vinum, & siceram non bibet.* Quintum ejus ab utero sanctificatio; unde: *& Spiritu Sancto replebitur, &c. adhuc ex utero matris suæ.* Sextum est ejus salutifera eruditio; unde 16. *Et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum*: Non dixit: avertet ab eo, sed *convertet ad Dominum.* Septimum est ejus spiritualis, & virtuosa operatio; unde 17. *Et ipse præcedet illum in spiritu, & virtute Eliæ.* Iste est Spiritus San-

(9) Præclare Irenæus *lib.* III. *cap.* XI. *num.* 4. *pag.* 109. „ *Fuit* „ *homo missus a Deo, &c.* Præcursor igitur Johannes, *inquit*, „ qui testatur de lumine, a quo Deo missus est? Utique ab eo, „ cujus Gabriel est Angelus, qui etiam Evangelizavit generatio- „ nem ejus: qui & per Prophetas promisit Angelum suum missu- „ rum ante faciem filii sui, & præparaturum viam ejus, hoc est „ *testificaturum Dei lumine in spiritu & virtute Heliæ* . . . A con- „ ditore igitur, & fabricatore hujus Mundi missus Johannes, quem- „ admodum poterat testificari de eo lumine, quod ex his, quæ „ sunt innominabilia, & invisibilia descenderit? Atque hinc equidem colligo Marcionitas, Valentinianos, ceterosque Gnosticos, ita fuisse animo institutos, ut Johannem a Mundi conditore, quem a Deo justorum Patre discrepare putabant, missum fuisse arbitrarentur. Itaque ut eos refellat Irenæus illud ipsum argumentum attulit, quod longe postea in Catharos intorsit Moneta.

(10) Utitur hoc item testimonio contra Catharos Bonacursus *De Vita Hæret. cap.* VI. *pag.* 69. *Tom.* XIII. *Spicilegii. Dacheriani Edit. Paris an.* 1677.

(11) S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catech.* III. *nu.* VI. *pag.* 42. *seq. Primus auctor*, inquit Baptismi, *Johannes quo melior inter natos mulierum nullus, qui Prophetarum quidem finis fuit*: Omnes enim Prophetæ & lex usque ad Johannem: *Evangelicarum vero rerum idem principium exsistit . . . Etiamsi Eliam Thesbitem dixeris, eum qui in Cælos adsumtus est, neque ille Johanne major. Translatus est Enoch; sed non est major Johanne . . . Non ego Prophetas cum Prophetis contendere audeo: sed ipse cum illorum tum nostri Dominus Jesus pronuntiavit:* Major inter natos mulierum Johanne non surrexit. *Non inter natos Virginum, sed* mulierum. *Magni servi ad conservos comparatio. Filii vero ad servos minime comparanda est gratia & excellentia. Vides quantum hominem hujus gratiæ ducem elegit, nihil omnino possidentem, solitudinis studiosum, sed non inhumanum, locustas manducantem, & alas parantem animæ, &c. Erat quidem* & *Hieremias sanctificatus, sed non prophetavit in utero. Solus autem Johannes in utero exsistens exultavit in gaudio; & corporeis oculis nihil videns, spiritu Dominum cognovit.*

(12) Videtor Irenæus *lib.* III. *cap.* X. *nu.* I. *pag.* 185. ubi hæc habet: „ *Erit magnus in conspectu Domini, & multos filiorum* „ *Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum, & ipse præcedet* „ *in conspectu ejus in spiritu & virtute Eliæ; &c. Cui ergo po-* „ *pulum præparavit, & in cujus Domini conspectu magnus factus* „ *est? Utique ejus, qui dixit: quoniam & plus quam Propheta* „ *habuit aliquid Johannes, & nemo in natis mulierum major est* „ *Johanne Baptista, &c.*

Sanctus, quo repletus fuit ab utero matris. Hic ergo in Elia fuit, & ſic Elias vir bonus, & virtuoſus.

Vis etiam videre, quod Johannes Baptiſta non eſt miſſus, ut Chriſtum impediret: hoc eſt, ejus baptiſmum, & prædicationem? Audi quid dicat Spiritus Sanctus per Zachariam. Dicitur enim Lucæ 1. quod Zacharias (13) pater ejus repletus eſt Spiritu Sancto, & prophetavit dicens: *Benedictus Dominus Deus Iſrael, &c.* Et poſt pauca dicit: *Et tu puer propheta Altiſſimi vocaberis: præibis, &c.* uſque *viam pacis*. Item Matth. 11. v. 10. Refertur Deum patrem dixiſſe filio: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.*

Dicunt etiam prædicti Hæretici, quod Johannes, ſi quæ bona de Chriſto dixit, coactus dixit, neſciens quid diceret. Dicunt etiam, quod prius viſus eſt eum cognoviſſe, cum dixit Jo: 1. v. 29. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* 30. *Hic eſt, de quo dixi: Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt: quia prior me erat, & ego neſciebam eum:* Et propter hoc volunt, quod quando a Spiritu Sancto cogebatur aliquid dicere de Chriſto, tunc quaſi cognoſcens loquebatur; quando vero Spiritus bonus ſubtrahebat ſe ei, tacebat, ignorans quid diceret.

Quod autem iſtud falſum ſit, patet primo, quod teſtimonio ſcripturæ non confirmatur. Secundo per id, quod dicitur Jo: 1. v. 7. *Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine.* (14) Si ad hoc venit, ut teſtimonium, perhiberet: ergo cognitionem illius habebat, de quo erat daturus teſtimonium.

Præterea, quod Johannes Baptiſta cognovit Chriſtum antequam Chriſtus ad eum veniret ad Jordanem, patet Matth. 3. v. 11. Marci 1. Marci 1. v. 7. Item Jo: 1. v. 29. ubi dicitur: *Altera die vidit* (15) *Johannes Jeſum venientem ad ſe*, id eſt, ad ſuum baptiſmum. Dicit: *Altera die* poſt illam diem, qua Sacerdotibus, & Levitis interrogantibus Johannem, quis ipſe eſſet, dixit Johan. 1. v. 26. *Medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis, &c.*

Præterea in utero materno poſitus exultavit, quando Mater Domini ſalutavit Eliſabeth. Quomodo exultavit de Domino ex Matre ejus, ſi inde ſcientiam non habebat?

Præterea; Tu dicis, quod coactus bona dixit de Chriſto: quod nuſquam reperies. Ego autem reperio quod libenter: Ipſe Baptiſta quibuſdam Diſcipulis ſuis dicit Jo: 3. v. 28. *Ipſi vos mihi teſtimonium perhibetis, quod dixerim, non ſum ego Chriſtus: ſed quia miſſus ſum ante illum.* 29. *Qui habet ſponſam ſponſus eſt, amicus autem ſponſi qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Hoc ergo gaudium meum impletum eſt.* 30. *Illum oportet creſcere, me autem minui*: ſupple quoad famam, quia ipſe putabatur Chriſtus, ut habetur Lucæ 3. v. 15.

Præterea, unde habes Tu quod Spiritus bonus aliquem cogat? Ego habeo quod non; dicit enim Apoſtolus 1. Cor. 14. v. 32. *Et ſpiritus prophetarum prophetis ſubjecti ſunt.* Quod eſt dicere, quod non cogunt (16) eos loqui, velint, nolint prophetæ, alioquin v. 33. *Deus eſſet diſſenſionis, non pacis.* Ex prædictis patet, quod Joannes Baptiſta eum cognoſcebat, & quod dicit: *Ego neſciebam eum* non eſt oppoſitum ei, quod diximus eum cognoviſſe Chriſtum; profecit enim in cognitione Chriſti ex viſu, & auditu Chriſti. Quod ergo dixit: *Ego neſciebam eum* intelligitur cum determinatione iſta, ſcilicet comparatione illius cognitionis, quam poſtea de Chriſto habuit. Sic etiam poſſumus dicere: non cognoſcimus Dominum, quia cognoſcimus ipſum ex parte, ut Apoſtolus dicit 1. Cor. 13. v. 9.

Item nos non cognoſcimus ipſum, quia non plene adhuc cognoſcimus; in futuro autem plene cognoſcemus, quando videbimus eum ſicuti eſt, ut habetur 1. Johan: 3. v. 2., & quando cognoſcemus, ſicut & cogniti ſumus, ut habetur 1. Cor. 13. v. 12.

Si autem quæras a me, in quo profecit, & quid amplius cognovit de Chriſto poſt adventum Columbæ, ideſt, Spiritus Sancti in ejus ſpecie ſuper Chriſtum in baptiſmo Johannis: dico, quod prius ſciebat quod Dominus erat, & quod erat Agnus tollens peccata mundi, & quod debebat ab eo baptizari, ſicut confeſſus fuit Matth. 3. v. 14.

Item cognovit, quod baptizaturus erat in Spiritu Sancto; unde ait ibidem: *Qui poſt me venturus eſt, ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto.* Quid igitur per adventum Columbæ didicit? Reſpondeo, quod poteſtatem baptiſmi interioris ſibi retineret, quam prius neſciebat; hanc enim poteſtatem non tradit alicui, ſed ſolum miniſterium baptizandi exterius. Ipſe vero ſolus rem baptiſmi efficit in anima baptizati; ſolus enim baptizando interius gratiam homini infundit: propter quod revocans a jactantia Corinthios Apoſtolus de baptizatis dicit 1. Cor. 3. v. 6. *Ego plantavi: Apollo rigavit: ſed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat eſt aliquid: neque qui rigat: ſed qui incrementum dat, Deus.* Quod autem dicit: *neque qui plantat eſt aliquid*, intelligitur cum determinatione iſta: non

(13) Eodem ſpectant, quæ exſequitur Irenæus *cap. mox indicato num. 2. pag. 206.* Nam ubi Zachariæ verba ex Lucæ Evangelio retulit, ita fere ut Noſter, contra Gnoſticos argumentatur.

(14) Vide *Notam* IX. *ad hoc cap.*

(15) Irenæus *cap.* X. ſupra indicato *num.* 2. *pag.* 186. *Hæc eſt*, inquit, *ſalutis agnitio . . . quam faciebat Johannes dicens*: Ecce agnus Dei, &c. (*Joh.* 1. v. 19.) *Hæc itaque ſalutis agnitio, ſed non alter Deus, nec alter Pater, neque Bythus, &c.*

(16) Non de Spiritu Dei, ſed de Prophetiæ dono loquitur hic Moneta, ut Apoſtoli verba poſtulant. Subjectos autem eſſe ait Paulus ſpiritus Prophetarum ipſis prophetis; ut diſcrimen indicet, quod inter fatidicos Ethnicorum vates, Deique veri prophetas intercedebat. Illi enim furore quodam incitati, neque norant quæ fundebant, falſa oracula, neque ſibi temperare poterant, quominus garrirent; ſed prophetæ Spiritu Dei afflati, & cognoſcebant, quod dicebant, & cum volebant a dicendo abſtinere facile poterant. Itaque hortatur Corinthios, ut Prophetæ, qui in eorum vigebant Eccleſia, duo aut tres dicant, ceterique dijudicent. *Quod ſi aliis revelatum fuerit ſedenti, prior taceat. Poteſtis enim*, inquit, *omnes per ſingulos prophetare, ut omnes dicant, & omnes exhortentur.* Nam ni ita faciant, diſſenſio & confuſio, ac perturbatio oriri inde facile quiverit. Quare ſubjicit. *Non enim eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis.*

non eſt aliquid dans intus in anima, licet ad invocationem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quam faciunt in baptiſmo, a Deo infundatur homini gratia. Et ex hoc vult Apoſtolus, quod Corinthii dicant ſe eſſe baptizatos Chriſti, non alicujus hominis puri; ſolus enim Chriſtus eos redemit, & pro eis crucifixus eſt.

Item tantum in nomine ejus baptizati ſunt; in ſignum quod non eſt aliquod nomen datum ſub cælo hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.

Item dicunt prædicti Hæretici, quod Johannes dubitavit (17) de Chriſto, cum eſſet in vinculis; dicitur enim Matth. 11. v. 2. *Johannes autem cum audiſſet in vinculis opera Chriſti: mittens duos de diſcipulis ſuis 3. ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?*

Dicunt etiam ipſum ſcandalizatum fuiſſe in Chriſtum occaſione illorum verborum Domini ad diſcipulos Johannis 4. *Euntes renunciate Johanni quæ audiſtis, & vidiſtis. 5. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur: 6. Et beatus eſt qui non fuerit ſcandalizatus in me*: quod credunt, propter Johannem jam ſcandalizatum dixiſſe Jeſum.

Item per illa verba, quæ ibidem poſuit Johannes 11. *Qui autem minor eſt in Regno Cælorum, major eſt illo.*

Ad iſta dicimus, quod Johannes Baptiſta nunquam de Chriſto dubitavit quin eum crederet Dei Filium, ut proteſtatus fuit dicens Jo. 1. v. 34. *Ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei. 32.* Supra ipſum *vidi ſpiritum deſcendentem quaſi Columbam de Cælo, & manſit ſuper eum.* Audivitque teſtimonium Patris dicentis Matth. 3. v. 17. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Credidit etiam pro ſalute hominum veniſſe in mundum; unde ait Joh. 1. v. 29. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Audivit etiam opera cum eſſet in vinculis, quæ de Chriſto teſtimonium perhibebant, & non dubitationem inducebant. Ergo non dubitavit de Chriſto. Sed diſcipuli ejus (18) & dubitaverunt, & increduli fuerunt. Johannes enim, qui venerat teſtimonium dare de lumine, prædicavit ante faciem adventus Chriſti baptiſmum pœnitentiæ omni populo Iſrael. Erat autem quaſi communis opinio, quod Johannes eſſet Chriſtus, & fama communis, ut habetur Luc. 3. v. 15. & Act. 13. v. 25. Chriſto autem prædicante poſtea, & baptizante per diſcipulos cœpit creſcere Chriſtus, & fama ejus, famaque Johannis decreſcebat: in quo & Johannis gaudium implebatur, ut habetur Joh. 3. v. 29. & 30. Diſcipuli autem Johannis videntes famam Magiſtri ſui decreſcere, litigare cœperunt cum Judæis de purificatione. Diſcipuli enim Johannis baptiſmum Magiſtri ſui meliorem eſſe baptiſmo Chriſti dicebant; è contrario Judæi baptiſmum Chriſti præferebant. Unde Johannis diſcipuli moti livore contra Chriſtum dicebant Johanni Jo: 3. v. 26. *Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum*; Et ſic ad indignationem inſtigare volebant Johannem contra Chriſtum: Sed Johannes ex hoc non livore permotus, ſed gaviſus reſpondit ibidem 29. *Hoc ergo gaudium meum impletum eſt.* Nonne etiam vides, quod Johannis diſcipuli de abſtinentia inflati contra Chriſti diſcipulos dicebant Matth. 9. v. 14. *Quare nos & Phariſæi jejunamus frequenter, diſcipuli autem tui non jejunant?* Sic ſe præferebant Chriſti diſcipulis, & per hoc volebant magiſtrum ſuum magiſtro illorum præferre. Conſtat ergo Johannis diſcipulos dubitaſſe de Chriſto, & etiam fuiſſe incredulos, licet Johannes etiam antequam contenderent ſui diſcipuli cum Judæis de baptiſmo Chriſti teſtimonium perhibuiſſet de Chriſto, quod eſſet Dei filius, ut habetur Jo: 1. v. 34. Et poſt contentionem prædictam, ut habetur Jo: 3. v. 28. Cum autem Johannes eſſet vinctus in carcere ab Herode propter juſtitiam; arguebat enim Herodem de Herodiade uxore fratris ejus Philippi, quam habebat, ut habetur Matth. 14. v. 4. firmiter credens quod velox eſſet depoſitio tabernaculi ſui, nolens diſcipulos relinquere in hoc ſtatu dubitationis, & incredulitatis, eos ad Chriſtum direxit, ut verba, & miracula Chriſti illos moverent ad fidem, & a cordibus eorum omnem tolleret dubitationem; & hoc eſt quod dicitur Matth. 11. v. 2. *Johannes autem cum audiſſet in vinculis opera Chriſti.* Iſta opera erant miracula, quæ faciebat Chriſtus, de quibus ipſe dicebat Jo: 5. v. 36. *Ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me.* Audiens ergo Johannes illa opera, quæ teſtimonium majus erant, quam teſtimonium ſuum, ut dicit Chriſtus Jo: 5. v. 36. voluit illuc mittere diſcipulos ſuos, ut qui teſtimonio verborum ſuorum Chriſto non crediderant, teſtimonio operum Chriſti crederent. Licet ergo quæſiverit Johannes per diſcipulos, non tamen dubitavit: ſicut & Chriſtus ſuis diſcipulis multas quæſtiones fecit, atque Judæis, & tamen non dubitavit de illis, unde quærebat.

Et notandum quod in illa hora, ut habetur Lucæ 7. v. 21. *Curavit multos a languoribus, & plagis, & ſpiritibus malis, & cæcis multis donavit viſum.* Quod fecit, ut ex collatione eorum, quæ vide-

(17) Hoc idem argumentum Catharorum refert Auctor Anonymus *in Diſp. Cathol. & Patar. cap.* VI. *col.* 1724. *Tom.* V. *Theſaur. Anecdotor. Marten.* paucifque refellit *col.* 1725. Tertullianus *lib. De Baptiſmo cap.* X. *pag.* 228. In ea eſſe videtur ſententia, ut ſpiritum, quo antea præditus fuerat, Johanni defuiſſe putaret, adeoque Johanne percuntatum miſiſſe diſcipulos, ipſe ne eſſet Chriſtus, qui venturus erat: *Ipſum*, inquit, *quod cæleſte in Johanne fuerat, ſpiritus Prophetiæ poſt totius ſpiritus in Dominum translationem, uſque adeo defecerit, ut quem prædicaverat, quem advenientem deſignaverat, poſtmodum an ipſe eſſet miſerit ſciſcitatum.*

(18) Nempe communis hæc omnium Patrum interpretatio eſt, quibus aſſentiuntur omnes, qui in Evangelium Matthæi commentarios edidere. Adeundus Iſidorus Peluſiota præ ceteris, qui *lib.* I. *Epiſt.* XXXIV. *pag.* II. *Edit. an.* 1638. „ Domino, *inquit*, ſignificabat Johannes, cum veritatis cauſſa caput ei amputandum eſſet, ſuoſque diſcipulos ad eum adducere ſtuderet, qui ob accuratam & omnibus virtutis numeris abſolutam ipſius vitam, ad ipſius teſtimonium, num Dominus eo major eſſet ambigebant. Atque id Dominus per ea quæ ſtatim fecit, demonſtravit, cum per multa Johannes teſtimonium comprobavit, eoſque qui Johannis verbis diffidebant, ita dimiſit, ut oculis, atque ipſo aſpectu confirmatum haberent, id quod auribus acceperant.

viderant ab eo facta, & eorum, quæ audierant Isaiæ 35. cognoscerent ipsum esse Messiam; ibi enim v. 4. dicitur: *Deus ipse veniet, & salvabit vos*. 5. *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt*. 6. *Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum*. Propter ista dicit Jesus Johannis discipulis Matth. 11. v. 4. *Euntes renuntiate Joanni quæ audistis, & vidistis, &c.* Quasi diceret: Ex his, quæ audistis dicta ab Isaia de Messia, & vidistis a me facta, poteritis cognoscere, & ipse, cui renuntiabitis, poterit vobis ostendere, quod ego sum Messias, quem scripturæ dixerunt venturum, & sic non est alius expectandus. Quod autem dicit Christus ibidem v. 6. *Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me*, hoc non potes ostendere dictum esse propter Johannem, qui in eo scandalizatus nusquam reperitur; sed propter Discipulos Joannis, quos scandalizatos in Christum ostendimus supra eodem cap. ex Johan. & Matth.

Præterea ex verbis Domini ad turbas de Johanne, postquam illi regressi sunt, patet quod Johannes in Christum scandalizatus non fuit, & quod de eo non dubitavit; Christus enim commendans Johannem ibi v. 7. dixit: *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam?* Quod negative debet intelligi, & non affirmative, (19) ut Hæretici falso dicunt, ut patet per sequentia. Et est sensus: non est Johannes arundo, idest, inconstans, sed firmissimus in eo, quod de me dixit. 8. *Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum?* Quod expresse negative intelligendum est. Johannes enim non erat vestitus mollibus vestimentis; unde Luc. 7. v. 25. dicitur: *Qui in veste pretiosa sunt, & delitiis, in domibus Regum sunt*.

Item, quod Johannes non fuerit bonus, volunt habere per illud Matth. 11. v. 11. *Qui minor est in Regno Cœlorum, major est illo*. (20)

Ad hoc dicimus, quod istud non ad Johannis vituperium dictum est, sed potius ad laudem; Regnum enim Cælorum Ecclesia est, in qua Christus minor, idest, humilior fuit, & ad modum minoris se habuit, sicut patet Luc. 22. 27. Ubi Christus dixit discipulis de majoritate contendentibus: *Quis major est qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat*. Christus ergo, qui in Regno Cœlorum minor erat, major erat Johanne. Sed numquid propter hoc Johannes malus est? Si ita esset: eadem ratione omnes alii essent mali. [*] Alio etiam modo illud potest exponi per illa verba Matth. 12. v. 11. *Inter natos mulierum non surrexit major Johanne Baptista*; major scilicet propheta, ut habetur Lucæ 7. v. 28. Et comparatur Johannes aliis a Christo. Sicut enim cum dicitur Matth. 8. v. 10. de Centurione: *non inveni tantam fidem in Israel*: Centurio non comparatur discipulis, quibus loquebatur Christus; ita & hic non comparatur Christo, qui loquitur. Quod etiam probari potest ex eo, quod Dominus de se loquens statim ait Matth. 11. v. 11. *Qui autem minor est in Regno Cœlorum, major est illo*. [*] Et ut verba a Christo prædicta sine dubio ad laudem Johannis dicta esse credantur, Lucas cap. 7. v. 29. subjungit dicens: *Et omnis populus audiens* (supradicta verba Christi de Johanne) *& publicani justificaverunt Deum, baptizati baptismo Johannis*. 30. *Pharisæi autem, & legis periti consilium Dei spreverunt in semetipsis, non baptizati ab eo*.

Ad idem inducunt, quod Johannes eum secutus non est, (21) sicut Apostoli. Item quod non fuit Christi discipulus.

Ad quod dicimus, quod ejus discipulus credendus est fuisse, cum Spiritu Sancto repletus fuerit ex utero matris suæ: quod non poterat esse, nisi a Christo. Ipse enim est, qui Spiritum Sanctum mittit in corda hominum ad docendum eos omnem veritatem.

Præterea Christus lux vera est, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ergo cum Johannes esset lucerna ardens, & lucens oportebat, quod illuminatus esset ab illa luce, quæ illuminat omnem hominem, & quod arderet illo igne, quem Dominus Jesus venit mittere in terram, & voluit ipsum ardere, ut habetur Luc. 12. v. 49.

Quod autem dicis, quod non est secutus Christum, sicut discipuli: respondeo: secutus eum fuisset, si Christus voluisset. Sed Christus noluit, ut Judæi testimonium Johannis cavillare non possent, dicentes, quod Johannes corruptus esset. Nonne etiam vides, quod homini liberato a læsione dæmonum volenti ire post Jesum corporaliter, non permisit quod iret? Sed Marci 5. v. 19. ait illi: *Vade in domum tuam, &c.* usque *mirabantur*. Plus ergo fecit, quam si ivisset cum eo prædicans in Decapoli in absentia Jesu: Similiter & Johannis testimonium majus fuit, quam si ivisset cum eo.

Præterea propter hoc non habemus, quod malus fuerit, cum non debuerit eum sequi, sed præire, sicut Spiritus Sanctus dixit per Zachariam. Licet ergo non sit eum secutus, tamen præivit ante ipsum parare vias ejus ad dandam scientiam salutis plebi ejus in remissionem peccatorum eorum.

Ad idem inducunt illud Jo: 1. v. 8. Ubi Christus ait

(19) Gnosticis consentiebant Cathari. Nam minus fuisse perfectum Johannem, ajebant illi tum cum a Christo laudabatur, propterea quod multis ventis perflatum fuisse dicerent, & modo Judæis, modo Christo consentire solitum. Vide quæ ex Epiphanio attulimus *Notatione* I. *in hoc cap.*

(20) Quemadmodum intelligi hæc debeant paucis ostendit Isidorus Pelusiota *lib.* I. *Epist.* LXVIII. *ad Timotheum Lectorem pag.* 21. Regni namque cælorum nomine Ecclesiam a Christo institutam intelligit. Ergo illos qui nomen huic dedere majores esse Johanne, modo tamen præscripta Servatoris colant, atque observent, concludit. Sed Monetæ interpretationem multo ante adhibuerant Johannes Chrysostomus *Homilia* XXXVIII. *in cap.* XI. *Matth. pag.* 360. *Tom.* VII. *Opp. Edit. an.* 1603. & Augustinus *Tract.* XIII. *in Jo: nu.* 2. *col.* 391. *Tom.* III. *Opp. P.* II. Adeundus Hieronymus *lib.* II. *Commentarior. In Matth. col.* 43. *Tom.* IV *Opp. P.* I.

[*] Quæ duobus astericis contenta vides desunt e *Cod. Bonon. & Vatic.*

(21) Hoc idem argumentum Catharorum refert, ac refellit Auctor *Disput. Inter Cathol. & Patrin. col.* 1724. *Tom.* V. *Thesauri Anecdot. Marten.*

ait de Johanne Baptiſta : *non erat ille lux* . (22) Ad quod patet ſolutio per prædicta ; licet enim non eſſet lux, tamen erat lucerna ardens, & lucens, ut habetur Jo: 5. v. 35. Dicamus ergo quod Johannes non erat illa lux, de qua ibi fit ſermo, id eſt, non erat illa lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, id eſt, Chriſtus, licet putaretur eſſe Chriſtus, ut habetur Lucæ 3. v. 15.

Et quoniam quidam male ſentiunt de Johanne credentes, quod ſpiritus, qui fuerat in Elia, de corpore Eliæ tranſierit in corpus (23) Johannis Baptiſtæ, ideo aliquid inde tangamus, ut errorem illum deſtruamus. Moti ſunt autem ad hoc dicendum propter illud verbum Angeli Luc. 1. v. 17. *Ipſe præcedet ante illum*, ideſt, Chriſtum, *in ſpiritu, & virtute Eliæ*.

Hoc autem non ad hoc referendum eſſe patet, ſi volumus attendere eorum dicta. Ipſi enim diſtinguentes inter animam, & ſpiritum (24) dicunt quod ſpiritus non vadit de corpore in corpus, ſed anima. Contra ſe igitur loquuntur, cum dicunt quod ſpiritus, qui in illo corpore fuerat, poſtea fuerit in corpore Jo: Baptiſtæ.

Præterea de Spiritu Sancto loquitur, de quo dixit Angelus ibi 15: *Et Spiritu Sancto replebitur, &c.* Nonne vides quod Apoſtolus 2. Cor. 4. v. 13. dicit, ſe, & alios Chriſtianos habere eundem ſpiritum, quem & David habuit? Numquid eandem animam? Non: ſic enim ait Apoſtolus: *Habentes autem eundem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt: Credidi propter quod locutus ſum, & nos credimus propter quod & loquimur*. Quis autem ſit ſpiritus fidei, habetur 1. Cor. 12. v. 9. Ubi enumeratis quibuſdam donis divini ſpiritus dicitur: *Alteri fides in ſpiritu*. Præceſſit Chriſtum etiam in virtute Eliæ, ideſt, fortitudine tali, qualem Elias habuit; iſte enim ſpiritus fortes facit illos, quos inhabitat.

Sunt etiam moti ad hoc dicendum propter verbum Chriſti Matth. 11. v. 14. *Ipſe eſt Elias*. Dico autem, quod dicitur a Chriſto parabolice, ideſt, ſimilitudinarie. Si enim planus eſſet ſenſus, & manifeſta ſententia, quid eſſet neceſſe dicere 10: *Qui habet aures audiendi audiat*, & ſic præparare animos auditorum ad intelligentiam illius ſermonis? Iſtud enim non ſolet dicere Dominus, niſi cum ſimilitudinarie loquitur, ſicut patet Matth. 13. v. 9. & Luc. 8. v. 8. in parabola de ſemine. Similis ergo fuit Johannes Eliæ propter eundem Spiritum Sanctum in utroque, & propter eandem virtutem, ideſt, conſtantiam contra Reges; ille enim Achab, & Jezabel arguit impietatis, ut habetur lib. 3. Regum 1. v. 21. Iſte Herodem, & Herodiadem de illicitis nuptiis: ille fuit vitæ auſteræ: Johannes ſimiliter, ut patet Matth. 3. Ille Zona pellicea cingebatur, & Johannes Baptiſta. Quod autem Dominus aliquando ſic loquatur, in cap. de Antichriſto dicetur.

[*] Quidam autem de his, (25) qui unum principium ponunt, dixerunt ipſum fuiſſe bonum, & ad denuntiationem Angeli tantum de Eliſabeth natum per Spiritum Sanctum, ſicut Chriſtus de Virgine ſola, non de Joſeph. Hoc autem Hæreticum eſſe patet ex Evangeliſta; ait enim Lucas c. 1. v. 13. *Eliſabeth pariet tibi filium*: Quæ ſunt Angeli verba ad Zachariam. Non ſic dictum eſt Joſeph; ſed tantum hoc dictum eſt Mariæ: *paries filium*. Item nec denuntiatio facta eſt ei de naſcituro in utero, ſed tantum jam nato. E contrario autem de Johanne naſcituro facta eſt denuntiatio Zachariæ, non Eliſabeth; propterea Lucas dicit v. 7. Quod *non erat illis filius, eo quod eſſet Eliſabeth ſterilis*. Quomodo hoc ſtaret, niſi daret operam generationi carnali cum viro ſuo? Ergo vel hoc non eſt (26) malum, vel ſi eſt malum, mala mulier erat, & ſic non concepiſſet per Spiritum Sanctum, ut dixiſti.

Præterea: Numquid de carne Eliſabeth carnem habuit Johannes? Si ſic: ergo Chriſtns carnem de Maria habuit, licet male dixiſti, quod natus eſt de Eliſabeth tantum per Spiritum Sanctum, ſicut Chriſtus de Maria. [*]

CAP.

(22) Vide Irenæum *lib.* III. *cap.* XI. *pag.* 189. *num.* 4. & Tertullianum *lib. Adv. Judæos cap.* IX. *pag.* 194. qui ex hoc Johannis loco Baptiſtæ ſanctitatem colligunt, atque ex eo, quam mox judicat Moneta.

(23) Videlicet in Catharis Gnoſticorum progenie exitum habuit, id quod ſperabat futurum aliquando Tertullianus *lib. de Anima cap.* XXXV. *pag.* 291. quo loco Simonem, Baſilidianos, Carpocratianoſque exagitat, qui animorum in alia corpora tranſmigrationem tuebantur: *Spero*, inquit, *hujuſmodi hæreticos Eliæ quoque invadere exemplum, tamquam in Johanne repræſentari, ut metempſychoſi patrocinentur Prænuntio Domini*. Elias jam venit, & non cognoverunt eum. *Et alibi*; Et ſi vultis audire, hic eſt Elias, qui venturus eſt. *Numquid ergo & Judæi ex opinione Pythagorica conſulebant Johannem*: tu es Elias? *Et non ex prædicatione divina*: Et ecce mittam vobis Eliam Thesbitem; *Sed enim metempſychoſis illorum revocatio eſt animæ jampridem nocte functæ, & in aliud corpus iteratæ? Elias autem non ex deciſione vitæ, ſed ex translatione venturus eſt; nec corpori reſtituendus, de quo non eſt exemtus; ſed mundo reddendus, de quo eſt translatus; non ex poſtliminio vitæ, ſed ex ſupplemento Prophetiæ; idem & ipſe & ſui nominis, & ſui hominis. Sed quomodo Elias Johannes? Habes Angeli vocem*: Et ipſe, inquit, præcedet coram populo in virtute, & ſpiritu Eliæ, *non in anima ejus, nec in carne: Hæc enim ſubſtantiæ ſui cujuſque ſunt hominis. Spiritus vero & virtus extrinſecus conferuntur ex Dei gratia, ita & transferri in alium poſſunt ex Dei voluntate, ut factum eſt retro de Moſis ſpiritu*.

(24) Vide Notam I. *ad cap.* X. *lib.* I.

[*] Quæ duobus aſtericis complexi ſumus, deſunt *e Cod. Bonon. & Vatic.*

(25) Nempe Concorrezenſes aliquot. Adiſis *Notam* I. *in hoc* I. *cap.* III. hujus libri.

(26) Eatenus hoc argumento Concorrezenſes Catharos urget Moneta, quod non licere arbitrarentur dare operam generationi *carnali* quam malam eſſe jactabant. Sed quæ de Angelo, de Zacharia, de Johanne Baptiſta, & Eliſabeth diſputat Noſter, fuſe etiam, alio tamen ſpectans, tractavit Photius *lib.* II. *Contra Manichæos num.* XI. *pag.* 200. *ſeq. Tom.* I. *Anedoct. Græc. Wolfi*.

CAP. II.

De B. V. Dei Matre.

§. I.

Probatio Ecclesiæ, quod Maria non fuerit Angelus, & eorum destructio, qui male de ea sentiunt: in quo de Joseph, & Johanne Evangelista.

NUnc videamus de Matre Christi, de qua falso loquuntur illi, qui duo principia ponunt, dicentes, quod carnem (1) cælestem habuit; Angelus enim fuit, ut asserunt, nec sexum habebat fœmineum, nec fœmina erat in veritate, sed putabatur: sicut Dei Filius Jesus Christus alius Angelus fuit secundum eos, qui (2) per aurem Mariæ intravit in eam, & per aurem ejus exivit.

Ad destructionem hujus erroris sufficeret, quod nullum testimonium habent, sed somnia sua loquuntur, cum tamen justitia Dei, quæ est per fidem Jesu Christi, testificata sit a lege, & Prophetis, teste Apostolo Rom. 3. v. 21.

Præterea, Angelus bonus a bono Angelo (3) non turbaretur; ipsa autem turbata est in salutatione ejus.

Præterea, quod falsum loquantur evidenter declarant Angeli verba ad Mariam, & e contrario Luc. 1. Cum enim Angelus Gabriel ei dixisset v. 31. *Ecce concipies in utero, & paries filium &c.* Beata Virgo ei respondit v. 34. *Quomodo fiet istud: quoniam virum non cognosco?* Nullam aliam caussam prætendebat Maria, quod non conciperet, nisi hanc, quod non cognosceret virum. Si ipsa non esset fœmina materialis, sed cælestis Angelus, qui gravidari non potest, non oporteret illud dixisse; immo otiosum verbum dixisset: quod non est credendum fuisse in matre Christi. Ergo si Angelus esset cælestis, non illud dixisset; sed dixisset: Hoc ratione aliqua esse non potest; non enim fœmina sum, sed Angelus cælestis, sicut & Tu o Gabriel. Nisi forte velis dicere, quod sicut hæc caro distinguitur per sexum masculinum, atque fœmineum; ita etiam & caro cælestis. Quo dicto cum pater cælestis nihil sine caussa fecerit, videtur, quod illic masculus Angelus fœminæ carnaliter copuletur: alioquin otiosa fuisset ibi distinctio maris & fœminæ.

Præterea dicit Angelus Gabriel Mariæ Luc. 1. v. 36. *Ecce Elisabeth cognata tua &c.* In secreto colloquio cognatam dicit. Ergo verum est, cum non mentiatur. Sed non dicitur cognata esse aliqua mulier alii, nisi secundum carnem, nec etiam vir viro. Ergo ejusdem massæ fuit caro Elisabeth, & caro Mariæ: sed carnem Elisabeth cælestem non diceres. Ergo nec carnem Mariæ debes appellare cælestem. Si enim Elisabeth cælestem diceres, eadem ratione & Zachariam, & Johannem Baptistam cælestis dices generationis, cum sit natus ex eis. Si autem velis dicere, quod cognatus dicitur quis alii secundum spiritum, ostende hoc per Scripturæ testimonium. Ego enim testimonium habeo ejus, quod dico, quod cognatus dicitur quis alii secundum carnem; unde Apostolus vocat Judæos cognatos suos secundum carnem Rom. 9. v. 3. ubi Paulus dicit: *Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem.*

Præterea si vis dicere, quod cognata erat ei spiritualiter: sed Maria bona erat. Ergo etiam Elisabeth, & tamen dabat operam carnali generationi, gravida enim erat per Zachariam. Quare ergo eam malam prædicas, & dœmonem habere? Quare matrimonium carnale malum dicis, & opus ejus? (4)

Objiciunt tamen nobis, & quærunt isti. Si Maria fœmina fuit: dic, quæ fuit mater ipsius, & quis pater.

Et ego quæro a Te o Hæretice, si Philippus Apostolus fuit homo, sicut nos: dic etiam Tu: quis fuit pater ejus; & mater? Non est enim scriptum; & tamen Tu credis eum de patre & matre generatum. (5)

Item

(1) Erant hi Cathari Albanenses, qui a Balasinansa stabant: ut auctor est Sachonus *col.* 1769. „ Dicunt, inquit, quod Dei filius „ non assumsit humanam naturam in veritate, sed ejus similem ex „ Beata Virgine, quam dicunt esse Angelum: Nazarius Concorrezensium Pseudo-Episcopus, cujus etiam in Vita S. Petri Martyris apud *Bolland.* XXIX. *April. num.* 34. fit mentio in eadem sententia fuit. *Nazarius*, inquit Sachonus *col.* 1773. *quondam eorum Episcopus, & antiquissimus, coram me, & multis aliis dixit, quod B. Virgo fuit Angelus.* Synagoga Bajolensium Nazarii opinionem tuebatur: *Credunt*, ait Sachonus col. 1774. *cum prædicto Nazario, quod B. Virgo fuit Angelus.* Atque ita sane intelligendum est, quod habet Peregrinus Priscianus apud Muratorium *Tom.* V. *Antiquit. Medii Ævi pag.* 94. credunt, *quod B. Maria non fuit Mulier Albigenses, vel Albanenses, & Bagnolenses.* Hos etiam Catharos refellit Auctor *Disputationis inter Cathol. & Paterinum Hæreticum capite* V. *col.* 1722. *Tom.* V. *Thes. Anecdot. Martenii.* Non autem reperio ullos hæreticos veteres, qui huic generi Catharorum præiverint. Scio Collyridianos ita fuisse animo institutos, ut Mariam veluti Deam colerent, ut prodit Epiphanius hæresi LXXIX. *num.* I. Verum nulla est inter hanc & illam quam indicat Catharorum opinionem, Moneta similitudo. Fortasse Paulicianorum sententiam, ut est mos hæreticorum, immutarunt Albanenses, & Bajolenses. Sic enim de Paulicianis disserit Photius *lib.* I. *contra Manichæos nu.* VII. *pag.* 20. *In Sanctissimam autem Dominam nostram Deiparam blasphemantes . . . Credimus, ajunt, in Sanctam Deiparam, in quam ingressus, & egressus est Dominus. His porro verbis supernam Hierusalem subindicant, ajuntque in eam præcursorem pro nobis ingressum esse Christum.*

(2) Nihil de hoc opinionis portento habent Sachonus, Peregrinus Priscianus, neque alii, quos consulere potui.

(3) Ita quoque Auctor disputationis inter Catholicum, & Paterinum apud Martenium *Tom.* V. *Thesauri Anecdotor. col.* 1722.

(4) Alia quædam argumenta affert contra Collyridianos Epiphanius, quibus magis magisque refelli hæc Catharorum sententia possit. Præ ceteris autem illud huc transferam, quod habet *num.* IV. *pag.* 1061. *Sanctum quoque nos Evangelium præmunire voluit, in quo ita Christus loquitur:* Quid mihi & tibi mulier? Nondum venit hora mea. *Ubi idcirco mulierem appellavit:* Quid mihi, *inquit*, & tibi mulier? *ne quis Beatam Virginem excellentioris alicujus esse naturæ crederet, eoque vocabulo quasi vaticinans ad ea schismata, hæresesque refutandas usus est, quas in orbe terrarum olim excitandas cognoverat: nemo ut Sacrosanctæ Virgini vehementiori quadam admiratione permotus sese ad illius hæresis nugas ac deliria converteret.*

(5) Sapienter quidem Moneta. Non enim contra hæreticos, qui nihil admittebant, nisi quod in Scripturis continebatur, vulgatæ traditionis momentis pugnare debebat. Etsi namque Gregorius Nissenus, Epiphanius *contra Collyridianos, ex Mariæ Historia, & traditione illud haberi*, adfirmet *n.* V. *pag* 1062., ejusdem Mariæ Patrem appellatum fuisse Joachinum, & *contra Antidicomarianitas Hæres.* LXXVIII. *n.* XVII. *pag.* 1049. Matrem ejus fuisse Annam vocatam: non tamen constans hæc fuit apud veteres Patres om-

Item quærit Hæreticus. Si Maria fuit fœmina, & parentelam habuit, quare Evangeliſtæ non texuerunt genealogiam Chriſti per Mariam, ſed per Joſeph? Ex hoc vult dicere, quod non potuerunt hoc facere Evangeliſtæ, quia non inveniebant a quibus genita eſſet, & hoc ideo, quia non erat hujus generationis, ut dicit, ſed male. Nam Evangeliſtæ ideo non texuerunt ejus parentelam per Mariam, quia non eſt mos divinæ Scripturæ parentelam texere per fœminas, ſed per viros. Præceptum autem erat in Veteri Teſtamento, ut viri acciperent uxores de Tribu ſua; unde Num. ultimo. 7. dicitur: *Omnes viri ducent uxores de Tribu, & cognatione ſua*, 8. & *cunctæ fœminæ de eadem Tribu maritos accipient*: quod intelligendum eſt de fœminis ſuccedentibus patri ſuo decedenti ſine filiis maſculis, ſicut patet ibi, ubi agitur de filiabus Salphaad mortui ſine filiis. Cum ergo Joſeph eſſet de domo, & familia David, palam eſt, quod Beata Virgo de Tribu fuit regali, id eſt, de Juda; unde Hebræ. 7. v. 14. dicit Apoſtolus: *Manifeſtum eſt, quod ex Juda ortus ſit dominus noſter*. (6)

Idem etiam aſſerunt de Joſeph, quod Angelus fuit cæleſtis carnis, cujus etiam rei nullum habent teſtimonium; unde frivolum eſſe nulli dubium eſſe debet quod dicunt.

Præterea nonne vident, quod Angelus Matth. 1. v. 20. Appellat eum filium David? Quomodo ergo dicunt, quod cæleſtis fuit carnis? Niſi forte dicant etiam David, de quo Angelus loquitur, ſimiliter fuiſſe cæleſtem, & ejus carnem cæleſtem ſimiliter. Inferius autem, cum tractabimus de Chriſti carne, oſtendemus, quod ille David eſt David Veteris Teſtamenti.

Item dicunt de Johanne Evangeliſta ſimiliter, quod cæleſtis fuit Angelus: quod etiam ſine teſtimonio Scripturæ dicunt; unde tamquam vanum patet deridendum eſſe, quod aſſerunt, maxime cum filius Zebedæi dicatur in pluribus locis Evangelii.

Sclavi (7) vero dicunt, quod Deus pater juſtorum tres Angelos miſit in mundum: Unus ex eis formam mulieris accepit in mundo iſto; & hic dictus eſt Maria. Alii vero duo viri'es formas ſumpſerunt, ſcilicet Chriſtus & Johannes Evangeliſta, quem adhuc credunt Sclavi, & qui duo ponunt principia, in illa forma exiſtere, quam aſſumpſit; & ideo dictum a Chriſto putant de eo, falſo tamen: *Sic eum volo manere donec veniam*. Jo: ultimo 22. Hoc autem falſo intelligunt de ultimo adventu Chriſti ad judicium univerſale; Nos autem de adventu ad particulare judicium in morte uniuſcujuslibet; Vel ſecundum animam illud intelligimus. De quo adventu habetur Matth. 24. v. 46. *Beatus ille ſervus, quem cum venerit Dominus ejus, invenerit ſic facientem*.

Machinantur autem inſuper illum Angelum, qui in muliebri forma appellatus eſt Maria, aſſumpſiſſe intra ſe alium Angelum, qui dictus eſt Jeſus, ut ſic deceptorie mater putaretur, & diceretur ipſius.

Iſti dicunt, quod prædicti tres ſimilitudinem humanorum corporum videbantur habere, ſed non habebant veritatem; nec eſuriem, nec ſitim, nec alios defectus humanæ naturæ habuerunt, licet ſe illos habere oſtenderent.

Quod autem omnia iſta ſint falſa patet ex eo, quod nullo teſtimonio confirmantur.

Alii autem Hæretici, qui unum ponunt principium, (8) id quod a prædictis dictum eſt, fabuloſum eſſe credunt, fingentes Beatam Virginem fuiſſe in veritate fœminam de ſola muliere ſine virili ſemine natam. (9)

Primum quidem verum eſt, quod fœmina fuit; ſecundum autem fictitium, ſcilicet quod de ſola muliere originem duxerit; hoc enim nullo teſtimonio Scripturæ oſtendere poſſunt. Quidam autem ex eis de patre & matre carnalibus natam credunt: quod verum eſt. At ii non credunt carnem Chriſti materialem eſſe de carne Beatæ Virginis, ut dicetur inferius. Primi vero credunt, quod de ejus carne materialiter fuerit fabricata; ſed nec caro Virginis, nec caro Chriſti de maſſa carnis Adæ fuerit. Unde & car-

omnes ſententiæ ut ex Hieronymo *contra Helvid. cap.* VII. & ex Auguſtino *lib.* XXIII. *contra Fauſtum pag.* IX. liquet. Sed invaluit in Eccleſia hæc altius repetita traditio Joachimum Patrem, Annam autem matrem Virginis nuncupatam fuiſſe: Atque ita quidem Eccleſiæ omnes Parentum Virginis nomina exprimunt; Epiphanium, alioſque plures auctores ſequuta, quidquid contra, intemperatiores quidam Critici, jactitent.

(6) Non negabant veteres Manichæi Mariam Virginem fuiſſe mulierem; quamvis ultro inficiarentur eam ex Davide fuiſſe ortam: Itaque, Fauſtus Manichæus apud Auguſtinum *lib.* XXIII. *cap.* III. *col.* 424. *Tomo* III. *Opp.* alterutrum horum duorum admitti a nobis oportere pugnabat; aut Joſepho prognatum fuiſſe Chriſtum, aut non ex tribu Juda, adeoque ne ex Davide quidem duxiſſe originem. Sed ineptiſſimum hæreticum multis eodem libro *cap.* VIII. *col.* 426. *ſeqq.* Auguſtinus exagitat. Solide vero cumprimis Catharorum argumentum refutavit noſter. Nam paucis, etſi clara quadam, dilucidaque ratione dicendi, illa ipſa complexus eſt, quæ deinde fuſiſſime perſequuti ſunt, qui de Chriſti genealogia ſcripſerunt. Adeundi Jacobus Hyacinthus Serrius *Exercit.* XLI. *De Chriſto ejuſque Virgine matre: pag.* 276. *ſeqq. Edit. an.* 1719. Gerardus Johannes Voſſius *Diſſert. de Genere Jeſu Chriſti pag.* 49. *Tom.* VI. *Opp. Edit. Amſtelod. an.* 1701. Petrus de Marca *Diſſert. de Stemmate Chriſti Tom.* I. *Opuſculorum pag.* 1. *ſeqq. Edit. an.* 1681. Bollandiani *ad d.* XIX. *Martii* §. IV. *De S. Joſepho pag.* 9. *ſeqq.* & qui in III. *Partem S. Thomæ Quæſt.* XXXI. *Art.* II. commentarios ediderunt.

(7) Sclavos appellat noſter hæreticos Catharos, qui erant ex Eccleſia Sclavoniæ: Ac Reinerius quidem Sachonus, qui factiones horum, & Sinagogas probe norat, *col.* 1767. *Tom.* V. *Theſauri Anecdot. Martenii*, quo loco quærit, *quot ſunt Eccleſiæ Catharorum*, *Eccleſiam* quoque *Sclavoniæ* recenſet. Aliquanto autem inferius: *col.* 1768. *Item*, inquit, *Eccleſia Sclavoniæ*, & *Philadelphiæ*, & *Græcorum Bulgariæ*, & *Duguntbiæ omnes ſimul quingenti*.

(8) Etſi Nazarius Concorrezenſium Pſeudo-Epiſcopus B. Virginem Angelum fuiſſe pronunciarit, ut animadverti *prima Notatione in hoc cap.* & *Chriſtum non accepiſſe animam humanam, ſed Angelicam, ſive corpus cæleſte*: quod erroris monſtrum ab Epiſcopo, filio majore Eccleſiæ Bulgariæ ſe accepiſſe jactabat: velut ab Reinero Sachono memoriæ proditum eſt: *col.* 1773. *ſeqq.* Cathari tamen Concorrezenſes fere omnes putabant: *Quod Chriſtus non aſſumpſit animam humanam, ſed quod accepit corpus de B. Virgine*: Sachonus *ibid.* Ergo Concorrezenſes indicat hoc loco Moneta. Hi namque unum ponebant principium.

(9) Vereor, ut Collyridiani huic ſectæ Catharorum præiverint. Nam Epiphanius *Hæreſi* LXXIX. *n.* V. *pag.* 1062. *Tom.* I. *Opp.* eos refellens: *Quamvis*, inquit, *ex Mariæ Hiſtoria, ac traditione illud habeatur: Joachimo ejus Patri divinitus hoc in deſerto nunciatum fuiſſe*: uxor tua concepit: *non ita tamen accipiendum eſt, quaſi hoc citra nuptialem conſociationem, ac virilem ſatum acciderit &c.* Quorſum enim hæc dixiſſet adverſus Collyridianos Epiſcopus Salaminius; ni illi in hujuſmodi falſa opinione conſtituti fuiſſent? Non quæro autem de hujuſce Hiſtoriæ veritate. Videndus Tillemontius *Nota* 1. *in Vitam B. Virg. Tom.* 1. *Monument. Hiſt. Eccl. pag.* 484. *ſeqq.* Excitavit hunc eumdem errorem ſuperiore ſeculo *Imperialis*, neſcio quis, *Neapolitanus*, damnatuſque eſt ab Eccleſia, ut eſt a Tillemontio traditum *loco mox indicato*.

carnem Virginis ex matre sua dicunt, non de matre, quia *de* materiam notat, *ex* vero exitum tantum demonstrat, vel designat; improprie tamen illam fœminam matrem Virginis dicunt, cum de ea nihil habuerit, ut credunt, sed male.

C A P. III.

§. I.

De Christo.

Sequitur tertium cap. de Christo, quod dividitur in plures partes. In prima agitur de divinitate Christi, an scilicet sit Deus, an non. In secunda agitur de ejus humanitate hoc ordine. Primo enim agitur de carne ejus; & hoc dupliciter; primo enim inquiritur an sit vera, an falsa opinio illorum, qui duo ponunt principia, de carne Christi, quod fuerit cælestis. Secundo, discutitur opinio illorum de carne Christi, qui unum principium ponunt. Tertio agitur de singulis articulis fidei pertinentibus ad humanitatem Christi, & primo de conceptione Christi de Beata Virgine, & de Artifice conceptionis, qualiter se habeat ad Christum conceptum ejus opere: utrum scilicet ejus Filius dicendus sit. Secundo, de nativitate ejus ex ea: utrum illa nativitas sit exterius ex ea, an fabricata fuerit materia ipsius de ea secundum carnem; & an de David, & Abraham ejus caro materialiter fuerit fabricata. Tertio agitur de tertio articulo, scilicet an ejus caro fuerit passibilis & mortalis; & an passus & mortuus, & an alias dispositiones nostri corporis in sua carne habuerit in tractatu de ejus humanitate. Post tractatum de carne ejus, agetur de quarto articulo, scilicet de descensu ad inferos secundum animam. Primo tamen quæritur an animam, & animæ qualitates habuerit. Quinto, de resurrectione Christi. Sexto, de Ascensione. Septimo, de adventu ejus ad judicium universale.

PARS PRIMA

De Divinitate Christi.

§. I.

In hoc autem tertio capitulo de Christo errant Cathari, qui puram creaturam eum (1) confitentur, qui duo ponunt principia: secundo autem errant, quia carnem ejus cælestem putant de cælo ipso in hunc mundum allatam.

HÆR. Ad primum inducunt illud Eccles. 1. v. 4. *Prior omnium creata est* (2) *sapientia*. Hæc autem est illa sapientia, de qua dicitur 1. Cor. 1. v. 23. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum: Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. Ipsis autem vocatis Judæis, atque Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.* Ex hoc autem arguunt nos hæreticos esse, quia dicimus quod Filius a solo Patre est non factus, nec creatus, sed genitus.

Solutio. Si sapientia dicitur (3) ipse Christus ibi: dico, quod loquitur de Christo propter naturam

(1) Nempe Albanenses, qui a Balasinansa stabant verbum Divinum creaturam esse rebantur. Ita Sachonus *col.* 1768. qui multos etiam e Concorrezensibus, unius principii adsertoribus, male sensisse de Unitate, & Trinitate, prodit *col.* 1773. Sed Peregrinus Priscianus. apud doctissimum Muratorium. *Tom.* v. *Dissert. Hist. Medii Ævi. Diss.* LXX. *pag.* 94. non Albanenses, & Concorrezenses solum, verum etiam Bajolenses, vel Bagnolenses putasse tradit, *Christum non esse Deum*; Catharis prælusere seculo I. vel II. dispar enim est Criticorum sententia, Cerinthus, apud Irenæum, *lib.* III. *cap.* v. & apud *Eusebium lib.* III. *Hist. cap.* XXXVIII. Ebion *apud Eusebium lib.* VI. *cap.* XVII. & Theodoretum *lib.* II. *Hæreticar. Fabular. cap.* I. Seculo secundo Carpocrates Gnosticorum princeps, apud Eusebium *lib.* IV. *Hist. cap.* VII. Irenæum *lib.* I. *cap.* XXV. *al.* XXIV. & Augustinum *lib. de Hæresibus col.* 7. *Tom.* VIII. *Opp.* ubi, *Hic*, inquit, *Jesum hominem tantummodo, & de utroque sexu natum putasse perhibetur; sed accepisse talem animam, qua sciret ea quæ superna essent, atque nunciaret.* His insequentibus porro seculis accessere Theodotus Coriarius, & Theodotus alter argentarius. Paulus Samosatenus, Arius, Eunomius, Photinus, & recentiore memoria Michael Servetus, Valentinus Gentilis, & Socini duo, quorum etiamnum hæresis per universam fere Europam magno Ecclesiæ incommodo grassatur. Fateor tamen non unam horum omnium fuisse omnino, neque eamdem sententiam. Nam erat inter hos aliqua discrepantia, tametsi in ipsa, ut ajunt rei substantia mirifice convenirent. Sed occupata est hæc ab historicis Ecclesiasticis, Theologisque Provincia. Ego ad Catharos venio qui Balasinansæ auscultabant. Erant hi partim Ariani, partim Phantasiaste. Ariani namque, ut comperta res est, verbum creaturam quidem esse ajebant, non corpoream tamen, neque *humanitati* Christi ætate æqualem, sed multo ante Mariam conditam. Phantasiastæ vero, ut Simon Magus, ut Marcion, ut Manichæi, ut alii plerique hæretici veteres non veram, sed apparentem Christo humanitatem affingebant. Ex his duobus opinionum portentis tertium quoddam conflarunt Cathari. Putarunt enim verbum non esse Deum; sed præstantissimam creaturam, quæ speciem, ac veluti spectrum, non substantiam humanitatis adsumpserit. Suspicor autem Manichæos veteres hoc systema præformasse, etsi non omnes, at aliquos tamen. Nam Fortunatus Manichæus *apud* Augustinum *Disp.* I. *cum Fortunato col.* 94. *Tom.* IV. *Opp.* „ Verbum natum constitu- „ tione mundi cum mundum fabricaret, post mundi fabricam in- „ ter homines venisse, *ait*, dignasque sibi animas elegisse: Quotus autem quisque non videt, Fortunati sententia, verbum esse creaturam, quippe qui ortum illud a constitutione mundi posuerit? At vero Manichæi veram in Christo carnem inficiabantur. Bogomilii, apud Euthymium in *Panopl. Tit.* XXIII. *part.* II. etsi in tempore natos Filium, Spiritumque Sanctum censuerint, monstrosum tamen dogma a communi Catharorum longe discrepans propugnabant. Patri namque duas alias, Filii, Spiritusque Sancti appellationes tribuebant, putabantque illum humana forma præditum, & ex binis cerebri panniculis binos radios emittere alterum filii, alterum Spiritus Sancti. Rursum autem resolvi ajebant in Patrem ex quo provenerunt, Filium, Spiritumque Sanctum, quos non exstitisse nugabantur ad annum usque mundi quinquies millesimum quingentesimum.

(2) Nempe quod ad priorem erroris partem attinet, afferunt ῥητὸν illud, quod exstat Eccles. 1. v. 4. Hoc autem testimonio Ecclesiastici abusos fuisse Arianos, atque aliis generis ejusdem testata res est, præsertim autem illo, quod exstat *cap.* VIII. *Prov. v.* 22. Aditor Sanctus *Augustinus lib.* I. de *Trin. cap.* XII. *nu.* 24. Non abludunt Sociniani; si qua enim similia offendunt, extemplo intorquent in eos, qui veram tuentur sententiam: ut Crellius fecit *lib. de Deo, & ejus Attrib. cap.* XXIV. *pag.* 72. *Bibl. F.F. Polonorum.*

(3) Non discrepat Moneta ab Auctore *Sermonis contra omnes hæreses, Inter Opera S. Athanasii Tom.* II. *pag.* 232. *Edit. Paris. an.* 1698. *Sed ad hæc dicet Ariomanita, quare igitur parœmiastes ait:* Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua: *O impiissime! Annon audisti Angelum Virgini dicentem:* quod nascetur ex te, Sanctum vocabitur. *Vides, quod de negocio Incarnationis verba faciat. Cum autem inveteratum esset sex dierum opus., in prævaricatione Patris prosapiæ nostræ Adami, in mortemque delapsum esset nostrum genus, placuit Deo ad nos mittere proprium Filium Deum Verbum, atque assumere ut supra dixi,*

ram ex

ram humanam, quam assumpturus erat. Nec obstat, quod de præterito loquatur, quoniam prophetice loquens præteritum posuit pro futuro, sicut ostendimus fieri in multis locis Scripturæ in prima parte hujus operis in cap. de Prophetiis: utrum scilicet illa, quæ de præterito est, sit intelligenda de præterito, sicut litera sonat.

Vel aliter dicitur ipsa sapientia creata, ideft, decreta creari postea, sicut David dicit psalm. 2. v.2. *Principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus*: quod B. Petrus, & alii Apostoli exponunt de futuro esse intelligendum; ideo enim illud factum esse dixit David, quia decretum erat a Deo, ut fieret, ut habetur Actor. 4. v. 28.

Eodem modo solvendum est illud Eccl. 24. v.14., ubi sapientia Patris, ideft, Christus ait: *Ab initio, & ante secula creata sum*: id est prævisa, & ordinata fieri creatura, cum venerit plenitudo temporis.

Eodem modo exponas illud Prov.8. v. 22. ubi ait sapientia: *Dominus creavit me principium in opera sua*, (4) ubi nos habemus: *possedit* hoc est creavit, hoc est creare decrevit me in plenitudine temporis, disposuitque me facere creaturam, & hominem: me, dico, principium secundum quod Deus sum viarum, hoc est, operum suorum, quæ sunt via ad cognoscendum eum; Nostra autem litera habet: *in initio viarum suarum*, ideft, ante vias, sive opera sua, sicut caussa est ante effectum. Hoc idem voluit etiam Johannes I.VI. Cum enim dixisset v. 3. *Omnia per ipsum facta sunt* tamquam per principium, & caussam omnium secundum Deitatem, postea de humanitate subjungit dicens v.14.: *Et Verbum caro factum est*.

HÆR. Ad idem inducunt illud Isaiæ 42. v. 1. ubi Pater omnium (5) ait de Christo: *Ecce servus meus, suscipiam eum*: quæ verba exponit etiam Matthæus de Christo c.11. v. 10.

Ad hoc dico: quod in Isaia Pater loquitur de Filio secundum naturam assumendam, id est secundum formam humanam; & quod ita sit patet Philip. 2. v.6. ubi Apostolus dicit de Christo: *Qui cum in forma*, ideft, in essentia *Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, 7. *sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens*.

HÆR. Ad idem inducunt illud Isaiæ 11. v.3. *Et replebit eum* (6), ideft Christum, *spiritus timoris Domini*. Ergo non est Deus.

Solutio. Istud non sequitur, quia Isaias loquitur de Christo secundum humanam naturam, quam assumpturus erat.

HÆR. Ad idem inducunt illud Matth. 20. v. 8. *Cum sero autem factum esset, dixit Dominus vineæ procuratori suo*, ideft Christo. Ex quo vult Hæreticus, quod non sit ejusdem substantiæ, nec dignitatis cum Patre.

Ad hoc dico: quod loquitur de Christo secundum humanitatem, in qua Christus judicabit. Pater enim dedit ei potestatem faciendi judicium, ut habetur Jo: 5. v. 27. Quia filius hominis in illo judicio reddet unicuique juxta opera sua.

HÆR. Ad idem inducunt illud Jo: 5. v. 46. *Si crederetis Moysi: crederetis forsitan & mihi*. Ubi videtur, quod dubitatio in ipsum ceciderit; & sic non potest esse, quod Christus sit Deus.

Ad hoc respondeo illud Luc.20. v. 13. *Mittam filium meum dilectum: forsitan cum hunc viderint, verebuntur*. Numquid Deus Pater dubitabat? Non. Similiter nec Christus. Ideo autem dixit *forsitan*, ut denotaret illud esse in libero arbitrio, scilicet credere, & non credere.

HÆR. Ad idem inducunt illud Jo: 10. v. 7. ubi ait Christus: *Ego sum ostium*. Ostium autem non est ejusdem dignitatis cum Ostiario.

Ad hoc dicas, quod Christus secundum quod aperiebat, & revelabat doctrinam, & se, per opera, quæ faciebat, erat Ostiarius; unde dicebat Jo: 5. v. 36. *Opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me*. Et quod Ostiarius sit, patet Apocaly. 3. v. 7. ubi dicitur de ipso, quod ipse *aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit*. Secundum autem, quod aperiebatur, & revelabatur illis operibus, & doctrina, erat ostium. Idem ergo est Ostium, & Ostiarius: quod non contingit in materiali Ostio, & ejus Ostiario.

HÆR. Ad idem inducunt illud Matth. ultimo 19. ubi Christus ait: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*. Ex quo volunt, quod Christus minor sit eo, qui dedit ei potestatem illam.

Solutio. Duplex fuit potestas in Christo, (7) sicut & duplex natura, scilicet divina & humana. Secundum humanam erat minor Deo Patre: ex quo non sequitur, quod ipse non sit æqualis ei secundum Divinam potestatem.

HÆR. Ad idem inducunt illud Matth. 24. v. 36.

 De

ex intacta Virgine, templum, hoc est hominem. Aitque B. Apostolus Paulus: Placuit Deo in mundum mittere filium suum natum ex muliere. *Viden eum loqui de Incarnatione*? Ac merito sane Moneta conditionem *si* initio responsi adhibuit. Etenim ita quoque Patres fecerunt, qui Arianos sunt insectati; tum ita quemadmodum noster, responderunt. Adeundi Epiphanius *Hæres*. LXIX. *n*.XXX. & XXXI. *Tom*. I. Opp. *pag*.744. *seq*. Sanctus Augustinus *l. ind. nota* superiore, & S. Thomas I. *P*. *Q*. XLI. *Art*. III. *ad* 4. *arg*. Addidit autem noster, quam *assumpturus erat* (naturam scilicet humanam) ut Catharos impediret, quominus sæpe illum de re eadem obtunderent, dicerentque, ante illum fuisse cælesti corpore instructum; aut spirituali carne præditum in seculo superiore, veluti Albanenses Johannis de Lugio jactitabant; qua in re Valentinianis aliqua ex parte assentiebantur, qui apud Tertullianum *lib. de Carne Christi cap*. XIV. Carnem Christi *spiritualem esse* dicebant.

(4) S. Epiphanius Hæresi LXIX. *num*.XXXI. *pag*. 745. hoc idem responsum adhibet: *Dominus creavit me, hoc est Dominus ædificavit me in utero Mariæ* initium viarum suarum in opera ipsius: *initium quippe viarum, & adventus in hunc mundum Christi, corpus ejus est ex Maria sumptum, ad justitiæ, & salutis opus adscitum*.

(5) Simile quidpiam objicit sibi ex eodem Isaiæ capite, refutatque Auctor *Dialog*. I. *contra Macedon. pag*. 546. *inter Opp. S. Athanas. Tom*. I., quo loco etiam alterum quoque, quod mox subnectit Moneta ex Catharorum sensu, repellit.

(6) Vide notam superiorem.

(7) Pulchre Auctor Operis *de Assumptione Hominis inter Opp. S. Athanas. pag*.613. *Tom*.II. Dum refellit argumentum, quod Ariani ex testimonio Apostoli, quod exstat I. *ad Cor*.15.27. proferebant. *Hoc evidenter*, inquit, *ad Deitatem filii Dei non pertinet dictum; dum per ipsum cuncta sint facta, & semper illi fuerint subdita, quia nemo est, qui facturæ suæ non dominetur semper. Unde homo, qui nuper natus est, sine dubio ante passionem non fuerint subjecta, cum adhuc ipse homo morti esset pro nobis debitor. Unde jam post passionem, vel Ascensionem, sive judicium futurum, universa erunt ei subdita, sicut ipse homo de se significat*: Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. *Denique vel hoc accipe*: Et potestatem dedit ei ad judicium faciendum, quoniam filius hominis est.

De die autem illa (8), *& hora nemo scit, neque Angeli cælorum, nec filius, nisi Pater.*

Solutio. Sicut Deus scire dicitur aliquid, hoc est scientiam (9) dare; unde dixit Moyses filiis Israel Deut. 13. v. 3. *Tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non*; hoc est ut det vobis scientiam, & cognitionem, an eum vere diligatis; multi enim dicunt se vere, & firmiter diligere Dominum, qui tempore tentationis recedunt ab eo, sicut patet in Petro, qui dixit Matth. 26. v. 33. *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor*. Eodem modo Christus dicitur nescire aliquid, quia non facit nos scire illud, sicut hoc: *Nec etiam filius scit*, id est non facit nos scire, tamen ipse in veritate scit de die illo.

Potest tamen aliter dici, quod ipse filius dicitur nescire de die illo; sicut etiam dicitur Jo: 7. v. 16. *Mea doctrina non est mea*. Sua ergo erat doctrina, quam faciebat, & non erat sua. Sua non erat, quia ipse nec esse, nec scire habebat a se; sua autem erat, quia eam a Deo Patre acceperat. Quod autem ita sit intelligendum patet per literam, quæ ibi sequitur ibidem: *Si quis voluerit voluntatem ejus facere &c.* Similiter sua scientia non est sua secundum illos duos modos. Quod autem acceperit scientiam illius diei a Patre potest haberi ex eo, quod dicitur Jo. 5. v. 20. *Pater diligit filium, & omnia demonstrat ei*. Item Colos. 2. v. 3. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi*. Item per hoc quod dicitur: *Nisi Pater* intelligendum est, quod ita solus scit, ut ab aliquo istud scire non receperit.

HÆR. Ad idem inducunt illud Jo: 14. v. 28. *Pater major me est*. (10) Ad quod dicendum est Hæretico, quod Christus dicit Patrem majorem se ipso homine, non se Deo. In omnibus illis fallitur Hæreticus, quia unam naturam in Christo arbitratur.

Eodem modo (11) dicendum est 1. Cor. 15. v. 28. de Christo: *Cum autem subjecta fuerint illi omnia: tunc, &c.* Filius enim secundum humanitatem subjectus erat Patri, & est modo. Per hoc enim quod dicitur, quod tum erit ei subjectus, non removetur, quin & modo subjiciatur ei quoad humanam naturam, qui tamen est ei æqualis secundum divinam, ut ostendetur in proximo.

HÆR. Ad idem inducunt illud Jo: 1. v. 27. ubi Johannes Baptista dicit: *Ipse est*, (12) *qui post me venturus est, qui ante me factus est*. Sed non secundum carnem. Ergo secundum deitatem. Ergo incœpit esse Deus.

Respondeo. *Ante me factus est*: (13) hoc verum est. Quod autem dixisti: non secundum carnem, sive humanitatem: hoc falsum est; immo secundum illam factus est Christus ante Johannem Baptistam, non tempore, sed dignitate, ut patebit inferius.

HÆR. Ad idem inducunt illud Jo: 10. v. 30. Ubi Christus ait Judæis: (14) *Ego & Pater unum sumus*.

(8) Vexatus hic locus ab Arianis, & Eunomianis olim fuit, vexaturque etiamnum ab Socinianis ad summam impudentiam. Videndus Dionysius Petavius, *lib.* II. *Theologicorum Dogm. cap.* III. §. V. *& seqq. & lib.* III. *cap.* IV. §. I. *seq.*; quibus quidem in locis Patrum testimonia recenset, qui veteres illos hæreticos exagitarunt, citatque, accurateque pulsat Crellium, reliquasque pestes socinianæ factionis.

(9) Simile responsum adhibet Ambrosius *lib.* V. *de fide cap.* VII. pluresque alii Patres, quos recenset Petavius *lib.* II. *Theolog. Dogm. cap.* III. §. VIII. *seqq. Tom.* II. Neque vero ab altera, quam mox usurpat responsione Moneta, sibi temperarunt, ut apud eumdem Petavium cernere licet *l. c.*

(10) Non minus hoc testimonio abutebantur Ariani, & Eunomiani, & si qui alii fuerunt Hæretici Christi divinitati infesti, & inimici. His manus dare audent Sociniani. Adisis eumdem Petavium *lib.* II. *Theol. Dogm. Cap.* II. §. I. *seqq. Tom.* II. *& lib.* III. *cap.* IV. §. III.

(11) Vide Notam 7. *in hoc cap.* refellit etiam Arianos Athanasius, qui in rem suam Pauli ῥητὸν contorquebant *lib. De Incarnatione & Contra Arianos pag.* 886. *seq. Tom.* I. P. II. *Opp. Idest*, inquit, *cum omnes Filio* subjecti *ejusque membra reperti, ac in illo Filii Dei effecti fuerimus*, vos enim, *inquit*, unum estis in Christo Jesu, *tunc ipse pro nobis Patri subjicietur, ut caput pro suis membris. Quamdiu enim omnia ejus membra subjecta non fuerunt, tamdiu ipse, qui est caput eorum, Patri subjectus non erat, dum propria membra expectaret. Si vero unus fuisset ex subjectis, ab initio Patri subjectus fuisset, & non in fine. Nos enim sumus, qui in eo Patri subjicimur, & nos sumus, qui in eo regnamus, donec ponantur inimici nostri sub pedibus nostris. Nam propter inimicos nostros Dominus cælorum in similitudinem nostram factus est, accepitque humanum illud solium David Patris sui secundum carnem: ut reædificaret, & restauraret illud. Ut cum restauratum fuerit, omnes in ipso regnemus, & tradat ipse Patri humanum regnum instauratum*, ut sit Deus in omnibus *regnans per ipsum, ut per Verbum Dei, postquam regnaverit ipse per eum, ut per hominem Salvatorem.*

(12) Arianorum proprium erat hoc argumentum. Auctore utor Augustino *Serm.* CCCLXXX. *col.* VI. *ex Vigner. nu.* 3. *col.* 1475. *Hic jam*, inquit, *qui credunt factum ante cetera per quem facta sunt omnia, calumniantur his verbis, vel per hæc verba nobis, & dicunt: ecce quia factus est*. Consulat Lector quæ sequuntur. Faustus Socinus *in Explicat. locorum* quorumdam *Sacræ Scripturæ pag.* 145. *Tom.* I. *Bibl. FF. Polon.* lectionem vulgatam refellit, qui v. 15. *Cap.* I. *Evang. Johann.* ita vertit: *Quia prior me est. In posteriore vero* (parte versus) *non est cur habere non debeat, cum verba ipsa id ferant; & infirmissima alioqui sit ratio ista, quia prior me erat: ac si de prioritate temporis id intelligatur*, inquit, *indignissima, quæ afferatur, & plane ridicula*. Nempe urit hominem vulgata lectio, quod suum de divinitate Filii, Photinianum dogma evertat. Atque hunc, quam vulgata, postulat etiam Græca lectio. ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, ἔμπροσθέν μου γέγονεν ὅτι πρῶτός μου ἦν: Nisi enim legendum esset *prior me erat*, quid caussæ fuit cur Johannes diceret: ἔμπροσθέν μου γέγονεν: *ante me factus est*? Nego autem infirmissimam esse hanc rationem; annon enim legitima ratio est: priorem genitum esse eum, qui prior erat? Jam vero quot sensus admittat τὸ γέγονεν, nolo hic persequi. Notum enim idest Græci sermonis cultoribus.

(13) Probat hanc eamdem Monetæ interpretationem Augustinus *loco indicato nota superiore.*

(14) Immo ex hoc ipso testimonio colligunt Veteres Christum, quod ad divinitatem attinet, consubstantialem esse Patri. Atque, ut alios omittam, quos alio loco opportunius recensebo: Auctor *libri Contra Sabellii Gregales*, qui extat *Tom.* II. *Opp. Athanasii col.* 42. *seq. num.* 7. Sic habet: *Ita fit, ut duo illa unum sint, eo quod neque differant, neque separentur, neque sub alia specie aut sub alia figura Filius intelligatur, sed Deus sit quemadmodum & Pater. Cum enim illo dicente*: Ego, & Pater unum sumus *indignarentur Judæi, ac dicerent*: quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum. *Respondit Salvator quod illi dixerant confirmans, quasi nihil aliud ipse declarasset, dum dixit*: Ego & Pater unum sumus: *Quam se quoque Deum esse, cum Filius Dei sit*: Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura, quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis quia blasphemas, quia dixi Filius Dei sum? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: Si autem facio, & si mihi volueritis credere, operibus credite, ut sciatis, & cognoscatis, quia ego in Patre, & Pater in me. *Igitur in Patre Filium esse, & Patrem in filio, hoc nihil aliud est, quam eum qui ex Deo genitus est Dei Filium esse, ac Deum secundum naturam, ut est Pater, atque in se ipso paternam formam exhibere, ipsumque mutuo in paterna substantia exhiberi*. Eodem recidunt, quæ exsequitur Ambrosius *lib.* II. *De Fide cap.* IV. Vide Patavium *lib.* II. *De Trinit. cap.* VIII. *num.* X. *seq. Tom.* II. *Theologic. Dogm.* Parvi ergo refert quidquid contra ganniant Cathari, a quibus hoc argumenti genus mutuati sunt Sociniani; præsertim autem Crellius *lib.* I. *De Uno Deo Patre cap.* XXXII. *pag.* 54. *Tom.* V. *Bibl. Polon.*

mus. Quod verbum ita intellexerunt Judæi, quod ſcilicet Chriſtus eſſet ejuſdem naturæ cum Deo Patre, & quod diceret ſe Deum: Unde ſuſtulerunt lapides, ut lapidarent eum tamquam blaſphemum. 31. Jeſus autem reſpondet eis. 32. *Multa bona opera oſtendi vobis ex patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* 33. *Reſponderunt ei Judæi: de bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia, & quia tu homo cum ſis, facis teipſum Deum*. 34. *Reſpondit eis Jeſus: Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra, quia ego dixi, Dii eſtis? &c.* Uſque *filius Dei ſum?* dicunt Hæretici hic. Qualiter ſe dixerit Deum, patet quod non per naturam, ſed per gratiam. Induxit enim hoc exemplum: *Ego dixi, Dii eſtis*: per quod verbum intendebat probare ſe, & illos dici Deos. Sed illi non per naturam dicuntur Dii. Ergo nec Chriſtus Deus eſt per naturam. Attende etiam, quod ibi dicit: *quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum*: hoc eſt ſanctum fecit. Ipſe autem non fuit prius quam eſſet Sanctus, nec prius fuit Sanctus, quam eſſet. Ergo ſi Pater fecit eum Sanctum, fecit etiam eum.

Solutio. Per hoc verbum: *Ego, & Pater unum ſumus* intelligebat duo, ſcilicet ſe eſſe unius naturæ cum Deo Patre, & ſe eſſe unius voluntatis cum illo; ſicut & Sancti homines ſunt, de quibus dicitur 1. Cor. 6. v. 17. *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt*. Unum enim fuit cum Deo Patre in quantum Deus: unum fuit etiam cum eo per gratiam in quantum homo. Judæi autem tantum unum intelligebant, ſcilicet quod eſſet unius naturæ cum Patre, & naturaliter Deus; unde in furorem converſi eum velut blaſphemum lapidare volebant. Dominus autem volens mitigare furorem ipſorum, temperavit (15) ſermonem ſuum dicens: *nonne, &c.* in quo voluit quod ipſe, & alii poſſunt dici Dii per gratiam. Sed ex hoc non ſequitur, quod ille non ſit Deus per naturam; non enim eſt tantum humanæ naturæ, ſed etiam divinæ: ſecus eſt in aliis, qui tantum homines ſunt. Immo ex illa auctoritate per locum *A minori* oſtendit ſe ſine blaſphemia poſſe dici Deum; ſi enim illi dicuntur Dii, qui prius non fuerunt, ſed in mundo nati ſunt, & ſanctificati, multo fortius *quem Pater ſanctificavit, & in mundum miſit, dicendus eſt Deus*.

Ad illud, quod dicunt de hoc verbo: *ſanctificavit*. Dicendum eſt, quod poteſt intelligi de Chriſto dupliciter, ſcilicet ſecundum Deitatem, & ſecundum humanitatem. Primo modo ſenſus eſt: Pater eum ſanctificavit, hoc eſt ſanctum genuit juxta illud Pſalm. 109. v. 4. *Ante luciferum genui Te*; hoc enim verbum *facere* in compoſitione non ſemper ſervat ſuam naturalem ſignificationem: quod patet. Cum enim Deus infactus ſit, Scriptura tamen appellat eum perfectum; nec eſt ſenſus: eſt plene factus; ſed dicitur perfectus, quia nihil ei deeſt, ſicut dicunt Sancti. Ita ex iſto verbo: *ſanctificavit* non ſequitur, quod Chriſtus cœperit eſſe, aut eſſe ſanctus, quia non eſt factus eſſe, nec ſanctus eſſe, ſed ab æterno genitus Deus, ut infra probabitur, cum de æternitate filii Dei tractabimus. Poteſt tamen iſtud verbum: *Quem Pater ſanctificavit* intelligi de Chriſto ſecundum humanit atem. Pater enim miſit filium ſuum in mundum, quando humanam naturam eum aſſumere fecit, quam naturam in ipſo Chriſto ſanctificavit, hoc eſt, ſanctam fecit; & ſecundum hoc verbum *facere* ſervat in compoſitione ſuam naturalem ſignificationem: & bene credo, quod Chriſtus in quantum homo incœperit eſſe, & ſanctus eſſe, nec fuit Deus per naturam, ſecundum quod homo, licet fuerit Deus per gratiam, ſicuti illi, *ad quos ſermo Dei factus eſt*.

HÆR. Ad idem inducunt illud Jo: 17. v. 11. Ubi Chriſtus dicit ad Patrem: *Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, ut ſint unum, ſicut & nos*. (16) Homines autem non fiunt unum, niſi per fidem idem credendo, aut per ſpem idem ſperando, aut per dilectionis vinculum, & unitatem voluntatis idem volendo. Sed hoc modo non fiunt unum in eſſentia. Ergo nec Deus pater, & Chriſtus unum ſunt in eſſentia, ſed in voluntate.

Solutio. Hoc adverbium *ſicut* non ſemper ſervat omnimodam ſimilitudinem, ſicut patet Matth. 5. v. 48. Ubi Dominus ait: *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt*: Eodem modo in verbis præcedentibus; & eſt ſenſus: *Serva eos, quos dediſti mihi*, ut ſuo modo ſint unum copula charitatis, ſicut ego, & Tu unum ſumus in natura divinitatis. Unde adnotandum, quod unitas ſua, & patris, eſt unitas ſubſtantialis; nam ſine aliqua determinatione ſimpliciter dixit: *Ego & Tu unum ſumus*. Unitas autem Fidelium accidentalis eſt, & non eſt unitas ſimpliciter, ſed ſecundum quid: ideo cum primo dixiſſet: *Ut ſint unum, ſicut & nos*, illa verba deinde temperans dixit v. 21. *Ut & ipſi in nobis unum ſint*. Et hoc eſt, quod habetur Act. 4. v. 32. *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una*. Hoc idem orabat Apoſtolus Rom. 15. v. 5. *Deus autem patientiæ, & ſolatii det vobis id ipſum ſapere in alterutrum ſecundum Jeſum*. Ecce unum cor, una videlicet credulitas; ſequitur enim 6: *Ut unanimes*: Ecce una voluntas; ſequitur enim: *Uno ore honorificetis*

(15) Non ita, ut vim nobis argumenti contra Hæreticos adimeret: nam ut bene animadvertit noſter a minori ad majus oſtendit ſe Deum eſſe revera.

(16) Purum putum Arianum hoc eſt. Nam ita ῥητὸν hoc Evangelii præter ceteros ejus factionis homines explicabat etiam Maximinus Arianus apud Auguſtinum in *Collat. cum Maxim. Epiſcopo Arianor. num.22. col. 673. Tom.* VIII. *Opp. Intuere ergo & illuc*, inquit, *quod Dominus ait*, ego & Pater unum ſumus, *quod certa fide a nobis creditur, & ſuſcipitur. Qui dicit* ego *filius eſt. Qui dicit*, & Pater; *alterum Patrem oſtendit*. Unum *ait, non* unus. *Sæpius dictum eſt, quia* unum *ad concordiam pertinet. Quomodo non unum Pater, & Filius, cum quando clamat Filius*, ego quæ placita ſunt Patri facio ſemper? *Tunc demum non eſſet unum cum Patre, ſi contraria Patri faceret aliquando. Sic autem & Apoſtoli unum ſunt cum Patre, & Filio, in eo quod in omnibus ad voluntatem Dei Patris reſpicientes, ad imitationem Filii ſubditi uni Deo Patri & ipſi inveniuntur. Et non tantum pro Apoſtolis legimus Salvatorem oraſſe, ut unum ſint, ſed etiam pro credituris per verbum illorum, dicens*: Non ſolum pro his rogo, ſed & pro credituris per verbum illorum in me, ut omnes unum ſint: ſicut Tu Pater in Me, & Ego in Te, ut & illi in nobis unum ſint. Ab hiſce magiſtris doctrinam accepit Fauſtus Socinus. Nam eodem argumento utitur *in Reſp. ad* VIII. *Cap. Vujeki Claſs.* III. *Arg.* IV. *pag.* 277. *Tom.* II. *Bibl. FF. Polon.*

tis Deum, & patrem Domini nostri Jesu Christi. (17)

HÆR. Ad idem objiciunt illud Apocal. 1. v. 4. (18) *Johannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia. Gratia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est, & a septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt*: 5. *Et a Jesu Christo qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ*. In suis verbis præmittit Johannes: *ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est*; & subjungit; *& a septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt*, & infra addit: *Et a Jesu Christo, &c.* Quare videtur, quod Jesus Christus sit inferior septem spiritibus. Ergo non est Deus omnipotens.

Ad hoc dico: quod B. Johannes duplicem Christi naturam ibi insinuat. Divinam primo ponit dicens: *Ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est*. Supple ad judicium; *neque enim Pater judicat quenquam, sed omne judicium dedit Filio*, ut habetur Jo: 5. v. 22. Cum vero dicit: *& a septem spiritibus, &c.* Intelligitur: & a Spiritu Sancto, qui septiformis est, ut habetur Isaiæ 11. v. 2. *Et requiescet super eum Spiritus Domini, &c.* Denique in fine ponit: *Et a Jesu Christo*; & hoc propter humanam naturam dicitur, secundum quam posterior est Spiritu Sancto septiformi.

HÆR. Ad idem inducunt illud ad Galat. 4. v. 4. *Misit Deus filium* (19) *suum*. Sed alius est, qui mittit, & alius qui mittitur. Ergo alius est Pater a Filio: sed Pater est Deus. Ergo filius non est idem Deus.

Solutio. Alius est Pater a Filio personaliter, sed idem essentialiter. Istam alienam personalitatem notat Johannes, cum dicit c. 1. v. 1. *Et verbum erat* (20) *apud Deum*; nullus enim est apud se. Et Priscianus dicit, quod præpositiones (21) transitiones sunt personarum; sed identitatem essentialem subjunxit, cum dixit: *Et Deus erat verbum*. Non valet ergo: Filius est alius a Patre. Ergo Filius non est Deus: ergo non est idem Deus.

HÆR. Sed videtur, quod ultimum sequatur; Quia sicuti Petrus est homo, ita & Johannes est homo: sed Petrus est alius a Johanne: ergo alius homo quam Johannes.

At non est simile; quia alia est humanitas Petri, & alia Johannis, sed non est alia divinitas Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut probabitur inferius.

HÆR. Item Filius a Patre est per generationem: ergo est posterior Patre, & ita non est æternus. Ergo non est Deus. (22)

Solutio ad hoc est, quod generatio Filii Dei a Patre non est aliqua species mutationis, sicut generatio naturalis. Unde licet generatio naturalis petat genitum esse posterius generante, tamen illa generatio Filii Dei hoc non petit, nec ponit. Et ad hoc melius intelligendum sciendum est, quod generare Patri idem est, quod dare esse alii, videlicet Filio; Filio vero generari idem est, quod recipere esse a Patre. Dare tamen, & recipere plerumque aliquem motum designant. Hic autem non est fas aliquem motum intelligere; unde intentio recipiendi essentiam non est, nisi habere essentiam ab alio. Constat autem quod aliquid recipit esse ab alio, & tamen non est posterius illo: simile est in Patre, & Filio Dei. Istud sufficit Hæretico. Ad majorem tamen intelligentiam Catholicorum sciendum est, quod habere essentiam ab alio non est nisi esse ab alio: ut habere albedinem non est nisi esse album, & habere albedinem ab alio est esse album ab illo. Si vero habere essentiam non est nisi esse, & habere essentiam ab alio non est nisi ab illo, habitus essentiæ non est nisi essentia, & habitus ab alio non est nisi essentia ab uno alio. Unde filiatio, sive generatio, qua Filius dicitur genitus a Patre, non est nisi essentia divina in quantum ut in Filio ab alio, videlicet Patre, sed præter omnem mutationem; & paternitas, sive generatio, qua Pater dicitur Filii genitor, non est nisi ipsa eadem essentia in quantum a Patre est in alio. Unde sicut idem in essentia est actio, & passio, sed differunt rationibus quibusdam; ita paternitas, & filiatio; paternitas enim dicit ipsam essentiam divinam, vel etiam humanam, sed superaddit modum hujus præpositionis: *ab*, & filiatio similiter dicit essentiam, sed superaddit modum significan-

(17) Pluribus locis hoc testimonium adfert contra Arianos, solideque imprimis, ac vere expendit Hilarius. Sed *lib.* VII. *De Trinit. num.* 22. *pag.* 930. *seqq.* fusissime illud exponit. Consulendi Sanctus Athanasius *Oratione* III. *Contra Arianos num.* 3. *pag.* 554. *Tom.* I. *Part.* I. *Opp. & Orat.* IV. *Contra Arian. pag.* 623. & alibi passim. Et Sanctus Augustinus cum in aliis plerisque locis, tum Collatione contra Maximinum Arianum *col.* 658. ubi hæc habet: *Assumpta autem carne, qua factus est homo, sicut æqualem se novit quando dicit*; Ego & Pater unum sumus, *sic se novit minorem, quia* Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo. *Natura enim erat, non rapina. Non enim usurpavit hoc, sed natus est hoc*. Verumtamen semetipsum exinanivit formam servi accipiens. Vide cetera quæ sequuntur, sunt enim ad rem maxime accommodata. Consulendus etiam Petavius *lib.* II. *De Trinit. cap.* VIII. *num.* X. *seqq. Tom.* II. *Theol. Dogm.*

(18) Nempe, quo testimonio Patres Arianos exagitarunt, hoc illud per summam impudentiam Cathari Catholicis objecerunt. Vide Athanasium Oratione I. Contra *Arianos num.* XI. *pag.* 415. & Oratione II. *num.* XXIII. *col.* Hinc præclare respondet Noster. Cujus quidem responsio confirmari magis magisque v. 8. potest, quo Christus dicit: ἐγώ εἰμι τὸ A. καὶ τὸ ω ἀρχὴ, καὶ τέλος λέγει ὁ Κύριος, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, ὁ παντοκράτωρ. *Ego sum a. & ω. principium, & finis, qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens*. Adeundus Petavius *lib.* II. *De Trin. cap.* IX. §. VII.

(19) Egregie, fuseque Augustinus ostendit quemadmodum hoc missionis genus intelligi debeat *lib.* II. *De Trinit. cap.* V. *num.* 7. *seqq.* Videndus quoque Dionysius Petavius *lib.* VIII. *Theologic. Dogm. cap.* I §. I. *seqq. Tom.* II. *Qui est de Trinitate*. Negari non potest, quia ante Catharos his nugis delectarentur Ariani, ceterique Filii Dei hostes, ut verum Catholicumque Dogma everterent. Abutuntur quoque etiamnum hoc eodem Pauli testimonio Sociniani, inter quos impius ille Crellius *De Deo uno Patre cap.* XV. *pag.* 33. *Tom.* V. *Bibl. FF. Polon.*

(20) Ita omnino Clemens Alexandrinus *Admon. ad Gentes pag.* 686. *Tom.* I. *Opp. Edit. Oxon. Divinum Verbum*, inquit, *verus sine controversia Deus, cum Domino totius universitatis adæquatus, quoniam ejus filius erat, & Verbum erat in Deo*. Consule quæ habet opere eodem *pag.* 6. *seqq.* Multa eodem spectantia Patrum testimonia profert Georgius Bullus *in Defens. Fidei Nicænæ Sect.* IV. *cap.* I. *seqq.*

(21) *Lib.* XVII. *Gramm. pag.* 1079. *Collect. Auct. Antiq. Grammat. Edit. an.* 1605.

(22) Proprium fuit Ariranorum hoc argumentum. Nam Hilarius in XII. *De Trinitate lib. num.* 21. *col.* 1123. *seqq.* hoc ab illis objectum proponit, fuseque refutat eodem modo quo Noster. Videndus Petavius *lib.* V. *cap.* IX. §. V. *Tom.* II. *Theol. Dogm.*

candi hujus præpoſitionis: *in*: ſicut actio, & paſſio dicunt in naturalibus eandem ſpeciem motus, vel mutationis, qua dicitur actio reſpectu ejus, a quo eſt; paſſio vero reſpectu ejus, in quo eſt per alium, ut patet in ſcientia naturali.

HÆR. Ad idem inducunt illud ad Coloſ. 1. v. 15. Ubi de Chriſto dicit Apoſtolus: *Qui eſt imago Dei inviſibilis*. Si eſt imago ejus: ergo eſt aliud a Deo (23) inviſibili: ergo non eſt Deus.

Ad hoc dico, quod Filius Dei dicitur imago Patris in eo quod Deus, & in quantum homo. Primo modo dicitur imago Dei Patris propter ſubſtantiæ identitatem, & potentiæ æqualitatem; unde etiam Chriſtus dixit Jo: 14. v. 9. *Qui videt me, videt & patrem*. Et quod ita ſit, patet ex deſcriptione imaginis, quam ponit Hilarius in libro de ſynodis, ubi ita loquitur: *Imago itaque eſt rei ad rem coæquandæ imaginata, & indiſcreta ſimilitudo. Eſt ergo Pater, eſt & Filius, quia imago Patris eſt Filius: & qui imago eſt, ut vere imago ſit, ſpeciem neceſſe eſt, & naturam, & eſſentiam ſecundum quod imago eſt, in ſe habeat auctoris*. Hoc modo ſumitur imago, cum dicitur ab Apoſtolo: *Qui eſt imago Dei inviſibilis*. Idem etiam patet per illud, quod dicit Ariſtoteles: (24) Imago eſt cujus eſt generatio per imitationem; generatio enim unius ab alio non eſt niſi ubi eadem eſt ſpecies generantis, & geniti: homo quippe hominem generat, & equus equum. Propter hoc etiam Apoſtolus ſubdit de Chriſto: Qui eſt *Primogenitus omnis creaturæ*, ut notet eandem eſſe ſpeciem & ſubſtantiam Patris, & Filii; & ſubjungit: *in ipſo condita ſunt univerſa in cælis, & in terra*: quod dicit Apoſtolus, ut notet eſſe æqualem Patri in potentia, ut inferius probabimus. Si enim ab ipſo eſt omnis creatura, & ſi genitus eſt ante omnem creaturam: Ergo non eſt creatura: ergo eſt Creator. Sed unus ſolum Creator exiſtit ſecundum ſubſtantiam. Ergo Filius ejuſdem ſubſtantiæ eſt cum Patre. Homo autem purus, & Chriſtus in quantum homo dicitur imago Dei, (25) quia imitatur Deum bene vivendo: vel quia ſicut Deus immenſus eſt in ſuo eſſe, ita intellectus humanus immenſus eſt capacitate; eſt enim omnium capax, quia etiam capax eſt Dei: 1. Cor. 13. v. 9. *Nunc cognoſco ex parte: tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum*. Ex his patet, quod imago creata aliud eſt ab eo, cujus eſt imago, ſicut increata idem eſt cum eo.

HÆR. [*] Ad idem probandum inducunt illud Hebræ. 1. v. 3. Ubi de Chriſto (26) Apoſtolus dicit, quod eſt *figura ſubſtantiæ ejus*: hoc eſt Patris. Figura aliud eſt a figurato. Ergo filius eſt alius a Patre.

Reſpondeo. Figura aliud eſt ab eo, cujus eſt figura, quando non eſt ſubſtantiæ ejus, ſicut figura, vel imago ceræ non eſt idem, quod ſuum figuratum, quia non eſt ſubſtantiæ ejus. Chriſtus autem eſt imago Dei inviſibilis, ut dicit Apoſtolus ad Coloſ. 1. v. 15., ad cujus expoſitionem docet Hebræ. 1. quod eſt *figura ſubſtantiæ ejus*, hoc eſt de ejus ſubſtantia. [*]

HÆR. Ad idem inducunt illud Apocalyp. 5. v. 12. *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & divinitatem*. (27) Si accipit: quomodo Deus eſt? Nullo modo, ut dicunt.

Hujus objectionis ſolutionem ponemus in §. proximo, quando probabimus Chriſtum eſſe Deum omnipotentem per eandem auctoritatem.

HÆR. Ad idem inducunt illud Apocalyp. 7. v. 2. Ubi Johannes ait: *Vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei vivi*: quod de Chriſto exponitur. Si ergo fuit Angelus, & non Deus. (28)

Ad hoc dicimus, quod ſicut Sacerdos dicitur Angelus non natura, ſed quia nuntius eſt Dei, & nuntiarius ſecretorum Dei; unde Malach. 2. v. 7. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum eſt*: ſimiliter Chriſtus non natura, ſed propter prædictam cauſſam Angelus appellatur; Angelus enim interpretatur nuntius; Et hoc eſt, quod ipſe Chriſtus dicit per Iſaiam c. 61. v. 1. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum manſuetis miſit me*. Ex hac autem auctoritate volunt Chriſtum non eſſe Deum, cum dicat: *Spiritus Domini ſuper me*.

Dic: quod ſpiritum dicit ſuper ſe hominem, non ſuper ſe Deum; unde dicit: eo quod Dominus unxerit me. Unctus fuit in quantum homo, qui omnes ungit in quantum Deus. Quod antem Chriſtus Angelus non ſit per naturam, patet Hebræ. 1. v. 4. *tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit*. 5. *Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es Tu, ego hodie genui Te?*

§. II.

(23) Nolo equidem Patrum teſtimonia huc transferre, quibus objectum iſtud exagitarunt. Etenim præclare hoc munere functus eſt Dionyſius Petavius *lib.* VI. *cap.* V. *&* VI. *per tot.*

(24) Non reperi apud Ariſtotelem, quæ noſter allegat. Conſule tamen *S. Th. I. P. Q.* XXXV. *Art.* I. *&* II.

(25) Non probatur Theologis, Antiquiſque Eccleſiæ Patribus Marcelli Ancyrani ſententia, qui *Imaginem in* Carne Chriſti ſitam eſſe pugnabat, ſi fides eſt adjungenda Euſebio, qui hoc illi exprobrat *lib.* IV. *Contra Marcellum cap.* XXIII. Nam omnes de Perſona Divini Verbi Pauli ῥητὸν intelligunt. Ceterum poſita priore illa quam noſter tradit, reſponſione; reprobari nequit hæc altera interpretatio, cum longe ab ea quam dedit Marcellus diſcrepet. Vide *Petavium lib.* VI. *cap.* V. §. VII. *Tom.* II. *Theolog. Dogm.*

[*] Quæ duobus aſtericis comprehendimus, deſunt e *Cod. Vatic.*

(26) Ab Arianis id etiam acceperunt Cathari, quos hac ætate ſequuntur Sociniani. Nam ita omnino ratiocinatur Crellius *De uno Deo Patre. Cap.* XIX. Sed potis numquam is eſt repellere, quæ allata ſunt ab Athanaſio *Orat.* II. *Contra Arianos pag.* 500. *& Oratione* III. *pag.* 614. *Tom.* I. *Opp.* Adeundus Dionyſius Petavius *lib.* VI. *cap.* VI. *num.* 2. *Tom.* II. *Theol. Dogm.*

(27) Non exſtat in Græco exemplari vox ulla, quæ huic Latinæ reſpondeat. Utcumque ſit tamen, ſua ineſt vulgatæ interpretationi auctoritas. Sed de hoc teſtimonio dicam §. *ſeq.*

(28) Non eſt neceſſe putare ῥητὸν hoc Johannis in Chriſtum cadere. Negant enim plerique Theologi, quibus aſſentitur Erudiſſimius Pererius *Diſp.* IV. *ſeq. cap.* VII. *Apocal.* Fateor tamen eſſe alios, qui Chriſto idipſum attribui oportere defendant. Verum optime reſpondet noſter, ejuſque interpretatio. Conſonat autem iis, quæ habent Antiochænæ Synodi Patres in *Epiſt. Synodica ad Paulum Samos. Tom.* I. *Bibl. PP. Græcol.* Vide Petavium *Tom.* II. *Theol. lib.* VIII. *cap.* II. §. VI.

§. II.

Probatio Ecclesiæ, quod Christus sit Deus per naturam, æqualis, consubstantialis, coomnipotens, & coæternus Patri.

Viso, quibus modis moveantur Hæretici, qui plura ponunt principia, qui dicunt Christum non esse Deum, accedamus ad ostendendum quod ipse est Deus: secundo, quod ipse est idem Deus cum Patre coæternus, coomnipotens, & consubstantialis.

[*] Ad hoc autem probandum valet, quod habetur Jo: 1. v. 1. *In principio erat* (29) *Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Ecce expressum testimonium Deitatis Christi. Sed ne dicas *Verbum* tertio loco sumptum alio modo sumi quam prius, repetit 2: *Hoc erat in principio apud Deum*: quasi dicat: hoc Verbum, quod ego dico esse Deum, non est aliud Verbum, quam idem, de quo dixi: *Et Verbum erat apud Deum*.

Item Johan. 8. v. 58. *Antequam* (30) *Abraham fieret ego sum*. Ita dicit Christus. Ergo sic est. Constat autem quod non fuit ante Abraham secundum humanitatem. Ergo secundum Deitatem. Ergo est Deus. [*]

Item ad id valet illud, quod habetur Rom. 9. v. 5. *Quorum Patres, & ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus* (31) *in secula. Amen*. Ubi patet Christum esse verum Deum, & verum hominem.

Item 1. Cor. 2. v. 8. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ* (32) *crucifixissent*. Act. 7. v. 2. *Deus gloriæ apparuit Patri nostro Abrahæ in Mesopotamia*.

Item Jo: 3. v. 13. *Nemo ascendit in Cælum, nisi, qui descendit de Cælo, Filius hominis, qui est in Cælo*. Si descendit etiam in partes terræ inferiores, ut habetur Ephes. 4. v. 9. Creatura igitur erat: nec dubium quin rationalis. Si autem in hac terra esse dixit, vere dixit de se, qui est in Cælo. Deus ergo erat. Exod. 12. v. 9. *Caput cum pedibus ejus, & intestinis vorabitis*. Hoc dictum est de Agno, qui figura erat Christi. In capite divinitas figuratur 1. Cor. 11. v. 3. *Caput vero Christi Deus*. In pedibus humanitas designatur. Per intestina in Agno latentia intelligimus occulta mysteria inter literam Legis, & Prophetarum abscondita, quæ Fidei clave reserante didicimus, & avide sumimus; aviditas enim in devoratione notatur. De hoc autem ait Christus ipse verus Agnus Luc. 9. v. 58. *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos? Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*. Per vulpes dolosi Hæretici, per volucres dæmones designantur, teste Domino Luc. 8. v. 5. *Volucres Cæli comederunt illud*; hoc est dæmones in hoc aere volitantes. Utrique, Hæretici, & dæmones in multis domicilium habent; Filius autem hominis non habet ubi caput, hoc est Deitatem suam reclinet: nam ut dicitur 2. Petr. 2. v. 1. *Eum, qui emit eos Dominum, negant*.

Item

[*] Quæ duobus astericis complexi sumus desunt e *Codd. Bonon. & Vaticano*.

(29) Sapienter Ambrosius *lib.* I. *de Fide ad Gratianum cap.* V. *Erat.* inquit, *apud Deum, erat, erat, erat, erat, ecce quater erat, ubi impius invenit, quod non erat ... Quod enim erat in principio non includitur tempore, non principio prævenitur. Ergo Arius conticescat*. Huc spectant Athenagoræ verba *Legat. pro Christianis pag.* 10. Ἀλλ' ἔστιν ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ λόγος τοῦ πατρὸς ἐν ἰδέᾳ, καὶ ἐνεργείᾳ πρὸς αὐτοῦ γὰρ, καὶ δι' αὐτοῦ πάντα ἐγένετο, ἑνὸς ὄντος τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ ὄντος δὲ τοῦ υἱοῦ ἐν πατρὶ, καὶ πατρὸς ἐν υἱῷ, ἑνότητι καὶ δυνάμει πνεύματος νοῦς, καὶ λόγος τοῦ πατρὸς ὁ υἱὸς τοῦ, θεοῦ. *Sed est Filius Dei Verbum Patris in idea, & operatione. Ab ipso enim, & per ipsum omnia facta sunt: cum sit unum Pater, & Filius; & Filius sit in Patre, & Pater in Filio, unitate & virtute spiritus. Mens, & Verbum Patris Filius Dei*. Plura generis ejusdem offendet Lector apud Bullum *Sect.* II. *Defens. Fid. Nicænæ*, & apud Petavium *lib.* II. *Cap.* VIII. §. I. *seq. Tom.* II. *Theol. Dogm.*

(30) Consule Athanasium *Oratione* IV. *Contra Arianos pag.* 632. *Tom.* I. *Opp. Parte* I. *Edit. Novæ*. Torquet hic locus Faustum Socinum hominem impurissimum; quare in omne latus se vertit, ut vim illi omnem deripiat. Principio *in Disp. adv. Andream Volanum pag.* 379. *To.* II. *Biblioth. FF. Polonor.* non inde continuo sequi putat, ex Patris substantia jam inde ab æterno genitum esse. Sed fac ita, ut Johannis ῥητὸν postulat, intelligatur; quid impediet, quo minus de se Deo Verbo institutum a Christo sermonem pugnemus; cum quæ prævertunt, & quæ sequuntur in Johannis Evangelio *divinitatem* Christi mirifice statuant? Id vero demonstratum est ab Theologis nostris, atque etiam ab hæreticis de Lutheranorum, & Calvinianorum Grege, inter quos recenseri debet *Pictetus Liv.* III. *De la Theolog. Chretienne cap.* VIII. *per tot. Tom.* I. Vidit tamen Photinianus ille Socinus funditus systema suum eversum iri, si ante Abrahamum Christum fuisse diceret, quippe cum ante Mariam eum non extitisse arbitraretur. Itaque ad ridiculam quamdam versionem sibi esse confugiendum putavit. Ergo legendum esse contendit: *antequam Abraham fiat ego sum*. Nam πρὶν ἀβραὰμ γένεσθαι ἐγὼ εἰμι, hanc item, ait, interpretationem pati posset. Immo vero præstare, ni solæcismum admisisse Evangelisten velimus, præstare, inquit, hoc versionis genere nos esse contentos. Sed quid sibi vult hoc portento interpretationis? Nempe, ut τὸ ego sum in idem, atque illud recidat: *Ego sum via veritas, & vita, uno verbo ego sum Christus* antequam Abraham fit pater credentium, & Ethnicorum eorum, qui amplecti veram religionem debent. Sed omnium hominum, qui ratione uti solent, postulo, atque imploro fidem, ut adsint, atque animadvertant; sitne quidquam hoc monstro interpretationis obtusius? Nam si equidem dicerem, antequam fuisset Cæsar, nemo homo non perciperet, me loqui de tempore, quod ortum Cæsaris prævertit non autem de Imperatoris, quam consequutus deinde est, dignitate. Atque ita quidem rem acceperunt Judæi; ut Christum gloriari se ante Abrahamum fuisse censuerint, quare lapides in eum jacere instituerunt. Tum singulare ne quidpiam, ac novum dixisset Christus? quasi vero non pateret ipsum esse ante quam Ethnici Abrahæ filii per fidem evaderent. Jam vero regulæ grammaticorum, quibus nititur Socinus: nempe τὸ *ego dico*, & τὸ *ego sum* exigere, ut *antequam Abraham fiat* legi debeat, stomachum profecto movent. Nam si valerent, evincerent illæ quidem v. 2. *Ps.* LXXXIX. e Græco in Latinum sermonem ita omnino transferri oportere. *Priusquam montes fiant, & formetur terra, & orbis terræ, & a seculo usque in seculum tu es*. Quo quid dici potest absurdius? Græca enim exemplaria sic habent: πρὸ τοῦ ὄρη γενηθῆναι, καὶ πλασθῆναι τὴν γῆν, καὶ τὴν οἰκουμένην, καὶ ἀπὸ τοῦ αἰῶνος ἕως τοῦ αἰῶνος σὺ εἶ. Atqui τὸ *tu es* σὺ εἶ, non impedit, quin sine solœcismo vertamus, *priusquam montes fierent*. Mitto cetera Socinianorum ridicula dicta, nam explosa sunt ab omnibus fere hujusce ætatis Theologis.

(31) καὶ ἐξ ὧν ὁ χριστὸς τὸ κατὰ σάρκα ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. Sic enim legendum esse hunc locum multis probant Beza, & Millius adversus Erasmum. Quin etiam veteres Patres omnes ita legerunt. *Irenæus lib.* III. *cap* XVI. *al.* XVIII. *num.* V. *Tertullianus lib. Contra Praxeam cap.* XIII. & XV. Athanasius *Orat.* II. *Contra Arianos*, Gregorius Nissenus *lib.* X. *Contra Eunomium*, aliique quos recensent Petavius *lib.* II. *cap.* IX. §. II. *Tom.* II. *Theol. Dogm.* & Millius *in Notis ad hunc v. Apostoli*.

(32) Adeundus Athanasius *Oratione* III. *Contra Arianos pag.* 581. *Tom.* I. Quod addit ex Johanne testimonium funditus evertit Photinianorum, Socinianorumque dogma, qui ante Mariam Christum non exstitisse contendunt.

Item Philip. 2. v. 6. *Qui cum in forma Dei esset*, (33) *non rapinam arbitratus est*, *&c.* Constat apud recte intelligentes, quod forma rei, essentia rei est. Christus arbitrans se esse æqualem Deo, non est arbitratus rapinam, qui erat in forma Dei; & tamen seipsum *exinanivit*, *formam servi accipiens*. Item ad Titum 2. v. 13. *Expectantes* (34) *beatam spem*, *& adventum gloriæ magni Dei*, *& Salvatoris nostri omnibus hominibus*. Hebræ. 1. v. 8. Ubi introducitur pater loquens ad filium: *Thronus tuus Deus in seculum seculi*: *virga æquitatis*, *virga regni tui*. Postea de humanitate ejus loquens subjungit 9: *Dilexisti justitiam*, *&c.* usque *tuis*. De Deitate quoque subjungit 10: *Tu in principio Domine terram fundasti*, *& opera manuum tuarum sunt Cæli*. Act. 10. v. 36. *Verbum misit Deus filiis Israel*, *annuntians pacem per Jesum Christum*:) *hic est omnium Dominus*.) De Christo loquitur, sicut Paulus Rom. 9. v. 5. *Ex quibus est Christus*, *&c.* Act. 20. v. 28. *Attendite vobis*, *& universo gregi*, *in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, *quam acquisivit Sanguine suo.* (35)

Item, 1. Jo: 3. v. 16. *In hoc cognovimus charitatem Dei*: *quoniam ille animam suam pro nobis posuit*. Et ejusdem Ep. 5. v. 20. *Scimus quoniam Filius Dei* (36) *venit*, *& dedit nobis sensum*, *ut cognoscamus verum Deum*, *& simus in vero Filio ejus*. *Hic est verus Deus*, *& vita æterna*: de quo dicitur Jo: 1. v. 4. *Vita erat lux hominum*: quod patet dici de Christo; unde Jo: 14. v. 6. *Ego sum via*, *veritas*, *& vita*. 1. Jo: 5. v. 12. *Et vidimus*, *& testamur*, *& annuntiamus vobis vitam æternam*, *quæ erat apud Patrem*; Unde Johan. 1. v. 1. *In principio erat Verbum*, *& Verbum erat apud Deum*, *& Deus erat Verbum*. Ex quibus patet, quod Christus est verus Deus: ex quo sequitur, quod sit unus, & idem Deus cum Patre, cum non sint plures Dii.

Forte aliquis dicet, quod ipse Filius dicitur Deus non per naturam, sed per gratiam. At hoc improbabitur inferius, ubi probabimus quod ipse est consubstantialis Patri.

Et quod ipse sit Deus aliter ostendamus. Legimus Luc. 10. v. 17. Quod Discipuli a Christo missi ad prædicandum *reversi sunt cum gaudio dicentes*: *Domine etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo*. 18. *Et ait illis*: *videbam Satanam sicut fulgur de Cælo cadentem*. Sed non videbat eum cadentem secundum quod homo; non enim sunt plusquam 1244. anni, [*] quod ipse factus est homo. Ergo si videbat eum cadentem: vel videbat secundum quod erat Deus, vel secundum quod Angelus. Non secundum quod Angelus, ut ostensum est in §. proximo super illo verbo Apocalyp. 7. v. 2.: *Vidi alterum Angelum*, *&c.* Videbat ergo eum cadentem secundum quod ipse erat Deus. Ergo Christus Deus fuit, &c.

§. III.

Probatio Ecclesiæ, *quod Christus sit idem Deus cum Patre*.

Ostenso, quod Christus est Deus, accedamus ad secundum, quod proposuimus, quod ipse sit unus Deus cum Patre consubstantialis ei.

Probatur autem per id, quod habetur Matth. 3. v. 17. Ubi dicit Pater de Filio: *Hic est Filius meus*: Et per David ad ipsum ait Psal. 2. v. 7. *Filius meus es Tu*. Modo quæro, quomodo dicatur Filius: per gratiam, an per naturam? Si per naturam: ipse ergo est ejusdem naturæ cum Patre suo. Sed natura Dei est ipsa divinitas. Ergo est unius divinitatis cum Patre, & ita unius substantiæ, quia non est aliud divinitas, quam substantia divina, atque adeo est unus Deus cum Patre.

Si autem dicas, quod dicitur Filius Dei per gratiam tantum: hoc stare non potest; sic enim habet multos filios, Angelos, & homines; unde David ait Psalm. 81. v. 6. *Ego dixi*, *Dii estis*, *& filii excelsi omnes*.

Item Hebræ. 2. v. 10. *Decebat eum*, *propter quem omnia*, *& per quem omnia*, *qui multos filios in gloriam adduxerat*, *&c.* Quomodo ergo Johannes c. 3. v. 16. dicit: *Sic Deus dilexit mundum*, *ut Filium*

(33) Est quoque hoc Apostoli ῥητὸν contra Arrianos a Patribus sæpe ac multum allatum. Sed Sociniani, ut olim Verbi Divini hostes, tenebras illi student obducere, quos solide imprimis refellit Petavius *lib.* III. *cap.* v. §. VIII. *seq. Tom.* II. *Theol. Dogm.*

(34) Adeundus Cyrillus Alexandrinus *lib.* XXXII. *Thesaur. pag.* 298. & *lib.* XXXIII. *pag.* 378. quo loco alterum, quod ex Epistola ad Hebræos mox subnectit Moneta expendit. Consule Petavium *lib.* II. *cap.* IX. §. III. *seq. Tom. Eod.*

(35) Nostra Novi Testamenti exemplaria sic habent. Verum Irenæus legit pro *Ecclesiam Dei*, *Ecclesiam Domini lib.* III. *cap.* XIV. *pag.* 201. Irenæi lectionem alii nonnulli sequuntur Veteres: immo vero eam in vetustis aliquot MSS. offendere licet; quod est a Millio in Notis ad hoc *Act. Apost.* ῥητὸν animadversum. Jam vero si pro τοῦ θεοῦ *Dei* legendum esset τοῦ Κυρίου *Domini*, nobis quidem certe nullum afferri posset incommodum, quibus tot, tamque luculenta testimonia Scripturarum præsidio sunt. Sed si contra τὸ τοῦ θεοῦ retineri debet, ut retinendum reipsa est, quod Patribus fere omnibus, probetur, exstetque in plurimis MSS. Codicibus, velut Millius *ibidem* observat, næ hic ipse Actorum Apostolorum locus Socinianum, Catharisticum, Photinianumque dogma funditus evertit, ac labefactat.

(36) Torquet hic etiam locus hæreticos hujusce temporis, qui Socino auscultant. Ergo novum quoddam, ut assolent, versionis genus commenti sunt, quo vim argumenti indidem expressi eludant. Ajunt enim, transferri Græca in Latinum sermonem hoc pacto oportere: *ἵνα γινώσκωμεν τὸν ἀληθινὸν θεὸν, καὶ ἐσμὲν ἐν τῷ ἀληθινῷ, ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ ἰησοῦ χριστῷ οὗτος ἐστιν ὁ ἀληθινὸς θεὸς, καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος. Ut cognoscamus verum, & sumus in illo vero (per Filium ejus) Hic est verus Deus.* Ita illi quidem parentheses fingunt, & absurdas interpretationes, quod sibi male metuant. Nam ubinam obsecro, aut quo tandem in MSS. Codice, hoc genus Parenthesis deprehenderunt Sociniani? Deinde pro *in vero Filio ejus*, *per Filium ejus*, ponere, nonne est hominis & ratione, & Græcis exemplaribus abutentis? Ac si ita essent Græca legenda ἐν τῷ ἀληθινῷ, ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ ἰησοῦ Κριστῷ. Tamen inepta semper esset Socini versio. Etenim germana interpretatio hujusmodi esse deberet. *In vero*, *in Filio ejus*. Sed exemplaria, quibus usi sunt *Cyrillus De Trin. Dialogo* III. Basilius *lib.* IV. *Contra Eunomium*, Auctor Disputationis *in Conc. Nicæno inter Opp. S. Athanasii*, Ambrosius, Hieronymus, Faustinus, Fulgentius, Facundus, Beda, & plerique alii, secundum ἐν τῷ omittunt: quare in vado est vulgata lectio, quæ sic habet: *ut simus in vero Filio ejus*; *hic est verus Deus*. Sed de hac re fusius Theologi Nostri, qui de divinitate Filii contra Socinianos scripserunt.

[*] Extant hæc in Vaticano.

lium ſuum unigenitum daret ? Sic eſt : non habet plures . (37)

Forte dices, quod appellet eum unigenitum propter excellentiam ſuam ſuper alios ? Hoc ſtare non poteſt ; licet enim quis habeat unum filium excellentiorem aliis filiis ſuis , non tamen ille dicitur (38) unigenitus ejus .

Præterea quomodo ſtabit , quod dicit Apoſtolus Hebræ. 1. v. 5. *Cui enim dixit aliquando Angelorum* : *Filius meus es tu* , (39) *ego hodie genui te ?* Quaſi diceret : nulli . Hoc autem falſum eſſet , ſi ſolum per gratiam filius eſſet ; multos enim alios filios appellat & Angelos , & homines . Reſtat ergo quod illud ideo dicatur , quia ipſe eſt ejus filius per naturam .

Item,Deus Pater Chriſtum ſubſtantialiter genuit, ut oſtenſum eſt ; non enim tantum per gratiam dicitur Filius Dei , ſed per naturam . Modo quæro : Ex quo eum ſubſtantialiter genuit ? De ſubſtantia ſua , an non ? Si dicas : de ſubſtantia ſua : ergo dedit ei vel totam ſubſtantiam ſuam , vel partem ejus . Sed partem non , quia divina ſubſtantia impartibilis eſt , quia incompoſita eſt , cum omne compoſitum ſit creatum . Dedit ergo ei totam ſubſtantiam ſuam . Ergo eſt Filius unius ſubſtantiæ cum ipſo . Si dicas , quod de alia ſubſtantia eum genuit : hoc eſſe non poteſt , quia veritas generationis diverſitatem generis, hoc eſt , naturæ non admittit ; generatio enim univoca eſt , ſive in eadem ſpecie ; homo quippe generat hominem , & equus equum : ergo & Deus Deum . Ex quo patet , quod una eſt ſubſtantia Patris , & Filii , & ad hoc ſequitur quod una ſit potentia utriuſque ; & ſic erit Filius æqualis Patri .

Probatio hujus rei eſt hujuſmodi . Quidquid habet Deus , a ſe , non aliunde habet : ſed quod eſt , habet ab eſſentia ; ergo eſſentia Dei eſt ipſe Deus . Item,quod poteſt, habet ab ipſa potentia . Ergo potentia Dei eſt ipſe Deus . Idem ergo eſt eſſentia Dei, & potentia ejus . Ergo ſi Filius eſt Patri conſubſtantialis , erit & ei æqualis in potentia . Iſtam coæqualitatem potentiæ voluit deſignare Johannes poſt conſubſtantialitatem ; cum enim oſtendiſſet Patrem , & Filium unius eſſe ſubſtantiæ dicens c.1. v.1. *Verbum erat apud Deum* , nempe Patrem; dixit : *Et Deus erat Verbum* .

Item, cum oſtendiſſet ibidem ejus coæternitatem cum Patre dicens : *Hoc erat in principio apud Deum* , in principio videlicet creaturarum , ſicut dicitur Coloſ. 1. v. 15. *Primogenitus omnis creaturæ, &c.* ſubjunxit de omnipotentia Filii 3. *Omnia per ipſum facta ſunt* , *&c.* Ex quo verbo Johannis patet, quod Verbum , hoc eſt , Filius Dei in quantum Filius Dei eſt, factus non eſt , cum omnia per ipſum facta fuerint ; ipſe enim per ſe non eſt factus . Iſtam etiam coæqualitatem potentiæ volens oſtendere Paulus per effectum creaturarum dicit Coloſ. 1.v.16. *In ipſo condita ſunt univerſa iu Cælis* , *& in Terra*, *&c.* Prius dixit de ejus conſubſtantialitate cum Patre , ubi ait 15. *Qui eſt imago Dei inviſibilis* ; & de coæternitate, cum dixit ibidem : *Primogenitus omnis creaturæ* : poſtea ſubjunxit de æqualitate potentiæ : *Quoniam in ipſo condita* , *&c.* Et eſt ratio quare dicatur primogenitus omnis creaturæ , quia per ipſum omnis creatura condita eſt . Ex quo patet , quod ipſe non eſt creatura in quantum eſt imago Dei inviſibilis ; ſi enim ante omnem eſt creaturam , & ſi in ipſo condita eſt omnis creatura : ergo patet quod ipſe eſt Deus rerum , cum ſit Conditor non tantum viſibilium , ſed etiam Angelorum , ut hic tangit Apoſtolus : *Sive throni* , *ſive dominationes* , *&c.* Proximo §. dictum eſt , qualiter dicatur imago Dei .

Item, etiam coæqualitatem , & conſubſtantialitatem , & coæternitatem potentiæ oſtendit B. Johannes Apocalyp. 18. ubi ponuntur verba (40) Chriſti : *Ego ſum Alpha* , *& Omega* , *principium* , *& finis*, *dicit Dominus Deus* , *qui eſt* , *& qui erat* , *& qui venturus eſt* , *omnipotens* . Iſta verba de Chriſto intelliguntur : quod patet ex eo , quod dicitur : *qui venturus eſt* ſupple ad judicium ; *neque enim Pater judicat quemquam* , *ſed omne judicium dedit Filio* . Jo: 5. v.22. Quod autem hoc ibi ſit intelligendum de Chriſto , patet Apocaly. 22. v. 12. ubi Chriſtus loquens ait : *Ecce venio cito* , *& merces mea mecum eſt* , *reddere unicuique ſecundum opera ſua* . 13. *Ego ſum Alpha* , *& Omega* , *primus* , *& noviſſimus* , *principium* , *& finis* . In hoc , quod dicit : *Dominus Deus* , oſtendit conſubſtantialitatem . In hoc , quod dicit : *Omnipotens*, coæqualitatem . In hoc , quod ait : *principium*, *& finis*, coæternitatem : ſimiliter in hoc , quod ait : *qui eſt* , *& qui erat* , *& qui venturus eſt* . Hoc etiam tangit Apoſtolus Hebr.13. v. 8. *Jeſus Chriſtus heri* , *& hodie* : *ipſe & in ſecula* . Apoſtolus autem Hebr. 4. v. 7. per *hodie* dicit eſſe intelligendum totum ſpatium mundi hujus, cum dixit Hebr. 3. v.13. *donec hodie cognominatur* . Cum ergo dicit : Chriſtus heri fuit , intelligitur ante conſtitutionem mundi , & ante omnem creaturam , & ita coæternus Patri .

[*] Quod Filius ſit coæternus Patri,probat Augu-ſti-

(37) Egregie Hilarius *lib.* VI. *De Trinitate nu.*23.*col.* 893.*Edit. Nov. Paris* . *Pater de Cælo loquitur & ita loquitur* . Hic eſt Filius meus . *Quid ſibi vult non cognominum* , *ſed pronominum fides* . *Cognomina enim nominibus adduntur* , *pronomina vero obtinent in ſe nominum virtutem* . *Proprietatis autem ſignificatio eſt* , *ubi & hic eſt dictum* , *eſſe auditur* , & meus eſt . *Et intellige* , *quæ ſit veritas & ratio dictorum* . *Legeras* Filios genui , & exaltavi , *ſed non legeras filios meos* ; *genu rat enim eos ſibi per diviſionem gentium* , *& plebem hæreditatis in filios* . *Ne igitur per communionem adoptivæ hæreditatis cognomentum filii unigenito Deo adderetur* , *naturæ veritas per ſignificationem proprietatis oſtenſa eſt* . *Aſſignetur ſane hoc communionis in Chriſto nomen* , ut Filius ſit , *ſi de quoquam dictum reperietur* . Hic eſt Filius meus . *Sin vero proprium ac ſingulare ei eſt* , hic eſt Filius meus , *quid calumniam Deo Patri profeſſæ de Filio proprietatis afferimus*? Conſulendus Petavius *lib.* II. *cap.* X. §. VII. *Tom.* II. *Theologicor. Dogm.*

(38) Hoc eodem ratiocinio utitur contra Arrianos Hilarius *lib.* VI. *num.* 39. 40. *col.* 905. *ſeq.* Neque vero Hilarius ſolum , ſed Cyrillus quoque Alexandrinus *Theſaur.* XXXII. *pag.* 318. *Tom.* V. *Opp.Edit. an.*1638. aliique multi , quos tacitus prætermitto eodem argumento hæreticos Verbi hoſtes exagitarunt .

(39) Aditor Sanctus Athanaſius *Oratione* I. *Contra Arrianos n.*57. *ſeqq. Tom.*I. *Opp. pag.*462.

(40) Sapienter Rufinus , atque ad rem noſtram accommodate *lib. de Symbolo pag.*156. *Edit. Amſtel. Opp. S. Cyprian. in Append. Omnipotens ergo dicitur qui venturus eſt* . *Et quis eſt alius* , *qui venturus eſt* , *niſi Jeſus Chriſtus Filius Dei* ? Laudat etiam Petavius , quod quidem ad nos attinet , Athanaſium , Auguſtinum , & Ambroſium . Videtor *lib.* II. *cap.* IX. §. VII. *Tom.* II. *Theolog. Dogmat.*

[*] Quæ duobus aſteriſcis complexi ſumus , non exſtant in *Codd. Bonon.* & *Vatic.*

ſtinus in libro contra quinque hæreſes (41) dicens: *Coæternus eſt Patri Filius? Non . Ergo erat tempus, quando non erat Filius ſecundum te . Si erat tempus, quando non erat Filius : Ergo fuit tempus , quod non fecit Filius . Si fuit tempus, quod non fecit filius, non omnia per ipſum facta ſunt : jam enim erat tempus , quando non erat Filius . Si erat tempus, quando non erat Filius , Johannes Evangeliſta non debuerat dicere: In principio erat Verbum , ſed in principio erat tempus. Johannes dicit: Omnia per ipſum facta ſunt: ſed Arrianus contradicit* . Vel contra illos , qui duo ponunt principia, potes inducere, ſicut Auguſtinus facit, illud Prov. 8. v. 22. ubi dicit Sapientia : *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum , &c.* Sicut habetur in prima parte hujus operis in prima parte ſexti capituli : cui adjunge illud David Pſ.103. v.24. *Omnia in ſapientia feciſti* , & illud Apoſtoli 1.Cor. 1. v. 23. *Nos autem prædicamus Chriſtum Dei virtutem , & Dei ſapientiam* . Et ibi per Chriſtum Dei Filium facta eſt omnis creatura , Angelica , & humana , cæleſtis , & terreſtris , ſicut etiam dicit Apoſtolus ad Coloſ. 1. v. 16. *Quoniam in ipſo condita ſunt univerſa , &c.* Ergo Chriſtus fuit ante omnem creaturam Angelicam , & humanam . Ex quibus patet, quod fuit Deus coæternus Patri . [*]

Item ejus æternitatem , qua omnem creaturam præceſſerat oſtendit Apoſtolus Hebr. 1. v. 10. *Et Tu in principio Domine* (42) *terram fundaſti , & opera manuum tuarum ſunt cæli . 11. Ipſi peribunt , tu autem permanebis , & omnes ut veſtimentum veteraſcent . 12. Et velut amictum mutabis eos , & mutabuntur : tu autem idem ipſe es* : ideſt immutabilis . Si hoc eſt : ergo non cæpit eſſe, & eſt ſine principio , & ſine fine , & ita eſt coæternus Patri . Si enim cæpiſſet eſſe , haberet eſſe poſt non eſſe , & ſic veniſſet de non eſſe ad eſſe , & ita eſſet mutabilis ; exitus enim de non eſſe ad eſſe mutatio eſt .

Item ejus æternitatem potes habere ex illo verbo Apoſtoli 1. Cor. c. 23. *Nos* (43) *autem prædicamus Chriſtum Dei virtutem , & Dei ſapientiam* . Deus enim nunquam fuit ſine virtute , & ſine ſapientia , ſicut nec ſol ſine luce . Ergo Deus Pater nunquam fuit ſine Filio .

Item Iſa. 41. v. 4. Hæc ſunt verba Chriſti : *Ego Dominus . Primus , & noviſſimus ego ſum* . Si primus eſt : ergo ante ipſum nullus eſt . Ergo coæternus eſt Patri . Se Dominum vocat , ſicut etiam Matth. 21. v. 3. Quando miſit duos diſcipulos ſuos , ut adducerent aſinam , & pullum dicens : *Si quis vobis aliquid dixerit , dicite , quia Dominus his opus habet , & confeſtim dimittet eos* . Quod autem prædicta verba de Chriſto intelligantur patet Apocalyp. 1.17. Ubi Chriſtus ait : *Noli timere : Ego ſum primus , & noviſſimus , 18. Et vivus , & fui mortuus , & ecce ſum vivens in ſecula ſeculorum* , Apocalyp. 2. v. 8. Ubi Angelus loquitur de Chriſto : *Hæc dicit primus , & noviſſimus , qui fuit mortuus , & vivit* . Iſa. 44. v. 6. *Ego primus , & ego noviſſimus , & abſque me non eſt Deus* . Ubi patet , quod idem Deus eſt cum Patre . Iſa. 48. v. 12. *Ego ipſe , ego primus , & ego noviſſimus* . Et quod iſtud de Chriſto intelligatur patet , quod ſtatim ſubdit . 13. *Manus quoque mea fundavit terram , & dextera mea menſa eſt Cælos* : Quod Apoſtolus exponit de Chriſto dicens Hebr. 1. v. 10. *Et Tu in principio Domine terram fundaſti , &c.* Propterea ſtatim ibi ſubditur v. 16. *Et nunc Dominus Deus miſit me, & Spiritus ejus* . Quod totum intelligi de Chriſto patet ; unde Galat. 4. v. 4. *Miſit Deus filium ſuum , &c.* Iſa. 61. v. *Spiritus Domini ſuper me , eo quod unxerit Dominus me : ad annuntiandum manſuetis miſit me* : quod totum de ſe exponit Chriſtus Luc. 4. v. 18. Iſa. 45. v. 18. *Quia hæc dicit Dominus creans Cælos, ipſe Deus formans terram , & faciens eam* ; Et poſt pauca : *Ego Dominus , & non eſt alius . 19. Non in abſcondito locutus ſum, in loco terræ tenebroſo*. Quod autem iſte ſit Chriſtus patet Jo: 18. v. 20. Ubi dicit Chriſtus : *Ego palam locutus ſum Mundo , ego ſemper docui in ſynagoga , & in templo , quo omnes Judæi conveniunt , & in occulto locutus ſum nihil* . Item, quod ipſe ſit Chriſtus patet per id , quod dicitur ſuper eodem cap. Iſa. 15. ad ipſum . *Vere tu es Deus abſconditus , Deus Iſrael ſalvator* . Et non ne hoc eſt , quod dicit Apoſtolus 1. Cor. 2. v. 7. *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio , quæ abſcondita eſt , quam prædeſtinavit Deus ante ſecula in gloriam noſtram , quam nemo Principum hujus ſeculi cognovit : Si enim cognoviſſent , nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent* . Sapientiam, & Dominum gloriæ Chriſtum appellat ; dixerat enim ſupra 1. capite v. 23. *Nos autem prædicamus Chriſtum Dei virtutem , & Dei ſapientiam* .

Item Iſa. 45. v. 21. Dicit Chriſtus : *Nunquid non ego Dominus, & non eſt ultra Deus abſque me ? Deus juſtus , & ſalvans non eſt præter me . 22. Convertimini ad me , & ſalvi eritis omnes fines terræ : quia ego Deus , & non eſt alius . 23. In memetipſo juravi , egredietur de ore meo juſtitiæ verbum , & non revertetur* : de judicio loquitur , ſicut & Matth. 24. v. 35. *Verba autem mea non tranſibunt* . Quod autem iſtud de Chriſto intelligatur , & quod Chriſtus in Iſaia loquatur, patet per illud , quod ſtatim ibi dicit v. 23. *Quia mihi curvabitur omne genu , & jurabit omnis lingua* . Nonne iſte eſt Chriſtus ? Utique . Quod oſtendit Apoſtolus Rom. 14. v. 10. *Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti . 11. Scriptum eſt enim : Vivo ego , dicit Dominus , quoniam mihi flectetur omne genu , & omnis lingua confitebitur* . Quod autem dicit Apoſtolus : *Vivo ego* idem eſt ei , quod dicit Chriſtus per Iſaiam : *in memetipſo juravi , &c.*

Item , habemus Philip. 2. v. 10. quod iſta verba intelliguntur de Chriſto , ubi dicitur : *Ut in nomine*

(41) Tractatus contra quinque Hæreſes, etſi a Lovanienſibus , & a Bellarmino Auguſtino tribuatur ; illi tamen a Monachis Maurinis adimitur . Exſtat *Tom.* VIII. *Opp. Auguſt. in Appendice col.*8: Non affert autem Auctor hujus operis , quod mox ex *cap.*VIII. *Prov. v.*22. ſubjungit Moneta ; ſed v. 26 , ut Arrianos exagitet .

(42) Obſervavit hæc item Theodoritus in *Comment. ad cap.* I. v. 10. *Epiſtolæ ad Hebræos Tom.* IV. *Opp. pag.* 401.

(43) Conſulendus Auguſtinus *lib.* VII. *De Trinit. cap.* 1. *num.*2. *ſeqq. Tom.* VIII. *Opp.* Hilarius *Commentar. in Matthæum cap.* XI. *nu.*9. *col.*665.

ne Jesu , *&c.* Ecce, quod Christus in Prophetis loquebatur, & quod non est alius Deus præter ipsum.

Item Apocaly.4. v.11. *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creasti omnia.* Et hoc non potest intelligi de Patre; ipse enim a nullo habet, quod habet; a nullo aliquid recipit. Ibi etiam patet omnipotentia sua, quæ omnia creavit, & ita Patri est æqualis. Item Apocaly.5. v.9. *Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula ejus: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in Sanguine tuo*: quod non est verum, nisi de Filio. Ex quibus patet, quod ipse est unus Deus substantialiter cum Patre, & coæqualis ei. Si enim minor esset, alius esset. Item Apocaly.11. v.17. *Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es: quia accepisti virtutem tuam magnam, & regnasti.* Istud de Patre non potest intelligi, sed de Filio, vel Spiritu Sancto. Filius ergo omnipotens est: ergo similiter Deo Patri æqualis. (44)

Similiter objicias, si de Spiritu Sancto vult illud intelligere; utraque enim persona virtutem, idest, omnipotentiam accepit a Deo Patre, sicut uterque accepit ab eo, quod Deus esset, ut probatum est de Filio, & inferius probabitur de Spiritu Sancto. Illud tamen de Filio maxime intelligitur, ut patet per illud verbum Apocal.5. v.12. *Dignus est Agnus, qui occisus est, etc.* Virtutem dicit gratiam, per quam erat a peccato immunis in quantum homo: gloriam, dicit claritatem corporis resurgentis: honorem, consessum ad dexteram Dei Patris: Divinitatem, sapientiam, & fortitudinem, in quibus tribus consubstantialis, coomnisciens, & coomnipotens Patri esse ostenditur. Hæc tria accepit, quando a Patre per generationem processit. Dicitur autem dignus esse accipere, quia occisus est, quia in passione, & post ipsam passionem suam innotuit hominibus, quod acceperat ab æterno, scilicet Deitatem, & Sapientiam, & fortitudinem; unde Johan.8. v.28. dixit: *Cum exaltaveritis Filium hominis, tum cognoscetis quia ego sum, & a me ipso facio nihil*: similiter dicas: & a me nihil scio; unde Joh. 7. v.16. *Mea doctrina non est mea.*

Item Johann. 5. v. 20. *Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei.* Item ibidem 30. *Non possum ego a me ipso facere quidquam*; unde *data est mihi omnis potestas*, *&c.* Matth. ult. v. 18.

Item Apocaly.ult.v.9. habetur, quod Angelus non permisit se adorari a Johanne, sed dixit ei: *vide ne feceris: conservus enim tuus sum, & fratrum tuorum prophetarum, & eorum, qui servant verba libri hujus: Deum adora.* Si Christus non esset Deus, sicut nec ille Angelus, non permitteret se adorari; sed diceret: *vide ne feceris*, *&c.* Permisit autem se adorari, ut patet de leproso, qui veniens adoravit eum dicens Matth. 8. v. 2. *Domine, si vis, potes me mundare.* Ergo Christus est verus Deus, non pura creatura.

Item Hebr.1. v.6. dicitur de Christo: *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* (45) Sed solus Deus adorandus est, ut patet ex præcedenti testimonio Apocalyp. ult. Ergo Christus, Deus est substantialiter. Si enim solum per gratiam Deus esset; similiter & Angelus, qui loquebatur Johanni, cum esset bonus, & sanctus, Deus erat per gratiam. Ergo sicut Christus adorandus, ita & ille Angelus, licet Christus magis. Si autem Christus Deus est substantialiter, cum unicus Deus sit: ergo ipse est unicus Deus cum Patre substantialiter, & unius substantiæ secum. Ex quo sequitur, quod sit unius potentiæ omnino cum Patre, & unius sapientiæ, & bonitatis; sicut enim prius ostensum est de potentia, quæ una est omnino in Patre, & Filio, ita etiam ostendi potest, & per eundem modum de sapientia; & ita Filius est omnia sciens sicut & Pater: quod etiam Apostolus vult Hebr.4. v.13. *Omnia autem nuda, & aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo.* Et hoc est, quod demonstrare promisimus supra, ubi solvimus illud verbum: *de die illa*, *&c.*

Item Johan: 14. v.1. dixit Christus Discipulis suis: *Creditis in Deum*, (46) *& in me credite*, quasi diceret: si in Deum creditis, in me credere debetis, quia ego sum Deus. Quod ita debeat intelligi patet Jo: 20. v. 27. Ubi Christus dicit Thomæ: *Infer digitum tuum huc*, (47) *& vide manus meas: & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.* 28. *Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus.* 29. *Dixit ei Jesus: Quia vidisti me Thoma, credidisti*, scilicet me Dominum, & Deum, non sicut illi, de quibus 2.Petri 2.v.1. *Fuerunt vero & pseudo-prophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum,* *qui*

(44) Hæc omnia cum Veteris, tum Novi Testamenti ῥητὰ, quibus verbi Divini cum Patre *consubstantialis* natura probatur, & alia pleraque, cum Patrum animadversionibus contra veteres, junioresque Arrianos, affert, atque solide cumprimus expendit Dionysius Petavius *lib.*II *De Trinit. cap.*VII. *seqq. Tom.* II. *Theolog. Dogm.* quem consulat Lector velim. Adire etiam poterit Bossuetium *Sext. ad Protest. Admonit.* Tournelium *Tract. de Trinitat. Quæst.* IV. *per Tot.* ex hæreticis autem Martinum Smiglerium in opere Inscripto: *Nova Monstra Novi Arrianismi Part.*I. II. *ab* III. *per tot.* Abrahamum Calovium *Socinism. Proflig. Subsect.* IV. *pag.* 164. *seq. Edit. an.* 1668. Johannem Henricum Bisterfeldium *De uno Deo Patre Filio, & Spiritu Sancto. Contra Johannem Crellium per tot.* Pictetum *lib.* III. *Theolog. Christian. a Cap.* I. *ad* XVI. Georgium Bullum *in Defens. Fidei Nicænæ, &c.*

(45) „ Communis est & illa Ss. Patrum argumentatio, *inquit* „ *Petavius lib.* II. *cap.* XII. §.V; qua verum, & æqualem Patri „ Deum esse probant Filium, quod summo illo genere adorationis, „ quam λατρείαν vocant, afficiatur. Id vero creatæ nulli rei „ concessum sit. Etenim adorari Dei Filium testatur Apostolus „ *Hebr.* 1. 6... est autem ejusmodi hæc adoratio, quæ nec Ange- „ lis, nec ulli alteri creaturæ tribui possit: ut ex Apostoli Oratio- „ ne liquet, qui hoc ipso demonstrat, Filium infinito intervallo „ præstare Angelis omnibus. Vide quæ sequuntur cetera; sunt enim ad rem maxime accomodata.

(46) Adposite Hilarius *lib.* IX. *De Trinitate Num.* 19. *col.*995. *Cum ait*, credite in Deum, & in me credite; *quæro, in quo se in natura discreverit, qui non discrevit in honore. Dicens enim*, & in me credite, *cum dixisset*, & in Deum credite, *anne per id quod ait* in me, *non & suam intelligitur significasse naturam? Naturam plane separa, si fidem separas, &c.* Errore quodam evenit, ut nota 39. in *cap.* I. *lib.*I. adeundam esse dixerimus notam 45. *in cap.* III. *lib.*III. pro notis *in* §. X. *Capit.* III. *lib. hujus* III.

(47) Adisis Hilarium *lib.* VII. *num.* 12. *De Trinitat. pag.*922. *seq.* Cyrillum *lib.*XXXII. *Thesaur. pag.*331. & Athanasium *Oratione* IV. *Contra Arrianos nu.* 35. *pag.* 644. *seq.* Qui de hoc argumento accurate tractarunt.

qui emit eos, *Deum negant*. Vel si vis ibi ponere *Dominum*, non curo, quia, ut dicit Thomas, *Dominus meus*, *& Deus meus est*; & 1.Cor.2. v. 8. *Si enim cognovissent*, *&c.*

Quod autem ipse sit æqualis Deo Patri, non minor, ut falso dicunt Cathari, (48) qui unum ponunt principium, probatur; dicitur enim Joha. 5. v.18. *Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere*, *quia non solum solvebat sabbatum*, *sed & patrem suum dicebat Deum*, *æqualem* (49) *se faciens Deo*, idest, dicens; modus enim loquendi est: vel *faciens*, idest, factis ostendens; unde ibidem 36. *Ipsa opera*, *quæ ego facio*, *testimonium perhibent de me*.

Item, de æternitate Filii habetur Luc.10. v.18. Ubi dicitur: *Videbam Satanam*, *&c.* Si enim videbat: ergo jam erat; & constat quod nondum erat homo factus; non enim sunt plus quam 1244. anni, quod homo factus est. Vel si prius homo factus est, (50) ostende aliquo testimonio: quod non potes facere. Nec erat Angelus. Ergo nec erat creatura: & erat. Ergo erat Creator.

Præterea, idem habetur in Psalm. 109. v. 3. Ubi Pater ad Filium ait: *Ante Luciferum genui te*. Si ante Luciferum fuit: ergo & ante omnem aliam creaturam, & ita ab æterno; Si enim initium haberet, idest, si cœpisset esse, creatura esset pura, & non Creator.

Præterea unus solus est Creator; quidquid autem est præter eum, creatura est, cujus contrarium patet Apocaly.4. v. 11. *Dignus es Domine*, *&c.* Item Jo:8. v.58. dixit Christus Judæis: *Antequam* (51) *Abraham fieret*, *ego sum*. Prius dixerat 56. *Abraham pater vester exultavit*, *ut videret diem meum*, *& vidit*, *& gavisus est*. Constat quod Christus non præcessit Abraham secundum humanitatem. Fuit ergo Christus antequam esset homo. Sed non fuit prius creatura. Ergo fuit Creator; & ita non cœpit esse, sed fuit æternus. Quem autem diem vidit in spiritu Abraham, patet, quod diem Incarnationis Filii Dei, diem scilicet, in quo Filius Dei de suo semine carnem assumeret: quod patet Gen. 24. v. 2. Ubi habetur, quod Abraham dixit servo seniori domus suæ, scilicet Procuratori: *Pone manum tuam subter femur meum*: 3. *ut adjurem te per Dominum Deum Cæli*, *& Terræ*, *ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum*. Et infra 9. *Posuit ergo servus manum sub femore Abraham Domini sui*, *& juravit illi super sermone hoc*. Ecce, quod fecit jurare servum suum per Dominum Deum Cæli & Terræ, & fecit eum tunc ponere manum suam subter femur suum, firmiter credens, quod de femore ejus nasceretur Dominus Cæli & Terræ.

Item Johan. 8. habetur de æternitate, ubi cum quæsitum esset ab eo v.25. *Tu quis es? Dixit ei Jesus*: *Principium qui & loquor* (52) *vobis*. Hoc est, quod habitum est prius, ubi posuimus testimonium Apocaly.1.v.8. *Ego sum Alpha*, *& Omega*, *&c.* Et Isaiæ in pluribus locis.

Præterea, ipse dixit Jo: 10. v. 30. *Ego & Pater unum* (53) *sumus*. Modo dicit, quod ipse primus est, respondens ad quæstionem de substantia: *Tu qui es?* Ergo Pater, & Filius sunt unum principium substantialiter omnium, & ita ejusdem substantiæ, & coæternus est Filius Patri.

Item Matth. 4. v.7. Dicit Christus: *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Ex quo habetur quod Dominus non est tentandus, nec invenitur, quod Filius prohibeatur tentari, nisi Deus. Modo dico: Apostolus dicit 1.Cor.10. v. 9. *Neque tentemus Christum*: Ergo Christus est Deus.

Præterea, ideo prohibet eum tentare, quia contra præceptum est, sed non est nisi contra hoc præceptum: *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Ergo Christus est Dominus Deus.

Præterea dicit Apostolus: *sicut quidam eorum tentaverunt*. Ergo jam Christus erat; sed non erat homo, quod Tu possis probare aliquo testimonio. Ergo, cum non esset Angelus, ut patet ad Heb. 1. v. 5. Ipse non erat creatura. Ergo erat Creator. Ergo Deus sine inchoatione, & ita coæternus Patri. Propter hoc dicit Apostolus Hebr. 13. v.8. *Jesus Christus heri*, *& hodie*, *&c.* *heri* dicit, idest, in Veteri Testamento; otiosum enim esset dicere *heri*, idest, die proxima ante istam, maxime cum Apostolus determinet in illa Epistola quid ipse dicat, & appellat *hodie*.

Item Baruch 3. v. 34. *Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis*, *& lætatæ sunt*: 35. *Vocatæ sunt*, *& dixerunt*: *Adsumus*, *& luxerunt ei cum jucunditate*, *qui fecit illas*. Quis autem eas fecerit subdit 36. *Hic est Deus noster*, *& non æstimabitur alius adversus eum*. 37. *Hic adinvenit omnem viam disciplinæ*, *& tradidit illam Jacob puero suo*, *& Israel dilecto suo*, idest, populo illi, qui de Jacob ortus est, qui dictus est Israel. Similiter & populus dictus est Jacob, & Israel, ut patet Gen. ultimo, & Osee 12. v. 13. *In propheta autem eduxit Dominus Israel de Ægypto*, *& in propheta servatus est*: quod non potest intelligi de persona ipsius Jacob cum Israel, quia jam defunctus erat, ut patet Gen. ultimo. Quis autem est iste Deus noster nisi Christus? de quo subdit v. 38. *Post hac in terris visus est*, *& cum hominibus conversatus est*. Et ponit

(48) Nempe Catharos illos Concorrezenses vexat hic Noster, qui non recte sentiebant De Trinitate, ut observat Sachonus *columm.* 1773.

(49) Consule Petavium *lib.*v. *cap.*IV. §.XIII. *Tom.*II. *Theolog. Dogm.*

(50) Hinc colligi facile potest, quo anno in summa hac adornanda Moneta laboraret. Nempe anno 1244. Quod vero adjungit: *si prius homo factus est*, vel contra Albanenses, qui Johannem de Lugio sequebantur, vel contra concorrezenses dictum videtur. Utrique enim vere a Christo corpus assumtum fuisse censebant, maleque sentiebant De Trinitate; sed illi quidem in intelligibili mundo & assumtam carnem, & obitam a Christo mortem; hi vero contra hic in mundo hæc eadem evenisse arbitrabantur. Vide Sachonum *col.* 1772. & 1774.

(51) Vide *Notam* 29. *in hoc cap.* Non negabant autem Cathari, qui Balasinansæ parebant; immo vero ne reliquæ quidem illorum sectæ; Christum esse puram creaturam arbitrabantur. Nam etsi Albanenses, qui stabant a Balasinansa phantasiastæ fuerint, ut in hoc caput III. Tertii hujus a nobis observatum est; Christumque neque manducasse, neque bibisse putarint, ut liquebit clarius *in Notis ad* §. XI. hujusce *Capitis*, tamen creaturam illum fuisse existimarunt.

(52) Vexatus hic locus est variis Scriptorum interpretationibus.

(53) Vide *Notam* 17. *in hoc cap.*

nit præteritum pro futuro, ficut mos eft in Prophetis, ut alibi probavimus. Ex quo patet, quod Chriftus eft verus Deus fubftantialiter Creator ftellarum, qui dedit legem populo Ifrael in deferto, quem etiam tentavit 1. Corinth. 10. v. 9. De Chrifto etiam dicit Apoftolus Hebræ. 13. v. 8. *Jefus Chriftus heri, & hodie*. Cum igitur Creator fit unus, eft Creator bonus. Ergo idem Creator eft Chriftus cum Patre fuo in fubftantia, & per confequens idem eft cum eo in potentia, & in fapientia, & in bonitate; ifta enim omnia idem in eo funt. Ifta tangit B. Johannes in principio primæ Epiftolæ dicens de Chrifto: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noftris, quod perfpeximus, & manus noftræ contrectaverunt* (54) *de Verbo vitæ: & vita manifeftata eft, & vidimus, & teftamur, & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis*. Cum dicit: *quod fuit ab initio* notat æternitatem ejus ante omnes creaturas: Similiter Johann. 1. v. 1. *In principio erat Verbum*; *quod audivimus*, eum prædicavit: *quod vidimus* oculo corporis in quantum homo; hicque notat humanitatem ejus, qua affumpta prædicavit: *quod perfpeximus* oculo mentis in quantum erat Deus; *& manus noftræ contrectaverunt de Verbo vitæ* notat, quod experimento didicerunt Chriftum veram carnem habuiffe, & in ea furrexiffe a morte; unde poft Refurrectionem dixit eis Lucæ 23. v. 39. *Palpate, & videte, quia fpiritus carnem, & offa non habet, ficut me videtis habere*. Et Thomas eo palpato argumentum habuit *de Verbo vitæ*, hoc eft, quod ipfe erat Verbum vitæ: unde dixit: *Dominus meus, & Deus meus*. Cum dicit: *Et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem*, notat Chriftum, quem annuntiabat, effe æternum, id eft, non cœpiffe effe, & notat etiam ipfum diftingui a Patre perfonaliter. *Et apparuit nobis* per affumptam humanitatem. Ita quoque Johannes dixerat cap. 1. v. 14. poft pertinentia ad Deitatem, fubjungens: *Et verbum caro factum eft, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quafi unigeniti a Patre, &c.* Ecce quod dicit: *Et apparuit nobis*.

§. IV.

De iis, quæ ad humanitatem Chrifti pertinent: & primo quid fabulentur de ejus carne Hæretici, dicentes Chriftum cæleftem carnem habuiffe.

Vifo de Chrifti deitate, videamus de humanitate ipfius; & primo videamus de carne ipfius, de qua multiplex eft opinio. Quidam (55) enim Cathari credunt eam cæleftem, & ipfum Chriftum indutum illa carne intraffe in Mariam, & cum ipfa de ea exiviffe.

Iftud autem volunt habere ex illo verbo Johan. 6. v. 51. Ubi Chriftus ait: *Ego fum panis vivus, qui de Cælo defcendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*. Et poftea fubjungit: *Et panis, quem ego dabo, caro mea eft pro mundi vita*.

Ad idem inducunt illud, quod habetur 1.Cor.15. v. 47. *Secundus homo*, fcilicet Chriftus, *de Cælo, cæleftis*.

Ad primum dico, quod licet fit panis, qui de cælo defcendit, & caro fua fit panis, non tamen per hoc fequitur, quod caro fua de Cælo defcenderit; ficut aliquis veniens de Anglia, vel Teutonia ad Regem Franciæ, ut fiat ab eo miles, & fit, poteft quidem dicere: Ego fum miles, qui veni de Anglia: Similiter Chriftus de Cælo defcendit in quantum Deus in uterum Virginis, ficut poftea oftendetur, & in Virgine factus eft panis, id eft, factus eft caro; *Verbum enim caro factum eft, & habitavit in nobis*; & ita poteft vere dicere: *Ego fum panis, qui de Cælo defcendi*; & tamen non fuerat panis in Cælo; nomine enim panis cibus large fumitur, & fignificatur.

Ad aliud dico, quod Chriftus cæleftis dicitur, quia fimilis fuit (56) cæleftibus corporibus; ficut enim illa funt incorruptibilia, & immortalia, ita & Chriftus in fui Refurrectione: *Chriftus* enim *refurgens ex mortuis, &c.* Rom. 6. v. 9.

Item Act. 13. v. 34. dicit Paulus, quod Deus fufcitavit eum a mortuis, *amplius jam non reverfurum in corruptionem*. Ideo autem talis fuit poft Refurrectionem fuam, quia fuit de Cælo, ideft, de cælefti natura, five divina: hoc eft, iftud factum eft in virtute divinæ naturæ fcilicet, quod Chriftus fuit incorruptibilis, & immortalis, cujus naturæ erat, quia Deus erat, non tantum homo, ut dictum eft. Adam vero terrenus fuit, hoc eft, corruptibilis, & mortalis, ficut & alia corpora terrena, & hoc ideo,

(54) Adifis Petavium *lib.* II. *Theolog. Dogmat.cap.*XII. §.14. *Tom.* II.

(55) Erant hi Bajolenfes, ut optime animadvertit Sachonus *pag.* 1774. *Item credunt*, inquit, *cum prædicto Nazario* (Concorrezenfium Epifcopo) *quod B. Virgo fuit Angelus, & quod Chriftus non affumpfit naturam humanam ex ea, nec vere paffus eft aliquem dolorem in morte, fed quod affumpfit corpus cælefte*.

(56) Proponit hoc argumentum, nomine Veterum hæreticorum, qui Bajolenfibus præiverant, Tertullianus, illudque egregie, ut folet, refellit *lib. de Carne Chrifti cap.*VIII. *pag.* 316. *Ita*, inquit, *fi nihil de ignominia intereft, aut aliam purioris notæ materiam excogitent Chrifto, quibus difplicet noftra, aut eamdem agnofcant, qua etiam cæleftis melior effe non potuit. Legimus plane:* primus homo de terræ limo, fecundus homo de cælo: *Non tamen ad materiæ differentiam fpectat, fed tantum terrenæ retro fubftantiæ carnis primi hominis, ideft Adæ, cæleftem de fpiritu fubftantiam opponit fecundi hominis, ideft Chrifti. Quod fi fecundum carnem quoque cæleftis Chriftus non comparentur illi fecundum carnem cæleftes. Si ergo qui fiunt cæleftes, qualis & Chriftus, terrenam carnis fubftantiam geftant, hinc quoque confirmatur, ipfum etiam Chriftum in carne terrena fuiffe cæleftem, &c.*

ideo, quia fuit *de terra* supple & de aliis elementis, & ita ex contrariis, propter quæ corruptibilis, & mortalis fuit; & quia *terrenus*, ideſt, rei inferiori adhærens, ſcilicet Hevæ pluſquam creatori. Hæc cauſſa cum præcedente ſufficit. Ergo non dicitur Chriſtus de Cælo ratione carnis, ſed ratione Deitatis.

Aliter autem poteſt exponi propter minus capaces, ſcilicet, quod Chriſtus dicitur cæleſtis non ratione carnis, quaſi quod ejus caro de Cælo deſcenderit, vel venerit, ſed dicitur cæleſtis propter converſationem ſuam, quæ fuit cæleſtis, ideſt, munda, & jucunda, ſicut & converſatio civium cæleſtium, hoc eſt, Angelorum: ſecundum quem modum dicit Apoſtolus Philip. 3. v. 20. *Noſtra converſatio in cælis eſt*. Propter hoc etiam poſt illa verba ad Cor. de Chriſto monet nos dicens v. 49. *Sicut portavimus imaginem terreni*, ſupple per inobedientiam divinorum mandatorum; *portemus & imaginem cæleſtis*, ideſt, Chriſti, obediendo divinis mandatis. Ideo talis fuit Chriſtus, qui de Cælo venit. Johan. 3. v. 31. *Qui de Cælo venit ſuper omnes eſt*.

Ad idem etiam probandum inducunt illud Joha. 1. v. 27. Ubi dicit Johannes Baptiſta de Chriſto: *Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt*. Et parum infra dicit. 30. *Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt: quia prior me erat*. Si factus erat antequam Johannes Baptiſta, & nonniſi ſecundum humanitatem: ergo humanitas Chriſti præceſſit humanitatem Johannis Baptiſtæ. Ergo ejus humanitas fuit antequam eſſet in Virgine. Sed ubi, niſi in Cælo? Ergo caro ejus fuit cæleſtis.

Solutio. Deceptus es Hæretice per æquivocationem ejus, quod eſt *ante*. Aliquid enim dicitur eſſe ante, ſive prius alio, non uno modo tantum, ſed multis modis, ſicuti ſciunt periti in Ariſtotelis libris, ſcilicet in prædicamentis, & metaphyſicis, & ut ſimplicius loquar, tu aliquem Antianum tuum nominas non propter carnis originem, ſed propter Eccleſiaſticam dignitatem, ſive prælationem; & tamen tempore eſt minor te. Dico ergo, quod Johannes Baptiſta Chriſtum dicit factum ante ſe non tempore, ſed dignitate: *Ante me factus eſt*, ideſt Antianus meus, atque Prælatus mihi dignitate, & honore; unde ibi dicit Johannes Baptiſta, quod non erat dignus ſolvere corrigiam calceamenti ejus. Quare autem ejus Antianus ſit, atque Prælatus rationem ponit Johannes Baptiſta dicens: *quia prior me erat*. Supple cauſſalitate, ideſt, quia cauſſa efficiens eſt mei, & omnium, ſecundum quod Deus; *Omnia* enim *per ipſum facta ſunt: Et ſine ipſo factum eſt nihil*. Jo: 1. v. 3.

HÆR. Ad idem inducunt illud 1. Jo: 4. v. 2. *Omnis ſpiritus, qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt*. Si in carne venit: ergo prius fuit illa caro, quam eſſet in Virgine.

Solutio. Quid diceres Tu Hæretice, ſi ego dicerem, quod litera non ſit, ſicut ponis eam? Immo vera litera eſt (57) *in carnem*. Secundum hoc non haberes quid diceres contra me; immo ego potius contra te poſſem dicere, ſicut & verum eſt, quod Tu ex Deo non es, quia tu non confiteris Chriſtum veniſſe in carnem. Si enim in carnem venit: ergo prius fuit, & non fuit in illa. Dico etiam, quod ſi vera litera ſit *in carne*, non eſt tamen mihi contraria. Dico enim, quod Filius Dei de Cælo venit in carne, cum in nativitate eam aſſumpſit in Virgine, & de Virgine. Venit autem in carne, id eſt, cum carne in partu ſuo ex ipſa Virgine.

HÆR. Item ad idem inducunt illud, quod Chriſtum dixiſſe legitur Johan. 8. v. 23. *Ego non ſum de hoc mundo*; Et loquebatur de ſe pro ut erat homo. Humanitas ergo ſua, caro ſcilicet, & anima, aliunde erat.

Solutio. Johan. 17. v. 16. habetur, quod Chriſtus dixit de diſcipulis ſuis: *De mundo non ſunt, ſicut & ego non ſum de mundo*. Ergo ſi propter hoc quod Chriſtus dixit: *Ego non ſum de hoc mundo* vis dicere, quod caro Chriſti fuerit cæleſtis, & non fabricata in utero Virginis, eadem ratione caro Diſcipulorum cæleſtis fuerit: quod tu non audes dicere. Nonne dicit Paulus Rom. 7. v. 24. *Infelix ego homo, &c.* Item ibidem v. 18. *Scio enim, quod non habitat in me, hoc eſt in carne mea, bonum*. Dicas ergo mecum, quod Chriſtus ſecundum carnis naturam fuit de hoc mundo; dicit tamen, quod de hoc mundo non fuit ratione converſationis ſuæ, quæ cæleſtis, & ſancta, & non mundana fuit: ſecundum quem modum nec Apoſtoli fuerunt de mundo; unde unus pro ſe & aliis dixit Philip. 3. v. 20. *Noſtra converſatio in cælis eſt*.

§. II.

Probatio quorumdam Hæreticorum, quod Chriſtus habuit carnem phantaſticam.

EST autem & alia aliorum Catharorum, qui unum (58) ponunt principium, de carne Chriſti opinio; qui dicunt, quod Chriſtus in ea, non de ea materialiter carnem aſſumpſit hujus maſſæ carnalis, quia eam credunt a Diabolo fabricatam. Dicunt enim, quod non habuit vere corpus humanum, ſed phan-

(57) Vulgata habet: *in carne*. Ita quoque legit Tertullianus *lib. de Carne Chriſti cap.* XXIV. *pag.* 325. Quod omnino Græcis exemplaribus conſonum eſt. *ἐν σαρκὶ* enim exhibent, quod eſt *in carne*. Fortaſſis codex, quem penes ſe habebat Noſter *in carnem*, retinebat: ſed minus caſtigate. Videndus Tertullianus loco mox indicato.

(58) Nempe Albanenſium, qui Balaſinanſam ſequebantur. Aſſenſi autem hi ſuis anteſignanis Gnoſticis fuerunt. Nam Pars quidem veterum Gnoſticorum Jeſum per Mariam pertranſiſſe ajebant quaſi aquam per tubum: *apud S. Irenæum lib.* III. *Contra Hæres: Cap.* XI. *num.* 3. *& cap.* XXII. *num.* I. *ſeqq. libro autem* I. *cap.* VII. *num.* 2. prodit Irenæus *Dominum Jeſum Chriſtum*, ex Valentinianorum ſententia, *ex his quatuor fuiſſe compoſitum de ſpirituali, & de Animali, & de diſpoſitione, quod erat factum inenarrabili arte, & de Salvatore, quod erat illa, quæ deſcendit in eum columba*. Vetus Auctor *libelli de Hæreticis, qui libro Tertulliani de Præſcriptionibus* adjectus eſt loco Appendicis *cap.* XLIX. *pag.* 222. *Chriſtum in ſubſtantia corporis noſtri non fuiſſe*, contendere Valentinianos traddidit, *ſed ſpirituale neſcio quod corpus, de cælo deferentem, quaſi aquam per fiſtulam, ſic per Mariam Virginem tranſmeaſſe, nihil inde vel accipientem, vel mutuantem*. Idem auctor *ibid. cap.* LI. Sideream, atque aeream carnem ab Apelle fuiſſe

phantasticum, ideſt, quod apparebat noſtræ naturæ; & ex hoc oportet eos dicere, quod non fuit vere homo, ideſt, ejuſdem ſpeciei nobiſcum. Dicunt ergo, quod corpus ſpirituale accepit operatione Spiritus Sancti ex alia materia fabricatum, quo corpore mediante Filius Dei Jeſus Chriſtus videbatur a converſantibus cum eo; humanos defectus habentem fingebat: quandoque autem ſe ſpirituale corpus habere oſtendebat, cum ambulabat ſuper mare, ut habetur Matth. 14. v. 25. & Luc. 4. v. 29. *Et ſurrexerunt*, *&c.* Ipſe autem *tranſiens per medium illorum*, *ibat*, qui eum inde præcipitare volebant, ſed eum comprehendere non poterant. Iſta omnia, quæ ſunt veræ humanitatis inditia, ſcilicet famem, ſitim, algorem, fatigationem, dormitionem, & cæteros defectus humani corporis non in vero corpore Chriſti fuiſſe, ſed in apparentia hominum oſtendit ſe illos habere. Similiter dicunt, & credunt, quod non vere paſſus ſit, nec vere mortuus, nec vere ad Inferos deſcendit, nec etiam vere ſurrexit.

[*] Quibus etiam modo conſentiunt quidam ex his, qui unum aſſerunt Creatorem, docti a quodam Hæreſiarcha, qui (59) Deſiderius vocatur, qui tamen, ut diximus, aliquando contrarium prædicavit, & ſcripſit. A quibuſcumque hoc dicatur, quærendum eſt, utrum cum iſta carne aſcenderit ſuper Cælos: quod iſti non credunt, dicentes humanitatem Chriſti eſſe ſub altari illo, de quo dicitur Apocalyp. 6. v. 9. *Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei*. Iſti non credunt, quod humanitas Chriſti unquam aſcenſura ſit ſuper cælum. Credunt autem Chriſtum Angelum fuiſſe humanatum; & ille Angelus quandoque vocatur anima, & ille aſcendit ſine humanitate, ideſt, carne. Ii non credunt eum Deum eſſentialiter. [*]

§. V.

Probatio quorumdam Catharorum, quod Chriſtus carnem aſſumptam depoſuit.

QUidam Catharorum de Bulgaria (60) credunt Mariam veram fœminam fuiſſe, & Filium Dei veram carnem ex ea ſumpſiſſe, & vere defectus prædictos habuiſſe, & vere crucifixum ſecundum carnem in veritate, & in eadem carne vere ſurrexiſſe, ſed non cum ea in cælum aſcendiſſe, ſed eam depoſuiſſe in Aſcenſione credunt, ut dicunt. (61) Primi, qui aſſerunt quod corpus Chriſti non fuit ejuſdem ſpeciei cum noſtro; his teſtimoniis innituntur; dicit enim Apoſtolus Rom. 8. v. 3. Quod Deus miſit *Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati*. Et Philip. 2. v. 7. *Semetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens in ſimilitudinem hominum factus*, *&* *habitu inventus ut homo*. Per hoc enim volunt habere, quod fuerit ut homo, ſed non vere homo & quod fuerit ad ſimilitudinem hominis factus, ideſt, non in veritate humanæ naturæ noſtræ, ſed tantum in ſimilitudine, hoc eſt, in apparentia. (62)

Præterea, dicitur in Artibus: Nihil eſt id, cui eſt ſimile. Ergo ipſe non erat homo.

Ad iſta dicimus: hoc ipſum ut expreſſivum eſt verita-

fuiſſe Chriſto tributam narrat. Aditor Theodoretus *lib.* I. *Hæret. Fabul. cap.* xxv. *pag.* 211. Apollinarius item aliquando putavit: *Carnem cum Dei Verbo e Cælo deſcendiſſe*, ut proditum eſt memoriæ a Theodoreto *lib.* v. *Hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* III. *pag.* 705. *Tom.* III. *Opp.* Neſcio quid ſimile Armeniis, qui ab Eutyche doctrinam ſunt mutuati, placere tradit Gaſpar Calvorius *in Fiſſura Sionis lib.* IIII. *cap.* III. §. III. *num.* I. *pag.* 303. Verum a Secta Paulicianorum hoc genus dogmatis accepiſſe Cathari Albanenſes videntur. Etenim veteres Manichæi in ſpecie quidem Chriſtum fuiſſe hominem contendebant; re autem vere negabant: ſed Pauliciani apud Photium *lib.* I. *Contra Manichæos* §. VII. *pag.* 21. *Interdum cum compellebantur confiteri Chriſtum ex Virgine prodiiſſe, ipſum deſuper corpus detuliſſe portentoſe fatebantur, ſed per ipſam veluti per canalem tranſiiſſe*. Negant Anabaptiſtæ Chriſtum induiſſe corpus ex B. Virginis carne: ut Auctor eſt Johannes Hoor-Peek *in Summ. Controv. lib* v. *pag.* 345. *Edit. an.* 1676. Nonnullos ex Serveti Diſcipulis in eumdem errorem incidiſſe, animadvertit ex Oſiandro Gaſpar Calvorius *in Fiſs. Sion. pag.* 450. Vveigeliani apud eundem *pag.* 557. *num.* 26. Chriſtum carnem de Cælo attuliſſe, ac deinde per ſpiritum eſſe ex Maria natum defendunt. Quin etiam ſcriptor neſcio quis obſcurus, quem ſeculo ſuperiore nugæ hujuſmodi delectabant, cæleſtem hominem Chriſtum eſſe, hoc eſt non terreno, ſed ætherio conſtantem corpore, productumque a Deo ante primum diem Moſi in 1. *Geneſeos capite* memoratum. Hunc copioſe, ac ſolide refellit Magnus Petavius *lib.* I. *De Opificio cap.* IV. §. III. *ſeq.* Vide Petavium *lib.* I. *cap.* III. *ſeqq. Tom.* IV. *Theol. Dogm.*

[*] Quæ duobus aſtericis continentur e *Codd. Bonon. & Vat.* deſunt.

(59) Quin etiam & a Nazario Pſeudo-Epiſcopo ſuo hoc idem acceperant quidam Cathari Concorrezenſes: Quos unius principii adſertores fuiſſe ſæpe a nobis eſt obſervatum. Vide Notam I. *in cap.* II. *Hujus lib.* Video autem in *Vita S. Petri Martyris* hujuſce Deſiderii fieri mentionem *num.* 34. apud *Bollandum* XXIX. *Aprilis.* Hæreſiarcha vero dicitur a noſtro, quod apud Catharos Epiſcopi munere fungeretur, ut ex eodem Vitæ S. Petri Martyris loco colligere licet. Nam & Sachonus olim ſe hæreſiarcham fuiſſe tradit, non quod novam inſtituerit Sectam, ſed quod Catharis ut Antiſtes præfuerit.

(60) Bogomiliorum progenies. Erat adhuc ætate Sachoni, anno nempe 1250. Catharorum Eccleſia in Bulgaria. Conſulatur idem Sachonus *col.* 1768. diſcrepabant autem hi Bulgari ab aliis quibuſdam ejuſdem pſeudo-Eccleſiæ. Nam Filius Major *Eccleſiæ Bulgariæ*, ait Sachonus *col.* 1774. *jam fere elapſis annis* 60. circa annum videlicet 1190. Nazarium Concorrezenſium Pſeudo-Epiſcopum illum errorem docuerat, quem indicavimus *Nota* I. *in cap.* II. *Hujus libri*.

(61) Nempe Concorrezenſes. Reinerius Sachonus hæc habet *ibid. col.* 1774. *Dicunt*, inquit, *quod Chriſtus in die Aſcenſionis ſuæ depoſuit illud*, corpus, *in Cælo aereo*, *& iterum reſumet illud in die judicii*, *& poſt judicium reſolvetur in præjacentem materiam tamquam cadaver putridum*.

(62) Sunt hæc ex quorumdam Veterum Hæreticorum doctrina expreſſa, quamvis aliqua ex parte verbis, non re differre ab illa videantur. Theodoretus *Epiſt.* CXLV. *Ad Monachos Conſtantinopol. pag.* 1024. *Tom.* III. *Opp.* *Valentinus*, inquit, *& Baſilides*, *& Bardeſanes*, *& Harmonius*, *& qui ejuſdem ſunt notæ*, *Virginis quidem conceptionem*, *& partum admittunt*; *ſed nihil ex Virgine aſſumſiſſe Deum Verbum dicunt*, *per eam tantum quaſi per canalem quemdam trajeciſſe*, *hominibuſque apparuiſſe*, *cum ſpeciem ſolam referret*, *atque homo eſſe videretur*, *quemadmodum viſus eſt Abraham*, *atque aliis quibuſdam antiquis*. Quid? quod huic generi Catharorum aptari illud commode poſſit, quod habet Tertullianus *lib. de Carne Chriſti Contra Apellem cap.* XI. *pag.* 317. *Et tamen cum inviſibilem dicant*, *corporalem eam conſtituunt*, *habentem quod inviſibile ſit*. *Nihil enim habens inviſibile*, *quomodo poſſet inviſibilis dici?* Quod vero adjungebant Bulgari, Catharique Concorrezenſes, depoſitum fuiſſe a Chriſto Corpus illud apparens (verum tamen corpus, quod ſumſerat) dum in Cælum ipſe adſcenderet; ſimile eſt ejus, quod Apelles defendit. Chriſtum enim ajebat: *in reſurrectione ſingulis quibuſque elementis*, *quæ in deſcenſu ſuo mutuata fuiſſent*, *in aſcenſu reddidiſſe*, *& ſic diſperſis quibuſque corporis ſui partibus in cælo ſpiritum tantum reddidiſſe*. Auctor libelli de Hæreticis, quod Appendicis loco adjectum eſt libro Tertulliani de Præſcriptionibus.

ritatis, non apparentiæ, ut ipsi falso credunt. Et si istud volunt inferre: ergo non fuit homo, licet appareret, inferant ergo ex illo Jo: 1. v. 14. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre*: ergo non erat Unigenitus Patris, sed apparebat.

Ad aliud ex auctoritate Apostoli Rom. 8. non sequitur quod non habuerit carnem sicut nos, sed quod non habuerit carnem peccati; sic enim dicit Apostolus, quod Deus misit eum in similitudinem carnis peccati: Fuit tamen ejus caro similis carni peccati, non in peccato, sed in passibilitate, & mortalitate, propter quod & Apostolus dicit Philip. 2. v. 7. quod factus est in similitudinem hominum, supple aliorum, quia passibilis sicut & alii homines: unde Hebræ. 2. v. 14. dicitur quod *pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem*. Similiter dicit sicut pueri, idest ut alii homines, quos sibi Deus Pater dedit, & ipse dicit ante illa verba immediate v. 13. *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Deus*. Postea subdit v. 17. *unde debuit per omnia fratribus similari*. Ex illa autem auctoritate Apostoli in similitudinem hominum factus: non sequitur, quod ipse non sit homo; sed quod non sit illi homines, quibus assimilatur. Similiter non sequitur: caro Christi fuit similitudo carnis peccati, quæ est humana caro; ergo non fuit caro humana. Sed inferendum est, quod non fuit humana caro peccati. Præterea, quod hæ auctoritates contra eos sint, ostendemus dante Domino.

Ad idem inducunt illud 1. ad Galat. v. 2. *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, & Deum Patrem*. Ex quo volunt, quod Christus homo non fuerit, idest veram humanitatem non habuerit.

Sed quod dicitur *per hominem* intelligitur per hominem purum. Et bene concedo, quod Christus non est homo purus, sed etiam Deus, ut patebit postea. Simile dicit Apostolus in eodem capite v. 12. *Neque enim ego ab homine accepi illud*, id est evangelium; *neque didici, sed per revelationem Jesu Christi*.

§. VI.

De Christi Conceptione, quæ in illo articulo tangitur: Qui conceptus est de Spiritu Sancto.

Nunc ad singulos articulos de humanitate Christi veniamus, quorum primus est: *Qui conceptus est de Spiritu Sancto*. (63) Ex hoc intulit Hæreticus: ergo ut mater Christi. Sicut bene sesequitur: conceptus ex Maria: ergo ipsa est Mater ejus.

Sed non est simile. In prima enim denotat caussam efficientem, quasi diceretur conceptus in Maria virtute Spiritus Sancti, eo scilicet operante, & faciente, cum aliis tamen personis; indivisa (64) enim est operatio trium personarum, sicut essentia: Sed attribuitur Spiritui Sancto, ut notetur, quod ex mera charitate Dei ad nos facta est illa conceptio. In secunda vero denotat materialem, quia de purissimis particulis carnis Virginis Mariæ materialiter fabricata est Christi caro: & propter hoc de Spiritu Sancto non ut de matre, sed de Maria est ut de matre.

Item opponit Hæreticus. Cum Christus in quantum homo conceptus sit de Spiritu Sancto effective, numquid Spiritus Sanctus dicendus est Pater Christi hominis?

Dico quod sic; immo sui, & totius Trinitatis est filius (65) in quantum homo, sicut & alii homines, scilicet sancti, per gratiam. Sed in hoc est differentia, quia alii per gratiam adoptionis; Christus vero per Gratiam Unionis divinæ & humanæ naturæ in persona filii Dei. Alii autem homines ideo dicuntur filii Dei gratia adoptionis, quia cum non essent filii Dei, immo filii iræ, ut dicit Apostolus, per gratiam Dei facti sunt de non filiis Dei filii ejus. Christus vero in quantum homo semper fuit ab omni peccato immunis: unde nunquam fuit non filius Dei. Non est ergo factus de non filio Dei, filius Dei; & ideo non potest dici filius adoptionis, sive

 gratia

(63) Non indicat Moneta contra quos Catharos hic disserat. Verum si conjectura consequi quisquam id potest, arbitrarer equidem Bagnolenses, seu Bajolenses, & Albanenses Balasinansæ a Nostro vexari, qui ajebant a B. Virgine Christum non assumsisse Carnem.

(64) Quemadmodum hæc intelligi debeant, facile quisque ex S. Th. III. P. *Summæ Theol. Quæst.* XXXII. *Art.* I. *ad* I. potest colligere; sic enim habet: *Dicendum, quod opus conceptionis commune quidem est toti Trinitati, secundum tamen modum aliquem attribuitur singulis personis. Nam Patri attribuitur auctoritas respectu personæ Filii, qui per hujusmodi conceptionem sibi adsumsit humanam naturam. Filio autem attribuitur ipsa carnis adsumtio; sed Spiritui Sancto attribuitur formatio corporis, quod assumitur a filio. Nam ipse Spiritus Sanctus est Spiritus Filii secundum illud Galat.* IV. *Misit Deus Spiritum filii sui. Sicut autem virtus animæ quæ est in semine, per Spiritum, qui in semine includitur, format corpus in generatione aliorum hominum: ita virtus Dei, quæ est ipse filius .... per Spiritum Sanctum corpus formavit, quod assumsit. Et hoc etiam verba Angeli demonstrant, dicentis*: Spiritus Sanctus superveniet in te, *quasi ad præparandam, & formandam materiam corporis Christi*, & Virtus Altissimi, *id est Christus*, obumbrabit tibi, *id est corpus in te humanitatis accipiet incorporeum lumen divinitatis .... Altissimus autem intelligitur Pater, cujus virtus est filius*. Quod autem adjungit Moneta, attribui Spiritui Sancto, quod *ex mera charitate Dei ad nos facta est illa conceptio*, verum est. Ceterum non satis esse videtur, cum alia quoque in caussa sint, cur Spiritui Sancto attribuatur, quæ tamen omisit noster, quippe qui id unum satis superque esse putaverit ad Cathari impudentiam reprimendam. Rationes autem ceteras, quibus fit ut Spiritui Sancto attribuenda sit, recenset S. Th. *l. c. in corp.* Nam ex sola gratia humana natura adsumpta est a filio Dei: gratia autem tribuitur Spiritui Sancto. Illud quoque accedit: *congruere id termino Incarnationis*, qui est, *ut homo qui concipiebatur, esset Sanctus, & filius Dei: Utrum que porro horum attribuitur Spiritui Sancto*. Consulendus *ibidem Sanctus Thomas*.

(65) Emollienda videtur hæc Monetæ Responsio, neque sic accipienda, ut absolute concedat Spiritum Sanctum esse Christi ut hominis Patrem. Neque enim ignorabat id dici a Catholicis nullatenus posse, ut fuse ostendit S. Thom. 3. p. qu. 32. art. 3. Id ergo unum, ut ex contextu liquido patet, evincere nititur, per gratiam unionis Christum ut hominem esse ac vere dici Filium Dei, aliter sane ac justi Filii Dei appellentur, & sint per gratiam adoptionis. Agit enim adversus Catharos divinitatem Christi negantes, quam ut asserat, locutiones, phrasesque permittit etiam minus castigatas, sed ad Hæreticorum sane rudium intellectum accommodatas, iisque revincendis peraptas, quod aliis Patribus usuvenire compertum est.

gratia adoptionis; ſed dici poteſt gratia unionis; Ex gratia enim facta eſt duarum naturarum unio in Chriſto, & propter hoc Chriſtus in quantum homo dictus eſt filius Dei gratia unionis. Quod autem duæ naturæ in Chriſto ſint unitæ, poſtea patebit. Multa ſunt teſtimonia de conceptione Salvatoris a Beata Virgine Matth. 1. v.20. *Quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt*. Luc. 1. v.31. *Ecce concipies in utero*. Luc.2. v.21. *Vocatum eſt nomen ejus Jeſus, quod vocatum eſt ab Angelo prius quam in utero conciperetur*.

§. VII.

Quod Chriſtus natus eſt ex Maria Virgine.

NUnc accedamus ad illum articulum: *Natus ex Maria Virgine*, & oſtendamus, quod Chriſtus veram carnem humanam habuit ſicut & nos, & de eadem maſſa ſicut & nos.

Iſtum articulum multipliciter impugnat Hæreticus; dicit enim, quod non eſt de ea ut matre in veritate, ſed putative. Sicut enim Scriptura dicit Mariam Chriſti Matrem (66), ita & Joſeph ejus Patrem appellat, & tamen Joſeph non erat ejus Pater, ſed putabatur.

Solutio. Non eſt ſimile de Joſeph & Maria, quia Chriſtus de ea, & in ea natus eſt, ut oſtendetur, ſicut dicunt Scripturæ. Sed nunquam dicunt, quod de Joſeph, vel in Joſeph natus fuit.

Præterea, ſi ita eſſet de Maria; ſicut Joſeph dictus eſt Pater ejus tantum ut putabatur, ita etiam determinaret de Beata Virgine. Primum autem determinavit, ne errore decepti crederemus ſicut illi, de quibus Matth. 13. v. 55. habetur, & Marci 6. v.3. dicebant: *Nonne hic eſt fabri filius?* Secundum autem non determinavit illo modo; non enim dixit: *ut putabatur*, quia voluit ut eam crederemus Chriſti Matrem in veritate. Unde & alio modo determinavit quomodo ejus Mater diceretur, ſcilicet quod de ea, & in ea natus eſt Chriſtus; ſed de Joſeph non dicitur, immo potius contrarium: nam Matthæus ait c.1. v.18. *Antequam convenirent*, ut dicetur in proximo.

Ad idem etiam inducunt illud, quod Chriſtus eam nunquam matrem, ſed mulierem appellat.

Frivola eſt tamen iſta objectio. Numquid quia mulierem dicit eam, propter hoc negat eam eſſe matrem? non. Quomodo enim mater poſſet eſſe, niſi mulier eſſet?

Opponunt etiam illud Matth. 12. v.17. *Dixit ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant quærentes te*. 48. *At ipſe reſpondens dicenti ſibi, ait: quæ eſt mater mea, & qui* (67) *ſunt fratres mei?* 49. *Et extendens manum in Diſcipulos ſuos, dixit: ecce mater mea, & fratres mei*. 50. *Quicumque enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.*

Solutio. Impie Hæretice. Diſcipuli Chriſti, & omnes, qui faciunt voluntatem Dei patris Chriſti, laudantur; ſed Beata Virgo propter hoc non negatur eſſe mater Chriſti carnalis.

Ad idem objiciunt illud Luc. 11. v.27. ubi quadam muliere de turba dicente: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti*: Chriſtus reſpondit v.28. *Quinimmo, beati* (68), *qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*. Ex quo verbo Chriſti volunt, quod nec beatus ſit venter Virginis, ne cogantur credere horum corporum reſurrectionem; nec quod ejus ubera ſuxerit, quia non ſuxit, nec comedit cibum corporalem, ut dicunt.

Ad hoc autem dicimus: ſi ſciret Hæreticus qualiter ſumatur hoc ipſum, *quinimmo*, non dixiſſet illud. *Quin* enim multipliciter ſumitur: quandoque enim ſumitur pro *cur*, & eſt adverbium interrogandi, & tunc ponitur pro conſtanti verum eſſe quod præceſſit, ut ſit ſenſus: Cur non eſſet beatus venter, qui me portavit, & ubera, quæ ego ſuxi? Quaſi diceret: nulla eſt cauſſa, quare non ſic eſſet, quidquid fingant Hæretici. Similiter *immo* quandoque adverbium eſt eligendi, & ſic non ſumitur hic, quia ſic innueret negationem prioris, ideſt non ſic eſt, ut dixiſti mulier; ſed iſtud eſt verum: *Beati qui audiunt &c.* Quandoque autem eſt adverbium affirmandi, & ponitur pro certe, & ita ſumitur hic, & eſt determinatio quæſtionis factæ per *quin*: quaſi diceret: certe *beatus venter &c.* Et poſtea addit: *Beati* etiam, *qui audiunt verbum Dei &c.* Vel dicas quod *quinimmo* eſt una dictio, & ponitur pro *inſuper*, & ſic eſt adverbium ordinandi: quaſi diceret: ſuperius, & majus eſt portare verbum Dei in mente, quam in ventre tantum. Tamen Beata Virgo utroque modo portavit; ſed unus modus portandi ſuper alterum eſt, & major eo.

Ad idem inducunt illud Jo. 2. v.3. ubi cum Maria dixiſſet (69) Jeſu: *Vinum non habent*, ipſe dixit ei

v.4.

(66) Rainerius Sachonus de Balaſinanſæ ſectatoribus loquens *col.* 1769. *Item dicunt*, inquit, *quod Dei filius non aſſumſit humanam naturam in veritate, ſed ejus ſimilitudinem ex B. Virgine . . . ſed fuerunt hæc omnia putative, ſicut de eo legitur in Luca, ut putabatur filius Joſeph*. Idem placuit Bagnolenſibus. *Rein. ibid. col.* 1770.

(67) Commune hoc erat, hæreticorum Veterum, qui Chriſtum aut nullum, aut cæleſte corpus habuiſſe jactabant, ſæpeque uſu protritum argumentum. Egregie Tertullianus *libro de Carne Chriſti Cap.* VII. *pag.* 312. *ſed quoties*, inquit, *de Nativitate contenditur; omnes qui reſpuunt eam ut præjudicantem de carnis in Chriſto veritate, ipſum Deum volunt negare eſſe natum, quod dixerit*: Quæ mihi mater? & qui mihi fratres? *Audiat igitur & Apelles, quid jam reſponſum ſit a Nobis Marcioni, eo libello, quo ad Evangelium ipſius provocavimus. Conſiderandam ſcilicet materiam pronunciationis iſtius. Primo quidem nunquam quiſquam adnunciaſſet illi, matrem & fratres ejus foris ſtare, qui non certus eſſet, & habere illum matrem, & fratres, & ipſos eſſe, quos tunc nunciabat, vel retro cognitos, vel tunc ibidem compertos . . . . Denique potiores fecit alios, & meritum prælationis oſtendens, audientiam ſcilicet verbi, demonſtrat qua conditione negaverit matrem & fratres . . . . Solet etiam id implere Chriſtus, quod alios docet. Quale ergo erat ſi docens non tanti facere matrem, aut fratres, quanti Dei Verbum, ipſe Dei Verbum nuntiata matre & fraternitate deſereret?* Hoc ipſum objiciebant Manichæi, qui in ſpecie Chriſtum, non re ipſa humana carne præditum eſſe ajebant, quod ſapienter refellit Archelaus *Diſp. cum Manete pag.*85. *ſeqq. Collectio Monum. Vet. Zacagn.* I. *Edit. an.*1698.

(68) Tertullianus *lib.* mox indicato *cap. eod. pag.* 315. poſt ea quæ notatione ſuperiore protulimus: *Eodem ſenſu denique*, inquit, *& illi exclamationi reſpondit, non matris uterum & ubera negans, ſed feliciores deſignans, qui Verbum Dei audiunt ſolis iſtis Capitulis, quibus maxime inſtructi ſibi videntur Marcion & Apelles, ſecundum veritatem integri & incorrupti Evangelii interpretatis, ſatis eſſe debuerat ad probationem carnis humanæ in Chriſto per defenſionem nativitatis*.

(69) Vide Scriptorem anonymum *Diſp. inter Catholicum & Paterinum*. *Tom.* V. *Theſauri Anecdotorum Martenii col.*1722.

v. 4. *Quid mihi, & tibi est mulier?* Ecce, quod nec matrem eam appellat, & quod nihil sibi, & ei commune esse dicit.

Ad hoc potest dupliciter responderi: Primo quod non dicit sibi & Mariæ nihil, sive nullam affinitatem esse secundum carnem; sed quod sibi, & ei nihil pertinet vinum dare Dominis nuptiarum, quia non invitaverant, sed invitati fuerant. Invitatorum enim non est pascere, aut potare invitantes, sed e contrario. Et tamen dedit propter abundantiam suæ bonitatis. Secundo responderi potest, quod non dicit, nihil esse sibi & Mariæ generaliter; sed nihil esse sibi & ei commune quantum ad hoc, quod ipsa petebat, aquam scilicet in vinum converti; hoc enim posse non ex ipsa habebat, sed ex Patre. Ex Patre enim erat activus miraculorum, sed ex matre passivus tribulationum. Unde in cruce pendens dixit ei Jo: 19. v. 26. *Ecce Filius tuus*: quasi diceret: hoc patior in quantum homo, & in quantum filius tuus.

§. VIII.

Probatio Ecclesiæ, quod Christus natus est ex Maria secundum carnem de David Veteris Testamenti.

QUod autem Christus veram carnem habuerit, qualem & nos, excepto peccato, ex Maria, subditis probatur testimoniis. Beatus Matthæus in principio Evangelii sui dicit: *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham*. Matthæus carnalem Christi generationem texit (70). Ergo Christus nostram carnem habuit traductam ab illis Patribus.

Ad hoc autem dicit Hæreticus, quod istud dictum est secundum reputationem hominum, sicut & pluries dictus est filius Joseph, non quod ejus filius esset, sed quod putaretur, sicut dicitur Luc. 4. v. 23.

Ad hoc dicimus, quod Lucas illud dixit ad tollendum errorem illorum, qui putabant, quod Jesus esset ejus filius; & ne nos in eundem errorem incideremus. Non enim de Joseph aliquid habuit, ut ab ipso mediante, vel immediate originem duxerit. Si autem Christus secundum quod homo non duxisset ab illis originem, Evangelistæ, vel Apostoli determinassent, quomodo diceretur filius eorum, ut putabatur, sicut & Lucas determinavit, quod dictus est filius Joseph, ut putabatur. Quod autem filius fuerit Abrahæ, & David, licet mediate, & quod carnaliter ab ipsis originem duxerit, ostendit Matthæus dicens in fine genealogiæ Christi: *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus*. Dicit *de qua*, ut notet, quod materiam suæ generationis ab ipsa habuit; ipsa autem carnis generationem duxit ab illis. Per quod patet, quod Christus mediante Matre ab illis secundum carnem descendit.

Quod autem Maria descenderit ab illis recta linea, ostendit Matthæus per Joseph virum suum. Præceptum enim erat, ut dictum est in cap. de Matre Christi, quod fœminæ nuberent viris Tribus suæ. Ex quo patet, quod Beata Virgo Maria de eadem Tribu erat cum Joseph filio Jacob: sed Joseph de Tribu Juda fuit mediante David, de cujus domo & familia fuit, ut habetur Luc. 1. v. 27. Ergo & Christus de eadem Tribu erat secundum carnem, & a Juda duxit originem secundum carnem mediante David, a quo materialiter & secundum carnem Beata Maria originem duxit, ut ostensum est (71).

Ad hoc autem opponit Hæreticus, quod postea dixit Matthæus c. 1. v. 18. *Christi autem generatio sic erat: cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. 19. Joseph autem vir ejus, cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. 20. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei dicens: Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est*. Facit autem Hæreticus hic vim. *Sic erat* non ut prius dictum est, sed ut dicam statim: *Cum esset &c.* Item, quia dicitur: *quod in ea natum est*; non dicitur de ea, sed in ea, & additur: *de Spiritu Sancto est*.

Ad ista autem facile respondetur, quia quod dicitur Matthæi: *Christi autem generatio sic erat*, & præcedentia respicit, & sequentia. Dixerat enim prius v. 16. *Quod de Maria natus est Jesus, qui vocatur Christus*, & ad hoc respicit, quod dixit v. 18. *Sic erat*. Et quod Maria de David & Abraham duxit originem, per consequens dat intelligere, quod hoc ipsum: *Sic erat*, respicit illa verba v. 1. *Jesu Christi filii David, filii Abraham*, ut sit sensus: *sic erat*, idest de David, & Abraham. Respicit etiam ea, quæ sequuntur, quia ibi dixerat, *Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus*, & ne crederetur, quod esset de Maria natus operatione Joseph, subdit: *Christi autem*

(70) *Ipse imprimis Matthæus fidelissimus Evangelii commentator, ut comes Domini, non aliam ob caussam, quam ut nos originis Christi carnalis compotes faceret, ita exorsus est*: Liber genituræ Jesu Christi filii David, filii Abraham. *His originis fontibus genere manante, cum gradatim ordo deducitur ad Christi nativitatem, quid aliud quam caro ipsa Abrahæ, & David per singulos traducem sui faciens in Virginem usque describitur inferens Christum? Immo ipse Christus proditur de Virgine* Tertullianus *lib. de Carne Christi Cap.* XXII. *pag.* 324. *Vide & Cap.* XX. *pag.* 322. Irenæum *lib.* III. *Cap.* XI. *pag.* 191. *& Cap.* XVI. *al.* XVII. *pag.* 204.

(71) *Cap.* II. Hujusce *lib.* III. Porro ut Cathari, ita Manichæi Catharorum prodromi Mariam e Davide originem duxisse negarunt. Adeundus Augustinus *lib.* XXIII. *Contra Faustum Cap.* III. Verum ni Maria Davide fuisset prognata, qui tandem Paulus, ceterique Scriptores Hagiographi novi Testamenti Christum ex Davide *Secundum Carnem* ortum affirmarent; diserteque negarent Christum ipsum Josephi esse filium? Igitur aut pugnantia loquuti Apostoli sunt, id quod Cathari vehementer negant, aut Maria Mater Christi Davide prognata fuerit necesse est. Sapienter Tertullianus *lib. de Carne Christi Cap.* XXII. *pag.* 324. *sed & Paulus*, inquit, *utpote ejusdem Evangelii & Discipulus & Magister, & testis, qua ejusdem ipsius Christi Apostolus confirmat Christum ex semine David secundum carnem, utique ipsius. Ergo ex semine David caro Christi; sed secundum Mariæ carnem ex semine David: ergo ex Mariæ carne est, dum ex semine est David. Quocumque detorseris dictum, aut ex carne est Mariæ, quod ex semine est David; aut ex David semine est, quod ex carne est Mariæ*. Consule Aug. loco mox indicato.

tem generatio ſic erat, ut dicam. Et notat differentiam inter alias generationes nominatas uſque ad Chriſtum, & Chriſti generationem. Illæ enim factæ ſunt humano ritu, actione ſcilicet viri; hæc non, immò divino nutu, & virtute. Quod non humano ritu, notatur, cum dicitur: *Antequam convenirent &c.* Non ideo hoc dicit, quia velit, quod poſtea convenirent; ſed Scriptura quod factum non ſit narrat; ſed non dicit, quod poſtea fiat. Quod autem dicit: *inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto*, notat, quod Dei virtute facta ſit generatio iſta. Unde Luc. 1. v. 35. dicitur: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*.

Ad aliud dico, quod per hoc quod ait: *quod in ea natum eſt*, non habetur quin de ea materialiter, & ſecundum carnem factus ſit; jam enim dixerat, quod de ea natus eſt. Utrumque ergo verum eſt, quod de ea, & in ea; ut notet, quod vera mulier fuit, de qua, & in qua natus eſt: nam de viro, & in viro quis naſcitur? Ideò & hic voluit dicere: *quod de ea natum eſt*, quia ſtatim dicturus erat: *de Spiritu Sancto eſt*, ne ſcilicet putaretur, quod eodem modo de Spiritu Sancto, & de Maria eſſet Jeſus, ne ſcilicet putaretur hinc inde eſſe univocationem; nam de Maria eſt materialiter, de Spiritu Sancto effective.

Notabile etiam eſt, quod recte Joſeph filium David nominat, ut Mariam conjugem ejus de Tribu illa, de qua David fuit, ortam oſtendat, ut ſic palam ſit, quod de Tribu Juda ſit Dominus noſter, ſicut dicit Apoſtolus Hebræ. 7. v. 14. Unde enim habuit Apoſtolus, quod manifeſtum eſt Chriſtum eſſe de illa Tribu, niſi iſto modo, quo diximus? Nullo alio; alioquin oſtende ſi potes.

Adhuc autem alia teſtimonia inducamus, quibus pateat Jeſum de Maria natum. Sic enim dicit Angelus Luc. 1. v. 30. *Ne timeas Maria: inveniſti enim gratiam apud Deum. 31. Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum* (72). Concipere autem idem eſt, quod de ejus carne naſci in ea. Parere autem idem eſt, quod naſci ex ea filium, & venire ad conſpectum hominum.

Item Luc. 1. v. 35. *Spiritus Sanctus ſuperveniet &c.* Ex te dicit, ideſt, de tua corporis ſubſtantia. Et quod ita intelligendum ſit, patet ex verbis Eliſabeth ad Mariam; dicitur enim ibi v. 41. *Et repleta eſt Spiritu Sancto Eliſabeth. 42. Et exclamavit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui*. Sic ergo corpus Chriſti fructus fuit ventris Beatæ Mariæ, & de ventre ejus materialiter factus eſt ſecundum carnem. Si enim eum ſolummodo in ventre portaſſet, ex hoc non diceretur fructus ventris ejus, ſicut uva non dicitur fructus ſpinarum eam portantium, ſed vitis ſuſtentatæ a ſpinis. Propter quod Matth. 7. v. 16. dicitur: *Numquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus?* Item Luc. 2. v. 4. *Aſcendit autem & Joſeph a Galilæa de Civitate Nazaret in Judæam in Civitatem David, quæ vocatur Bethlehem: eo quod eſſet de domo & familia David; ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante. 6. Factum eſt autem, cum eſſent ibi, impleti ſunt dies ut pareret. 7. Et peperit filium ſuum primogenitum*. Suum dicit, ideſt de ſubſtantia carnis ſuæ conditum, alioquin ſuus filius non eſſet, & mentiretur Lucas, ſi eum filium diceret ſuum.

Si autem objicias: ergo mentitur Lucas eadem ratione, quia dicit Joſeph patrem ejus, cum tamen ipſe ejus pater non fuerit, licet putaretur.

Reſpondeo: immo fuit pater ejus. Pater enim dicitur non tantum qui generat, ſed qui nutrit, ſicut mos eſt ut nutrices matres dicantur. Joſeph autem ejus pater fuit, ideſt, nutricius donec Chriſtus fuit parvulus, & puer duodennis, & uſque tunc ejus pater dicitur a Scriptura. Poſtquam autem Chriſtus adultus eſt factus, & non fuit ei neceſſaria cura Joſeph non dicitur pater ejus Pueri, ſed cum determinatione, *ut putabatur*? Maria vero ſemper dicta eſt mater ejus, etiam poſt reſurrectionem, quia vere ejus eſt mater, de cujus ſubſtantia natus & factus eſt ſecundum carnem.

Præterea ad Galat. 4. v. 4. *Miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege* (73). Si ex ipſa factus eſt: ergo caro ejus facta fuit de carne Virginis, & non tantum exivit ex ipſa, ſicut granum ex ſacco. Numquid enim granum ex ſacco fit? Non.

Quod autem de David originem duxerit materialiter ſecundum carnem, habetur ab Apoſtolo Rom. 1. v. 3. ubi de Chriſto loquens ait: *Qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem*. Ex quo patet, quod ad Galat. 4. vera eſt litera illa: *factum ex muliere*, non natum, ut Hæreticus dicit. Et ſi eſſet, patet quod æquivalet ei, quod eſt factum per illud, quod hic dicit Apoſtolus: *qui factus eſt ei &c.* Si ex ſemine David factus eſt ſecundum carnem: ergo caro Chriſti materialiter eſt de carne David. Verum quia Hæreticus (74) iſtud de alio David, & de carne alia dicet intelligendum, dic ei, ſi poteſt, quod alium David tibi oſtendat, de quo ſecundum carnem natus ſit Chriſtus, quam David Veteris Teſtamenti; nec poterit facere. Quod autem non intelligatur de alio David patebit in proximo.

Præterea ex ſemine David factus eſt ſecundum carnem, ut dicit Apoſtolus. Dicas: ubi factus eſt ex eo ſecundum carnem? Numquid in cæleſti patria? Utique ſecundum te, qni David ponis cæleſtem ex carne cæleſti. Sed numquid ſicut hic terreſtris caro ex terreſtri? Videtur, quod ſic, quia illam parentelam ponis cæleſtem Chriſti, quam Matthæus ponit. Sed ſi hoc eſt: ergo ſicut hic ex conjunctione viri & fœminæ fit caro ex carne; ita & ibi. Et quod ita ſit, oportet te dicere, quia in illa genealogia dicitur, quod iſte *David Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ*: quod tantum tu ibi

(72) Adeundus Tertullianus *ibid. Cap.* XXI. *pag.* 323. quo loco etiam adfert argumentum, quod mox ſubjungit Moneta. Conſule etiam Irenæum *lib.* III. *Cap.* XXI. *pag.* 217.

(73) Conſule Archelaum *Diſput. cum* Manete *n.* XLIX. *pag.* 89.

(74) Oppugnat hic fortaſſe Moneta Johannem de Lugio, qui in alio mundo David, Moſen, & Prophetas ceteros ſua ſudiſſe oracula, Chriſtumque natum ajebat, ut eſt à Sachono memoriæ proditum.

ibi intelligis factum fuisse, licet non habeas inde testimonium. Prius etiam dixerat v. 5. *Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth.* Ergo in cælo generatio carnis spiritualis est ex viro, & fœmina: quod est contra Lucam 1. 20. v. 34. ubi dicitur: *Filii hujus seculi nubunt &c.* Præterea ubi habes testimonium, quod Rahab fuit cælestis, & Ruth similiter? Somnium ergo est, quod dicis. Ego autem totum ad litteram possum ostendere in Veteri Testamento, quod dicit Matthæus. Mihi ergo credendum est, non tibi. De Ruth ergo patet in libro Ruth; de Rahab autem, quam habuit Salmon ex viro suo Naasson, habetur in libro Judic.

Item, ipse de David Veteris Testamenti factus est: quod evidenter probatur Act. 2. v. 29. ubi Petrus ait Judæis: *Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha David, quoniam defunctus est, & sepultus: & sepulchrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem.* 30. *Propheta igitur cum esset, & sciret quia jurejurando jurasset illi Deus, de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus:* 31. *Providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.* Nota, quod dixit *de fructu lumbi ejus*, de quo argumentum est supra: *Benedictus fructus ventris tui.* De isto juramento habemus in Psal.88. v.36. *Semel juravi in Sancto meo &c.* Item in principio psalmi v. 4. *Juravi David servo meo.* Quod totum habetur 2. Reg. 7. v. 12. *Cumque completi fuerint &c.*

Si autem vis dicere, quod alius David fuit iste, ostende mihi hoc aliquo testimonio, quod minime potes facere. Quare ista de alio David non possunt intelligi, nisi de David Veteris Testamenti, cujus sepulchrum erat apud Israelitas, quibus loquebantur Petrus & Paulus natura Judæi, ut habetur ad Galat.2. v.15. De Israelitis, sive Judæis loquens Paulus Rom.9. v.4. ait: *qui sunt Israelitæ.* Si alios Israelitas potes ostendere, aut alios Judæos, apud quos sit sepulchrum David Patriarchæ, ostende: quod cum facere non valeas, obmutesce, & veritati fidei nostræ desistas contradicere.

Item Act.3. v.16. dicit Paulus: *Viri Israelitæ, & qui timetis Deum, audite:* 17. *Deus plebis Israel elegit patres nostros, & plebem exaltavit cum essent incolæ in terra Ægypti, & in brachio excelso eduxit eos ex ea.* 18. *Et per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto.* 19. *Et destruens gentes septem in terra Chanaan, sortem distribuit eis terram eorum.* 20. *Quasi post quadringentos & quinquaginta annos: & post hæc dedit Judices usque ad Samuel Prophetam.* 21. *Et exinde postulaverunt regem: & dedit illis Deus Saul filium Cis, virum de tribu Benjamin, annis quadraginta.* 22. *Et amoto illo, suscitavit illis David regem: cui testimonium perhibens, dixit: inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Hic apparet historia libri Regum exprefse; ista enim 1. Reg. libro determinata sunt. Si alium David, alium Saulum, & alium Cis, cujus fuit filius, vis dicere, ostende. Ego vero ista possum ad literam ostendere de Saul, & de David Veteris Testamenti. Et nonne vides quod postea dicit Paulus v. 23. *Hujus Deus ex semine secundum promissionem eduxit Israel Salvatorem Jesum?* Ergo de semine David Veteris Testamenti fabricatus est Jesus secundum carnem.

Si autem dicat Hæreticus: Quomodo potest esse, quod iste sit ille David Veteris Testamenti? De isto enim dicitur a Deo: *qui faciet omnes voluntates meas.* Hoc non fecit David Veteris Testamenti, quia adulteravit uxorem Uriæ.

Respondeo: quod non dixit, quod semper faceret voluntates suas, licet omnes faceret. Voluntates ejus mandata ejus sunt.

Præterea, nunquid David, quem patrem Christi ponis, semper fecit voluntates Dei? Nonne & ipse peccavit? Nonne & ipse dicit ps.50. v.6. *Tibi soli peccavi &c.*; de illo enim David cælesti hoc intelligis dictum?

Præterea, numquid posses probare aliquo testimonio istum David cælestem esse? Non. Ergo tace.

Præterea, ubi ista sententia est: *inveni David &c.* nisi 1. Reg.13. v.14.? *Quæsivit Dominus sibi virum juxta cor suum.* Item ibidem 16. v.1. *Imple cornu tuum oleo, & veni, ut mittam te ad Isai Bethlehemitem: providi enim in filiis ejus mihi regem.*

Forte dicet Hæreticus: Non est iste ille David, de cujus semine Christus est natus, quia David Veteris Testamenti fuit filius Isai; David autem, de quo legimus in principio Matthæi fuit filius Jesse.

Ad hoc dico, quod pater David fuit binomius; & dictus est Isai, & Jesse. Lege in principio Paralipomenon c.2., & invenies genealogiam, quam ponit Matthæus: *Filii autem Israel, Ruben, Simeon &c.* Jacob, & Israel idem, ut patet Gen. 32. v.28. Idem dicit Matthæus quoad sententiam c.1. v.2. *Jacob autem genuit Judam, & fratres ejus.* Idem invenies, si ea, quæ postea Matthæus ponit v. 5. legas; dicitur enim: *Booz autem genuit Obed.* Ipse autem genuit Isai; Isai genuit David septimum filium. Idem habes in fine Ruth.

Præterea, quod iste sit ille David Veteris Testamenti, qui dictus est filius Isai & Jesse, patet ex genealogia Matthæi, ubi dicitur v.6. *David autem rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Uriæ*, quod totum patet de David Veteris Testamenti 2.Reg.v.11. Alium autem Uriam, de cujus uxore David genuerit Salomonem; aut aliam fœminam ab illa non potes aliquo testimonio ostendere. Idem ergo est filius Isai & Jesse, ergo Jesse & Isai idem fuit.

Item Act.13. dicit Paulus post verba prædicta v.16. *Viri fratres, filii generis Abraham, & qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis hujus missum est &c.* usque ad v. 37. *Quem vero Deus suscitavit a mortuis, non vidit corruptionem.* In quibus verbis tangit Apostolus Incarnationem filii Dei, cum dicit: *vobis verbum salutis &c.* Tangit etiam mortem ejus: unde v.29. *Cumque consummassent omnia, quæ de eo*, hoc est, morte, & passione ejus *scripta erant.* Tangit etiam sepulturam: unde ibidem: *deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento.* Tangit etiam resurrectionem v. 30. *Deus vero suscitavit eum a mortuis tertia die.* Incarnationem autem probat per illud verbum v.33.

Filius

Filius meus es tu, ego hodie genui te in humana natura de Virgine Maria. Illa enim nativitas, Dei virtute fuit facta. Refurrectionem a morte probat per illud Isai.55. v.3. ubi legitur: *Dabo vobis sancta David fidelia*: quasi diceret: sancta promissa de Christo facta ipsi David: *Dabo*, ideft, faciam ipsa esse fidelia; ideft vera, & *sancta*, ideft, firma: implebo ea scilicet, quod semen ejus, ideft, Christus in æternum manebit, ut habetur in psal. 88. v.5. Isaiæ 55. v.3. legitur: *Feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles*. Idem autem dicit pactum & misericordias, scilicet promissiones misericorditer factas David in psal.88. v.29. *In æternum servabo illi misericordiam meam*. Istud autem manifestum est 2. Reg.7. v. 12. ubi dicit Dominus: *Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus. 13. Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum*. Et ne dubites istud de Christo dici, audi quid ibi sequitur v.14. *Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium*. Apostolus Hebræ. 1. v.5. dicit a patre Christi hoc de ipso Christo dici: ergo dubitandum non est, quin Christus filius sit David Veteris Testamenti. Et nota, quod nisi Christus a mortuis surrexisset, non vitaret amplius corruptionem, nec esset fidelis, aut sancta illa promissio: propter quod & Apostolus addit Act. 13. v. 35. *Ideoque & alias dixit: non dabis sanctum tuum videre corruptionem*: quod verbum Apostolus probat non posse intelligi de David, sicut & Petrus Act.2. v.27. Sic enim dicit Paulus Act.13. v. 36. *David enim in sua generatione* (supple quartadecima ab Abraham, ut habetur Matth.1. v.17.) *cum administrasset voluntati Dei*: unde supra v.22. *qui faciet omnes voluntates meas*; sequitur: *Obdormivit: & appositus est ad patres suos, & vidit corruptionem*, quem vero Deus suscitavit, non vidit corruptionem. Ideo dicit Petrus Act.2. v.29. *Liceat &c.* Ibi enim dicitur, quod *defunctus est*; hic dicitur, quod *obdormivit*: quod idem est. Ibi dicitur, quod *sepulchrum ejus apud nos est*; hic dicitur: *& appositus est ad patres suos*, ideft, juxta eos defunctos. Hoc totum patet 3. Reg.2. v.10. *Dormivit igitur David cum patribus suis, & sepultus est in civitate David*. Ecce testimonia habeo a Veteri Testamento de eo, quod dicunt Petrus & Paulus; & ibi constat, quod Christus de David carnaliter processit: de David dico Veteris Testamenti. Ostende autem Tu mihi aliquo testimonio sepulchrum alterius David, si potes ostendere.

Ad idem facit illud, quod habetur Luc. 1. v.32. ubi Angelus ait ad Mariam; *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus: & regnabit in domo Jacob in æternum. 33. Et regni ejus non erit finis.* Ecce, quod Angelus dicit David patrem Christi, de quo dicit Apostolus Rom.1. 3. *Qui factus est ex semine David secundum carnem*. Ergo David carnaliter fuit pater Christi.

Ad hoc autem objicit Hæreticus: Quomodo hoc potest intelligi de David Veteris Testamenti? Nullo modo; quia Deus nunquam dedit ei sedem illam, in qua David sedit: ipse enim Christus sedem regalem, temporalem, & materialem non habuit, sicut David habuit.

Ad hoc dico, quod per sedem David intelligitur populus Judæorum, in quo, & supra quem David temporaliter sedit, quando eum rexit. In eodem autem populo sedit, & sedet Christus, quia rexit, & regit Christus populum illum spiritualiter, licet non totum, sed credentes de illo in Christum; unde Angelus exponens quod dixit, subjunxit: *Et regnabit in domo Jacob in æternum*. Domus Jacob populus Judæorum dicitur, quia de Juda filio Jacob ortus est. Nonne vides, quod Apocalyp. 17. v.15. ubi de meretrice magna loquitur, dixit Angelus Johanni; *Aquæ, quas vidisti ubi meretrix sedet, populi sunt?* Sedes ergo meretricis populus malus est: sic & sedes Christi populus Judæorum ad Christum conversus.

Præterea nonne vides, quod Dominus dicit ad David in psal.88. v.5. *Et ædificabo in generationem & generationem sedem tuam?* Constat, quod de regno loquitur, scilicet de populo.

Præterea, Christus dicitur filius David; David autem non est ipse Deus, ut patet ex verbis Angeli: *Dabit illi Dominus Deus &c.* Item per Zachariam, qui per Spiritum Sanctum prophetans, ut dicit Lucas c.1. v.67., ait ibidem v.69. *Erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui*. Idem etiam patet per verbum Petri Act.2., & per verbum Pauli Act.13. Modo quæro sic. David fuit pater Christi, & ipsum genuit licet pluribus mediantibus. Aut ipsum genuit carnaliter, aut spiritualiter? Si carnaliter: habeo quod dicebam, scilicet quod caro Christi de carne David materialiter facta est in mundo isto; alibi enim non est generatio secundum carnem; vel ostende hoc aliquo testimonio Scripturæ. Si spiritualiter eum genuit de suo semine: quid appellas tu semen? Si verbum Dei: ergo genuit ipsum verbo prædicationis: ergo David fuit prædicationis, & dator Christi: quod nullo testimonio potes ostendere.

Præterea, si ipsum genuit verbo prædicationis: ergo David ipsum genuit sicut Corinthios Apostolus, quibus ait 1. Cor. 4. v.15. *Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui*. Videbitur secundum hoc, quod aliquando Christus fuerit malus, & verbo Evangelii per David ad Deum conversus sit postea. Si autem dicas, quod semen appellat Apostolus posteros David: numquid aliquis illorum genuit Christum spiritualiter? Sic ergo fuisset Christus aliquando non filius spiritualis.

Præterea, quomodo addit Apostolus: *secundum carnem*, si de spirituali generatione intelligitur? De qua loquens Corinthiis non dicit *secundum carnem*, immo secundum *Evangelium*, distinguens inter carnalem, & spiritualem generationem. Ex quibus omnibus constat, quod Christus de David Veteris Testamenti secundum carnem ortus est.

§. IX.

§. IX.

Quod Christus duxit originem ab Abraham Veteris Testamenti. (75)

NUNC testimonio Scripturarum ostendamus, quod Christus secundum carnem materialiter sit natus, & factus de carne Abrahæ Veteris Testamenti. Invenimus in multis locis quod Christus fuit semen Abrahæ, & filius ejus. Ita habetur Matth. 1. v. 1. *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham*. Ergo Christus fuit filius Abraham; ergo Abraham fuit pater Christi. Ergo Abraham genuit Christum aut carnaliter, aut spiritualiter. Et procedendum est ut prius de David.

Præterea dicit Apostolus Hebræ. 7. v. 14. *Manifestum est, quod ex Juda ortus est Dominus noster*. Sed quomodo manifestum, nisi quia Abraham genuit Isaac, & Isaac Jacob; Jacob autem Judam, & fratres ejus. Judas autem genuit Phares, & Zaram &c. usque ad Christum, ut habetur Matth. 1., ut dictum est supra in hoc cap. Ergo Christus de Abraham natus est, quia si de eo non esset, nec de Juda; & ita mentiretur Apostolus. Quod autem semen ejus fuerit, habetur ad Galat. 4. v. 16. ubi dicitur: *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini ejus*: quod semen dicit Paulus fuisse Christum. Si ejus semen fuit, & secundum carnem; sic & David. Ergo ejusdem massæ fuit caro ejus cum carne Abrahæ.

Item semen Abrahæ fuit. Ergo ortus est ab Abraham, non spiritualiter, quia, ut ostendimus, Abraham non genuit Christum spiritualiter. Ergo ortus est de Abraham carnaliter, idest, quoad carnem. Modo quæro: quis fuit iste Abraham? Numquid Deus? Non, quia ei dictæ sunt promissiones a Deo; unde ad Galat. 3. v. 18. *Abrahæ autem per repromissionem donavit Deus*.

Quod autem iste fuerit Abrhaham Veteris Testamenti patet, quia illud testimonium Apostoli ad Galat. 3. v. 8. *Quia benedicentur in te omnes gentes*, nusquam invenitur dictum, nisi Abrahæ Veteris Testamenti, uti Gen. 12. v. 3. Si autem vis dicere, quod alii dictum sit, inde non habes testimonium. Ego autem testimonium habeo de eo quod dico. Mihi ergo credendum est, non tibi. Item Rom. 9. v. 4. Apostolus de Judæis loquens dicit: *Quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa*: 5. *Quorum patres, & ex quibus est Christus, secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*. Judæi enim in filios Dei a Deo electi sunt; unde Exod. 4. v. 22. *Filius meus primogenitus Israel*. Isa. 1. v. 2. Conqueritur Deus de filiis Israel dicens: *Filios enutrivi, & exaltavi: Ipsi autem spreverunt me*. Ipsorum erat *gloria*, idest, gloriosa victoria de inimicis, sicut patet de Ægyptiis in mari rubro, & de aliis contra quos in deserto pugnaverunt; *& testamentum*, idest, promissio de Christo ex eis nascituro. Deuter. 18. v. 15. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus*. Psal. 88. v. 4. *Disposui testamentum electis meis*, & exponit illud testamentum: *Juravi David servo meo &c.* Unde Petrus Act. 3. v. 25. loquens de Judæis ait: *Vos estis filii prophetarum, & testamenti &c.* usque *familiæ terræ*; Et aliæ multæ promissiones eorum. *Et legislatio*, idest, lex ei data a Deo per Moysen de monte Sinai, *& obsequium Angelorum*, qui illi populo obsequebantur, sicut patet Exod. 14. v. 19. vel obsequium Prophetarum; obsequebantur enim Prophetæ Israelitis hortando eos ad bonum, & dehortando eos a malo; vel obsequium cultus Dei, quo obsequebantur ei, quorum patres fuerunt Abraham, Isaac, & Jacob, ex quibus & Christus natus est secundum carnem, non secundum Deitatem, secundum quam ipse est Deus benedictus super omnia, scilicet cælestia, terrestria, & infernalia, ut habetur Philip. 2. v. 10. Ex his patet, quod caro Christi traducta est materialiter per successionem ab Abraham, Isaac, & Jacob, & David, & aliis mediante Virgine Maria.

Ad idem facit illud Hebræ. 2. v. 13. ubi Apostolus introducit illam authoritatem Isaiæ 8. v. 18. *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Deus*: unde Apostolus argumentatur dicens v. 14. *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem*, supple, secundum carnem & sanguinem, ut mori posset; unde subdit Apostolus: *ut per mortem &c.* 16. *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*, idest, naturam Angelicam non assumpsit; idest, non est factus Angelus per naturam, *sed semen Abrahæ apprehendit*, idest, humanam carnem ex semine Abrahæ. Quod autem dictum est: *eisdem* sic exponimus, eisdem scilicet carne & sanguine; & non sic eisdem pueris. Et quod ita debeat exponi, patet per illud, quod dixit Apostolus: *ut per mortem &c.* quasi diceret: aliter non esset mortalis. Quod etiam patet per hoc, quod dicit Apostolus 17. *Unde debuit per omnia fratribus similari*, de qua similitudine superius locuti sumus in §. 3.

Præterea Luc. 2. v. 6. dicitur: *Factum est autem, cum essent ibi*, idest, *in Bethlehem*, *impleti sunt dies, ut pareret*. 7. *Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum involuit, & reclinavit eum in præsepio*. Istud etiam habetur ibidem v. 20. ubi dicitur, quod Angeli nuntiaverunt Pastoribus, & Pastores invenerunt sicut nuntiaverunt. Si autem omnia ista imaginarie faciebat, & sic oculus intuentium fallebat. Quis hoc sciens unquam vellet ejus legi credere? Si ita est; numquam talis trufator [*] fuit. Item Luc. 2. v. 40. dicitur: *Puer autem crescebat*: quod non est, nisi in eo vera humanitas esset.

[*] Idest, deceptor, vel impostor.

§. X.

(75) Probat id etiam contra Manichæos Augustinus *lib.* XXIII. *Contra* Faustum, quem consule.

§. X.

Quod Christus vere passus est, (76) *& mortuus*.

OStenso, quod Christus veram carnem habuit de massa carnis nostræ, videamus de dispositionibus carnis nostræ, utrum eas assumpserit, scilicet passibilitatem, & mortalitatem. Quod autem ita sit, potest videri per testimonia Scripturarum. Dicit enim Petrus ep. 1. c. 2. v. 21. *Christus passus est pro nobis*. Si passus est, passibilis fuit; esse enim patiens passibile est, sicut esse, quod comburitur, combustibile est.

Præterea, Act. 3. v. 18. dicit Petrus: *Deus autem quæ prænuntiavit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum sic implevit*, istud scilicet miraculum, quod videtis. Et Act. 26. v. 22. dicit Paulus: *testificans minori, atque majori, nihil extra dicens quam ea, quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, & Moyses*. 23. *Si passibilis est Christus*, idest, qui passibilis est Christus. *Si*, idest, *qui primus ex Resurrectione Mortuorum, lumen annuntiaturus est populo, & gentibus*. Nonne & Christus idem dicit Luc. 22. v. 17. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar*? Similiter potest probari, quod mortalis fuit, quia mortuus est, ut ipse de se dicit Apocalyp. 1. v. 18. *Et vivus, & fuit mortuus; & ecce sum vivens in sæcula sæculorum*. Mori autem non posset, nisi mortalis esset. Item Jo: 2. v. 19. *Solvite templum hoc &c.* usque *sui*. Multa alia testimonia de morte Christi induci possunt.

Modo quæro a Te, qui duo ponis principia, de illa passibilitate & mortalitate, a quo fuit? Si a Deo patre justorum: ergo mortalitas & passibilitas ab ipso sunt: ergo & passio, & mors ab ipso: ergo ipse est caussa rerum non permanentium, & transitoriarum: quod tu negare consuevisti.

Præterea, si ipse est passus & mortuus: ergo vita ejus per mortem finita est: ergo vita ejus corruptibilis fuit: ergo Deus fuit auctor corruptibilium.

Forte dices, quod non est passus, nec mortuus, nec aliquam angustiam sustinuit, licet ita videretur. Ergo nec tu debes pati pro eo, vel mori, sed apparenter tantum; sicut enim dicit Petrus Ep. 1. c. 1. v. 21. *Christus passus est pro vobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus*. Quod autem passus sit angustias multiplices ipsemet testatur dicens: *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Marci 14. v. 34. & Matth. 26. v. 37. dicitur de Christo, quod *cœpit contristari, & mæstus esse*. 38. *Tunc ait illis: tristis est anima mea usque ad mortem*. Jo: 12. v. 27. *Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam?* Ex quo patet, quod veram habuit animam, sicut & carnem passibilem. Item Marc. 14. v. 33. dicitur: *Et cœpit pavere, & tædere*. Pavor ergo, & tædium in eo fuit.

Præterea, si nullas angustias passus est, sed tantum apparebat pati, quid ergo rogabat a se transferri, cum orabat dicens Matth. 26. v. 39. *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*. Et nota ordinem verborum: *cœpit contristari, & mæstus esse. Tunc ait illis: Tristis est &c.* Et rogavit Patrem dicens: *Pater mi, si possibile est &c.* Angustia ergo passionis suæ, quam prævidebat, eum movebat ad orandum, ut transiret calix passionis ab ipso.

Præterea, de qua re dicebat? *Non sicut ego volo &c.*

Præterea, si ipse nec est passus, nec mortuus, sed apparuit: quomodo ergo dicit Apostolus Rom. 8. v. 17. *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur*? Item 2. Timoth. 2. v. 11. *Si commortui sumus, & convivemus*. Item Rom. 6. v. 5. *Si complantati facti sumus similitudini mortis ejus: simul & resurrectionis erimus*. Item Jo. 4. v. 6. *Jesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem*. Item Luc. 24. v. 39. *Palpate & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*. Ecce quod palpabilis fuit. Item Matth. 8. v. 23. *Ascendente eo in naviculam, secuti sunt cum discipuli ejus*. 24. *Et ecce motus magnus factus est in mari: ita ut navicula operiretur fluctibus; ipse vere dormiebat*. Marcus c. 4. v. 38. addit: *in puppi super cervical*. Sequitur v. 25. *& eum suscitaverunt, dicentes: Domine salva nos: perimus*. Si autem vis dicere, quod spiritualiter dormiebat: quæro, quid est dormire spiritualiter? A quo eum excitaverunt, & a quo somno surrexit?

Præterea, si somnus suus spiritualis erat: ergo & cervical, super quo dormiebat. Quod erat istud cervical, a quo etiam surrexit? Ubi habes tu testimonium, quod cervical sumatur spiritualiter?

Item Luc. 19. v. 41. *Videns Jesus Civitatem flevit super illam, dicens*: 42. *Quia si cognovisses & tu*, supple fleres. Jo: 11. v. 35. *Lacrymatus est Jesus*. Hebr. 5. v. 7. *Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia*. Ecce

(76) Consentiebant ex parte veteribus Gnosticis ac Manichæis Cathari Albanenses. Ex parte autem dixi, nam Cerdoniani & Marcionitæ Simonem Magum auctorem sequuti, Christum carne, aut ullo corpore præditum esse, passumque, aut vere mortuum ultro negabant: id quod Balasinansæ sectatores facile concedebant. Nazarius vero Episcopus Concorrezensium, & Bagnolenses in ea versabantur sententia, ut in corpore Cælesti putarent nec vere passum fuisse Christum Servatorem, nec mortuum. Vide Sachonum *col.* 1774. Itaque Apelli assentiebantur, & Aphtardocœtis. Adisis Tertullianum *lib. de Carne Christi cap.* VI. *pag.* 311. & Johannem Damascenum *lib. de Hæresibus Cap.* VII. *n.* 74. *pag.* 107. *Tom.* I. *Edit. Lequien.* Valentiniani apud Irenæum *lib.* I. *Cap.* VII. *n.* 2. passum ajebant, *animalem Christum & illum qui ex dispositione fabricatus est in mysterio*. Tertullianus libro singulari *de Carne Christi Cap.* XV. Valentinianos eosdem exagitans: *Et cur*, inquit, *non de corruptela, sed de incorruptela?* ... *Mortuum credunt, & quod est mortuum ex incorruptela natum esse contendunt*. Fuerunt, qui S. Hilarium Pictaviensem in eum errorem incidisse dicerent, ut Servatorem nostrum humanis passionibus affectum fuisse inficiaretur. Hoc quidem vitio tanto Doctori dederunt Claudianus Mamertus *lib.* II. *de statu Animæ Cap.* IX. Berengarius Sacramentariorum princeps apud Lanfrancum Cantuariensem *Epist.* I. & Baronius *Ad an.* 563. *n.* 4. sed Hilarium summa vi defendit Constantius in *Præfat. ad Nov. Edit. Opp. S. Hilarii*. De Aphtardocœtis consuli poterit Dionysius Petavius *lib.* I. *Cap.* XVI. *de Incarnatione n.* XII. *Tom.* IV. *Theologicorum dogmatum*.

Ecce dicis, quod apparuit flere, & lacrymari. Apoſtolus autem dicit, quod cum multis lacrymis obtulit preces Patri, qui poterat eum ſalvare a morte. Cui ergo credendum? Tibi, an Paulo? Conſtat ergo, quod humanam naturam habuit, qualem & nos.

Præterea dicas mihi: de qua Jeruſalem loquitur? Numquid de cæleſti, quam tu fingis, qui duplicia (77) facis omnia? Proba hoc aliquo teſtimonio. Si de terreſtri: quod verum eſt, & adhuc hodie apud nos ſunt Judæi, quorum patres terram illam inhabitabant, cujus etiam ruina evidens eſt, quam ſicut Evangeliſtæ dicunt prophetavit; numquid Dominus flevit? Numquid Dominus fleret illam Civitatem, ſi de mala creatione eſſet? Non. Ergo illa Jeruſalem non erat malæ creationis.

Si autem dicas, quod ruinam materialem non flevit, ſed ſpiritualem: contra. Nonne flebat ruinam lapidum, quam prævidebat futuram, & dicebat, quod ſi Jeruſalem illam cognoviſſet, & ipſa fleviſſet? Ergo flevit materialem ruinam, non ſpiritualem tantum.

Si autem dicas, quod lapides ibi dicuntur peccata, ruina illorum lapidum eſſet bona, & appetenda, & non differenda, ſi homines illi jam ruerant ſpiritualiter.

Si autem dicas, quod ſpiritualiter ruerant, in culpam ſcilicet, ſed non in pœnam: hoc falſum eſt ſecundum te; dicis enim, quod iſti lapides oves Iſrael ſunt in infernum hujus mundi deductæ a Deo propter peccata ſua in cælo commiſſa.

Item Jo: 9. v. 6. de cæco nato dicitur, *quod Jeſus expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos ejus &c.* Iſtud miraculum materiale fuit, ut probatum eſt ſupra in cap. de creatione, in prima parte hujus operis. Ergo lutum materiale, & ſputum ſimiliter fuit. Ergo aliquid fuit reſolubile de eo. Valet autem hoc teſtimonium contra ponentes unum principium, qui credere debent, illud miraculum materiale fuiſſe. Simile habetur Marci 7. v. 32. ubi agitur de ſurdo, & muto. Item Luc. 2. v. 21. habetur, quod Jeſus circumciſus eſt. Ergo aliquid de ejus carne deciſum eſt ab eo. Si aliquid ab eo deciſibile eſt: quare ergo dicis, quod ejus caro ejuſdem naturæ cum noſtra non eſt? Quod autem crucifixus fuerit, habetur Matth. 27. Marci 15. Luc. 23. Jo: 19. Act. 3. v. 15. *Auctorem vero vitæ interfeciſtis, quem Deus ſuſcitavit a mortuis, cujus nos teſtes ſumus.* Hebræ. 12. v. 2. *Suſtinuit Crucem &c.* De morte, & ſepultura ejus 1. Cor. 15. v. 3. & 4. De omnibus etiam iſtis habetur in pluribus locis.

§. XI.

Quod Chriſtus comedit, & bibit, & ante, & poſt (78) reſurrectionem.

NUnc ſpecialiter videamus, an Chriſtus eſurierit vel ſitierit corporaliter, & verum cibum corporalem comederit. In primis dico, quod ſi Chriſtus non comedit, nec bibit: non egebat ergo nutrimento ad ſuſtentationem ſuæ vitæ corporalis. Sed vita mortalis conſiſtit per alimentum corporale. Vita ergo ejus non erat mortalis, nec paſſibilis. Sed ſuperius oſtenſum eſt, quod mortalis, & paſſibilis fuit vita ejus. Ergo neceſſe habebat eam ſuſtentare per alimentum corporale.

Præterea, legitur in Pſ. 68. v. 22. & eſt verbum Chriſti: *In ſiti mea potaverunt me aceto.* De ſiti naturali, quia de aceto materiali loquebatur: quod patet Jo: 19. v. 28. ubi dicitur: *ut conſummaretur Scriptura, dixit: ſitio.* 29. *Vas ergo erat poſitum aceto plenum. Illi autem ſpongiam plenam aceto, hyſſopo circumponentes, obtulerunt ori ejus.* 30. *Cum ergo accepiſſet Jeſus acetum, dixit: conſummatum eſt.* Ex quibus verbis patet, quod acetum materiale erat; ſi enim fuiſſet ſpirituale non accepiſſet; conſtat enim, quod fuiſſet malum acetum, quod ab eis illi offerebatur. Reſtat ergo, quod materiale fuit, & quod materialiter ſitivit.

Item Matth. 4. v. 2. dicitur de Chriſto: *Cum jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit;* Illud jejunium fuit abſtinentia a cibo materiali. Si autem nunquam manducaſſet cibum materialem, cum haberet pluſquam triginta, & duos annos, in vanum dixiſſet Matthæus: *cum jejunaſſet &c.*

Præterea, ſi jejunavit a materiali cibo quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & poſtea eſuriit: ergo habuit famem materialis cibi. Ergo prius comederat materialem cibum.

Si autem dicas, quod illud jejunium fuit abſtinentia a cibo ſpirituali, ſicut tu vis, propter illud verbum, quod ipſe dixit Jo: 4. v. 32. ad diſcipulos: *Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis.* Item ibidem v. 34. *meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me, ut perficiam opus ejus.* Ergo ſtetit per quadraginta dies, & quadraginta noctes, quod non fecit voluntatem Patris: quod non eſt credibile. Ipſe enim dicit contrarium Jo: 8. v. 29. *quæ placita ſunt ei, facio ſemper.*

Si autem dicas, quod cibus ſpiritualis, a quo abſtinuit 40. diebus, & 40. noctibus, fuit humana

 gene-

(77) Vide noſtrum *lib.* I. *Cap.* I. §. I. *pag.* 7.

(78) Simile quidpiam propugnarunt Manichæi. Conſulendi Auguſtinus *lib. de Hæreſibus Cap.* XLVI. *col.* 16. *Tom.* VIII. & *lib. Contra Epiſt. Manichæi Cap.* VIII. *n.* IX. *col.* 156. *lib.* V. *Contra Fauſtum Cap.* V. *col.* 198. & *lib.* XI. *Cap.* III. *col.* 220. & *l.* XXIX. *Cap.* I. *ſeqq. col.* 442. *Tomo eodem.* Theodoretus *lib.* I. *Hæreticarum Fabularum Cap.* XXVI. *pag.* 213. *ſeqq. Tom.* IV. Prætereo cæteros, qui de Manete utcumque loquuti ſunt; nolo enim eſſe longus. Maneti præivere Gnoſtici, quorum pars quidem, ut ante ſæpe animadvertimus, omnibus, ut ille, paſſionibus, omnique corpore Chriſtum vacare pugnabat; pars contra, inſtructum quidem corpore, ſed neque ſiti, neque alteri cuiquam generis ejuſdem affectioni obnoxium fuiſſe arbitrabatur. A priore parte ſtetere runt Saturninus apud veterem Auctorem Anonymum *lib. de Hæreſibus Adject. Operi Tertulliani de Præſcriptionibus Cap.* XLVI. *pag.* 229. & Theodoretum *lib.* I. *Hæreticarum Fabular. Cap.* III. *pag.* 194. *Tomo* IV. Baſilides Apud Irenæum *lib.* I. *Cap.* XXIV. *n.* IV. & apud Theodoretum *lib.* I. *Hæreticar. Fabular. Cap.* IV. *p.* 195. Marcion *apud* Tertullianum *lib. de Carne Chriſti Cap.* I. *pag.* 307. Cerdon apud veterem Anonymum ante laudatum *Cap.* LI. *pag.* 222. Marcus, & Colorbagus apud eumdem *Cap.* L. *pag.* 222. Contra poſteriori parti aſſenſi ſunt Valentiniani apud Irenæum *l.* I. *Cap.* VII. *n.* 2. *pag.* 33. Apelles apud Tertullianum *lib. de Carne Chriſti Cap.* I. *pag.* 307. Et recentiore memoria, nempe VI. Seculo Aphthardocœtæ, ſeu Incorrupticolæ, apud Johannem Damaſcenum *lib.* III. *de Fide Orthod. Cap.* XXVIII.

generatio, de qua non comederat 40. diebus & 40. noctibus.

Contra. Ergo ante illos 40. dies, & noctes aliquid comederat de generatione humana, quod tu non credis, ut ostendam.

Præterea, jejunaverat plusquam triginta annis, quia adhuc ipsi discipuli erant mali secundum te, & nesciebant, quem cibum manducaret. Nullum ergo cibum manducaverat: dicitur enim Rom. 8. v. 9. *Qui Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*. Nullus autem, ut dicis, habebat Spiritum Christi adhuc. Ergo nullus eorum erat Christi adhuc. Ergo nunquam manducaverat eos, nec alios. Ergo in vanum dixisset Matthæus: *Cum jejunasset &c.*; immo dixisset, cum semper jejunasset.

Si autem dicas, quod cibus, a quo abstinuerat, fuit peccatum; Ergo ante illos quadraginta dies comederat peccatum: ergo postea esuriit peccatum. At peccatum non erat cibus ejus, nec esse poterat: ergo non est dicendum, quod jejunasset a peccato. Relinquitur ergo, quod a materiali cibo: quod etiam patet per tentatorem, qui accedens dixit ei Matth. 4. v. 3. *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant*; & ita tentabat eum de materiali cibo: ergo viderat, quod esurierat cibum illum.

Item, Matth. 26. v. 17. dicitur: *Prima autem die azymorum accesserunt Discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Marci 14. v. 12. *Et primo die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei Discipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Pascha?* Et Luc. 22. v. 7. *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha. 8. Et misit Petrum, & Joannem, dicens: Euntes parate nobis Pascha, ut manducemus*. Quid appellatur Pascha ab Evangelistis? Constat, quod aliquid manducabile, per hæc tria testimonia. Similiter aliquid interfectibile, ut patet per Marcum, & Lucam. Quæro, quid istud sit. Numquid Agnus materialis? Utique. Ergo comedit materialiter. Ergo esus carnium licitus.

Quod autem Agnus designetur materialis per Pascha, patet per Marcum, qui dicit: *primo die azymorum, quando Pascha immolabant*, scilicet Judæi; sed non immolabant, nisi Agnum, vel hœdum, ut patet Exod. 12. v. 3. ubi dicitur: *Decima die mensis hujus tollat unusquisque Agnum per familias, & domos suas*. Et post pauca dicit v. 5. *Erit autem Agnus absque macula, masculus, anniculus: juxta quem ritum tolletis & hœdum. 6. Et servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus, immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam*, scilicet quartæ decimæ diei, quæ vespera erat initium diei septimæ azymorum: de quibus diebus dicitur eodem capite v. 15. *Septem diebus azyma comedetis*. Ecce evidens testimonium, quod Pascha, quod immolabant Judæi, Agnus est, vel hœdus materialis. Quod autem aliter sumatur ibi Agnus, non potes ostendere aliquo testimonio. Mihi ergo credendum est.

Forte autem vis dicere, quod Pascha ibi dicitur Christus, propter illud verbum Apostoli 1. Cor. 5. v. 7. *Pascha nostrum immolatus est Christus*; sed nonne dicunt Discipuli: *ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Numquid quærebant, ut pararent ei comedere Christum? Non.

Præterea, nonne dicit Marcus, quod Discipuli dixerunt: *primo die azymorum &c.* Quando Pascha immolabatur, adhuc non immolabatur Christus; immolatio enim Paschæ fiebat quinta feria ad vesperam; Christus autem fuit immolatus sexta feria inter tertiam, & sextam, vel in una harum horarum.

Præterea, Luc. 22. v. 10. dicitur, quod Christus Discipulis suis ait: *Introeuntibus vobis in Civitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans: sequimini eum in domum, in quam intrat*, Et post pauca subjungit v. 12. *Et ibi parate*. Christus autem non fuit paratus a Discipulis ad manducandum.

Præterea, præparatio Christi ad manducandum fuit ejus immolatio, teste Apostolo 1. Cor. 5. quia postquam dixit: *Pascha nostrum immolatus est Christus*, statim intulit v. 8. *Itaque epulemur*. Sed numquid Discipuli paraverunt Christum ad manducandum? Non, quia eum non immolaverunt ibi, nec alibi.

Item Jo. 4. v. 6. habetur, quod Jesus *sedebat supra fontem: Hora erat quasi sexta. 7. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Jesus: Da mihi bibere. 8. Discipuli enim ejus abierant in civitatem, ut cibos emerent*. Istud de materialibus cibis intelligitur; spirituales enim cibos ab alio non possent emere, quam a Christo. Unde non dimisissent eum juxta puteum propter cibos spirituales emendos in civitate. Cum autem rediissent de civitate, & emissent cibos, dixerunt ei v. 31. *Rabbi manduca*. Invitabant ergo eum ad cibum materialem. Ex quo patet, quod ipsi Discipuli credebant eum manducare materialem cibum, qui cum eo conversabantur, & cognoscebant statum ejus. Tu autem non credis hoc. Quare? Quia de Discipulis Christi non es.

Si autem vis dicere, quod Discipuli decepti erant, putantes, quod hujusmodi cibum manducaret (79): unde hoc habes, quod decepti essent? Ostende aliquo testimonio: quod facere non potes. Ego autem plura habeo testimonia, quod materialem cibum comedit. Mihi ergo credendum est, non tibi.

Si autem dicat Hæreticus: Numquid de illo comedit? Nonne vides quod dixit: *Ego cibum habeo manducare &c. Et meus cibus est &c.?*

Respondeo: licet statim, cum invitaverunt eum, non

(79) Alanus Insulanus *lib. Contra* Valdenses, & Albigenses *c.* XIX. & XX. *pag.* 214. *Edit. Opp. an.* 1654. tum hoc argumento, tum aliis similibus usos fuisse Albigenses eosdem prodit. Quin etiam Hilarii auctoritate sese tutari ausos quidem illos fuisse adjungit: id quod Constantius in nova Operum Sancti Hilarii editione, dum eos recenset, qui Sanctum doctorem hujusce pravæ opinionis defensæ reum agerunt, nequaquam animadvertit. Ceterum argumento ex Hilarii auctoritate expresso sic omnino respondet Alanus: *pag.* 215. *Quomodo autem in medium afferunt auctoritatem Hilarii, cum auctoritatibus Sanctorum Patrum fidem non habeant? Possumus tamen dicere, quod Hilarius hoc retulit non ad pœnam; sed ad pœnæ caussam, idest culpam: Christus enim non habuit in se caussam passionis, vel mortis; idest culpam*. Verum hoc responsi genus mihi non arridet. Videndus Constantius in *Præf. ad Opera S. Hilarij*.

non comederit; inde tamen non habes, quod non comederit postea. Et si dixit: *Ego cibum &c.* Et *meus &c.* quid ad rem? Utrumqne habebat manducare, scilicet corporalem cibum: quod bene sciebant; unde & admirantes, quod non comederet, dicebant ad invicem Matth. 4. v.33. *Numquid aliquis attulit ei manducare?* Hoc non dixissent, nisi solitus fuisset cibum materialem sumere cum eis. Habebat etiam alium cibum comedere, scilicet facere voluntatem patris sui, & perficere opus ejus, scilicet convertere Samaritanos: quod tunc non sciebant Discipuli.

Item Matth. 9. v. 10. *Et factum est discumbente eo,* videlicet Jesu, *in domo, ecce multi publicani, & peccatores venientes discumbebant cum Jesu, & Discipulis ejus.* Discumbere idem est, quod fercula sumere, cibos scilicet, qui feruntur ante hominem, comedere. Istud de cibis materialibus intelligitur, quia sequitur v. 11. *Et videntes Pharisæi, dicebant Discipulis ejus: quare cum publicanis, & peccatoribus manducat magister vester?* Numquid aliud videtur dicere Marcus c. 2. v. 16.? *Et Scribæ, & Pharisæi videntes, quia manducaret cum publicanis, & peccatoribus, dicebant Discipulis ejus. Quare &c.* Ipsi enim non videbant eum spiritualiter comedentem, alioquin non reprehendissent eum de hoc. Ergo corporaliter comedebat. Luc. 7. v. 36. *Rogabat autem illum quidam de Pharisæis, ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi discubuit.* Constat, quod Pharisæus invitabat eum ad materialem cibum sumendum secum; ipse enim non habebat spiritualem cibum, quem posset dare Jesu; nec habes, quod ei talem cibum dare vellet. Quod patet, quia despexit eum dicens: v. 39. *Hic si esset Propheta, sciret utique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est &c.* usque *unxit pedes meos.*

Item Luc. 14. v. 1. *Cum intraret Jesus in domum cujusdam Principis Pharisæorum sabbato, manducare panem, & ipsi observabant eum.* De pane materiali loquitur, quoniam prandium istud, quod Pharisæus fecerat, materiale erat: quod patet ex eo, quod ibi dicit Lucas 7. *Dicebat autem & ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos:* 8. *Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco &c.* Istud non potest intelligi, nisi de materialibus cibis; dicebat enim hoc invitatis a Pharisæo. Ipse autem Pharisæus non invitaverat eos, nisi ad materiale prandium, nec aliud poterat eis dare.

Præterea, Dominus arguit eos, quia primos accubitus eligebant in prandio. Si esset spirituale prandium, bonum esset eligere primos accubitus, in quibus majora fercula de cibis spiritualibus sumpsissent.

Item, Luc. 7. v. 33. dixit Christus Judæis: *Venit Johannes Baptista neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicitis: Dæmonium habet.* 34. *Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicitis: Ecce homo devorator, & bibens vinum, amicus publicanorum, & peccatorum.* Ecce, quod Christus de se dicit, quoniam venit manducans, & bibens. Numquid de cibo, & potu spirituali loquitur? Non; quia non arguissent inde eum. Dicit autem Jesus, quod ipsi eum arguebant de cibo, & potu nimio. Item 1. Cor. 11. v. 25. ubi de Jesu Apostolus loquitur: *Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.* De ista cœna habetur Jo. 13. v. 2. *Et cœna facta est &c.* Quod autem cœnaverit, habetur supra eodem §. ubi disputavimus illam authoritatem Matth. 26. *Prima autem die azymorum &c.*

Non solum autem patet certis testimoniis, quod Jesus ante mortem suam, & resurrectionem comedit, sed etiam postea. Marci ultimo v. 14. recumbentibus undecim Discipulis ad materialem cibum. Beatus autem Lucas Act. 1. v. 4. *Et convescens præcepit eis &c.* Istud præceptum ponit Lucas in fine c. 24. v. 49. ubi Christus ait Discipulis: *Et ego mitto promissum Patris mei in vos: Vos autem sedete in Civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* De Jerusalem loquitur sicut in Actis: *ab Hierosolymis ne discederent, sed &c.* Item Luc. ultimo v. 42. habetur, quod *illi obtulerunt ei partem piscis assi, & favum mellis.* 43. *Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis.* Act. 10. v. 39. dicit Petrus: *Et nos testes sumus omnium, quæ fecit in regione Judæorum, & Jerusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno.* 40. *Hunc Deus suscitavit tertia die, & dedit eum manifestum fieri,* 41. *non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo: nobis, qui manducavimus, & bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis.* (80)

§. XII.

Quod Christus animam humanam, & ejus qualitates habuerit. (81)

VIso quod Christus veram carnem habuerit, & veras nostri corporis qualitates; videamus, utrum

(80) Adeundi Alanus *lib. Contra* Valdenses, & Albigenses *Cap.* XXII. Bonacursus l. sæpe indicato *Tom.* XIII. *Specil. Dacheriani.* Hermengaudus contra Albigenses *Cap.* VII. *Tom.* XXIV. Bibliothecæ *PP. pag.* 1605. *seq.*

(81) De Catharis Sclavis, quos hic exagitat noster, quinam tandem fuerint, egimus *nota* 7. *in Cap.* II. *Hujus* III. *libri.* Arbitror autem Sclavorum pseudo-Ecclesiam cum Bulgarorum Synagoga in hac, & in omnibus aliis opinionibus mirifice convenisse. Etenim Nazarius Episcopus Catharorum Concorrezensium, ut sæpe ante animadverti, eum se errorem a filio Majore Ecclesiæ Bulgariæ accepisse testatus est: *Christum nempe non assumsisse animam humanam, sed Angelicam, sive corpus Cæleste.* Vereor autem, ut pro *sive corpus Cæleste*, legi debeat, *& corpus Cæleste.* Nam Angelum a cælesti corpore Cathari distinguebant, ut hic Monetæ locus postulat. Erat namque hujusmodi opinio Catharorum Sclavoniæ, & Bulgariæ, Filium Dei præstantissimum esse Angelum; seu excellentem imprimis creaturam, ut Arriani ajebant, hunc porro cæleste quoddam sibi adsumsisse corpus, sed *phantasticum* tamen, velut monuimus 61. *in hoc idem Caput, notatione*; jam vero corpus ejusmodi humana caruisse anima; propterea, quod Angelus animæ loco esset. Sunt hæc quidem certe opinionum monstra, quæ ex vitiata, seu immutata Manichæorum disciplina fluxerunt. Sed Catharis Sclavis, atque Bulgaris, quod attinet ad animam humanam, qua Christum vacasse censebant, prævivere Arriani, & qui ab Apollinario hæresiarcha profecti sunt. Adeundus Dionysius Petavius *lib.* I. *De Incarnatione Cap.* V. §. IV. *seqq. & Cap.* VI. §. V. *seqq. Tom.* IV. *Theolog. Dog.* quibus quidem in locis ex Athanasio. Augustino, Gregorio Nisseno, Epiphanio, Gregorio Nazianzeno, Leone Magno, Socrate, & Theodoreto, aliisque Patribus ostendit, Arrianos, Apollinarios ab Christo animam humanam aliquando abjudicasse.

utrum animam habuerit ficut & nos (excepto peccato, & ignorantia), & veras qualitates animæ humanæ. Quidam enim Cathari, videlicet Sclavi, negant eum habere animam, & dicunt, iſtud corpus phantaſticum, quod habuit ſecundum eos, vegetatum fuiſſe ab Angelo, quem Deus miſit in mundum. Chriſtum enim non Deum, ſed Angelum confitentur: quod eſt contra Apoſtolum ad Hebræos 1. per totum caput. *Cui enim dixit aliquando Angelorum &c.*

Quod autem animam habuerit, patet Matth. 26. v.38. *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*. Ubi patet, quod non tantum animam, ſed etiam animæ qualitates, ſcilicet triſtitiam habuerit. Item Matth.2. v.19. habetur quod Angelus monuit Joſeph in ſomnis, ut ab Ægypto reverteretur in terram Iſrael, dicens: *Defuncti ſunt enim, qui quærebant animam pueri*. Matth.20. v.28. *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam, redemptionem pro multis*. Jo.10. v.11. *Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis*. Similiter ſubdit v.15. *Et animam meam pono pro ovibus meis*. Idem habetur pluries hoc eodem capite. Poſuit autem animam ſuam, ideſt, depoſuit, quando voce magna clamans emiſit Spiritum, ut habetur Matth.27. v.50. Marci 15. v.36. Luc.23. v.46. Jo.19. v.30. Quod autem dicit v.18. *Nemo tollit eam*, ſupplendum eſt, me invito.

Quas autem qualitates humanæ animæ habuerit, patet Matth.26. v. 38. *Triſtis eſt &c.* Marci 3. v.5. *Et circumſpiciens eos cum ira, contriſtatus ſuper cæcitate cordis eorum, dicit homini habenti manum aridam: Extende manum tuam. Et extendit, & reſtituta eſt manus illi*. Ecce quod iraſcibilitatem habuit, & triſtitiam. Marci 14. v.33. *Cœpit Jeſus pavere, & tædere*. Pavor autem, & tædium qualitates ſunt humanæ animæ. Jo.12. v.27. *Nunc anima mea turbata eſt*. Jo.13. v.21. *Jeſus turbatus eſt ſpiritu*. Ex quibus omnibus patet, quod nec Deitas fuit ei pro anima, quia Deitas non eſt paſſibilis ab iſtis paſſionibus; nec angelica natura, quia & illa ſimiliter ab iſtis immunis eſt. Propter hoc de Chriſto loquens David Pſal. 8. v.6. Et Apoſtolus Hebræ.2. v.7. ait ad Deum: *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis*. Et hoc ideo, quia Chriſtus paſſibilis, & mortalis fuit: quod non illi. (82)

§. XIII.

De deſcenſu Chriſti ad Inferos.

NUnc videndum eſt de deſcenſu ejus ad inferos; Chriſti enim anima poſt mortem corporis ſui in cruce ad inferiora creditur deſcendiſſe (83), corpore remanente in ſepulchro uſque ad horam reſurrectionis ſuæ. Legitur enim Act.2. v.22. *Viri Iſraelitæ, audite verba hæc: Jeſum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus, & prodigiis, & ſignis, quæ fecit Deus per illum in medio veſtri, ſicut & vos ſcitis*. 23. *Hunc definito conſilio, & præſcientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemiſtis*: 24. *quem Deus ſuſcitavit, ſolutis doloribus inferni, juxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo*. 25. *David enim dicit in eum: Providebam Dominum &c.* uſque *corruptionem*. Quod ibidem B. Petrus exponens dicit v.30. *Propheta igitur cum eſſet* . . . 31. *Providens locutus eſt de reſurrectione Chriſti, quia neque derelictus eſt in inferno* (84), *neque caro ejus vidit corruptionem*. Sic ergo Chriſtus fuit in inferno ſecundum animam: ergo Chriſtus deſcendit ad inferos ſecundum animam, & ea deſcendente ſoluti ſunt dolores pœnarum inferni.

Et nota, quod in verbis iſtis vera Chriſti humanitas deſignatur, vera paſſio, vera animæ a corpore diſſolutio, animæ ad inferos deſcenſio, carnis exanimis integritas; caro enim ejus non vidit corruptionem, ideſt, putrefactionem, vel redactionem in pulverem. Denotatur etiam, quod anima in inferno non eſt derelicta, ſed tertia die ad corpus rediens immortali vita glorificatus eſt Chriſtus, qui reſurgens a mortuis jam non moritur. Rom.6. v. 9.

§. XIV.

(82) Multa, quæ huc pertineant, congerunt Sancti Ambroſius *De* Incarnationis Dominicæ Sacramento *Cap.* VII. & Fulgentius *libro* I. *ad Traſimundum regem C.*VIII. *ſeq.* & Thomas III. *P. Quæſt.*VI. *Art.* III. *in c.* Adi-ſis Vaſqueſium *In* III. *Sancti Thomæ Partem Diſp.* XXXVII. *Cap.* I. & Petavium *lib.*V. *De Incarn. Cap.* XI. *T.*IV. *Theol. Dog.* §. IV. *ſeqq.*

(83) Nullos Catharos memorat Sachonus, qui hoc genus opinionis defenderent; niſi Lugienſes exceperis, de quibus hæc habet *col.* 1772. Dicunt, quod, *animæ*, quæ in Cœlo erant, *deſcenderunt neceſſario in infernum, ideſt in hunc mundum, & ad hunc infernum deſcendit Chriſtus, ut auxiliaretur eis*. Ceterum ſuſpicor Albanenſes quoque, qui humanitatem Chriſti Spectrum, & Phantaſma fuiſſe putabant, adeoque actiones omnes humanas Chriſti inficiabantur, ſimile quidpiam defendiſſe; nec ab illis abhorruiſſe Bagnolenſium, ſeu Bajolenſium factionem. Novi hæretici, qui jam inde XVI. Seculo Eccleſiam vexare cœperunt, ſimile quidpiam tutati ſunt. Bucerus *in Cap.* XXVII. *Matthæi, & Beza in Cap.* II. *Act. Apoſtolicor.* nomine inferni in Scriptura ſepulcrum intelligi oportere jactitant. Ergo nihil eſſe aliud Chriſtum ad inferos deſcendiſſe, quam eſſe ſepultum. Conſulitor Bellarminus *lib.* IV *de Chriſto Cap.* IX. *Tom.* I. *Controv.* Johannes Clericus ſub Phereponi larva latens *in Animadverſionibus in Epiſtolam* CLXIV. *Auguſtini pag.* 497. Sanctum Epiſcopum carpit, ac lacerat, quod dixerit: *Quis ergo niſi infidelis negaverit fuiſſe, apud inferos Chriſtum?* Adjungit autem per ſummam improbitatem Phereponus: *Vel hinc intelligere licet, quam periculoſum ſit Scripturam velle interpretari, ſi neceſſariis ſubſidiis deſtitutus ſis. Primum enim in ea invenitur quod non eſt, deinde acerbe damnantur, qui eam melius intelligunt*. Sed bene habet. Phereponum quippe vexavit Ludovicus Antonius Muratorius Italiæ decus ampliſſimum & ornamentum toto capite IX. *lib.* III. *De Ingeniorum moderatione in religionis negocio*. Mitto ceteros Calvinianos, Lutheranos, Socinianos, qui eadem cum Clerico pugnant.

(84) Pulcre Auguſtinus Epiſtola CLXIV. *al.* XCIX. *Tom.* II. *Opp. Et Dominum quidem*, inquit, *carne mortificatum veniſſe in infernum ſatis conſtat, neque enim contradici poteſt vel prophetiæ, quæ dixit, quoniam non derelinques animam meam in inferno, quod ne aliter quiſquam ſapere auderet, in Actibus Apoſtolorum idem Petrus exponit, vel ejuſdem Petri illis verbis, quibus eum adſerit* ſolviſſe inferni dolores, in quibus impoſſibile erat eum teneri. *Quis ergo niſi infidelis, negaverit fuiſſe apud inferos Chriſtum?* Scio quid Beza, quid Bucerus, quid Phereponus, quid alii furfuris ejuſdem homines contra opponant. Verum illis factum eſt a Muratorio ſatis *loco mox indicato*. Nec a Muratorio vero ſolum, verum etiam a Bellarmino *ibid. Cap.* XII. & Petavio *lib.* XIII. *de Incarn. Cap.* XV. *ſeqq. Tom.* V. *Theolog. Dogm.* atque ab aliis pleriſque qui *de Controverſiis ſcripſerunt*.

§. XIV.

De resurrectione Christi.

NUnc videamus de illo articulo: *Tertia die resurrexit* (85) *a mortuis*. Legitur Jo. 2. v. 19. quod Dominus dixit Judæis: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud* v. 21. *Ille autem dicebat de templo corporis sui*. Ergo corpus ejus dissolutum est ab anima in morte, & tertia die resurrexit in eodem corpore. Matth. 12. v. 40. dicit Christus: *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus*. Sed quid post istud triduum? Dico, quod anima ad corpus idem rediit; & sic vera resurrectio in Christo facta fuit teste Petro Act. 2. *Viri Israelitæ, audite verba hæc: Jesum Nazarenum &c.* ut in præcedenti §. de descensu ad inferos. Matth. ultimo v. 5. dixit Angelus mulieribus: *Jesum, qui crucifixus est quæritis. 6. Non est hic: surrexit enim sicut dixit. Venite, & videte locum, ubi positus erat Dominus. 7. Et cito euntes dicite Discipulis ejus, quia surrexit: & ecce præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, ecce prædixi vobis. 8. Et exierunt cito de monumento cum timore, & gaudio magno, currentes nuntiare Discipulis ejus. 9. Et ecce Jesus occurrit illis, dicens: Avete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum*. Ubi patet, quod cum corpore, quod in sepulchro jacuerat mortuum, cum illo, inquam, distincto per membra surrexit. Item Lucæ ultimo v. 34. *Surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni.* Item ibidem dicitur v. 36. quod Jesus stetit in medio Discipulorum suorum, & dixit eis: *Pax vobis: ego sum, nolite timere*. Et post pauca dixit eis: v. 39. *Videte manus meas &c.* Iterum dixit eis: v. 46. *Oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die*. Item Act. 1. v. 3. *Quibus & præbuit seipsum vivum post passionem suam*. Act. 1. v. 21. *Oportet ergo &c.* Act. 2. *Viri Israelitæ &c.* ut prius §. de descensu ad inferos. Act. 3. v. 15. *Auctorem vero vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit a mortuis, cujus nos testes sumus*. Idem dicitur Act. 4. v. 2. Item Act. 10. v. 39. *Et nos testes sumus omnium &c.* ut supra §. quod Christus comedit cibum materialem post resurrectionem. 1. Cor. 15. v. 3. *Tradidi enim vobis in primis &c.* Ad Galat. 1. v. 1. *Paulus Apostolus &c.* Item Apocalyp. 2. v. 8. *Hæc dicit primus, & novissimus; qui fuit mortuus, & vivit*. Et multa alia sunt ejusdem rei testimonia; sed ista sufficiant.

§. XV.

De ascensu Christi cum carne in cælum, & de sessione ejus ad dexteram Patris. (86)

NUnc ad istum articulum transeamus: *Ascendit ad cælos: sedet ad dexteram patris*. Adversarii enim veritatis, maxime quidam illorum de Bulgaria, qui credunt Mariam veram fœminam fuisse, & filium Dei veram carnem ex ea assumpsisse, hoc negant.

Quod autem ascenderit potest probari per id, quod dicit Christus Matth. 25. v. 14. *Homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua &c.* Bona sua tradidit servis suis Discipulis, quando eos vicarios suos instituit, & ad prædicandum atque baptizandum misit; & sic peregre profectus est in cælum: quod quidem secundum humanitatem intelligendum est, & oportet etiam intelligere secundum carnem; proprius enim locus carnis est mundus iste. Marci ultimo 19. dicitur: *Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet a dextris Dei*. Lucæ ultimo v. 50. dicitur: *Eduxit autem eos foras in Bethaniam: & elevatis manibus suis benedixit eis. 51. Et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum*. Item Act. 1. v. 1. *Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit ejus facere, & docere, usque in diem, qua præcipiens Apostolis per Spiritum Sanctum, quos elegit assumptus est*. Marcus autem c. 16. v. 19. addit: *in cælum*. Item Act. 1. v. 9. *Videntibus illis, elevatus est: & nubes suscepit eum ab oculis eorum. 10. Cumque intuerentur in cœlum euntem illum &c.* usque *euntem in cælum*. Item eodem cap. v. 21. dicit Petrus: *Oportet ergo &c.* Eph. 4. v. 10. *Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos.* 1. Petr. 3. v. 21. *Quod & vos nunc similis formæ salvos facit baptisma &c.* usque *potestatibus*. Rom. 8. v. 34. de Christo dicitur: *Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*. Jo. 3. v. 13. *Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo.* Ergo filius hominis ascendit in cælum; sed non est filius hominis, nisi secundum carnem; Ergo caro ejus ascendit in cælum. Ephes. 4. supra parum. Jo. 7. v. 33. *Vado ad eum, qui me misit*. Jo. 20. v. 17. dixit Christus Mariæ Magdalenæ: *Ascendo ad patrem meum &c.* Act. 7. v. 55. *Ecce video cælos apertos, & filium hominis stantem a dextris Dei*. Per hoc autem patet, quod dextera de Deo patre dicta non significat corporeum membrum, alioquin ipse haberet plures dexteras, sive dextera brachia plura.

(85) Resurrectionem Christi non veram, sed *putativam*, ut illi ajebant, ponebant Cathari Albanenses e factione Balasinansæ. Præiverant autem Catharis Simon Magus apud Irenæum *lib.* I. *Cap.* xx. Theodoretum *lib.* I. *Hæret. Fabul. Cap.* I. Johannem Damascenum *lib. de Hæres.* Saturninus, Basilides, Cerdon, Marcion, Manichæi, Priscillianistæ &c. Adi-sis Petavium *lib.* I. *de Incarnatione Cap.* IV. *per tot. Tom.* IV. *Theol. Dog.*

(86) Bulgaros ait hoc erroris genus propugnavisse. De Bulgaris egimus notatione 79. *in hoc cap.* Paria defendebant Cathari Bajolenses. Vide Sachonum *col.* 1774. Ortus autem hic ipse error est jam usque a secundo Ecclesiæ seculo. Placuit Apelli. Scite Auctor *Prædestinati*, quem Sirmondus edidit, ubi de *Apellitis* agit: *Dominum Nostrum Jesum Christum adserunt carnem ex elementis suscepisse, quam aeri reddidit, cum adscenderet, & sine ea intravit in Cælum.*

ra. Quomodo autem sumatur, jam dicam. (87)

Impugnant autem istum articulum propter illud verbum Apostoli 1.Cor. 15. v. 50. *Caro, & sanguis regnum Dei possidere non possunt*: quod expositum est in tractatu de resurrectione. Istud autem addimus ad exclusionem erronei intellectus, quod descendere (88) præcessit ejus ascensum: unde Ephes. 4. v. 9. *Quod autem ascendit, quod est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ?* Sciendum, quod ascendere motum dicit localem; unde cum Christus secundum quod Deus immobilis sit, non dicitur de Christo quod ascendit, nisi secundum quod homo. Ipse enim in quantum homo subjectus fuit illi motui. Descendere autem dicitur de Christo secundum quod Deus; descendere enim non dicit motum, sed dicit incarnationem, idest, unionem Filii Dei ad carnem. Unde in symbolo dicitur: *descendit de cælis*, & proinde incarnatus est. Dicitur autem ista incarnatio descensus per similitudinem, quia sicut descensus motus est localis de superiori ad inferius; ita etiam illa unio est naturæ superioris, idest, cælestis, sive divinæ ad inferiorem se, idest, ad humanam. Alia etiam similitudine; quia si Rex aliquis retenta sibi regali dignitate copularet sibi ancillam aliquam in uxorem, diceretur multum descendisse, multumque se humiliasse. Eodem modo Dei Filius descendisse dicitur; quia retenta dignitate majori, minoris postea dignitatis effectus est. Secundum hunc modum descensio Filii Dei est minoris dignitatis assumptio, retenta majori. Secundum autem quod descensus est localis motus, cum dicitur quod descendit ad inferos secundum animam, & in sepulchrum secundum corpus.

Ultimo autem exponamus illud verbum: (89) *Sedet ad dexteram Patris*. Cum enim Pater corporeus non sit, videtur, quod istud male dicatur; & tamen istud habetur Marci 16. v. 19. Hebræ. 1. v. 3. Hebræ. 8. v. 1. Ephes. 1. v. 20. & Rom. 8. v. 34. *Qui est ad dexteram Dei*. Dico ergo, quod hoc nomen, dextera, non significat ibi corporeum membrum, sed beatitudinem cælestem, in qua quiescit cum aliis Sanctis secundum quod homo, qui ibidem sunt, sed potentiori modo, quam alii. Dicitur etiam dextera Patris potentia ejus summa, in qua Christus est secundum quod Deus: unde Philip. 2. v. 11. *Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris*. Per hoc ergo notatur, quod est æqualis Patri.

Quod autem dexteræ nomine intelligatur virtus, seu potentia ejus summa, quæ etiam Dei Patris est gloria, patet ex eo, quod dictum est supra in hoc eodem articulo super illud verbum Stephani Act. 7. *Ecce video &c.* Et est intransitiva locutio in quantum est ipsa virtus Dei. Pluraliter autem dicitur, *dextris*, propter pluralitatem effectuum. Si autem quæras a me quid sit sinistra Dei: secundum hoc dico tibi, quod potentia creaturarum sinistra ejus est. Sicut enim potentia sinistræ debilis est ad actus respectu dexteræ, ita & potentia creaturæ respectu potentiæ Creatoris.

§. XVI.

De illo articulo: Inde venturus est judicare vivos, (90) & mortuos.

SEquitur alius articulus: *Inde venturus est judicare vivos, & mortuos*. De isto articulo agitur in quarta parte hujus Operis in 3. ejus cap. Istud solum restat hic videndum, qualiter sumatur ibi: *vivos, & mortuos*. Videtur enim, quod istud sit contrarium ei, quod habetur Matth. 22. v. 32. *Non est Deus mortuorum, sed viventium*. Si enim judex eorum futurus est: ergo est Deus eorum.

Ad hoc dicitur, quod Christus tunc disputabat contra Saducæos, qui negabant resurrectionem mortuorum esse futuram. Negabant etiam Angelum esse spiritum: unde Dominus volens ostendere, quod spiritus sit, eis recipientibus legem dicit illud dictum Exod. 3. v. 6. *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob*. Postea hoc Christus addidit: *Non est Deus mortuorum, sed viventium*: quasi diceret: non est Deus eorum, qui non sunt. Ergo cum sit Deus Abraham, Isaac, & Jacob, illi erant; sed non secundum corpus: ergo secundum spiritum.

Quod autem vivere quandoque sumatur pro esse, patet ex Artibus; hoc enim Aristoteles dicit. Si autem vivere pro esse sumatur, quid mirum est, si mortuum esse sumitur pro non esse? Ecce habemus qualiter dicatur non esse Deus mortuorum.

Nunc restat videre, qualiter dicatur judex vivorum, & mortuorum. Hoc autem potest sic intelligi, idest, justorum, & injustorum. Injusti enim dicuntur mortui. Ephes. 2. v. 5. *Et cum essemus mortui peccatis &c*: vel animarum, & corporum; Animas vivas appellat propter permanentiam; corpora

(87) *Sed pro omnibus jam stabit, quod in clausulam reservavimus, etiam pro Apostolo ipso revera maximæ inconsiderantiæ revincendo, si tamen abrupta, ut quidam volunt, clausis (quod ajunt) oculis sine distinctione, sine conditione, omnem passim carnem, & sanguinem a regno Dei extrusit; utique & ab ipsa regia Cælorum: quum illic adhuc sedeat Jesus ad dexteram Patris; homo, etsi Deus; Adam novissimus, & si sermo primarius; caro & sanguis, etsi nostris puriora, ibidem & tamen & substantia, & forma, qua ascendit, talis etiam descensurus, ut Angeli affirmant; agnoscendus scilicet eis, qui illum convulneraverunt. Hic sequester Dei atque hominum appellatus, ex utriusque partis deposito commisso sibi, carnis quoque depositum servat in semetipso, arrhabonem summæ totius. Quemadmodum enim nobis arrhabonem Spiritus reliquit, ita & a nobis arrhabonem Carnis accepit, & vexit in Cælum pignus totius summæ illuc quandoque redigendæ. Securæ estote, caro & Sanguis; usurpastis, & cælum, & regnum Dei in Christo.* Tertullianus libro de resurrectione Carnis Capite LI. pagina 357.

(88) Huc respexisse videtur S. Thomas III. *P. Q.* LXVII. *Art.* I. *ad* 2. *Arg. Dicendum*, inquit, *quod ipse idem est qui ascendit, & qui descendit .... Descensus tamen duplex attribuitur Christo: unus quidem, quo dicitur descendisse de Cælo, qui quidem attribuitur Deo homini, secundum quod Deus: non enim est iste descensus intelligendus secundum motum localem, sed secundum exinanitionem; qua cum in forma Dei esset, servi formam suscepit; sicut enim dicitur exinanitus, non ex eo quod suam plenitudinem amiserit, sed ex eo quod nostram parvitatem suscepit, ita dicitur descendisse de Cælo, non quod Cælum deseruerit, sed quia naturam terrenam assumsit in unitatem personæ. Alius autem est descensus, quo descendit in inferiores partes terræ, ut dicitur Ephes. 4. Qui quidem est descensus localis, unde competit Christo secundum conditionem humanæ naturæ.*

(89) Adeundus S. Thomas III. *Parte Quæst.* LVIII. *Art.* I. *seqq.* qui multa eodem spectantia affert, ut præ oculis librum hunc Monetæ habuisse videatur.

(90) Vide Notas in *Cap.* IX. *libri* IV.

pora mortua, quia quotidie tendunt ex hac vita ad mortem. Unde Rom. 8. v. 10. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum*. Ex quo patet, quod corpora resurgent, & quod sunt factura Dei boni. Tertio modo potest exponi, ut mortui dicantur qui decesserunt ante diem judicii; vivi autem dicantur illi, qui in adventu Judicis reperientur vivi: unde 1. Thessal. 4. 14. *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini &c.* Ex his, quæ dicta sunt, patet solutio ad quandam objectionem Hæreticorum volentium probare, quod corpora ista a Deo non sunt, propter illud verbum: *Non est Deus mortuorum, sed viventium*; cum mortui non dicantur nisi corpora, homines scilicet exteriores. Ergo non sunt opera Dei. Dictum est enim, quod mortui dicuntur, in quantum omnino non sunt. Sic autem non dicuntur corpora mortua; sunt enim corpora, quæ dicuntur mortua, licet priventur vita.

CAP. IV.

Agitur de Antichristo, quem dicunt Hæretici jam venisse.

VIso de Christo, videndum esset de Spiritu Sancto secundum ordinem articulorum in symbolo. Sed quia contraria juxta se posita magis elucescunt, statim videamus de Antichristo, quem Ecclesia credit fore venturum circa finem mundi: de quo dicit Christus Jo: 5. v. 43. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me; si alius venerit in nomine suo illum accipietis.*

§. I.

Probatio, quod Antichristus venit.

QUidam autem errore decepti existimant eum venisse; propter illud, quod habetur 1. Jo: 4. v. 3. *Et omnis Spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus, de quo audistis, quoniam venit, & nunc jam in mundo est.*

Ad hoc dico, quod Antichristus proprium nomen est cujusdam personæ, & appellativum etiam multarum personarum, sicut & hoc nomen Christus, & proprium est Filii Dei: unde Jo: 3. v. 28. dicit Joannes Baptista: *non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum*. Quandoque appellativum nomen est, & commune multorum, sicut 1. Jo: 2. v. 18. *Antichristus venit*. Et ne credas hoc dici de persona illa spirituali, subdit: *Et nunc Antichristi multi facti sunt*. Quod ergo dicitur; *Antichristus venit*, non intelligitur personaliter venisse, sed per homines sibi conformes, per ministros scilicet suos. Hoc modo Apostolus loquitur 2. Thessal. 2. v. 7. dicens de eo: *Nam mysterium jam operatur iniquitatis*; & tamen nondum erat, sicut per literam Apostoli potest ostendi. (91)

Præterea, nonne vides, quod Dominus Matt. 17. v. 12. dixit, quod *Elias jam venit*? Prius dixerat v. 11. *quod venturus est*: postea, quod *jam venit*. Quod autem dicitur *venturus est*, proprie dicitur, & referendum est ad personam Eliæ. Quod autem dicitur *jam venit*; hoc ideo dicitur, quia Johannes ei similis venerat: unde Matth. 11. v. 14. dixerat de Johanne: *Ipse est Elias*; Et quod similitudinarie istud intelligatur, patet ex eo, quod Dominus dicit: *Et si vultis recipere*; supple, verbum meum, secundum quod debet intelligi, quia per similitudinem loquitur: *ipse est Elias*; Et quod istud sit verum, patet per hoc, quod subdit Dominus v. 15. *Qui habet aures audiendi, audiat*. Istud enim verbum ponebat Dominus, quando parabolice, & per similitudinem loquebatur: unde Luc. 8. v. 5. cum dixisset per similitudinem: *Exiit, qui seminat &c.* dixit v. 8. *Qui habet aures audiendi, audiat*. Similiter Matth. 13. v. 9. Nonne etiam vides, quod Dominus per similitudinem loquens dicit Jo: 6. v. 71. *Nonne ego vos duodecim elegi: & ex vobis unus diabolus est?* Et loquebatur de Juda, dicens eum diabolum per similitudinem malitiæ. Similiter Johannes Baptista dictus est Elias non identitate personæ, sed similitudinarie, quia sicut Elias erit præco secundi adventus Christi; ita Johannes fuit præco primi adventus: unde Malach. ultimo v. 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis*. Istud ex parte dixit Angelus de Johanne Baptista. Sunt & aliæ similitudines assignatæ inter eos, supra eadem parte hujus operis §. de Johanne Baptista.

§. II.

Unde probent Hæretici, quod B. Silvester fuerit Antichristus?

QUidam autem Hæretici ausi sunt dicere, quod Silvester fuerit Antichristus (92) & de Silvestro volunt illud intelligere 2. Thess. 2. v. 3. *Homo*

(91) Vetus hæc cantilena est. Ac Patres quidem plerique, quum agitari viderent Ecclesiam, vexarique ab Imperatoribus aut ab hominibus aliis impotenti ingenio præditis; prope jam adesse Antichristi adventum existimabant. Sed fuerunt alii, quorum pars quidem Neronem, pars Mahumetem, pars denique nescio quos scelestos aliquot homines, Antichristos fuisse arbitrarentur. Adeundus *Malvenda Libro* I. *de Antichristo*.

[92] Reinerus Sachonus *in Summa contra Valdenses, & Catharos Tom.* XXV. *Bibliothecæ PP. Edit. Lugdun. pag. 26. Primo dicunt* [Valdenses] inquit, *quod Romana Ecclesia non sit Ecclesia Jesu Christi; sed sit Ecclesia Malignantium, & quod defecerit sub Silvestro, quando Venenum temporalium infusum est in Ecclesiam*. Hoc idem placuit Gerardo, de quibus similia reperi in *MSS. Cod. Vatic.* quæ sane fallor edita ne hactenus fuerint nec ne: Verum, ut veteres plerique, sic recentiore memoria hæretici, quum Romanam Ecclesiam vehementer aversentur, Summum Pontificem Antichristum esse per summum scelus contendunt. Videndi Sanderus *lib.* VIII. *De Visibili Ecclesiæ Monarchia, Bellarminus lib.* III. *De Romano Pontifice Cap.* I. Jodocus Coccius *To.* I. *Thesauri Catholici lib.* VII. *Art.* VI. *& Art.* XVII. ac ceteri, si quidem placet, quos refert *lib.* I. *De Antichristo Cap.* XX. *Malvenda*. Recoxit hanc eamdem crambem Seculo superiore Jurius Minister Calvinianorum, quem fuse, faceteque exagitavit Ricardus Simonius ὁ *κελτικώτατος Dans l'Examen Des Prejugez de M. Jurieu* II. *Partie Chap.* III. Quid? quod novo scelere Jacobus Perizonius hoc ipsum opinionis portentum, suorum Lutheranorum studia æmulatus, tutari non dubitavit, *in Calce sui Operis Originum Babylonicarum*? Missos facio ceteros, nam qui omnes persequi diligenter institueret; næ ille otio, & literis abuteretur.

mo peccati, *filius perditionis*. Iſtud autem mendacium eſſe evidenter apparet per litteram B. Pauli. Quæ enim ibi dicuntur de Antichriſto non poſſunt convenire Silveſtro ſecundum ordinem verborum Apoſtoli; diſceſſio enim illa, de qua Apoſtolus loquitur, nondum facta fuerat tempore Silveſtri. Debebat autem fieri ante adventum Antichriſti, ſicut patet per verba Apoſtoli: *niſi venerit diſceſſio primum*. (93)

Si autem dicas, quod illa diſceſſio tunc facta eſt, ſcilicet diſceſſio ejus a fide Chriſti, hoc non potes oſtendere aliquo teſtimonio.

Præterea, hoc non patitur litera Apoſtoli, qui ait v. 6. *Et nunc quid detineat ſcitis, ut reveletur in ſuo tempore* 7. *Nam myſterium jam operatur iniquitatis: tantum, ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat*. 8 *Et tunc revelabitur ille iniquus*, *quem &c.* Ecce, quod illi ſciebant quid detineret Antichriſtum, ne veniret adhuc, & quod ſuo tempore congruo ſibi, & malitiæ ſuæ veniret. Numquid ſciebant quid detineret Silveſtrum, & quando revelandus eſſet? Certe non. Ergo cum illi ſcirent quid detineret Antichriſtum, Silveſter non fuit Antichriſtus.

Præterea, nonne dicit: *Nam myſterium jam operatur iniquitatis*: *tantum ut qui tenet &c.*? Prius ergo fieri debebat diſceſſus de medio, & tunc revelaretur ille iniquus. Ergo diſceſſio, de qua loquitur Apoſtolus, non intelligitur de diſceſſione Silveſtri a fide Chriſti.

Præterea, quomodo ſtabit, quod dicit Apoſtolus ibi v. 4. *Ut in Templo Dei ſedeat oſtendens ſe tamquam ſit Deus*? Quid fuit iſtud Templum? Quidquid dicas, facile eſt tibi concludere, vel oſtendere, quod ille non fuit Antichriſtus (94). Sunt autem quidam dicere auſi, quod Antichriſtus non ſit unus homo, ſed cœtus Eccleſiæ Romanæ; ſuper quo poteſt eodem modo objici, & oſtendi, quod mendacium ſit.

CAP. V.

§. I.

Quod Spiritus Sanctus eſt Deus.

Viſo de Chriſto, & ejus contrario ſcilicet Antichriſto, videamus de Spiritu Sancto, de quo multipliciter male ſentiunt Hæretici. Quidam enim credunt (1) eum puram Creaturam eſſe, ſicut & Chriſtum; illi ſcilicet, qui duos aſſerunt Creatores, contra quos aperte loquitur Chriſtus Jo: 4. v. 24. ubi dicit: *Spiritus eſt Deus*: *& eos*, *qui adorant eum*, *in ſpiritu*, *& veritate oportet adorare*: quaſi dicat: in intimo cordis templo, & in vera cogitatione. Ecce habeo, quod Chriſtus dicit, quod *Spiritus eſt Deus*; & tu dicis, quod non eſt Deus. Nonne tu es Antichriſtus? Utique.

[*] Item quod Spiritus Sanctus ſit Deus evidens fit duabus authoritatibus. Act. 5. v. 3. ubi dicit Petrus Ananiæ: *Cur tentavit Satanas cor tuum*, *mentiri te Spiritui Sancto*. Et poſt pauca ſubjungit v. 4. *Non es mentitus hominibus*, *ſed Deo*. Non eſt dubium, quod Ananias votum Deo fecerit, quo abrenuntiaverat propriis; unus enim fuit de iis, qui vendentes res proprias, ponebant pretia ad pedes Apoſtolorum. Propter hoc dixit ei Petrus: *Cur tentavit &c.* Quid ſibi vult hoc? Numquid non peccat in Creatorem? Num Petrus ita peccatum ejus attenuat, ut creaturæ eum reum ſtatuat dicens: *Non es mentitus hominibus*, *ſed Deo*? *Cur tentavit Satanas cor tuum*, *mentiri te Spiritui Sancto*, ideſt, mendacio tuo fallere Spiritum Sanctum, ideſt, creaturam, quia Spiritus Sanctus eſt ſecundum te creatura? Numquid de contumelia majoris eum debitorem minori conſtituit? Abſit hoc; unde ſubdit: *non es mentitus hominibus*, *ſed Deo*. Tranſgreſſione ergo voti dicitur a Petro, quod mentitus ſit Spiritui Sancto, & Deo, ut Spiritus Sancti, & Dei unicam eſſe offenſam, & unicam gloriam eſſe cognoſcas: de quo Luc. 12. v. 10. *Ei autem*, *qui in Spiritum Sanctum blaſphemaverit*, *non remittetur*.

Secundo, quod Spiritus Sanctus ſit Deus, & ſit unus, habetur ſecundum Apoſtolum 1. Corinth. 8. v. 5. *Nam etſi ſunt qui dicantur Dii &c.* 6. *Nobis tamen unus Deus*: quæ authoritas expoſita eſt in prima parte hujus Operis. Ratione quadam probat Dionyſius, quod Spiritus Sanctus eſt Deus, cujus probatio hæc eſt, quia non habet circumſcriptam ſubſtantiam, cum in pluribus ſit. Act. 2. v. 2. *Repleti ſunt omnes Spiritu Sancto*. Ipſi etiam diſperſi habebant Spiritum Sanctum. Act. 1. v. 8. *Accipietis virtutem &c.* uſque *ad ultimum terræ*. Ad hoc facit illud Sap. 1. v. 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum &c.* Jerem. 23. v. 23. *Putas ne Deus e vicino ego ſum*, *dicit Dominus*? *Et non Deus de longe*? 24. *Si occultabitur vir in abſconditis*:

(93) Quemadmodum hoc Apoſtoli ῥητὸν explicari debeat, habet Lector ex *Lib.* v. Malvendæ *de Antichriſto Cap.* XXXII. *p.* 449. & ex *Cap.* IV. *de l'Examen des Prejugez de M. Jurieu pag.* 87. *ſeqq. Edit. an.* 1690. quo loco Ricardus Simonius Jurium abutentem teſtimonio ipſo Pauli, ut evinceret Romanum Pontificem Antichriſtum eſſe, refellit.

(94) Antichriſtum futurum unam certam, ac ſingularem perſonam; delirumque eſſe commentum exiſtimare Antichriſtum ipſum Regnum aliquod, cœtum, aut ſocietatem, vel ſucceſſionem multorum, vel ipſam Romanam Eccleſiam, fuſe eruditeque oſtendunt Malvenda. *lib.* I. *De Antichriſto Cap.* VIII. Sanderus *lib.* VIII. *De Viſibili Monarchia Eccleſiæ Cap.* III. Bellarminus *lib.* III. *de Romano Pontifice Cap.* II. Ricardus Simonius *loco notatione ſuperiore indicato*, aliique ſane multi, quos Malvenda recenſet.

(1) Nempe qui Balaſinanſam auctorem ſequebantur, ut refert Reinerius Sachonus *Apud Martenium Tom.* V. *Theſauri Anecdotorum col.* 1768. *&* 1773. Huic porro generi hæreticorum præivere Barbeolitæ apud Irenæum *lib.* I. *Cap.* XXIX. *n.* 4. Sethiani apud eumdem *ibid. Cap.* XXX. *n.* 1. Ariani. *Vide Petavium Tom.* II. *Theologicor. Dog. lib.* I. *Cap.* XIV. *n.* XIII. *ſeqq.* Eunomiani, & Macedoniani, de quibus diſſerit Petavius *lib.* 1. *de Trinit. C.* XIV. *Tom.* II. *Theol. Dog. per tot.* Bogomilii contra, etſi Filium Spiritumque Sanctum, veluti proprietates quaſdam Patris eſſe cenſerent; eos tamen *non extitiſſe* putarunt *uſque ad annum ab orbe condito* 5500. *principiumque extrinſecus accepiſſe ut eſſent*, *& nominarentur*: ex parte autem ἀμέσως ortum Filium, Spiritum autem Sanctum medio Filio contendebant. *Euthymius in Panopl. Tit.* XXIII. §. IV. *&* V. *pag.* 221. *Tom.* XIX. *Biblioth. PP. Edit. Lugdun.* Sociniani Filium, & Spiritum Sanctum Deum eſſe negant; quod quemadmodum intelligant fuſe oſtendunt Johannes Henricus Biſterfeldius *Tract. de Uno Deo Patre*, *Filio*, *& Spiritu Sancto contra Johannem Crellium*. Johannes Cloppemburgius *in Compendio Socinianiſmi Confutato Cap.* I. §. 2. *&* 3. *Tom.* II. *Opp. Theolog. Edit. Aruſteled. an.* 1684. Anonymus *Hiſt. Socinian. Auctor Paris. an.* 1723.

[*] Deeſt in *Bonon.* & in *Vatic.*

ditis : *& ego non videbo eum , dicit Dominus* ? Et hoc probat. *Numquid non cælum , & terram ego impleo , dicit Dominus* ? Iste est Spiritus , de quo dicitur 1. Corinth. 2. v. 10. *Spiritus omnia scrutatur , etiam profunda Dei*. Sap. 1. v. 6. *Benignus est enim Spiritus &c.* usque *auditor* . Ex his patet , Spiritum Sanctum esse Deum , & Dominum per immensitatem essentiæ , & scientiæ [*] .

Item 2. Corinth. 3. v. 17. *Dominus autem Spiritus est* . Ecce hic habetur expresse, quod Apostolus , in quo Christus loquebatur , dicit, quod Spiritus est Dominus ; & Christus Jo: 4. v. 24. dixit , quod *Spiritus est Deus* . Nonne etiam dicit Apostolus Ephes. 4. v. 5. *Unus Dominus , una Fides , unum Baptisma* . 6. *Unus Deus , & Pater omnium , qui est super omnes , & per omnia , & in omnibus nobis* ? 1. Corinth. 3. v. 16. *Nescitis , quia Templum Dei estis , & Spiritus Dei habitat in vobis* ? Et in eadem Epistola c. 6. v. 19. *An nescitis, quoniam membra vestra Templum sunt Spiritus Sancti , qui in vobis est* ? Sic ergo Spiritus Sanctus est Deus , & tamen dicitur Spiritus Dei , & ex Deo esse ; quoniam procedit a Patre , & Filio , & est Spiritus Patris , & Filii , sicut testimoniis Scripturarum ostendimus .

[*] Ad idem facit illud 2. Cor. 6. v. 16. *Vos estis Templum Dei vivi , sicut dicit Deus : quoniam inhabitabo in illis &c.* usque *Dominus Omnipotens* . Sed idem est Spiritus Sanctus, qui habitat in Sanctis ut in Templo suo , sicut ex prædicto verbo Apostoli patet 1. Cor. 3. & 6. Et Jo: 14. v. 16. *Rogabo Patrem , & alium Paraclitum dabit vobis , ut maneat vobiscum in æternum* , & Rom. v. 11. *Vivificabit & mortalia corpora vestra* . Ergo Spiritus Sanctus est Dominus Omnipotens : de quo Luc. 17. v. 21. *Regnum Dei intra vos est* , idest , vos estis ejus Regnum , cujus estis Templum .

Ad idem facit illud Jo: 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua , & Spiritu Sancto &c.* ex aqua materialiter ; ex Spiritu Sancto efficienter . Unde Baptismus dicitur lavacrum regenerationis Spiritus Sancti ad Tit. 3. v. 5. & Jo: 1. v. 12. dicitur : *Dedit eis potestatem Filios Dei fieri &c.* usque , *ex Deo nati sunt* . 3. autem cap. dicit : *Spiritu Sancto* . Nemo ergo dubitet Spirtum Sanctum esse Deum , ex quo renascimur , & Filii Dei sumus in aqua baptizati [*] .

[*] Item 1. Cor. 12. v. 28. *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia , primum Apostolos , secundo Prophetas , tertio Doctores &c.* Superius dixerat v. 13. *Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus* . Quid sit istud corpus dicit Apostolus Colosens. 1. v. 24. *Adimpleo ea , quæ desunt passionum Christi , in carne mea , pro corpore ejus , quod est Ecclesia* . Item Act. 20. v. 28. *Attendite vobis , & universo gregi , in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei , quam acquisivit sanguine suo* . Ad Cor. dicit : *posuit Deus* ; hic vero dicit , quod *Spiritus Sanctus* . Ergo Spiritus Sanctus est Deus . Item 1. Cor. 12. v. 4. *Divisiones vero gratiarum sunt , idem autem Spiritus* . 5. *Et divisiones ministrationum sunt , idem autem Dominus* . 6. *Et divisiones operationum sunt , idem vero Deus* [*] . De quo dixerat *idem Spiritus* , addit: *idem Deus , qui operatur omnia in omnibus* . Operari omnia in omnibus non posset, nisi unus ex omnibus esset . Quod autem illis tribus nominibus *Spiritus , Dominus , Deus* Apostolus Spiritum Sanctum designet , & quod ipse & Dominus , & Deus ibi dicatur, ostendit idem Apostolus cum addidit v. 8. *Alii quidem per Spiritum &c.* usque *prout vult* . Quasi diceret : nulli subjectus , sed summus est Dominus , qui talia , & tanta dona propria voluntate largitur . Ex magnificentia operis Spiritus Sancti potentia declaratur auctoris [*] . Gratias dicit dona , & virtutes , scilicet Fidem , Spem , Charitatem , & alias virtutes dono datas a Spiritu Sancto : quod patet, ubi infra ait v. 8. *Alii quidem per Spiritum datur sermo Sapientiæ* : alii *autem sermo Scientiæ secundum eundem Spiritum* . 9. *Alteri Fides in eodem Spiritu* . Præmisit autem duo dona data a Spiritu Sancto , scilicet Sapientiam , & Scientiam ; & postea posuit Fidem datam ab eodem Spiritu . Unde Ephes. 2. v. 8. legitur : *Gratia enim estis salvati per Fidem , & hoc non ex vobis ; Dei enim donum est* . Ergo Spiritus Sanctus , cujus est donum , est Deus .

Idem potest haberi ex eo , quod legitur Philipp. 1. ubi locutus erat de potentia tribulationum , & dicit postea v. 28. *Et hoc a Deo* . 29. *Quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis , sed ut etiam pro illo patiamini* . Prius dixerat a Deo esse hoc , scilicet patientiam habere in tribulationibus pro Christo ; postea addit, quod est Fides . Ad Corinth. autem dixit: *Alteri fides in eodem Spiritu* , idest , per eum , vel ab eo . Ergo Spiritus Sanctus est Deus . Item vide , quod dicit ibidem . *Alii gratia sanitatum in uno Spiritu* , idest , ab eo est , quod quis sanet infirmos miraculose . v. 10. *Alii operatio virtutum* , idest , miraculorum contra naturam : *alii Prophetia , alii discretio spirituum , alii genera linguarum &c.* Eodem capite dicit, Deum ista facere, ut sic significet Spiritum Sanctum esse Deum verum v. 28. *Et quosdam posuit Deus in Ecclesia &c.* ut prius . Nonne etiam vides , quod Apostolus Romanis præcepit , Rom. 12. v. 3. , sapere *sicut Deus divisit mensuram Fidei* ? Nonne habuisti 1. Corint. 12. v. 4. *Divisiones vero gratiarum sunt ; idem autem Spiritus* . Quasi dicat : Dator quidem indivisibilis est secundum esse suum , licet divisibilis sit secundum effectum : unde Sap. 7. v. 22. est unus , & multiplex esse dicitur . Dicit ergo : divisiones gratiarum sunt a Spiritu ; ad Rom. autem dicit , quod Deus dividit , idest , divisiones facit gratiarum . Quare ergo dubitas Spiritum Sanctum esse Deum ; immo negas ipsum esse Deum ?

Præterea de dono Prophetiæ dicit : Alii datur per spiritum Prophetia ; B. autem Petrus Epist. 2. 1. 1. v. 21. dicit : *Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines* . In Prophetis autem dicit : *Hæc dicit Dominus Deus* . Ergo Spiritus Sanctus Deus est substantialiter .

Præterea de dono linguarum dicit Apostolus 1. Corinth. 14. v. 21. *In lege scriptum est : quoniam in aliis*

L l

[*] Deest in *Bononien.* & in *Vatic.*

[*] Deest in *Bononien.* & in *Vatic.*

in aliis linguis, & labiis aliis loquar populo huic: Et nec sic exaudient me, dicit Dominus. Ecce, quod Dominus dicitur loqui linguis aliis, quia facit loqui. Iste Dominus Spiritus Sanctus est. Ergo iste est Deus. Unde post illa verba Apostoli, Isa. 28. v. 16. dicitur: *Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum*, idest, Christum, ut patet 1. Pet.2. v. 6. *Quis autem miserit*, dicit Isaias c. 61. v. 1. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me.* Ergo Spiritus Sanctus est Dominus Deus.

Sequitur v. 5. *divisiones ministrationum sunt; idem autem Diminus.* Ministrationes sunt idem ac communicationes gratiarum acceptarum: unde 1. Pet. 4. v. 10. *Vnusquisque sicut accepit gratiam* supple, a Spiritu Sancto, ut patet in prædicta authoritate 1. Cor. 12. *Divisiones &c.* sequitur autem: *in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Cujus autem Dei, nisi Spiritus Sancti, qui dividit gratias multiformes, & a quo accipiuntur? Ergo Spiritus Sanctus est Deus. Divisiones operationum sunt; idem verò Deus. Operationes sunt usus gratiarum ad propriam utilitatem, sicut ministrationes sunt earum usus ad utilitatem proximorum.

Prætera infra dicit v. 11. *Hæc autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* Jo: 3. v. 8. dicitur: *Spiritus ubi vult, spirat*: & ad Hæbr. 2. *v. 4. variis virtutibus, & Spiritus Sancti distributionibus secundum suam voluntatem.* Quis autem posset hoc dicere, aut facere, nisi esset Deus?

Præterea ex verbis Apostoli patet, Spiritum Sanctum esse suæ voluntatis auctorem liberum; in creatura enim servitus est, in Spiritu Sancto autem libertas, quia operatur hæc omnia, dividens singulis prout vult. Quare Spiritus Sanctus creatura non est. Est ergo Creator. Cum ergo unicus Creator sit bonus, Spiritus Sanctus unius substantiæ est cum Patre.

Præterea David Psal.32. ait: *Verbo Domini* (2) *cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* De materialibus cælis loquitur, ut patet 2.Pet.3. v.5. ubi dicitur: *cæli erant prius, & terra, de aqua, & per aquam consistens Dei verbo.* Hic autem dicitur: *& spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Spiritus ergo omnipotens est, & ita coæqualis Deo Patri, & Verbo ejus. Item Spiritus Sanctus est omnia sciens; dicitur enim 1.Corinth.2. v. 10. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.*

[*] Ex quo patet, quod ipse potest illuminare Prophetas, & Apostolos, & in eis loqui, ut patet ex testimonio Beati Petri Epist.2.c.1.v.21. (3) *Non enim voluntate humana &c.* Quod autem per Moysen, & per alios, patet Act.3. v.18. ubi dicitur: *Deus autem, quæ prænuntiavit per os omnium prophetarum, pati Christum suum sic implevit.* 19. *Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata vestra*: 20. *ut cum venerint tempora refrigerii a conspectu Domini, & miserit eum, qui prædicatus est vobis, Jesum Christum*, 21. *utque in tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus per os Sanctorum suorum a seculo prophetarum.* 22. *Moyses quidem dixit: quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus &c.* usque *dies istos.*

Quod autem iste sit Spiritus Sanctus patet 1.Pet.1. v.10. ubi dicitur: *De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt.* 11. *Scrutantes in quod, vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi: prænuntians eas, quæ in Christo sunt, passiones, & posteriores glorias.* Ista fecit Moyses; prophetavit enim de futura gratia, cum ait: *Prophetam suscitabit vobis Dominus &c.* Prænuntiavit & eas, quæ in Christo sunt passiones: unde Lucæ 24. v.25. ait Christus: *O stulti, & tardi corde &c.* usque *quæ de ipso erant.*

Quod autem locutus sit per eos, patet testimonio Pauli Act.28. v.25. ubi ait: *Bene Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam prophetam ad patres nostros &c.* Et Act. 1. v. 16. dixit Petrus: *Oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os David de Juda &c.* Et Hebræ.3.v.7. legitur: *Sicut dicit Spiritus Sanctus: hodie si vocem meam audieritis &c.*

Quod autem ille, qui in prophetis loquebatur, Deus, & Dominus sit, patet Lucæ 1. v. 67. ubi dicitur, quod Zacharias pater Johannis repletus Spiritu Sancto prophetavit, & dixit: v.68. *Benedictus Dominus Deus Israel &c.* usque *prophetarum ejus.* Ecce, quod Lucas & Dominum, & Deum illum affirmat, qui locutus est per prophetas. Spiritus ergo Sanctus Deus est.

Quod vero quandoque Angelus dicatur loqui in propheta, ut patet in multis locis, verbi gratia Zachar.1. v.3. ostenditur hoc non obesse. Cum enim Christus homo secundum humanitatem excelsior sit omni Angelo, teste Apostolo Hebræ.1. v.4. *Tanto melior Angelis effectus, quanto &c.* ubi etiam dicitur v.6. *Et adorent eum omnes Angeli Dei*; & cum Spiritus Sanctus major sit Christo homine, dubitari non debet, quod Spiritus Sanctus major est omni Angelo, & non est Angelus aliquis. Hoc idem patet ex unitate nominis cum Patre, & Filio; cum dicatur: in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti; singularitas enim nominis, unitatem significat majestatis. [*]

Quod

(2) Sanctus Athanasius *Epistola* I. *ad Serapionem p. 679. Tom.* I. *Opp. P.* II. „ Ille igitur, *inquit*, qui res creata non est, sed „ cum Filio non secus conjunctus est, ac ipse Filius cum Patre: „ qui item cum Patre & Filio honoratur, & cum Verbo Deus agno- „ scitur, nec non ea ipsa agit quæ per Verbum Pater efficit; qui „ res creata dici possit, nisi ab eo plane, qui in Filium ipsum im- „ pius fuerit. Siquidem nihil prorsus est, quod non per Verbum „ fiat, & agatur in Spiritu, quemadmodum etiam in Psalmis ca- „ nitur: *Verbo Domini cæli firmati sunt; & Spiritu oris ejus* „ *omnis virtus eorum*... Namque Spiritus a Verbo nequit dividi. Vide *Epistolam* III. *ad Serapionem n. 5. pag. 694.* Quod autem mox addit Moneta ex Epistola ad Corinthios I. Cap. II. v. 10. adhibetur etiam ab Athanasio contra Pneumatomachos *Epistola* I. *ad Serapionem n. 6. pag. 654. & n. 22. pag. 670. & Epist.* III. *n.* 1. *pag.* *Tom.* I. *Opp.* ab Hilario quoque *libro* XII. *n. 55. col.* 1142.

(*) Quod duobus asteriscis comprehensum vides deest *e Cod. Bononiensi & Vatic.*

(3) Adeundus Dionysius Petavius *lib.* II. *De Trinitate Cap.* XVI. §. XII. *seqq.*

Quod autem consubstantialis sit Patri, & Filio, potest hoc modo ostendi. Si enim non differt a Deo Patre, & Filio ejus in substantia, consubstantialis est ei: si differat, cum unica sit substantia divina, & creatrix, substantia Spiritus Sancti, nec divina esset, nec creatrix. Esset ergo creatura. Sed omnis creatura incœpit esse. Ergo Spiritus Sanctus incœpit esse. Omne autem, quod tale est, non semper fuit. Ergo Spiritus Sanctus non semper fuit. Deus autem Pater justorum semper fuit, & ejus Filius similiter, ut prius ostensum est. Ergo aliquando fuit Pater sine Spiritu Sancto, & Christus similiter, sed qualis esse posset quicumque esset, si Spiritum Sanctum non haberet? Constat, quod non posset esse bonus (4). Ergo Pater, & Filius aliquando bonus non fuit.

Præterea, si differt a Deo Patre in substantia, creatura est mutabilis. Ergo est aut secundum substantiam, aut secundum accidens. Si secundum substantiam: ergo generabilis, & corruptibilis est, & ita posset desinere esse; & ita Deus Pater posset esse sine Spiritu Sancto, & bono: similiter Filius ejus; Christus igitur posset non esse bonus: quod falsum est.

Si autem dicas, quod est mutabilis secundum accidens; sed non secundum accidens corporeum, sicut est albedo, & nigredo, sanitas, aut infirmitas, quia Spiritus Sanctus non participat hujuscemodi accidentia: ergo est mutabilis secundum accidens spirituale. Ergo vel de bonitate in malitiam, vel de scientia in ignorantiam? Detur hoc fieri. Modo quæro: Numquid Deus est bonus, aut sciens, si Spiritus ejus malus est, vel ignorans? Non. Sic nec Tu bonus, & sciens esse potes, spiritu tuo existente malo, vel ignorante. Ergo Spiritus Sanctus nullo modo mutabilis est. Ergo creata substantia non est. Est ergo creatrix substantia, & ita unius substantiæ cum Deo Patre.

Præterea, Spiritus Sanctus procedit a Deo Patre, & Filio ejus: Aut de ejus substantia, ant non? Si non de ejus substantia: ergo de alio, vel de nihilo. Utrolibet horum dato, habetur, quod creatura sit, & ita mutabilis, & esse incipiens: quod improbatum est. Si autem procedit de substantia Patris, & Filii, & non de parte substantiæ ejus, cum substantia divina impartibilis sit: ergo de tota substantia ejus est: ergo ejusdem substantiæ omnino est cum Patre, & Filio.

Præterea, nonne vos Cathari adoratis Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum? Scio, quod dicitis, vos hoc facere: nam & hoc in consuetudine vestra est dicere: adoremus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum (5). Quomodo adoratis Spiritum Sanctum, si ipse non est Deus substantialiter? Angelus enim se adorari prohibuit, & quare? Quia servus Dei, non Deus, non Dominus. Ergo Spiritus Sanctus Deus, & Dominus est, non servus: Ergo non est creatura, creatura enim Creatori deservit, ut habetur Sap. 16. v. 24. Ergo Creator est: Sed unus est Creator substantialiter. Ergo, cum Pater sit Creator, Spiritus Sanctus unius substantiæ est cum Patre, licet distinguatur personaliter.

[*] Quod Spiritus Sanctus Deus sit, evidenter apparet ex eo, quod habetur Isai. 6. v. 1. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum: & ea, quæ sub ipso erant, replebant templum.* Et post pauca dicit v. 3. *Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.* Et post pauca legitur v. 8. *Audivi vocem Domini dicentis*.... 9. *Vade, & dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere.* Hic Dominus exercituum, qui per assumptam speciem visus est a Propheta, vel locutus est in Propheta, quis fuerit, Paulus Act. 28. v. 25. ostendit dicens: (6) *Bene Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam Prophetam ad patres nostros, 26. dicens: Vade ad populum istum, & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non perspicietis.* Ergo Spiritus Sanctus est ille Dominus, quem vidit Isaias, & qui locutus est per Isaiam.

Videamus autem, quid trina hac repetitione figuratur: *Sanctus, Sanctus, Sanctus* (7); nec dubium, quin hic honor, & laus ad totam pertinet Trinitatem. Isaias enim cum dicit: *Vidi Dominum*, Patrem creditur prædicasse Judæis. Sed Johannes

Evan-

(4) Posteaquam Moneta disertissimis Sacrarum Scripturarum Testimoniis *Athanasii in Epistolis ad Serapionem*, Gregorii Nazianzeni *Orat.* XXXVII. Didymi *lib. de Spiritu Sancto* Epiphanii Hæresi LXXIV. Cyrilli Alexandrini *Dialogo* VII. *de Trinitate* aliorumque Patrum studia æmulatus; rationum momenta quædam afferre instituit; non quo vim maximam iis inesse; sed quo pulsari iisdem hæreticos Catharos posse arbitraretur. Ac præclare quidem noster in Proœmio totius operis *pag.* 2. *Unum autem*, inquit, *peto a Lectoribus istius operis, ut si qua argumenta, vel responsiones contra hæreticos sibi visa fuerint debilia; non me mordeant; sed potius inexperientiæ suæ contra hæreticos, quod sibi talia videntur, adscribant.*

(5) Adorare quidem se ajebant Cathari Albanenses *Patrem Filium, & Spiritum Sanctum*, quamvis de Patre Filio, & Spiritu Sancto non recte sentirent. Velut etiam Pauliciani Anathema illi dicebant, qui non crederet in Trinitatem; etsi prava esset illorum de Trinitate ipsa sententia. Photius *lib.* I. *Contra* Manichæos *n.* VI. *pag.* 18. *seqq. Dicunt*, inquit Pauliciani, *Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum: verba quidem pia, sed extremam ipsis impietatem subjiciunt. Non enim ut Catholica, & Apostolica Dei Ecclesia sentiunt; dum sic loquuntur; sed dicta inde excerpta impiissimis sententiis adjuncta celebrant, & libentissime dicunt:* Anathema sint quotquot non credunt in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Hactenus Photius. Jam vero adorationem Deo uni semper, creaturæ autem adhiberi numquam licere, testata res est.

(*) Quod duobus asteriscis complexi sumus, deest e *Codd. Bon. & Vatic.*

(6) Cyrillus Alexandrinus *in Excerpt. de Spiritu Sancto post* VII. *Dialogum de Trinitate pag.* 669. *Tom.* V. *Opp.* „ Beatus Propheta „ Isaias, *inquit*, *Vidi* ait *Dominum Sabaoth sedentem super thronum excelsum, & elevatum &c.* ... At hanc vocem a Spiritu „ Sancto factam esse B. Paulus ait: Sic autem scriptum est in Actis „ de ipso, & Judæis: *quumque invicem non essent consentientes, „ discedebant, dicente Paulo unum verbum, quia bene Spiritus „ Sanctus loquutus est per Isaiam Prophetam ad Patres nostros, „ dicens: Vade ad populum hunc, & dic ad eos: Aure audietis, & „ non intelligetis, & videntes videbitis, & non perspicietis.* „ At quomodo loquente Domino exercituum Spiritus est, qui lo- „ quitur, si creatus est? Atqui rerum istuc non est, sed ut Spiri- „ tus Domini Sabaoth, & proprius ejus secundum naturam, quæ „ eis loquitur. Eodem recidunt, quæ ex Actorum Apostolicorum testimonio mox indicato, concludunt Patres Gregorius Nissenus, Basilius, Adacius, Cerealis, Victor Uticensis, & Proclus Oratione XVI. quos recenset Dionysius Petavius *lib.* II. *De Trinitate Cap.* XIII. *n.* 2. *Tom.* II. *Theolog. Dogm.*

(7) Usi sunt etiam hoc testimonio Isaiæ Veteres Patres, ut Spiritus Sancti divinitatem adstruerent, non solo tamen, sed conjuncto cum eo Pauli, quod notatione superiore Cyrillus adhibet. Vide illos, quos ibidem recensui, Patres.

Evangelista Filium ibi declarat intelligi, dicens c.12. v.39. *Non poterant credere*, supple Jesum. Quare &c. Quod autem illud supplendum sit, patet, parum antea cum dicitur v.37. *Cum tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum*. Quod ibidem dixit Isaias: *Vidi Dominum*, Apostolus, ut diximus, Spiritum Sanctum fuisse confirmat.

Præterea, quod Spiritus Sanctus sit Deus, potest haberi ex eo, quod dicitur Act.10. v. 45. *Obstupuerunt ex circumcisione fideles* (8), *qui venerant cum Petro: quia & in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est*. Vides, quod Spiritus Sanctus non de alieno, sed de suo gratiam dedit: ut docuit Petrus dicens Act.11. v.17. *Ergo eandem gratiam dedit illis Deus*. Vides ergo, quod Spiritum Sanctum quandoque proprio nomine nominat; dicens enim Spiritum Sanctum, & communi nomine tres Personas Deum ipsum appellans. Soli enim Deo convenit de suo carismatum dona largiri, ut de eo Apostolus dicat 1.Corinth.15. v.10. *Abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum*. Unde Petrus Act.11. v. 17. *Ego quis eram, qui possem prohibere Deum*, ne daret Spiritum Sanctum, idest, seipsum credentibus in nomine Jesu Christi? v. 18. *His auditis, tacuerunt, & glorificaverunt Deum, dicentes: Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam*; Dei nomine Spiritum Sanctum significantes, de quo prius dictum est: *Obstupuerunt &c.* Ephes. 4. v. 4. unus esse perhibetur. Et 1. Corinth. 12. v. 13. *In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi: & omnes in uno Spiritu potati sumus*. Si de multitudine creaturarum esset, ad quid diceretur esse unus Spiritus? immo & multi Spiritus Sancti.

Forte dicit, sicut Macedonius ait, propter excellentiam suam similiter alios omnes. A quo quærendum est: (9) utrum hoc testimonio Scripturæ possit ostendere? Quod cum facere non valeat, obmutescat.

Præterea constat, quod Satan voluit esse similis, idest, æqualis Altissimo. Nullum ergo superiorem se habuit in cælestibus Angelis, alioquin magis, & plus se illi conferre, vel proferre tentasset. Patet ergo, quod quia nullum ante se stare in ordine militiæ cælestis aspexit, ipsi universorum Domino æquare se præsumpsisset. [*]

§. II.

Probatio, quod Spiritus Sanctus est essentialis Patri, & Filio.

Quod Spiritus Sanctus Deus sit substantialiter, scilicet unius substantiæ cum Patre, & Filio, satis potest patere ex eo, quod coæqualis est eis: quod non concedunt Cathari, qui unum asserunt (10) principium. Immo ponunt Patrem majorem Filio in deitate, & Filium majorem Spiritu Sancto: quod potest improbari per illud, quod dictum est in cap. de deitate Filii Dei, ubi probatum est, Filium esse æqualem Patri: quidquid enim habet Deus, a se habet, non aliunde. Sed quod est, habet ab essentia. Ergo essentia Dei est ipse Deus. Similiter, quod sapit, habet a Sapientia. Ergo Sapientia Dei est ipse Deus. Item quod potest, habet a potentia. Ergo potentia Dei est ipse Deus, & sic de bonitate, & justitia, & misericordia, & in omnibus, quæ de Deo dicuntur. Unde dicitur: quidquid dicitur de Deo, Deus est. Cum ergo potentia Dei sit ipse Deus, sicut & essentia Dei Deus est. Ergo potentia in Deo idem est quod essentia. Ergo si Spiritus Sanctus est ejusdem essentiæ cum Patre, & Filio, ut ostensum est, erit etiam unius potentiæ. Ergo Spiritus Sanctus coomnipotens est Deo Patri, & Filio ejus. Ergo est æqualis ei, non minor eo.

Præterea, quomodo potest esse, quod cadat ibi majoritas, vel minoritas? Si enim Deus Pater Deus est essentialiter, & Filius, & Spiritus Sanctus similiter, necessario erunt tres Dii: (11) magnus, major, maximus.

Præterea, quidquid in Deo est, Deus est, sicut potest probari per hoc, quod non aliunde, quam ab ipso est Deus potens, sapiens, bonus, justus &c. Idem ergo est deitas, quod magnitudo, sapientia &c. Sed deitas in se non recipit magis, & minus, quia nulla substantia hoc recipit. Ergo nec ejus magnitudo, cum non sit ibi aliud magnitudo, quam deitas. Ergo una persona non est major alia.

§. III.

(8) Adeundus Dionysius Petavius *lib.* II. *De Trinitate Cap.* XVI. *n.* 3. *Tom.* II. *Theolog. Dogm.* quo loco hoc aliisque testimoniis, quæ subjicit noster, Macedonianos Socinianosque exagitat.

(9) Quis fuerit Macedonii error de Spiritu Sancto, ostensum a nobis est prima in hoc caput notatione. Sed nihil impedit, quo minus ῥητὸν illud Athanasii hoc loco adhibeam, quod est ad rem nostram maxime accommodatum: *Epist.* I. *ad Serapionem n.* XI. *pag.* 659. *Tom.* I. *Parte* II. *Opp.* „ Illi, *inquit*, *Pneumatomachi*, „ vere tropici, seu versatiles fœdere cum Arianis inito, ac inter „ se impietate adversus divinitatem divisa, ut videlicet illi Filium, „ ipsi Spiritum rem creatam esse pugnent, tropos, ut iidem lo- „ quuntur, effingere, atque illud etiam, quod recte ad Timo- „ theum scripsit Apostolus, male interpretrari ausi sunt. *Coram* „ *Deo, & Christo Jesu, & electis Angelis, ut hæc custodias sine* „ *præjudicio, nihil faciens ex inclinatione*. Ex quibus illi conclu- „ dunt, quod cum Deum, & Christum nominaverit, deindeque „ Angelos, necesse est Spiritum inter Angelos annumerari, cum- „ que ex illorum esse ordine, atque ANGELUM MAJOREM ALIIS ESSE. „ Primo hoc impii Valentini inventum est, neque latet ipsos ea- „ dem ac illum loqui. Ille siquidem dixit, quod misso Paraclito, „ una cum illo coævi ejus Angeli missi fuerint. Deinde dum Spi- „ ritum ad Angelorum naturam deducant, non advertunt se An- „ gelos, in Trinitate collocare. Nam si secundum illos, post „ Patrem, & Filium sequuntur Angeli: certe e Trinitate sunt „ Angeli, nec jam sunt: *Administratores Spiritus in ministerium* „ *missi*: nec ipsi Sancti efficiuntur, sed potius alios Sanctos effi- „ ciunt.

(10) Non illi tantum, qui unum admittebant principium, sed assertores quoque duorum principiorum Filium esse minorem Patre, Spiritumque Sanctum minorem Filio contendebant. Adi - sis Reinerium Sachonum *Tom.* I. *Thesauri Anecdotor. Martenii col.* 1768. Immo vero, ne omnes quidem Cathari Concorrezenses quorum propria erat de uno principio sententia, in hac opinione de inæqualibus personis, versabantur; etenim *Isti bene sentiunt*, inquit Sachonus, *col.* 1773. *De uno principio tantum; sed multi ex eis errant in Trinitate, & unitate*.

(11) Id vero concessisse videtur Philoponus Tritheita, cui Gobarus accessit: ut qui æqualem esse Filium Patri, sed tamen divisum a Patre affirmavit. Vide Dionysium Petavium *Lib.* IV. *De Trinitate Cap.* IX. *n.* 16. *Tom.* II. *Theologicorum Dogmatum*.

§. III.

Testimonia, quod tres Personæ sunt unus Deus.

Viso, & ostenso quod tres Personæ, scilicet Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt consubstantiales, & coæternæ, & coæquales, satis patet, quod tres Personæ sunt unus Deus essentialiter. Ut autem hoc magis eluceat, aliqua alia testimonia ad istud inducamus.

Et primo illud, quod dixit Dominus discipulis suis Matth. ultimo v. 19. *Euntes docete omnes gentes*, (12) *baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Non dixit: in nominibus, ut ostenderet, quod non est pluralitas substantiarum in tribus Personis, sed unitas. Et Isa. 6. v. 3. *Sanctus, Sanctus*, (13) *Sanctus, Dominus Deus exercituum*. Ter dixit: *Sanctus*, & subjunxit; *Dominus Deus exercituum*, ut Trinitatem Personarum innueret in unitate substantiæ divinæ. Et David Psal. 66. v. 8. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus*. Ter dixit: *Deus* propter Trinitatem personarum; & subjunxit: *Et metuant eum omnes fines terræ*. Non dixit eos, ut similiter eorum insinuet unitatem.

Præterea 1. Jo: 5. v. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo*: (14) *Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt*. Ergo vel unum in substantia, vel unum in accidente. Sed non sunt unum in accidente, quia Deo nihil accidens esse potest: ut enim prius ostensum est: quidquid in Deo est, Deus est. Ergo sunt unum in substantia.

Istam autem observationem ideo feci, quoniam ipsi Hæretici dicunt, quod hi tres dicuntur unum, quia sunt (15) unius voluntatis. Sed illa voluntas, aut substantia, aut accidens est? Trium Personarum accidens non potest esse, ut dictum est. Ergo est substantia ipsarum. Ergo si sunt unius voluntatis, sunt unius quoque substantiæ.

§. IV.

Probatio Hæretici, quod Spiritus Sanctus non est Deus.

Viso, quod Spiritus Sanctus Deus est, & æqualis Patri, & Filio, videamus quibus de caussis moti sunt ad dicendum, quod non sit Deus.

HÆR. Ad hoc autem inducuntur, & alios procurant inducere per ea, quæ sequuntur. Ad illud igitur inducunt, quod habetur Jo: 14. v. 15. *Si diligitis me, mandata mea servate*. 16. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum*, 17. *Spiritum veritatis*, (16) *quem Mundus non potest accipere*. Ex hoc patet, quod Spiritum Sanctum, qui est Spiritus veritatis, appellat alium Paraclitum, idest, alium Consolatorem. Si Spiritus Sanctus est alius Consolator, quam Filius: ergo vel est alius Deus, vel ad minus non est Deus.

SOLUTIO. Spiritus Sanctus Paraclitus, idest, Consolator est Discipulorum Christi: Christus etiam Consolator est eorum; Spiritus vero Sanctus alius est in persona a Christo, licet idem sit cum eo in substantia divina, & cum Patre similiter, ut prius ostendimus. Et per hoc non sequitur, quod Spiritus Sanctus sit alius Deus, quam Filius, vel quod Spiritus Sanctus non sit Deus; sed bene sequitur, quod sit alia Persona. Hoc sufficiat Hæreticis.

Quantum autem ad Catholicos dicendum est, quod *alium* in verbis Johannis sumitur substantive, & est sensus: *alium Paraclitum dabit vobis*; alium, scilicet a me in persona, non in substantia.

HÆR. Ad idem inducunt illud Jo: 16. v. 14. ubi Chri-

[12] Pelagius Papa I. *Epistola ad Childebertum regem*, quæ exstat *Tom. 1. Conciliorum Galliæ Collectionis Sirmondi pag. 311. In nomine*, inquit, *non nominibus, ut & unum Deum per indistinctum essentiæ nomen ostenderet, & personarum discretionem suis demonstratum proprietatibus edoceret: quia dum tribus unum trinitatis nomen est æqualitas, ostenditur personarum: & rursus æqualitas personarum nihil extraneum, nihil accedens in eis permittit intelligi*. Ejusmodi sunt, quæ ex Basilio Magno, Faustino, & Cyrillo *libro* XVI. *Thesaurorum* affert Petavius *libro* II. *De Trinitate Cap.* XII. *n.* 8. quam consulat velim Lector.

(13) Auctor disputationis contra Arium inter Opera Sancti Athanasii *Tom.* II. *pag.* 228. eodem utitur argumento. *n.* 44. *Cum vidisset Isaias Domini gloriam, & Sanctarum virtutum exercitus quid ait illas, inter divinas laudes dicere? Nonne* Sanctus, Sanctus, Sanctus? *Quare nec numerum istum in cantando transcendunt, nec quid, ex eo detrahunt? Profecto ea de causa, quod præter Trinitatem nefas sit quemquam hujusmodi honore affici, ut & quid ex illo hymno detrahi propter Sanctam, & beatam Trinitatis divinitatem, in unitate se ipsa contentam*. Quod autem sequitur ex *Psalmo* LXVI. *v.* 6. affertur ab Auctore Operis *De Communi essentia Patris & Filii & Spiritus Sancti* contra *Arianos pag.* 12. *Tom.* II. *Opp. S. Athanasii*. Nec vero injuria hoc genere testimoniorum contra Catharos utitur noster Moneta; cum illi a Psalmis, & Prophetis minime abhorrerent; id quod sæpe ac multum est a nobis animadversum.

(14) Sunt qui vereantur, ut hic versus Johanni Apostolo acceptus referri debeat. Negavit initio Erasmus, sed vi veritatis deinde coactus, Johanni ipsi restituit. Sed non ita Sociniani tamen, qui ab Apostolo ultro abjudicant, quod cernunt sibi esse maxime adversarium. Seculo Superiore Richardus Simonius ῥητὸν idem Johanni detraxit. Sed contra sentiunt gravissimi viri. Calmetus *Dissert. Epistolæ huic Johannis Præfixa per tot.* & Millius homo ceteroqui ex hæresi Anglicana, quam Episcopalium vocant; in notis ad Novum Testamentum Græcum, *pag.* 741. *seq.* qui quamvis in utramque partem disputat, se tamen in eam propendere indicat opinionem, ut Johanni tribuendum esse arbitretur. Consule quæ ex Patribus idem Millius congessit testimonia, qui hoc ipso versiculo usi sunt.

(15) Ita scilicet, ut Ariani, & Eunomiani olim, nunc autem Sociniani respondebant Cathari. Sed vide, quæ disputat Dionysius Patavius *lib.* II. *De Trinitate Cap.* VIII. *n.* X. *seqq.*

(16) Immo vero hoc ipso testimonio Christi, Macedonianos, aliosque generis ejusdem hæreticos vexat Magnus Athanasius in *libro De Trinitate & Spiritu Sancto n.* 7. *pag.* 971. *Tom.* I. *Parte* II. *Audiant ipsum*, inquit, *& de Spiritu dicentem*: Si diligitis me &c. *Advertant igitur & Apostolos quidem cognoscentes & Spiritum, & Filium, & Patrem: mundum vero miserabilem*, quia non cognoverunt Patrem neque me: *& iterum* Paraclitum Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt, noc cognoscit eum. *Significanter autem Dominus & alium Paraclitum esse dixit Spiritum Sanctum: quoniam ipse Paraclitus est, sicut Johannes in Epistola sua ait*: Hæc vobis scripsi, ut non peccetis, quod si peccaverimus, Paraclitum habemus ad Patrem Jesum Christum, & ipse propitiatio est pro peccatis nostris: *Ut docerentur Spiritus cum Filio æqualitatem. Quare vero non terret eos Dominus, qui fidei Sacramentum Apostolis tradens, dicit*: Euntes nunc docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti &c.? Quæ eodem atque responsum Monetæ recidunt.

Christus ait de Spiritu Sancto: *ille me* (17) *clarificabit: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis*. Et parum ante dixerat v. 13. *non enim loquitur a semetipso, sed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annuntiabit vobis*. Ex quibus concludunt, quod Spiritus Sanctus addiscit, & accipit quod prius non habuit, & ita non est Deus.

SOLUTIO. Dico: istud audire spirituale est, non corporale. Nam & Deus Pater audire dicitur, ut patet 1. Jo: 5. v. 14. *Hæc est fiducia, quam habemus ad eum: quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos*. Numquid corporali aure, aut auditu audit nos? Non. Similiter dico, quod Filius dicitur audire a Patre Jo: 15. v. 15. *Omnia quæcumque audivi a Patre meo &c.* Et Spiritus Sanctus dicitur audire a Patre, & Filio. Sed istud audire intellectuale est: unde audire idem est, quod intelligere, & audire a Patre est intelligere a Patre, & intelligere a Patre est esse a Patre. Similiter cum Filius dicitur accipere esse a Patre, intelligitur quod generetur a Patre: cum dicitur quod accipit scientiam a Patre, intelligitur quod generatur sciens a Patre. Similiter de Spiritu Sancto intelligendum est, quod accipiat esse a Patre, & Filio, idest, procedat ab eis secundum suum esse, & sicut supra diximus, quod generatio Filii non est nisi essentia Filii, prout in Filio est a Patre; ita etiam processio Spiritus Sancti non est, nisi ejus essentia, in quantum est in Spiritu Sancto a Patre, & Filio. Et sicut de Filio, & Spiritu Sancto supra probatum est, quod suum esse æternum est, idest, sine inceptione essendi; similiter ejus scire, quod idem est, ac esse, ut probatum est, æternum est. Et sicut calor ignis procedit ab igne, & processit semper postquam ignis fuit, & procedet donec ignis erit; ita & Spiritus Sanctus semper processit, & procedit a Patre, & Filio, & procedet. Item accepit, accipit, & accipiet a Patre, & Filio, & audivit, audit, & audiet; ita scivit, scit, & sciet. Non est ergo audire idem, quod addiscere; Sed scire a Patre, & Filio. Propter hoc dicitur: *non enim loquitur a semetipso*; quia non est, nec scit a se; solus enim Pater de alia persona non est. Unde & Filius de se dixit Jo: 7. v. 28. *A meipso non veni* (18); & post pauca dicit v. 29. *Ego scio eum, quia ab ipso sum, & ipse me misit*. Propterea Jo: 14. v. 10. dicebat: *Verba, quæ ego loquor vobis, a me ipso non loquor*. Ex his patet, quod istud argumentum non valet: Accipit. Ergo incipit habere. E contrario sequeretur; duplex enim est accipere, scilicet æternum, & temporale, ut prius ostensum est. Substantia autem argumenti hæc esse non potest: Deus dat, vel dedit, aut dabit aliquid Filio, vel Spiritui Sancto. Ergo Deus desinit illud habere, vel desiit, vel desinet.

HÆR. Ad idem inducunt illud Apocaly. 1. v. 4. *gratia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est*. Et Apocaly. item 1. v. 4. *Spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt*. Istud de Spiritibus Angelicis non intelligitur, quia ab illis non est gratia, sed a Deo. Intelligitur ergo de Spiritu Sancto, & sic habetur, quod non est unicus Spiritus Sanctus (19), sed septem. Ergo si unus illorum est Deus, & alii erunt.

Ad hoc respondetur, quod per septem Spiritus unicus Spiritus Sanctus essentialiter designatur, quoniam multiplex est secundum septem (20) effectus; unde & Isa. 11. v. 2. dicitur: *requiescet super eum*, idest, Christum hominem, *Spiritus sapientiæ, & intellectus &c.* usque *timoris Domini*. Idem autem est Spiritus Sapientiæ, qui & scientiæ, ut patet 1. Corinth. 12. v. 8. ubi dicitur: *Alii quidem datur sermo sapientiæ: alii autem &c.* Idem etiam est Spiritus Sapientiæ, & intellectus, & scientiæ. Sicut ergo non est alius Spiritus Sapientiæ, & alius Spiritus intellectus, vel scientiæ, sed idem, ut patet Eccl. 15. v. 5. ita etiam non est alius Spiritus consilii, quam Spiritus Sapientiæ, & intellectus, vel scientiæ. Quis enim Spiritus posset esse Spiritus consilii, si non esset Spiritus prædictorum? Aut quomodo horum posset esse Spiritus, si non esset & Spiritus fortitudinis, & pietatis, & timoris Domini? Nullo modo esse posset. Nonne vides, quod unicus Spiritus in essentia, multiplex est in effectu: Sap. 7. v. 23. dicitur: *humanus, benignus, & stabilis*; humanus, ac benignus in pietate, in voluntate, & in opere; stabilis vero in fortitudine. Idem etiam modestus dicitur propter timorem; *finis enim modestiæ timor Domini*, ut habetur Prov. 22. v. 4. Nonne etiam cap. Sap. certus dicitur? quod quidem est propter consilium. Consulendo enim certificat. Propter hæc, & alia, quæ numerantur 1. Corinth. 12. dicitur v. 11. *Hæc autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult*.

[*] Nec obstat, quod habetur 1. Corinth. 14. v. 32.

(17) Simile quidpiam Pneumatomachi in Catholicos contorquebant apud Athanasium Epistola I. ad Serapionem *n.* 20. 21. *pag.* 669. *Tom.* I. *Opp.* Vide Auctorem Dialogorum De Sancta Trinitate: *Dialog.* I. *n.* 22. *pag.* 485. & alterum *contra Macedonianos Dialog.* I. *n.* 17. *pag.* 552. *Tom.* II. *Opp. S. Athanasii*. Arripuit hoc lubens etiam Crellius Ebionit. Socinianus *lib.* I. *Sectione* III. Quasi sit ineluctabile quod inde elicit argumentum.

(18) Eodem recidit Athanasii responsum *Epistola* 1. *ad Serapionem pag.* 669. *seqq. Filius dicit*, inquit, quæ audivi a Patre hæc loquor in mundo. *Spiritus autem ex filio quoque accipit:* De meo, *inquit*, accipiet, & annuntiabit vobis .... *Cum ergo eumdem Ordinem eamdemque naturam habeat Spiritus erga Filium, qualem Filius erga Patrem, qua quæso, ratione is qui Spiritum Sanctum rem creatam esse contendit, non idem necessario de Filio sentiet. Nam ut Filius, qui in Patre est in quo etiam est Pater, non est res creata, sed Patris substantiæ proprius est, quod & vos asseveratis: ita & Spiritum Sanctum, qui in Filio est, & in quo Filius est inter res creatas collocare, aut a Verbo dividere, atque imperfectam Trinitatem reddere nefas omnino fuerit*. Consule obsecro etiam Dionysium Petavium *lib.* III. Theologicorum Dogmatum *De Trinitate*. *Cap.* VIII. §. I. *seqq. Tom.* II.

[19] Erat hoc monstrum opinionis proprium Catharorum Albanensium, ut non unum, sed plures esse Spiritus Paracletos contenderent, quod est animadversum ab Nostro in Proœmio *lib.* I. *pag.* 4. Verumtamen inter hosce Spiritus, præstare unum ajebant, qui *Spiritus principalis* vocetur, ibid. *pag.* 5. Ut autem id utcumque probarent, testimonio Johannis per summum scelus abutebantur.

(20) Probatur hæc Patribus sane multis interpretatio. Ceterum Benedictus Pererius aliam adhibet, quæ tamen admitti commode potest. Videtor *Disp.* VI. in *Apocalyps. pag.* 776. *Edit. an.* 1620.

(*) Quæ duobus asteriscis comprehensa vides, desunt e *codd. Bonon. & Vatic.*

v. 32. *Spiritus Prophetarum prophetis ſubjecti ſunt*: (21) quia propter eandem rationem Spiritus Sanctus eſſentialiter unus ibi ſpiritualiter deſignatur. Tutius autem eis dicitur, quod Spiritus Prophetarum ibi dicuntur Angeli, qui Prophetis revelabant occulta juſſu Spiritus Sancti, qui dicuntur eis ſubjecti in quantum adminiſtratorii; major eſt enim qui recumbit, quam qui miniſtrat, Lucæ 22. v. 27.

Sed probare nituntur Spiritum Sanctum minorem Patre, & Filio, quia Dei digitus.

Reſpondeo: per hoc, quod ait Lucæ 11. v. 20. *in digito Dei*, non gloriæ diminutionem, ſed ſubſtantiæ demonſtrat unitatem; ejuſdem enim ſubſtantiæ digitus eſt cum corpore, cujus eſt digitus. Non enim honoris diſcrepantia monſtratur, ſed operationis concordia. Quod autem non ſit minor Patre, vel Filio judicandus, quia dicitur digitus, patet, quia alibi digiti Domini, & Patrem, & Filium deſignant: unde in Pſal. 8. v. 4. dicitur: *Quoniam videbo Cælos tuos, opera digitorum tuorum*. Et ne hoc totum de Filio, vel Spiritu Sancto dictum putes, alio loco Iſaias, ſcilicet c. 40. v. 12. nomine digiti totam Trinitatem complectitur dicens: *Quis appendit tribus digitis molem terræ?* In hoc autem, quod ait, *quis*, unitatem Trium evidenter oſtendit: in tribus vero digitis unius potentiæ æqualitatem deſignat. Ex ſocietate enim operis declaratur paritas virtutis. Dicendo ergo: *quis appendit tribus digitis &c.* ſpiritualiter loqui voluit de æquiparantia potentiæ, & de unitate ſubſtantiæ, quæ una, eademque eſſe in tribus digitis approbatur. [*]

Quod autem iſte Spiritus coomnipotens ſit Deo Patri, patet poſt prædicta verba Sap. 7. v. 23. eſt enim *omnem* habens virtutem. Et quod ſit omniſciens, patet ibidem: *omnia proſpiciens*. Poſtea ſubditur ejus immenſitas, cum dicitur: *qui capiat omnes Spiritus*, ideſt, Angelos. Ex quibus omnibus evidens eſſe poteſt, quod ipſe eſt Deus Summus, omnipotens, omniſciens, cujus magnitudinis non eſt finis, unicus eſſentialiter, multiplex per operationem, & effectus ſuos, ut notat Apoſtolus in prædicta auctoritate: *Hæc autem omnia operatur &c.*

Et ideo pluraliter deſignantur a B. Johanne, cum dicit Apacaly. 1. *Spiritibus, qui in conſpectu throni ejus ſunt*. Item a B. Paulo 1. Corinth. 14. ubi dicitur: *Spiritus Prophetarum Prophetis ſubjecti ſunt*. Spiritus enim Sanctus, qui in prophetis locutus eſt, ad modum ſubjecti ſe habet, quia ſicut ſubjectus non cogit Dominum ſuum; ita Spiritus Sanctus non cogebat prophetas loqui, vel tacere; ut loquerentur, vellent, nollent; aut inviti tacerent; unde unus eorum dicebat Deo Pſal. 53. v. 8. *Voluntarie ſacrificabo tibi*. Secus autem eſt in Spiritu maligno, qui quos replet, cogit aliquando clamare, vel tacere.

[*] Præterea, quod Diſcipuli haberent Spiritum Sanctum ante paſſionem, patet ex verbis Chriſti Jo: 17. v. 14. *Ipſi non ſunt de Mundo, ſicut & ego non ſum de Mundo*. Ergo jam erant Chriſti: ergo jam habebant Spiritum ejus; ſicut enim dicit Apoſtolus Rom. 8. v. 9. *Si quis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus*. [*]

§. V.

Rationes Hæreticorum errantium circa Spiritum Sanctum, qui dicunt ipſum non fuiſſe datum ante Reſurrectionem, nec ante Pentecoſtem.

PEccant etiam omnes Cathari, qui dicunt Spiritum Sanctum non fuiſſe datum Diſcipulis, nec aliis ante Reſurrectionem (22), & ad hoc probandum.

HÆR. Inducunt illud, quod dixit Chriſtus Jo. 7. v. 39. *Nondum erat Spiritus datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus*. Et Jo. 14. v. 26. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia &c.* & Jo. 15. v. 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre &c.* Et Jo. 16. v. 7. *Expedit vobis, ut ego vadam: ſi non abiero, Paraclitus non veniet ad vos*; & v. 13. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Et Jo. 20. v. 22. *Accipite Spiritum Sanctum &c.* Sic ergo prius non habebant. Item Act. 1. v. 5. *Johannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto &c.*

Solutio ad omnia iſta eſt manifeſta, quoniam Spiritus Sanctus datur ad multa, ſcilicet ad peccatorum remiſſionem, ad miraculorum operationem, & ad lætitiam in tribulationibus; ſive conſolationem, & ad robur, ſive ad fortitudinem, & conſtantiam contra hoſtes tam temporales, quam ſpirituales. Primis duobus modis habuerunt Apoſtoli Spiritum Sanctum ante reſurrectionem. De primo modo patet Jo. 15. v. 3. ubi Chriſtus ait Diſcipulis ſuis: *Jam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis*. Et loquitur de munditia ſpirituali, quam habere non poterant, niſi per Spiritum Sanctum habuiſſent. Aut enim homo Spiritum Sanctum habet, aut Spiritum malignum. Unde ſi Apoſtoli habuiſſent Spiritum malignum, mundi non fuiſſent. Si autem eum non habebant, habebant ergo Spiritum Sanctum: quod verum eſt. Ut enim dicitur Lucæ 11. v. 20. *Porro ſi ego in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei*, quod eſt *juſtitia, pax, & gaudium in Spiritu Sancto*, ut habetur Rom. 14. 17.

[*] Si autem velint dicere, quod mundi erant ab operibus malis, ſed non a peccatis factis: ſic ergo erant mundi tantum extrinſece, & ſecundum quid.

[21] De hujuſce ῥητοῦ intelligentia diximus paullo ſuperius.

(*) Quod duobus Aſteriſcis continetur deeſt e *Bon.* & *Vat. Cod.*

(22) Fortaſſe communis hæc erat Catharorum Albanenſium Balaſinanſæ opinio: etſi enim nuſquam Sachonus, neque Peregrinus Priſcianus ejus mentionem fecerint; tamen hoc idem conjicere ex eo fas eſt, quod omnes Patriarchas, & Johannem Baptiſtam ipſum, malos fuiſſe arbitrarentur; quod ſimile fuit Marcionitarum, Manichæorumque ſententiæ.

(*) Quæ duobus aſteriſcis continentur, deſunt e *Codd. Bon.* & *Vat.*

quid. Quomodo ergo dicit Dominus Jo.13. v.10. *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus?* Ne autem quis diceret, quod hoc non intelligitur de Apostolis, subdit: *Et vos mundi estis*; ideſt, loti toti. Unde nec lavit eis nisi pedes, ut innueret illud ad Apostolos pertinere. *Qui lotus est &c.* [*]

Habebant etiam Spiritum Sanctum ad miraculorum operationem, sicut patet Matth.10. v.1. ubi dicitur: *Et convocatis duodecim Discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.* Ista autem potestas ad miracula facienda datur per Spiritum Sanctum, ut habetur 1. Corinth. 12.

Habebant etiam Spiritum Sanctum ad eruditionem Auditorum, sed sine varietate linguarum, sicut patet Lucæ 10. de miraculorum operatione, & eruditione; ibi enim v. 9. monet eos prædicare hominibus, & dicere: *appropinquavit in vos regnum Dei.*

Præterea, si ipsi non habebant Spiritum Sanctum, quomodo stabit, quod Dominus dicit eis Matth. 5. v.13. *Vos estis sal terræ*. Et v.14. *Vos estis lux mundi? Quod si sal &c.* Si vani essent, evanescere non possent; vani autem essent, si Spiritum Sanctum non haberent: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*. Rom.8. v.9.

Quod autem dicitur Jo. 7. v. 39. *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus*, intelligendum est: non erat datus ad id, ad quod postea datus est, scilicet ad constantiam in tribulationibus, & tentationibus. Istud autem potest haberi ex verbis Domini Lucæ 24. 49. *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto*. Idem etiam patet Act. 1. v. 8. ubi Christus ait discipulis suis: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos &c.* Non dixit accipietis Spiritum Sanctum, sed *virtutem*, ideſt, robur ejus, & per consequens audaciam testificandi Christum: unde sequitur: *& eritis mihi testes in Jerusalem &c.* Iste enim Spiritus est fortitudinis Isai. 11. v.2. Non dixit Spiritus Sancti venientis, sed *supervenientis*, ideſt, super illud, ad quod jam venerat, venientis Spiritus Sancti, ad robur, & constantiam, ut prædixi. Visa ergo gloria resurrectionis Christi, ad quam venit per obedientiam, & humilitatem passionis, & sputa, & similia, habiliores facti sunt ad receptionem roboris spiritualis, ut spreta hac vita transitoria aspirent ad æternam. Unde 1.Pet.1. v.3. dicit Petrus: *Qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam per Resurrectionem Jesu Christi ex mortuis*, 4. *in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, immarcescibilem, conservatam in cælis*.

Receperunt etiam Apostoli tunc Spiritum Sanctum ad consolationem in tribulatione videntes Fide, & expectantes cum certa Spe felicem commutationem hujus vitæ caducæ, & mortalis in permanentem, & immortalem, cupientes dissolvi, & esse cum Christo, & scientes, ut dicitur 2.Corinth.5. v.1. *Quoniam si terrestris domus &c.*

Ecce quod baptizati sunt Spiritu Sancto in Pentecoste, sicut expositum est in cap. de Johannis baptismate, & ad quod datus est eis tunc, & quomodo; quare in igneis linguis, quo modo adhuc datus non fuerat nec eis, nec aliis, ut per hoc innueretur, quod Spiritus Sanctus datus erat eis ad omnium gentium eruditionem, sicut & tunc omnibus locuti sunt linguis. In eruditionem autem eorum, quia feroces erant, necessaria erat eis fortitudo magna, immo & etiam major quam habuissent ante.

Præterea, si vis dicere, quod Discipuli nondum habebant Spiritum Sanctum ante Resurrectionem, quia dicis, quod Jesus nondum erat glorificatus. Ergo nec post Resurrectionem habuerunt eum, cum dicatur Jo.14. 26. *Paraclitus autem &c.* ut prius. Similiter potest ostendi per alias auctoritates contra hos inductas. Sed si hoc vis dicere, sicut & dicunt, qui unum ponunt principium, quomodo stabit illud, quod Christus dicit Jo.20. v.22. *Insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum?* Sic enim expresse habetur, quod tunc dedit eis Spiritum Sanctum. Quomodo ergo stabit, quod dicitur Act.1. v.5. *Vos autem baptizabimini &c.* Item: *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos?* Jo. 16. v.7. Ex quibus patet dicendum esse, & quod priusquam resurgeret, Spiritum Sanctum habuerunt Discipuli a Christo, & post Resurrectionem iterum dedit eis in flatu, & post Ascensionem in linguis igneis.

[*] Quod autem ante Resurrectionem aliqui Spiritum Sanctum habuerint ad peccatorum remissionem, patet in Matre Christi, cui Angelus ait Lucæ 1. v.28. *Ave Maria gratia plena: Dominus tecum*; & v.30. *Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum*; & v.35. *Spiritus Sanctus superveniet in te &c.* Numquid si non essent ei peccata remissa a Deo, apud ipsum gratiam invenisset? Quamdiu enim quis in peccatis est, in offensis, & injuriis Dei est; & quamdiu sic est, non est Deo gratus, aut gratia plenus. Beata autem Virgo & Deo grata, & plena gratia, & Dominus cum ea erat.

Præterea, numquid in ipsa sibi reclinatorium fecisset Incarnationis, si fuisset immunda peccatis? Absit; ipse enim Apostolo teste 1. Corinth.1. v.30. *Factus est nobis* sapientia a Deo; nulla autem participatio justitiæ cum iniquitate, sicut dicitur 2. Corinth.6. v.14. Falso ergo locutus est dicens, quod ante Christi Resurrectionem non est datus Spiritus Sanctus alicui ad peccatorum remissionem; nec solum ad prophetandum datus est, ut tu dixisti, sed & ad Christum concipiendum: quod nullatenus factum esset, nisi prius lota fuisset. Lota autem fuit teste David, & Paulo. Hic Ephes. 4. v. 10. dicens: *Qui descendit ipse est & qui ascendit*: de quo descensu alter ait Psal. 71. v. 6. *Descendit sicut pluvia in vellus*; descendit enim in Virginem mundam eam inundans sicut pluvia vellus, de qua sibi vestem humanitatis assumpsit. Descendit etiam, sicut stillicidia super terram; ut eam fœcundaret donis gratiarum, quibus plena ab Angelo dicitur, ut & illum hominem haberet benedictum fructum ventris, per quem Deus Pater fecit & secula.

Præ-

(*) Quod duobus asteriscis contentum vides; deest e *Cod. Vaticano*.

Præterea numquid aliqui ante Dominum justi essent, si ejus justitiæ peccatorum remissæ non essent? Non. Ergo remissa erant peccata Parentibus Johannis Baptistæ: *Erant enim justi ambo ante Deum* Luc.1. v.16. Id etiam ostendi potest per illud, quod dictum est de Abraham, & de Patribus Veteris Testamenti lib.2.

§. VI.

Oppositio contra hoc, quod dicunt Spiritum Sanctum dari merito bonitatis hominis.

Tertio modo errant circa Spiritum Sanctum dicentes: ipsum dari ab homine ex merito (23) bonitatis suæ.

Quod detur hoc modo homini, volunt haberi per illud ad Galat.3. v.5. ubi increpans eos Apostolus, quod in operibus legalibus, scilicet circumcisione, & hujusmodi fidem, & spem ponerent, de se ipso ait: *Qui ergo tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis: ex operibus legis, an ex auditu fidei?* supple potestatem habet dandi Spiritum, & operandi virtutes. Quasi dicat: non ex operibus legis hoc habuit Paulus, sed ex fide, quam audivit a Christo.

Ad idem inducunt illud Jo.20. v.22. ubi Christus *insufflavit, & dixit: accipite Spiritum Sanctum:* 23. *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta sunt.* Quid autem est peccata remittere, nisi Spiritum Sanctum, cujus virtute remittuntur, dare? Dat ergo homo Spiritum Sanctum. Ibi etiam volunt habere, quod potestas remittendi peccata non potest esse, nisi in bonis ministris, quia non legitur data nisi bonis, habentibus Spiritum Sanctum: unde prius dixit: *Accipite Spiritum Sanctum*, postea subjunxit: *quorum remiseritis peccata &c.*

Ad primum respondetur, quod homo dicitur dare Spiritum Sanctum tamquam minister (24); Deus autem tamquam auctor, & principalis dator. Dat autem Spiritum Sanctum, idest, bona ejus, sive gratiam hominibus prout vult præbere ministerio Sacerdotis 1. Corinth. 4. v. 1. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi &c.* Sacerdos autem minister est Christi cum baptizat. Est autem minister Christi in re duplici. In una, quam operatur, scilicet in invocatione Trinitatis; & in immersione aquæ, cum dicit: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; hoc enim habet a Christo, qui hoc præcepit Ecclesiæ suæ Matth.28. v.19. Est etiam minister in re alia, scilicet in Spiritu Sancto, sive ejus gratia; sed nec operatur gratiam, nec illam infundit homini, sed operatur ad Spiritum Sanctum, vel ejus gratiam homini infundendam a Deo trino, & uno; a Patre scilicet, & a Filio, & a Spiritu Sancto; Spiritus enim Sanctus a se ipso datur homini: dicitur enim dari Spiritus Sanctus, quia ejus gratia infunditur ad multiplices usus, ut prius ostensum est.

Ex his potest patere, qualiter Paulus dicatur tribuisse Spiritum Sanctum Galatis, non ipsis eum infundendo; sed quia ad hoc operatus est, ut illis tribueretur a Christo in ministerio suo, scilicet in prædicatione, & baptismo: eodem modo dicuntur peccata remittere, quia ministri sunt remissionis non ipsam faciendo, sed ut ipsa a Deo fiat, aliquid operando.

Ad illud autem, quod dictum est, quod bonitas ministri exigitur, ut per ipsum Spiritus Sanctus, vel remissio peccatorum detur homini; respondebitur in cap. de ministris Ecclesiæ in quarta parte hujus Operis cap. de Sacramento Ordinis.

§. VII.

Probatio Ecclesiæ, quod Spiritus Sanctus non datur ab homine.

Quod autem error sit credere, quod homo proprie loquendo det Spiritum Sanctum, sive gratiam, vel peccatorum remissionem, subditis declaratur testimoniis. Hunc errorem damnat Apostolus in epistolis suis, ubi dicit: *gratia vobis, & pax a Deo Patre, & domino Jesu Christo.* Non dicit ab homine, sed *a Deo*, & ejus Filio, scilicet Christo Jesu, qui in quantum est Deus, unus est cum Patre, & Spiritu Sancto distributor gratiarum. Et 1. Corinth. 1. v. 10. Apostolus dicit eis: *Obsecro autem vos fratres per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia.* 11. *Significatum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab iis, qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos.* 12. *Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli: Ego autem Apollo: Ego vero Cephæ: Ego autem Christi. Divisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? Aut in nomine Pauli baptizati estis?* Isti non errarent, si dicerent se esse baptizatos exterius a Baptistis suis, nec si isto modo dicerent: ego sum hujus, vel illius baptizatus. Sed in hoc errabant isti Corinthii, quia putabant in baptismo dari Spiritum Sanctum a Baptista suo non tantum ut ministro, sed ut auctore ipsius Spiritus Sancti, sive ejus gratiæ in homine. Putabant etiam ipsum dari ab uno magis, quam ab alio secun-

(23) Peregrinus Priscianus, apud Muratorium *Tom.* v. *Dissert. Antiquit. Medii Ævi. Pag. 96. Quod homo potest dare Spiritum Sanctum* [dicunt] *Albanenses, Bagnolenses, Concorrezenses.* Cujusmodi autem esset hoc, explicat paulo post Moneta. Nempe non a Trinitate, a Deo nempe Opt. Max. sed a ministro infundi gratiam jactabant Catharorum Magistri. Vide Sachonum *pag.* 1762. *Tom.* v. *Thesauri Anecdotor. Martenii.* An hi, qui Spiritum se conferre posse gloriabantur Cathari, similes fuerint, aut germina *Catharistarum, purificatorum* e vetere Manichaica factione, de quibus differit Augustinus *libro De Hæresibus ad Quodvult. Cap.* XLVI. *Tom.* VIII. *Operum* dijudicare Lector facile poterit.

(24) S. Thomas III. *Parte Quæstione* LXIV. *Articulo* I. *per totum* copiose imprimis, ac solide, uti solet, tractat hoc argumentum. Castigandus autem P. Seraphinus Capponus a Porrecta, qui *in Append. ad eumdem S. Thomæ Articulum* Albanensium fuisse hunc errorem proprium ait: Vidimus enim notatione superiore, non Albanenses tantum; verum etiam Bajolenses, & Concorrezenses, huic hæresi fuisse addictos.

cundum majorem, vel minorem bonitatem Baptistæ; & ideo se jactantes dicebant: *Ego sum Pauli* supple baptizatus; & sic de aliis usque *ego autem Christi*. Iste bene dicebat, sive intelligeret de baptismo interiori, ideſt, infusione gratiæ Spiritus Sancti in homine; sive de baptismo exteriori, scilicet immersione cum invocatione Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Hoc enim operatur Christus inquantum Deus ut auctor principalis, & sacerdos ut minister operatur illud idem; sed gratiam in anima ponit solus Christus: unde solus ipse operatur baptismum interiorem; sacerdos autem non operatur illum, sed operatur ad illum a Christo fiendum. Et quia Corinthii putabant illud a Baptista fieri, ideo arguit eos Paulus dicens: *Unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli &c.* Isti male dicebant, & male sentiebant credentes, quod Baptistæ gratiam Sancti Spiritus in animabus suis posuissent. Unde ab hoc errore revocat eos propter damnum, quod inde statim habent; quia hoc ipso Christus ab eis divisus est. Et hæc expositio tibi sufficiat ad Hæreticos.

Revocat etiam eos ab eodem per formam Baptismi, & per Passionem Christi. In forma enim Baptismi, quando baptizati fuerant, non fuerat dictum: *Ego te baptizo in nomine Pauli*, sed in nomine Domini nostri Jesu Christi. Ergo non debebant Baptismum suum homini attribuere, sed illi soli, in cujus virtute baptizati fuerant: de quo dicitur Jo: 1. v. 33. *Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto*: hic, non alius. Quis enim posset dimittere peccata, nisi solus Deus?

Per passionem etiam revocat, quia Paulus, vel alius homo non erat pro eis purgandus a peccatis, sed solus Christus, *qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram*, ut dicitur Rom. 4. v. 25. Propter hoc dicit Apostolus 1. Corinth. 3. v. 4. *Quid igitur est Apollo? Quid vero Paulus? 5. Ministri ejus, cui credidistis, & unicuique sicut Dominus dedit*: quasi diceret: *non uno modo ministri sumus*: unde subdit v. 6. *Ego plantavi* supple in fidelibus prædicando: *Apollo rigavit* baptizando. Paulus enim prædicationi intendebat; Apollo vero conversos in prædicatione ejus ad Fidem Christi baptizabat. *Sed Deus incrementum dedit*, ideſt, Spiritum Sanctum, sive gratiam ejus, per quam crescit homo. Ecce dicit: *Sed Deus incrementum dedit*: quasi diceret: non homo. Unde concludens ex eo, quod dixerat: *Ego plantavi, Apollo rigavit: sed Deus incrementum dedit*, subdit v. 7. *Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed, qui incrementum dat, Deus*. Constat, quod Paulus aliquid erat, similiter & Apollo; quia bonus, & sanctus homo uterque erat. Quomodo ergo dicit, quod neuter eorum aliquid est? Quia neuter eorum dat gratiam animæ, eam in anima ponendo; quia neuter eorum ex sui bonitate dat eam, sed Deus solus est, qui dat intrinsecus incrementum, ideſt, gratiam Spiritus Sancti. Qui plantat, & qui rigat unum sunt, ideſt, conveniunt in hoc, quod non ponunt aliquid in anima; sed differunt in labore, quia unus plantat, ideſt, prædicat, & sic perducit homines ad fidem: alius rigat, ideſt, baptizat. Et propter hoc unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Major enim labor est in prædicando, quam in rigando.

Præterea Act. 2. v. 38. dixit Petrus Judæis: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum: & accipietis donum Spiritus Sancti*. Et Act. 8. v. 17. dicitur, quod Petrus, & Johannes *imponebant manus super illos*; ideſt, Samaritanos, *& accipiebant Spiritum Sanctum*. Non dicitur, quod Discipuli darent eis. Ibidem v. 18. *Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam*, 19. *dicens: date & mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum. Petrus autem dixit ad eum*: 20. *Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri*. Nota, quod Simon Magus dixerat Apostolis: *date & mihi hanc potestatem*; ac si eorum esset dare eam pro pecunia. Petrus autem dixit corripiens eum de illis duobus: *Pecunia tua tecum sit in perditionem &c.* Donum Dei dicit, non hominis, quia illa potestas non est nisi a Deo per gratiam ipsius, non ab homine.

§. VIII.

Contra hoc, quod dicunt Hæretici, quod semel habens Spiritum Sanctum peccare non potest. (25)

QUarto modo errant Hæretici putantes, quod si aliquis peccat, prius Spiritum Sanctum non habuerit; & sic cadunt in hunc errorem, quod nullus Spiritum Sanctum habens potest peccare, ideſt, contra mandatum Dei, vel Ecclesiæ venire. Quod

(25) *Manus impositio vocatur ab eis* (Catharis) *consolamentum, & Spirituale baptismum Spiritus Sancti, sine qua secundum eos nec peccatum mortale remittitur, nec Spiritus Sanctus alicui datur*. Sachonus *col.* 1762. qui paucis describit, quæ esset in hac re inter Albanenses, & ceteras Ecclesias Catharorum dissensio. Hinc Armannus Pungilupus Ferrariensis *in Examin. Testium an.* 1270. *usque ad an.* 1288. *Cap.* II. *pag.* 121. *seq. Apud Murator. Tom.* v. *Antiquit. Medii Ævi*, traducitur, quod manus impositionem, hoc est *consolamentum* a Catharis Bajolensibus acceperit. Ergo, qui ita fuissent *Manus impositione initiati*, accepissentque, ut illi jactabant, Spiritum Sanctum, in scelus posthac incidere, minime poterant, Catharorum quidem Judicio. Nempe exigua erat inter hos, & Origenianos, ac Pelagianos discrepantia: quippe cum Cathari, posse hominem Spiritum assequi, atque ea gratia ne minimo quidem peccato esse obnoxium; Pelagiani vero tam perfectum evadere posse quemquam ut nulli, ne exiguo quidem piaculo succumbere arbitrarentur. Videatur S. August. *lib. de Dono Perseverantiæ Cap.* II. & Eminentissimus Cardinalis Norisius, vir summa doctrina, & eruditione solida, & Orthodoxa, *lib.* I. *Hist. Pelagianæ Cap.* I. Nemo etiam homo est in historia Ecclesiæ versatus, qui nesciat, electos Basilidianorum, aliorumque Gnosticorum generis ejusdem, *impeccabiles* fuisse ab ipsis existimatos. Inest etiam nescio quid simile in novorum hæreticorum doctrina. Nam Synodus Dordracena *Cap.* v. *Doctr. Reject. Errore* v. *pag.* 314. rejicit eorum sententiam, *qui docent vere fideles, ac regenitos posse peccare peccato ad mortem vel in Spiritum Sanctum*. Huic plerique omnes Protestantes assentiuntur. Verum quemadmodum id intelligant, cernere quis apud Vuallemburkios Fratres poterit: *Tract. de Justificatione Cap.* LXXXVII. *pag.* 513. *Tom.* II. *Controvers.*

Quod autem ita credant, patet ex reconſolatione. Illis enim peccantibus, qui manum impoſuerit aliquibus, illi, qui receperunt manus impoſitionem, ab illis reconſolantur: quod minime facerent, ſi illos Spiritum Sanctum habuiſſe crederent, putant enim Spiritum Sanctum non habuiſſe. Unde ſe non credunt ab eis accepiſſe Spiritum Sanctum. O fides miſerrima! Ergo qui dormierunt, immo etiam combuſti ſunt pro illa fide, recepta prius manus impoſitione ab illis, & vita illius ſectæ ſervata, ex toto perierunt: quod etiam ipſi confeſſi ſunt aliquando.

Præterea dic mihi: quare reconſolantur (26) iſti? Aut putant conſolatores ſuos Spiritum Sanctum habuiſſe, aut non? Si non putant: habeo, quod prius dixi. Si putant, quare reconſolantur?

Si tu dicas, quia neſciunt an conſolatores ſui habuerint Spiritum Sanctum, an non.

Contra. Neminem de tuis conſolatoribus ſcis Spiritum Sanctum habere, vel non habere. Ergo oportet te omni die, & nocte novos conſolatores invenire, & de novo reconſolari.

Videamus unde moti ſunt ad hoc dicendum. Moti autem ſunt ex eo, quod legitur 1. Jo: 3. v. 9. *Qui natus eſt ex Deo peccatum non* (27) *facit*. Hoc autem ſolutum eſt lib. 1. cap. 1. circa finem primæ partis cap.

Aliæ autem authoritates, quas inducunt v. 5. *Nemo mittens manum ad aratrum &c. Qui dixerit verbum &c. Impoſſibile eos, qui ſemel &c. Voluntarie enim vobis peccantibus &c. Qui ſcit fratrem ſuum &c.* in cap. de pœnitentia ſolutæ ſunt. [*]

Quod autem poſſit amitti Spiritus prius habitus, habetur 2. Pet. 1. v. 9. *Cui enim non præſto ſunt hæc, cæcus eſt &c.* Et Epheſ. 4. v. 30. *Nolite contriſtare Spiritum Sanctum &c.* 1. Theſſal. 5. v. 19. *Spiritum nolite extinguere*. Hebræ. 10. v. 28. *Irritam qui faciens legem Moyſi &c.* 2. Pet. 2. v. 21. *Melius enim erat illis &c.* Hebræ. 10. v. 35. *Nolite itaque amittere confidentiam veſtram*. De iſta fiducia habetur Philip. 3. v. 3. *gloriamur*, & ſubjicit quomodo, cum ait: *in Chriſto Jeſu, & non in carne fiduciam habentes*. Propter hæc, & alia ſimilia notandum, quod aliqui Cathari dicunt modo, quod amitti poteſt, ſed amiſſus recuperari non poteſt, ſi a fide recedendo, vel eam impugnando amittitur.

Contra: quod poſſit recuperari poſt acceptam notitiam veritatis patet Jacob. ultimo v. 19. *Si quis ex vobis erraverit a veritate &c.* Et Rom. 11. v. 22. *Vide ergo bonitatem, & ſeveritatem Dei &c.* Ad Galat. 1. v. 6. *Miror, quod ſic tam cito transferimini &c.* Et cap. 3. v. 1. *O inſenſati Galatæ &c.* Et c. 4. v. 19. *Filioli mei &c.*

§. IX.

Poſitio Hæreticorum, qui dicunt in Baptiſmo aquæ non dari Spiritum Sanctum.

QUinto etiam modo errant circa Spiritum Sanctum, putantes, quod non detur a Deo in Baptiſmo aquæ. Iſtud autem hic non proſequemur, quia in quarta parte hujus Operis ſupra hoc diſputabimus, oſtendentes quod in aquæ materialis Baptiſmo datur Spiritus Sanctus, & quod ille eſt verus Baptiſmus Eccleſiæ Dei, de quo Epheſ. 4. v. 5. dicitur: *unum Baptiſma*. Et hæc de hac tertia parte dicta ſufficiant.

Explicit Liber Tertius.

(26) Videlicet ſæpe ac multum conſolamentum recipiebant Cathari; quamobrem hic a Moneta perſtringuntur.

[*] Quod duobus aſteriſcis continetur deeſt e Cod. *Vatic.*

(27) Vide Sanctum Auguſtinum Epiſtola CLXXVII. al XCV. *ad Innocentium Papam nomine V. Epiſcoporum Africæ data*, n. 17. *col.* 628. & noſtrum *pag.* 22. Abutuntur hoc item Johannis teſtimonio hæretici hujuſce temporis, ut probent, non electos nunquam adoptari, & juſtificari, quos eamobrem recenſent, multiſque exagitant Vvallemburkii: *De Juſtificatione Cap.* LXXXVI. §. I. *ſeqq. Tom.* II. *Controv.*


VENERABILIS PATRIS MONETÆ CREMONENSIS ORDINIS PRÆDICATORUM SUMMÆ ADVERSUS CATHAROS, ET VALDENSES

LIBER QVARTVS.

De Sacramentis Ecclesiæ, Resurrectione, & Judicio.

CAP. I.

De Baptismo.



UNC veniamus ad quartam partem hujus Operis, quæ in tres partes distinguitur: in prima parte agitur de Sacramentis Ecclesiæ, & hæc pars dividitur in septem Capitula; primum est de Baptismo; secundum est de Confirmatione; tertium est de Corpore, & Sanguine Christi; quartum est de Pœnitentia, & partibus ejus; quintum de Unctione extrema; sextum de Ordinibus Ecclesiæ; septimum de Matrimonio carnali, quod ab Hæreticis damnatur. In secunda parte agitur de Resurrectione, hæc autem pars dividitur in quatuor Capitula: primum Capitulum est de causis, propter quas inducti sunt Cathari ad negandam horum corporum Resurrectionem; secundum Capitulum est de Sententia illorum circa Resurrectionem, qui duo ponunt (1) principia; tertium Capitulum est de Resurrectione, contra illos, qui unum ponunt principium; quartum Capitulum est contra utrosque Catharos communiter de Resurrectione. In tertia parte agitur de Judicio, & hæc pars dividitur in sex Capitula: primum Capitulum est de Judicio Pœnarum præsentium, an sit a Deo Sancto; secundum de Judicio Animarum in Purgatorio; tertium de Judicio Animarum ante diem ultimam, idest, utrum recipiant modo præmium in Paradiso, vel supplicium in Inferno; quartum de Universali Judicio an sit factum; quintum de Inferno, idest loco tormentorum quid sit; sextum de Suppliciis Malorum, & Præmiis Bonorum post Judicium, an sint futura paria, an non.

§. I.

Divisio hujus primi Capituli, & Hæreticorum systema.

SIcuti diximus in initio Capituli primæ particulæ hujus quartæ Partis, primum Capitulum est de Baptismo. Circa ergo Baptismum videndum est, & primo de Baptismo Johannis; secundo de Baptismo Christi in genere; tertio de Baptismo Christi in Parvulis; cui Venerabili Sacramento hæreticus nequiter contradicens ait (2), quod nihil homi-

(1) Dictum quidem sæpe ac multum a nobis est, Catharos Albanenses duorum principiorum, unius autem principii Bagnolenses, & Concorrezenses fuisse propugnatores. Manuum autem impositionem Catharis probatam idcirco dari consuevisse, quod quisque homo agere debeat pœnitentiam ob scelera non in hac vita solum, sed in alia quoque cœlesti, in qua degebant animæ, antequam essent detrusæ in corpora, patrata. Hanc porro pœnitentiam tum agi, cum fidem Catharorum incipiunt habere homines, & recipiunt manuum impositionem: ut memoriæ tradidit Moneta *In proem. lib.* I. *pag.* 4. Est id autem mixtum nescio quid ex Messalianorum Manichæorumque doctrina; ut merito dixerit Euthymius Bogomilios qui in hac re præiverunt Catharis, *Panopl. Parte* II. *n.* XVI. *Tom.* XIX. *Edit. Lugdun. Bibl. PP.* Bogomilios, inquam, a Paulicianis, & Messalianis accepisse doctrinam. *Ibid. Tit.* XXIII. *n.* I. *seqq.*

(2) Baptismum aquæ funditus sustulerunt Cathari, quippe qui nullam in eo vim, quæ ad salutem conferat, Dei institutione inesse arbitrarentur. Nam loco baptismi, manuum impositionem adhibuere, cujus rei testis locupletissimus est Reinerus Sachonus *col.*1762. ubi de *communibus Catharorum opinionibus agit*. Non discrepabant Albigenses Galli. Etenim Petrus *Vallium Cernai Hist. Albig. Cap.* III. *Tom.* VII. *Biblioth. Cisterciensis*: *Sacramenta*, inquit, *Ecclesiæ adeo annullabant, ut Sacri baptismatis undam ab aqua fluviali non distare . . . . publice dogmatizarent*. Non omnes tamen Albigenses ita fuisse animo comparatos, ut funditus baptismum tollerent, sed ut dicerent sine impositione manuum inutilem esse quidam, quidam contra catharis consentirent, auctor est Alanus Insulanus *Contra Valdens. & Albigen. Cap.* XIIII. *seqq. pag.* 235. *Edit. an.* 1654. Mirum autem non fuerit, si Cathari hoc opinionis genus propugnarint; cum eorum prodromi Gnostici, & M-a

homini conferat ad salutem, dicit enim quod nec peccatorum remissio, nec Spiritus Sancti gratia in eo tribuitur; impositionem autem manuum Baptismum dicunt esse Spiritus Sancti, sine qua manuum impositione neminem dicunt posse salvari, quam manuum impositionem facit Episcopus eorum, si est præsens; sin autem, eam faciunt duo, quorum unum appellant Filium majorem, & alium Filium minorem, quorum etiam officium est post Episcopum conventicula in Civitatibus ab eis habita visitare, & in doctrina sua confirmare, quamvis erronea. Si autem filii ii præsentes non fuerint, eam facit Diaconus, habent enim Daconos suos in Civitatibus, ubi habent conventicula pravitatis, qui Viris, & Mulieribus Sectæ suæ præsunt, & proprium habent hospitium, in quo Fratres extraneos qui superveniunt. hospitalitatis causa recipiunt. Si autem exposcit necessitas, etiam Subdiaconis hæc potestas ab ipsis (3) conceditur, qui autem facit impositionem manuum, post certi temporis probationem, congregata Fratrum, & Sororum multitudine, primo docet eum, cui dat manuum impositionem quid debeat credere, & qualem conversationem habere: item nullam spem ponere in Fide, aut Sacramentis Ecclesiæ Romanæ, & pro sua Fide, imo errore usque ad mortem tribulationes sustinere. Inquisitione autem facta utrum velit hoc observare, Prælatus major textum Evangelii super caput ejus imponit, & alii Fratres, qui ibi sunt, manum dexteram capiti, vel humeris ejus imponunt; Prælatus verò, qui librum tenet, in hæc verba prorumpens, ait, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, & septies dicta Oratione Dominica, tandem Evangelium Johannis, quod in die natalis Domini cantatur, dicit: *In principio erat Verbum &c.* His ita celebratis credunt illi omnia peccata dimitti, & gratiam Spiritus Sancti ei infundi; Si vero mortale peccatum aliquis illorum committat, iterum ei manus imponunt, credentes eum aliter non posse salvari: Imo etiam si contingat Episcopos, aut alios, qui manus ei impositionem fecerunt, labi in mortale peccatum, licet ille in nullo offenderit, cui impositio talis facta est, eum tamen credunt ut salvari possit iterum debere idem (4) Sacramentum recipere. Item si contingat aliquos Sectæ suæ graviter infirmari, si volunt, prædicto modo eis faciunt impositionem manuum.

§. II.

De Baptismo Johannis.

SIcut diximus prius, videamus de Baptismo Johannis, in quo mirabiliter peccant; dicunt enim quod a Diabolo fuit (5) ille Baptismus, & ad nihil utilis, nisi ad impediendum Christi Baptismum, qui est impositio manuum, ut dicunt. Quod autem a Diabolo missus sit Johannes ad Baptizandum, vel ad aliquid aliud, ad hoc nullum habent testimonium, sed visiones capitis sui loquuntur, & somniant; ad quid autem sit missus, & a quo, melius patebit in capitulo de Johanne Baptista. Nunc autem spiritualiter ostendamus, quod mendacium, vel male ipsi loquuntur, qui dicunt Diabolum misisse eum ad baptizandum; legitur enim Johan. 1. v. 33. quod ipse Johannes dixit: *Qui misit me Baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto*. Modo dic mihi: Tu dicis quod ipse est Diabolus, qui eum misit baptizare in aqua, & quod isto modo voluit Johannes, & indicavit ei cognoscere Christum: sed contra: Ergo Diabolus jam cognoscebat eum, si indicabat Johanni qualiter eum cognosceret. Contra: nonne dicitur de eo, & de membris ejus 1. Corinth. c. 2. v. 8. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent?*

Præterea: numquid Diabolus operator erroris voluisset quod Johannes, aut alius homo cognitionem

& Manichæi in eumdem errorem inciderint. Ac Irenæus quidem de Gnosticis *lib.* 1. *Cap.* XXI. *al.* XVIII. *n.* 4. loquens: *Quidam*, inquit, *eorum adducere quidem ad aquam supervacaneum esse dicunt: admiscentes autem oleum & aquam in unum, cum quibusdam profani dictionibus ... mittunt super eorum caput; qui sacrantur, & hoc esse redemptionem volunt; ungentes & ipsi opobalsamo. Alii autem hæc omnia recusantes, dicunt, non oportere inenarrabilis, & invisibilis virtutis mysterium per visibiles, & corruptibiles perfici creaturas*. Hanc porro rationem per summum scelus usurpabant asseclæ Balasinansæ, ut refert Sachonus *col.* 1762. Consule, quæ habet ibidem *n.* 2. & 3. *Irenæus* & quæ de hæresi Cajana Tertullianus *lib. de Baptismo pag.* 224. & Seleuciana Augustinus *lib. de Hæresibus cap.* LIX. *col.* 20. *Tom.* VIII. *Opp.* exsequuntur. Archelaus *in Disp. cum Manete n.* 50. *pag.* 94. infensum fuisse improbum hæresiarcham baptismo indicat, cum remissionem peccatorum per illum dari negantem introducit. Sed luculentius Augustinus *lib. de Hæresibus cap.* XLVI. *col.* 17. *Baptismum in aqua*, inquit, *Nihil cuiquam perhibent salutis afferre* Manichæi, *nec quemquam eorum quos accipiunt, baptizandum putant*. Soboles Manichæorum Pauliciani in hoc ipso errore versati sunt, ut prodit Photius *lib.* I. *Contra Manichæos n.* 9. *pag.* 29. *Tom.* I. *Anecd. Volfii*. Euthymius porro *in Panoplia Parte* II. *Tit.* XXII. *pag.* 218. Messalianos negasse baptismum ait: *Titulo autem* XXIII §. XVI. idem ipsum Bogomiliis placuisse prodit: censuisse namque Bogomilios affirmat, genus hoc Sacramenti Johannis, esse Christi; suum vero Christi esse proprium; quippe cum Spiritu, non aqua fieret. Itaque suis Cathecumenis, post expurgationes nescio quas, Iohannis Evangelium imponebant, Spiritum Sanctum suum invocabant, recitabantque orationem Dominicam. Jam vero hujusmodi ceremoniam baptismi nomine appellabant, ita ut Cathari manuum impositionem baptismum dicere censuerunt. Veigeliani porro recentiore memoria *sec. nempe* XVII. baptismo iniqui fuerunt: velut ex eorum scriptis, atque etiam ex *Calovio in Anti-Bohmio*, & Gaspare Calvorio *Fissur. Sion. lib.* XVII. *Cap.* LI. §. XIII. *pag.* 562. colligere licet. Quakeri quoque necessarium esse ad salutem baptismum negant: ut ex Roberto Barclajo *in Apol. Theol. veræ Christianæ*, Georgio Hornio *de Statu Ecclesiæ Britannicæ*, & Gerardo Crœso *in Historia* Quakerorum cognoscere quisque poterit. De aliis, qui similia tutati sunt hæreticis, vide Bellarminum *lib.* I. *de Sacram. Baptis. Cap.* IV. Zuinglius, etsi Baptismum non afficeret contumeliis, quibus illum Cathari insectabantur, negabat tamen aut peccatum ab eo tolli, aut conferri gratiam Sanctificantem. Consule Bossuetium *liv.* II. *De l'Histoire des variations pag.* 60. *Tom.* II. *Opp. Edit. an.* 1738.

(3) Vide Sachonum *pag. col.* 1762. & Prolegomena in hoc opus. Adjungit autem Sachonus ipse, in necessitate, non solum a Subdiaconis, sed etiam a Catharabus administrari posse, sententia hæreticorum hujusmodi, manuum impositionem, seu consolamentum: *Fit autem hujus manus impositio a duobus ad minus, & non solum a prælatis, sed etiam a subditis, & in necessitate a Catharabus*.

(4) Adeundus *l. c.* Sachonus, qui hoc unum habet: *Est etiam communis opinio Catharorum, quod per illam impositionem non fit aliqua remissio peccatorum, si illi qui manum imponunt sunt tunc in aliquo peccato mortali*.

(5) Cum Johannem Baptistam diaboli ministrum esse contenderent, ut constitit *Libro superiore*, consequens esse videbant, Johannis ipsius baptismum ab eodem diabolo esse profectum.

nem Christi haberet, & Baptismi Christi? Certè non, imò ut tu dicis, ad hoc misit eum baptizare in aqua, ut Christi Baptismum impediret, quem in aqua esse non ponis.

Præterea: si Baptismus Johannis impedivit Christi Baptismum, numquid Christus eum suscepisset?

Præterea: quod Deus Pater eum miserit baptizare evidenter apparet ex verbis Johannis Baptistæ, qui ait ante illa verba quæ diximus Jo: 1. v. 31. *Ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizare*; ergo Baptismus aquæ ipsius Johannis ad hoc erat, ut Christus cognosceretur in Israel; ergo ejus Baptismus, fuit a Christo; ergo ejus Baptismus non erat Baptismus Diaboli.

Præterea Luc. 7. v. 29. & 30. dicitur post verba Christi de Johanne Baptista: *Omnis populus audiens, & Publicani justificaverunt Deum baptizati Baptismo Johannis. Pharisei autem, & legis periti consilium Dei spreverunt in semetipsos non baptzati ab eo*. De consilio ergo Dei erat, quod ab eo baptizarentur.

Præterea: si ille Baptismus esset Baptismus Diaboli, nunquam illum Baptismum suscepisset Christus. Ad hoc autem dixit Hæreticus, quod propter scandalum vitandum suscepit Johannis Baptismum, qui tunc placebat hominibus, quod aperte mendacium est, scilicet quod propter hoc ejus Baptismum susciperet, hoc enim nunquam fecisset, si a Diabolo esset, licet inde esset scandalum, sicut etiam non curavit scandalum Pharisæorum, sed dixit: *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum*: Matth. 15. v. 14.

Prætera: Imo potius erat scandalum ex ejus Baptismo, etiam ipsi Johanni, unde recusans eum baptizare, dicebat: *Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Matth. 3. v. 14.

Præterea, quod non propter scandalum vitandum ejus Baptismum susciperet, patet ex verbis Christi ad Johannem, cui ait ibidem v. 15. *Sine modo: sic enim decet nos implere omnem justitiam*; ergo non propter scandalum, sed propter justitiam illum suscepit. Dixit etiam alius Hæresiarcha, quod ideo Christus suscepit Johannis Baptismum, ut qui latuerat manifestaretur: sed si hoc est, Baptismus Johannis ad hoc fuit finaliter ut Christus manifestaretur, sed finis iste bonus est; ergo Baptismus Johannis bonus est: Quomodo ergo a Diabolo?

Præterea numquid arbor mala fructus bonos facit? Non.

Præterea ut dicit Johannes Jo: 1. v. 31. *Ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans*: Ad hoc ergo venit Johannes, & ad hoc missus fuit baptizare, ut Christus manifestaretur. A Diabolo autem non venisset, nec missus esset baptizare propter hoc; ergo Baptismus ejus a Deo bono fuit.

Præterea dixit hæreticus ille, quod ideo a Johanne voluit baptizari, ut declararetur testimonio illorum, scilicet testimonio Johannis dicentis: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*: Jo: 1. v. 29. Item testimonio Spiritus Sancti descendentis supra Christum in specie Columbæ; & manentis super eum: item testimonio Patris intonantis: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*: Matth. 3. v. 17. & hoc fuit, ne Johannes Christus crederetur. Ista autem non negamus, quia a Glossis Sanctorum nostrorum ipse hæreticus sumpsit; sed ex hoc possumus ostendere, quod Baptismus Johannis bonus fuit, quin talem fructum portavit. Aliam causam, quare Christus voluit baptizari in aqua materiali, ponunt Sancti, scilicet ut aquas sanctificaret (6), idest eis vim sanctificativam immersio cum invocatione Patris, & Filii, & Spiritus Sancti daret. Sed contra hoc opponunt hæretici; quare ergo Sacerdotes vestri dicunt se eam sanctificare, quamvis etiam immundæ vitæ sint? Respondeo: Christus dicitur eam sanctificare modo prædicto, Sacerdos autem dicitur eam sanctificare, idest illum a quo omnis sanctitas est super eam invocare, ut illa sanctificet baptizatum, nec ad hoc nocet ejus immunditia, ut ostendetur in capitulo de Spiritu Sancto. Contra illud autem quod dicunt, scilicet baptismum Johannis ad nihil homini utilem, sic objicitur: Quomodo ergo stabit illud, quod dicit Johannes, *ut manifestetur in Israel*? Quomodo ergo stabit illud verbum Christi: *sic decet nos implere omnem justitiam*?

Præterea: nonne vides, quod in Baptismo Johannis cœli aperti sunt, & vox Patris intonuit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui?* Non propter ipsum, sed propter nos facta est hæc vox, ad significandum scilicet, quod baptizatus Baptismo Christi in aqua materiali, efficitur Filius Dei per gratiam, & quod Spiritus Sanctus in ipsum descendit, & quod ei aperitur janua Cæli, idest datur ei facultas intrandi. Item ad significandum, quod Baptismus debet fieri cum invocatione Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; istæ enim tres Personæ innotuerunt in Baptismo Christi; ad multa ergo utilis fuit Baptismus Johannis, licet non daret Spiritum Sanctum. Nonne etiam vides, quod ejus Baptismus, qui non erat nisi in aqua, dicitur Baptismus pœnitentiæ. Et quare? nisi quia ad ejus Baptismum venientes docebat dicens: *fructus dignos pœnitentiæ* Luc. 3. v. 8. Valuit etiam Baptismus Johannis, quia homines præparavit ad suscipiendum Baptismum Christi propter similitudinem materiæ, quia ejus Baptismus in elemento aquæ fiebat, sicut & Christi Baptismus fit: Unde Pater ejus prophetans Spiritu Sancto ait Luc. 1. v. 76. *Et tu puer, propheta altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus*.

§. III.

De Baptismo Christi, & unde habent Hæretici quod Baptismus aquæ materialis nihil valeat ad salutem.

Viso de Baptismo Johannis, videamus de Baptismo Christi. In primus ponamus rationes phanta-

(6) Ita nempe Ambrosius *in comment. ad Cap. extremum Lucæ*, Hieronymus *in Cap.* III. *Matthæi*, Augustinus, & alii, quos Theologi *in* III. Partem *Summæ Theologicæ* S. Thomæ *Quæst.* LXVI. *Artic.* II. recensent.

phantaſticas ipſorum, quibus moventur ad dicendum Baptiſmum aquæ materialis ad ſalutem non valere. In primis autem illud inducunt, quod habetur Actorum 8. v. 14. 16. 16. & 17. *Cum autem audiſſent Apoſtoli, qui erant Jeroſolymis, quod recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Johannem, qui cum veniſſent oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum Sanctum: Nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in Nomine Domini Jeſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Ecce quod dicitur hic, quod receperunt Spiritum Sanctum per impoſitionem manuum, & non per Baptiſmum aquæ materialis, ergo in Baptiſmo non datur peccatorum remiſſio. Ad hoc melius intelligendum conſideranda eſt hiſtoria actorum Apoſtolorum ubi a v. 5. citati capitis uſque ad 13. dicitur: *Philippus autem deſcendens in Civitatem Samariæ, prædicabat illis Chriſtum. Intendebant autem turbæ his quæ a Philippo dicebantur, unanimiter audientes & videntes ſigna quæ faciebat; multi enim eorum, qui habebant ſpiritus immundos, clamantes voce magna exibant, multi autem Paralytici & claudi curati ſunt. Factum eſt ergo gaudium magnum in illa Civitate. Vir autem quidam nomine Simon, qui ante fuerat in civitate Magus, ſeducens gentem Samariæ, dicens ſe eſſe aliquem magnum, cui auſcultabant omnes a minimo uſque ad maximum dicentes: Hic eſt virtus Dei, quæ vocatur magna. Attendebant autem eum, propter quod multo tempore magiis ſuis dementaſſet eos. Cum vero credidiſſent Philippo evangelizanti de Regno Dei, in nomine Jeſu Chriſti baptizabantur viri, ac mulieres. Tunc Simon & ipſe credidit, & cum baptizatus eſſet adhærebat Philippo.* Poſtea dicitur ibi: *Cum autem audiſſent Apoſtoli, qui erant Jeroſolymis, quod recipiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Johannem, qui cum veniſſent oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum Sanctum: Nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Dico ergo quod illi Spiritum Sanctum acceperant inviſibiliter, qui fuerant a Philippo baptizati, (7) uno ex ſeptem Diſcipulis, de quibus habetur Actorum 6. v. 5. Imo baptizati Baptiſmo aquæ materialis, acceperunt, dico, Spiritum Sanctum ad peccatorum remiſſionem; ſignificavit enim Columba ſuper Chriſtum baptizatum deſcendere ſuper baptizatum a Diſcipulis Chriſti Baptiſmo aquæ materialis, & Chriſtus tali Baptiſmo aquæ materialis baptizatus eſt a Johanne ad exemplum noſtrum, ſcilicet ut ab ejus Diaconis Baptiſmum aquæ materialis non dedignaremur accipere. Impoſitio autem manuum, quæ confirmatio ab Eccleſia nuncupatur, & datur poſt Baptiſmum, ad officium Diaconi non pertinet; unde Philippus, unus ex ſeptem Diaconibus, baptizavit in aqua Samaritanos, impoſitionem vero manuum Epiſcopis, (8) ideſt Apoſtolis ſervavit, quia ab aliis non poteſt fieri, quod patet, quia tempore Apoſtolorum non legitur facta ab aliis, unde Apoſtoli qui erant Jeroſolymis audientes Samaritanos recepiſſe verbum Dei *miſerunt ad eos Petrum & Joannem, qui cum veniſſent oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum Sanctum* viſibili ſigno; nondum enim ſupervenerat in eos manifeſtatione viſibili; Sic enim loquuntur variis linguis, *ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu* non tantum exterius ſed interius: *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum* viſibiliter. Quod autem ita ſit intelligendum, patet per illud quod conſequitur v. 18. & 19. *Cum audiſſet autem Simon quia per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam dicens: date & mihi hanc poteſtatem, ut cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum Sanctum.* Vidit autem, ſive quia eo vidente deſcendit Spiritus Sanctus in eos in linguis igneis, ſive per effectum, quia videbat eos loquentes linguis variis, tempore enim naſcentis Eccleſiæ in adventu Spiritus Sancti dabantur linguæ in ſignum, & ut miracula Fidem facerent prædicationi; Unde Apoſtolus 1. Corinth. 14. v. 22. dicit: *Linguæ in ſignum ſunt non fidelibus, ſed infidelibus.* Multis quidem modis legimus Spiritum Sanctum fuiſſe datum tempore Apoſtolorum: primo ſcilicet ante reſurrectionem ſine ſigno viſibili datus eſt Apoſtolis, ut haberi poteſt ex decimo capite Matthæi, ubi eis contulit poteſtatem ſpirituum immundorum, ubi etiam dicitur v. 20. *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Poſt reſurrectionem autem dedit eis in flatu; unde Johannis 20. v. 22. & 23. dicitur: *inſufflavit, & dixit eis: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* In Pentecoſte autem viſibili apparitione datus eſt eiſdem Apoſtolis, & aliis in linguis igneis: ad dilatationem Eccleſiæ, & manifeſtationem viſibiliter eis datus eſt 1. Corinth. 12. v. 7. *unicuique autem datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem*: Similiter Actorum Apoſtolorum 10. v. 44. *Adhuc Petro loquente verba hæc, cecidit Spiritus Sanctus ſuper omnes, qui audiebant verbum*: Et cap. 19. v. 6. *Et cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant*: Item actorum 4. v. 31. *Et cum oraſſent motus eſt locus, in quo erant congregati, & repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia.* [*]

Præte-

(7) Non negat Moneta præter viſibilia dona, auctam fuiſſe per confirmationis Sacramentum gratiam in iis, qui ante a Philippo fuerant baptizati: immo vero illapſum viſibilem gratiam ipſam interiorem ſecum importaſſe, uti rem certam ſuppoſuit. Nam etſi baptiſmo peccatum Originale, & reliqua ſi ſunt peccata tollantur, conferaturque gratia, quam *primam* vocant; confirmatione tamen perfici baptizati conſueſcunt, & vim quamdam ac robur aſſequi, quo felicius poſſint impetus hoſtium Chriſtiani nominis ſuperare. Conſuluntor Tertullianus *lib. de Baptiſmo cap.* VII. Sanctus Cyprianus in *Epiſt. ad Iubajanum*, S. Optatus Milevitanus *lib.* VII. *Contra Parmenianum*, S. Thomas III. P. *Quæſt* LXXII. *Art.* VII. ceterique quos recenſent Natalis Alexander *lib.* II. *Theol. Dogm. & Moral. Tract.* III. *Cap.* III *Artic.* I. *ſeqq.* & Jueninus *De Confirmat. Diſſert.* III. *Queſt.* VII. *Cap.* II. *Act.* I. *ſeqq.* & Sambovius *De Sacr. Confirm. diſp.* V. *Art.* I. *ſeqq. pag.* 288. *ſeqq. Edit. an.* 1686.

(8) Vide Notas ad *Cap.* II. Hujuſce libri.

[*] Quæ duobus aſteriſcis contenta ſunt, deſunt e codd. *Bonon.* & *Vat.*

Præterea si vis dicere mecum quod ille Baptismus aquæ materialis fuerit, & modo adjicias, quod tamen in eo non est data peccatorum remissio illis, neque Spiritus Sanctus, quia ibi dicitur: *Nondum enim in quemquam illorum venerat*; ergo a simili Discipulis non fuit datus Spiritus Sanctus ante resurrectionem ut dictum est Jo: 7. v. 39. *Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus*: Quod autem istud factum sit, patet in Capitulo de Ordine. Quod autem Philippus ille non esset unus de Apostolis, sed de septem Discipulis constitutis ad ministerium quotidianum, patet Actorum 8. ubi v. 1. dicitur: *Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Jerosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Judææ & Samariæ præter Apostolos*: & post pauca dicitur v. 4. *igitur qui dispersi erant pertransibant, evangelizantes verbum Dei*; & subditur de uno, qui erat de numero dispersorum præter Apostolos v. 5. *Philippus autem descendens in civitatem Samariæ prædicabat illis Christum*: Iste baptizavit Samaritanos, unde subditur v. 14. 15. & 16. *Cum autem audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Johannem, qui cum venissent oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum, nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu*. Apostoli enim non erant dispersi per Civitates Samariæ, ut patet ex principio 8. c., Philippus autem de dispersis erat in Civitate Samariæ ergo Philippus non erat Apostolus (9).

Præterea dicas tu mihi: dicitur, quod erant baptizati tantum *in nomine Domini Jesu*: de quo Baptismo intelligis? numquid de manuum impositione, quam falso appellas Baptismum? Non: quia non erat eis facta impositio manus; unde dicitur v. 17. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*. Numquid etiam de doctrina Salvatoris? Monstro tibi quod non, quia ibi dicitur v. 12. *Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de Regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulieres*. Aliud ergo erat Baptismus quo Baptizati essent, & aliud evangelizatio, sive doctrina; restat ergo quod baptizati erant Baptismo aquæ materialis; per quod patet, quod iste Baptismus debet esse in Ecclesia Dei, cum Apostoli eo fuerint usi; in Ecclesia autem Dei non esset, nisi valeret ad salutem, ergo talis Baptismus ad salutem est necessarius. Ad idem inducunt illud Actorum 19. ubi v. 1. & seqq. dicitur: *Factum est autem, cum Apollo esset Corinthi, ut Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum, & inveniret quosdam Discipulos, dixitque ad eos: Si Spiritum Sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si Spiritus Sanctus est audivimus. Ille verò ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Johannis Baptismate*. Et paulo inferius: *His auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu; & cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos*. Ecce, quod per impositionem manuum descendit Spiritus Sanctus in baptizatos, non per Baptismum Johannis. Istam auctoritatem introducunt; credentes Baptismum Ecclesiæ Romanæ esse Baptismum Johannis (10), cum Johannes in aqua materiali baptizaverit, sicut Ecclesia Romana. Hoc autem negamus, non enim credimus, aut dicimus, quod Baptismus, quo utitur Ecclesia, sit Baptismus Johannis; licet enim conveniat secum in materia, quia in aqua fit, tamen forma verborum Ecclesiæ nostræ est ista (11): *Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quam formam Dominus Discipulis primo dedit Mat. ultimo v. 19. *Baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*: Sed fuerunt etiam usi Discipuli Christi principio Ecclesiæ hac forma: *Baptizo te in nomine Domini Jesu Christi* (12). Hæc forma habita est in illis, quos Paulus præcepit baptizari, ut legitur in auctoritate præmissa Actorum 19. Quod autem forma verborum esset necessaria ut Baptismus fieret, & non aqua solum sufficeret, habetur Jo: 15. v. 3. ubi Christus ait Discipulis: *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem loquutus sum vobis*; mundi enim erant facti in Baptismo aquæ materialis, propter illa verba: *Baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti amen*. Verisimile (13) enim est, quod qui alios baptizabant in aqua materiali, ipsi essent similiter baptizati. Dicamus ergo, quod per Baptismum Johannis non dabatur Spiritus Sanctus, sed per Baptismum Christi, Baptismum scilicet aquæ materialis, dabatur, ut prædiximus, invisibiliter; per impositionem autem manuum, dabatur manifestatione visibili; unde post prædicta verba Actorum 19. statim sequitur: *Loquebantur linguis, & prophetabant*.

Præterea ex textu Actuum Apostolorum habetur, quod isti prius fuerunt baptizati Baptismate Johannis, demum a Paulo docti, deinde baptizati in nomine

mine

(9) Ita quidem Veteres omnes. Hinc merito Hugo Grotius in *Notis ad Cap.* VIII. *Actor Apostolicor. v.* 5. *Diaconus*, inquit, *ut censent veteres, recte. Nam si Apostolus fuisset, imposuisset & manus baptizatis*.

(10) Ab hæreticis Bogomiliis hoc opinionis monstrum mutuati sunt Cathari. Vide *notam* II. *in hoc cap.*

(11) Apud Græcos autem, quod eodem recidit, Βαπτίζεται ὁ δȣ̃λος τȣ̃ Θεȣ̃ εἰς τὸ ὄνοματȣ̃ πατρὸς, καὶ τȣ̃ υἱȣ̃, καὶ τȣ̃ ἁγίȣ πνεύματος. *Baptizatur Servus Dei in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Etsi autem formam baptismi Christus Dominus instituerit, ut mox adjungit Moneta, id tamen luculenter ex Scriptura ostendi non posset, nisi præsidio esset Sanctorum Patrum Traditio. Etenim, qui negant Baptismi eandem formam, apponunt non dixisse Christum: *Euntes Baptizate, dicentes, ego te baptizo, sed euntes docete omnes gentes, Baptizantes eos in nomine &c.* quare ut revinci possint hujusmodi homines, ad veterem nobis est confugiendum traditionem. Consulendi ergo Justinus Martyr, *Apologia pro Christianis, quæ secunda inscribitur*; Tertullianus *lib. de Baptismo cap.* XIII. aliique quos recenset Natalis Alexander *lib.* II. *Theol. dogm. & Moral Tract.* II. *Cap.* I. *Artic.* III. *pag.* 235. *seqq. Tom.* 1. *Edit. an.* 1703. & Juenınus *Dissert.* II. *de Sacr. Cap.* III. *Art.* III.

(12) Scio multos esse hac ætate Theologos, qui negent: verùm maxime esse verisimilem hanc, quam etiam S. Thomas defendit opinionem, multis evincit Clarissimus Orsius *Ord. Præd. Sacræ Indicis Congreg. a Secretis* in sua *De Baptis. in nomine Jesu Christi Dissertatione*, & in ejusdem *Dissertationis vindiciis*, quem consulas velim.

(13) Quod certum ratumque est, hoc verisimile dicit noster, disputationis gratia. Nam nemo homo ignorat fuisse Apostolos baptizatos. Alioquin falsus fuisset Christus, cum in Evang. Johannis *Cap.* III. affirmavit, neminem introire in regnum Dei posse, qui renatus non fuerit ex aqua & Spiritu Sancto. Consulendus Tertullianus *lib. de Baptismo Cap.* XII. *pag.* 227. *seqq.*

mine (14) Domini Jeſu, deinde eis manus impoſita fuit. Ex quo patet quod Baptiſmus Eccleſiæ alius eſt, quam Baptiſmus Johannis, & quam Doctrina, vel impoſitio manuum. Ille autem Baptiſmus Chriſti, Baptiſmus eſt aquæ materialis in forma verborum; ergo iſte Baptiſmus debet eſſe in Eccleſia, cum dicat Apoſtolus: *Imitatores mei eſtote* Philippen: 3. v. 17.

Ad idem inducunt illud Actorum 1. v. 5. (15) *Johannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto, non poſt multos hos dies* [*]. Ecce quod in Baptiſmo aquæ non dabatur Spiritus Sanctus. Ad hoc patet ſolutio, quia loquebatur de Baptiſmo Johannis dicens: *Johannes quidem baptizavit aqua*.

Concedendum autem eſt, quod in Baptiſmo Johannis non dabatur Spiritus Sanctus, & tamen in Baptiſmo aquæ datur modo Spiritus Sanctus, quia iſte Baptiſmus aquæ non eſt ille, qui tantum in aqua conſiſtebat, iſte autem in aqua & forma verborum præſcripta, ſcilicet in nomine Domini Jeſu in principio Eccleſiæ, vel in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Quod autem dictum eſt: *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto*: ſenſus eſt, ideſt vos, qui per Spiritum Sanctum jam eſtis mundati, & miracula operati, per ejus adventum conſolabimini, & corroborabimini, eo vos omnia docente. Iſtud autem plenius tangetur in Capitulo de Spiritu Sancto.

Ad idem etiam inducunt (16) illud verbum B. Petri in 1. Epiſt. c. 3. v. 21. *Salvos facit Baptiſma non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum*: Ex quibus verbis dicit hæreticus, quod Baptiſmus aquæ eſt depoſitio ſordium carnis, ſed hæc depoſitio non facit ſalvum; ergo Baptiſmus aquæ non facit ſalvum, ergo Baptiſmus non dat Spiritum Sanctum.

Solutio in verbis B. Apoſtoli Petri ſubauditur hoc ipſum *tantum*, & eſt ſenſus: non carnis depoſitio ſordium tantum, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum; ex Baptiſmo enim aquæ materialis, quæ ſordes carnis deponit & ex bona conſcientia, de qua interrogatur, qua baptizatur, ſalvus eſt. Nonne vides, quod Sol non illuminat cæcum ad videndum aliquid? Numquid hoc eſt defectu Solis? Non, ſed cæci. Similiter & Baptiſmus non ſalvat hominem diſcretionem habentem, niſi habeat bonam conſcientiam, & hoc interrogatur ab eo qui baptizatur, cum dicitur: *Credis in Deum Patrem Omnipotentem?* Et reſpondet: *Credo*, & hujuſmodi. Iſta autem forma habetur a Philippo, qui dixit ad ipſum Eunuchum: *Si credis ex toto corde, licet* tibi baptizari. Act. 8. v. 37. Reſpondit autem Eunuchus: *Credo Filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum*: ibidem: Quod autem hoc ipſum *tantum* non appoſitum quandoque ſubaudiatur, patet per ſimile Epheſiorum 6. v. 12. *non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem*, quod falſum eſſet, niſi ſubaudiretur *tantum*, cum dicat ad Gal. 5. v. 17. *Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum*.

Præterea: ſi bene attenderes illam authoritatem B. Petri, de errore tuo poſſes confundi multipliciter: & ut illud taceam *in quo & his, qui in carcere erant* 1. Petri c. 3. quia illud verbum tactum eſt in Capitulo de Deo Veteris Teſtamenti; nonne vides quod ait Apoſtolus idem: *Cum fabricaretur arca, in qua pauci, ideſt octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam, quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit Baptiſma*: ibidem v. 20. & 21. Ecce, quod dicitur Baptiſmus eſſe ſimilis formæ, ideſt aqueæ formæ, & quod ſic debeat ordinari constructio, ut dicatur Baptiſmus ſimilis formæ, ita quod genitivi regantur ab hoc nominativo Baptiſmus, patebit in Capitulo ſequenti, in quo probabimus, quod Baptiſmus aquæ naturalis debeat eſſe in Eccleſia, dicit enim Petrus, quod ſalvat Fideles. Quare ergo tu negas hoc? Nonne vides quod Petrus dicit: *Quoniam pauci, ideſt octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam in arca?* per aquam enim elevantem arcam in ſublime, ſalvi facti ſunt hi, qui in arca fuerunt, ne in diluvio perirent. Similiter per aquam Baptiſmi pauci, ideſt octo animæ, ideſt omnes illi, qui ſpem habent reſurrectionis corporeæ futuræ in octava ætate, ſicut etiam Chriſtus, & quia Chriſtus corporaliter reſurrexit, per aquam Baptiſmi elevantem arcam Eccleſiæ in ſublime, ideſt in Cælum, ſalvatur in arca Eccleſiæ, de qua tu miſer exiſti ad tuam damnationem [*]. Hic notandum eſt, quod bonæ conſcientiæ interrogatio fit alicui in propria perſona, ſi Adultus eſt, qui venit ad Baptiſmum, fit etiam alicui in perſona alterius, ideſt Patrino in perſona Pueri, qui de bono conſcientiæ interrogatur, quia Patrinus ejus interrogatur pro eo; ſicut enim per alium

(14) Nam cum audiſſet Paulus Diſcipulos, quos Epheſi offendit, Baptiſmo Johannis fuiſſe initiatos, rurſum eos baptizavit *in nomine Domini Jeſu*, deinde manuum impoſitione donavit, ut in eos Spiritus Sanctus deſcenderet, velut refert Lucas in *Actis C.* XIX. *v.* 2. *ſeqq.* Atque hinc ſane concludere quiſque merito poterit, baptiſmum noſtrum a Johannis baptiſmo diſcrepare, nec eſſe idem Sacramentum atque impoſitionem manuum. Adeundi Tertullian. *lib. de Baptiſmo cap.* x. Iohannes Chryſoſtomus *Homil.* x. *in Matthæum*; S. Ambroſius *lib.* II. *in Evangel. Lucæ*, S. Hieronymus *in Dialogo Contra Luciferianos*, S. Auguſtinus *lib.* v. *de Baptiſmo Contra Donatiſtas Cap.* x. S. Cyrillus Alexandrinus *lib.* II. *in Johann. Evang. &c.*

(15) Hoc idem objiciebant Catholicis Bogomilii, ut ex Euthymii *Panopli. Tit.* XXIII. *cap.* XVI. colligo. Sic enim habet: *Baptiſmum noſtrum Johannis baptiſmum eſſe dicunt; ſuum vero Chriſti; per Spiritum enim fieri, ut ipſis videtur*. Reſpondet autem Euthymius: *Si igitur baptiſmus aqua ſolum perageretur, Johannis nimirum eſſet nunc autem, cum aqua peragatur & Spiritu, quemadmodum Dominus docuit, niſi quis baptizatus fuerit*, inquiens, *ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Dei; incaſſum latrant*. Conſule quæ idem ex Baſilio, duobuſque Gregoriis, & Johanne Damaſceno refert *Tit.* XX. *Adverſus Paulicianos, pag.* 213. *Tom.* XIX. *Bibl. PP. Edit. Lugdunenſis*. Et quæ Tertullianus affert *lib. de Baptiſmo Cap.* x. *pag.* 227. *ſeqq.*

(16) Immo vero hoc idem in Manichæos intorquet merito Auguſtinus *lib.* XIX. *Contra Fauſtum cap.* XII. *col.* 319. *ſeqq. Tom.* VIII. *Opp.* „ Verumtamen, *inquit*, quia viſibilia Sacramenta pietatis „ ineſſe poſſunt etiam impiis, ſicut habuiſſe Sanctum Baptiſmum „ etiam magum Simonem legimus: fiunt tales, quales Apoſtolus „ ait, *habentes formam pietatis, virtutem autem ejus abnegan-* „ *tes*. Virtus autem pietatis eſt finis præcepti, ideſt *caritas de* „ *corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta*. Unde Apo- „ ſtolus Petrus, cum de Sacramento Arcæ, in qua Noe Domus „ a diluvio liberata eſt, loqueretur, ſic & *vos*, inquit, *ſimili* „ *forma baptiſma ſalvos facit*. Et ne ſibi ſufficere putarent viſibile „ Sacramentum, per quod habebant formam pietatis, & per ma- „ los mores perdite vivendo, virtutem ejus abnegarent, continuo „ ſubjecit: *non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ* „ *interrogatio*.

[*] Quæ duobus primis aſteriſcis concluſa ſunt deſunt e *Cod. Vat.* quæ autem mox ſequentibus, deſunt e *Bonon.* & *Vat.*

alium peccavit, ideſt per Adam, ut habetur Rom. 5. ita etiam per alium petit, & vult, & credit. Hoc autem melius patebit in proximo, cum agemus de catechiſmo, & ibi oſtendemus quod Parvulis prodeſt Baptiſmus.

§. IV.

Rationes Hæreticorum, quibus ſpecialiter impugnant Baptiſmum in Parvulis.

POſtquam vidimus de Baptiſmo aquæ [*] quomodo impugnant ipſum Cathari in generali, videamus de eo qualiter impugnent ipſum in Parvulis; dicunt enim (17) quod Parvuli ante annos diſcretionis per Baptiſmum ſalvari non poſſunt, & ad hoc inducunt illud quod legitur Act. 8. v. 12. *Cum vero credidiſſent Philippo evangelizanti de Regno Dei, in nomine Jeſu Chriſti baptizabantur viri ac mulieres*. Dixit hæreticus: Dicit *viri*, non dicit Pueri, vel Infantes.

Ad hoc dico, quod viri ibi notant ſexum quod patet ex eo quod addit & mulieres; unde ubi notat (18) ætatem, ubi ſexſus, ubi probitatem. Dico quod virorum ac mulierum nomine, Pueri ac Puellæ ſignantur.

Ad idem inducunt illud teſtimonium Marci (19) in fine c. 16. v. 16. dicentis: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur*; Parvulus autem non credit; ergo condemnabitur.

Ad hoc dico quod in illis verbis *Qui crediderit &c.* intelligitur de illo, qui poteſt credere prædicationi quam audit: & quod ita ſit patet per hoc quod præcedit v. 15. *Prædicate Evangelium omni Creaturæ*. Numquid Creaturæ nomine quælibet creatura intelligitur? Non: ſed tantum homo: & numquid quilibet Homo tam Adultus quam Parvulus? Non: quia per creaturam intelligitur homo Adultus tantum, qui capax eſt diſciplinæ. Cum ergo *qui* relatum ſit, & relatio ſit dictæ rei repræſentatio, hoc ipſum *qui* non repræſentat ibi niſi Adultos (20). Quare ergo introduxiſti ibi illam authoritatem de Parvulis, cum de ipſis non poſſit intelligi?

Hic notandum eſt quod duo dicit; primum *qui crediderit, & baptizatus fuerit*: Iſta enim duo neceſſaria ſunt adulto, de quo ibi loquitur Dominus. Modo reſponde mihi, quare poſtea non dixit qui non fuerit baptizatus, & qui non crediderit condemnabitur? Si ſine Baptiſmo, quem ponit manus impoſitio non eſt ſalus alicui, ſicut etiam ſine fide, cujus rei nullam habemus rationem. Ego autem dico quod ideo de Adulto loquens non dixit qui autem non fuerit baptizatus condemnabitur, quia Adultus poteſt ſalvari per fidem, & contritionem cordis de peccatis, ſi non habet copiam Baptiſmi, ut patet in Latrone in Cruce pendente. Inſtantia autem ad argumentum tuum hæc eſt Jacobi 3. v. 2. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir*. Sed demonſtrato aliquo Parvulo, iſte non peccat verbo, ergo eſt perfectus vir.

Forte dices: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir*: intelligitur ſi poteſt loqui? Et ego ſimiliter dico, qui non crediderit condemnabitur, ſi potens fuerit credere.

Præterea credere dupliciter dicitur: Uno modo idem eſt quod habere fidem, [*] alio modo idem eſt, quod uti fide. Primo modo dico quod Parvuli credunt; unde Rom. 4. v. 5. *Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui juſtificat impium, reputatur fides ad juſtitiam*. Sicut enim dicitur peccaſſe per alium, ita dici debet credere per alium (21), ideſt per Eccleſiam, dummodo ſit renatus in ea Jo. 3. v. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*, alioquin non ſuperexaltat miſericordia judicium.

Sed dicunt Jacobi 2. v. 20. *Fides ſine operibus mortua eſt*.

Et ego tibi reſpondeo illud Rom. 4. *Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ad juſtitiam*. Quomodo ſtat hoc cum illo?

[*] Deeſt in Bonon. & in Vatic.

(17) Fuerunt etiam Bernardi tempore, qui baptiſmum parvulorum negligerent. Nam Epiſtola CCXLI. Petrum Bruiſium & Henricum *pſeudo heremitam* ſic enim vocatur in *Actis S. Hildeberti Veter. Analector. pag.* 316. *Edit. Pariſ. an.* 1723. refellit, quod parvulis baptiſmum conferri minime poſſe arbitrarentur. *Parvulis*, inquit, *Chriſtianorum Chriſti intercluditur vita, dum baptiſmi negatur gratia, col.* 237. *Tom.* I. *Opp. Edit. an.* 1690. Vide etiam ejuſdem Epiſtolam CCXL. Qui plura de Henricianis, & Petrobruſianis volet, conſulat *Præfationem Monachorum S. Mauri in Opera Sancti Bernardi* §. VI. *n.* 67. *ſeqq.* Ac præiviſſe quidem Catharis qui ætate Monetæ vexabant Eccleſiam, Henricianos, cum ex iis, quæ noſter habet, tum ex Reinerio Sachono, & Bonacurſo, quorum de Catharis lucubrationes ſæpe ante meminimus, colligi facile poteſt. Corrigendi autem ſunt Jueninus, & ſi qui ſunt alii, qui Hermengaudum ſequuti, Valdenſes in hoc errore fuiſſe verſatos affirmant. Etenim Valdenſes *proprie dicti* numquam parvulis baptiſmum denegandum eſſe affirmaverunt. Dico *proprie dicti*, nam ſunt, qui Catharos Valdenſes appellarint, ut Hermengaudus, minus caſtigate: ut eſt in Prolegomenis obſervatum. Catharis accedunt Anabaptiſtæ & Sociniani qui Tranſilvaniam incolebant. Adeundus Bellarminus *lib.* I. *De Sacramento Baptiſmi cap.* VIII. *pag.* 125. *Tom.* III. *Opp. Edit. Venetæ an.* 1721.

(18) Etſi clare id elici ex ſcriptura nequeat verum tamen eſt, cum nullum Chriſtus a Gloria ſempiterna excludi velit: ex ſcripturis colligitur.

(19) Abutuntur hoc ſcripturæ teſtimonio Anabaptiſtæ, ut baptiſmum conferri non oportere evincant. Idque jam placuit Vitringæ, & Vandalemio *Hiſt. Baptiſ. pag.* 390. *Edit. an.* 1705. uterque enim fuit Anabaptiſta. Refellit hoc argumentum eorum Georgius Caſſander *Tom.* II. *Opp. De Baptiſmo Infantium pag.* 726.

(20) Recte quidem Moneta. Quid enim hinc contra parvulorum baptiſmum exculpent Anabaptiſtæ, quum inſtitutum Chriſti non fuerit de infantum ſalute aut baptiſmo ibidem ſermonem ſtatuere? Oſtendant autem neceſſe eſt, excludi a baptiſmo infantes, aut hoc aut quopiam alio teſtimonio Scripturarum: id quod aſſequi numquam poterunt. Quod ſi ex ῥητῷ illo colligunt infantes initiandos aquæ Sacramento non eſſe; quod nullam eorum mentionem fecerit Chriſtus; inferre etiam aliunde licebit, infantes ipſos in judicio minime apparituros; propterea quod Jeſus Servator eos tantum gloriam eſſe conſequuturos dixerit, qui ſitienti potum dederint, aut ſempiterno afficiendos ſupplicio qui potum eumdem denegarint; id quod in infantes cadere omnino non poteſt.

(21) Multa in hanc rem profert Auguſtinus Epiſtola XCVIII. *n.* I. *ſeqq. col.* 263. *Tom.* II. *Opp.* Adpoſite Cyprianus Epiſt. LXIV. *ad Fidum pag.* 281. *Edit. Amſtælod. an.* 1700. *Porro autem*, inquit, *ſi etiam graviſſimis delictoribus, & in Deum multum ante peccantibus; cum poſtea crediderint, remiſſa peccatorum datur, & a baptiſmo atque a gratia nemo prohibetur: quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit; niſi quod ſecundum Adam carnaliter natus; contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit? Qui ad remiſſam peccatorum accipiendam hoc ipſo facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, ſed aliena peccata.*

Dicunt etiam: jam debet finis esse mundi, si Pueri baptizati salvantur, quia completus esset numeros electorum, cum tot Parvuli jam decesserint.

Respondeo: Numquid scis, quot ceciderunt? Non; nec ego, unde de hoc non intromitto me.

Præterea, si nescis, quare dixisti, jam debet completus esse numerus electorum?

Dicunt etiam de Parvulis, quare salvabuntur Pueri baptizati, cum nihil boni agant?

Dico ego, quare condemnabuntur, cum nihil mali agant?

Præterea, non ex operibus justitiæ quæ fecerunt salvabuntur, sed secundum misericordiam Dei per lavacrum regenerationis.

Præterea, contra ponentem duo principia (22) dicas: nonne credis, quod oves Israel ex necessitate salvantur absque libero arbitrio? Ergo sine merito; non enim meretur quis opere facto ex necessitate, sed libera voluntate: unde 1. Corinth. 9. v. 17. *Si enim volens hoc ago, mercedem habeo*: quare ergo negas pueros salvari absque omni suo opere meritorio, & voluntario, dummodo renati sint in Baptismo Ecclesiæ, de quo dicit Apostolus ad Ephes. 4. v. 5. *Unum baptisma*?

Ad idem etiam inducunt (23) illud Matt. ult. v. 18. 19. & 20. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis*: Ecce quod prius dixit *docete omnes gentes*, postea subjunxit *baptizantes eos*, ergo qui sunt baptizandi, prius sunt docendi, sed Parvuli non sunt docendi, quia non sunt capaces disciplinæ, ergo non sunt baptizandi, & ita damnabuntur cum habeant peccatum.

Item, iste est ordo Ecclesiæ, quod prius quis doceatur, postea baptizetur; dicit autem Apostolus 1. Corinth. 14. v. 40. *Omnia autem honeste, & secundum ordinem fiant*: ergo quæ istum ordinem non habent, non fiunt secundum doctrinam Christi; sed Baptismus Parvulorum non habet hunc ordinem; ergo non fit secundum doctrinam Christi.

Solutio: prædicta authoritas de Adultis (24) inintelligitur, qui sunt capaces doctrinæ; omnes enim tales. antequam baptizentur sunt docendi; non est autem verum universaliter, quod omnes, qui baptizandi sunt, prius docendi sint; sed hoc verum est; qui baptizandi sunt, prius docendi sunt; sed non sequitur, pueri autem non sunt docendi, ergo nec baptizandi; est enim ibi fallacia consequentis ab inferiori ad superius negando, omnes enim docendi sunt baptizandi, sed non convertitur.

[*] (25) Forte dices quod nullus baptizandus est, nisi quærat Baptismum.

Respondeo: unde habes hoc? Si dicas, eo quod dicitur, *Quærite, & invenietis* Matth. 7. v. 7. Respondeo, & ipse per Apostolum Rom. 10. v. 20. & per Prophetam Isa. 65. dicit: *inventus sum a non quærentibus me*.

Præterea: nonne Christus sanavit Puerum Centurionis Matth. 8., & tamen non quærebat, sed alii pro eo? Leprosum curavit, qui quærebat sanitatem in Sabbato; unde Jo: 1. v. 23. *Indignamini quia totum hominem sanum feci in Sabbato?* Actorum 3. Claudum non quærentem sanitatem sanavit Petrus, & Johannes. [*]

Ad idem inducunt illud Act. 2. v. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum (26) in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum*. Prius ergo est quod homo pœniteat de peccato suo, deinde baptizetur; ergo cum Parvulus non sit susceptivus pœnitentiæ, nec Baptismi erit susceptivus, & inde damnabitur.

Respondeo: ut patet in textu Actuum Apostolorum, Petrus hoc dixit Adultis compunctis de peccatis in prædicatione sua: nam quoad parvulos *sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei*. Rom. 11. v. 29.

(27) Quærunt de Pueris non baptizatis, utrum damnentur, si decedant sine Baptismo?

Respondeo: Non invenio, quod damnentur post hanc vitam ad pœnam ignis æterni; unde nec hoc dicere volo, quod taliter damnentur. De aliis invenio ut patet Matt. 25. *Et ibunt hi in supplicium æternum*: Item Jo: 5. v. 29. *qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii*, illius scilicet, de quo 2. Thessal. 1. v. 7. 8. & 9. *In revelatione Domini Jesu de cælo cum Angelis virtutis ejus, in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi, qui pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini, & a gloria virtutis ejus*.

Præterea: illa pœna non datur eis de misericordia, sicut patet, nec de justitia, quia nullum malum fecerunt. Nonne possent dicere Deo: quare sentimus pœnam, cum non dederis nobis sensum, & facultatem ad bene, vel male agendum, sicut istis aliis dedisti? Scriptum autem est: *Universæ viæ Domini misericordia, & veritas* Ps. 24. v. 10., idest verum judicium; per quam viam iret Dominus circa Pueros non est assignare.

Si autem dicas: & qua via vadit non dando eis regnum?

Respondeo: via justitiæ, quia peccatum habent ab origine, idest ab Adam, ut dicit Apostolus Rom. 5. habent, dico, peccatum, licet non fecerint, unde dico quod damnantur juste in hoc intellectu, idest damnum habent, quia ad regni Dei visionem non venient; unde Io: 3. v. 3. *Nisi quis renatus*

(22) Nempe contra eos, qui Balasinansæ auscultabant, quod sæpe monuimus.

(23) Abutuntur hoc etiam ῥητῷ Evangelii Matthæi Anabaptistæ, inter quos Vandalemius l. 1. Vide Bellarminum *l. c. nota* 17.

(24) In idem recidat necesse est hæc atque illa quam Marci testimonio adhibita est responsio. Hanc ipsam opponit Anabaptista Casander *l. c. pag.* 728.

[*] (25) Desunt e codice *Vaticano*, quæ duobus asteriscis contenta vides.

(26) Ne ab hoc quidem testimonio contorquendo sibi temperant Anabaptistæ. Multa de intelligentia hujus ῥητοῦ inter Gatakerum, & Vvardum disputantur *Tom. 1. Opp. Gataker. De Baptismatis Infantilis vi, & efficacia pag.* 112. *seqq. Edit. an.* 1697. Sed errat uterque vehementer. Mihi vero hæc nostri interpretatio vehementer placet. Alloquitur enim 2. *Actor.* non parvulos Petrus, sed eos qui jam adoleverant.

(27) Quod hic ait Moneta non reperire se pœna sensus infantes non initiatos baptismo, damnari; verum est. Si tamen de Scriptura sit sermo. Nam fuerunt plerique Patres; qui igne sempiterno cruciari animas infantum, qui sine baptismo decesserint, affirmarunt; Augustino adstipulati. Vide *Norisium in Vindic. Augustin.*

natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Hoc sufficit dicere hæretico, & de ista condemnatione legitur Rom. 5. v. 18. *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem*, itum est, supple. Hæc enim condemnatio communis est omnibus propter originale peccatum, nisi renascantur ex aqua, & Spiritu Sancto; cui si aliquod peccatum fuerit additum ab habente tempus operandi, ira Dei revelabitur super illum, ut patet Rom. 1. v. 18. *Revelatur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem, & injustitiam &c.* usque ad v. 9. c. 2. *tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum.* Et istis dicetur: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare; sitivi, & non dedistis mihi potum; hospes eram, & non collegistis me; nudus, & non cooperuistis me; infirmus, & in carcere, & non visitastis me* Matth. 25. v. 42. & 43., & non dicetur pueris non baptizatis; nec contrarium, scilicet *dedistis*, dicetur baptizatis pueris; tamen hoc dicetur Parvulis baptizatis: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione Mundi* ibidem v. 34. unde Marci 10. v. 13. usque ad 16. *Et offerebant illi Parvulos, ut tangeret illos; Discipuli autem comminabantur offerentibus: Quos cum videret Jesus, indigne tulit, & ait illis: Sinite Parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos, talium enim est regnum Dei. Amen dico vobis: quisquis non receperit regnum Dei velut Parvulus, non intrabit in illud. Et complexans eos, & imponens manus super illos, benedicebat eos*: Illi autem, quos Christus benedixit, benedicti sunt; isti ergo sunt de benedictis Patris ejus, quibus dicit: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.*

Si autem dicant: isti Parvuli non sunt baptizati.

Respondeo: unde hoc habes? Forte dicent: Et vos unde habetis, quod fuerint baptizati?

Respondeo: credibile est, quod fuerint baptizati, postquam est manus eis imposita à Domino; invenio enim, quod quandoque baptismus sequebatur impositionem manus, ut in Paulo Act. 9. cui Ananias prius manus imposuit, & postea baptizatus est; vel prius sunt baptizati, & postea manus eis imposita est à Domino; invenio enim, quod manus impositio sequitur baptismum, ut patet act. 8. v. 14. usque ad 17. *Cum autem audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei.... Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Multa autem facta sunt a Domino, per se, vel Discipulos, quæ tamen non sunt scripta, ut habetur Jo: ultimo.

Vel aliter, & expeditius potes respondere hæretico dicenti, quod non fuerunt baptizati. Dicas ei, sufficit quod fuerunt benedicti a Christo, ipsi ergo boni erant, quia non benediceret eis si mali essent, vel nisi sua benedictione boni fierent, sciens scriptum esse Isaiæ 5. v. 20. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum.*

Ex prædictis patet, quod pueri non baptizati non erunt in judicio ex parte illorum, quibus dicetur: *Venite benedicti Patris mei*, nec ex parte aliorum, quibus dicetur: *Discedite maledicti*, ut dicit (28) B. Augustinus, qui ait statum medium fore, sicut etiam status medius est inter facere bonum, & facere malum, quod etiam patet ex eo, quod dicitur 2. 5. v. 10. *Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Ex quibus verbis evidens est, quod non deducitur ad examen, quod quis cum Originali natus est, sed quod operatus est, qui tempus habuit operandi.

§. V.

Quod Parvuli possint in fide Ecclesiæ salvari.

NUnc accedamus ad probandum sententiam nostram, scilicet quod Parvuli salvari possunt in fide Ecclesiæ. Si enim Deus per peccatum alterius damnaret puerum ante baptismum, & non salvaret eum per fidem alterius, non superexaltaret Misericordia judicium, idest non esset altior super judicio; propter quod etiam Apostolus Rom. 5. v. 15. *Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit*; idest abundanter transiit in plurium sive multorum justificationem per gratiam unius hominis Iesu Christi.

Quod autem pueri salvari possint in fide Ecclesiæ per Baptismum, probatur pluribus testimonjis; legitur enim Matth. 8. quod Iesus puerum Centurionis (29) per fidem ejus salvavit, unde v. 10. dixit de eo: *Non inveni tantam fidem in Israel*; postea dixit ei v. 13. *Vade & sicut credidisti fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.* Si in fide illius sanatus est

(28) Indicat hoc loco auctor, quod habet S. Augustinus *lib.* III. *de libero arbitrio Cap.* XXIII. „ Sicut vita esse potuit media in„ter recte factum, atque peccatum: ita & potest dari sententia „ judicis media inter præmium atque supplicium „ Verum negari nequit, quin Augustinus existimarit, infantes quidem baptizatos ex parte justorum, non baptizatos autem ex parte improborum consistere in judicio; atque unam eamdemque subire aut gloriæ, aut supplicii sententiam oportere. Nam cum sæpe alias, tum *sermone* CCXCIV. *al* XIV. „ Venturus, *inquit*, Dominus, & judi„caturus de vivis, & mortuis sicut Evangelium loquitur, duas „ partes facturus est, dexteram, & sinistram; sinistris dicturus (*Ite* „ *in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus*) „ dextris dicturus (*Venite benedicti Patris mei, percipite Re*„*gnum, quod vobis paratum est ab origine mundi*) hac regnum „ nominat, hac cum diabolo damnationem. Nullus relictus est „ medius locus, ubi ponere queas infantes. De vivis & mortuis „ judicabitur, alii erunt ad dexteram, alii ad sinistram, „ non novi aliud. Qui inducis medium, recede de medio: non „ te offendat, qui dexteram quærit &c. Vide *Hypomnesticon*, librum qui falso tribuitur Augustino, *cap.* V. aliosque veteres Scriptores, quorum testimonia refert Norisius Cardinalis *Vindic. August. Cap.* III. §. V. *per tot.* Sed Monetæ accedit S. Thomas *in Quæst. Disp. Quæst.* V. *de malo Art.* II. *per tot. pag.* 263. *seqq. Tom.* XII. *Opp. Edit. an.* 1660.

(29) Non eo dicit Moneta puerum Centurionis Sanctum, quo infantem illum fuisse censeat; sed quo ostendat, nihil obstare quo minus parentum, aut Ecclesiæ fide salvari infantes possint; cum Centurionis puer fortasse ne cogitans quidem, Domini sui fide sanitatem fuerit consequutus. Nam puer, de quo *Matth. Cap.* VIII. *v.* 6. Sermonem habet, παῖς Græce, non filius Centurionis, neque infans; sed servus fuit. Etenim נעל puer ab Hebræis pro משרת ministro usurpari solet. Neque vero apud judæos solum; verum etiam apud latinos, & Græcos. Apud Aristophanem in *Plut.* *v.* 624. Chremylus sic alloquitur servum Carionem ὦ παῖ Καρίων. *O puer*

eſt puer ejus corporaliter, quid mirum eſt ſi per fidem Eccleſiæ puer ſanatur ſpiritualiter in Baptiſmo, cum Deus magis ſalutem animæ quam corporis amplectatur?

Præterea: ſi miraculum illud ſpirituale eſt, non corporale, ut aſſerunt qui duo ponunt principia: patet, quod per fidem alterius aliquis a peccato ſanatur.

Item: nonne vides quod Matth. 9. v. 2. dicitur de quibuſdam: *Offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns Jeſus fidem illorum, dixit Paralitico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*; Quare ergo in fide Eccleſiæ non remittentur puero peccata?

Præterea: ſi fides illorum, qui credebant quod per eum ſanaretur Paralyticus corporaliter, ſubvenit paralytico; multo magis ſubveniet puero fides Eccleſiæ, quæ credit quod per ipſum Chriſtum ſpiritualiter ſanatur in Baptiſmo.

Item Matth. 15. per fidem Chananeæ curata eſt filia ejus, quæ male à Dœmonio vexabatur, unde v. 28. ei dicitur à Chriſto: *O mulier magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis. Et ſanata eſt filia ejus ex illa hora.*

Item Marci 9. quidam attulit filium ſuum ad Jeſum, qui habebat Spiritum mutum, cujus Patri dixit Jeſus v. 22. & 23. *Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti. Et continuo exclamans Pater pueri cum lacrymis ajebat: Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.* Et ad præceptum Jeſu exivit ab eo Spiritus malus.

Item Lucæ 8. v. 50. dixit Ieſus Archiſynagogo roganti pro filia ſua, quam mortuam eſſe quidam ei denuntiabant: *Noli timere: crede tantum, & ſalva erit*; Et ſic factum eſt,

Item Lucæ 18. v. 15. & 16. *Afferebant autem ad illum & infantes, ut eos tangeret. Quod cum viderent Diſcipuli* (30) *increpabant illos. Jeſus autem convocans illos dixit: Sinite pueros venire ad me, & nolite vetare eos, talium eſt enim regnum Cœlorum.* Nota quod dicitur *afferebant*, per ſe enim non veniebant. Item appellat eos infantes quia nondum loqui poterant; per ſe ergo nec fidem habebant, nec opera; & tamen Dominus imponebat eis manus, & benedicebat eos, ut habetur Marci 10., & ſic mundabantur per fidem illorum, qui portabant eos, facta ſibi manus impoſitione a Domino, & benedictione ſua eis data, alioquin ſi non mundabantur a peccato, fruſtra eis manus imponebat, & benedicebat eis fruſtra Dominus Jeſus, quod eſſe non poteſt; imo ſi Chriſtus eis benedicebat, benedicti erant.

Præterea Marcus dicit c. 10. v. 14. *Sinite Parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: talium eſt enim regnum Cœlorum.* Conſtat autem, quod non eſt niſi bonorum regnum Cœlorum; ergo Parvuli ſunt boni.

Præterea dicit v. 15. *Quiſquis non receperit regnum Dei velut Parvulus iſte, non intrabit in illud*; ergo Parvulus recipit regnum Cœlorum.

Item Matth. 18. v. 4. *Quicumque ergo humiliaverit ſe, ſicut Parvulus iſte, hic eſt major in regno Cœlorum*: Ecce Parvulum appellat humilem; & *qui ſe humiliat exaltabitur* Lucæ 18. v. 14. parvulus ergo bonus eſt.

Item 1. Timoth. 2. v. 4. *Qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Salvos ſcilicet a peccatis; unde Matth. 1. v. 21. *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum.* Ad agnitionem veritatis vult Deus venire, de qua 1. Jo: 3. v. 2. *Videbimus eum ſicuti eſt*, eum ſcilicet de quo dicitur Jo: 14. v. 6. *Ego ſum via, veritas, & vita*: ſed nonne Parvulus eſt homo? utique; unde Jo: 16. v. 21. *Mulier cum parit triſtitiam habet, quia venit hora ejus, cum autem peperit puerum, jam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in Mundo.*

§. VI.

De his, quæ Puerorum Baptiſma præcedunt.

ALio etiam modo adverſarii veritatis impugnant Baptiſmum, quia irrident antecedentia ad ipſum, ſcilicet Catechiſmum Puerorum, dicentes, fruſtra eos catechizari, (31) cum non ſint capaces diſciplinæ, dicentes, omnia eſſe falſa, quæ ibi dicuntur. *Quid petis ab Eccleſia Dei? Fidem. Credis in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum? Credo. Vis Chriſtianus fieri? volo.* Omnia iſta falſa ſunt, ut dicunt

O puer Cario. Et in *ranis v.* 194. Bacchus Charonem Servum appellans: *ποαῖ δεῦρο*, inquit, *Puer heus*. Similia occurrunt apud Plautum, Terentium, Ciceronem alioſque purioris latinitatis cultores veteres imprimis, ſummaque, in hiſce rebus auctoritate. Videtor, modo liceat, Grotius *Comment. in Cap.* VIII. *Matthæi v. 6.* Sed de puero Servo Matthæo Evangeliſtæ memorato omnem dubitationem tollit, quod de eodem habet S. Lucas *Cap.* VII. Evangelii. *δȣλον* enim, hoc eſt *Servum*, vocat, quem Matthæus appellat *ποαῖδα puerum*.

(30) Sanctus Innocentius I. Pontifex Maximus *Epiſt. inter Auguſtinianas* CLXXXII. *al* XCIII. *Ad Patres Concilii Milevitani n.6. col.* 640. „ Illud vero, *inquit*, quod eos veſtra fraternitas aſſe„ rit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis, etiam ſine ba„ ptiſmatis gratia poſſe donari, perfatuum eſt ... Qui autem „ hanc eis ſine regeneratione defendunt; videntur mihi ipſum ba„ ptiſmum velle caſſare, quum prædicant hos habere, quod in „ eos creditur, non niſi baptiſmate conferendum. Si ergo nihil „ volunt officere non renaſci; fateantur neceſſe eſt, regenerationis ſacra fluenta prodeſſe. Verum ut ſuperfluorum hominum prava doctrina celeri veritatis poſſit ratione diſcindi, proclamat „ hoc Dominus in Evangelio dicens: *Sinite infantes venire ad* „ *me, & nolite eos prohibere, talium eſt enim regnum Cœlorum.*

(31) Simile quidpiam Auguſtino oppoſuit Bonifacius Epiſcopus; ut conſtat ex *Epiſt.* CVII. al XXIII. *n.* 7. *col.* 266. *Tom.* I. *Opp.* „ Difficillimam ſanè, *inquit Auguſtinus*, quæſtionem tibi pro„ poſuiſſe viſus es, in extremo Inquiſitionis tuæ, ea videlicet in„ tentione; qua ſoles vehementer cavere mendacium. *Si conſti*„ *tuam*, inquis, *ante te parvulum, & interrogem, utrum* „ *cum creverit futurus ſit caſtus, vel fur non ſit futurus: ſine* „ *dubio reſpondebis: neſcio. Et utrum in eadem parvula ætate* „ *conſtitutus, cogitet aliquid boni vel mali: Dices, neſcio. Si* „ *itaque de moribus ejus futuris nihil audes certi promittere, &* „ *de ejus præſenti cogitatione: quid eſt illud, quod quando ad* „ *baptiſmum offeruntur, pro eis parentes tamquam fidei do*„ *ctores reſpondent, & dicunt illos facere, quod illa ætas co*„ *gitare non poteſt; aut ſi poteſt, occultum eſt? Interrogamus* „ *enim eos a quibus offeruntur, & dicimus, credit in* „ *Deum? De illa ætate, quæ utrum ſit Deus ignorat: reſpon*„ *dent: credit: & ad cætera ſic reſpondetur ſingula, quæ quæ*„ *runtur. Unde miror parentes in iſtis rebus tam fidenter pro* „ *parvulo reſpondere, ut dicant eum tanta bona facere, quæ ad* „ *horam, qua baptizatur, baptizator interrogat, tamen eadem* „ *hora ſi ſubjiciam: erit caſtus, qui baptizatur, aut non erit* „ *fur: neſcio utrum audet dicere aliquis, aliquid horum erit, aut*

„ *non*

dicunt hæretici, quia Parvulus nil petit, nil credit, nec vult Christianus fieri.

Ad hoc respondeo: quod omnia illa vera sunt, & Puer petit Fidem, sive Sacramenta Fidei, idest Baptismum, & vult fieri Christianus, & credit credenda. Dicitur autem petere, quia Patrinus ejus petit; eodem etiam modo dicitur velle, quia ille hoc vult ei; credere autem dicitur Puer, idest tempore debito crediturus fore, quantum in ipso Patrino erit, & ideo dicit credo, cujus sensus est: per me non stabit, sed dabo operam ut credat, unde dicendo credo, se obligat, ut eum erudiat de fide Christi, vel erudiri faciat. Catechizantur ergo Pueri, non quia disciplinæ capaces sint, sed ut pædagogus eorum cognoscat, de quibus eos debeat instruere, cum disciplinabiles fuerint (32).

Sicut autem derident catechismum, idest instructionem Puerorum, ita etiam derident exorcismum, idest adjurationem, & insufflationem Spiritus immundi, frustra enim insufflatur, frustra etiam adjuratur ut inde exeat, si ibi non est.

Præterea: si inde exiturus est, ergo ibi est. Hoc autem dicunt ad culpandum Matrimonium, dicentes: prægnantem esse dæmoniacam. Iterum si ibi esset essentialiter, vel per effectum, frustra adjuratur, vel insufflatur ut exeat, quia sic non exit.

Solutio: ibi non est, sed ejus effectus, scilicet peccatum originale, (33) & quo ad hoc inde exiturus est in Baptismo.

Præterea hoc non valet; exi ab eo, ergo in ipso est essentialiter. Petrus dixit Christo. Lucæ 5. v. 8. *exi a me*; nunquid Christus intra ipsum erat essentialiter? Non.

Ad aliud dicimus, quod non frustra insufflatur, vel adjuratur ut exeat quo ad effectum prædictum, quia sic diabolus affligitur (34), & ad exeundum non tunc, sed in Baptismo adjuratur, & tunc exit, quia effectus ejus idest peccatum ibi deletur.

Præterea, si derident insufflationem, derident Christum, qui insufflavit (35).

Si quæratur, utrum Pueri, qui nondum sunt disciplinabiles teneantur recipere Baptismum?

Distinguo: si *tenetur* importet obligationem, falsa est; si necessitatem ad salutem, vera est. Baptismus enim ad salutem absolute necessarius est ex institutione Dei Jo: 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.*

Item si quæratur, an parentes teneantur facere, quod Pueri baptizentur; & si tenentur, ex quo præcepto?

Respondemus: quod sicut tenentur providere eis necess-

„ *non erit, sicut mihi sine dubitatione respondet, quod credat in* „ *Deum, & quod se convertat ad Deum.* Magnam vim huic argumento, quod certe plumbeum est, inesse putant Anabaptistæ, imprimisque Vandalemius *Histor. Baptis. pag.* 377. Sed cujusmodi sit constabit sequente notatione.

(32) Eodem fere spectaret, quæ Augustinus *Epistola mox indicata* exequitur, *n. 2. ut autem*, inquit, *possit regenerari per Officium voluntatis alienæ, cum offertur consecrandus, facit hoc unus Spiritus, ex quo regeneratur oblatus. Non enim scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium, vel ministrantium fide*: sed nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto. *Aqua igitur exhibens forinsecus Sacramentum gratiæ, & Spiritus operans intrinsecus beneficium gratiæ, solvens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerant hominem in uno Christo, ex uno Adam generatum. Regenerans ergo Spiritus in majoribus, offerentibus, & Parvulo oblato renatoque communis est. Ideo per hanc Societatem unius, ejusdemque Spiritus, prodest offerentium voluntas Parvulo oblato, & n.* 8. *Itaque Parvulum, & si nondum fides illa, quæ in credentium voluntate consistit, jam tamen ipsius fidei Sacramentum fidelem facit. Nam sicut credere respondetur, ita etiam fidelis vocatur, non rem ipsam mente annuendo, sed ipsius rei Sacramentum, percipiendo. Cum autem homo sapere cœperit, non illud Sacramentum repetet, sed intelliget, ejusque veritati consona etiam voluntate coaptabitur. Hoc quamdiu non potest, valebit Sacramentum ad ejus tutelam adversus contrarias potestates; & tantum valebit, ut si ante rationis usum ex hac vita emigraverit, per ipsum Sacramentum commendante Ecclesiæ charitate, ab illa condemnatione quæ per unum hominem intravit in Mundum, Christiano adjutorio liberetur. Hoc qui non credit, & fieri non posse arbitratur, profecto infidelis est; etsi habeat fidei Sacramentum.* Atque hæc quidem ab Augustino reddita est conveniens ratio; quamvis satis illi fuisset ad Apostolicam traditionem confugere. Verum quoniam inveteratam consuetudinem Bonifacius (cujus auctoritate nititur Vandalemius) non negabat, quærebat autem congruentem aliquam rationem; idcirco a traditione afferenda sibi esse supersedendum putavit. Nam Bonifacius sic Epistolam suam concluserat: *ibid. n. 8. col. 267. Ad istas ergo quæstiones peto breviter respondere digneris. ita ut non mihi de consuetudine præscribas, sed rationem reddas.* Errat ergo vehementer Vandalemius, cum Bonifacio incognitam fuisse hanc traditionem affirmat. Si enim incognita fuit homini hæc tanta tamque alte repetita traditio; cur Augustinum admonuit, ne sibi præscriberet de consuetudine? Quod si afferat Testimonia Tertulliani *lib. De Bapt. Cap.* XVIII. qui Baptismum ad adultam ætatem differri oportere satius esse putavit; nihil est, quod expedire tam facile possimus. Nam Tertulliani consilium non probarunt, qui illa ætate florebant Catholici; quippe qui verba Christi opponerent: *Sinite Parvulos ad me venire*: ut suum institutum rationi ostenderent, & auctoritati esse maxime consentaneum. Etsi vero vetus ille scriptor effugere vim argumenti conatus sit, non valuit tamen. Ridicula enim est ea, quam adhibet, responsio: *Ait quidem Dominus*, inquit, *nolite illos prohibere ad me venire. Veniant ergo dum adolescunt; veniant dum discunt; dum quo veniant doceantur.* Quamquam enim hæc flagitet Tertullianus; Christus tamen non flagitavit, ut parentes ad ipsum pueros adducerent, posteaquam adolevissent. Deinde numquam affirmavit Tertullianus irritum esse Baptismum traditum infantibus, sed utilius esse dixit, eum ad ætatem adultam esse differendum. Quamobrem injuria Vandalemius Anabaptista auctoritate Tertulliani se se defendit. Illud quoque accedit, quod neque Fidus Africanus Episcopus, neque Gregorius Nazianzenus, quorum testimoniis abutitur ille ipse Anabaptista, errorem de Baptismo infantium renovando amplexi sint. Siquidem Fidus, cujus Synodus Africana, ut est *Epist.* LXIV. auctor Cyprianus, rejecit consilium, infantes quidem esse Baptismo initiandos ajebat, sed post VIII. a nativitate diem; Gregorius vero Nazianzenus *Orat.* XL. triennes pueros baptizari volebat, nisi tamen contra necessitas postulasset: quæ sane dicendi ratio ab errore Anabaptistarum quam longissime discrepat. Vide Jueninum *Comment. Hist. Dogm. de Sacram. Dissert.* IJ. *Quæst.* II. *Art.* IJ. & Bellarminum *l.* V. *de Bapt. Cap.* VIII. *To.* III. *Opp. Edit. Venet. an.* & Edmundum Martenium *lib.* I. *De Antiquis Ecclesiæ ritibus Cap.* I. *Art.* VIII. *n.* VII. *seqq.*

(33) Ita respondet Sanctus Augustinus *lib.* VI. *Op. Contra Julianum cap.* V. *& l.* III. *Operis Imperfecti contra eumdem Cap.* CXCIX. ubi hæc habet *exsufflantur*, ut diabolo, *qui contagione peccati tenet Parvulum reum, foras misso, Parvulus transferatur ad Christum.* Exsufflationis ritus jam inde ab initio Ecclesiæ obtinuit, non apud Occidentales solum, verum etiam apud Orientales Christianos. Adeundus Martenius *lib.* I. *De Ritibus Cap.* I. *Art.* VI. *n.* VIII. *seqq.* Sunt etiam Hæretici hujusce temporis infesti ritibus hisce, qui ab Ecclesia adhibentur, ut videre est apud Bezam *l.* II. *Hist. Eccl. pag.* 99. & apud Auctores Operis *De la perpetuitè de la Foy. liv.* I. *Chap.* I. *pag.* 13. *Tom.* II

(34) Consulitor Cyrillus Hierosolymitanus *Pro Catech. n.* 9. *p.* 7. *& Catech.* XX. *n.* 3. *pag.* 312. *Edit. Paris. Toutei. ubi quemadmodum*, inquit, *insufflationes Sanctorum, & invocatio nominis Dei, flammæ instar vehementissimæ dæmones urit, & effugat &c.* Adeundi Touteus in *not. ad Procatech. S. Cyrilli pag.* 7. *& Martenius lib.* I. *De Antiquis Ecclesiæ ritibus Cap.* I. *Art.* III. *n.* VIII. *seqq.* Renaudotius *Tom. Extremo de la Perp. de la Foy. liv.* II. *Cap.* X. *pag.* 146. *seqq.*

(35) Adisis Cyrillum Hierosolymitanum Catech. XVII. *n.* XII. pag. 271.

necessaria ad salutem corporis, sic, imo multo magis necessaria ad salutem animæ. 1. ad Tim. 5. v. 8. *Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior*. Item ad Eph. 6. v. 4. *Patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina, & in correptione Domini*.

Hic ponenda est quæstio hæreticorum, quare Deus infundit animam corrupto (36) vasi, sciens quod inde contrahit peccatum originale, propter quod indiget Baptismo?

Cujus solutio est, quia licet æquali facilitate possit eam infundere; licet homo peccaverit, & peccando corpus suum corruperit, tamen decretum suum circa modum humanæ conditionis mutare noluit. Decretum illud erat, ut ex uno homine omnes, sicut ex Deo uno anima; in hoc enim est homo imago, & gloria Dei, ut habetur 1. Corinth. 11. v. 7. Istud decretum tangit Apostolus Act. 17. v. 26. *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ*. Istud idem tangit Rom. 9. v. 21. *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* De immutabilitate ejus Jacobi 1. v. 17. *Apud quem non est transmutatio*.

Alia quære secundo libro cap. *De traductione animarum*.

§. VII.

Quot modis intelligatur Baptisma.

Modo videndum est de Baptismo Christi, & Ecclesiæ Dei. Primo autem videamus quibus modis, & quot dicatur Baptismus in Scriptura Divina; Secundo, quid sit Baptisma Ecclesiæ de quo dicit Ap. Eph. 4. v. 5. *Unum Baptisma*; Tertio quæ sit Baptismi efficacia. Primo ergo videamus quibus & quot modis dicatur Baptismus secundum Scripturas Divinas. Uno modo dicitur Baptismus (37) ablutio facta in aqua materiali, unde: *Johannes quidem baptizavit aqua*. Act. 1. v. 5. Item alio modo dicitur Baptismus acceptio Spiritus Sancti ad robur; unde ibidem: *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto*; Verba sunt Christi ad Discipulos in die Ascensionis; ista autem quædam ablutio est, non ab immundis maculis, sed a minoritate; minus enim habebant Spiritum Sanctum ante diem Pentecostes, quam postea. Istud autem magis patet in Capitulo de Spiritu Sancto. Hoc modo dicit Dominus Jo: 15. v. 2. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat*. Invenitur etiam tertius Baptismus, scilicet passionis, unde Lucæ 12. v. 50. *Baptismo autem habeo baptizari: & quomodo coarctor, usque dum perficiatur?* Item Marci 10. v. 39. *Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis; & Baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini*. Istis tribus modis invenitur in novo Testamento sumi nomen Baptismi, & non pluribus; & propter hos tres modos Ap. Hebr. 6. v. 1. & 2. pluraliter locutus est, dicens: *Non rursus jacentes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, Baptismatum, Doctrinæ, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, & judicii æterni*, quasi diceret Apostolus, ita jaciamus fundamentum pœnitentiæ de operibus malis, & fundamentum fidei ad Deum, ut non sit opus iterum jacere. Et exponit fundamentum fidei, idest fidem, quæ est fundamentum, per partem, cum subdit Baptismatum, quia in suo Baptismo docebat eos pœnitere, quasi dicat: jaciamus fidem Baptismatum tamquam lapidem firmum in fundamento. Item fidem doctrinæ Christi, & fidem impositionis manuum, & fidem resurrectionis mortuorum, & fidem judicii æterni.

Si autem dicat Hæreticus, quod alio modo sumitur Baptismus in Scriptura, scilicet pro pœnitentia; hoc non potest ostendere testimonio aliquo; quod enim dicit Paulus Act. 19. v. 4. *Joannes baptizavit Baptismo pœnitentiæ populum*; cum Johannis Baptismus daretur in aqua materiali, Baptismus Johannis non erat pœnitentia, sed dicitur Baptismus pœnitentiæ, quia in suo Baptismate docebat eos pœnitere; unde Matth. 3. v. 2. dicitur, quod ipse prædicabat venientibus ad Baptismum suum: *Pœnitentiam agite*. Quod autem ibi v. 11. dicit Johannes; *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam*, ostendit quod in aqua erat ejus Baptismus, sed ad pœnitentiam, quia in eo monebat homines venire ad eam; non enim dixit *in pœnitentia*, sed *in pœnitentiam*.

[**] Dicunt etiam hæretici Baptismum sumi pro Doctri-

(36) Fuit hoc idem objectum Patribus a Pelagianis, objiciturque hac nostra ætate Catholicis ab Socinianorum peste. Nos fide constare peccatum originale inficere animam dicimus, probamusque Scripturæ atque traditionis auctoritate. Quin etiam Deum justum esse, neque moliri quidquam contra justitiam multis evincimus. Quemadmodum autem Dei justitia necti cum creatione animorum intrusorum in corpora, sordibusque peccati inquinatorum possit; etsi explicare non possemus, non inde tamen licet concludere, aut injustum esse Deum, aut peccatum originale tolli oportere. Si enim res ob oculos positæ, aut facultate naturæ nobis perspectæ, qua ratione inter se connectantur, intelligi non potest; multo magis ea difficile erit explicare, quæ sunt nostro sensu intelligentiaque superiora. Ego enim & animum spiritualem in me esse scio, & corpore me esse præditum scio; qui autem animus Spiritualis conjungatur inerti corpori nescio: an ergo inferam corpus animo non esse conjunctum? Nihil minus. Itaque etsi justitiam, quæ vere inest in supremo Numine, cum *permissione* peccati Originalis, qua sum imbecilla intelligentia nectere ipse nequirem; maneret nihilominus peccatum originale. Egregie Augustinus *Lib.* I. *de Nupt. & Concupiscentia Cap.* XIX. *n.* 21. *col.* 291. „ Ex hac igitur concupiscen-„ tia carnis quod nascitur; utique mundo, non Deo nascitur. „ Deo autem nascitur, cum ex aqua, & spiritu renascitur. Hujus „ concupiscentiæ reatum regeneratio sola dimittit: ac per hoc ge-„ neratio trahit. Ergo quod generatum est, regeneretur, ut si-„ militer, quia non potest aliter, quod tractum est remittatur. „ Utrum enim quod dimissum est in parente trahatur in prole; „ miris quidem modis fit; sed tamen fit. Hæc invisibilia; & infi-„ delibus incredibilia; sed tamen vera, ut haberent aliquod visi-„ bile exemplum, hoc in quibusdam arbustis divina providentia „ procuravit &c. Sed affert Moneta hoc loco rationem alicujus momenti. Vide etiam S. Th. I. II. Q. LXXXI. *Art.* I.

(37) Traditio Ecclesiæ est, Scripturarum quoque novi Testamenti auctoritate munita; Aquæ Baptismum suppleri Baptismo Martyrii, vel etiam Baptismo *Flaminis* in hominibus adultæ ætatis; est autem Baptismus Flaminis perfecta cordis ad Deum conversio cum voto Baptismi aquæ, quando homo a susceptione Baptismi ejusdem aquæ necessitate quadam excluditur. Vide Natalem Alexandrum *lib.* II *Theol. Dog. & Mor. Cap.* III. *prop.* III. & IV.

[**] Quæ duobus primis asteriscis complexi summus desunt e Cod. Bonon.; quæ autem duobus sequentibus non exstant in Vaticano.

Doctrina, (38) quod in nullo loco ſcripturæ invenire poſſunt. Forte dicent: nonne dicitur Eccl. 15. v. 3. *aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum*? Sic ergo aqua dicitur ſapientia, ergo & doctrina.

Dico eis: unde habetis aqua dicitur Sapientia, ergo Doctrina, cum Doctrina ſit effectus ſapientiæ?

Præterea etſi Doctrina dicitur aqua, non ſequitur quod dicatur Baptiſmus, non enim omnis aqua Baptiſmus.

Præterea ex illo teſtimonio Eccleſiaſtici, non habetur quod aqua ſit Sapientia, ſed Sapientiæ ſalutaris, quæ eſt Chriſtus. 1. Cor. 1. v. 23. & 24. *Prædicamus Chriſtum Crucifixum Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam, ipſis autem vocatis Judæis, atque Græcis Chriſtum Dei virtutem, & Dei Sapientiam*.

Dicunt etiam quod Baptiſmus dicitur impoſitio manuum, (39) quod minime poſſunt oſtendere.

§. VIII.

Quod nam ſit Baptiſma de quo Apoſtolus: una Fides unum Baptiſma.

Ecce habemus quibus modis ſumitur Baptiſma in Scriptura Sacra, nunc videndum eſt de quo Baptiſmo intelligat Apoſtolus hoc quod dicit Eph. 4. v. 5. *Unus Deus, una fides, unum Baptiſma*, cum enim plura inveniantur Baptiſmata, ut ſupra oſtendimus, non fruſtra dixit Apoſtolus, unum Baptiſma, ſed ut ſignificaret Baptiſma Eccleſiæ Dei, quod ad ſalutem neceſſarium eſt. Modo quæro an illud Baptiſma, de quo Apoſtolus loquitur, ſit Baptiſma aquæ matterialis?

Ad hoc ſolent dicere hæretici, quod illud Baptiſma eſt impoſitio manuum.

Hoc autem frivolum eſſe oſtendetur 1. quia nullo teſtimonio confirmatur. 2. quia evidentibus teſtimoniis apparet, quod aliud eſt Baptiſma, quam manuum impoſitio. Hoc enim patet ex auctoritate Ap. Hebr. 6. v. 1. & 2. *non rurſum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, Baptiſmatum, Doctrinæ, impoſitionis quoque manuum &c.* Item act. 8. ubi dicitur quod Samaritani baptizati in nomine Domini a Philippo, poſtea ab Apoſtolis manus impoſitionem acceperunt, de quo ſupra diximus, ubi egimus de Chriſti baptiſmate. §. 3. Iſtud etiam patet act. 19. v. 5. & 6. ubi dicitur quod baptizati a Johanne poſtea *baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu, & cum impoſuiſſet illis manus Paulus venit Spiritus Sanctus ſuper eos*. In quibus verbis patent duo, ſcilicet quod Baptiſmus in nomine Domini Jeſu non eſt Baptiſmus Johannis, ut dictum eſt ſupra in principio hujus tractatus ibidem; & quod Baptiſmus datus in nomine Domini Jeſu aliud eſt, quam manus impoſitio. Idem etiam patet act. 9. v. 18. ubi poſtquam Ananias impoſuit manum Paulo dicitur: *& ſurgens Baptizatus eſt*. Ubi etiam patet quod Baptiſmus non poteſt dici Doctrina, quia Ananias non docuit eum ut habetur ad Gal. 1. Aliis etiam modis patebit hoc idem.

Dixit etiam hæreticus, quod Doctrina dicitur Baptiſmus aquæ: hoc autem quia non poſſunt oſtendere aliquo teſtimonio Scripturæ, & quia teſtimonio evidentiſſimo contrarium invenitur, falſum eſſe manifeſtum eſt.

Dicit enim Apoſtolus 1. Cor. 1. v. 17. *Non enim miſit me Chriſtus baptizare* (40), *ſed evangelizare*; aliud ergo eſt baptizare, & aliud evangelizare, ergo aliud eſt Baptiſmus, & aliud Doctrina. Ibidem etiam patet, quod baptizare non eſt idem quod manus imponere; hoc enim ſuum erat, & aliorum Apoſtolorum, & hoc hodie eſt Epiſcoporum Eccleſiæ.

Item Io: 4. v. 2. dicitur: *quanquam Jeſus non baptizaret, ſed Diſcipuli ejus*. Numquid Jeſus manus non imponebat? Numquid non docebat, ſed Diſcipuli ejus? Non. Aliud ergo eſt Baptiſmus Eccleſiæ Dei, quam manus impoſitio, vel Doctrina; Baptiſmus ergo Diſcipulorum Chriſti erat in aqua materiali, alioquin non ſtaret quod dicitur: *Quanquam Jeſus non baptizaret, ſed Diſcipuli ejus*.

Idem etiam patet act. 19. ſcilicet, quod Baptiſmus Eccleſiæ non dicitur Doctrina, ut dictum eſt ſupra, agendo de Baptiſmo Chriſti §. 3.

Item Matth. 3. v. 13. dicitur: *Venit Jeſus a Galilæa in Jordanem ad Johannem, ut baptizaretur ab eo*. Numquid ut ab eo & manus imponeretur, vel ut ab eo doceretur? Non; unde patet quod Chriſtus ſuſcepit in ſe Baptiſmum aquæ materialis; de quo dictum eſt ſupra de Baptiſmo Iohannis.

Præterea ibi v. 16. dicitur: *Baptizatus autem Jeſus, confeſtim aſcendit de aqua*. Numquid iſta eſt aqua ſpiritualis? Non: quia in tali aqua Johannes eum baptizare non poſſet, nec Jeſus baptizatus de illa aſcenderet, imo in illa ſemper maneret, & manſit, quæ placita erant Patri faciens ſemper: venit ergo ibi pro aqua materiali.

Præterea ibi a Matthæo dictum eſt: *venit Jeſus a Galilæa in Jordanem ad Johannem, ut baptizaretur ab eo*, & Marci 1. v. 9. dicitur: *Baptizatus eſt à Johanne in Jordane*. Si Jordanis iſte ſpiritualis fluvius eſſet, cujus aqua ſpiritualis eſſet, non fuiſſet Jeſus in eo baptizatus à Johanne, imo potius e contrario, reſtat ergo quod Jordanis materialis ſit, & aqua materialis, ubi Jeſus a Johanne baptizatus eſt.

Item Matth. ultimo v. 19. & 20. dicit Chriſtus Diſcipulis: *Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris*, (41) *& Filii, & Spi-*

(38) Calvinus *lib.* IV. *Inſtit. Cap.* XIV. aliique plures hæretici hujuſce temporis formam Sacramentorum *concionalia* eſſe, non *conſecratoria* putant. Etſi vero a Catharis diſcrepent, quod hi tollerent ablutionem, illi vero ponendam eſſe omnimodis putent; tamen nonnihil novis Heterodoxis cum antiquis Catharis convenit. Videſis Bellarminum *lib.* I. *de Sacram. in Gen. Cap.* XIX.

(39) Conſule Notationem 2. ad Cap. I. Hujuſce IV. Libri.

(40) Abutuntur hoc teſtimonio hæretici, qui verba Sacramentorum concionatoria eſſe pugnant. Vide Bellarminum *lib.* I.

(41) Omnia hæc, quæ noſter expendit teſtimonia Scripturarum, adhibet etiam Tertullianus libro de Baptiſmo Cap. I. XII. XIII. XIV. *ſeqq.* ut neceſſarium eſſe Baptiſmum aquæ contra Cajanam hæreſim evincat; Quoniam autem longior eſſem, quam ratio poſtulet, ſi transferre huc omnia Tertulliani argumenta vellem, ad ejuſdem librum remittendum eſſe Lectorem putavi. Sed unum Baptiſmum appellavit Apoſtolus, quia Baptiſmus Aquæ ſemel ſuſceptus *iterari* non poteſt. Videndus Jueninus *Diſſ.* II. *De Sacram. Bapt. Quæſt.* IX. *Cap.* I.

Spiritus Sancti, *docentes eos servare omnia*, *quæcumque mandavi vobis*. Aliud ergo est Baptismus Ecclesiæ Dei, & aliud doctrina ejus. Quod autem Baptismus fieret in aqua materiali a Discipulis ante Christi resurrectionem prius ostensum est.

Nunc ostendamus quod post resurrectionem ex mandato Christi: *euntes docete omnes gentes baptizantes eos &c.* baptizaverint Apostoli in aqua materiali. Istud autem jam patere potest ex testimonio act. 8. de Samaritanis ut diximus. Item ex testimonio act. 19. quod præmisimus.

Item ex testimonio Pauli 1. Corth. 1. v. 17. *non enim misit me Christus baptizare*, *sed evangelizare*, prius enim dixerat v. 14. 15. & 16. *Gratias ago Deo*, *quod neminem vestrum baptizavi*, *nisi Crispum*, *& Cajum*: *ne quis dicat*, *quod in nomine meo baptizati estis*; *Baptizavi autem & Stephanæ domum*. *Cœterum nescio si quem alium baptizaverim*. Hoc autem verbum dixit Apostolus, quia de voluntate Dei vacabat prædicationi, socii autem baptizabant credentes; unde ipse ait c. 3. v. 6. *ego plantavi*, *Apollo rigavit*, *sed Deus incrementum dedit*. Plantavit quidem eos Paulus in fide, eis prædicando, Apollo autem rigavit, in aqua baptizando, Deus autem dedit incrementum muneris sui.

Nunc ad idem alia testimonia inducamus, & 1. illud quod legitur act. 8. a v. 16. usque ad finem capitis: *Angelus autem Domini locutus est ad Philippum dicens &c.* usque: *Philippus autem inventus est in Azoto*. Modo dicas mihi: iste homo venerat adorare in Jerusalem, & revertebatur sedens super currum suum. Iste homo non erat Spiritualis, nec in curru Spirituali erat, adhuc currus suus materialis erat, in quem precibus ejus ascendit Philippus, & ad interrogationem ipsius exposuit verba illa Isaiæ 53. v. 7. *Sicut ovis ad occisionem ducetur*, *& quasi agnus coram tondente se obmutescet*, *& non aperiet os suum*. *De angustia*, *& de judicio sublatus est*: *generationem ejus quis enarrabit*? *quia abscissus est de terra viventium*. Et evangelizavit illi Jesum incipiens a Scriptura illa. Post istam evangelizationem pervenerunt ad quandam aquam: *Et ait Eunuchus*; *Ecce aqua*: *quis prohibet me baptizari*? *Dixit autem Philippus*, *si credis ex toto corde licet*: *& respondens ait*; *Credo Filium Dei esse Jesum Christum*. *Et jussit stare currum*: *& descenderunt uterque in aquam Philippus & Eunuchus*, *& baptizavit eum*. Ista aqua non est Doctrina Spiritualis, quia post Doctrinam, qua ei evangelizaverat Jesum dicitur, quod *venerunt ad quandam aquam*.

Præterea Eunuchus vidit illam aquam, & demonstravit eam Philippo dicens: *Ecce aqua*; *quis prohibet me baptizari*? Si esset aqua ista Doctrina Spiritualis, nec eam vidisset, cum non esset Spiritualis adhuc, nec eam Philippo demonstrasset, sed potius e contrario.

Præterea: si vidisset eam, non oculo corporis vidisset, hoc constat; ergo oculo mentis. Sic ergo intelligebat eam, ergo jam erat in eabaptizatus [*]. Idest edoctus, si Baptismus est Doctrina; constat autem, quod nondum erat baptizatus. *Dicit enim*: *quis prohibet me baptizari*? [*]

Præterea dicitur ibi *descenderunt uterque in aquam*. Unde descenderunt, nisi de curru? Ille autem currus materialis erat; Ergo & illa aqua in quam descenderunt erat materialis.

Præterea dicitur: *Cum autem ascendissent de aqua*, *Spiritus Domini rapuit Philippum*, *& amplius non vidit eum Eunuchus*. *Ibat autem per viam suam gaudens*. *Philippus autem inventus est in Azoto*. Si ascenderunt de aqua, constat quod materialis erat, de Spirituali enim aqua non exisset Philippus. Quod autem aqua esset manus impositio, hoc dicere non potes, quia antequam in aqua baptizaretur vidit aquam, & demonstravit eam Philippo.

Præterea nunquam invenire potes quod aqua dicatur manus impositio, ergo taceas, & discedas ab isto verbo, & sic nos tacebimus.

Item Act. 10. Petrus prædicavit Cornelio verbum Dei; *& adhuc loquente Petro verba hæc*, *cecidit Spiritus Sanctus super omnes*, *qui audiebant verbum*. *Et obstupuerunt ex circumcisione fideles*, *qui venerant cum Petro*, *quia & in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est*. *Audiebant enim illos loquentes linguis*, *& magnificantes Deum*. *Tunc respondit Petrus*: *Numquid aquam quis prohibere potest*, *ut non baptizentur hi qui Spiritum Sanctum acceperunt*, *sicut & nos*? *& jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi*, a v. 44. usque ad finem. Dicit Petrus: *Nunquid aquam quis prohibere potest*, *ut non baptizentur hi qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut & nos*? Ecce quod de Baptismo aquæ apertè hic loquitur. Sed quid appellat ipse aquam? Numquid doctrinam? Non, quia illam jam a Petro acceperant, istam autem de qua Petrus loquitur, accepturi erant, & in ea baptizandi erant, ut patet ex verbis præmissis in illo Capitulo. Numquid pro Spiritu Sancto accipitur? Non, quia jam ipsum acceperant, unde Petrus ait, *qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut & nos*. Supple in Pentecoste; unde *audiebant illos loquentes linguis*, *& magnificantes Deum*. Quomodo ergo sumitur hic aqua, nisi pro ista visibili? Non est ostendere quod alio modo sumatur; ergo Baptismus Aquæ materialis in Ecclesia Dei fuit post Christi resurrectionem, & ejus ascensionem.

Ad hoc etiam induci potest illud Act. 16. v. 31. 32. & 33. ubi habetur, quod Paulus & Silas dixerunt custodi carceris, in quo erant *quid me vultis facere ut salvus fiam*, at illi dixerunt: *Crede in Dominum Jesum*, *& salvus eris tu & domus tua*. *Et locuti sunt ei verbum Domini*, *cum omnibus qui erant in domo ejus*. *Et tollens eos in illa hora noctis lavit plagas eorum*: *& baptizatus est ipse*, *& omnis domus ejus continuo*.

Idem habetur ibidem parum antea de quadam muliere Lydia nomine, *cujus Dominus aperuit cor intendere his*, *quæ dicebantur a Paulo* v. 14. & baptizata est cum omni domo sua.

Item art. 18. v. 8. *Crispus autem Archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua*; *& multi Corinthiorum audientes credebant*, *& baptizabantur*. Et iste est ille Crispus de quo habetur 1. Corinth. 1. v. 14.

[**] Quæ comprehensa duobus asteriscis vides; non exstant *in Cod. Vaticano*.

v. 14. *neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum, & Cajum*: ubi patet quod Baptismus non sumitur pro Doctrina, vel impositione manus; ergo pro Baptismo Aquæ materialis, quia non est ostendere quo alio modo accipi possit.

Ex prædictis patet Christum caput Ecclesiæ baptizatum esse Baptismo Aquæ materialis. Item Discipulos ejus usos esse tali Baptismo, & ante Ascensionem Domini, & post eam. Quare ergo negas tu istum Baptismum? Ubi invenis eos dedisse alium Baptismum? Nusquam invenies. Patet ergo quod Ecclesia Romana in hoc est imitatrix Apostolorum, tu autem synagoga dissimilis & contraria.

Si autem dicas mihi: ubi habes quod Apostoli baptizati fuerunt in aqua?

Dico tibi: ubi habes tu quod non? Cum enim alios sic baptizaverint, probabile est quod sic similiter baptizati fuerint.

Præterea Iohannis 13. dicitur *qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis sed non omnes*. v. 10. & 11. Et c. 15. v. 3. *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis*; cujus verbi expositionem posuimus §. 3. de Bapt. Christi. Ubi autem erant loti, nisi lavacro aquæ in verbo vitæ ut postea dicemus?

Præterea: Nonne ipsi erant de Ecclesia? utique, imo principales in Ecclesia, unde si Christus Ecclesiam mundavit *lavacro aquæ in verbo vitæ*, ut habetur Eph. 5. v. 26. ipsi eodem modo mundati sunt.

Præterea Ap. ad Titum 3. v. 5. & 6. *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, quam effudit in nos abundè per Jesum Christum Salvatorem nostrum*. In persona sui, & aliorum loquitur.

§. IX.

De Efficacia Baptismi Aquæ Materialis.

VIso quibus, & quot modis sumitur Baptismus Aquæ in scriptura divina, & quod sit unum Baptisma de quo loquitur Apostolus Eph. 4, & quod Baptismus Ecclesiæ sit Baptismus Aquæ materialis videamus de ejus efficacia.

Dicunt autem Hæretici quidam, qui unum ponunt Creatorem, quod nulla est efficacia Baptismi Aquæ, nisi vitatio scandali, & quod Ecclesia Dei ad tempus fuit usa Baptismo aquæ, tantum ut scandalum vitaret hominum, quibus placebat talis Baptismus, quia ad ipsum erant assuefacti.

Sed contra. Nonne vides quod dicitur de Eunucho Baptizato art. 8. v. 34. *Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus; Ibat autem per viam suam gaudens*. Quare gaudebat (42), si Baptismus aquæ gratiam non conferebat, sed sine peccatorum remissione revertebatur in Patriam suam? non enim ei manus imposuit, sed tantum eum baptizavit, quod patet per simile, quia etiam Samaritanos baptizaverat, & manum eis non imposuerat.

Præterea nusquam potes ostendere, quod ei esset manus imposita; & si vis dicere quod Spiritum Sanctum habuit sine manus impositione, quod verum est, dicas mihi, per quid recepit Spiritum Sanctum, cum ante Baptismum aquæ eum non habuerit, eo autem accepto habuit Spiritum Sanctum statim, continuo enim *Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus; Ibat autem per viam suam gaudens*? Ex quibus omnibus patet quod per Baptismum aquæ datur Spiritus Sanctus, & Baptismus iste istam habet efficaciam, scilicet dare Spiritum Sanctum.

Præterea tu dicis Ecclesiam usam fuisse Baptismo aquæ propter scandalum vitandum; Cum ibi non fuerit scandalum, quare in aqua baptizavit eum?

Præterea quod non propter scandalum, sed propter fidem quam habebat in Baptismo aquæ eum baptizavit patet ex verbis Philippi, qui dixit: *si credis ex toto corde, licet*; imo potius scandalum videtur esse si non baptizaretur, sic enim ait: *Ecce aqua: quis prohibet me baptizari?*

Præterea dicas mihi, quare ei manus non imposuit, si ita est necessaria ad salutem, ut tu ponis: etsi ab alio quam ab Episcopo fieri potest manus impositio, ut tu credis, & si per Baptismum aquæ salvus non fit?

Præterea ad quid dixit ei Angelus, imo & Spiritus Domini v. 29. *Accede, & adiunge te ad currum istum*, si per Doctrinam Philippi, & Baptismum ejus non fuerunt ei remissa peccata, cum ei non posset manus imponere? Mirum est quod eo baptizato Spiritus Domini statim rapuit Philippum. Mirum est quod non jussit ei dare remissionis peccatorum Sacramentum, sicut jusserat ei jungere se ad currum illius. Numquid Spiritui Domini carius erat hoc, quam salus, vel remissio peccatorum illius? Absit hoc. Non est ergo dubitandum Baptismum aquæ esse necessarium ad salutem.

[*] Præterea quod Ecclesia non uteretur Baptismo aquæ propter scandalum vitandum, patet Act. x. ubi v. 47. dixit Petrus de Cornelio & aliis: *Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut & nos?* Imo potius videtur quod scandalizabantur aliqui, si Baptismum accipiebant isti. Restat ergo quod Baptismo aquæ usa sit Ecclesia, propterea quod valet ad salutem.

Item quod scandalum fuisset in custode carceris, qui dixit act. 16. v. 30. *quid me oportet facere ut salvus fiam?* cui v. 31. dixerunt Paulus & Silas *Crede in Dominum Jesum, & salvus eris tu, & domus tua*; Iste eis dixit: *quid me oportet facere ut salvus fiam?* & suscepit Baptismum; ergo Baptismus cum fide opportunus erat ad salutem. Marci 16. v. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit. Qui crediderit*, dico, in Dominum Jesum Chri-

(42) Adisis Tertullianum *libro de Baptismo Cap.* IV. *pag.* 225.

[**] Desunt ex *Cod. Vat.*, & *Bonon.* quæ exstant duobus asteriscis comprehensa.

Christum, ideſt quod per eum in Baptiſmo detur ſalus, *& baptizatus fuerit ſalvus erit*. Nonne hoc eſt quod dixit Philippus? Poſtquam enim evangelizavit Eunucho Jeſum, ille dixerat ei: *Ecce aqua: quis prohibet me baptizari?* Cui ſtatim dixit, Philippus; *ſi credis in toto corde licet*; ideſt expedit tibi baptizari.

Item Act. 9. v. 7. dixit Chriſtus Paulo: *Surge, & ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere*, & c. 22. v. 16. dixit ei Ananias: *Et nunc quid moraris? Exurge & baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine ipſius*.

Item nota Hæreticum docuiſſe, & ſcripſiſſe quod ideo accipiebant & dabant hunc Baptiſmum aquæ, ut per ſignum illius Baptiſmi invitarentur homines ad Baptiſmum Spiritus Sancti.

Hoc autem nullo teſtimonio poteſt oſtendere.

Præterea Baptiſmus aquæ materialis non eſt ſignum ducens & invitans ad Baptiſmum Sancti Spiritus, imo ſi ita vult docere, potius retrahit inde, per hoc enim quod Baptiſmo hoc uſi ſunt Diſcipuli tota Romana Eccleſia ſpem ſalutis ponit in illo, & credit ipſum Baptiſmum Sancti Spiritus [*]

Item Baptiſmus valet ad peccatorum remiſſionem, ad juſtitiam, & ad introitum regni Cælorum. Probatio primi habetur Act. 2., ubi Petrus quibuſdam compunctis in prædicatione ſua de peccatis ſuis ait v. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum*. Ex prædictis patet, quod Apoſtoli in aqua baptizaverunt, & hic dicitur quod in remiſſionem peccatorum, ergo Baptiſmus aquæ confert peccatorum remiſſionem. Non enim poteſt dici, quod Baptiſmus hic dicatur doctrina, hæc enim jam præceſſerat ut patet ex eodem capite: nec poteſt dici quod dicatur manus impoſitio, in toto enim novo Teſtamento nullum habemus teſtimonium, quod Baptiſmi nomine impoſitio manuum deſignetur.

Probatio ſecundi iſta eſt: dicitur enim Matth. 3. quod: *Venit Jeſus a Galilæa in Jordanem ad Johannem, ut baptizaretur ab eo. Johannes autem prohibebat eum dicens: Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me. Reſpondens autem Jeſus dixit ei: ſine modo, ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam* v. 13. 14. & 15. Probatum eſt prius, quod Jeſus in aqua materiali a Johanne baptizatus eſt. Quare? Oſtenſum eſt enim quod non propter ſcandalum vitandum ut habetur §. 2. de Johannis Baptiſmo, reſtat ergo, quod propter cauſam hic a Domino aſſignatam: *ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam*: *decet nos*, dicit, ideſt te, & me, ut ſit ſenſus, me ſuſcipiente, & te dante, *decet implere omnem juſtitiam*, ideſt exemplo viam docere ad plenitudinem juſtitiæ, & ita Baptiſmus aquæ eſt via ad juſtitiam plenam.

Præterea: ſi Chriſtus venit ad Baptiſmum aquæ ut omnem juſtitiam impleret, dicit enim: *ſic decet nos implere omnem juſtitiam*; ergo per Baptiſmum ab ipſo ſuſceptum eſt omnis juſtitia a Chriſto adimpleta, ſed quomodo; niſi quia ex ejus exemplo homo accipit Baptiſmum in quo datur ei omnis, ideſt perfecta juſtitia?

Item ſi non veniſſet ad Baptiſmum aquæ cauſa exempli, quare ergo poſt reſurrectionem Diſcipulis præcepiſſet illum Baptiſmum dare Matth. 28. v. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, & Marci 16. v. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſalvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur*. Quare hoc dixit, niſi ut exemplum, & documentum Baptiſmi aquæ daret, ut acciperetur?

Si autem vis dicere, quod Baptiſmus ibi dicitur manus impoſitio; dico tibi: quod hic vel alibi manus impoſitio nominetur Baptiſmus nullo teſtimonio potes oſtendere; ego autem jam oſtendi quod Baptiſmus alius eſt a manus impoſitione.

Probatio autem tertii iſta eſt, dicit enim Dominus Jo: 3. v. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in Regnum Dei*.

Dicit autem Hæreticus quod aqua hic ſumitur non pro materiali aqua, ſed pro ſpirituali, ideſt Doctrina Sacra.

Contra Hebr. 10. v. 22. dicitur *accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aſperſi corda a conſcientia mala, & abluti corpus aqua munda*; quæ eſt iſta aqua niſi materialis? Corpus enim non abluitur alia aqua; corpus enim non venit ibi pro homine interiori, ideſt pro anima; prius enim dixerat *aſperſi corda*, per quæ anima deſignatur, & poſtea ſubdit, *& abluti corpus aqua munda*, ut ſic oſtendat totum hominem in Baptiſmo mundari.

Præterea corpus non poteſt ſumi pro Congregatione fidelium, iſta enim congregatio non eſt niſi ipſa corda, ideſt ipſæ animæ congregatæ.

Præterea: Paulus qua aqua ablutus erat ab Anania, & quo Baptiſmo baptizatus act. 9.? Dictum eſt ſupra, & præoſtenſum quod Baptiſmo aquæ materialis; Et hic dicit de ſe, & de aliis: *accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aſperſi corda a conſcientia mala, & abluti corpus aqua munda*; Patet ergo quod de materiali aqua intelligitur.

Præterea cum Dominus dicit Io: 3. v. 5. *niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in Regnum Dei*; aquam nominat nihil addens, ut de materiali intelligamus, quo modo etiam acceperat a Johanne: Si enim de ſpirituali aqua vellet intelligi, cum additamento aqua poneretur, ut Eccl. 15. v. 3. *aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum*: item Io: 7. v. 38. & 39. *Qui credit in me ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ, hoc autem dixit de ſpiritu quem accepturi erant credentes in eum*. Item Io: 4. v. 13. & 14. dixit Jeſus mulieri Samaritanæ. *Omnis qui bibit ex aqua hac ſitiet iterum, qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei non ſitiet in æternum, ſed aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*. Ibi enim bene poteſt videri ex neceſſitate, quod de aqua viſibili non loquebatur, ſed ſatietatem Sancti Spiritus promittebat.

Præterea Baptiſmus aquæ materialis lavacrum illud eſt, de quo ad Tit. 3. v. 5. *non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit, per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti*; Sic enim dicitur, quia facit baptizatos filios Dei per gra-

tiam

tiam, & exuens eos vetuſtate peccati, facit novos, ideſt novum hominem, ideſt Chriſtum indutos juxta illud Gal. 3. v. 27. *Quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis Chriſtum induiſtis. In Chriſto Jeſu*, ideſt in nomine ejus, vel ſecundum, quod inſtituit diſcipulis ſuis, quibus Baptiſmum aquæ præcepit, ut oſtendimus. Ecce quanta eſt efficacia Baptiſmi, quia ſalvat, regenerat, & renovat Spiritu Sancto dato in ipſo, ut innuit Apoſtolus in prædictis verbis ubi dicit: *Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum*. Et quare dicit effudit, niſi quia in aqua ſuper nos effuſa dedit nobis ipſum?

Ad idem facit illud quod habetur 1. Petri c. 3. v. 21. *Quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit Baptiſma*. Ecce quod Baptiſmus aquæ ſalvat.

Ad idem facit illud Ap. Eph. 5. v. 25. & 26. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*; ideſt cum verbo Chriſti non enim ſufficit aqua ſine verbo Chriſti. Matth. 28. v. 19. *baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Hoc eſt illud verbum, de quo dixit Jeſus Jo: 15. v. 3. *Jam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis*.

[*] Ultimo ſciendum eſt, quod adultus non baptizatus poteſt ſalvari in caſu neceſſitatis per fidem, & contritionem cordis; unde Rom. 4. v. 45. *ei vero qui non operatur, credenti autem in eum, qui juſtificat impium reputatur fides ad juſtitiam, ſecundum propoſitum gratiæ Dei*; & loquitur de non habente tempus vel operandi, vel ſuſcipiendi Baptiſmum. [*]

CAP. II.

De Confirmatione. Referuntur, & impugnantur Hæreticorum errores circa manuum impoſitionem.

Viſo de Sacramento Baptiſmi videamus de ſecundo Sacramento, ideſt manuum impoſitione, quæ ab Eccleſia Confirmatio dicitur, quia in ea datur Spiritus Sanctus ad robur, qui in Baptiſmo datus eſt ad peccatorum remiſſionem, ſicut probatum eſt ſupra in Cap. de Baptiſmo per authoritatem B. Petri Act. 2. v. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum*.

Peccant autem hæretici circa hoc Sacramentum (1) multipliciter. Primo circa eſſentiam ejus, credunt enim quod non ſit aliud quam Baptiſmus, de quo dicit Apoſtolus Eph. 4. v. 5. *unum baptiſma*. Hæc autem eorum credulitas in Cap. de Baptiſmo evidenter deſtructa eſt.

Peccant etiam circa ipſum (2), quo ad dantes impoſitionem manuum, credunt enim quod a nullo ipſis poſſit dari, niſi a duobus filiis, quorum unum appellant filium majorem, & alium minorem, ſed abſente Epiſcopo: iis autem abſentibus, credunt quod a Diacono dari poſſit; imo etiam & a muliere illa, de qua 1. Tim. 5. v. 9. *Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor*.

Hæc autem eorum deteſtanda credulitas apparet (3), quia nuſquam invenitur a fœmina, nec ab aliis tempore Apoſtolorum datus Spiritus, præter quam ab Epiſcopis. Imo Philippus unus de ſeptem ordinatis ab Apoſtolis Act. 6., qui Samaritanos baptizaverat in nomine Domini, Jeſu eis manus non impoſuit,

[*] Deſunt hæc e Cod. *Vatic.*

(1) Diſcrepans erat Catharorum de manuum Impoſitione ſententia. Nam pars quidem *Spirituale Baptiſma, eam* appellabat, pars autem contra nihil eam operari in Baptiſmo ajebat, quod eſſet manus a diabolo procreata. Atque in priore ſane opinione cæteri, in hac vero poſtrema Cathari Albanenſes verſabantur, ut eſt ab Reinero Sachono animadverſum *Tom.* V. *Theſauri Anecdotor. Martenii col.* 1762. *conſule notam* 2. *ad Cap.* I. *Hujus* IV. *libri*. Ergo ſi manuum impoſitionem unum Baptiſma, non confirmationem conſtituere putarunt Cathari, confirmationem ipſam funditus ſubſtulerint neceſſe eſt. Quare Novatianis aliqua ex parte conſenſerunt. Nam Theodoretus *libro* III. *Hæreticarum Fabularum Cap.* V. *pag.* 229. *Tom.* IV. *Opp. His* inquit, *quos Baptizant Sanctiſſimum Chriſma non præbent; quapropter eos, qui ex hac hæreſi corpori Eccleſiæ conjunguntur, laudatiſſimi Patres inungi præceperunt*. Eodem recidunt quæ habet Pacianus *Epiſt.* III. *Biblioth. PP. Edit. Lugdun. Tom.* IV. *pag.* 309. Ex his autem conſtat ſublatam a Novatianis Confirmationem fuiſſe. Non diſcreparunt a Novatianis Ariani, Macedoniani, & Apollinariani, ut multis demonſtrat Eruditiſſimus P.M. Joſephus Auguſtinus Orſius *S.I.C. a Secr. Diſſ. De Baptiſm. in Nomine Chriſti Parte* II. *pag.* 117. *Edit. Mediol.* Sunt, qui Valdenſens cenſeant minus recte de eodem Sacramento ſenſiſſe. Verum cujuſmodi ſit hoc videre quiſque in Prolegomenis poterit, quæ huic Operi præfixa ſunt. Picardi tamen exiſtimarunt non eſſe inter Sacramenta recenſendam Confirmationem apud Æneam Sylvium Piccolomineum *Hiſt. Boem. cap.* XXXV. & *Epiſt.* CXXX. Vviclefus *lib.* IV. *Dialogorum Cap.* XIV. negat Confirmationem eſſe verum ac proprie dictum Sacramentum. Multo tamen clarius, quam Vviclefus infeſti ſunt Confirmationis Myſterio Lutherus *lib. de Captiv. Babylonica Cap. de Confirmatione*, *Melanthonus De loc. Communib. Cap. de Confirm. Zuinglius Lib. de Vera, & falſa religione Cap de Aliis* Sacramentis. Calvinus *lib.* IV. *Inſtitut. Cap.* XIX. §. IV. iique omnes, qui religioſe hoſce hæreticos auctores ſequuti ſunt. Proteſtantes Angliæ multis quidem annis uſi ſunt Sacramento Confirmationis. Quidam etiamnum ſimile quidquam parvulis admittendis ad communionem concedunt. Sed vulgo obtinuit apud Anglos hac noſtra ætate, ut plerique omnes repudient hoc idem myſterium. Adeundi Vvalemburchii Fratres *Tom.* II. *Controv. Tract.* I. *Cap.* XXV. *pag.* 18.

(2) Conſulitor Sachonus *Summ. Cont. Catharos col.* 1762. *Tom.* V. *Theſauri Anecdotor. Martenii*. Peccare autem in hoc Catharos pugnat noſter, quod certum ſit Confirmationem ab Epiſcopi jure *Ordinario*, a Presbyteris autem ex *commiſſione*, ut ajunt, tribui oportere. Ceterum cum manuum impoſitionem Baptiſmum eſſe putarent Cathari, adeoque omnibus neceſſarium, inde inferebant, in *neceſſitatis caſu* dari quoque potuiſſe a mulieribus, quæ ſuam profiterentur Religionem.

(3) Hoc eodem utitur argumento Innocentius I. *ad Decentium Eugubinum Epiſt.* XXV. *Edit. Conſtantii*. *Tom.* I. *Epiſt. Rom. Pont. pag.* 858. „ De conſignandis vero infantibus manifeſtum eſt, non „ ab alio, quam ab Epiſcopo fieri licere. Nam presbyteri licet „ ſecundi ſint Sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent, „ Hoc autem Pontificium ſolis deberi Epiſcopis, ut vel conſignent „ vel Paracletum Spiritum tradant, non ſolum conſuetudo Eccle„ ſiaſtica demonſtrat; verum & illa lectio actuum Apoſtolicorum, „ quæ aſſerit Petrum, & Johannem eſſe directos, qui jam Baptiza„ tis traderent Spiritum Sanctum — Verba Innocentii de Jure *ordinario* interpretari ſolent Theologi. Conſulendi Conſtantius *Notat.* I. *ibid.* Martenius *De Antiqua Eccleſiæ diſcipl. in div. Offic. Celebr. Cap.* XXII. *pag.* 315. & *Tom.* I. *de Antiquis Eccleſiæ ritibus Cap.* I. *Art.* III. *pag.* 241. *Edit. an.* 1700. Lucas Holſtenius, & Johannes Morinus De Sacramento Confirmationis *Cap.* XII. *pag.* 57. *ſeqq.* opp. Poſthumor. *Edit. an.* 1703. & qui commentarios *in* III. S. Thomæ Partem adornaverunt *Quæſt.* LXXII. *Art.* XI. Miſſum facio Sambovium, qui in *Diſp. de Confirmatione*, ne extraordinario quidem jure cenſet a Presbyteris conferri Sacramentum Confirmationis poſſe.

posuit, imo etiam Petrus & Johannes ab Apostolis missi sunt ad eos Act. 8.

Peccant etiam circa manus impositionem quantum ad recipientes, dicentes parvulos non esse ipsius susceptibiles, nec debere eis fieri.

Quarto etiam modo peccant circa efficaciam hujus Sacramenti, credentes quod sine eo non sit salus.

Quod autem istud falsum sit (4), patet ex Apostolis duodecim, qui nusquam leguntur manus impositionem a Domino accepisse. Idem patet ex septuaginta duo Discipulis.

Et quia forte dicent, etsi non sit scriptum, tamen factum est: Obiicimus eis latronem illum, cui dictum est Lucæ 23. v. 43. *Hodie mecum eris in Paradiso*; sed illi non fuit facta manus impositio tunc, nec postea; tunc enim mortuus est. (5)

Præterea Apost. Rom. 4. v. 5. dicit: *Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ad justitiam.*

Item Rom. 3. v. 22. *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes, & super omnes qui credunt in eo.*

[*] Præterea: Patres veteris testamenti justi fuerunt sine impositione manus. Hebr. 6. v. 12. *Imitatores eorum, qui fide & patientia hæreditabunt promissiones.* Item Lucæ 1. v. 6. De parentibus Johannis Baptistæ dicitur: *Erant autem justi ambo ante Deum.*

Præterea per multa Scripturæ loca probatur quod Spiritus Sanctus datur sine impositione manuum; unde act. 4. v. 31. *Et cum orassent motus est locus in quo erant congregati, & repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia.* Ex quo patet quod Spiritus Sanctus datur quandoque aliquibus in quibus erat, sed ad robur, ut fiducialiter annuntiarent verbum Dei.

Item act. 10. v. 44. *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum.* Vides ergo quod in casu sufficit fides ad salutem, sicut notatum est in Capitulo de Baptismo.

[*] Dicunt autem quod post resurrectionem incepit manus impositio.

Quibus dicendum: Numquid Apostoli habuerunt eam? Si sic: dic, ubi? Si non: quare non salvabuntur alii sine ea; sicut & ipsi v. 9. Cornelius & sui, qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut & Apostoli ut habetur act. 10.

Præterea: fecit ne Christus impositionem manus? Si dicat sic: ubi? Si Marci 10. & Matth. 19. ergo Parvulis fit manus impositio. Quare ergo tu non facis eis illam? Quare eos damnandos judicas? Si non fecit eam alicui, mirum est hoc, si est fundamentum salutis.

Præterea: Numquid præcepit Apostolis quod eam facerent? Non potes assignare ubi, nisi forte dicas Marci ult. v. 18. *supra ægros manus imponent.* Sed non ne ibi loquitur de materialibus ægris? Utique, secundum illos qui unum Creatorem ponunt; ergo loquitur de impositione manus, quæ fit ad expulsionem materialium ægritudinum, non de illa in qua datur Spiritus Sanctus; vel si de illa loquitur, & Christus eam fecit, ergo prius dedit Spiritum Sanctum, quam resurgeret, quod tu non credis.

Quinto etiam peccant circa ejus Efficaciam: dicunt enim quod si ille qui manus imposuit, vel illi qui imponunt sunt in mortali peccato, nullam habet efficaciam manus impositio ab ipso, vel ab ipsis facta. Ex quo sequitur, quod si ille qui manus impositionem recepit, totam fidem, & modum vivendi ipsorum servaverit, & sic receptus decesserit damnatus sit, nisi in aliud vas transeat, & ibi iterum manus impositionem accipiat, secundum quod ponunt, qui duo ponunt principia.

Præterea quæri potest ab illis qui impositionem manuum vanam credunt, si fiat ab homine existente in peccato mortali, quid sentiendum est de duobus qui manus impositionem ab Episcopo Catharorum acceperunt, vel etiam totum quod debuerunt servare servaverunt: unus in hoc statu decessit, & alter adhuc vivit; Episcopus vero qui eis manus imposuit cadit in peccatum mortale: Quid est de illo qui decessit? Nunquid in bono statu est? Si dicat quod sic: quare ergo alius qui adhuc vivit iterum manus impositionem accipit, nec audet stare quin eam accipiat, imo tota Ecclesia quæ ab ipso manus impositionem acceperat, iterum accipit eam, nisi quia credit, aut dubitat se nihil accepisse ab eo? Sic ergo ille qui decessit in malo statu erit, vel esse creditur, vel timetur, licet pro fide illa etiam martyrium sustinuerit. Absit autem hæc credulitas a fidelibus, & credatur quod malitia ministrorum non obsit eis qui in fide per dilectionem operante vitam istam transierunt, sicut in sequentibus demonstrabitur, dante Deo a quo est *omne datum optimum, & omne donum perfectum* Sac. 1. v. 17.

[*] (6) Ultimo notandum quod invenitur in nulla autho-

(4) Etsi Apostolis impositæ non legantur fuisse a Christo manus; fuerunt tamen eadem gratia divinitus aucti die Pentecostes, quam nunc sibi Confirmationis Sacramento parant Christiani.

(5) Hoc argumento jugulat etiam Moneta Græcorum quorumdam sententiam, qui necessarium esse jactant omnimodis, ut qui baptizatus est, continuo confirmetur infans; quasi æternam alioquin assequi non possit beatitatem. ἀχαρίστωτος ἄρα, inquit Symeon Thessalonicensis, καὶ ἀσφράγιστος τοῦ χριστοῦ ὁ μὴ τὸ μύρον δεξάμενος. *Sine Gratia igitur est sine signaculo Christi, qui Balsamum*, hoc est confirmationis mysterium, *non recepit.* Constat enim plerosque sine hoc Sacramento æternam fuisse gloriam consequutos, quod fieri sine gratia Spiritus Sancti non potuit. At vero negari nequit, quin olim Latina Ecclesia Baptizatos a Presbyteris non confirmare extemplo, sed expectare quoad Episcopis licuisset hoc facere, consueverit; ut ex Hieronymo *advers. Luciferianos*, Cypriano *Epist. ad Jubajan.* aliisque colligitur. Atque Baptismus quidem gratiam confert, ut a nostris Theologis est demonstratum.

[**] Quæ duobus asteriscis comprehensa vides, desunt e *Cod. Vaticano, & Bonon.*

[*] Desunt hæc quoque ex *Codicibus Bonon. & Vat.*

(6) Impositione manuum non dari remissionem peccatorum testata res est. Id enim proprium est Baptismi, & pœnitentiæ. Ac Baptismum quidem hanc tantam vim obtinere, omnes Ecclesiæ Patres, adeoque Traditio Apostolica plane evincit. Baptismi vero nomine, eum intelligo, qui datur *in aqua, & Spiritu Sancto.* Neque vero Traditio solum, sed Scripturæ quoque auctoritas hoc idem probat. *Actor* II. *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum* XXII. *Baptizare, & ablue peccata tua.* Vide *Paul. ad Rom. Cap.* VI. Consule Natalem Alexandrum *lib.* II. *Theol. Dog. & Moralis Cap.* VIII. *Prop.* I. Non meminit porro *Chrismationis* Moneta, quæ pars est materiæ Sacramenti Confirmationis, quod ad suum institutum non conduceret, ut qui contra Catharos disputaret. Verum etsi sint Theologi quidam, qui manuum impositionem tantum admittant, inter quos primas obtinere partes videntur Sirmondus *Part.* I. *Antirrhet. Contra Aurel. Cap.* V.

authoritate quod per manus impoſitionem fiat remiſſio peccatorum; nec ad hoc fit manus impoſitio, ſed vel ad robur, vel ad uſum aliquem: v. 9. act. 19. v. 6. *Et cum impoſuiſſet illis manus Paulus venit Spiritus Sanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* Iſti ſunt duo effectus gratiæ roboratæ in homine per impoſitionem manus. Vel invenitur in novo teſtamento multiplex manus impoſitio: Una ſolemnis, quæ dicitur confirmatio, & fit poſt Baptiſmum. Act. 19. v. 5. & 6. *His auditis baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu; & cum impoſuiſſet illis manus Paulus venit Spiritus Sanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* Alia in ſacris ordinibus, de qua 1. Tim. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam, quem in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum præsbyterii:* item c. 5. v. 22. *Manus cito nemini impoſueris.* Et act. 6. v. 6. & orantes impoſuerunt eis manus 3. ad expulſionem ægritudinum corporalium de qua Mar. ultimo v. 18. *ſuper ægros manus imponent.* Iſta fit per quoſdam fideles, ut ibi colligitur. Talem impoſitionem fecit Ananias Paulo Act. 9. erat enim Paulus excæcatus. Aliæ duæ per Epiſcopos fiunt.

CAP. III.

De Sacramento Euchariſtiæ.

§. I.

Oſtenditur ex Evangelio Verum Corpus Verumque Sanguinem D. N. J. C. in hoc Sacramento nobis dari.

NUnc tranſferendum eſt ad tertium Sacramentum Eccleſiæ pertractandum, videlicet de Corpore, & Sanguine Chriſti. In primis autem videamus quid de ipſo ſentiunt hæretici. Eſt autem opinio eorum deteſtanda; dicunt enim quod panis non tranſubſtantiatur in Corpus (1) Chriſti, nec vinum in Sanguinem ipſius; cujus opinionis cauſa prima eſt, quia iſtum materialem panem, & vinum mala eſſe dicunt, aſſerunt enim quidam eorum a Diabolo creata eſſe; Alii vero facta eſſe a terra, unde hujuſmodi cibaria oriuntur.

Contra hæreſim iſtam Sacrarum Scripturarum teſtimonia inducere nos oportet. Chriſtus videns mortem ſuam propinquam eſſe, volens nobis memoriale corporis ſui, in quo pertulit peccata noſtra ſuper lignum Crucis, memoriale etiam ſui Sanguinis, quem pro nobis idem effudit præſentialiter relinquere, ut habetur (2) Matth. 26. v. 26, 27, & 28. *Cœnantibus eis accepit panem, & benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis, & ait: Accipite & comedite,* Hoc eſt Corpus Meum. *Et accipiens Calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite*

Cap. v. *ſeqq. pag.* 300. *ſeqq. Edit. an. Tom.* IV. *Opp. Edit. an.* 1695. Sambovius *Diſp.* III. *de Sacro Confirmationis Art.* II. *Prop.* VI. *pag.* 244. *Edit. an.* 1686. & Claudius Du-Vertius in *opere Gallico De Cæremoniis Eccleſiæ Tom.* II. *pag.* 442. alii tamen fere omnes contendunt unctionem materiam *eſſentialem* confirmationis eſſe. Adeundi Natalis Alex. *Lib.* II. *Mor. & Dog. Theol. Tract.* III. *Cap.* I. *Art.* II. Johannes Morinus *Diſſert. De Sacramento Confirmationis pag.* 3. *ſeqq. Opp. Poſth.* Martenius *lib.* 1. *De antiquis Eccleſiæ ritibus Cap.* II. *Art.* III. *pag.* 243. *ſeqq.* Renaudotius *Tom. Extrem. De la Perpetuite de la foy. Liv.* II. *Cap.* XII. *pag.* 166. Joſephus Auguſtinus Orſius *Diſſert. Hiſt. Theolog. de Chriſm. Confirmator Cap.* I. *ſeqq. pag.* 134. *ſeqq. Edit. Mediol. an.* 1733. qui fuſiſſime ſolidiſſimeque Sirmondi Duvertiique refutat opinionem.

(1) Sanctus Ignatius Martyr in ea, quæ eſt ad *Smirnenſes Epiſtola n.* VII. *Edit. Coteleriana an.* 1672. *pag.* 874. perſtringit quoddam hæreticorum genus, quod *ſibi ab Euchariſtia temperabat, eo quod non confiteretur eam carnem eſſe Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt.* Indicat enim Magiſtros gnoſticæ diſciplinæ, a quibus ſua deinde portenta opinionum mutuati ſunt Manichæi. Videtor Epiphanius Hæreſi XXI. *quæ eſt Simonianorum n.* IV. *pag.* 58. *Tom.* I. *& Hæreſi* XXVI. *n.* IV. *pag.* 86. Sed Gnoſtici, qui proprie ita dici conſuerant, contemta panis & vini oblatione, quæ in corpus & Sanguinem Servatoris noſtri poſt conſecrationem ab Sacerdote factam *tranſubſtantiari* credimus, neſcio quid fœdum Euchariſtiam vocitabant. Ad Manichæos quod attinet, conſuli poterunt Cyrillus Hieroſolymitanus *Catech.* VI. *n.* XXXIII. *pag.* 109. *Edit. Touteei,* & Sanctus Auguſtinus *lib. de Hæreſibus Cap.* XLVI. *col.* 15. *& lib. de Nat. Boni Cap.* XVLII. *col.* 517 *To.* VIII. *Opp.* Ex Manichæis profecti Pauliciani apud Photium *lib.* I. *n.* VII. *pag.* 22. *ſeq. ſexcentis contumeliis aſpergebant communionem pretioſi Corporis & Sanguinis Chriſti.* Bogomilii quoque ex Paulicianis profecti eadem fere pugnabant *apud Euthymium in Panoplia Par.* II. *Tit.* XXIII. *n.* XV. *Tom.* XIX. *Bibl. PP.* Quare liquido patere arbitror quinam fuerint Catharorum Magiſtri. Magna hæreticorum hujuſce temporis pars Catharis aſſentitur, cum neget panem in Corpus, vinum autem in Sanguinem Chriſti poſt Sacerdotis verba conſecratoria immutari: non tamen ait panem, aut vinum a diabolo eſſe; qua in re a Catharis diſcrepat. Etſi autem mirifice inter ſe conveniant in eo quod pertinet ad immutationem panis ac vini in Corpus & Sanguinem Chriſti; diſcrepant tamen in pluribus, cum alii eſſe quidem Corpus Chriſti in Euchariſtia reipſa pugnent, ſed ſimul manere panis vinique ſubſtantiam, alii contra manere ſubſtantiam panis vinique cenſeant, non autem Copus Chriſti præſto revera eſſe in eodem Euchariſtiæ Sacramento. Conſulitor Jacobus Benignus Boſſuetius *Hiſtoir Des variations liv.* II. *&* III. *per totum.*

(2) Hoc idem teſtimonium tranſverſum agebat Lutherum, ut *Initio libri* II. *Hiſt. Variat.* oſtendit multis documentis celeberimus Boſſuetius. Quin etiam magnam in eo vim ineſſe oſtendunt noſtri Theologi, ad conſtituendum præſentiæ realis, tranſubſtantiationiſque Myſterium. Quid quod non inſequentium modo, verum etiam primorum ſeculorum Patres in hac eadem ſententia verſati ſunt? Omitto ceteros; unum afferam Juſtinum Martyrem, qui in Apologia, quam ſecundam vocant, hæc habet - *Non enim communem panem, neque communem potum iſta ſumimus, ſed quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jeſus Chriſtus Servatòr noſter, & Carnem & Sanguinem habuit; ad eumdem modum etiam eam, in qua per preces verbis ejus ab ipſo perfecti gratiæ ſunt actæ, alimoniam, unde Sanguis, & caro noſtra per mutationem aluntur, Incarnati illius Jeſu Carnem & Sanguinem eſſe docti ſumus; nam Apoſtoli in commentariis a ſe ſcriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt præcepiſſe ſibi Jeſu; eum enim pane accepto cum gratias egiſſent, dixiſſe,* hoc facite in mei commemorationem, hoc eſt Corpus meum; *& poculo ſimiliter accepto, & gratiis actis dixiſſe,* hic eſt Sanguis meus -- Ita ſcilicet Evangelium intelligebant, qui primis Eccleſiæ ſeculis de Euchariſtia ſcribebant Chriſtiani. Ceterorum Patrum teſtimonia, quæ in idem recidunt, conſulat, qui volet apud noſtros Theologos, qui de Euchariſtia ſcripſerunt: Imprimiſque opus *de la Perpetuite de la Foy de l'Egliſe Catholique Touchant l'Euchariſtie* To. II. *liv.* I. *ſuiv.*

bite ex hoc omnes : Hic eſt enim Sanguis Meus novi teſtamenti . qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum . Simile habetur Marci 14. v. 22. 23. & 24.

Ad hæc autem dixit hæreticus aliquando, quod per pronomen *hoc* demonſtravit Deus corpus (3) proprium , intelligens ſic : Accipite materialem panem , & comedite eum ; & poſtea tangens corpus ſuum dixit : *Hoc eſt Corpus meum &c.*

Infelix hæretice quare dicis quod non dedit Diſcipulis Corpus ſuum ? Notanda ſunt ſingula Evangelii verba : *Accepit Jeſus panem , & benedixit, ac fregit , deditque Diſcipulis ſuis , & ait : accipite , & comedite , hoc eſt Corpus meum &c.* Nonne vides hæretice , quod pronomen hoc apertam facit demonſtrationem ejus , quod Dominus accepit , & acceptum ſua benedictione ſanctificavit , & ſanctificatum fregit , & fractum dedit Diſcipulis . Quod autem ita ſit patet , quia de alio non fit demonſtratio , niſi de quo fit mentio , ſed non fit ſermo niſi de accepto pane benedicto , fracto , & dato Diſcipulis , ergo male dixiſti dicens , quod aliud dedit , & aliud demonſtravit .

Præterea tu dicis , quod demonſtravit eis corpus proprium , & non ſub ſpecie panis , ſed ſub ſpecie propria . Quomodo hoc poteſt eſſe ? Pronomen enim demonſtrativum , ſcilicet *hoc* demonſtrat rem ſub digito , ſive ſub manu . Conſtat autem , quod ſub digito , vel manu Domini , non erat niſi illud , quod porrigebat Diſcipulis ; ergo illud demonſtrabat .

Si dicas mihi : imo ſub manu ejus vel digito aliud erat , ſcilicet corpus proprium , ad quod extendit manum , & tangens illud dixit : *Hoc eſt Corpus meum &c.*

Contra . Unde hoc habes , quod manus extenderit ad corpus proprium , ſub propria forma , vel quod illud tetigerit ? Ex te ipſo fingis hoc .

Præterea : Quomodo Evangeliſtæ illos actus tacuiſſent , qui tam neceſſarii erant , ut omnis ambiguitas tolleretur , maxime cum alios actus diligenter poſuerint , & verba illorum actuum expreſſiva ſint : *accepit , benedixit , fregit , dedit ?*

Præterea hæc demonſtratio inutilis eſſet , & vana ; omnibus enim patebat corpus ejus ſub forma propria : Omnes videbant corpus ſuum eſſe corpus ejus . Et quomodo aliquis alii oſtenderet , quod ei patet , & aperte dignoſcit , niſi inutiliter & vane ? Abſit autem , quod Chriſtus vane aliquid fecerit , quod vanum in ipſo eſſet . Hoc nefas eſſet dicere .

Item Marci 14. v. 22. dicitur : *Sumite , hoc eſt Corpus meum* . Nota ordinem verborum : primo dixit *ſumite* : deinde dixit immediate : *hoc eſt Corpus meum* ; Sed quare hoc ? Niſi ut ſignificaret , quod dabat eis Corpus ſuum , non aliud , quod patet ex eo quod ipſe dicit Jo: 6. v. 51. *Panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita .*

Præterea , quod non fecerit demonſtrationem , niſi ejus , quod porrigebat eis , evidenter apparet ex eo , quod ſequitur Matth. 26. v. 27. & 28. *Et accipiens calicem gratias egit , & dedit illis dicens : Bibite ex hoc omnes ; hic eſt enim Sanguis meus novi teſtamenti , qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum* . Quid ad hoc dices hæretice ? Non potes dicere , quod alium ſanguinem oſtenderit , niſi quem eis in calice porrigebat . Et , quod ita ſit : patet Lucæ 22. v. 20. *Hic eſt calix novum teſtamentum in meo Sanguine , qui pro vobis fundetur.* Ideſt hic Sanguis in calice contentus eſt confirmatio novi teſtamenti .

Alii autem aliter intelligunt illa verba Domini : *Hoc eſt Corpus meum* ; Ideſt ſignificat ; (4) ſicut habetur 1. Corinth. 10. v. 4. *Petra autem erat Chriſtus* : ideſt ſignificabat Chriſtum .

Sed aliter obiiciendum eſt contra hoc , ſi diſputatur (5) contra Catharos , qui duo ponunt principia , & aliter contra illos , qui unum tantum .

Contra primos dic : Quomodo poteſt eſſe , quod res ab alio creata , ſignum ſit , & figura Corporis Domini noſtri ? De pane enim materiali ibi agitur , cum dicitur : *Accepit Jeſus panem* , ut poſtea oſtendetur .

Præterea ſi ſignificabat Corpus Chriſti , conſtat , quod non proprie , ſicut nec petra proprie Chriſtum ſignificat , ſed tranſumptive illud ſignificabat ; ergo propter aliquam ſimilitudinem . Hæc autem eſſe non poteſt inter creaturam diaboli & Corpus Chriſti ; ubi enim eſt ſimilitudo , ibi communicatio ; Corpus autem Chriſti & Creatura diaboli nihil habuerunt commune ; ergo non eſt verum , nec poteſt

(3) Hoc explicandi genere uſus etiam eſt Carolſtadius ; quare non fuit proprium Carolſtadii , ut quidam exiſtimant ; ſed ab Catharis acceptum . Boſſuetius *lib.* 1I. *Hiſt. Variation. pag.* 44. *To.* 1I. Opp. „ Non eſt neceſſe , inquit , aliud argumentum ignoran„ tiæ illius afferre , cum ſatis ſit ea interpretatio , quam verbis „ inſtitutionis Euchariſtiæ cœnæ aptare non dubitavit . Defendit; „ quippe , hiſce verbis *hoc eſt Corpus meum* , Jeſum Chriſtum , „ quin rationem haberet ullam rei illius quam dabat , ſe ipſum „ tantum voluiſſe indicare in menſa aſſidentem , ut erat cum ſuis „ diſcipulis . Quæ cogitandi ratio tam eſt ridicula , ut difficile „ creditu ſit , eam in mentem alicujus hominis venire potuiſſe. At venerat in mentem Catharorum , ut ex Noſtro liquido patet .

(4) Magiſtris Catharis utuntur Sacramentarii hujuſce temporis, quippe qui idem reſponſum adhibeant ad vim illorum verborum elevandam . Vide , quæ habent Auctores Operis *De la perpetuite de la Foy* de Zuinglianorum , & Calvinianorum , in hac re Sententia : *Tom.* 1I. *lib.* I. *Cap.* 11I. *ſuiv.* Et Boſſuetius *liv.* 1I. *De l'Hiſtoire Des Variations* . Diſcrepant tamen novi Sacramentarii in eo a Catharis duo principia ponentibus quod hi panem malum ſuapte natura eſſe pugnarent ; illi contra bonum dicant eſſe . Rurſum Cathari figuram corporis eſſe affirmabant ; Calviniani autem , qui maximam Sacramentariorum partem conſtitunnt ; *hoc eſſe Sacramentum quoddam , & ſignum divinarum promiſſionum , atque efficacem figuram* , exiſtimant ; *recipi porro illa effectus ſupernaturales , & admirandos . Spiritum Sanctum in animis ſuam virtutem exerere ; carnemque Jeſu Chriſti vitam illis ſuam communicare , & hoc Sacramento , vere nos Carnis ſuæ ſubſtantia paſcere, eſſeque vere ac ſubſtantialiter præſentem , etſi per fidem* . Hanc ſentiendi dicendique rationem ludibrio exponunt Sociniani , impri miſque Vokelius . *Cujus quidem* , inquit , *opinionis falſitas , vel hoc ſolo convincitur , quod non ſolum Chriſti verbis nequaquam continetur , ſed & cum ſana ratione pugnat* . Quod autem adjungebant Cathari , ut ſuæ interpretationi vim adjungerent , adhibetur etiam nunc ab hæreticis Calvinianis . Eſt autem illud 1. *ad Cor.* 10. *v.* 4. *Petra autem erat Chriſtus* . Conſulendus Juveninus *Diſſert.* IV. *Quaſt.* IV. *Art.* 1I. §. I. *De Sacramentis* .

(5) Nempe contra aſſeclas Balaſinanſæ , duorum principiorum adſertores , & contra ſectatores Concorrezenſium , qui unum principium admittebant : quod ſæpe ac multum animadvertimus . Qui a Balaſinanſa ſtabant , omnia hæc , quæ ſub adſpectum cadunt , a Deo male profecta ponebant ; Qui autem Concorrezenſi Pſeudo-Eccleſiæ erant addicti , hi quatuor elementa a Deo condita introducebant ; a diabolo autem male fuiſſe diſpoſita ; quem diabolum primum fuiſſe ajebant bonum , deinde ſuo ſcelere a gratia excidiſſe .

potest esse verum, quod panis materialis Corpus Christi significet transsumptive, sive per similitudinem.

Dicit autem alius Catharus, qui unum asserit Creatorem, illum panem esse facturam Dei boni ratione quatuor Elementorum, & ita possibile esse per ipsum panem significari Corpus Christi.

Sed contra hoc sic: aut significat Corpus Christi quia panis; aut ratione Elementorum, ex quibus materialiter originem duxit. Si quia panis, sic est a diabolo, & mala res secundum te; sic ergo nihil habet commune cum Corpore Christi, & sic nullam habet cum eo similitudinem; ergo non significat Corpus Christi transsumptivè; ergo nec propriè: istud constat, ergo non significat Corpus Christi aliquo modo. Si autem significat Corpus Christi quia ex Elementis est formatus ille panis. Contra: ergo illa Elementa sunt signa Corporis Christi. Sed quomodo sunt signa nobis, aut quomodo fuerunt signa Discipulis ejus, cum non cadant in visum, vel etiam in intellectum eorum, quibus porrigitur ille panis?

Præterea: Nonne hoc pronomen *hoc* ad oculum est ibi demonstrativum? Constat quod sit; ergo demonstrat rem subjectam oculis; sed Elementa non sunt subjecta oculis; ergo non demonstrat Elementa, nec ea significat. Illud autem solum, quod demonstratur, vel significatur per pronomen *hoc* signum est Discipulis Corporis Christi; ergo illa Elementa non sunt ejus signum, ergo nec panis demonstratus, vel signatus erit signum Corporis Christi ratione Elementorum.

Præterea: Dominus illa verba proferens aliud demonstrabat Discipulis ad oculum; & ad hoc illud demonstrabat eis, ut credis, ut per illud significaret eis Corpus suum, & non per aliud. Quare ergo audes dicere illud, quod demonstratur per pronomen *hoc* esse signum Discipulis Corporis Christi ratione quatuor Elementorum, quæ eis non ostendebat.

Præterea vos dicitis, qui duo ponitis principia, quod Dominus Noster Jesus Christus usus est fractione panis, & eum usum Ecclesiæ suæ, idest Apostolis præcepit, successores autem Apostolorum adhuc habent eam, & habebunt, donec veniat ad judicium Dominus, & jactatis vos esse successores eorum in ista fractione; sed ista fractio est fractio panis materialis, hujus scilicet creationis, sicut patet, cum eam ad mensam materialem accedentes facitis, & unicuique portiunculam illius panis edendam distribuitis; Dominus ergo noster usus est fractione panis materialis, hujus scilicet creationis; ergo cum dicitur: *Cœnantibus autem eis accepit Jesus panem, & benedixit &c.* Quomodo inquam gratias egisset? (ut dicit Ap. 1. Corinth. 11. v. 24.) Diabolo, inquam, gratias non egisset; ergo Deo Patri; ergo ab ipso eum habuit; ergo non est malæ creationis.

Similiter objiciendum est illis, qui unum asserunt Creatorem. Dominus enim illum panem benedixit, & benedicere intendit. Item benedicendo exemplum ad oculum idem faciendi eis dedit, & dare intendit; unde & dixit eis ibidem: *Hoc facite in meam commemorationem*. Hoc scilicet, quod oculis videtis me facere; in oculum autem, sive in visum Apostolorum cadebat tantum panis inquantum panis; ergo intendebat benedicere panem, inquantum panis erat; ergo panis inquantum panis non est factura Diaboli.

Item, de illo pane gratias egit Dominus, & exemplo suo Discipulos ad idem faciendum docuit visibiliter, unde ait: *Hoc facite in meam commemorationem*, idest Deo gratias agite de visibili pane, sicut & ego facio; ergo ille panis visibilis a Deo factus est, sicut inde aguntur ei gratiæ. Non enim est credendum, quod egerit gratias Deo de igne, aut aere, aqua, vel terra, vel quod ista benedixerit, sed de pane gratias egit Deo; & panem benedixit; panis ergo ille non tantum quo ad materiam, sed etiam quo ad formam a Deo est.

Item Jo: 6. v. 51. dicit Christus: *Ego sum panis vivus, qui de Cælo descendi. Si quis manducaverit ex hoc* (6) *pane, vivet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*. In hoc loco (7) manifestum est, quod caro Christi dicitur non verbum Dei, sed ipsum Corpus Christi, quod de Virgine habuit; idem enim dandum erat morti pro vita mundi; unde 1. Corinth. 11. v. 24. *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur*, idest pro vita vestra. Lucas autem c. 22. v. 19. dicit: *Quod pro vobis datur*, idest dabitur, sic enim esse exponendum ostendit Apostolus cum dicit *tradetur*.

Præterea litera hoc ostendit: *Ego sum panis vivus, qui de Cælo descend*: item: *Panis, quem ego dabo*, & sic patet quod se ipsum dat; & addit Jesus: *Panis, quem ego dabo caro mea est pro mundi vita*. Quare ergo tu ausus es dicere, quod non dedit Discipulis Corpus suum ad manducandum, imo panem materialem, cum Dominus dicat se dare eis carnem suam ad manducandum? Sic enim ait: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*.

Præterea ex hoc habeo, quod cum Dominus dixerit Matth. 26. v. 26. *Accipite, & comedite, hoc est corpus meum*, quod hoc pronomen *hoc* demonstrat Corpus Christi tractum de Virgine, ergo non ponitur ibi figuraliter.

Item Jo: 6. v. 53. post illa verba prædicta dixit Christus: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis*. v. 54. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum*

(6) Scio fuisse scriptores aliquos, qui hæc de Eucharistia intelligi posse negarent: Sed injuria. Nam, ut Sapienter advertit Noster, *Manifestum est, quod caro Christi dicitur non verbum Dei, sed Corpus Christi quod de Virgine habuit*. Nam ni ita esset, cur pugnassent inter se Judæi, dixissentque: *Quomodo potest hic nobis Carnem suam dare ad manducandum*? Neque vero inde Christus destitit, quo minus repeteret: *Carnem suam manducandam esse*. An id fecisset, si ita, ut Cathari explicabant, explicantque etiamnum Calviniani intelligi verba sua voluisset? Non jussisset eos profecto tam obscuro, & implicato sermone. Ergo nostro sensu, non vero Catharistico, aut Calviniano loquutus est Christus Servator. Consulendi Sanctus Hilarius *lib.* VIII. *De Trinitate*, Chrysostomus *Homilia* XLV. nunc XLVI. *in Johannem*, Cyrillus Alexandrinus *lib.* IV. *ad Cap.* VI. *Johannis*, Auctor Operis *De Sacramentis inter Opera S. Ambrosii lib.* IV. *Cap.* IV. Synodus Tridentina *sess.* XIII. *Cap.* II. &c.

(7) Neapolitanus Codex → *Notandum est*.

meum sanguinem habet vitam æternam , & ego resuscitabo eum in novissimo die . v. 55. *Caro enim mea vere est cibus , & Sanguis meus vere est potus .* Carnem , ut prius ostendimus , appellat se ipsum , seu Corpus suum , quia se ipsum dixit panem , & panem dixit carnem dandam pro mundi vita : *Verbum enim caro factum est , & habitavit in nobis .* Jo: 1. v. 14. Litigantibus etiam Judæis , ideft quibusdam suis Discipulis , & dicentibus Jo: 6. v. 52. *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum ?* ait v. 53. *Amen amen dico vobis , nisi manducaveritis carnem filii hominis , & biberitis ejus Sanguinem , non habebitis vitam in vobis .* v. 54. *Qui manducat meam Carnem , & bibit meum Sanguinem habet vitam æternam , & ego resuscitabo eum in novissimo die .* Ubi potes adhuc videre , quod carnem se ipsum dicit , sive Corpus suum ; post illa enim verba v. 55. *Caro enim mea vere est cibus , & sanguis meus vere est potus ,* statim subdit v. 56. *Qui manducat meam carnem , & bibit meum sanguinem in me manet , & ego in illo .* v. 57. *Sicut misit me vivens Pater , & ego vivo propter Patrem : qui manducat me , & ipse vivet propter me .* Ecce quid appellavit carnem suam manducare , scilicet manducare se ipsum . Caro enim ibi non sumitur pro verbo Dei , vel pro facere voluntatem Dei , nec sanguis pro Spiritu Sancto , ut aliqui hæretici fabulantur , sed pro ipso Christo , sive pro Corpore ejus , & Sanguine ipsius , quod , & per quod fideles manducant & bibant ; ergo cum dicitur ; *Hoc est Corpus meum* , vel *hic est Sanguis meus* , per pronomina illa demonstratur Corpus Christi , & ejus Sanguis , licet sub forma panis & vini ; istud ergo non figuraliter , sed proprie dictum est : *Hoc est Corpus meum , & hic est Sanguis meus novi testamenti* , supple confirmator ; unde Hebr. 9. v. 16. *Ubi enim testamentum est : mors necesse est intercedat testatoris* : v. 17. *Testamentum enim in mortuis confirmatum est : alioquin nondum valet , dum vivit , qui testatus est .* Similiter testamentum Evangelii , nihil valeret nobis ad æternam hæreditatem habendam , nisi Christus mortuus fuisset , & nisi Sanguis ejus fusus fuisset , sicut testamentum hæreditatis mundanæ non valet instituto hæredi ad habendam hæreditatem vivente testatore .

§. II.

Eadem veritas probatur testimonio Apostoli .

VIso per testimonium Evangelii , quod verum Corpus Christi datum est Discipulis a Domino in Cœna , & datur hodie fidelibus ab eorum Vicariis , videamus istud idem per textum B. Pauli Ap. 1. Corinth. 11. ubi ipse dicit Corinthiis v. 20. & 21. *Convenientibus ergo vobis in unum , jam non est Dominicam Cœnam manducare . Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum* ; & post pauca verba subdit v. 22. 23. & 24. *Laudo vos ? in hoc non laudo . Ego enim accepi a Domino , quod & tradidi vobis , quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur , accepit panem , & gratias agens fregit , & dixit : Accipite , & manducate , hoc est Corpus meum , quod pro vobis tradetur &c. usque ad v. 32. ut non cum hoc mundo damnemur .* Nota duplicem cœnam esse in verbis Apostoli , scilicet Dominicam , & suam propriam uniuscujusque . Si utraque cœna tantum materialis cibi est , ideft , si in utraque tantum materialis cibus sumitur , quare Apostolus distinguit inter eas , unam dicens dominicam , aliam autem non ? Utraque enim a fidelibus cum benedictione , & gratiarum actione sumitur ; ergo quo ad hoc si una est Dominica , & altera .

Præterea : si una est Dominica Cœna , cibus ergo illius Cœnæ Dominicus est : Christus ergo dicens Discipulis : *Accipite , & manducate , hoc est Corpus meum* , cibum Dominicum illis demonstravit ; ergo vel materialem cibum , vel spiritualem , ideft se ipsum , sive Corpus suum . Si cibum materialem , ergo ille est Dominicus , quare ergo dicis diabolicum , ideft a Diabolo creatum vel factum ? Si autem se ipsum ita ministravit in cibum , sicut verum est , ut patet supra ex verbis Jo: 6. , ergo hoc pronomen *hoc* propriè ibi sumitur , non figuraliter , & demonstrat ipsum corpus Christi , quod de Virgine habuit (8) . Non enim potest dici , quod veniat pro Corpore Ecclesiæ , cum dicatur Ecclesiæ : *quod pro vobis tradetur* ; aliud ergo est quod traditur , & aliud Ecclesia pro qua traditur .

Præterea nonne cibus alterius cœnæ Dominicus est ? Si hoc est , ergo cœna illa Dominica est . Si dicat , quod non : quare ? De eodem enim frumento factus est , & fit ab eodem pistore . Ex his ergo patet , quod vel utraque cœna est Dominica , vel neutra , si cibus utriusque materialis est cibus , quorum utrumque falsum est . Restat ergo , quod cibus unius sit Dominicus , ideft ipse Dominus , qui ibi sumitur sub duplici specie , & ideo Cœna illius cibi Dominica dicitur . Cibus autem alterius sit cibus materialis , & ideo cœna illa dicitur uniuscujusque , quia cibus materialis appropriari potest isti vel illi , sed cibus spiritualis , ideft Christus communis est omnibus ; unde Cor. 10. v. 17. *unus panis , & unum Corpus multi sumus . Omnes qui de uno pane participamus .* Et nota distinctionem inter panem de quo dicit : *Unus panis , & unum Corpus multi sumus* , & panem , de quo subdit : *De uno pane participamus .* Unde etiam prius dixerat v. 16. *Panis quem frangimus , nonne participatio Corporis Domini est ?* Ideft ille panis est Corpus Domini , quo nos participes facti sumus . Similiter , ibidem : *Calix benedictionis cui benedicimus , nonnè communicatio sanguinis Christi est ?* Ideft & ipse sanguis , quem communi-

(8) Ita explicarunt Patres omnium etiam vetustissimi . Etenim Tertullianus *lib.* IV. *Contra Marcionem Cap.* XL. ad hunc , atque etiam ad alios supra indicatos Scripturarum locos respiciens , verum Corpus Christi in Eucharistia contineri concludit , adversus hæreticum , qui vero Corpore præditum fuisse nostrum Servatorem inficiabatur . Nec vero , quod ibidem ait Vetus ille auctor , panem *figuram Corporis* Christi esse , ullum nobis negotium exhibet . Nam panem indicat , qui in veteri Lege erat figura , non autem Panem Eucharisticum , ut ex illius longiusculo argumento , quod ibidem adhibet plane colligitur . Consule *Tom.* II. *De la Perp. de la foy lib.* III. *Cap.* V. & *Jueninum Dissert.* IV. *Quæst.* IV. *Art.* III. §. VI. *De Sacr.* Videntor etiam Johannes Chrysostomus *Homil.* XXIV. *In Epist.* I. *ad Corinth.* & alii , quos Jueninus *ibid.* & §. III. & IV. & Auctores operis *de la Perpetuite Tom.* II. *liv.* IV. & V.

muniter bibimus. Primus panis Corpus est Ecclesiæ, secundus est ipse Christus, qui dicit Jo: 6. v. 51. *Ego sum panis vivus, qui de Cœlo descendi*. Per hujus participationem, sumus nos de uno Corpore, quod est Ecclesia Dei, unde Rom. 12. v. 5. *multi unum Corpus sumus in Christo*. Dicitur autem Christus frangi ratione specierum panis, & vini, quæ ipsum circumstant, sicut quis dicit se laceratum, quia vestes ejus lacerantur.

Præterea dicas mihi: Dicit Apost. 1. Cor. 10. v. 16. *Panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Pro quo pane venit? Numquid pro illo pane, de quo dicit v. 17. *unus panis, & unum Corpus multi sumus?* Si concedas hoc: Numquid Paulus & alii Apostoli Ecclesiam frangunt? Aut etiam ipse Christus, qui accipiens panem benedixit, & fregit? Certè non, sic enim ait Ezech. 34. v. 16. *quod confractum fuerat, alligabo*. Si pro pane materiali venit, Dominus ergo materialem panem benedixit, & Patri insuper gratias egit, qnod minime fecisset, si a Diabolo esset. Quod autem pro Christo veniat panis in prædictis verbis Apostoli, ostensum est supra ex c. 6. Jo: ubi Christus dicitur panis. quia ibi est sub specie panis, similiter & ejus Sanguis vinum dicitur, quia sub specie vini sumitur.

Nunc redeamus ad propria verba Ap. qui loc. cit. dicit: *Dominus Jesus in qua nocte tradebatur accepit panem*, scilicet materialem, *& gratias agens benedixit*, idest benedictione sua convertit ipsum in Corpus suum, & fregit ipsum eo modo, quo diximus, & dedit illud Discipulis suis dicens: *Accipite & manducate, hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnavit, dicens: Hic Calix novum testamentum est in meo Sanguine*; idest hic Sanguis contentus in hoc Calice est confirmator novi testamenti, sicut supra ostendimus in hoc §., qui sanguis pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Sequitur: *Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem*, idest in memoriam meæ mortis, & hoc est, quod legitur: *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis mortem Domini annuntiabitis donec veniat*. Modo quæro a te: Si non est Corpus Christi ibi, nec Sanguis, sed panis materialis, & vinum similiter; quomodo, & per quid fit illud in memoriam mortis Christi? Quod ostendere minimè potes; ego autem possum ostendere, quia dico cum Christo, ibi esse Corpus verum ipsius Christi sub specie panis, cujus speciei fractio figurat fractionem Christi, idest divisionem animæ a corpore; Calix autem Sepulturam ejus; Patena suprapofita lapidem advolutum ad ostium monumenti; corporalia quibus utimur sindonem mundam repræsentant, ubi positus est Jesus; Sanguis in Calice Christum mortuum in sepultura designat.

Præterea dicas mihi, si ibi non est Christi Corpus, nec Sanguis, unde argumentatur: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini?* Non dicitur quis reus Sanguinis alicujus hominis, nisi male tractando ejus Sanguinem, idest fundendo eum, vel consilium, vel auxilium ad hoc dando; ergo non dicitur reus Sanguinis Christi, nisi quia ipsum tractat indignè, projiciendo ipsum in locum indignum, idest immundum; nisi ergo esset verum Corpus Christi ibi, & verus Sanguis, non esset quis reus Corporis, & Sanguinis ejus; nemo enim per panem materialem, & vinum materiale, efficitur reus corporis, & Sanguinis Domini, cum non sit ei prohibitum comedere talem panem, aut bibere tale vinum.

Præterea, si inter illum panem, & alium non est differentia, sed uterque panis materialis est; quare per sumptionem unius indignam potius est reus Corporis, & Sanguinis Domini, quam per alterius sumptionem?

Præterea, si per illius indignam sumptionem, fit quis reus Corporis, & Sanguinis Domini, cum tu das illum panem scienter, & publice indignis, videris esse particeps mortis illorum, & ipsorum malitiæ.

Præterea, si ille panis est panis materialis, ut dicis, quare dicit Ap. *Probet autem*, idest examinet, & purificet, *se ipsum homo & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne judicium sibi manducat, & bibit?* Quare debet se propter illum sumendum purificare, vel probare potius, quam propter alium?

Præterea, quare potius *judicium sibi manducat & bibit* sumendo illum, quam alium, nisi quia ille est Corpus Domini verum? Quod patet ex causa quam subjungit Ap. *non dijudicans Corpus Domini*, supple ab aliis cibis, indiscrete, & indifferenter accedens ad ipsum, sicut & ad alios cibos.

Præterea, quare dicit Ap. *ideo inter vos multi infirmi?* Quasi dicat, quia indigne ipsum sumitis, ideo inter vos multi infirmi. Quare potius propter hunc indigne sumptum, quam propter alios? Similis enim cibus est, secundum te.

Sequitur: *Quod si nos ipsos dijudicaremus*, mundando nos ipsos, & purificando per veram pœnitentiam, ad quam commoniti sumus per Ap. qui ait: *Probet autem se ipsum homo, non utique judicaremur* a Deo afflictionibus prænominatis, quæ tamen a Deo hic ad bonum nostrum, si volumus, immittuntur; unde cum judicamur a Deo his tribulationibus, propter indignam Christi sumptionem corripimur, ne cum hoc mundo damnemur; Propter hoc dicit Job c. 6. v. 17. & 18. *Increpationem ergo Domini ne reprobes, quia ipse vulnerat, & medetur; percutit, & manus ejus sanabunt*. Et Hebr. 12. v. 6. *flagellat omnem filium, quem recipit*, & Apoc. 3. v. 19. *ego quos amo, arguo, & castigo*. Ecce habemus quod propter indignam sumptionem Eucharistiæ flagella immittuntur filiis, a patre justorum. Et vide etiam quid Ap. dicat de se & de aliis fidelibus Hebr. 13. v. 10. *habemus altare*, idest Corpus Christi in altari consecratum, & est ibi Metonymia, continens enim ponitur pro contento, *de quo*, corpore, *edere non habent potestatem, qui tabernaculo*, idest corpori, *inserviunt*. Hi sunt de quibus Rom. 16. v. 18. *Hujusmodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri*. De quo tabernaculo dicitur: 2. Petri 1. v. 13. & 14. *Justum autem arbitror quandiu sum in hoc tabernaculo,*

 susci-

ſuſcitare vos in commonitione : certus quod velox eſt depoſitio tabernaculi mei, ſecundum quod & Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſignificavit mihi . (9)

§. III.

Objectiones Hæreticorum ſolvuntur .

NUnc videamus objectiones quibus hæretici veritatem tanti Sacramenti impugnant, inducentes illud Oſeæ 6. v. 6. *Miſericordiam volui, & non ſacrificium*, ergo non Deo placet ſacrificium altaris veſtri.

R. non loquitur de omni ſacrificio, (10) ſed judaico, quod non vult Deus poſtquam Corpus Chriſti in cruce oblatum eſt pro nobis; ab illo enim tempore debuit ceſſare ſacrificium legale, & debet ceſſare ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech. Ceſſare, dico, debet ſacrificium legale, unde Ap. Rom. 7. v. 4. *mortificati eſtis legi per Corpus Chriſti*, & Hebr. 10. v. 5. *ingrediens mundum dicit : Hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi*, ideſt aptum offerri pro genere humano mihi dediſti. Poſtea exponit Ap. verba prædicta dicens v. 8. *Nec placita ſunt tibi, quæ ſecundum legem offeruntur* . v. 9. *Tunc dixi : Ecce venio*; ergo pro tempore adventus Chriſti dictum eſt illud de ſacrificio legali, unde in Oſeæ c. 5. v. 6. dicit Deus per Prophetam : *in gregibus ſuis, & in armentis ſuis vadent ad quærendum Dominum, & non invenient : ablatus eſt ab eis* .

Ad idem etiam inducunt illud Matth. 15. v. 17. *Omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur* . (11)

Ad hoc dicimus, quod non loquitur univerſaliter, quandoque enim aliquid in os intrat, quod ſtatim ſpuitur. Item ſpina aliquando intrat in os, quæ tamen non cadit in ventrem, nec in ſeceſſum emittitur, ſed ejicitur de ore.

Præterea nonne vides, quod loquebatur ibi de cibis nutrientibus corpus, quos cibos ſumebant non lotis manibus, ſic enim dicitur ibi v. 2. *non enim lavant manus ſuas, cum panem manducant*, de pane ergo materiali loquitur ibi, qui cibus eſt corporis, & ipſum nutrit; de tali reſpondet Dominus ; *omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur*, ideſt nutrimentum corporis, quod in os intrat &c. & eſt ſenſus de omni aliquid : ſed hoſtia illa, quæ ſanctificata eſt in altari non eſt cibus corporis, ſed mentis; unde non comprehenditur ſub illa diſtributione, *omne quod in os intrat &c.* (12)

Objicit etiam hæreticus dicens : Si Corpus Chriſti eſſet tantæ quantitatis, quantæ eſt mons unus, jam dudum conſumptum eſſet, ex quo cæpit in omnibus mundi partibus manducari.

Ad hoc eſt ſolutio. Quoniam ii homines, qui hæc dicunt, ſimiles ſunt illis, de quibus habetur Jo: 6. v. 66. quod abierunt retro audientes, quod Dominus dicebat eis v. 33. *niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis* v. 66. cit. *ex hoc multi diſcipulorum ejus abierant retro : & jam non cum illo ambulabant.* Hujus erroris, & nequitiæ es tu hæretice dicens : *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* ibi

(9) Adjungendum hic eſt argumentum ex conſenſione omnium Eccleſiarum, quæ jam inde a multo tempore a Romana Eccleſia in Oriente, ſejunctæ ſunt. Negari namque non poteſt, quin maximam vim contra hæreticos hujuſce temporis obtinere debeat, & auctoritatem. Qui enim fieri potuiſſet, ut tot, tantæque Eccleſiæ in hanc veritatem ſumma conſenſione conſpirarent, niſi hanc ipſam ab Apoſtolis traditionem quondam accepiſſent? Videndum omnino Opus *de la Perpetuite de la foy, cum iis etiam, qui additi ſunt ab Renaudotio libris* .

(10) Ita quoque explicat S. Irenæus 2. Seculi Scriptor, cujus idcirco non mediocris eſſe debet apud hæreticos auctoritas. Sic enim habet *lib.* IV. *Cap.* XVII. *n.* 4. poſtquam Oſeæ verba retulit : *Sed & Dominus noſter*, inquit, *eadem monebat eos dicens* : ſi enim cognoviſſetis quid eſt, miſericordiam volo, & non Sacrificium, numquam condemnaſſetis innocentes; (Matth. 12. 7.) *Teſtimonium quidem reddens Prophetis, quoniam veritatem prædicabant; illos autem arguens ſua culpa inſipientes. Sed & ſuis diſcipulis dans conſilium, primitias Deo offerre ex ſuis creaturis, non quaſi indigenti, ſed ut ipſi nec infructuoſi, nec ingrati ſint, eum, qui ex creatura panis eſt accepit, & gratias egit dicens* : Hoc eſt meum Corpus. *Et calicem ſimiliter, qui eſt ex ea creatura, quæ eſt ſecundum nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & novi Teſtamenti novam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens, in Univerſo Mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præſtat, primitias ſuorum munerum in novo Teſtamento, de quo in duodecim Prophetis Malachias ſic præſignificavit* . Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus Omnipotens, & Sacrificium non accipiam de manibus veſtris : quoniam ab ortu Solis uſque ad occaſum nomen meum clarificatur inter gentes, & in omni loco incenſum offertur nomini meo, & Sacrificium purum; quoniam magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit dominus Omnipotens; *manifeſtiſſime ſignificans per hæc, quoniam* PRIOR QUIDEM POPULUS CESSABIT OFFERRE DEO, OMNI AUTEM LOCO SACRIFICIUM OFFERETUR EI, ET HOC PURUM &c. Adi ſis quæ mox *cap.* XVIII. adjungit. Conſule etiam ſi placet, quæ in hanc rem obſervavit Eruditiſſimus Maſſuetius : *Diſſert. Præv. ad opera Irenæi pag.* CXXXIX. *ſqq.* Nollent, ſat ſcio, hæretici noſtri temporis hæc fuiſſe ab Irenæo dicta, Cæterum ita ſe res habet: quare illos negligimus, qui cum Catharis adſtipulati, ut ſacrificium Euchariſticum tollant, hoc Oſeæ teſtimonio abutuntur; quod aliorſum accipiendum eſt, quam ipſi putent.

(11) Petrus Martyr *lib.* contra Gardinerum *Parte* I. *Objecto* LXXXVIII. adhibet hoc ipſum argumentum ſed; ut argumento Catharorum vim longe majorem aſſerere poſſint, Origenis verba ex hoc *Tomo* XI. *Commentariorum in Matthæum* nobis obtrudunt; quæ ſic habent : *pag.* 254. *Edit. Huet. an.* 1685. *Tom.* I. *Opp. Orig.* εἰς δὲ πᾶν τὸ εἰσπορευόμενον εἰς τὸ στόμα, εἰς κοιλίαν χωρεῖ, καὶ εἰς ἀφεδρῶνα ἐκβάλλεται, καὶ τὸ ἁγιαζόμενον βρῶμα διὰ λόγου θεοῦ, καὶ ἐντεύξεως, κατ᾽ αὐτὸ μὲν τὸ ὑλικὸν, εἰς τὴν κοιλίαν χωρεῖ, καὶ εἰς ἀφεδρῶμα ἐβάλλεται. *Quod ſi vero id omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur, & cibus ipſe per verbum Dei, & Orationem conſecratus, ſecundum quidem illud ipſum quod materia conſtat, in ventrem vadit & in ſeceſſum emittitur*. Palmare quidem certe eſſe hoc Origenis ῥητὸν arbitratur Bochartus *Diſſert.* I. *Tom.* I. *Diſſertationum Petri Danielis Huetii*, ad opinionem Calvinianorum de Euchariſtia probandam; ſed injuria, ut mox videbimus.

(12) Sapienter quidem Noſter : nam hæc eſt genuina verborum Chriſti ſignificatio. Quod autem ad Origenis locum attinet : Perronius Cardinalis, negat Origenis eſſe proprium; ſuppoſitumque Adamantio ab Eraſmo. Sed dici id quidem non poteſt, cum exſtet in antiquis Codicibus Mſſ. Sed Huetius Origeni merito acceptum referri oportere hoc ῥητὸν putat, ac fuſe lateque genuinum ejus ſenſum explicat. *lib.* II. *Origenianorum* . *Cap.* II. *quæſt.* XIV. *n.* 2. & in notis *Tom.* II. *Opp. Orig. pag.* 38. & I. *Tomo Diſſertationum Variarum Sermone Gallico perſcriptarum Diſſert.* I. *pag.* 115. *ſqq. Edit. Florentinæ an.* 1738. Eum quidem conſulere poterit lector, perſpectumque habebit, quam ſit a vero aliena Albertini, Bocharti, aliorumque ſeculi proxime præteriti Calvinianorum interpretatio. Nam ſi in hoc ipſo ῥητῷ explicandi aliquid operæ conſumere vellem, & actum agere, & longior eſſem quam poſtulet ratio inſtituti mei.

ibi v. 60. Tu non potes audire, quia ad modum illorum carnali intelligentia plenus ſpiritualem intelligentiam verborum Domini non habes. (13) Putabant enim illi, & litigantes dicebant: *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* credentes quod edendo laceraretur ejus caro, diminueretur, & conſumeretur, ſicut & tu intelligis, cum dicis, ſi Corpus Chriſti eſſet tantæ quantitatis, quantæ eſt mons unus, jam dudum conſumptum eſſet, ex quo cæpit in omnibus mundi partibus manducari. Sed comeditur ſine diminutione, & conſumptione, frangitur ſine laceratione, frangitur enim quoad ſpeciem panis, ſed non laceratur eſſentia corporis, diminuitur, & conſumitur quoad ſpeciem prædictam, ſed manet integrum quoad propriam eſſentiam; unde v. 62. & 63. habetur: *Sciens autem Jeſus apud ſemetipſum quia murmurarent de hoc diſcipuli ejus dixit eis: Hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis filium hominis aſcendentem ubi erat prius?* Supplendum eſt, tunc cognoſcetis quia non illo modo do Corpus meum ad manducandum, quo modo putatis, ideſt quod ipſum non conſumitur, non minuitur, non laceratur morſibus. Si cibus quo Jeſus ſatiavit quinque millia hominum non eſt comedendo conſumptus, ſed auctus ut habetur Jo: 6. multo magis Corpus Chriſti cum comeditur non conſumitur.

Item adhuc objiciunt hæretici, quod ſi de pane ſit Corpus Chriſti, quotidie debet augeri Corpus ejus.

Ad quod dico, quod *de* non notat materiam, ſed converſionem, & eſt ſenſus: panis convertitur in Corpus Chriſti, ideſt ſimul convertitur, & quo ad materiam, & quoad ſubſtantialem formam, licet accidentia remaneant. Cum ergo materia panis tranſeat cum forma ſua ſubſtantiali, & non addatur materiæ Corporis Chriſti, non eſt neceſſe ipſum Corpus Chriſti inde augeri; augmentum enim ſit ex additione materiæ augmentantis ad materiam ejus, quod augmentum recipit.

Adhuc objiciunt hæretici illud Jo: 6. v. 63. *Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quicquam*; (14) Quare ergo Chriſtus dediſſet carnem ſuam diſcipulis ad manducandum, ſi eis non prodeſſet? Fruſtra dediſſet eis illam, quod eſſe non poteſt; ergo non eſt credendum, quod illam eis dederit.

Præterea dicit hæreticus, nonne vides quod ait ibi Chriſtus v. 63. *Verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt?* Ex quo verbo volunt hæretici, quod Chriſtus figuraliter locutus ſit (15) cum dixit ſe eis dare carnem ſuam ad manducandum.

Ad hoc autem dico, quod ſi quis verba Chriſti diligenter attendit, non ſimilitudinarie, non figurate ſed proprie dicta eſſe intelliget. Si enim in parabolis locutus eſſet, & figurate, non eſſent ſcandalizati diſcipuli ejus. Dico ergo, quod Eccleſia unum Corpus Chriſti exiſtens per charitatem, quæ eſt vinculum perfectionis, vivificatur a Spiritu Sancto; Spiritus ergo eſt qui vivificat Eccleſiam, & ejus membra compaginata; qui autem non eſt hujus corporis membrum non vivificatur a Spiritu Sancto, ſecundum quod dicit Ap. Rom. 8. v. 9. *Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus*, ſupple membrum; & tali non habenti Spiritum Sanctum, non prodeſt Chriſti caro, imo judicium ſibi manducat, ſicut ſcientia ſine charitate inflat, cum charitate ædificat, ut colligi poteſt ex verbis Ap. 1. cor. 8. v. 1., bene ergo dixit; *caro non prodeſt quicquam* vobis ſcandalizatis, & retro abeuntibus, & carnaliter intelligentibus carnem meam fruſtratim cædendam, & ſic dandam vobis, ut aliis ad manducandum ſub propria ſpecie ſua; propter hoc ſubjungit: *verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt*, ideſt ſpiritualiter ſunt intelligenda, & ita vivificant; ſpiritualiter enim intelligendum eſt, & credendum quod Chriſtus Carnem, & Sanguinem ſuum, non viſibili forma, ſed ſub ſpecie panis, & vini hominibus daret ad manducandum; propter quod etiam ſubjunxit v. 64. *Sed ſunt quidam ex vobis, qui non credunt.*

Item objicit hæreticus illud Matth. 26. v. 26. *Cœnantibus autem eis accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis*; & non eſt dubium quod materialem panem accepit, & illum benedixit; ergo & illum fregit; ergo in fractione ſua erat panis materialis, non Corpus Chriſti. (16)

Solutio. Panem materialem accepit, & panem materialem benedixit, ideſt benedictione ſua in Corpus ſuum mutavit, dicens: *Accipite, & comedite, hac eſt corpus meum*, quo dicto, & facto fregit panem prædictum, non ejus ſubſtantiam, ſed ejus formam, quæ eſt circa Corpus Chriſti. (17

Obji-

(13) Vide Sancti Auguſtini *Tractatum* XXVI. *in Johannem col.* 359. *Tom.* III. *Parte* II. *Opp. Edit. an.* 1700. ubi hoc idem Capharnaitas ſenſiſſe ait, quod deinde Cathari exiſtimaverunt; probatque vehementer reſponſionem quam noſter adhibet.

(14) Hoc eodem argumento utuntur hæretici Sacramentarii Noſtrorum temporum; atque inter hos quidem illi duo, qui in hanc hæreſim reſtituendam plurimum operæ contulerunt: Zuinglius *lib. de vera & falſa Religione, Capite de Euchariſtia*, tantam huic ipſi vim ineſſe putat, ut *murus æneus illi, & adamas* videatur eſſe. Petrus Martyr *lib. Adverſus Gardinerum objecto* XXXIV. hæc habet - *Capharnaitæ putabant Chriſti Carnem corporaliter manducandam, ut nunc arbitrantur Papiſtæ: at Chriſtus errorem illorum reprendit cum ait*: caro non prodeſt quidquam: *ſignificat igitur Carnem ſuam non corporaliter manducandam, ſed ſola fide Spiritualiter*. Viden ut novi hæretici veteres Catharos auctores vehementer ſequantur?

(15) Ne ab hujuſmodi quidem argumentatione ſibi temperant hæretici juniores. Verum Monetæ reſponſio ſolida cumprimis eſt, deprompta ex eo Tractatu Auguſtini in Johannem, quem *Notatione* 13. indicavi. Vide Bellarminum etiam *lib.* I. *de Sacramento Euchariſtiæ Cap.* XIV.

(16) Non diſcrepant Sacramentarii. Immo vero addunt pleraque Patrum teſtimonia, qui poſt conſecrationem Euchariſtiam appellant panem, ut inde eliciant, non Scripturæ ſolum, ſed Patrum etiam traditionem, cui nos Catholici pluribus eſſe tribuendum pugnamus, ſibi magno eſſe præſidio. Conſulitor, Magnum Opus *de la perpetuitè* Tom. III. *lib.* III. *Cap.* I. II. *ſeqq.*

(17) Quod ſi panem etiam appellaſſet Chriſtus Corpus ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini deliteſcens; non inde tamen concludere potuiſſet hæreticus, panis ſubſtantiam remanere in Encharistiæ Sacramento, nec ibi eſſe Corpus verum Servatoris noſtri. Nam, ut *Cap.* I. *libri* III. *Tom.* III. *de la perpetuitè*, animadvertunt illius operis auctores, ſæpe uſuvenit, ut fidei, rationiſque judicia non reſpondeant iis quæ ex ſenſuum perceptione in animo oriuntur. Hinc duæ loquendi rationes, manant; quarum altera fidei; vel rationis, altera ſenſuum perceptioni accommodatæ ſunt. Ita ſit, ut luminare magnum in Scripturis appelletur Luna, non quo reipſa magnum ſit reſpectu Syderum ceterorum, ſed quo magnum noſtris

Objiciunt etiam illud Mar. 14. v. 23. *Et accepto calice, gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes*, & Lucæ 22. v. 27. *& accepto calice gratias egit, & dixit, accipite, & dividite inter vos*. Hæc præpositio *ex*, & hoc verbum *dividere* notant divisionem, & partitionem; illud ergo quod Discipuli bibebant, dividebant: Corpus autem Christi non dividebatur, nec ejus sanguis, ergo non sumebant Corpus Christi, nec ejus Sanguinem.

Solutio. Jam patet, quod corpus ejus & sanguis dividebatur, non quoad essentiam suam, sed quoad speciem panis & vini, quæ circa ipsum erat. Et sciendum, quod ante divisionem, tantum semel est ibi Christus, facta autem divisione resultat sub qualibet speciei parte, & sic quilibet Christum integrum sumit. Nonne vides quod in speculo uno unica resultat imago, fracto autem speculo resultat in qualibet ejus parte?

Adhuc etiam objicit hæreticus illud Lucæ ultim. v. 43. & 44. *Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. Et dixit ad eos: hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos*. Dicit hæreticus: numquid fragmenta quæ demonstrabat Jesus, ipsa verba erant? Non, sed significabant ea. Similiter cum dicitur *hoc est corpus meum*, & *hic est sanguis meus* intelligendum est, idest significat.

Solutio. Falsum locutus es cum dixisti, quod pronomen demonstraret fragmenta, & malum punctum fecisti; dico ergo, quod hoc pronomen *hæc* demonstrat verba quæ sequuntur, (18) ista scilicet: *necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me*. Et est versus finiendus ibi: *Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum; quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Psalmis de me*. Ista enim verba eis dixerat, ut patet Matth. 16. & Mar. 8. & 10. & Lucæ 9. & ultim. Matth. 20. v. 18. dicitur: *Ecce ascendimus Jerosolymam &c.*

Adhuc instat Hæreticus dicens, quomodo potest hoc esse, quod panis, aut vinum convertantur in Corpus Christi, & Sanguinem?

Ad hoc dico, quod si quæreres non discernendo mutationem prædictam, nec blasphemando fidem Catholicam, non esses arguendus, sed pie docendus: sicut B. Virgo, non discernens, sed pie respondens dixit Angelo Lucæ 1. v. 34. *Quomodo fiet istud; quoniam virum non cognosco?* Idest me non cognituram propono, & propositum servabo. Et respondit Angelus v. 35. *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Sicut ergo Filii Dei conceptio, non naturæ possibilitate, sed Spiritus Sancti virtute, & gratia facta est in Virgine; Sic hæc mutatio est non naturæ, sed dexteræ excelsi, idest potentiæ summi Dei: Similiter quod accidentia panis & vini remanent, & non sunt in Christi Corpore, sed in nullo subjecto contra naturam accidentis, cujus esse est inhærere subjecto, potentiæ Dei est, non naturæ.

C A P. IV.

De Sacramento Pœnitentiæ.

§. I

Necessitas, & utilitas Pœnitentiæ.

DEinceps agendum est de quarto Ecclesiæ Sacramento, scilicet de Pœnitentia. Primo autem testimonia verissima inducemus, quibus pateat necessitas, & utilitas Pœnitentiæ; secundo autem de partibus Pœnitentiæ videbimus, prout divina nobis gratia ministrabit. De necessitate Pœnitentiæ evidens testimonium habetur Lucæ 13. v. 3. ubi Christus ait quibusdam: *nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*. De utilitate ejus multiplex testimonium invenitur. Unum Johannis Bapt. Matth. 3. v. 2. *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim Regnum Cælorum*. Idem testimonium assumit Dominus Matth. 4. v. 17.

Item Act. 2. v. 38. dicit B. Petrus quibusdam corde compunctis: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti*. Item Act. 3. v. 19. *Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata vestra*. Item Ezech. 18. v. 30. *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas*.

§. II.

Errores Hæreticorum.

CIrca pœnitentiam errant Cathari dicentes, eam esse non iterabilem de aliquibus peccatis, scilicet de lapsu a fide, (1) & impugnatione agnitæ veri-

stris oculis videtur. Quare, cum panis species sensus nostri percipiant, fides autem contra dicat esse Corpus Christi in Eucharistiæ Sacramento; potuit quidem fieri, ut panis diceretur Corpus Christi, quod sensus, panis species exhibeat; & Corpus Christi, quod ita fides nostra teneri oportere præscribat.

(18) Ne admirere lector, quod hoc scripturæ testimonio non abutantur hæretici juniores. Vident enim non ità esse legendum, ut Cathari existimarunt. Constat porro verus legitimusque sensus hujusce loci, neque ulla indiget explicatione.

(1) Cathari pœnitentibus manuum impositionem conferebant, quam adhibere consuerant loco Baptismi. Etsi autem sæpe conferri pœnitentiam posse censerent ob varia genera peccatorum, in quibusdam tamen casibus id fieri nequire jactabant. Etenim Iis qui a fide excidissent, aut cognitam oppugnassent veritatem, nullam spem omnino pœnitentiæ superesse arbitrabantur. Hac vero in re mirifice Catharis cum Novatianis conveniebat, qui Ecclesiam non posse absolvere Mœchos, homicidas, & idololatras existimabant. Sunt qui Montanistas eodem errore laborasse putent. Verum negari non potest, quin longe diversa fuerit horum de pœnitentia agenda, recipiendaque communione sententia. Ajebant enim inesse Ecclesiæ potestatem absolvendi eos, qui in scelera capitalia incidissent; negabant tamen fieri id oportere, ne aliis peccandi quoque ansa daretur. Quamobrem Tertullianus *libro de Pudicitia Cap.* I. hæc habet „ Habet, inquis, potestatem Eccle„ sia delicta donandi. Hoc ego magis, & agnosco, & dispono, „ qui ipsum Paracletum in Prophetis novis habeo dicentem: Po„ test Ecclesia donare delictum, sed non faciam, ne & alia de„ linquant. Quid si pseudoprophеticus Spiritus pronunciavit? at„ qui magis eversoris fuisset, & semetipsum de clementia „ commendare, & ceteros ad delinquentiam temperare. Aut si „ & hoc

veritatis, & de hoc intelligerent illud verbum Hebr. 6. v. 4. 5. & 6. *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati,* (2) *gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque seculi venturi, & prolapsi sunt; rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.*

Qualiter autem ista authoritas sit intelligenda, dictum est supra in prima parte hujus operis cap. 4. ubi ostenditur, quod Angeli, qui de Cælo ceciderunt per peccatum non salvabuntur; ubi patet quod ista authoritas non excludit pœnitentiam ab aliquo, nisi post hanc vitam.

De hoc etiam intelligunt illud Hebr. 10. v. 26. *Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia.*

Ad quod dicitur, quod ista authoritas non intelligitur de lapsu a fide, sed de lapsu a charitate; dixerat enim prius Ap. v. 24. & 25. *Et consideremus invicem in provocationem Charitatis, & bonorum operum: non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam, sed consolantes, & tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem.*

Invitat ergo ibi Apostolus fideles, ut unus alium studeat igne charitatis accendere verbo, & exemplo, & ad bene agendum inducere fratres secum in fide collectos, non deserere per aliquam tribulationem, sed potius consolationem eis impendere, & hoc propter duas causas, scilicet propter præmium vicinum; unde: *tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem*, quia facientibus contraria voluntarie, licet non actualiter, non prodest Christi Hostia, sive oblatio in præsenti, nec in futuro; sola enim voluntate contrariorum ad hoc quod diximus, licet illa voluntas non producatur in operibus, damnabitur, qui in ea perseveraverit, quæ perseverantia notatur in verbis Ap. non enim dixit, *peccavimus*, sed *peccantibus*, &c. idest in peccato permanentibus, non prodest Christus, licet ejus notitia, idest fides habeatur. 1. Cor, 13: v. *Si habuero omnem fidem, itaut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.*

Posito etiam, quod intelligatur de lapsu a fide, & etiam impugnatione veritatis agnitæ; nihilo minus tamen de aliis peccatis intelligitur; sic ergo de aliis peccatis non esset iterabilis pœnitentia, nec esset utilis Christi hostia, quod patet esse falsum in multis. Vos etiam de aliis peccatis pœnitentiam injungitis, & manus impositionem iteratis.

Ad idem etiam inducunt, quod dicit Dominus. Luc. 9. v. 62. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei.* Et c. 12. v. 10. *Qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi; ei autem qui in Spiritum Sanctum blasphemaverit, non remittetur*, & Matth. 12. v. 32. addit, *neque in hoc seculo, neque in futuro.*

Item ad idem inducunt illud 1. Jo: 5. v. 16. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.*

Ad 1. dico, quod non solum mittit manum ad aratrum quis fidem assumendo, sed etiam fidei opera congrua faciendo. Non solum ergo retro respicit quis fidem deserendo, vel agnitam veritatem impugnando, sed etiam prava opera faciendo; ergo authoritas illa *nemo mittens manum &c.* vel non facit ad id quod dicis, vel si facit, non erit pœnitentia eadem ratione iterabilis, de aliis peccatis; quare ergo tu iteras eam? (3)

Præterea non dicit, quod non possit esse aptus regno Dei, sed dicit, quod non est aptus.

Ad aliud, quod dicit *non remittetur &c.* (4) dicitur, quod non dicit, quod non possit inde pœnitentia fieri.

Si dicas mihi: quare potius de illo peccato dicitur, quod non remittetur, quam de aliis?

Dico quod difficilius est, quia contra fidem principaliter est, quæ est causa remissionis; unde Act. 15. v. 9. *fide purificans corda eorum.*

* Vel dicas, quod de finali peccato loquitur, non enim orandum est pro eo, qui in tali noscitur decessisse. Simili modo solvunt sequentem objectionem, sed tutior est prima, sicut & magis consona Literę. *

Ad tertium dico, quod peccatum ad mortem dicitur peccatum in Spiritum Sanctum: non prohibet autem Johannes quia pro tali peccato oretur, ut dimittatur, sed dicit: *non pro illo dico, ut roget quis*, nec dicit: ego dico ut non oret quis pro eo, pro alio peccato dicit: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem*. Dicit ergo quod oretur pro tali, quia istud peccatum non est contra radicem remissionis, idest contra fidem directe, sed contra fidei opera; lapsus autem a fide, vel impugnatio fidei agnitæ directe est contra eam. Istam doctrinam servavit Paulus 2. Timot. 4. v. 14. & 15. Non enim pro Alexandro apostata a fide oravit, sed

„ & hoc secundum Spiritum veritatis adfectare gestivit: „ ergo Spiritus veritatis potest quidem indulgere fornica- „ toribus veniam, sed cum plurium malo non vult. -- Concludit proinde posse ab homine sceleribus implicato agi pœnitentiam, compararique remissionem peccatorum, apud Deum, non tamen licere Ecclesiæ hoc idem agere. Heretici juniores; etsi varias initio de pœnitentiæ Sacramento sententias, modo hanc, modo illam defendentes tutati sint; dequa re consuli poterit accuratissimus Bossuetius *liv.* III. *Des variations n.* XLVI. *pag.* 126. *Tom.* II. *Opp. Edit. Venetæ*; in eam tamen frequentes modo solent descendere, ut pœnitentiam Sacramentum esse negent, confugiendumque idcirco esse ad memoriam fidei in Baptismo susceptæ putent. Vide Bellarminum *lib.* I. *de Pœnitentia Cap.* XII. Jueninum De Sacramentis *Dissertatione* VI. *de Pœnitentia quæst.* II. *Cap.* III.

(2) Consulendus Johannes Chrysostomus *Homilia* IX. *ad Cap.* VI. *Epistolæ ad Hebræos pag.* 95. *sqq. Tom.* XII. *Opp. Edit. Paris. Montfauconii*, quo loco fuse lateque explicat Apostoli testimonium illudque sic intelligi oportere contendit, ut repetitum excludat Baptismum, non autem pœnitentiam, quæ lapsos post Baptismum in aliquod scelus homines renovet.

(3) Nempe conferebant rursum pœnitentiam, seu Baptismum Cathari suis illis fratribus, qui in scelera incidissent, quamvis tamen non aliis, qui fidem Catharorum deservissent, sprevissenteque agnitam, ut illi jactabant, sectæ Catharisticæ veritatem.

(4) Consulitor Calmeti Dissertatio *de Peccato in Spiritum Sanctum Præfixa Commentariis in Matthæum.*

* Desunt in B. & in Vat.

ſed pro, aliis ſicut ibi ha betur. Ex prædictis etiam patet, quare hoc peccatum potius dicatur eſſe ad mortem quam alia.

§. III.

De Contritioue.

VIſo de pœnitentia in genere, videndum eſt de partibus ejus, & primo de contritione, quam expreſſe præcepit B. Jacobus c. 4. v. 9. ep. ſuæ dicens: *miſeri eſtote, & lugete, & plorate: riſus veſter in luctum convertatur, gaudium in mærorem*; in quibus verbis Ap. monet nos ad miſeriam, ideſt miſeriæ ſuſtinentiam pro Chriſto, ideſt ut ſuſtineamus famem, ſitim, nuditatem, & perſecutionem, & ejuſmodi pro ipſo, ſecundum quod dicit Ap. 1. Cor. 4. v. 11. & 12. *Eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, & laboramus operantes manibus noſtris, maledicimur, & benedicimus, perſecutionem patimur, & ſuſtinemus*. Monet etiam nos ad triſtitiam de peccatis cum dicit: *& lugete, & plorate*. De hac triſtitia dicitur 2. Cor. 7. v. 10. *Quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*. De hac triſtitia, quod fit ſecundum Dominum, ideſt ejus placitum, ſive voluntatem, evidenter dicit David in Pſ. 50. v. 19. *Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies*, quaſi dicat imo tibi placebit o Deus. Quod autem ei placeat hæc triſtitia, patet ex eo quod præcipit eam in authoritate prædicta B. Jacobi: *miſeri eſtote &c.* Item Joel. 2. v. 13. *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, & convertimini ad Dominum Deum veſtrum*.

Ad idem etiam inducitur exemplum Petri, qui poſt Domini trinam negationem Matth. 26. v. 75. *egreſſus foras flevit amare*. Item nulli dimittitur peccatum, niſi volenti quod ſibi dimittatur, ſi autem vult, quod ſibi dimittatur, non vult eſſe in eo; ſi autem non vult in eo eſſe, diſplicet ei eſſe in ipſo, ipſa autem diſplicentia contritio appellatur; ex quo patet, quod non dimittitur peccatum ſine contritione.

Circa iſtam contritionem autem errant Cathari (5) dicentes eam in nullo caſu ſufficere; nos autem ſufficere arbitramur, quando non poteſt haberi baptiſmus, ſicut patet in Latrone cui dictum eſt a Chriſto Lucæ 23. v. 43. *Hodie mecum eris in Paradiſo*; ipſi enim nec baptiſmus aquæ materialis datus eſt, nec manus impoſitio ipſi facta eſt, & ſic completum eſt illud quod dicit Ap. Rom. 4. v. 5. *Ei vero quem operatur, credenti autem in eum qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam, ſecundum propoſitum gratiæ Dei*, ideſt quia propoſitum Dei eſt, quandoque gratis, hoc eſt ſine operibus ſalvare aliquos, ſicut & David dicit, beatitudinem eſſe ejus, cui Dominus accepto, ideſt acceptabiliter, ſive gratis fert juſtitiam.

§. IV.

De Confeſſione.

NUnc videamus de Confeſſione peccatorum, quæ utilis eſt ad remiſſionem peccatorum, ut notat David Pſalm. 31. v. 5. *Dixi confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei*. Ad idem invitat in Pſ. 105. v. 1. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia ejus*: bonus quidem eſt dando gratiam, miſericors eſt remittendo offenſam Proverb. 28. v. 13. *Qui abſcondit ſcelera ſua non dirigetur*, ſupple ad Dominum, a quo averſus eſt per peccatum, ſequitur *qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur*. 1. Jo. 1. v. 9. *Si confiteamur peccata noſtra; fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate*. Act. 19. v. 18. *Multique credentium veniebant confitentes, & annuntiantes actus ſuos*.

Peccant autem quidam circa Confeſſionem, arbitrantes quod non ſit (6) neceſſarium eam fieri Sacerdoti, & quod ſufficiat ſi fiat Deo ſoli.

Contra hoc autem eſt, quod legitur Prov. 18. v. 17. *Juſtus prior eſt accuſator ſui: venit amicus ejus inveſtigabit eum*. Iſte amicus eſt Sacerdos, qui amicus dicitur, ideſt cuſtos animæ illius, qui ſibi confitetur, cujus etiam plagas inveſtigat tanquam ſalutaris medicus.

Ad

(5) Non Cathari ſolum, ſed etiam Lutherani plerique omnes. Lutherus enim non ſolum non ſufficere contritionem, immo etiam reddere hominem hypocritam cenſuit. Conſulendus Boſſuetius *liv.* I. *Des Variations num.* XVIII. Eodem recidunt, quæ rigidiores Lutherani, contra Vvitembergenſes ajunt *Collat.* IV. *Colloquii Altemburgenſis*. Adeundus Bellarminus *lib.* II. *Cap.* II. *de pœnitentia*.

(6) Seculo XII. *Cophti* Confeſſionem ſuppreſſere: Cujus rei mentionem facit Renaudotius *Tom.* V. *Perp. Fidei lib.* III. *Cap.* VIII. Gaſpar Jueninus Diſertatione VI. *de* Pœnitentia *Quaſt.* V. *Cap.* I. ait, Valdenſes numquam ſuſtuliſſe confeſſionem. Ut autem id probet, confugit ad auctoritatem Reinerii Sachoni, qui in *Summa de Catharis, ſic habet*: „ De Sacramento pœnitentiæ dicunt, „ quod nullus poſſit abſolvi a malo Sacerdote. Item quod bonus „ laicus poteſtatem habeat abſolvendi. Item quod ipſi per manus im„ poſitionem peccata dimittant, & dent Spiritum Sanctum. Item „ quod confitendum ſit potius bono Laico, quam malo Sacerdo„ ti . . . . . Item quod generalis confeſſio non ſit ſingulis aunis facienda. -- Verum etſi fatear Valdenſes nunquam in errorem hunc incidiſſe, ut tollerent confeſſionem; ago tamen Reinerium non referre errata Valdenſium, ſed Catharorum: quamobrem ex eo Reinerii loco nihil poteſt Jueninus exculpere, quod ſibi poſſit eſſe præſidio. Adnotandum autem eſt, Reinerium numquam dixiſſe Catharos neceſſariam omnimodis poſuiſſe confeſſionem: ſed tantum non eam neglexiſſe. Quin etiam ſi affirmaſſet Catharos pro confeſſionis neceſſitate pugnaſſe; non inde tamen concludi poſſet, omnes quotquot illam ſectam coluerunt, in eadem fuiſſe opinione verſatos. Nam Moneta noſter hoc loco fuiſſe aliquos ait, qui neceſſariam eſſe confeſſionem negarent. His acceſſit Vviclefus. Nam ejus *Articulus* VII. a Synodo Conſtantienſi proſcriptus, hujuſmodi eſt -- *Si homo debite fuerit contritus, omnis confeſſio exterior eſt ſibi ſuperflua, & inutilis*. De Lutheri Lutheranorumque dogmate conſulitor Boſſuetius *liv.* III. *Des Variations n.* XLVII. Negari nequit, quin Lutherani plerique a Lutheri ſententia deſciverint. Johannes Brentius in Confeſſione Vvirtembergenſi *Art.* XI. *de Confeſſione* inficiatur neceſſariam eſſe exomologeſin peccatorum omnium; etiam occultorum. Non diſcrepat Kemnitius II. *Parte Examin. Cap.* V. *de Pœnitentia*. Calvinus *lib.* III. *Inſtit. Cap.* IV. §. VII. negat *confeſſionem Sacramentalem juris eſſe divini*: quare etſi veterem ejus uſum eſſe fateatur; liberum tamen olim fuiſſe putat. §. XVIIII. „ Nihil mirum *inquit*, *ſi* auricularem iſtam confeſſio„ nem, rem adeo peſtilentem, totque nominibus Eccleſiæ noxiam „ damnamus, ac ſublatam e medio cupimus -- Hæc hæreticus.

Ad idem facit illud, quod ait Ap. Jacobus ep. suæ c. 5. v. 16. *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua.* Quod autem Jacobus intellexerit, quod ista confessio fiat Sacerdotibus, præcedentia, & sequentia illius Scripturæ declarant; sic enim ait v. 14. & 15. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei.* Et postea ostendens qualiter hoc debeat fieri, intulit dicens: *Confitemini ergo alterutrum &c.* Prræcedere ergo debet confessio, & sequi debet unctio, ac Sacerdotis oratio; ex quo patet, quod Presbytero a quo fit oratio & inunctio debet fieri confessio ab infirmo.

Prætêrea, dicas mihi: ad quid facienda est peccatorum confessio? Constat quod fit ut obtineatur peccatorum absolutio; sed hæc non potest obtineri ab aliquo, nisi ipse habeat claves, idest potestatem ligandi, & solvendi; ad hoc enim datæ sunt claves Petro Apostolo; & aliis Prælatis, ut patet Matth. 16. Ergo confessio non est facienda nisi illi. Modo quæro: qui habent illam potestatem? Si enim illam habent tantum illi, qui ordinati sunt in Præsbyteros per impositionem manuum, habeo propositum, quod tantum Presbyteris debet fieri confessio. Si dicat, quod etiam non ordinati hanc habent potestatem, sicut & illi, qui ordinati sunt, hoc patet esse falsum Matth. 16. ubi habemus, quod hæc potestas Petro daretur, & in ipso aliis Prælatis. Frustra etiam ordinarentur aliqui, si ita haberent potestatem ligandi, atque solvendi non ordinati, sicut illi, qui ordinem accepissent.

Ad idem etiam induci potest illud testimonium Matth. 8. v. 4. *Vade, ostende te Sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyses in testimonium illis.* Hoc dictum est leproso, qui figura est peccatoris, infecti lepra peccati.

Si autem dicas, quod istud judicium de curatione a lepra, an esset facta, an non, ad legem veterem pertinebat, & adveniente veritate legis novæ cessare debet: sic enim dicunt Pauperes Lombardi. (7)

Contra: Nonne dicit Ap. 1. Cor. 10. v. 11. *Omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt?* Utique. Dicas ergo mihi: quid figurabat judicium illud Sacerdotis legale, nisi istud, quod judicium lepræ spiritualis ad Sacerdotem pertinet Novi Testamenti, ei ergo est facienda confessio, ei aperienda est plaga, ad quem pertinet judicium de illa; unde Deuter. 17. v. 8. & 9. *Si difficile, & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter Sanguinem, & Sanguinem, causam, & causam, lepram, & lepram: & judicum intra portas tuas videris verba variari: surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem.*

Contra hoc, quod dictum est, quod confessio præcepta sit, & ad salutem necessaria objiciunt aliqui hæretici illud Ezech. 18. *quacumque hora ingemuerit peccator &c.*

Ad quod dico, quod litera ista non est ibi nisi ex parte, imo ibi dicitur v. 21. & 22. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & justitiam: vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus quas operatus est non recordabor.*

Posito etiam, quod ibi sit, dico quod in casu loquitur, scilicet quando facultas confitendi non habetur; vel propter defectum Sacerdotis, vel propter debilitatem infirmi vim loquendi amittentis, in quo casu invisibilis Sacerdos, scilicet Deus, eum qui vult confiteri, sed non potest, absolvit a debito æternæ mortis per contritionem, idest dolorem cordis de peccatis. Vel potest intelligi de omnibus: *quacumque hora peccator ingemuerit &c.* idest salus ejus esse incipit. (8)

§. II.

De Satisfactione.

Sequitur tertia pars pœnitentiæ, scilicet satisfactio. Est autem satisfactio judicium a Sacerdote pœnitenti datum, de quo dicit Ap. 1. Cor. 11. v. 31. *Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Hoc est illud judicium, de quo: *non judicat Deus bis in idipsum.*

Quod autem satisfactio si tempus habetur præcepta sit, evidenter apparet 2. Cor. 7. v. 10. ubi dicit Ap. *Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur*: Ecce quid facit tristitia de peccatis, sive contritio, scilicet pœnitentiam valentem ad salutem stabilem. Non potest autem dici, quod pœnitentia hic sumatur pro ipsa cordis pœnitudine, hæc enim pœnitudo tristitia est, pœnitentia autem ejus effectus, ut dicit Ap.

Ad idem facit etiam illud Rom. 6. v. 19. *Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.*

Ad idem facit illud Matth. 3. v. 8. *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ*; Et qui sunt fructus pœnitentiæ interioris, idest tristitiæ cordis, nisi illa quæ enumerat Ap. 2. Cor. 7. v. 11. *Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem: sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictas, in omnibus exhibuistis vos, incontaminatos esse negotio.* Modo quæro: Ecce quod necesse est si tempus habetur, ut homo

(7) Pauperes Lombardos appellat Valdenses, qui in Langobardia versabantur, ex hoc autem loco plane colligitur, fuisse saltem Valdenses aliquot, qui confessionis usum necessarium esse inficiarentur: quidquid contra Jueninus l. 1. & aliquot alii scriptores pugnent.

(8) Necessitatem Confessionis, multis eisdemque solidissimis testimoniis probant Bellarminus *lib.* III. *de Pœnitentia Cap.* II. *sqq.* Jueninus *Dissert.* VI. *De Sacramentis Quæst.* V. *Cap.* I. *Art.* II. *per tot.* Natalis Alexander.

mo faciat fructus dignos pœnitentiæ: sed numquid sua authoritate faciet quis, aut alicujus, qui habet claves Ecclesiæ? Constat quod authoritate habentis eas, alioquin frustra essent claves Ecclesiæ.

Præterea vide quid dicit Ap. 2. Cor. 10. v. 6. *In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam.* Quomodo autem promptus erit ulcisci, nisi pœnitentiam injungendo. Hæc est virga, de qua dicitur 1. Cor. 4. v. 21. *Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?*

Præterea, quæ est Ecclesia illa, sive pauperum, sive Catharorum, quæ satisfactionis opera non injungat transgressoribus suis?

Contra hoc autem, quod diximus, quidam garruli objiciunt dicentes, (9) quod Christus summus Sacerdos, & Pontifex secundum ordinem Melchisedech nulla satisfactionis opera injunxit mulieri in adulterio deprehensæ.

Ex prædictis patet, quod imponenda sunt opera satisfactionis, & imponuntur etiam ab hæreticis impugnatoribus veritatis. Si Dominus non imposuit illi, fecit quod voluit; Ecclesiæ tamen suæ reliquit imponere opera satisfactionis peccantibus, & forte alibi mulieri imposuit, licet non esset necesse, quod ei imponerentur. Perpendit (*omnia enim nuda, & aperta sunt oculis ejus* ut dicitur Hæbr. 4. v. 13.) perpendit & magnitudinem doloris peccati in corde mulieris sufficere, & quod ipsa otiosa non esset, *sed sicut exhibuerat membra sua servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibebat membra sua servire justitiæ in Sanctificationem.* Rom. 6. Similiter si talia videremus in peccatoribus venientibus ad pœnitentiam, pœnitentiam eis non injungeremus: nunc autem quia ignoramus hoc, ad cautelam eis pœnitentiam injungimus, ne facilitate veniæ ad peccata facilius relabantur, & ne ad bona agenda opera pigri existant, si vinculis pœnitentiæ & satisfactionis non adstringantur. (10)

CAP. II.

De Extrema Unctione.

NUnc ad quintum Sacramentum extremæ unctionis veniamus. Extrema unctio dicitur, quia confertur in extremis laboranti, & fit ex oleo per Episcopum consecrato. Sciendum autem tria esse genera unctionis. Una est quæ fit ex chrismate, quæ dicitur unctio principalis, quia fit a principibus Ecclesiæ, (1) idest Episcopis, vel quia in ipsa datur Spiritus Paraclitus ad robur, & per consequens ad resistendum, & principandum hostibus Christi, scilicet Dæmonibus, & Tyrannis. Chrisma duos habet admistos liquores, scilicet oleum, & balsamum. Oleum, quod pabulum est luminis, significat illuminationem, & nitorem conscientiæ puræ; balsamum autem, quod conservat a putrefactione significat robur Spiritus Sancti, sed quia odoriferum est, significat bonam famam.

Chrismate ergo inungitur Christianus in signum luminis scientiæ, & nitoris conscientiæ puræ, & fortitudinis spiritualis, ac famæ bonæ. Isto Chrismate capita Regum, & Pontificum unguntur, & baptizati a suis Sacerdotibus non in fronte, sed in vertice ultra frontem, scilicet circa medium capitis: Confirmandi vero post Baptismum ab Episcopis in fronte (2) per impositionem manuum inunguntur. De qua impositione manuum supra adnotavimus.

Est etiam secunda unctio, qua Cathecumeni tempore Baptismi unguntur in pectore, & inter scapulas. Hoc vocatur Oleum Sanctum, quo inunguntur ut diximus recipientes Baptismum, scilicet Chrismate post Baptismum.

Tertia unctia est, quæ dicitur oleum infirmorum, de qua nunc agendum est. (3) Hoc autem Sacramentum Unctionis infirmorum ab Apostolis legitur

(9) Hinc colligi poterit non omnes, sed aliquos dumtaxat Catharos satisfactioni fuisse adversarios. Nam ut mox subjicit Moneta, ab hæreticis suorum temporum imponebantur pœnæ satisfactoriæ. Sed novi hæretici eos paucos Catharos consectati, bellum indicunt eidem satisfactioni. Kemnitius in II. *Parte Examinis* hæc habet: *Quod dictum est, optimam, & aptissimam pœnitentiam esse novam vitam, hanc habet sententiam: Post acceptam fide propter Christum remissionem peccatorum, non requiri præterea aliam satisfactionem, aut expiationem pro peccatis, cum simus in Christo consummati, sed requiri illud quod Scriptura præscribit, Desine a malo, & fac bonum.* Paria habet Lutherus in *Assertion. Art.* v. & Melanthonus *in Confess. August. Art. de Confess. & Satisfact.* Mitto *Catechismos*, & *Confessiones*, quas Hæretici hoc seculo vulgaverunt, quum hæc eadem omnino contineant

(10) Sed satisfactionis opera post confessionem peccatorum postulat Scriptura, postulat Traditio, consensioque omnium Ecclesiarum. Nam alioqui cur Daniel Nabuchodonosori regi præscripsisset ut Eleemosinis sua peccata redimeret? *Dan.* III. aut *Lucæ* III. Johannes Baptista hortatus fuisset, immo jussisset Hebræos, ut facerent *fructus dignos pœnitentiæ.* Age vero Apostolus I. *ad Corinthios cap.* v. nonne incestuosum illum sathanæ in interitum carnis tradidit; ut *Spiritus Salvus esset in die Domini Nostri Jesu Christi?* Non negant porro Heterodoxi Tertullianum, Cyprianum, Augustinum, Theodoritum, omnesque Patres satisfactorias poenas omnino voluisse in iis, qui in aliquod scelus incidissent. Immo vero hoc idem tenere Græcos, ceterosque Orientales jam usque ab antiquis temporibus discissos a Romana Ecclesia, Hæretici ipsi novi fatentur. Quin etiam Audianis hæreseos nota inusta est, quod, ut ait Theodoritus *lib.* IV. *hæreticarum fabularum Cap.* X. *Confessis darent veniam, non tempus ad Pœnitentiam definientes, sicut Ecclesiæ leges præcipiunt, sed potestate condonantes.*

(1) Indicat hoc loco Sacramentum confirmationis, quod jure ordinario conferri ab Episcopis solet. Duos autem ait admixtos habere liquores Oleum; & Balsamum, apud latinos quidèm. Nam Græci multa aromata adjiciunt. Consulendus Isaacius Habertus Observ. IV. *sqe. Ad ritum Chrismatis pag.* 709. *seqq. Pontificalis Ecclesiæ Græcæ.* Adeuntor etiam *Pontificalis idem liber pag.* 699. *Edit. Paris. an.* 1676. Et *liber Ritualis pag.* 508. *Edit. Venetæ an.* 1730. Sed quæ adjungunt Græci ad substantiam materiæ Sacramenti non pertinent; velut præclare animadvertit Doctissimus Goarius *In notis ad Euchologion Ecclesiæ Græcæ pag.* 513. Videndi Martenius *De Antiq. Ecclesiæ ritibus* ubi de Confirmatione disserit, Renaudotius *Tom.* V. *de la Perpetuitè. Liv.* II. *Cap.* XI. *seqq.*

(2) Id quod satis est. Ceterum Græci non in fronte solum, verum etiam in oculis, naribus, utraque aure, & pedibus signum eis solent imprimere. Euchol og. pag. 291. χρίει τὸν βαπτισθέντα τῷ ἁγίῳ μύρῳ ποιῶν σταυροῦ τύπον ἐπὶ τοῦ μετώπου, καὶ τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ τῶν μυκτήρων, καὶ τοῦ στόματος, καὶ τῶν δύο ὤτων, καὶ τοῦ στήθους, καὶ τῶν χειρῶν, καὶ τῶν ποδῶν, κ. τ. λ. *Ungit baptizatum Sancto balsamo, crucis signum faciens in fronte, & in oculis, & in naribus, & in ore, & in utraque aure, & in pectore, & in manibus, & in pedibus &c.* Sed ut constet, partium harum omnium demta frontis, inunctionem ne a Græcis quidem necessariam existimari; animadvertendum est, non omnes hasce partes ab universis ritualibus, sed ab aliquibus tantum indicari. Vide Goarium *in Not. pag.* 301.

(3) Hæretici Cathari Extremæ Unctionis Sacramentum tollebant, ut *ex hoc Cap. & ex S. Antonino Parte* III. *Tit.* XI. *Cap.* VII. *colligo.*

legitur factum fuisse ante Domini passionem, unde legitur Marci 6. v. 12. & 13. *Et exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent; & Dœmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & sanabantur*. De duodecim Apostolis loquebatur, inter quos unus erat Judas, unde ibi v. 7. & 8. dicitur. *Et vocavit duodecim, & cœpit eos mittere binos, & dabat illis potestatem spirituum immundorum, & præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum*; & post pauca subdit verba Domini v. 11. *Exeuntes inde excutite pulverem de pedibus vestris, in testimonium illis* (4)

Modo quæro a te o Hæretice: de quo oleo loquitur? Si de oleo materiali: in Ecclesia ergo Dei debet esse unctio materialis olei; sed non est in tua: ergo tua non est Ecclesia Dei.

Præterea si oleum inquantum oleum opus esset Diaboli: Numquid diceret Apostolus, quod Præsbiteri ungerent infirmos oleo in nomine Domini? Jac. 5. v. 14. Nulla enim conventio Christi ad Belial, ut habetur 2. Cor. 6. v. 15. Nulla ergo conventio nominis Domini ad oleum materiale; si opus Belial est; sed aliqua conventio est nominis Domini ad materiale oleum, quia Ecclesia ungit infirmos illo oleo in nomine Domini; ergo illud oleum inquantum est oleum non est opus Diaboli.

Si dicat, quod de oleo spirituali loquitur tam Marcus, quam Jacobus, quid est illud oleum spirituale?

Præterea quæ est sanitas de qua dicit Marcus, quod Apostoli: *ungebant oleo multos ægros, & sanabantur*; Numquid illa sanitas corporalis erat? Si sic, ergo res corporales, & transitoriæ sunt a Deo Patre justorum.

Præterea, si reficit ista corpora, quare dicis, quod non facit ea, aut non creat?

Præterea, si erat materialis sanitas; ergo & materiale oleum.

Si vero erat spirltualis sanitas; ergo Judas sanabat spiritualiter aliquos, ipsi enim, & aliis data est hæc potestas, & ad exercitium illius missus est. Quomodo autem spiritualiter sanare poterat, si sanus non erat? Idem dico de aliis Apostolis, si nondum sani erant, & si nondum Spiritum Sanctum receperant.

Præterea si spiritualiter aliquos sanabant, ergo ægri spiritualiter ante passionem, & resurrectionem Domini sanabantur spiritualiter. Quomodo, si Spiritum Sanctum non recipiebant, poterant spiritualiter sanari? Tu enim credis, quod Spiritum Sanctum nulli dabat Christus, aut Discipuli ante resurrectionem. *Qui autem Spiritum Christi non habet* (ut dicit Ap. Rom. 8. v. 9.) *hic non est ejus*. Si autem ejus non est, diaboli est: si autem hujus est, qnomodo sanus est spiritualiter? Nullo modo. Restat ergo, quod ægri uncti oleo ab Apostolis ante Christi resurrectionem sanabantur corporali sanitate, & ungebantur materiali oleo, & ita unctio materialis olei in Ecclesia Dei esse debet, & inde ut prius

Præterea Marci 6. v. 12. & 13. dicitur. *Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent, & dœmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & sanabantur.* Quomodo illi tunc agere pœnitentiam, si Spiritum Sanctum habere non poterant tunc, idest ante passionem Domini, & resurrectionem. Si enim non habent Spiritum Christi, ejus non sunt; si ejus non sunt, quomodo pœnitentiam agunt?

Præterea dicitur, quod *Dœmonia multa ejiciebant*. Nunquid ipsa ejectio dœmonum fiebat a corporibus, vel ab animabus? Si a corporibus, fiebat ergo eis injustitia, quia repellebantur a possessione sua.

Præterea: illa ejectio corporalis erat, curabant ergo ista corpora, quod est contra ponentes duo principia.

Qualiter autem objiciendum sit illis, qui ponunt unum principium, de hoc habetur in 2. p. hujus operis in cap. de factura Dei nova. Cap. de miraculis.

Si autem dicat, quod ab animabus ejiciebantur; erat ergo ejectio spiritualis, & curatio similiter, sed ut dicit Christus Lucæ 11. v. 20. *Si in digito Dei ejicio Dœmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei*. Ergo si ab illis erant ejecta Dœmonia, profecto in eos venerat regnum Dei; ergo ipsi erant Dei; ergo habebant Spiritum Christi, quia ut diximus *qui Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* Rom. 8. v. 9.

Ex prædictis patet pravitas Doctrinæ tuæ; quicquid enim dicas, nisi a prava doctrina tua resipiscas stare non potest secundum testimonia scripturarum, ut ex his quæ objecimus evidenter apparere potest. Redeas ergo ad Matrem Ecclesiam, credens materialis olei unctionem, & in ea recipe tam animæ quam corporis sanitatem. Ad utrumque enim valet, ut B. Jacobus protestatur; & ad sanitatem spiritualem, si digne recipitur, semper valet, ad corporalem autem non semper, quia non est semper expediens sanitas corporalis, imo in infirmitate perficitur. Hoc patet in Paulo, qui ait 2. Cor. 12. v. 7. 8. & 9. *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me. Et dixit mihi: sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur*. Et hæc de isto Sacramento sufficiant. (5)

colligo. Hæretici Bohemi in eodem hærebant luto; Quemadmodum traditum est ab Ænea Silvio *lib de Origine Bohemorum* C.xxxv. Vviclefus quoque ab ea non abhorruit opinione, velut ex IV. *l. Trialogi Cap.* 25. patet, ubi contendit: hoc Sacramentum neque a Christo, neque ab Apostolis institutum, adeoque ne Sacramentum quidem esse. Consentiunt novi Hæretici. Lutherus *lib. De Captiv. Babylonica Cap. de Extrema Unctione*. Calvinus *lib.* IV. *Instit. Cap.* XIX. §. XVIII. *seqq.* Chemnitius II. *Parte Examinis*. Melanthonus *in Locis Tit. de Unctione*. Johannes Brentius *in Confess. Vvirtemberg. Cap. de Extrema Unctione*. Magdeburgenses *Centur.* VII. *Cap.* VI. & *alii omnes*, qui hos auctores sequuti sunt.

(4) Testimonium Marci etsi de extrema Unctione intelligi oportere defendant Beda, Theophilactus, & Occumenius *in Commentar. ad Cap.* VI. *Evangelii secundum Marcum* non tamen omnes Catholici eo pacto intelligunt. Consulitor Bellarminus *lib. unico de Extrema Unctione Cap.* II. & Dominicus Sotus *in* IV. *sent. dist.* XXIII. *Quæst.* I. *Art.* I.

(5) Addendum est Patres Veteres agnovisse hoc Sacramentum. Nam Origenes II. *in* Leviticum, Johannes Chrysostomus *lib.* III. *De Sacerdotio*, Innocentius I. *In Epistola ad Decentium Eugubinum Cap.* VIII. *meminit*. Aliique multi, quos Theologi nostri, imprimisque Sambovius in *Tract. de Extrema Unctione*, Natalis Alexan-

CAP. VI.

De Ordine.

§. I.

Enumerantur, & exponuntur Ordines.

SExtum Sacramentum Ordo dicitur. Quid autem ſit Ordo habetur in ſententiis l. 4. d. 24. de Ordinibus, c. *Si autem quæritur*, ubi hæc leguntur. *Si autem quæritur quid ſit, quod hic vocatur Ordo. Sane dici poteſt ſignaculum eſſe, ideſt Sacramentum quoddam, quo ſpiritualis poteſtas, traditur ordinatis, & officium. Character ergo ſpiritualis ubi ſit promotio poteſtatis, Ordo, vel gradus vocatur. Et dicuntur hi Ordines Sacramenta, quia in eorum perceptione, res ſacra, ideſt gratia confertur, quam figurant ea quæ ibi geruntur.* (1)

Sunt autem novem ordines, ſcilicet Pſalmiſtæ, Oſtiarii, Lectores, Exorciſtæ, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, Sacerdotes, & Epiſcopi. Omnes tamen Clerici vocantur, ideſt ſortiti, ideſt in ſortem Dei electi, ſicut Matthias in ſortem Apoſtolorum electus eſt in illo temporis meditullio, quod fluxit a die Aſcenſionis, uſque ad diem Pentecoſtes. Act. 1. v. 26. Novem autem ordines dixi ſecundum quoſdam, ut ſit ordo cæleſtis, & angelicæ in terra Eccleſiæ militantis; ſic enim ait Dominus ad Job. c. 38. v. 33. *Numquid noſti ordinem cæli, & pones rationem ejus in terra?* Quaſi diceret, non eſt hoc tuum, ſed meum.

Tres autem iſtorum Ordinum aperte habuit Eccleſia primitiva, ſcilicet Epiſcopatum, Presbyteratum, & Diaconatum, ſicut 1. ad Tim. 3. v. 1. & 8. & c. 5. v. 17. & ad Titum 1. v. 7.

Primus ergo ordo, ſive gradus, eſt Pſalmiſtatus ut habetur in Decr. 1. p. d. 23. c. 20. *Pſalmiſta* & d. 32. c. 15. *Quoniam*; & inde dicuntur Pſalmiſtæ, quia poteſtatem, ſive officium dicendi pſalmos habent, (2) hanc enim poteſtatem, ſive officium dicendi pſalmos recipiunt in prima tonſura, quando

Alexander. *De Sacr. Extrem. Unct.* & Jueninus *Diſſert.* VII. *de Sacram. Quæſt.* II. recenſent, ejuſdem myſterii meminerunt. Quid? Quod Orientales Eccleſiæ a Romana jam inde a multis ſeculis ſeparatæ Extremam Unctionem in numerum Sacramentorum referendam eſſe arbitrentur? Adeundus Renaudotius *Tom.* V. *De la Perpetuitè, lib.* V. *Cap.* I. II. III. qui hoc idem argumentum exſequitur. Merito ergo Synodus Tridentina *Seſs.* XIV. *Cap.* I. inter Sacramenta numerat Extremam Unctionem. *Et Can.* I. *Si quis dixerit*, inquit, *Extremam Unctionem non eſſe vere & proprie Sacramentum a Chriſto Domino Noſtro inſtitutum, & à B. Jacobo Apoſtolo promulgatum, ſed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum anathema ſit.*

(1) Septem tantummodo numerat Synodus Tridentina *Seſs.* XXIII. *Cap.* II. quo loco, *non ſolum*, inquit, *de Sacerdotibus, ſed & de Diaconis Sacræ Literæ apertam mentionem faciunt, & quæ maxime in illorum ordinatione attendenda ſunt, graviſſimis verbis docent: & ab ipſo Eccleſiæ initio ſequentium Ordinum nomina, atque uniuſcujuſque eorum propria miniſteria, Subdiaconi ſcilicet, Acolythi, Exorciſtæ, Lectores, & Oſtiarii in uſu fuiſſe cognoſcuntur, quamvis non pari gradu. Nam Subdiaconatus ad majores Ordines a Patribus, & Sacris Conciliis refertur, in quibus, & de aliis inferioribus frequentiſſime legimus.* Ac merito quidem horum ordinum jam inde a primitivæ Eccleſiæ temporibus repetit inſtitutionem. Non quod Ignatius Martyr, eorum fecerit mentionem, ut quidam exiſtimant, quorum tamen mihi non probatur ſententia; nam Epiſtola ad Antiochenos accepta referri non debet Ignatio, ſed quod Tertullianus *lib. de Præſcriptionibus* III. Seculo ineunte Lectoratum commemorarit; S. Cornelius Papa, qui tertio Seculo floruit, & *In Epiſt. ad Fabium Antiochenum* apud Euſebium *lib.* VI. *Hiſt. Cap.* XLIII. aliique plures illorum meminerint, non quaſi recens; ſed quaſi multo ante eſſent invecti. Videndus M. Franciſcus Hallerius: *De Eccleſiaſtica Hierarchia Part.* II. *Sect.* I. *Ap.* I. *Art.* I. §. I. Verum, ut ſapienter animadvertit Jueninus „ Quamquam certum eſt ex Concilio Tridentino ſeptem eſſe Ordines, non eſt tamen certum nec plures eſſe, „ nec pauciores. Et ſane Eugenius IV. in Decreto pro inſtructione Armenorum, & Patres Tridentini, dum egerunt de numero Sacramentorum novæ legis, dixere nec plura eſſe, nec pauciora quam ſeptem, ſed ea dicendi ratione nuſquam ſunt uſi „ agentes de Septenario ordinum numero. *De Sacram. Diſs.* IX. *De Ordinibus in ſpecie in Prooem.* Quamobrem vitio Græcis non vertitur, quod præter Lectoratum, & hypodiaconatum, nullum minorem alium ordinem agnoſcant jam uſque à mille, & amplius annis; quamvis dubium ſit, utrum ne Cantoratum præterea velut a Lectoratu diſtinctum ordinem admittant, an vero unum, & eumdem, quamvis diverſa ſit utriuſque ordinationis formula. De qua re nolo equidem diſceptare. Videndi Goarius *in notis ad ritualem lib. Græcorum pag.* 197. *ſeqq. Edit. Veneta*, & Habertus *in Pontiſ. ad Part.* IV. *Liturg. Ordinat. Obſer.* I. II. III. & IV. *pag.* 38. *ſeqq.* & Morinus *de Sacris Ordinat. Exercit.* XI. *Cap.* III. & IV. & Renaudotius *lib.* V. *de la Perpetuitè de Foy del Egliſe Chap.* VI. *Tom.* V. quo loco ita ceteros Orientales ſentire animadvertit, ut Græci ſentiunt. Neque vero omnes quotquot in Occidente, & Africa fuerunt Epiſcopi olim ad ætatem uſque Monetæ, ſeptem tantum ordines numerarunt. Nam fuiſſe pleroſque, qui novem, ita ut noſter fecit, recenſuerint, cum ex veteribus, tum ex ejus temporis Scriptoribus colligi facile poterit. Sed ut miſſos faciam ceteros, quorum teſtimonia fuſe lateque perſequutus eſt M. Franciſcus Hallerius *Hierarch. Eccleſiæ Parte* II. *Sect.* I. *Cap.* I. §. II. S. Iſidorus Hiſpalenſis ſeculi ſeptimi ſcriptor *lib.* VII. *Etymolog. Cap.* II. „ Generaliter, *inquit*; Clerici nuncupantur, „ qui in Eccleſia Chriſti deſerviunt, quorum gradus, & nomina „ ſunt hæc: Oſtiarius, Pſalmiſta, Lector, Exorciſta, Acolytus, „ Subdiaconus, Diaconus, Præsbyter Epiſcopus. *Refertur Diſt.* XXI. *Cap. Cleros.* Paria habet idem ipſe S. Iſidorus *in Epiſtola ad Leudefredum Epiſcopum Cordubenſem Tom.* VII. *Concili Novæ Edit. Venetæ col.* 434. *ſeqq.* ubi ordines Eccleſiaſticos numerat; cujus quidem Epiſtolæ fragmentum ad rem noſtram maxime pertinens, refertur *Diſt.* XXV. *cap. Perlectis.* Hinc Canoniſtæ veteres, quorum ſententiæ adhæſit noſter, novem item Ordines numerarunt, inter quos Pſalmiſtatum referendum eſſe exiſtimaverunt, ut *ex Gloſſa ad duos cit. canones* plane conſtat.

(2) Canoniſtæ, ut vidimus veteres *Cantoratum* in ordinum numero poſuerunt. Canones duos, ut cernis in rem ſuam adfert Moneta, ex Epiſtola Iſidori ad Leudefredum & ex aliis Eccleſiaſticis monumentis expreſſos. Jam vero fuiſſe aliquot Eccleſias, quæ Cantoratum, ab Lectoratu veluti diſtinctum Ordinem admitterent, ſatis teſtatum eſſe arbitror. Ac ſane quemadmodum Eccleſia, ut Sanctus Thomas *in ſupplem.* III. *Part. Quæſt.* XXXVII. *Art.* II. *ad* 2. *Arg.* obſervat, *quod implicite habebat in uno ordine* Diaconatus, *explicite tradidit in diverſis, & ſecundum hoc dicit Magiſter in litera lib.* IV. *ſent. Diſt.* XXIV. *quod Eccleſia alios Ordines ſibi inſtituit*; ita nihil impediebat, quominus Cantoratum etiam aliquando diſtingueret ab Ordinibus ceteris, in quibus continebatur; deinde vero, quod ita ratio temporum poſceret, rurſum cum Lectoratu unum atque eumdem ordinem conſtitueret. Sed Eccleſias aliquot *Cantoratum* pro diſtincto a ceteris ordine agnoviſſe, conſtat ex S. Ephræmio *Syro* XCIII. *Serm. de Adventu ſecundo*, ex Concilio Laodiceno *Can.* XXIV. *Tom.* I. *Concil. Edit. Labb. col.* 1502. ubi hæc habentur. Quod non *oportet ſacratos, a Præsbyteris uſque ad Diaconos, & deinceps quemlibet Eccleſiaſtici Ordinis, uſque ad Miniſtros vel Lectores, vel Cantores, vel Exorciſtas, vel Oſtiarios, vel Exercitatorum Ordinis, in cauponam ingredi. Ex Conſtitutionibus Apoſtolicis lib.* III. *Cap.* XI. *ex Canone* LXIX. *Apoſtolico*, ex Pſeudo Ignatii *Epiſtola ad Antiochenos* ex Liturgia, quæ Marco adſcribebatur, *apud Fabricium Cod. Apog. Novi Teſt. Parte* III. *pag.* 288. ex Concilii Trullian *c.* IV. *Tom.* VI. *Concilior. Edit. Labbeanæ col.* 144. ex Iſidori Teſtimoniis, quæ retuli *Notatione Superiore*, & ex aliis documentis, quæ memorat Hallerius *Hierarchiæ Eccleſiaſticæ Parte* II. *Sect.* I. *Cap.* I. §. II. Sed quid multis eſt opus? Juſtinianus Imperator *Novella* III. *Cap.* I. certiores nos facit fuiſſe ἀναγνώστας ἑκατὸν δέκα, ϗ ψάλτας εἰκοσιπέντε. *Lectores centum,*

do efficitur corona ei, (3) qui in sortem Dei eligitur. Duo comitantur coronam, ideſt circulum capillorum; unum eſt denudatio verticis, alterum diſcoopertio oculorum, & aurium. Corona eſt ſignaculum dignitatis regiæ, qua ſe ipſos, aut alios in Chriſto regant. Ad hoc ergo caput Clerici in modum coronæ tondetur, ut intelligat, quod ad regiam dignitatem in Chriſto aſſumitur. Denudatio verticis ſignificat libertatem mentis ad contemplandum Dominum ſine velamine, ignorantiæ vel erroris; ſummitas enim capitis ſignificat eminentiam mentis, de qua Ap. 2. Cor. 2. v. 18. *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformamur, a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu.* Tonſura capillorum in qua oculi & aures revelantur, ſignificat præciſionem vitiorum de corde, ne ſcilicet vitia per capillos ſignificata impediant ad audiendum verbum Dei per alium, vel ad videndum, ideſt ad intelligendum per ſe ipſum pro quo ſervato reddetur in excelſis corona gloriæ.

[*] Iſtam tonſuram derident hæretici (4) dicentes prohibitum Sacerdotibus Judæorum, ne facerent ſibi calvitium, & ne attonderentur in coma.

Ad quod dicimus, quod illud fuit eis prohibitum non quia malum, ſed ad deteſtationem idololatriæ, ne viderentur ſimiles Sacerdotibus idolorum, (5) qui hoc faciebant in idolorum venerationem, ſcilicet in rotundam. Hæc autem cauſa modo ſublata eſt, cum idololatria deleta ſit ex maxima parte [*] Non mirum ergo ſi de hoc derident non intelligentes ſignificationem ejus. Sed ab Eccleſia Dei inſtituta eſt ad deſignandum quod diximus. (6)

Habet autem hoc Eccleſia ab Apoſtolis; in Actibus enim Apoſtolorum c. 18. v. 18. Priſcilla, & Aquila leguntur totondiſſe ſibi caput: *Paulus verò cum adhuc ſuſtinuiſſet dies multos, fratribus valefaciens, navigavit in Syriam (& cum eo Priſcilla, & Aquila), qui ſibi totonderat in Cenchris caput; habebat enim votum.* Item Act. 21. habetur, quod Jacobus, & alii fratres qui erant Jeroſolymis dixerunt Paulo v. 23. & 24. *Sunt nobis viri quatuor, votum habentes ſuper ſe. His aſſumptis, ſanctifica te cum illis, & impende in illis, ut radant capita, & ſcient omnes, quia quæ de te audierunt falſa ſunt, ſed ambulas & ipſe cuſtodiens legem.* Quaſi diceret, junge te illis, ut, ideſt, donec radant capita ſua. Votum iſtud de quo fit mentio in Actibus Ap. votum Nazaræorum erat, de quo legitur Num. 6. v. 18. *Tunc radetur Nazaræus ante oſtium tabernaculi fœderis ceſarie conſecrationis ſuæ: tolletque capillos ejus, & ponet ſuper ignem, qui eſt ſuppoſitus ſacrificio pacificorum.* Habuit ergo cauſam inſtitutionis ſuæ à lege Moyſi, ut enim dicit Ap. 1. Cor. 10. v. 11. *Omnia in figura contigebant illis, ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſæculorum devenerunt;* & etiam à Prophetis, unde Ezech. 5. v. 1. dicitur ad eum: *Et tu fili hominis, ſume tibi gladium acutum,* (ideſt novaculam), *radentem pilos: & aſſumes eum, & duces per caput tuum, & per barbam tuam,*

centum, & decem, & Pſaltas vigintiquinque. Cur. 25. *Pſaltas* & 110. Lectores nominaſſet, niſi diſtincti illorum fuiſſent Ordines? Quin etiam in Euchologio, & in Archieratico Græcorum diſtincta ponitur Ordinationis formula pro Cantoratu, ab ea quæ eſt propria Lectoratus; quod ſatis eſt argumenti, ut diſtinctus ſaltem aliquando Ordo Lectoratus, a Cantoratus Ordine fuiſſe cenſeatur, quicquid contra Habertus contendat.

(3) Cenſuit Moneta *Clericatus*, ut quidam Canoniſtæ vocant, Ordinem, in idem atque *Cantoratum* recidere. Eo autem aliquot Canonum interpretes exiſtimarunt Tonſuræ conſecrationem eſſe ordinem, quo Innocentius III. *in Epiſt. Decretali ad Archiepiſcopum Rothomagenſem*, quæ refertur *Cap. Cum contingat, de Ætat. & Qualitat. in tonſuræ* ſuſceptione conferri dixerit *Ordinem Clericatus, vel Clericalem*. Sed hæc Innocentii verba latius aliquanto intelligenda, ſumendaque ſunt, pro *Ordine* minus proprie dicto. Venio nunc ad formam, quæ adhiberi ſolebat, dum *Pſalmiſtatus* Ordine quiſquam initiabatur. Concilium Carthaginienſe IV. *C.* X. „ Pſalmiſta, *inquit*, id eſt cantor, abſque ſcientia Epiſcopi, „ ſola juſſione presbyteri, officium ſuſcipere cantandi, dicente „ ſibi presbytero: *Vide ut quod ore cantas, corde credas, &* „ *quod corde credis operibus comprobes*. Perperam Habertus *νοθείας* poſtulat hunc Synodi Carthaginienſis canonem. Nam vana illius animadverſio eſt, qua pugnantia in eo contineri affirmat. Non enim, ut ille vult, legendum eſt: *dicente ſibi Epiſcopo; ſed dicente ſibi presbytero*. Non diſcrepant, quæ ex Concilio Carthaginenſi, neſcio quo, affert Martenius *Parte* II. *Op. de Sacris Eccleſiæ ritibus lib.* I. *Cap.* VIII. *Art.* XI. *pag.* 92. *Edit. Mediol. an.* 1736. Similia ſunt, quæ continent Ordines ab eodem Martenio recenſiti Monaſterii Beccenſis annorum circiter 500. *p.* 174. Cameracenſis ejuſdem ætatis *p.* 188. aliique ejuſdem ætatis. Verum MSS. liber Pontificalis Eccleſiæ Noviomenſis annorum circiter 400. non a presbytero, ſed ab Epiſcopo *Cantoratus* Ordinem conferri oportere præſcribit. Nam poſt præmiſſas aliquot ceremonias, ſic habet: *Pſalmiſtæ, ideſt Cantores cum ordinantur accipiunt ab Epiſcopo Antiphonarium in manus, dicente Epiſcopo.*, Videte, ut quod „ ore cantatis, corde credatis, & quod corde creditis, operi- „ bus probetis. Quin etiam apud Syros Maronitas Cantor ab Epiſcopo initiatur. Vide Martenium l. c. *pag.* 278. Forma autem quam Epiſcopus adhibet, etſi eodem recidat, deprecativa tamen eſt: ut & apud Græcos. Ex his ergo colligere quiſque poterit ad 14. vel etiam 15. Seculum perſeveraſſe in aliquot Eccleſiis Ordinem *Cantoratus*, qui propriene, an minus proprie ordo tum diceretur, non equidem laboraverim. Sequitur etiam, non confundi hunc Ordinem in ritualibus cum tonſura, neque cum ceteris Ordinibus; quamvis illud adjicere liceat, quod Monetæ aliquo eſſe videtur præſidio: Pſaltem eodem tempore a Græcis initiari, cum & tondetur. Conſulitor Martenius *l. c. col.* 263.

[**] Quæ duobus aſteriſcis concluſa ſunt, deſunt *e Codd. Bon. & Vat.*

(4) Catharorum exemplum, ut in rebus pleriſque ceteris, ita in deridenda clericorum tonſura, æmulantur quidam hæretici juniores, inter quos recenſeri merito debent Hortenſius Landus *lib. de Perſecutione Vvandalica*, & Centuriatores Magdeburgenſes *Centuria* IV. *Cap.* VI. Utuntur autem hi argumenti illo genere; quo Catharos fuiſſe abuſos teſtatur hoc loco Moneta. Prohibitum namque à Deo in Vetere Teſtamento fuiſſe contendunt, ut ne quis comam tonderet. *Lev.* XIX. *v.*27. „ Neque in rotundum attondebitis co- „ mam, nec radetis barbam, & *Hieremiæ Cap.* IX. „ Ecce dies „ venient, dicit dominus. & viſitabo .... ſuper Ægyptum, & ſu- „ per Juda, & ſuper Edom..... & ſuper omnes, qui attonſi ſunt „ in comam &c.

(5) Negari non poteſt, quin Ethnici plerique Orientales, ſeſe in cultum idolorum tonderent in orbem. Idque jam colligitur ex *Capit.* IX. *Hieremiæ* v. *extremo.* De Arabibus hæc ſcribit in Thalia Herodotus: *Eodem modo, quo tonſus eſt Bacchus tonderi ſe ajunt. Porro in orbem tondentur*. Quod vero ait idem ipſe Scriptor *lib.* II. *Cap.* XXXVI. de Ægyptiis Sacerdotibus, eodem videtur recidere: *Deorum Sacerdotes alibi comati ſunt; in Ægypto deraſi.* Quin etiam Edomitas, ac Moabitas eidem ſuperſtitioni fuiſſe addictos, patet ex *verſu extremo Cap.* IX. *Hieremiæ*. Mirum ergo videri non debet, ſi Deus Hebræis juſſerit, ut ne ſe tonderent in orbem, quo populum ab ſe delectum ab Ethnicorum ceremoniis deterreret.

(6) Merito ab Eccleſia, non ab Apoſtolis coronæ, tonſuræque Clericorum repetit inſtitutionem. Etenim etſi Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus. *In Theor. rerum Eccleſiaſt.* & Beda *lib.* V. *Hiſtoriæ Gentis Anglorum Cap.* XXII. *Petrum in coronam attonſum fuiſſe dicat in memoriam Dominicæ Paſſionis*, nonnulloſque ſequioris ævi Scriptores, habeat ſibi conſentientes; quoniam tamen nullus Auctor, qui aliquam mereatur fidem, hoc ipſum prodidit, vereor ut illius teſtimonium ſubleſtæ ſit fidei. Ceterum imagines quædam Apoſtoli Petri veteres cum primis in fundo vitreorum vaſculorum depictæ, editæque à Bonarotio, & Boldetto, Petrum quidem exhibent aliquando capillis detonſis in orbem, quamvis pleræque imagines ſint generis ejuſdem, nullam exhibentes tonſuram. Quocirca ne ex

tuam : quod totum figura ejus erat quod modo fit ab Ecclesia . (7)

In ore duorum vel trium stat omne verbum Matth. 18. 1. 16. tres enim testes tibi induxi de tonsura , & rasura, scilicet librum actuum Apostolorum, legem Moysi , & Ezechielem .

Quod autem Apostolus hoc non fecerit mortis timore , in illo patet cap. act. ubi v. 13. habetur quod Paulus dixit : *Quid facitis flentes , & affligentes cor meum . Ego enim non solum alligari , sed & mori in Jerusalem paratus sum propter nomen Domini Jesu* . Quare autem illud fecerit , dicant seniores , idest Jacobus & alii Fratres qui post verba illa , *ut radant capita sua* dicunt, *& scient omnes , quia quæ de te audierunt falsa sunt , sed ambulas & ipse custodiens legem* . De qua lege loqueretur , patet quia de lege Nazaræorum , in qua animalia immolabantur , ut patet Num 6. v. 13. 14. 15. 16. & 17. Unde ibi v. 26. c. 21. act. Ap. dicitur : *Tunc Paulus assumptis viris , postera die purificatus cum illis intravit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis , donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio* . Et hoc determinatur Num 6.

Redeamus ad ordinem Psalmistarum , distinguentes quod psalmista dicitur , vel psalmorum compositor , vel psalmorum ex officio recitator , & ita sumitur hic. Officium verò psalmistæ exercuit Christus Matth. 27. v. 46. quando versum illum dixit : *Deus meus , Deus meus , ut quid dereliquisti me* ? Et est sumptum hoc verbum de ps. 21. v. 1. Similiter Lucæ 23. v. 46. quando *Clamans voce magna Jesus ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum* .

Secundus ordo , sive gradus Ostiariorum , sive Janitorum existit . (8) Institutio hujus gradus a Veteri Testamento originem habuit , ubi aliqui eligebantur ad custodiam ostiorum templi , ut non ingrederetur in illud immundus . Dicuntur ergo ostiarii , quia præsunt ostiis templis , ipsi tenentes clavem , omnia intus , extraque intrare volentia custodire debent , atque inter mundos , & immundos discretionem habentes , dignos recipiunt , & indignos excludunt . Unde eis cum ordinantur, dantur claves ab Episcopo , (9) & dicitur eis : *Sic accipite tanquam rationem Deo reddituri , pro rebus , quæ istis clavibus recluduntur* . Hoc officium Dominus implevit Matth. 21. v. 12. Mar. 11. v. 15. Lucæ 14. v. 45. & Jo: 2. v. 15. ubi *cum fecisset quasi flagellum de funiculis , omnes ejecit de templo oves quoque , & boves , & nummulariorum effudit æs & mensas subvertit* . Ipse etiam verbo se Ostiarium dixit Jo: 10. v. 9. *Ego sum ostium . Per me si quis introierit , salvabitur ; & ingredietur , & egredietur , & pascua inveniet* . Ex his patet , quod institutio Ecclesiæ de gradu Ostiariorum honesta est , & causam habet rationabilem .

Tertius ordo , sive gradus est ordo Lectorum , (10) qui Lectores dicuntur a legendo , ipsorum enim est legere prophetias , & lectiones in Ecclesia , quando non sunt Epistolæ . Unde eis vidente populo traditur ab Episcopo codex divinarum lectionum,

ex his quidem elici quidquam potest , quod Bedæ suffragio sit . Itaque nulla nos impellit ratio , ut tonsuræ institutionem à Petro repetendam esse arbitremur . Ego trium priorum Ecclesiæ Seculorum Clericos , ante redditam Christianis pacem tonsuram non habuisse ; aut perraros fuisse , qui haberent , puto; alioqui facile pro Christianis agnosci , extremoque supplicio affici potuissent ; cum tamen illos revera Ethnici non distinguerent . Sed 4. quintoque seculo eos , qui in Clericorum , aut Monachorum Collegium essent cooptati , totondisse capillos , compertum esse contendo . Nam Julianum Apostatam, cum Maximo Philosopho Ephesio sese tradidisset in disciplinam , in spemque Imperii esset erectus , uti spes tanta Constantium fugeret , cutem abrasisse , & vitam Clerici fuisse professum , Auctor est Socrates *lib.* III. *Hist. Cap.* I. Id vero contigit circa annum 351. velut sapienter animadvertit eruditissimus Cardinalis Norisius *in Lectionibus Habitis in Acad. Pisana Lect.* VI. *Tom.* IV. *Opp. Edit. Veron.* Labuntur ergo Thomassinus *De Discipl. Parte* I. *lib.* II. *Capit.* XXXVII. *seqq.* & Boehmerus *Inst. Can. l.* I. *Tit.* V. §. VI. qui ajunt Seculo V. assumptam fuisse tonsuram à Clericis exemplum Monachorum sequutis , dum ex Monasterio tracti essent. Suppetunt enim solidissima documenta, quibus liquido evincatur Clericos ante 5. Seculum tonsuram gestasse longe à Monastica discrepantem . Nam etsi Monachi tonderent se , coronam tamen non gestabant . Quarto autem Seculo , & seqq. patet Episcopos coronam habuisse , adeoque etiam tonsuram ab ea Monachorum quæ propria fuit, diversam . Ita namque sciscunt testimonia Hieronymi , Paulini , Gregorii Nazianzeni , quæ referuntur ab Halerio *Hierarch. Eccl. Tom.* I. *in Append. Art.* II. §. II. *pag.* 1063. *Edit. an.* 1636. & à Norisio *Lect.* VI. *De Tonsura Tom.* IV. *Opp. Edit. Veron.* Veruntamen corona Clericorum fuit , non qualis nunc defertur à Clericis , sed qualis à Monachis nostrorum temporum gestari solet . *Synodus Toletana* IV. *Can.* 41. ,, Omnes Clerici , inquit , vel Lectores , sicut Levitæ , & ,, Sacerdotes detonso superius toto capite , inferius solam circuli ,, coronam relinquant ; non sicut hucusque in Galliciæ partibus facere Lectores videntur, qui prolixis , ut Laici comis , in solo capitis apice , modicum , circulum tondent . Ritus enim iste in Hispania hucusque hæreticorum fuit . ,, Paria habet S. Gregorius Turonensis *in vita S. Patricii Cap.* XVII. ubi de S. Nicetio loquitur. Adjungit autem Moneta : *ad designandum quod diximus* . Nempe *regiam dignitatem* . Quod libri rituales id fieri ad regiam in Clericis dignitatem indicandam affirment . Neque vero libri rituales solum, sed etiam Synodi. Concilia Ravennensia duo celebrata an. 1314. & 1318. apud Martenium *Parte* II. *lib.* I. *De Sacris Eccl. Ritibus Cap.* VIII. *pag.* 34. jubent, ut Clerici : *coronam condecentem portent, per quam designentur regalis esse generis*. Adeundus S. Isidorus Hispalensis *lib.* II. *De Divinis Officiis Cap.* IV. quo loco , *quod vera detonso capite superius , inferius circuli corona relinquitur* , inquit , *Sacerdotium regnumque Ecclesiæ in ijs existimo figurari* . Arbitror tamen tonsuram introductam à Clericis ad contemptum mundi indicandum . Consulendus Martenius ibid. *pag.* 42. *seqq.* & Eruditissimus Joseph Catalanus *Commentar. in Pontifical. Roman. pag.* 65. *seqq. Tom.* I.

(7) Ita quidem plerique existimarunt. Videndus Norisius *Lect.* VI. sæpe à me indicata . Verum , ut ante animadverti , ad contemptum mundi potius prima tonsura introducta videtur . Apud Hebræos consuetudo invaluerat , ut qui morbo , vel aliis necessitatibus pressi essent , diebus triginta sibi temperarent à vino , caput deinde raderent , post Deo sacrificarent . Idque jam , non Paulus solum , verum etiam Berenice Agrippæ Soror fecisse traditur . Vide *Josephum lib.* II. *De Bello Cap.* XV.

(8) Vetus quoque hic ordo est; quippe cum illius meminerit S. Cornelius Papa *in Epistola ad Fabium Antiochenum lib.* VI. *Historiæ Cap.* XLIII. Videndi M. Franciscus Hallerius *Hierarch. Ecclesiast. Parte* II. *Sect.* I. *Cap.* I. *Art.* I. *pag.* 363. *seqq.* Thomasinus *Discipl. Eccl. lib.* II. *Cap.* XXX. *num.* IX. & Josephus Catalanus *in Commentar. ad Pont. Romanum Tom.* I. *pag.* 75.

(9) Ita Pontificale Romanum *pag.* 75. §. I. Adeundus Josephus Catalanus in *Comment. ad idem Pont. ibid. pag.* 75. Concilium Carthaginense IV. *can.* 9: Ostiarius , *inquit* , cum ordinatur , ,, postquam ab Archidiacono instructus fuerit , qualiter in domo ,, Dei debeat conversari ; ad suggestionem Archidiaconi , tra- ,, dat ei Episcopus claves Ecclesiæ de altario , dicens : sic age ,, quasi redditurus Deo rationem pro his rebus , quæ his clavi- ,, bus recluduntur . Sed antiquum Sacramentarium Ecclesiæ Turonensis X. *Seculi* præscibit , ut *Archidiaconus ostium Ecclesiæ tradendo dicat : Per claves traditur vobis ministerium in Ecclesia , ut sit vobis assiduum servitium circa januas Ecclesiæ habeatisque potestatem introducendi justos , & rejiciendi injustos* . Unde extitit & illud collatum aliquando fuisse in quibusdam saltem Ecclesiis ab Archidiacono Ordinem Ostiariatus , ut etiam ab Abbatibus dari solet suis Clericis , &c.

(10) Lectorum meminit Tertullianus *Lib. De Præscriptionibus Cap.* XLI. quo loco non contra Pepuzianos , seu Montanistas , sed con-

num, & dicitur eis: (11) *Accipe, & esto verbi Dei relator, accepturus, si fideliter impleveris, partem cum his, qui bene nuntiaverunt verbum Dei.* Talis homo literis debet esse instructus, ut sensum verborum intelligat, vim accentuum sciat, & distincte legat. Istud officium Christus jam duodennis implevit Lucæ 4. v. 17. Librum Isaiæ aperiens & distincte ad intelligendum legens illud verbum Isaiæ 61. v. 1. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me &c.* Istud etiam officium habuit originem a prophetis, quorum uni, idest Isaiæ dicitur c. 58. v. 1. *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Jacob peccata eorum.*

Quartus ordo, sive gradus Ecclesiasticus Exorcistarum est. Exorcizare Græce, Latine idem est quod (12) adjurare. Modo exorcistæ, idest adjurantes dicuntur; invocant autem super eos, qui spiritum immundum habent nomen Domini, adjurantes, ut egrediatur ab eis. Ad istos pertinet exorcismos memoriter retinere, manusque super energumenos, & cathecumenos in exorcizando imponere. Cathecumeni sunt, qui de fide instituuntur ante baptismum. Inergumeni vero, vel Energumeni, qui a Dœmonibus corporaliter vexantur. *Erges* enim labor dicitur, unde Inergia, vel Energia ab *En*, quod est in, idest intus laborantes. Isti Exorcistæ cum ordinantur, accipiunt de manu Episcopi librum Exorcismorum, idest adjurationum, & dicitur eis: *Accipite, & habete potestatem imponendi manus super Energumenos, vel Cathecumenos.* Hoc etiam officio usus est Dominus Mar. 7. v. 34. quando saliva sua tetigit aures, & linguam surdi, & muti dicens: *Ephetha, quod est adaperire*: idest, adaperiaris in auribus ad audiendum, & in lingua ad loquendum; hoc est adaperiantur aures, & os tuum. Ecce super quod fundatur constitutio Ecclesiæ, scilicet super doctrina Christi, qui exemplo suo eam docuit hæc facere. Veruntamen quia Hæretici istos exorcismos linguis blasphemis impugnant, ideo in §. de baptismo parvulorum, & catechismo, atque exorcismo aliqua ad eorum ora claudenda breviter diximus; & ideo hic ea non ponimus.

Quintus ordo, (13) sive gradus est ordo Acolythorum, idest ceroferariorum, quod scilicet cereos deportent quando Evangelium est legendum, vel sacrificium offerendum: tunc enim accendunt luminaria & portant ea, non ad effugandas tenebras materiales, quæ tunc non sunt, (14) sed in signum quod Christus, cujus Evangelium legitur, & cujus sacrificium conficitur, est illa lux *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* Jo: I. v. 9.

Officium eorum est cereos portare, & urceolum cum

contra Marcionitas, Valentinianos, ceterosque Gnosticos disseruit. Huic succinuere Sancti Cornelius in Epistola ad Fabium Antiochenum, Sanctus Cyprianus *Epist.* XXXIII. *al.* XXXVIII. & *Epist.* XXXIV. *al.* XXXVIII. ceterique Patres, qui post Cyprianum floruerunt. Consule Hallerium *l. c. pag.* 364. *seqq.* Catalanum *in Pontif. Romani ad Titulum* VI. *pag.* 80. Hinc factum est, ut universæ Ecclesiæ ab Romana etiam jam usque a seculo V. divisæ, Lectorum Ordinem, quem a Patribus acceperunt, summa consensione admittant. Consulitor Renaudotius *Tom.* V. *De la Perpetuite de la Foy. lib.* V. *Cap.* VI.

(11) Vide Martenium *De Sacris Ecclesiæ ritibus Lib.* I. *Cap.* VIII. *Art.* VIII. *pag.* 53. *seqq. Parte* II. & *Catalanum in Titulum* VI. Pontificalis Romani *pag.* 80. *seq.* Apud Græcos vero quemadmodum fiat Lectoris Ordinatio cognosci poterit ex iis, quæ referunt Habertus *ad Part.* IV. *Pontificalis Græcorum Observ.* I. *seq.* Goarius *in not. ad lib. Ritual. Græc.* 196. *seqq.* & Martenius. *Parte* II. *De Antiq. Ecclesiæ Ritibus Lib.* I. *Cap.* VIII. *Art.* XI. *pag.* 263. *seqq.* Quod vero adjungit Noster, implesse Christum hoc munus, cum adhuc duodennis esset, pie quidem certe creditum ab eo est, & fallor, ut vere.

(12) Exorcistarum Ordinem perinde, ut alios, memorat in Epistola *ad Fabium Antiochenum* Sanctus Cornelius Papa apud Eusebium *Lib.* VI. *Cap* XLIII. Quare ineptus est Bingamus, cum extremo Seculo tertio certum Ordinem exorcistatum constituere cœpisse pugnat. Non enim Cornelius, qui medio seculo III. floruit, Exorcistas tum primum introductos in Romanam Ecclesiam docet, sed ita refert, quasi multo ante fuissent introducti. Synodus Antiochena c. X. Exorcistas perinde nominat. *Tom.* II. *Concil. Edit. Labbeanæ col.* 565. „ Ii qui sunt, „ inquit, in vicis, vel pagis, vocati Chorepiscopi .... visum „ est, ut constituant lectores, hypodiaconos, *καὶ ἐξορκιστάς* & exorcistas. Adisis Concilium Laodicenum *can.* XXIV. *Tom.* I. *Concilior. col.* 1502. Epiphanium *Exposition. Fidei num.* XXI. S. Paulinus *Natali* IV. *S. Felicis Tom.* VI. *Bibl. Max. SS. PP. pag.* 274. *&c.* *ἐξορκιστὴς* autem idem est atque adjurator. Concilium Carthaginiense IV. *Cap.* VII. *Tom.* II. *Concil. col.* 1200. *Edit. Labbeanæ* idem ac Noster exorcistis adscribit officium. „ Exorcista cum ordinatur, accipiat de manu Episcopi libellum, „ in quo scripti sunt exorcismi, dicente ibi Episcopo: Acci„ pe, & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponen„ di manus super energumenum, sive baptizatum, sive Catechumenum. Ita sciscunt libri rituales, quos refert Martenius *Lib.* I. *Cap.* VIII. *Art.* XI. *Parte* II. *De Sacris Ecclesiæ ritibus.* Quamobrem Moneta librum exorcismorum tradi Clerico, dum exorcista ordinatur, ait. Sed ea consuetudo sublata deinde fuit. Nam Pontificale Romanum sub Leone X. editum permittit, ut pro libro exorcismorum porrigatur ipsum *Pontificale*: illud autem quod prodiit recognitum ab Urbano VIII. *Pontificale vel Missale.* Consule *Pontif.* Romanum *Tit.* VII. *De Ordinat. Exorcist.* ibidemque Commentarium eruditissimi Catalani *pag.* 85. *seqq.* Verum nescio quid caussæ sit, cur *energumenos* appellari etiam *inergumenos* posse adjungat Moneta. Nam *ἐνεργούμενοι energumeni* Græce, non *ἰνεργούμενοι*, vel *οἱ νεργούμενοι*, aut *εἰνεργούμενοι* dici solent. Fortasse quod *ἐν* Græcum in Latinum *in* verti consuescat, *inergumenos* dici agitatos a dœmone posse existimavit. *Ergem* autem *laborem* judicare nemo putaverit, nisi is qui ita est in Græcis peregrinus, ut nesciat vim nominum, vocesque vitiat, atque pervertat. Non enim *ergen*, sed *ἔργον operationem*, seu *opus* proprio, traslato vero sensu *laborem* significat. Atque *τοῦ ἐνεργουμένου*, *energumeni* appellatio *ἀπὸ τοῦ ἐνεργεῖν* oritur, quod est *operari, agere, movere*. Quocirca *ἐνεργούμενοι ὑπὸ τοῦ δαίμονος*, *agitati a dœmone* a latinis vocantur. Etenim *ἐνεργεία* Ecclesiastico sensu pro spiritus operatione ponitur, sive boni *Apost. ad Philipp.* II. 13. sive mali: *Actor.* V. 3. *Lucæ* XXII. 3. & *Joh.* XIII. 2. quare nisi addatur aliquid, in utramque partem verti commode potest. Itaque a Balsamone ad *respon. Canonicas Timothei Alexandrini pag.* 1061. *ἐνεργούμενοι ὑπὸ τοῦ δαίμονος*, *agitati a dœmone*, a Pachimere *in Cap.* III. *De Ecclesia Hierarch. Dionysii pag.* 271. *ἐνεργούμενοι ὑπὸ πνευμάτων a Spiritibus obsessi*, & a S. Maximo, vel, ut alii censent a Johanne Scythopolita *in Cap.* III. *Hierarch. Ecclesiasticæ pag.* 67. *ἐνεργούμενοι ὑπὸ πνευμάτων ἀκαθάρτων*: *ab immundis spiritibus vexati* dicuntur.

(13) Nominantur Acolythi a S. Cornelio Pontifice in ea, quam sæpe laudavi ad Fabium Antiochenum Epistola. Cyprianus quoque Episcopus Carthaginensis illorum idemtidem meminit. *Epistol.* VII. XXXIV. LII. LIX. LXXVII. *seq. Edit. Oxon.* Apud Græcos non est Ordo distinctus: quamvis tamen aliquando diversus ab ceteris fuisse videatur. Consulendi Cabassutius *Notit. Concilior. cap.* XLII. *pag.* 249. *Edit. Lugdun. an.* 1670. & Schelstratus *De Concilio Antiocheno Dissert.* IV. *Cap.* XVII. *pag.* 526. *ἀκόλουθος* Greçe. *pedissequum* Latinè significat. *Pedissequus* autem dicitur, quod comitetur eos, qui majoribus ordinibus aucti sunt, eisque ministret. Sed de etymo hujusce vocis non inepte disserit Binghamus *Lib.* III. *De Orig. Ecclesiast. Cap.* III. §. III.

(14) S. Hieronymus *adversus Vigilantium* & Sanctus Isidorus Hispalensis *lib.* VII. *Etymolog.* lumina tum, cum Evangelium cani-

cum vino & aqua ſuggeſta, ideſt ſubminiſtrata & Subdiacono præparare. Si autem cum ordinantur accipiunt ab Epiſcopo candelabrum (15) cum cereo, & urceolum. Cauſa inſtitutionis hujus Ordinis, ſive gradus in Eccleſia fuit quia Dominus hoc officium, ſcilicet illuminandi mundum ſe habere teſtatus eſt Jo: 8. v. 12. dicens: *Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ*. Cauſa autem hujus officii ſumpta eſt a Veteri Teſtamento, ubi lucernas & candelabra componebant Exodi 25. v. 31. & ſeqq. & accendebant igne cæleſti ad tenebras illuminandas.

Sextus ordo, ſive gradus in Eccleſia, eſt ordo Subdiaconorum, (16) qui ideo ſic dicuntur, quia ſunt ſub Diaconibus, & miniſtrant eis; eorum enim eſt calicem, & patenam ad altare Chriſti deferre, (17) & Levitis tradere, ideſt Diaconibus, eiſque miniſtrare, urceolum quoque, & aquæ-manile, ideſt vas in quo decurrit aqua ab urceolo quando funditur ſuper manus Sacerdotis ſe lavantis, & manutergium tenere presbytero. Hi cum ordinantur accipiunt de manu Epiſcopi patenam, & calicem vacuum, ab Archidiacono vero urceolum vacuum, cum aqua-manili & manutergium. Hoc officio figuraliter uſus eſt Dominus mittens aquam in pelvim & lavans diſcipulorum pedes. Jo: 13. v. 5.

De aliis tribus ordinibus, ſive gradibus evidenter locutus eſt Paulus ut prædiximus. Unus ergo ordo eſt eorum qui Diacones (18) dicuntur, in Veteri autem Teſtamento dicebantur Levitæ a Levi patre ſuo: præcepit enim Dominus Moyſi poſt ordinationem Aaron in Sacerdotem ſummum, & poſt ordinationem filiorum ejus in Sacerdotes minores, ut omnes Levitæ divino cultui ordinarentur Num. 3. v. 6. & ſeqq. ſed a viginti quinque annis, & ſupra, ut habetur Num. 8. v. 24. Hi *Diacones* Græce, Latine dicuntur *miniſtri*; ad eos enim pertinet Sacerdotibus aſſiſtere, (19) & miniſtrare eis in omnibus quæ aguntur, ideſt in Sacramentis Chriſti, ſcilicet in Baptiſmo, in Chriſmate, in patena, & calice, & in diſpenſando aliis Corpus Chriſti (20) poſtquam confectum eſt a Sacerdote.

Item eorum eſt prædicare verbum. (21) Hoc officio uſus eſt Dominus, ut dicunt Sancti, quando poſt cœnam Sacramentum Carnis, & Sanguinis diſpenſavit; in diſpenſatione enim uſus eſt officio Diaconi, licet in confectione uſus ſit officio Sacerdotis Matth. 26. v. 26. Habuit ergo Eccleſia ordinem iſtum a Chriſto, unde & Apoſtoli Act. 6. v. 5. & 6. elegerunt ſeptem viros plenos Spiritu Sancto ad hoc officium, & oratione præmiſſa manus eis impoſuerunt. De qualitate autem Diaconorum habetur aperte 1. Tim. 3. v. 8. & ſeqq. *Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes &c.* Hi cum ordinantur accipiunt ab Epiſcopo textum Evangelii, (22) ut intelligant ſe eſſe præcones Evangelii Chriſti.

Octavus ordo eſt Presbyterorum, Presbyter enim Græce, Latine Senior vocatur, non pro ætate,

canitur ajunt, veluti ſigna quædam lætitiæ, quam in nobis Evangelium excitat, & ut omnibus innoteſcat, Jeſum Chriſtum veram eſſe lucem, qui nos verbis ſuis illuminat. Adiſis Le-Brunium *Explication De la Meſſe Part.* II. *Artic.* VII. *pag.* 224. *Tom.* I.

(15) Concilium Carthaginenſe IV. *Cap.* VI. *Tom.* II. *Concil. Edit. Paris. Labbeanæ. Col.* 1200. „ ab Epiſcopo quidem doceatur, qualiter in officio ſuo ſe agere debeat: ſed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut ſciat ſe ad accendenda luminaria mancipari. Accipiat & Urceolum vacuum ad ſuggerendum vinum in Euchariſtiam Sanguinis Chriſti: Conſule Martenium *Lib.* I. *De Antiq. Eccleſiæ ritibus Cap.* VIII. *Art.* VIII. *num.* XIV. & *Artic.* XI. & *Catalanum in in Commentar. ad Tit.* VIII. *Pontificalis Romani pag.* 89. *ſeqq. Tom.* I. Nolo autem indictum præterire, cauſam quam noſter indicat Inſtitutionis Acolythorum minus videri veriſimilem.

(16) Falſus eſt Binghamus cum *Lib.* III. *Cap.* II. §. I. *Orig. Eccleſiaſt.* Cornelium Summum Pontificem, & S. Cyprianum de ὑποδιακόνοις *Subdiaconis* ita loqui affirmat, perinde ac ſi eorum tempore fuerint in Eccleſiam introducti. Nam Cornelius *Epiſt. ad Fabium Antiochenum*, & Cyprianus *Epiſt.* VIII. XX. XXIX. XXXIV. *ſeq.* XLV. LXIVIII. *ſeq. Edit. Oxon.* memorant quidem ordinem ταν ὑποδιακόνων, recens autem invectum eſſe non memorant; quod ſatis eſt argumenti, ut multo ante τὴν αὐτὴν τάξιν invaluiſſe, percrebuiſſeque affirmemus. Meminit horum Athanaſius *Epiſt. ad Solitar. Vit. Agent. Tom.* I. *Opp. pag.* 380. *Edit. an.* 1698. Obtinet hic ordo non in Occidente ſolum, verum etiam in Eccleſia Græca, ceteriſque Orientalibus. Conſulendi Habertus *in Pontificali Eccl. Græcæ pag.* 49. Renaudotius *Tom.* V. *De la Perpetuite* &c. *Lib.* V. *Cap.* VI. & Martenius *De Ant. Eccleſiæ ritib. Part.* II. *Lib.* I. *Cap.* VIII. *Act.* I. *nu.* III. & *Artic.* VIII. *num.* XV.

(17) Pontificale Romanum *Tit.* X. *De Subdiaconis*, hæc habet: *ſedulo attendite quale vobis miniſterium traditur. Subdiaconum enim oportet aquam ad miniſterium altaris præparare; diacono miniſtrare, pallas altaris, & corporalia abluere, calicem, & patenam in uſum ſacrificii eidem offerre; &c.* Videndus S. Iſidorus Hiſpalenſis *in Epiſt. ad Leudefridum Tom.* VII. *Concil. Col.* 434. *Edit. Novæ Venet.* Adeundi quoque Martenius *Lib.* I. *De Sacris Eccleſiæ ritibus*, *Cap.* VIII. *Art.* XI. & Catalanus *ad Titul.* X. *Pontifical. Romani* §. VIII. *pag.* 101.

(18) Diaconos meminit Lucas in Actis I. v. 25. Paulus quoque eoſdem appellat II. *ad Corinthios Cap.* VI. V. 4. & II. *ad Timoth. Cap.* IV. V. 5. S. Ignatius Martyr diſerte affirmat *Epiſt.* ſincera *ad* Trallianos *num.* 2. τὺς διακόνυς . . . . ὐ βρωμάτων, καὶ ποτῶν εἶναι διακόνυς, ἀλλ' ἐκκλησίας θεῦ ὑπηρέτας. *Diaconos . . . non eſſe ciborum, & potuum miniſtros, ſed Eccleſiæ Dei*. Paria ferme habet *Epiſtolis ad Magneſianos n.* VI. & *ad Polycarpum n.* VI. Cum autem Scriptura, & qui Apoſtolum Johannem audivit Ignatius de Ordine Diaconorum diſertiſſimam fecerint mentionem; non eſt cur recenſere neceſſe ſit ceterorum Patrum, qui eadem literis mandaverunt, Teſtimonia, Tertulliani *de Fuga Cap* XI. Cypriani *Epiſt.* LXV. *al.* III. *Epiſt.* LXVIII. *al.* LXVII. *Edit. Oxori*. Optati *lib.* I. *Contr. Parmen. pag.* 39. Auguſtini, Hieronymi, Hilarii, omnium denique Conciliorum, atque Eccleſiarum, quarum pars diu ante VI. Seculum ab Eccleſia Romana ſchiſmate conflato diviſæ ſunt. Hanc enim Provinciam non ſolum Martenius, Thomaſinus, Morinus, & alii Theologi Catholici ſolum, verum etiam hæretici Angli noſtrorum temporum occuparunt: inter quos numerari merito debet Binghamus *Lib.* II. *De Orig. Eccl. Cap.* XX. §. I. *ſeq.*

(19) S. Hieronymus, ut Diaconos a Sacerdotibus ſecundi generis, Presbyteris, diſtinguat, *levitas* appellat *Epiſt.* XXVII. Idque jam fecit Salvianus *Lib.* II. *de Prov. pag.* 70. *Edit. Ritterſhuſii an.* 1623. Inde factum arbitror, ut ab aliis, qui deinde viguerunt *Levitæ* fuerint nuncupati. Conſule rituales libros, quos refert Martenius *Lib.* I. *De Sacris Eccleſiæ ritibus Cap.* VIII. *Art.* XI. *Pontificalis Rom. Titulum* XI. & in eumdem *Commentarios* Clariſſimi Catalani, ubi quæ ſint munera Diaconorum accurate imprimis oſtenditur.

(20) Vide Juſtinum Martyrem Apologia II. *pag.* 97. *Conſtitutiones Apoſtolicas Lib.* VIII. *Cap.* XIII. *Concilium Carthaginenſe* IV. *Cap.* XXXVIII.

(21) Permittente Epiſcopo. Videndi Hallerius, Iveninus, & alii Theologi, qui de diaconatu ſermonem inſtituunt.

(22) In Eccleſia Græca, & Latina diaconis, dum ordinantur, manus imponi debent. Ita namque ſciſcit Lucas in *Act. Cap.* VI. Adiſis Martenium *Lib.* I. *Cap.* VIII. *Act.* IX. *nu.* I. *De Sacr. Eccl. ritibus* qui idem ac Morinus, Iveninus, Lequienius, Natalis Alexander, Goariuſque, propugnat, oſtenditque quo primum tempore invaleſcere cœperit ritus porrigendi librum Evangeliorum.

te, (23) ſed pro maturitate & diſcretione, hæc eſt enim ſenectus *non diuturna*, *neque annorum numero computata*, ut habetur Sap. 4. v. 8. Ad Presbyterum pertinet Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini conficere. Hic cum ordinatur, inunguntur ei manus, ut intelligat ſe accepiſſe gratiam conſecrandi, & charitatis opera ad omnes debere extendere. Accipit & ſtolam in utroque latere, quia debet eſſe munitus armis juſtitiæ contra proſpera, & adverſa, & patenam cum hoſtiis, ut cognoſcat ſe habere poteſtatem offerendi Deo placabiles hoſtias. Qualis autem debeat eſſe Sacerdos, vel Presbyter Apoſtolus ſcribens Timotheo oſtendit dicens: *Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe*, *unius uxoris virum*, *ſobrium*, *prudentem*, *ornatum*, *pudicum*, *hoſpitalem*, *Doctorem &c.* Ep. 1. c. 3. v. 2. & ſeqq., ubi etiam Presbyterum nomine Epiſcopi comprehendit; qualis enim debet eſſe Epiſcopus, talis debet eſſe & Presbyter minor, ut patet ad Tit. 1. v. 5. & ſeqq. Officio Sacerdotis uſus eſt Chriſtus, quando in Cœna panem, & vinum, in Corpus, & Sanguinem ſuum commutavit. Originem ſuam habuit per ſimilitudinem a Veteri Teſtamento; ut enim habetur Lev. 8. poſt conſecrationem Aaron in Pontificem, filii ejus minores Sacerdotes ordinati ſunt. Item ad Titum 1. v. 5. dicit Paulus Tito: ***Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per civitates Presbyteros.***

Nonus ordo, & ſummus, eſt ordo Epiſcoporum, (24) qui merito a quibuſdam prior ponitur, quam ordo minorum Sacerdotum, quia alterius modi fit ei manus impoſitio, quam minoribus Sacerdotibus, quorum tantum manus inunguntur, ſed Epiſcopo corona tota. Archiepiſcopatus enim, & Primatus, (25) atque Patriarchatus, & Epiſcopus minor, differentiæ ſunt ordinis Epiſcopalis in genere ſuo; omnes enim ii Epiſcopi gentili nomine deſignantur: ampliorem enim curam habent, quam minores Epiſcopi, tres prædicti, ſicut Epiſcopi, quam Sacerdotes minores; ſed illi alii tres non recipiunt aliam manus impoſitionem, quam Epiſcopi minores. Similiter Epiſcopus Romanus, (26) qui inter Patriarchas primus eſt, plura poteſt quam alii. De qualitate Epiſcopi ſcripſit Ap. 1. Tim. 3. v. 2. & ſeqq. *Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe &c.*

§. II.

Refelluntur Hæreticorum errores circa ordines.

ORdinem autem multipliciter impugnant hæretici. Primo impugnant alios ordines ab Epiſcopatu, Præsbiteratu, & Diaconatu, (27) dicentes eos non fuiſſe in primitiva Eccleſia, ex quo volunt, quod nec modo debeant eſſe in Eccleſia, nec eſt Eccleſia Dei, quæ eos habet, ut ipſi falſo dicunt (28)

Sed hic error eorum detegitur oſtenſo quod Ecccleſia Dei poteſt facere conſtitutiones novas, (29) hoc autem inferius oſtendemus, quando de conſtitutionibus Eccleſiæ agemus.

Præterea quam rationabilis ſit conſtitutio Eccleſiæ de iis ordinibus. & quam honeſta, patet per ea quæ diximus, cum de unoquoque, unde originem habeat, oſtendimus.

Secundo impugnant ordines ſequentes quantum ad ſolemnitatem in dando illos, quam facit Eccleſia Romana, cum non inveniatur hæc ſolemnitas in Eccleſia primitiva in Novo Teſtamento.

Sed ſi Eccleſia poteſtatem habet conſtitutiones facere, ut oſtendetur, evidens eſt iſtam impugnationem injuſtam eſſe.

Tertio impugnant Ordinem Epiſcoporum (30) dicentes ipſum per peccatum annullari in homine, & ad hoc inducunt illud Ap. ad Tim. 1. c. 3. v. 2. *Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe &c.* Ex quo vo-

(23) Hieronymus *in Iſaiam* III. *Tom.* II. *Opp. Edit. Martianaei*: *In Scripturis Sanctis*, inquit, *Presbyteros merito & ſapientia eligi*, *non ætate*. Presbyterorum ordinem memorat paſſim in VII. ſuis ſinceris Epiſtolis S. Ignatius Martyr; memorat & Juſtinus *Apolog. quæ ſecunda numero* eſſe ante conſuevit: cui ſuccinunt omnes Eccleſiæ Patres. Jure autem divino Presbyteros eſſe inſtitutos, non Theologi Catholici tantum omnes, verum etiam hærerici Angli, quos Epiſcopales vocant, contendunt: ut Hamondus, Pearſonus *Vindic. Ignat. Parte* II. *Cap.* XIII. Dodvvellus *in Diſſert. Cyprianicis*, Binghamus *Lib.* II. *Orig. Eccleſiaſt. Cap.* XIX. Ad Presbyteros porro ſpectat conſecrare Corpus, & Sanguinem Chriſti, ut univerſa Traditio Eccleſiæ, Synoduſque Nicæna I. *Can.* XVIII. poſtulat; de qua re conſuli poterunt Theologi. Inunguntur quidem manus ei, qui initiatur, Presbyteratus Sacramento, ſed neque Moneta, neque alius quiſquam affirmat, hoc inunctionis genus Sacramenti illius eſſe materiam. Ergo qui minus eſt in hiſce rebus verſatus, conſulat præter Morinum, Renaudotium *Lib.* V. *De la Perpetuite. Tom.* II. *Cap.* VIII. alioſque Theologos, eruditiſſimum Martenium *Lib.* I. *De Sacris Eccl. Ritibus Cap.* VIII. *Act.* IX. *nu.* 10. *ſeqq.*

(24) Nono loco ponit ordinem Epiſcoporum, ut Iſidorus Hiſpalenſis *Epiſt.* ſæpe indicata ad Leudefridum. Sunt etiamnum Theologi, qui cenſeant diſtinctum Ordinem, & Sacramentum a Sacerdotio ſimplici eſſe presbyteratum. Verum alii pugnant nonniſi extenſionem quamdam Characteris Sacerdotalis eſſe. Nolo in re implexa meum judicium interponere. Ne autem arbitrere Monetam eo dixiſſe: *a quibuſdam prior ponitur*, quo Epiſcopatum æquari presbyteratui aut cenſeret ipſe, aut alii exiſtimarent (nemo enim quiſquam Catholicus in ea umquam opinione fuit, cum univerſi jure Divino Epiſcopos Presbyteris antecedere propugnaverint, ut fuſe lateque oſtendunt Petavius *in Opere de Hierarch. Eccleſiaſtica*, Natalis *Alex. Diſſert. De Epiſc. Jur. div. Presbyt. ſuper.* Perſonus *Vindic. Ignatii Par.* II. *Cap.* XIII. *Dodvvellus in Diſſertationib. Cyprianic.* Binghamus *lib.* II. *Cap.* XII.) ſed quo primo loco numerari Epiſcopatum a quibuſdam videret, ſecundo Presbyteratum, tertio Diaconatum, atque ita porro a majoribus ordinibus deſcendendo ad minores. Jam vero inunctio coronæ Epiſcoporum, non eſt materia ejus ordinationis, ut omnes Theologi pugnant. Videndi Renaudotius *Tom.* V. *lib.* V. *De la Perpetuite Chap.* X. *pag.* 387. *ſeqq.* & Martenius *lib.* I. *De Antiq. Eccleſiæ ritibus Cap.* VIII. *Art.* X.

(25) Sunt varia veluti munera, & dignitates Epiſcoporum, quæ ex jure Divino haudquaquam manarunt.

(26) Qui jure Divino primas obtinet in Eccleſia univerſa partes: ut eſt ab omnibus Theologis admirabili quadam vi ſoliditateque argumentorum ex Scriptura, & traditione expreſſorum demonſtratum.

(27) Codex Bononienſis ſic habet: *ſcilicet Presbyteratum*, & *Diaconatum*. Epiſcopatum non memorat.

(28) Nempe, ut hæretici juniores, ita Cathari minores ordines averſabantur, quod in primitiva Eccleſia non vigerent: quorum tamen error manifeſte refellitur ex iis, quæ attulimus in notationibus 8. *ſeqq. in hoc Cap.*

(29) Fortaſſe in ea erat Moneta ſententia, ut ordines Minores Sacramenta non eſſe arbitraretur. Nam etſi Eccleſia novas conſtitutiones condere poſſit, non poteſt tamen inſtituere Sacramenta. Ceterum erroris hæc illius opinio redargui non debet, cum plerique omnes Theologi hujuſce temporis hoc idem defendant, Juveninus, Morinus, Martenius, aliique ſexcenti, quos conſulere Lector poterit.

(30) Hæc erat opinio Catharorum. Adeundus Reinerius Sachonus *apud Martenium* Tomo V. *Theſauri Anecdot.* ſæpe ac multum a me in notationibus ſuperioribus laudatus.

volunt, quod si reprehensibilis est, Episcopus non sit.

Sed quid dicent de eo quod habetur Gal. 2. v. 11. ubi dicit Paulus: *Cum autem venisset Cephas Antiochiam in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat &c.* Nunquid desierat esse Episcopus, cui dictum est cum aliis a Christo: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi Mat.* 28. v. 20.

Præterea, quid dicent de Juda, qui secundum eos nunquam fuit bonus, quia nunquam habuit Spiritum Sanctum, & ita nunquam fuit Christi membrum: *Qui enim Spiritum Christi non habet, hic non est ejus Rom.* 8. v. 9.? Sed numquid Judas non fuit Episcopus, & Apostolus Christi?

Si dicat non fuit: Contra Act. 1. v. 16. & 17. dixit Petrus: *Viri fratres oportet impleri scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum: Qui connumeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerii hujus.* Ergo fuit Christi minister, sicut alii discipuli.

Præterea ibi v. 20. dicitur: *Fiat commoratio eorum deserta, & non sit qui inhabitet in ea: & Episcopatum ejus accipiat alter.*

Præterea dicitur inferius v. 24. & 25. quod orantes discipuli dixerunt: *Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum ministerii hujus, & Apostolatus, de quo prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum.* Fuisse ergo videtur Episcopus, & Apostolus Christi.

Posito etiam quod Judas non fuerit Episcopus, quid dices de Angelo Ephesi, idest Episcopo Ephesino? (31) De quo Apoc. 2. v. 4. dicitur quod charitatem primam reliquerit, unde dicitur ei v. 5. *Memor esto itaque unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: sin autem venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* Adhuc ergo non erat remotum candelabrum de loco suo, idest Ecclesia de potestate ejus, & regimine, & tamen reprehensibilis erat, & ut sonat litera, reliquerat charitatem primam. Idem habetur de aliis Angelis excepto secundo, & sexto. Isti vero quinque mali erant, & tamen non repelluntur, nec deponuntur statim, imo ad pœnitentiam invitantur. Ex quibus patet quod non desinit quis esse Episcopus Ecclesiæ Dei propter malitiam suam; sed desinit esse dignus Episcopatu: Unde quod dicit Ap. ad Tim. & Tit. de qualitate Ordinandorum, exigitur in Ecclesia, ad hoc, ut aliquis digne & decenter sit Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, sed tamen nec indigne quo ad se, nec indecenter quo ad alios qui foris sunt quia per eos nomen Dei blasphematur. Quod autem dixi quoniam illud quod dicit Ap. exigitur ad hoc ut aliquis digne, & decenter sit Episcopus, Presbyter, vel Diaconus, ex verbis Apostoli colligitur; quædam enim ponit pertinentia adhoc ut Episcopus digne sit, quædam autem ut decenter, sicut patet de testimonio bono habendo ab eis qui foris sunt.

Præterea dicas mihi, unde habet aliquis quod sit Episcopus, Præsbyter, vel Diaconus? Numquid ab ordinatione sola? Si hoc est; ergo non exigitur bonitas ordinandi, adhoc, ut fiat Episcopus, licet exigatur ad hoc, ut digne fiat, & decenter. Si autem hoc habet a bonitate sola: quare ergo Ap. ad Tit. 1. v. 5. dicit: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constitutas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi?* Si enim debebat constituere Presbyteros in civitatibus illis; ergo non erant adhuc Presbyteri in civitatibus illis.

Contra: ibi erant homines fideles, non in accusatione, unde ait: *Constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi*: v. 6. *Si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ.* Isti filii erant boni, ergo erant jam Episcopi, & Presbyteri in civitatibus illis, si sola bonitas facit Episcopum.

Præterea si sola bonitas facit Episcopum, ergo quilibet sive mas, sive fœmina, erit Episcopus, si bonus, vel bona est; ergo secundum hoc omnes erunt pares [*]. Quomodo ergo stabit illud quod dicit Ap. de Episcopo: *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate.* Si enim tales filii sunt, boni sunt, ergo Episcopi. Si rei ut dicis [*] ergo habent sub se tales filios; omnes ergo qui in Ecclesia essent, filios sub se haberent: hoc autem impossibile est, quod quilibet filios habeat sub se, sic enim non tantum multi essent in Ecclesia, imo infiniti & innumerabiles,

Si autem dicas quod a bonitate, & ordinatione. Quomodo ergo respondebis de Angelis Apocalypsis, & de Juda?

Præterea sicut dicit Ap. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse &c.* ita etiam dicit v. 7. *Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli.* Sed quid si non habet, dum faciat quod debet? Nonne dicit sic Paulus 1. Cor. 4. v. 3. *Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die, sed neque meipsum judico?* Quædam alia dicemus in quinta parte hujus operis, cum pertractabimus illum articulum: *Credo in Sanctam Ecclesiam Catholicam.* (32)

CAP.

(31) Episcopum Ephesinum Angeli nomine appellari in Apocalypsi, ne Protestantes quidem negant. Sanctitatem autem non requiri, ut quisquam revera sit Episcopus, testata res est, & ab universis Theologis demonstrata. Videndus Binghamus *lib.* II. *De Orig. Eccl. Cap.* II. §. XI. homo ceteroqui hæreticus.

[*] Quæ duobus asteriscis comprehendimus, desunt e Codice *Neapolitano*.

(32) Eo autem magis constat, Episcopum, qui aut in peccato existens ordinatus fuerit, aut post ordinationem lapsus in aliquod etiam grave scelus, revera Episcopum fuisse, modo rite, hoc est cum debita *materia*, & *forma* ab Episcopis initiatus fuerit; quo liquido pateat, eos numquam fuisse rursum ordinatos. Ordinati porro fuissent, si ab Episcopatu aliquatenus excidissent.

CAP. VII.

De Matrimonio.

§. I.

Explicantur Scripturæ testimonia quibus hoc Sacramentum impugnatur ab Hæreticis.

NUnc videndum est de Matrimonio, quod est legitima conjunctio maris & fœminæ; individuam vitæ consuetudinem retinens. Ipsi autem hæretici conjunctionem istam illegitimam (1) dicunt, idest contra Dei legem; quorum error ex cænoso fonte derivatus est, quia credunt corpus maris & fœminæ a diabolo fuisse factum, & membrorum pudendorum distinctionem, unde omnem carnalem concubitum damnabilem dicunt. Dividitur autem hoc cap. in duas partes. In prima ponuntur falsæ eorum persuasiones contra Matrimonium, & ostenditur quod falsæ sunt: in secunda vero parte ponuntur rationes, quibus ostenditur quod Matrimonium licitum est. Primam autem partem prius exequamur.

Ad probandum autem Matrimonium esse illicitum inducunt illud Matth. 5. v. 27. & 28. *Audistis quia dictum est antiquis, non mæchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo*; Sed ille qui habet uxorem, videt mulierem ad concupiscendam eam; ergo ipse mæchatus est.

Solutio; in prædicto mandato *non mæchaberis*

 quod

(1) Cathari, quos vexat Moneta, sequuti sunt Marcionitas, Saturnianos, Encratitas, Severianos, ac Veteres Manichæos. Negat Beausobrius Manichæos ita fuisse affectos animo, ut matrimonium damnarent, vexatque S. Augustinum, quod illis hoc genus opinionis tribuerit. Sed antequam de Manichæis agam, paucis de Marcionitis, ceterisque, quos ante memoravi, hæreticis differam. Saturninum hæresiarcham *dixisse nubere, & generare a Satana esse*, auctor est Irenæus *lib.* I. *Cap.* XXIV. *n.* 2. *pag.* 101. *Nov. Edit. Paris. Masuet.* In eodem errore versatum fuisse Marcionem tradunt Irenæus *lib.* I. *Cap.* XXIII. *n.* I. *pag.* 177. & Clemens Alexandrinus *lib.* III. *Stromat. pag.* 515. *Edit. Oxom.* Cassianum quoque nuptiis infestum fuisse prodit idem ipse Clemens, qui hæreticum Valentini, ut ait, discipulum multis exagitat. *lib.* III. *pag.* 552. Tatianus, qui Justinum Martyrem audivit, deinde in hæresim incidit, nuptiis perinde bellum indixit; quod est ab Irenæo traditum & Clemente Alexandrino *l.* III. *Stromateon. pag.* 552. sic enim habet Irenæus apud Eusebium *lib.* IV. *Hist. Cap.* XXIX. *ex lib.* I. *Iren. adv. Hæreses Cap.* XXVIII. *n.* I. οἱ καλούμενοι ἐγκρατεῖς ἀγαμίαν ἐκήρυξαν ἀθετοῦντες τὴν ἀρχαίαν πλάσιν τοῦ θεοῦ, καὶ ἠρέμα κατηγοροῦντες τοῦ ἄῤῥεν, καὶ θῆλυ εἰς γένεσιν ἀνθρώπων πεποιηκότος. *Qui appellati sunt abstinentes* (inducti nempe a Tatiano, ut mox Irenæus adjungit) *abstinentiam a nuptiis prædicaverunt, rejicientes primam creationem Dei, & obligare accusantes eum, qui & masculum, & fœminam in generationem hominum fecit.* Quæ res etiam Deo vitio vertebatur ab Saturnino, & Marcione, ut *ibid.* affirmat Irenæus. Cum autem a diabolo Cathari dicerent distinctionem membrorum ortam, adeoque damnabiles esse nuptias, argumento est Catharorum, & Veterum hæreticorum eodem recidisse de nuptiis opinionem. Encratitis accessere Severiani, ut Epiphanius tradit *Hæres.* XLV. *n.* 2. Patres vero omnes, cum res suo tempore gestas narrant, eam mereantur fidem necesse est, quam historici accuratiores merentur, cum præsertim Irenæus, & Clemens opera Hæreticorum eorumdem pervolverint. Historicis autem Synchronis maximam tribui oportere auctoritatem, nemo prudens negaverit. Venio ad Manichæos. Beausobrius *lib.* VIII. *Chap.* IV. *De l' Hist. Des Dogm. De Manichée n.* I. Augustinum exagitat, quod *lib. De Moribus Manichæorum Cap.* XVIII. dixerit eisdem hæreticis: *Non enim concubitum, sed vere nuptias prohibetis*, & *lib. contra Faustum* XXII. *cap.* XXX. *lib.* XXX. *Cap.* VI. & *Contra Secundinum Cap.* XXI. & de *Hæres. Cap.* XLVI. vitio dederit Manichæis, quod fornicationem, & alia scelera generis ejusdem facile paterentur, Matrimonium autem aversarentur, ac prohiberent. Neque vero Augustinum solum, sed etiam S. Leonem Magnum insectatur, quod Epistola XV. *Cap.* VII. paria contra Manichæos fuerit persequutus. Pugnat ergo Beausobrius *ibid. n.* 2. Manichæos fornicationis scelus, adulteria, & quæ sunt generis ejusdem flagitia, fuisse quammaxime detestatos; non prohibuisse autem matrimonium, sed illud veluti statum quemdam imperfectionis considerasse, quem tolerare oporteat propter humanam imbecillitatem. Ego de matrimonio differam hac notatione, in ceteris quæ deinde sequentur de fornicatione, an probata fuerit Manichæis, inquiram. Imprimisque Synchronis scriptoribus, qui libros Manichæorum pervolutarunt, quique sunt inter se mirifice consentientes in re quapiam describenda fidem esse omnem adhibendam ajo, & auctoritatem. Alexander Lycopolites *lib. De Placitis Manichæorum pag.* 5. *Tom.* I. *Auctarii Biblioth. PP. Francisci Conbefisii*, Manichæus ait: ἀπέχεσθαι γάμου, καὶ ἀφροδισίων, καὶ τεκνοποιΐας. *prohibere nuptias, venerem, & procreationem filiorum.* Combefisius vertit *abstinere se a nuptiis &c.* idque jam probat Beausobrius. Sed τὸ ἀπέχεσθαι, hoc loco, in *prohibere* vertendum esse contendo. Concedunt omnes verbum illud hanc posse pati interpretationem. Ex iis autem, quæ prævertunt, & quæ sequuntur, ita omnino verti hoc ῥητὸν Lycopolitæ censeo, ut illud sum ego interpretatus. Cum enim materiam esse malam Manichæorum judicio affirmet Alexander, *ibid. pag.* 5. *divinæque voluntatis, ac decreti esse, ut materia pereat* ἀπόλλυσθαι τὴν ὕλην εἶναι θεοῦ δόγμα, *per liberorum autem procreationem altiores radices in materia virtutem divinam agere: materiam autem interituram si virtute destituatur, non destitui porro virtute posita procreatione liberorum* (*ibid. pag.* 20.) nonne eos qui contra voluntatem, ac decretum Dei quidquam molirentur, peccare existimassent Manichæi? Agit vero Manichæorum sententia contra voluntatem Dei, qui matrimonio conjungitur, ac liberos procreat, cum virtutem cogat in *materia* altas radices facere; ut ostensum est, peccat igitur. Quidni ergo prohibuissent, quod peccatum esse putabant? Jam vero *pag.* 12. *Voluptatem* & *libidinem* μάλιστα κακὰ εἶναι *maxime mala esse* Manichæos pugnasse, ait. Cum autem in matrimonio libidinem exerceri dicerent, matrimonium ipsum prohibuerint necesse est. Alioqui *maximum malum* impune exerceri concessissent. Itaque manet, quæ adhibita a me est, testimonio Alexandri interpretatio, corruitque opinio Beausobrii, qui cum plurimum tribuat Alexandro; tum ejus auctoritate abutitur. Age vero ceteros numeremus scriptores, qui hæreticis hujusmodi tam pravam tribuerunt opinionem. Didymus Alexandrinus vetus imprimis auctor *Lib. contra Manichæos pag.* 25. *Tom.* I. *Auctar. Biblioth. PP. Edit. Combefisii*, sic inducit Manichæos loquentes: κακὸς ὁ γάμος. Titus Bostrensis *Lib.* II. *contra Manichæos pag.* 130. *Tom.* I. *Lect. Antiq. Canisii.* τὴν παιδογονίαν, inquit, ὑβρίζοντες, τὰς μίξεις αὐτοῖς ἄνευ γε ταύτης συμβαίνειν. *Procreationem filiorum contumeliose vituperantes, volunt sibi conjunctiones sine ipsa contingere* nempe sine procreatione filiorum. Cujusmodi sit hoc, dicam alio loco opportunius. Interea manet procreationem filiorum, ob quam matrimonia celebrantur, contumeliose vituperatam, adeoque reprobatam fuisse a Manichæis. Johannes Chrysostomus *De Virginitate Tom* I. *Opp. Edit. Paris. Montfauconii pag.* 270. ubi Christi verba attulit ex *Cap.* XIX. *v.* 22. *Evang. Matth. qui potest capere capiat.* τοὺς μὲν μὴ δυναμένους οὐ κατέκρινε, τῶν δὲ δυναμένων πολὺν, καὶ ὑπέρογκον τὸν ἀγῶνα ἀπέδειξε. διὰ τοῦτο καὶ ὁ Παῦλος κατ' ἴχνος βαίνων τοῦ διδασκάλου, περὶ δὲ τῶν παρθένων ἐπιταγὴν κυρίου, φησιν, οὐκ ἔχω, γνώμην δὲ δίδωμι. Ἀλλ' οὐδὲ Μαρκίων, οὐδὲ Οὐαλεντῖνος, οὐδὲ Μάνης ταύτης ἠνέσχοντο τῆς συμμετρίας. Eos, *qui non possent non condemnavit, qui possent, iis grave atque ingens certamen proposuit. Itaque Magistri vestigiis insistens.* De Virginibus, *inquit*, præceptum Domini non habeo, consilium autem do. *At vero neque Marcion, neque Valentinus, neque Manes eam moderationem tenuerunt.* Quid clarius? Si enim contra Christi institutionem, qui nuptias non damnavit, Marcion, Valentinus, & Manes egerunt, consequens est nuptos ab hoc genere hæreticorum fuisse damnatos. Quocirca magnis in erratis Beausobrii sententia est, qui Manichæos nuptias non prohibuisse, nec damnasse defendit. Habeo alia multa, quæ proferentur post in iis quæ sequuntur notationibus.

quod erat dictum in lege Moysis, prohibita est mæchia carnalis, copula scilicet viri cum non uxore sua, cui copulæ, si fiebat, taxata erat pœna in lege: nam adulteria puniebantur morte corporali, ut habetur Lev. 20. v. 10. Fornicatio etiam, quæ est copula soluti cum soluta, multipliciter puniebatur, ut legitur Ex. 22. v. 16. & 17. *Si seduxerit quis virginem necdum desponsatam, dormieritque cum ea: dotabit eam, & habebit eam uxorem. Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam Virgines accipere consueverunt.* Quod autem aliud sit adulterium & aliud fornicatio proprie sumptis vocabulis, patet ex Matth. 15. v. 19. ubi Dominus enarrat ea, quæ homines coinquinant, dicens: *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ*: Interdum autem fornicatio venit pro adulterio, ut patebit inferius. Dico ergo, quod in prædicta authoritate non prohibetur desiderium cujuscunque mulieris, sed desiderium non suæ; sicut etiam illud præceptum *non mæchaberis* intelligitur de non sua, sicut desiderium rei alienæ peccatum est, unde dicitur Ex. 20. v. 17. *Non concupisces rem proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia, quæ illius sunt.* Desiderium autem suæ rei non est peccatum, ut desiderium utendi domo propria, vel vino, aut pane proprio; ita desiderium propriæ mulieris non est peccatum, sed desiderium non suæ peccatum est. Unde his verbis: *Omnis, qui viderit mulierem ad Concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo*, confirmat expresse Dominus, & adimplet legem Moysi, in qua habetur, ut legitur Exodi 20. v. 17. *Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus*: quod sic intelligitur, idest non tuam.

Si autem dicat, imo Dominus loquitur universaliter, & de quacumque muliere: Dic ei, non est verum, non enim dixit quamcunque mulierem, sed mulierem tantum.

Præterea dic ei, proba hoc aliquo testimonio, quod non potest facere: ego autem habeo testimonium, quod non venit universaliter; dicit enim Ap. 1. Cor. 7. v. 2. *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat*, quod non diceret, si ibi esset Mæchia. Hoc autem patebit in secunda paret hujus cap.

(2) Ad hoc autem objicit hæreticus sic: in lege veteri dictum est: *Non mæchaberis; non desiderabis uxorem proximi tui*; si ergo istud quod ait Dominus, *Ego autem dico vobis, quod omnis qui viderit mulierem &c.* intelligitur de non sua tantum, non abundabit ergo justitia nostra super justitiam legis.

Respondeo: verum est, nec enim invenitur quod justitia nostra debeat abundare super justitiam legis, sed plusquam justitia Scribarum & Pharisæorum, quorum justitia erat tantum exterius: Lucæ 11. v. 39. *Nunc vos Pharisæi, quod deforis est calicis, & catini mundatis: quod autem intus est vestrum, plenum est rapina, & iniquitate.*

Præterea illorum justitia sine fide & misericordia erat. Hoc patet Mat. 23. v. 23. *Reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium & misericordiam, & fidem*. Rom. 9. v. 31. & 32. *Israel vero sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit. Quare? Quia non ex fide*. Nec minor justitia data est ibi, quam hic, si bene intelligitur, & si alicui dicitur illa justitia minor, contra illos dicitur, qui putabant illam sufficere sine fide Christi.

Si autem velit ostendere quod debet esse major quam legalis, per illud Mat. 5. v. 17. *Non veni solvere, sed adimplere.*

Dico: quod adimplere non est addere legi, quod patet: quia, qui diligit legem, implevit, non tamen addit. [*]

Objiciunt etiam illud Mat. 10. *Veni enim separare .... nurum adversum socrum suam v. 25.* Dicit autem hic hæreticus, personæ aliquæ non fiunt nurus, & socrus nisi per Matrimonium, separantur ergo per separationem Matrimonii. Tale est ergo

(2) Ex hoc argumento, atque ex aliis, quæ affert Moneta, expressis ex Catharorum libris, colligere fas est Catharos ipsos Matrimonium rejecisse, quod illicitum esse, peccareque eos, qui nuptias celebrarent contra Christi præscriptum arbitrarentur. Neque vero una species Catharorum, sed omnes quotquot fuerunt in hac opinione erant, ut traditum memoriæ posterorum est a *Peregrino Prisciano*., & constat ex Synodo Attrebatensi celebrata an. 1025. *Cap.* x. *pag.* 47. *Tom.* XIII. *Spicileg. Dacheriani Edit. an.* 1677. ex Fidei professione, quam recitabant, qui ad fidem Catholicam convertebantur Cathari, nosque jam attulimus in Prolegomenis, ex Bonacurso, qui cum esset Magister Catharorum, Catholicam deinde religionem, ejurato errore, professus est: *De Vita Hæret. Cap.* v. *pag.* 70. *Tom.* XIII. *Spicilegii Dacheriani Edit. an.* 1677. ex Anonymo *Contra Patarenos Cap.* II. *Tom.* v. *Thesauri Anecdot. Martenii col.* 1711. ex Rainero Sachono, qui Episcopus Catharorum aliquando fuerat, deinde hæresi rejecta, Catholicam fidem amplexus est, professusque institutum Prædicatorum *In summa de Catharis col.* 1761. *Tom.* v. *Thesauri Anecdotor. Martenii* atque ex aliis omnibus, qui Catharorum dogmata recensuerunt. Errat autem vehementer Beausobrius, cum *lib.* VII. *Chap.* IV. *De l'Istoire de Manichèe* Inquisitores carpit, quasi in Valdenses inſævierint, quod Matrimonium rejicerent. Sed homo vaferrimus, non animadvertit, numquam in Valdenses ob eam caussam quidquam egisse Inquisitores. Reinerius Sachonus, in summa *de Catharis. & Valdensibus col.* 1775. *Tom.* v. *Thesauri Anecdotorum Martenii*, quo loco Valdensium eorumdem errores numerat, nihil eos dixisse, innuit, quod huic Sacramento esset adversum. Quin etiam Limborkius, homo de Remonstrantium quidem grege, numquam id exprobatum Valdensibus a Sacra *Inquisitione* ultro testatur; quod non dixisset, ut qui versatus in *Actis SS. Inquisitionum* esset, si Inquisitores ob negatum matrimonium in eos hæreticos animadvertissent. *Hist. Inquisit. Cap.* VIII. *pag.* 31. *seq.* Non equidem negaverim Valdensibus tributa fuisse dogmata quædam ab aliquot Scriptoribus (quæ Valdenses *proprie dicti*, haudquaquam defendebant) propterea quod nomen Valdensium eo tempore, ut nunc Hugonottorum in Gallia appellatio, universis hæreticis aptari consuesceret. Id quod juniores quosdam Scriptores induxit, ut arbitrarentur Valdenses, *proprie dictos*, æquos fuisse matrimonio, aliisque Catholicis dogmatibus, quæ a Catharis rejiciebantur. Sed Beausobrius *loco mox indicato*, veretur ut Albigensibus magno scelere ab Inquisitoribus, conflata injuria fuerit, cum eos rejecti matrimonii reos agerent. Errat ille quidem vehementer. Nam quod omnia illius ætatis documenta probant, quod Albigenses ipsi confessi sunt, quodque in publicis monumentis notatum plerumque est, in controversiam revocare velle, hominis est & otio, & literis abutentis. Jam vero Alanus Insulanus *lib.* I. *qui est contra Albigenses Cap.* LXIII. *seqq.* Acta Inquisit. Tholosanæ *nu.* 40. *pag.* 92. & *n.* 82. Apud Limbork. *In Append. Hist. Inquisit.* omnesque Scriptores, qui de Albigensibus sermonem instituerunt, hæreticos hujusmodi matrimonio infestos fuisse ajunt. Id vero ultro confessi sunt Albigenses, in jus ab Inquisitionibus vocati: *Act. Inq. Tholos. ibid.* Quare ne Limborkius quidem ausus est rem adeo compertam inficiari, neque excusare hæreticos Albigenses.

[*] Quæ duobus asteriscis complexi sumus, desunt e *Codd. Bonon.* & *Vaticano*.

ergo Verbum Dei, ac si dixisset, veni separare virum ab uxore. (*)

Verum est, infideli impugnante, & blasphemante nomen Christi, ut patebit inferius.

Præterea quod sensus hæretici non possit stare, patet ex verbis Ap. 1. Cor. 7. v. 10. *His autem, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere.*

Ad aliud vero, quod objicit hæreticus contra, si de aliena muliere tantum loquitur, sive de non sua; ergo non abundat justitia nostra plusquam Scribarum, & Pharisæorum.

Respondeo: imo abundat, quia majus est abstinere a voluntate, quam ab actu solo; illi autem tantum ab actu abstinebant, quia pœnam actualem pro actu incurrebant, non pro voluntate sola. Dominus autem præcipiens abstinere a voluntate, innuit se pœnam daturum pro sui præcepti transgressione.

Item ad id objiciunt illud Mat. 19. v. 9. *quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit mœchatur: & qui dimissam duxerit mœchatur*, quod hæreticus exponit sic; nisi ob fornicationem vitandam cum ea; dicunt enim, quod quicumque vult Deo servire, debet uxorem relinquere, ut vitet fornicationem, quam facit cum ea.

Ad quod respondetur: quod istud stare non potest, cum Ap. dicat. 1. Cor. 7. v. 1. & 2. *Bonum est homini mulierem non tangere: Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat*; propter fornicationem dicit Ap., idest ne fornicetur; illa ergo expositio, quam isti faciunt, nisi ob fornicationem vitandam, quam cum ea facit, non est bona.

Præterea, si facit fornicationem cum ea; ergo peccat cum ea; quomodo ergo dicit Ap. 1. Cor. 7. v. 8. *si nupserit virgo, non peccavit?* Si enim non peccavit; in hoc ergo non fecit peccatum, ergo nec fornicationem.

Ad idem objiciunt illud quod ibi v. 10. dixerunt discipuli Christo: *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.* Ex hoc verbo dicit hæreticus, quod discipuli intellexerunr qua intentione Christus dixerit uxorem esse relinquendam, scilicet, quia non debet uxorem dimittere, nisi habeat intentionem vitandi fornicationem cum ea, & serviendi Deo, quam intentionem non possunt complere cum uxore, quia fornicarentur secum, & ut credunt propter hoc dixerunt: non expedit nubere, idest non convenit, vel non licet, si homo vult servire Deo.

Ad hoc dico, discipuli istud non intellexerunt in Verbis Domini, quod ipsi dicunt, nunquam enim intellexerunt quod fornicatio sit viri cum uxore propria, quod patet ex verbis Ap. *propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat*, ut dictum est in præcedenti objectione. Istud autem melius patebit in sequenti parte hujus cap. quando de eadem authoritate disputabitur contra eos.

Dico igitur: quod sensus Apostolorum fuit iste: Pharisæi quæsierant an ex quacumque causa possit homo dimittere uxorem suam, Dominus autem respondit, quod non propter omnem causam, sed tantum ob fornicationem, non quia ipse fornicetur cum ea, vel ipsa cum eo, sed ob fornicationem, (3) idest si ipsa cum alio fornicetur. Unam igitur causam solam posuit Jesus; propter hoc dixerunt discipuli: *Si ita est causa hominis cum uxore*, idest talis est, scilicet quod non potest eam dimittere nisi ipsa fornicetur, *non expedit nubere*; si autem ex quacumque causa, ut Judæi faciebant, expedit nubere; quia quandocumque eis placeret possent illam dimittere & aliam accipere.

Præterea hoc argumentum non valet, non expedit, ergo non convenit, vel non licet. Ut enim dicit Ap. 1. Cor. 6. v. 12. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.*

Ad idem inducunt illud Matth. ejusdem 19. v. 12. *Sunt enim eunuchi*, (4) *qui de matris utero nati sunt: & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter Regnum Cælorum*; ex quo volunt quod Regnum Cælorum sit eunuchorum; non ergo eorum, qui sunt in matrimonio.

Hoc autem argumentum non valet; quia licet illorum

(3) Non ita tamen, ut alterutri conjugum liceat tum alias nuptias celebrare. Non enim solvitur matrimonium quod ad vinculum attinet, sed quod ad actum. Consulendi S. Thomas *in suppl.* III. *P.* *Quæst.* LIX. *Act.* V2. *in c.* & Theologi, qui in eundem *Artic. Commentarios ediderunt.*

(4) Hoc item argumento abutebatur Hierax hæresiarcha, ut nuptias tolleret. Nam apud Epiphanium *Hæresi* XXVII. *uum.* 2. *pag.* 710. *seq.* „ non posse hæreditatem a Deo consequi hominem, „ pugnat, qui matrimonio fuerit alligatus. „ Quamobrem multa congerit sacrorum Bibliorum testimonia, ut hoc portentum opinionis probabile reddat, inter quæ hoc etiam extat expressum ex XIX. *Cap. Evangelii Matth. v.* 12. Cum autem pleraque esse in Scripturis novi Testamenti cerneret, quæ suæ sententiæ maxime contraria sunt, ut vim illorum effugeret, novum quoddam explicationis monstrum excogitavit: οὐκ ἐπαινῶν γάμον μετὰ τὴν παρουσίαν, ἀλλὰ συμβαστάζων, ἵνα μὴ εἰς περιττὸν ὄλεθρον ἐμπέσωσιν. *Non laudandas post adventum Domini nuptias, ne majus in exitium ruant* homines. Isaccus Beausobrius *Lib.* VII. *Cap.* IV. *De l'Histoire de Manich.* II. *pag.* 472. *Tom.* II. *Nota* 3. Id esse cousuetum Epiphanio ait, *ut res augeat, majoresque, quam sint reipsa efficiat.* Nam Anonymum, cujus opusculum extat inter opera S. Athanasii, nil aliud de Hieraca dicere, ait, quam τὴν νομίζοντα ὑψῶν παρθενείαν, καὶ ἀθετεῖν τὸν γάμον. *Exaltando virginitatem abolere matrimonium.* Non ergo Augustino solum infestus est, sed etiam Epiphanio Beausobrius, quippe qui ut Manichæorum, sic Hieracitarum patrocinium defensionemque susceperit. Ceterum quid possit ex illo Anonymi ῥητοῦ elicere, quod Epiphanii sententiæ adversetur, non video. Etenim, qui fieri potuit, ut matrimonium delerent Hieracitę, nisi damnassent? Sed τὸ ἀθετεῖν non solum *abolere*, sed *reprobare* etiam plerumque significat. Cur ergo *abolere* vertit, non *reprobare*, cum verba Anonymi omnino postulent, ut damnatas fuisse a Hieracitis nuptias arbitremur? nihil enim argumenta Anonymi evincerent, nisi existimasset ab Hieraca nuptias fuisse reprobatas velut illicitas. Quandoquidem, ut evincat Hieracham magno in errore versari: *Annon*, inquit, *in Evangelio legitur tertia die recubuisse Dominum in Cana Galileæ ad nuptias, & deficiente vino, aquam mutasse in vinum? . . . & quæ Deus conjunxit homo non separet? Deinde quomodo potest ramus consistere si non subsistit radix? Quomodo potest virgo esse, si non habeat Patrem, & Matrem?* *Tom.* II. *Opp. Athan. Edit. novæ pag.* 235. Ni ergo putasset Anonymus ab Hieraca fuisse reprobatas, atque damnatas nuptias nonne facile intellexisset, potuisse respondere hæreticum, se quidem laudare Virginitatem, non autem damnare matrimonium? Cum igitur hisce rationibus se ad incitas Hieracam redegisse putarit argumento est, ita fuisse Anonymum affectum animo, ut censeret Hieracam nuptias velut illicitas rejecisse; quæ res Epiphanii sententiæ simillima est. Nescio autem qua impudentia Beausobius *exagerare* Epiphanium dixerit; cum S. Doctor, argumenta hęretici recenseat, & quid inde concluderet diligenter animadvertat, quippe qui ita in libris Hieracis rem expressam esse pernosceret.

lorum sit, tamen est conjugatorum, sed illorum magis est. 1. Cor. 7. v. 38. *Qui matrimonio jungit virginem suam benefacit; & qui non jungit melius facit*, Item v. 39. & 4. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult, nubat tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium*. Causa autem quare Dominus distinguit triplex genus eunuchorum, est, ut ostendat quod non omnis continentia est meritoria Regni Cœlorum, sed tantum voluntaria, idest amore, & desiderio Regni Cœlestis assumpta. Istis expedit non nubere, idest continere, his enim utile est, non illis, qui ex necessitate naturæ suæ, vel ex necessitate violentiæ sibi factæ. Et hoc est quod Dominus ostendere intendit, scilicet differentiam continentiæ eunuchorum voluntariorum, ad continentiam aliorum duorum eunuchorum, quia illa est meritoria, aliæ verò non.

Ad idem etiam inducunt illud verbum Christi ibidem v. 11. *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est* & v. 12. *Qui potest capere capiat*: quod verbum sic intelligunt, idest non omnes intelligunt verbum istud, quod ego dixi, *quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur &c.*, quasi diceret, vos intelligitis, Pharisæi autem non intelligunt istud. Quid autem intellexerint Discipuli per verbum istud: *quicumque &c.* dictum est & secundum Catharos, & secundum nos. Quod falsa sit sententia Catharorum de intellectu Discipulorum in illo verbo, hoc etiam ostensum est.

Similiter dico, illud verbum Domini, *non omnes capiunt verbum istud*, prave intellexerunt Cathari, non enim dixit hoc Christus de verbo suo *Quicumque &c.* sed de verbo Discipulorum, scilicet *non expedit nubere*, idest, est expediens non nubere, hoc est continere; & dixit, *non omnes capiunt verbum istud*, idest non omnes volunt istud, unde subdit: *Sed quibus datum est*, quasi diceret, hoc ex gratia est, omnimoda enim continentia, donum Dei est. Unde cum Ap. dixisset 1. Cor. 7. v. 7. *Volo enim omnes vos esse sicut me ipsum*, statim subjunxit: *Sed unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic*, idest in omnimoda continentia est, sicut ego; *alius verò sic*, idest in matrimonio est. Unde Prov. 19. v. 14. *A Domino autem datur propriè uxor prudens*, quod testimonium valet contra ponentes duo principia. Quod autem postea dicit Dominus, *Qui potest capere capiat*, consilium est, non præceptum; quasi diceret, nemini hoc præcipio, sed tantum qui potest capere hoc donum, idest qui sentit se aptum ad illud, capiat illud. Quod autem tantum consilium sit, non præceptum, patet ex verbis Ap. 1. Cor. 7. v. 25. *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do*, scilicet quod contineant.

Ad idem etiam inducunt illud Mat. 19. v. 29. *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*. Hic dicit Dominus, quod relinquens uxorem habiturus est vitam æternam; ergo qui habet uxorem habere non potest vitam æternam, nisi eam dimittat.

Solutio ad istud est, quod relinquenda est uxor, idest retro linquenda, in comparatione Dei, scilicet ut non plus diligatur quam Deus, nec tantum. Quod autem ita sit, patet ex eo quod dicit Domos relinquendas, & agros; constat enim quod ipsi ista non relinquunt, imo secure ista possidere possunt. Relinquenda igitur sunt ista, & uxor hoc modo, ne pro aliquo eorum, aliquid contra Dominum faciamus. Similiter relinquendus est pater & mater, filius & filia &c. Hæc solutio sumitur ex c. 10. Matth. v. 37. *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus: & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus*. Similiter de uxore intelligi debet,

Potest etiam aliter solvi illud quod objiciunt ex Mat. *Omnis qui reliquerit &c.* & intelligitur de relictione materiali hoc modo, scilicet de infidelibus qui reliquerint patrem, aut matrem, fratrem &c. infideles, nomen domini blasphemantes, & impugnantes, quod patet, quia dicit, qui reliquerit ista quæ nominaverat propter nomen meum: nisi enim Dominum blasphemarent, non erant relinquendi Patres, filii, vel filiæ, viri, vel uxores, unde 1. Cor. 7. v. 12. 13. & 14. *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt*. E contrario, membra autem scandalizantia abjicienda erant, unde Mat. 5. v. 29. *Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam*. Idem habetur Mat. 9. v. 42. & 44. Propter hoc dicit Ap. 2. Cor. 6. v. 15. *Quæ pars fideli cum infideli?* Propter quod etiam Mat. 10. v. 33. & 35. *Non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam*, idest quia ei inimicantur, & eum impugnant, quia ad Christum conversus est.

Tertio etiam modo potest solvi, & secundum hoc loquitur dominus de derelictione spirituali, spiritualiter enim dimittenda est uxor, idest quo ad malitiam, si mala est, sicut etiam in quantum mala odienda est, sed non personaliter. Nonne vides quod Dominus Lucæ 14. v. 26. dicit: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus?* Et sicut anima non separatur a corpore, licet ejus malitia odiatur, quia homo non debet se occidere; sic ergo nec vir debet se ab uxore separare, licet ejus malitiam odiat, licet malitiam ejus relinquat. Quod autem nemo debeat odisse patrem, scilicet personam patris, vel matris, vel uxoris &c. patet ex eo, quod inimicos etiam jubemur diligere, ut habetur Mat. 5. v. 44. Odium ergo quod ponit dominus Lucæ 14. ad malitias hominum, non ad personas debet referri.

Præterea, numquid ad sonum literæ vis intelligere illud verbum Mat. 19. v. 29. *Omnis qui reliquerit domum, vel fratrem &c.* quia propter servitutem Dei

Dei debemus relinquere Patrem, matrem, uxorem &c. quo ad cohabitationem? Si sic: quomodo ergo dicit Ap. 1. Cor. 7. v. 12. *Si quis frater habet uxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo non dimittat illam &c.* item v. 27. *Alligatus es uxori? noli quærere solutionem.* Quomodo etiam docet 1. Tim. 5. v. 4. *Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet: discat primum domum suam regere, & mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum est coram Deo*; item parum post v. 8. *Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior?* Item Eph. 5. v. 22. usque ad finem monet mulieres viris suis subditas esse, & viros etiam uxores suas diligere; monet etiam c. 6. v. 1. 2. 3. 4. & 5. Patres educare filios suos in disciplina, & correctione domini, & e contrario monet filios obedire parentibus, & servos dominis carnalibus. Item infidelibus 1. Tim. 6. v. 1. *Quicumque sunt sub jugo servi, Dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur*, sub jugo scilicet infidelium, unde postea v. 2. subdit: *Qui autem fideles habent Dominos, non contemnant, quia fratres sunt.*

Si autem dicat, quoniam ista relinquenda sunt quo ad affectum carnalem.

Dic ei, numquid omnis affectus carnalis malus? Si dicat sic: Numquid affectus carnalis non est appetitus alicujus materialis cibi bene parati, & delectatio in illo? Nemo dubitat quod iste affectus carnalis sit, & tamen tu habes istum affectum multoties; ergo in perditione es, quia non reliquisti carnalem affectum omnino, vel non omnis carnalis affectus malus est, quod quidem verum est.

Si autem dicat, quod iste carnalis affectus ad uxorem malus est; dico ei, proba hoc.

Præterea si malus esset, quomodo diceret Ap. 1. Tim. 5. v. 14. *Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia.*

Item Lucæ 14. v. 20. dicitur, quod ille qui duxerat uxorem non poterat venire ad cœnam Domini; sic ergo videtur, quod matrimonium est contrarium æterno convivio.

Solutio. Nec etiam qui emit quinque juga bovum venit ad cœnam; ergo eadem ratione habere quinque juga bovum contrarium erit æterno convivio. Similiter dic de eo qui emit villam.

Si dicat hæreticus, non est simile, quia de illo qui duxerat uxorem legitur dixisse: *ideo non possum venire*, de aliis autem non sic, sed *rogo te habe me excusatum* v. 18. & 19.

Respondeo, ille mentitus est, quando dixit, non possum venire, quod patet ex eo, quod Dominus vocavit eum ad cœnam, quod non fecisset, si ille venire non potuisset.

Si autem dicat hæreticus, quod ille venire non potest manens in conjugio, & ideo a conjugio eum revocat invitatum ad cœnam.

Hoc stare non potest, nusquam enim invenitur, quod Dominus eum a conjugio revocaret.

Præterea, si hoc esset, quomodo diceret Ap. 1. Cor. 7. v. 10. *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere.*

Item Lucæ 20. v. 34. & 35. habetur: *Filii hujus seculi nubunt*, (5) *& traduntur ad nuptias. Illi vero qui digni habebuntur seculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubunt, neque ducunt uxores.* Dicit hæreticus, vide quod ista verba, *nubunt, & ducunt uxores* præsentis temporis sunt, illi ergo, qui volunt esse digni futura gloria, in præsenti non debent nubere.

Solutio. Ista verba ponuntur pro verbis futuri temporis, & pro tempore illo dicit Lucas, quod *non nubunt, neque ducunt uxores*, ut patet ex verbis Matth. 22. v. 30. & Mar. 12. v. 25. qui ponunt. *In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur. Cum enim a mortuis resurrexerint, neque nubentur.* Idem etiam patet ex verbis B. Lucæ, qui cum dixisset nec nubunt, nec ducunt uxores, rationem hujus dicti assignans ait v. 36. *Neque enim ultra mori poterunt*, quasi diceret, quia corpora nostra tunc erunt immortalia, ideo non erit necessaria generatio hominis ex homine, imo cessabit operatio virtutis generativæ: modo autem quia mortalia sunt corpora, necessaria est ejus operatio, ne natura humana deficiat. Idem dicunt Matthæus & Marcus cum dicunt v. 25. Mar. *sunt sicut Angeli in Cœlis* & Matth. v. 30. *Sed erunt sicut Angeli Dei in Cœlo*, quorum natura non conservatur per generationem, cum sit immortalis. Bene ergo dicit Christus *Filii hujus seculi*, idest donec sunt in hoc seculo, idest donec mortales sunt, *nubunt, & traduntur ad nuptias, illi vero qui digni habebuntur seculo illo, & resurrectione ex mortuis* idest vita immortali, & incorruptibili, quæ in illo seculo erit, quasi diceret resuscitati *neque nubunt, neque ducunt uxores*, supple, post resurrectionem, sicut quæsierunt Saducæi, ex quorum quæstione, quæ de futuro erat, *in resurrectione ergo cujus de septem erit uxor*? Patet quod responsio Domini a Luca posita, de futuro etiam intelligitur.

Alio modo adhuc voluit hæreticus ostendere matrimonium esse illicitum, per illa verba *Filii hujus seculi &c.* & dixit: Si matrimonium est licitum, & bonum, Dominus noster loquens de nubentibus, potius debuit eos appellare filios Dei, quam filios hujus seculi; Cum ergo dicat nubentes filios hujus seculi, ad differentiam filiorum Dei, matrimonium malum est.

Solutio ad primum est, quod Dominus noster bene potuit appellare nubentes filios Dei, sed noluit, ostendens per hoc, quod non nubunt, neque ducunt uxores, nisi dum sunt hujus seculi, & in hoc seculo.

Ad secundum dico, quod hæreticus dixit falsum, quando dixit, quod eos appellavit filios hujus seculi ad differentiam filiorum Dei: imo ad differentiam

(5) Tertullianus *lib.* IV. *Contra Marcionem cap.* XXXIX. *pag.* 455. *Edit. an.* 1675. „ Sic, *inquit*, & de ipsis nuptiis responsum subvertunt; ut filii hujus ævi nubunt, & nubuntur, de hominibus dictum sit creatoris nuptias permittentis. Se autem, quos „ Deus illius ævi, alter scilicet, dignatus sit resurrectione, jam „ & hic non nubere, quia non sunt filii hujus ævi. „ Nempe quod olim Marcionitæ Catholicis opponebant, hoc idem Cathari usurparunt, ut matrimonium tollerent.

tiam eorundem in alio seculo, de quo subdit: *Illi vero, qui digni habebuntur seculo illo &c.* Et notandum quod alio respectu dicuntur filii Dei, & alio hujus seculi, quia filii Dei dicuntur, eo quod ab ipso geniti sunt generatione spirituali per fidem, filii autem hujus seculi dicuntur, non tanquam ab eo geniti, sed quia in eo habitant.

Ad idem inducunt illud Lucæ 23. v. 28. & 29. ubi Christus dixit: *Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt, & ubera, quæ non lactaverunt.* Ex quo hæreticus per contrarium vult, quod illæ quæ dant operam generationi filiorum, non sunt beatæ in futuro, & ita non est salus in matrimonio.

Ad hoc patet solutio per hoc quod dicit Ap. 1. ad Tim. 2. v. 15. *Salvabitur autem per filiorum generationem*; quod testimonium discutietur adhuc contra eos in 2. parte cap. Non valet ergo argumentum, illæ quæ non genuerunt, erunt beatæ; ergo illæ quæ genuerunt non erunt beatæ. Instantia est: bonum est non bibere vinum; ergo malum est bibere vinum. Expositio autem prædictorum verborum Domini ista est: Dominus prædicebat eis subversionem Jerusalem futuram per Romanos, in qua tanta Judæorum strages foret, ut vel interficerentur a Romanis, vel dispersi ducerentur per extraneas regiones; & propter hoc dixit: *super vos ipsas flete, & super filios vestros*; quia vel occidentur, vel in captivitatem ducentur: maximus autem dolor est matribus, cum vident filios coram se occidi, vel in captivitatem duci. In illa ergo tribulatione mulieres steriles, quæ non genuerunt dicebantur Beatæ respectu earum, quæ filios proprios ita male tractari videbant, partim quod facilius poterant fugere, partim quia calamitas filiorum ingravabat eas. Quod autem ita fit, patet Matth. 24. v. 19. *Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus.* Væ id est gravis pœna.

Ad idem inducunt illud Johan. 1. v. 12. & 13. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus: Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt?* (6) Simile habetur Rom. 9. v. 8. *Non qui filii carnis, filii Dei*; carnalis ergo generatio non est a Domino; & ita actus matrimonialis non est a Domino; ergo matrimonium malum est.

Resp. Duplex est nativitas: prima est naturæ, secunda gratiæ, sicut habitum est in 1. cap. primæ partis hujus operis.

Non solum autem nituntur hæretici contra matrimonium per verba Evangeliorum, quæ ipsi prave intelligunt, sed etiam per verba Discipulorum Christi, unde ad matrimonium destruendum inducunt illud Rom. 8. v. 5. 6. 7. & 8. *Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt. Qui vero secundum spiritum sunt: quæ sunt spiritus sentiunt. Nam prudentia carnis mors est: prudentia autem spiritus, vita, & pax. Quoniam sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subjecta; nec enim potest. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.*

Item parum infra dicit Ap. v. 12. & 13. *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini.* Ex his omnibus concludit hæreticus, quod illi qui sunt in matrimonio non sunt in statu salvationis.

Solutio. Dic mihi, quid est esse secundum carnem nisi esse in carne? Item quid est esse in carne? Numquid hoc est esse in corpore humano? Si concedat istud: Numquid anima Pauli in eo erat? Utique: Et tamen placebat Deo. Quomodo ergo dicit, *qui in carne sunt, Deo placere non possunt?* Dicas ergo mecum, quod caro non sumitur ibi pro substantia hujus corporis, præsertim cum ibi dicat Ap. v. 9. *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu*; illi enim in corpore erant; sumitur ergo caro pro deliciis carnis; unde 1. Tim. 5. v. 6. *Vidua quæ in deliciis est, vivens mortua est.* Dico ergo secundum Ap. quod talis est in carne, & secundum carnem, qui non quærit nisi vivere deliciose in mundo isto. Tales etiam quæ carnis sunt noverunt, & saporant, quia talibus carnalia dulcescunt, spiritualia vero eis insipida videntur. Iste sapor est illa sapientia, de qua dictum est, quod est inimica Deo, & non est subjecta legi Dei, nec potest esse; Isti carni, idest carnali voluptati debitores non sumus, & si secundum eam vixerimus, moriemur.

Si autem vis dicere, quod illi, qui sunt in matrimonio sunt in carne isto modo, & secundum carnem sunt, & vivunt.

Dico: falsum est, nec matrimonium propter hoc debet contrahi, nisi velint abuti matrimonio. Sicut enim aliquis potest male uti cibo, aut potu, ita etiam potest male uti vir uxore sua, vel uxor viro. [*] Non erat talis Tobias qui ait c. 8. v. 9. *Tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in secula seculorum.* Hoc vult Ap. Tess. 4. v. 4. *Ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore*: [*]

Quod autem dicit Ap. *debitores sumus non carni* jam exposuimus supra: carni, idest substantiæ carnis debitores sumus, sed non ut secundum carnem, idest carnis delicias vivamus, ut ibidem dicit Ap., sed ad ejus sustentationem. Unde 1. Tim. 5. v. 23. *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere, propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates*, ubi patet quod loquitur de vino materiali, & stomacho materiali, si enim de vino spirituali, & stomacho spirituali loqueretur, dixisset, vino multo utere.

Præterea loquitur de infirmitatibus corporalibus, quas habebat; ergo & de vino materiali. Constat autem quod Timotheus debebat vivere, secundum quod eum docebat Apostolus; ergo debebat aliquid carni, idest stomacho, scilicet vinum, sed modicum: quomodo ergo stabit, quod dicit Ap. *debitores*

(6) Vide Johannem Chrysostomum Homilia IX. *in Johann. Tom.* VIII. *Opp. pag.* 54. *seq. Ed. an.* 1603.

[*] Quæ duobus asteriscis complexi sumus non extant in *Codd. Bonon. & Vatic.*

tores sumus, non carni? Propter hoc apponit Ap. *ut secundum carnem vivamus*, ideſt ſecundum carnis voluptatem, licet ſecundum neceſſitates quas habet, ejus debitores ſumus: & ſic ut nullus debet cibare carnem ad voluptatem, ſed ad neceſſitatem; ita nullus debet ad uxorem accedere propter carnis voluptatem explendam, & qui hoc facit male facit. Ad quid autem debeat conjungi dicitur in ſecunda parte hujus cap.

[*] (9) Præterea, poſito, quod caro ibi dicatur hoc Corpus, cum debitores non ſumus carni; per hoc non tollitur, quin aliquis debeat carnem ſuam alii, quod Ap. probare intendit cum dicit 1. Cor. 7. v. 3. *Uxori vir debitum reddat: ſimiliter autem & uxor viro*; & oſtendit quid ſit iſtud debitum, cum ait v. 4. *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. Similiter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* [*]

Item 1. Cor. 6. v. 15. & 16. ait. *Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollam ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? Abſit. An neſcitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne una.* Ex his verbis pluries objecit mihi hæreticus: Apoſtolus probat, quod ille, qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur per illud, quod dictum eſt Gen. 2. v. 24. *Et erunt duo in carne una*, ſed illud dictum eſt de conjunctis matrimonialiter; ergo matrimonialiter ſunt conjuncti fornicatores, & adulteri, & meretrices.

Solutio hujus objectionis caute fieri debet propter ſimplices; & dicendum eſt eis, utrum in bona parte, vel in mala parte ſumatur ab Apoſtolo illud verbum: *erunt duo in carne una*: ſi in bona parte, ut verum eſt, & dicuntur de conjunctis matrimonialiter; ergo matrimonium bonum: & Ap. probat, quod ille qui adhæret meretrici efficitur unum corpus, ſive caro cum illa, per ſimile in contrario: ſicut enim qui adhæret uxori ſuæ unum corpus efficitur cum ea in bono opere, quo vitatur fornicatio ut vult Ap. 1. Cor. 7. 1. unde dictum eſt, *erunt duo in carne una*, ideſt in unitate carnis, ſive una caro; ita etiam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur cum ea in malo opere, ideſt in fornicatione. Tunc autem opus matrimoniale bonum eſt, quando fit eo fine quo debet, ut oſtendetur in ſecunda parte hujus cap.

Si autem dicat hæreticus, quod illud verbum: *Erunt duo in carne una*, in mala parte ſumitur, dicendum eſt ei: quomodo ſtare poteſt quod dicis? Nonne Eph. 5. ſumitur in bona parte iſtud teſtimonium *erunt duo in carne una*? Utique: ſic enim ait v. 25. *Viri diligite uxores veſtras* & paucis interpoſitis v. 31. & 32. ſubdit: *Propter hoc*, ideſt propter dilectionem uxoris, *relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Ecce quod Ap. ſumit illud teſtimonium in bona parte; ergo nuſquam illud idem ſumit in mala: aut enim tantum in bona parte, aut tantum in mala dictum eſt. Si autem in bona parte ſumitur, obmuteſce, & concede matrimonium carnale bonum eſſe, de illo enim loquitur Vetus Teſtamentum.

Item ſicut habetur Matth. 19. v. 4. & 5. *Qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos. Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*, & Mar. 10. v. 6. & 8. & 9. Dicit, quod ille Deus qui homines fecit, dixit illud; ergo Deus Veteris Teſtamenti bonus, qui inſtituit carnale matrimonium, quod bonum eſt. Iſta etiam authoritas diſputata eſt, ubi tractavimus ſuperius de rebus viſibilibus, & tranſitoriis, an ſint a Deo Sancto in 8. cap. primæ partis hujus operis.

Item 1. Cor. 7. v. 1. Dicit Ap. *Bonum eſt homini mulierem non tangere*; ergo malum eſt eam tangere; Ut quid enim dicit illud, niſi ad oſtendendum iſtud eſſe malum?

Solutio. Non dixit hoc bonum ad differentiam illius in hoc, quod illud ſit malum; ſed ad oſtendendum, quod illud magis eligendum eſt, quia bonum eſt, ideſt melius eſt, quam tangere; (10) unde infra dicit Ap. v. 38. *Qui matrimonio jungit virginem*

ſua m,

[*] (9) Quæ duobus aſteriſcis comprehenſa vides, deſunt e *Codd. Bonon. & Vatic.*

(10) Iſaacus Beauſobrius Auguſtinum carpit, quod Manichæos prohibere dixerit nuptias. Illud enim hæreticorum genus idem propugnaſſe ait, quod nunc Catholici. Utque jam id oſtendat, Auguſtini primum teſtimonio quodam abutitur, deinde Fauſti locum affert, qui nuptias a Manichæis impeditas non fuiſſe pronunciat. Sunt hæc Auguſtini verba ex *Lib. de Moribus Manichæorum* „ *cap.* XVIII. Hic non dubito vos clamaturos, invidiamque fa„ cturos; caſtitatem perfectam vos vehementer commendare, at„ que laudare, non tamen nuptias prohibere; quandoquidem Au„ ditores veſtri; quorum apud vos ſecundus eſt gradus, ducere „ atque habere non prohibentur uxores. Hinc concludit Beauſobrius *lib.* VII. *cap.* IV. *nu.* III. *pag.* 473. *Tom.* II. *Hiſt. Manich. credere ſe quidem Auguſtino, rogare tamen utri teſtimonio ſit adjungenda fides?* illine quo affirmat tolli a Manichæis nuptias, an huic, quo non tolli ab ſe nuptias eaſdem pugnabant Manichæi? ſubjungit: *Ego huic poſtremo aſſentior, quod praxi nitatur & confirmetur.* Fauſti vero verba ſunt hujuſmodi: *Apud Auguſtinum lib.* XXX. *num.* 3. *Contra Fauſtum*: „ Nam & ipſi tam „ ſtultum judicamus inhibere volentem, quam nefas, & impium „ quaſi nolentem agere nuptias celebrare: „ Nos tamen multis documentis oſtendimus *notatione* I. negatas, reprobataſque fuiſſe nuptias a Manichæis. Id vero modo ponit, modo negat, vel ipſe Beauſobrius. Nam *loco mox indicato num.* I. „ Cum, *in*„ *quit*, Manichæus defenderit peccatum primorum Parentum „ fuiſſe conjugale commercium, quod ſimul habuerunt, fieri „ non potuit, quo minus matrimonium in generali reprobarent: *Il ne pouvoit que deſaprouver le Mariage en general.* Alibi vero, ait, idem ſenſiſſe Manichæos, atque nunc Catholici ſentiunt de Matrimonio. Quemadmodum hæc conjungi poſſint non video. Initio non intelligo quid ſit matrimonium reprobare *en general*? Etenim ſi peccatum fuit in primis parentibus, fallor, cur in aliis peccatum eſſe non debet. Deinde Catholici non reprobant conjugium ne *en general* quidem, quare diſcrepat Manichæorum a Catholicorum ſententia. Poſtremo Fauſtus non affirmat licitas eſſe nuptias; ſed ſtultos eſſe illos, qui impedire velint nubere volentes a conjugio celebrando. Oppoſitioni autem Auguſtini non ſatisfacit. Hic enim exprobrat Manichæis reprobari ab illis matrimonium, exiſtimarique peccatum. Satisfeciſſet autem Auguſtino, ſi dixiſſet a ſuis non cenſeri peccatum nuptias celebrare, quod cum tacuerit, argumento eſt, illum cum ceteris exiſtimaſſe peccatum eſſe conjugium. Quid? quod Hieracitæ, quos *notatione* 5. oſtendimus peccati loco nuptias habuiſſe, homines a matrimonio non deterrebant, ne majora ſcelera patrarent. Paria defendebant Cathari, qui cum haberent uxores, matrimonium tamen excludere a vita æterna hominem arbitrabantur. Hoc idem ſenſerunt Manichæi. Non impediebant nuptias, ne in ſcelera majora homines laberentur, ſed a peccato nuptos non excuſabant. Hinc ruit Argumentum, quod ex *praxi* Beauſobrius repetit; manentque Patrum teſtimonia, qui Manichæos infeſtos fuiſſe nuptiis pugnant, quod hoc in eorum libris legiſſent. Conſule Auguſtinum *lib* XXX. *Contra Fauſtum Cap.* VI.

suam, benefacit, & qui non jungit melius facit. Primum argumentum non valet, quod patet per simile. *Bonum est non bibere vinum*, ut dicit Ap. Rom. 14. v. 21. Non tamen malum est bibere ipsum, cum de illo bibendo instruat Timotheum 1. Tim. 5. v. 23. Item illud dicit Ap. 1. Cor. 7. v. 6. *Hoc autem dico secundum indulgentiam*, ideſt, quod *Vnusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat*, & similia ad matrimonium carnale pertinentia. Similiter dicit inferius eodem cap. v. 28. *Ego autem vobis parco*, supple, dum nubere concedo: Ubi indulgentia, ibi peccatum; ergo nubere est peccatum.

Ad hoc potest responderi dupliciter, primo ut dicamus quoniam hoc falsum est, quod indulgentia non sit, nisi de peccato. Unde notandum, quod quædam ponit Ap. in illo cap. quæ sunt præcepta, sicut etiam illud v. 3. *Vxori vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro*, item v. 10. *Vxorem a viro non discedere*, quod nullo modo præcepisset Christus, si esset peccatum habere uxorem; Quædam autem sunt consilii, non præcepti, unde v. 25. *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do*; Quædam autem sunt indulgentiæ, ideſt puræ concessionis. Horum enim quædam sunt ad quæ homo tenetur, quædam autem sunt ad quæ non tenetur. Prima autem sunt in præcepto; secunda autem bona duplicia sunt: quædam enim sunt majora, & illa sunt consilii, ut non nubere; quædam sunt minora bona, ut nubere; & ista sunt indulgentiæ, ideſt concessionis puræ, ideſt nec consilii, nec præcepti.

Præterea, si Ap. indulgebat, ex hoc non sequitur, quod esset peccatum, imo potius, quod non; nam Dominus dixit Apostolis suis Matth. 18. v. 18. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælis, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo.*

Item illud dicit Ap. 1. Cor. 7. v. 9. *Melius est enim nubere, quam uri*: Constat quod uri luxuria est, & malum est; ergo cum dicit Ap. *Melius est enim nubere, quam uri*, intelligendum est minus malum; ergo nubere est malum.

Solutio. Ergo quomodo dicit Ap. v. 28. *Et si nupserit virgo non peccavit?* Dico igitur, quod istud dicitur melius, non quia minus malum, sed quia hoc bonum, & illud malum. Simile habetur 1. Petr. 3. v. 17. *Melius est enim bene facientes (si voluntas Dei velit) pati, quam male facientes.*

Item ibi v. 7. dicit Ap. *Volo enim omnes vos esse sicut me ipsum*, ideſt castos ex voto. Dicit autem hæreticus, nullum exclusit Ap. cum dicit: *Volo omnes vos esse sicut me ipsum*; ergo qui nubunt, sunt contra voluntatem Ap. & ex hoc concludit hæreticus, ergo nubere malum est.

Solutio. Quomodo ergo dicit Ap. 1. Tim. 5. v. 14. *Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia?* Dico ergo, quod sensus verborum Ap. iste est: volo magis, ideſt magis mihi placet, quia melius est; unde infra dicit. *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit, melius facit.* 1. Cor. 7. v. 38.

Præterea non ne vides, quod dicit: *Vnusquisque proprium donum habet ex Deo*: ibi v. 7. *Proprium* dicit, ideſt, quidam hoc, quidam illud, quidam minus, *alius quidem sic*, ideſt in Virginitate, *alius vero sic*, ideſt in matrimonio. De hoc autem dicetur adhuc in 2. par. hujus cap. Ex prædictis patet, quod illi qui nubunt, non faciunt contra voluntatem Ap. quia non vult tantum istud, imo & alterum sine peccato sicut primum. Et ex hoc patet etiam, quod non est tantum permissionis, quod Ap. dicit *nubant*, ut putavit hæreticus, imo est voluntatis Ap.

Item objicit hæreticus de hoc, quod subdit Ap. v. 14. *Sanctificatus est enim*, ideſt sanctificari potest, *vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem*, quasi diceret, ita potest modo fieri, quia aliquando factum est: istud verum est. Sed subjunxit hæreticus, & dixit, numquid sanctificabitur infidelis qui immundus est, si sancto, fideli, & mundo adhæreat carnaliter? Numquid talis adhærentia sanctificat? Certe non, imo e contrario probo tibi, quod fidelis, & mundus, si adhæret infideli, & immundo carnaliter immundus erit: scriptum est enim Isai. 52. v. 11. *Pollutum nolite tangere*, & Nu. 19. v. 22. *Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet*: sed in illa conjunctione viri fidelis cum uxore infideli, mulier immunda tangit virum suum; ergo eum reddit immundum.

Solutio. Pessime opponis hæretice, & in duobus errasti. Primo in eo, quod dixisti, nos credere, quod infidelis sanctificetur per hoc, quod adhæreat viro fideli, & mundo; non enim hoc dicimus, nec credimus; sed dicimus, quod si consentit habitare cum illo modo prædicto, ipsa poterit sanctificari per doctrinam viri fidelis, & vir per bonam vitam mulieris; unde 1. Pet. 3. v. 1. *Mulieres subditæ sint viris suis: ut & si qui non credunt verbo, per mulieris conversationem, sine verbo lucrifiant.*

Secundo etiam in hoc, quod dixisti: *Quidquid tetigerit, immundum faciet*, male dixisti credens, quod illud intelligatur de tactu corporali; sed de tactu spirituali intelligitur; sicut etiam illud Isai. 52. *Pollutum nolite tangere*, ideſt ne ei consenseritis. Tunc autem est immundus qui malum aliquid tangit, quando modum vitæ suæ imprimit ei; per manum enim vita, sive conversatio designatur.

Præterea: nonne Christus tetigit leprosum, sive immundum? Utique, nec tamen fuit immundus.

Item ibi 1. Cor. 7. v. 12. dicit Ap. *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Hic dicit hæreticus: Iste frater, supple fidelis est, & in conjugio vocatus ad fidem est conversus, uxore manente in infidelitate. Hoc totum verum est. Subjunxit autem hæreticus: Si fidelis, supple carnale debitum redderet infideli, & ei necessaria corporis ministraret, frustra dixisset Ap. *Et hæc consensit habitare cum illo*, si enim illa haberet a viro, libentissime staret cum illo; sed Ap. non loquitur frustra; ergo loquitur quando fidelis non vult ei debitum carnale impendere. Et quia in hoc casu raro consuevit esse, quod infidelis velit habitare cum fideli volente continere, prop-

propter hoc dixit Ap. quasi cum dubitatione: *Et hæc consentit habitare cum illo*. Videtur ergo, ut dixit hæreticus, quod postquam fidelis factus est, illi operi carnali non debet se dare; ergo matrimonium malum est.

Solutio. Miser hæretice ex falsis argumentatus es. Falsum enim fuit, quod dixisti, si illa haberet a viro, libenter staret cum illo; imo & si illa haberet, cum ipso multoties habitare nollet, propter nomen Christi, quod horret, & blasphemat. Quod ergo dicit Ap. *& hæc consentit habitare cum illo*, non est sic intelligendum, cum illo nolente reddere debitum, neque potes ostendere hoc per aliquod testimonium; ego vero possum ostendere contrarium. Et quod ita sit ut dico, patet ex eo, quod prius dixerat v. 3. *Uxori vir debitum reddat*. Sic ergo debet intelligi *cum illo*, idest non contra illum, idest non impugnando illum, quia suscepit fidem Christi, nec blasphemando fidem, vel nomen Christi, in quo casu, idest si blasphemat, dixit Christus Matth. 19. v. 29. *Omnis qui reliquerit domum, vel fratrem, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filium, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*, ut dictum est prius.

Item dicit Ap. v. 29. *Tempus breve est: reliquum est, ut & qui habent uxores, tanquam non habentes sint*: sed illi qui non habent, non utuntur eis, ergo & illi qui habent, non debent uti eis.

Ad hoc est solutio, quia etiam dicit v. 30. *Et qui emunt, tanquam non possidentes*; sed illi qui non possident rem aliquam, non utuntur ea, ergo illi qui emunt non debent uti ea, quod falsum est.

Dicimus ergo, quod Ap. non intendit monere, ut debitum carnale sibi invicem subtrahant, cum superius dixerit: *Uxori vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro*; neque notat similitudinem inter habentes, & non habentes in toto, sed in parte, & est sensus, *qui habent uxores, tanquam non habentes sint*, vel ad tempus, ut vacent orationi liberius, sicut dixerat supra v. 5. *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi*; vel etiam semper, si placet eis continere, & possunt, & ita consilium est, quo consulit Ap. conjugatis continentiam, vel ad tempus, vel semper, & monet iterum reverti in idipsum si nolunt continere, *ne tentet vos sathanas*, idest, tentando ducat in fornicationem, *propter incontinentiam vestram*, idest quia non volunt continere, & difficile est eis nimis.

Quod autem consilium sit istud: *qui habent uxores tanquam non habentes sint*, patet ex præcedentibus verbis Ap. v. 25. a quibus ista dependent: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo*, supple ut contineant, *consilium autem do*, supple istud idem. Causam consilii sui ponit, cum ait v. 26. *Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem*, illis qui sunt in conjugio: postea subdit tamen: v. 27. *Alligatus es uxori; noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore; noli quærere uxorem*: Ecce consilium prædictum. *Si autem acceperis uxorem non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccavit. Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi*, v. 28. Idest conjugati, quia oportebit eos laborare, & vigilare pro necessariis sibi, & familiæ. *Ego autem vobis parco* v. 29, Idest concedo nubere, ex quo vultis: postea subdit: *Hoc itaque dico, fratres: tempus breve est*, [*] quasi dicat, quod tribulatio carnis adest conjugatis. Itaque propter illam tribulationem vitandam dico vobis fratres breve tempus &c. [*]

Potest etiam alio modo intelligi: *qui habent uxores, tanquam non habentes sint*, idest similes eis, dando scilicet corpus suum servitio Dei, sicut illi qui non habent, licet non tantum; unde Gregor. hom. 36. in Evang. *Ille uxorem habet, quasi non habens, qui sic studet placere conjugi, ut tamen non displiceat Conditori*. Non erat ille talis, qui dixit Lucæ 14. v. 20. *Uxorem duxi, & ideo non possum venire* ad cænam Dei. Ista expositio patet ex eo, quod sequitur: *& qui emunt tanquam non possidentes*: illi enim qui non possident res aliquas, non occupant cor suum in illis; similiter & illi, qui emunt res aliquas, non debent ex toto occupare cor suum in illis, sed in Dei servitio magis, non sicut illi, qui dixerunt in eodem cap. Lucæ: *Villam emi* &c. *Juga bovum emi* &c. Intelligo autem hoc de occupatione retrahente cor a Deo, præ nimio amore rerum terrenarum, vel uxoris.

Objicit etiam hæreticus, quod dicit ibidem v. 32. Ap. *Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo*. v. 33. *Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est*. Super hoc ita objecit: Ap. distinguit duas sollicitudines, & duas placentias, ut patet in litera. Hoc verum est. Postea addidit. Una sollicitudo est alteri contraria; ergo cum una sit bona, altera est mala, scilicet illa quæ est in matrimonio, & ita matrimonium malum est. (11)

Item volebat eos esse sine sollicitudine illa; ergo illa sollicitudo est contra voluntatem Apostoli; ergo mala est.

Item volebat eos esse sine sollicitudine illa; ergo sine uxore; ergo habere uxorem malum est.

Item Philip. 4. v. 6. dicit Ap. *Nihil solliciti sitis*; ecce, quod prohibet sollicitudinem eorum, quæ mundi sunt; ergo mala est.

Item ibi dicit Ap. quod ille, qui est cum uxore, sollicitus est quomodo placeat uxori, & e contra; sed nonne dicit Ap. Gal. 1. v. 10. *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem?* ergo ille non est servus Christi.

Item de eodem dicitur, quod *divisus est*, scilicet ab illo, qui est sollicitus eorum, quæ Dei sunt; ergo est malus, quia in membris Ecclesiæ non debet esse divisio; unde Rom. 12. v. 5. *Multi unum corpus sumus in Christo*.

Solutio. Ad primum dicitur, quod illæ duæ solli-

[*] Desunt e Codd. Bon. & Neap.

(11) Hoc idem Pauli ῥητὸν opponebant Gnostici Catholicis, apud Clementem Alexandrinum *lib.* III. *Stromat. pag.* 551.

licitudines non sunt contrariæ. Cum ergo dicis hæretice, quod una est alteri contraria, quæro quomodo istud intelligis? Aut secundum essentiam, (12) aut secundum qualitatem. Si secundum essentiam dicas: dico, falsum est, nisi velis dicere quod sint contrariæ, idest quia una non est alia. Sed ex hoc non sequitur, quod si una est bona, alia sit mala. Nam Petrus & Paulus hoc modo fuerunt contrarii, quia unus non fuit alius, & tamen uterque bonus erat. Similiter bibere vinum, & non bibere, sunt contraria illo modo, & licet non bibere vinum sit bonum, tamen bibere non est malum.

Si autem dicas, quod contrariæ sunt secundum qualitatem: Quæ est ista qualitas o hæretice? Numquid bonitas, vel malitia? Si hoc dicas, dico falsum est.

Ad aliud dico, quod sollicitudo de rebus mundi erat contra voluntatem Ap. qua volebat illos esse sine sollicitudine: non tamen mala erat, quia non erat contra omnem ejus voluntatem, imo secundum aliquam voluntatem ejus erat, quia concedebat eis nubere, si volebant; ergo concedebat eis sollicitudinem eorum, quæ mundi sunt: *qui enim cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi*; volebat autem unum magis, alterum autem minus.

Ad aliud autem dicimus, quod volebat eos sine uxore, si ipsi volebant; non tamen esse cum uxore malum est, sed minus bonum; unde ibi *v.* 38. *Qui in matrimonium jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit, melius facit.*

Ad aliud, quod dicit, quoniam illa sollicitudo prohibita est Phil. 4. *Nihil solliciti sitis*, dico, quod sollicitudo avaritiæ, & cupiditatis, hæc prohibita est.

Item est sollicitudo circa temporalia, & hæc est multiplex. Est enim sollicitudo providentiæ necessariorum. Hæc bona est, & necessaria in Ecclesia Dei; oportet enim Episcopum esse hospitalem &c. ut habetur 1. Tim. 3. Hospitalis autem esse non potest sine sollicitudine temporalis.

Item ipse Ap. manibus suis laborans sollicitus erat circa temporalia; unde Act. 20. *v.* 33. & 34. *Argentum, & aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis; quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.*

Item ipse Paulus fuit sollicitus de temporalibus ad sustentationem pauperum, ut ipse dicit Gal. 2. v. 10. ubi aliis Apostolis nominatis dicit: *Tantum*, supple dixerunt Apostoli mihi, & Barnabæ, *ut pauperum memores essemus: quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere.*

Quod autem ita sit, patet ex 2. Cor. 8. & 9. Ubi etiam laudat sollicitudinem Macedonum circa temporalia ministranda pauperibus, qui erant in Jerusalem. Insuper etiam laudat sollicitudinem Titi, & aliorum ibi circa hoc factum. Et quod de temporalibus agatur ibi, patet ex c. 15. ad Rom. v. 26. & 27. ubi dicit Ap. *Nunc igitur proficiscar in Jerusalem ministrare sanctis. Probaverunt enim Macedonia, & Achaja collationem aliquam facere in pauperes Sanctorum, qui sunt in Jerusalem; placuit enim eis.* Quis etiam est, qui dubitet vos Catharos non esse sollicitos de cibis, & potibus, & mercimoniis vestris? Act. 6. v. 1. *In diebus autem illis crescente numero Discipulorum, factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum.*

Ad aliud dico: quod illæ duæ placentiæ non sunt contrariæ, sed ambæ possunt esse bonæ, & similiter potest homo placere Deo, & uxori. Nec obstat quod dicitur Gal. 1. v. 10. *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Ipse enim dicit 1. Cor. 10. v. 33. *Et ego per omnia omnibus placeo.* Unde sciendum est, quod duobus modis potest homo placere homini, in malo aliquo, vel etiam in bono: aut propter propriam laudem; & secundum hoc dicitur: *Si adhuc hominibus placerem Christi servus non essem.* Aut propter proximi salutem, & sic dicitur 1. Cor. 10. v. 33. *Et ego per omnia omnibus placeo, non quærens, quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.* Propter hoc scribens ad Rom. c. 15. v. 2. ait: *Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem.*

Ad aliud, quod dicit Ap. quod ille, qui est cum uxore, divisus est, dico quod verum dicit Ap. quia divisus est ab alio, sed non est divisus ab eo per malitiam, imo per curam multiplicem, quam habet de provisione familiæ; ille vero non habet tantam curam, qui est sine uxore; & tamen inde causam habet.

Quod autem dixisti hæretice, quoniam non debet esse divisio in membris Ecclesiæ, imo debet esse unum, idest unum corpus, & unam animam, sive voluntatem eandem habere, ut legitur Act. 4. v. 32. Quod autem dixisti, quod non debet esse in membris Ecclesiæ divisio, mentitus es: dicit enim Ap. 1. Cor. 12. v. 11. enumeratis quibusdam donis Dei: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult.*

Adhuc etiam instat hæreticus spiritu infidelitatis vexatus, & dicit: Si homo sollicitus est eorum quæ mundi sunt, diligit ea, & si diligit ea, diligit mundum, si autem homo diligit mundum, non est perfecta charitas Dei in illo, ut dicitur 1. Jo. 2. v. 15. ergo qui habet talem sollicitudinem, non habet charitatem Dei; ergo qui habet uxorem non habet charitatem; ergo habere uxorem malum est, qui enim habet uxorem, habet illam sollicitudinem.

Ad hoc potest responderi, quod hoc modo posset probari, quod Paulus, & multi alii boni de temporalibus solliciti, fuissent in statu perditionis.

Quod autem dixisti hæretice: qui diligit mundum,

(12) *Quid vero? annon licet etiam eis, qui secundum Deum placent uxori, Deo gratias agere? Annon permittitur etiam ei, qui uxorem duxit, una cum conjugio, etiam sollicitum esse de iis, quæ sunt Domini? Sed quemadmodum quæ non nupsit, sollicita est de iis quæ sunt Domini, ut sit sancta Corpore, & Spiritu; ita etiam quæ nupsit, & de iis, quæ sunt mariti, & de iis quæ sunt Domini, est in Domino sollicita, ut sit sancta & corpore, & spiritu. Ambæ enim sunt sanctæ in Domino, hæc quidem ut uxor, illa vero, ut Virgo.* Clemens Alexandrinus *lib.* III. *Stromat. nu.* XII. *pag.* 551. Consulitor Tatianus in *Apolog. pag.* 297. *Edit. Lipsiens. an.* 1685.

dum, non est charitas Dei in illo: istud qualiter sit intelligendum, habetur in prima parte hujus operis, in I. par. I. cap.

Adhuc instat hæreticus: *Qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori*, ut dicit Ap., talis autem adhæret mundo, qui sic adhæret uxori; sed mundo adhærere est Deum contemnere, & ab eo fornicari; ergo malum est matrimonium.

Respondeo: quid appellas tu adhærere mundo, vel uxori? Si habere curam de mundanis rebus, & uxore; ostensum est, quod illud bene potest fieri. Si autem hoc est idem, quod diligere mundum, vel uxorem: dico, quod istud malum non est, dummodo non diligatur mundus, vel uxor supra Deum, ut ostensum est in capite primo primæ partis hujus operis.

Adhuc objicit hæreticus illud I. Cor. 7. v. 35. ubi dicit Ap. *Porro hoc ad utilitatem vestram dico: non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum observandi*: & est sensus: ego consului vos non nubere, & hoc ad vestram utilitatem dixi, scilicet ut vitetis necessitatem conjugum, non ut laqueum vobis injiciam: quasi diceret, si grave vobis videtur continere ex toto, non dico quod non nubatis, ne dem vobis occasionem cadendi in laqueum fornicationis; sed hoc dico ad id, quod honestum est, idest propter vestram honestatem, quæ est esse in omnimoda castitate. Ex hoc concludit hæreticus; ergo non esse in omnimoda castitate inhonestum est.

Hoc non valeat, ut sæpe dictum est: bonum est non bibere vinum; ergo malum est bibere vinum. Similiter nec illud, quod modo dixisti. Dico ergo quod matrimonium honestum est, sed esse in omnimoda castitate honestius est. Et sicut bonum ponitur pro melius, cum dicit Ap. I. Cor. 7. v. I. *Bonum est homini mulierem non tangere*, ut patet, ex eo quod dicit Ap. v. 38. *Igitur & qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, & qui non jungit, melius facit*, ita etiam hic ponitur honestum pro honestius. (13)

Item, objicit hæreticus illud, quod sequitur in v. 35. *& quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi*; illud autem est esse in omnimoda continentia, & ita esse in matrimonio, impedit obsecrationem; ergo malum est.

Solutio. Ministrare mensis impediebat verbi prædicationem, ut habetur Act. 6. v. 2., ergo erat malum. Quomodo ergo statuerunt Apostoli septem viros ad hoc officium, ut ibi habetur? Nonne & dormire impedit orationem? Ergo est malum. Dico tamen, quod non impedit orationem, sed facultatem, idest facilitatem orandi Dominum; facultas enim a facili derivatur. Ista facilitas non habetur ex conjugio, sed sine eo: propter hoc dicit Ap. quod facultatem præbeat. Uterque tamen habet potentiam orandi Dominum, sed unus facilem, alius autem non facilem.

Item objicit hæreticus illud 2. Cor. 6. v. 4. *In omnibus exhibeamus nos metipsos sicut Dei ministros*, & inter illa dicit v. 5. *in castitate*.

Item Gal. 5. v. 23. dicitur, quod fructus spiritus est castitas.

Item ibi v. 20. dicitur, quod fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, &c. sunt opera carnis.

Item c. 6. v. 8. dicitur: *Qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem*.

Item ad Philip. 4. v. 8. *Quæcumque pudica ... hæc cogitate*.

Item Colos. 3. v. 5. *Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam &c.*

Item Hebr. 12. v. 14. *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam*, idest castitatem, *sine qua nemo videbit Deum*.

Item Jacobi 3. v. 17. *Quæ autem de sursum est sapientia, primum quidem pudica est*, idest pudica faciens. Ex his voluit hæreticus, quod in matrimonio non sit salus, credens quod ibi non sit castitas aliquo modo, sed fornicatio, & immunditia.

Ad hoc Resp. quod hæreticus falsum ponit, cum ait, quod actus viri cum uxore sit fornicatio, cum dicat Ap. I. Cor. 7. v. 2. *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat*, & subintelligitur vitandam. Similiter dico, quod non est immunditia, vel impudicitia, vel luxuria. Numquid enim de immunditia materiali loquitur Apostolus? Dico quod non. Proba tu, quod loquatur de ea.

Præterea quæ differentia est inter illa quatuor, quæ ponit Ap. ad Gal. inter opera carnis, *fornicationem, immunditiam, impudicitiam, luxuriam?* Ego dico, quod fornicatio est soluti cum soluta, luxuria autem ibi sumitur pro adulterio; immunditia est cum quis se ipsum polluit, impudicitia quando masculus cum masculo, vel fœmina cum fœmina turpitudinem operatur, & dicitur impudicitia, quia sine pudore est, qui hoc agit: si enim pudorem haberet, sicut deberet habere in hoc facto magis, quam in aliis, non faceret illud.

Ad

(13) Hinc Sancti Patres, imprimisque Athenagoras *Apolog. pag.* 299. Satius esse virginitatem colere ajunt, quamvis bonum etiam sit matrimonium. Quamobrem Catholici omnes rem ab Apostolo dictam, repetitamque a Patribus vehementer probant. Probatam item fuisse a Manichæis veteribus contendit Isaacus Beausobrius *Lib.* VII. *Cap.* IV. *num.* 3. *pag.* 473. *seqq.* Conjugium namque non prohibitum, sed consideratum ut imperfectionis quemdam statum, ferendum æquo animo ob humanam imbecillitatem a Manichæis fuisse putat. Hortatos autem fuisse ab hæreticis illis Auditores suos, ut ne matrimonio sese conjungerent, coactos autem numquam. Quare cum hoc idem agere Catholici soleant, cum suis Ecclesiasticis, concludit Manichæos a nostris minime discrepasse. Verumtamen nos clarissimis documentis cum *notatione* I. tum II. evicimus a Manichæis nuptias fuisse rejectas, existimatumque peccatum esse procreationem filiorum. Uti vero circuitione quadam verborum Faustum, neque rem ita uti se habebat, explicare velle. Sed ut magis magisque constet nuptias fuisse a Manichæis damnatas, quamvis tamen toleratas, ne majus flagitium perpetrarent, qui erant eorum sectæ addicti; animadvertendum est, Paulicianos, qui a Manichæis religiose disciplinam acceperant, habuisse quidem uxores, sed reprobasse conjugia, quod arbitrarentur scelus esse filiorum procreatione illigare virtutem Dei materiæ. Vide *Hiverar.* Tollii *pag.* 141. & 149. Quæ cum ita sint, quis non videat longe diversam esse Manichæorum a Catholicorum de matrimonio celebrando sententiam?

Ad illud autem , quod dixit, quoniam non eſt caſtitas in matrimonio carnali, ſimiliter dico , quod falſum locutus eſt hæreticus . Unde ſciendum eſt, quod eſt caſtitas omnimoda, quam tenentur ſervare illi, qui eam voverant in Eccleſia Dei; unde 1. Tim.5. v.11. dixit Ap. Timotheo : *Adoleſcentiores autem viduas devita*, (14) ideſt ne recipias eas ad votum caſtitatis de facili : *cum enim luxuriatæ fuerint*, ideſt cum vixerint delitioſe in Eccleſia , & de rebus ejus, *in Chriſto nubere volunt*, ideſt ſecundum Chriſtum volunt contrahere matrimonium, hoc eſt, ac ſi eſſet licitum , & non contra Chriſtum : *habentes damnationem , quia primam fidem irritam fecerunt*, ideſt votum caſtitatis, quod prius emiſerunt, rumpunt . Ne ergo hoc contingat : *Volo juniores nubere , filios procreare , matresfamilias eſſe, nullam occaſionem dare adverſario maledicti gratia* v. 14. Ideſt cauſam maledicendi . Quod autem dicit v. 15. *Jam enim quædam converſæ ſunt retro ſatanam*, intelligitur quod rumpunt votum . Eſt etiam alia caſtitas, ſcilicet conjugalis, ad quam tenentur conjugati, ſcilicet ne vir ad aliam, aut uxor ad alium accedat, ſed invicem ſibi fidem ſervent . De hac dicit Ap. Tit.2. v.4. & 5. *Doceant adoleſcentulas ſuas, ut viros ſuos ament, filios ſuos diligant . Prudentes, caſtas, ſobrias, domus curam habentes, benignas, ſubditas viris ſuis, ut non blaſphemetur verbum Dei*. Sunt etiam alii, quibus Ap. non præcipit, ſed conſulit caſtitatem omnimodam tenere, licet non voverint, de quibus dicit 1. Cor. 7. v. 8. & 9. *Dico autem non nuptis, & viduis : bonum eſt illis ſi ſic permaneant, ſicut & ego . Quod ſi non ſe continent, nubant; Melius eſt enim nubere, quam uri*, quod prius expoſitum eſt . Et iterum v.25. *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, conſilium autem do* . Ex his patet ſolutio ad prius objecta . Dico enim quod in matrimonio poteſt eſſe prædicto modo pudicitia, ſive caſtitas, ſive ſanctimonia, quod idem eſt, dummodo honeſte utatur ſua .

Quid autem ſit dicendum ad illud verbum Gal. 6. v. 8. *Qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem*. Dico quod iſte non ſeminat in carne, ſicut nec ille, qui comedit ad Dei gloriam, vel ſi unus, etiam alius . Caro enim dicitur voluptas carnalis, quæ aliquem movet ad opus carnale cum uxore : boni autem conjugati non illam quærunt, non propter illam juguntur, nec illa movet eos ad opus illud, quod eſt inter virum, & uxorem, alioquin peccant, ut oſtenſum eſt in præcedentibus . Nolo defendere quod malum eſt .

Quod autem non ſeminent in carne, qui non junguntur pro carnali voluptate, patet ex eo, quod meſſis ſeminationis in carne, eſt corruptio, ideſt æterna damnatio; boni autem conjugati, qui junguntur ut filios faciant ad honorem Dei, metunt ſalutem æternam; unde 1. Tim. 2. v. 15. dicitur : *Salvabitur autem* mulier *per filiorum generationem*. Item vitant corruptionem, ideſt fornicationem, unde 1. Cor. 7. v. 2. *propter fornicationem autem, unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum virum habeat*. Hæc autem quærit Spiritus Sanctus, ſcilicet vitationem fornicationis . Unde dico quod iſte ducitur ſpiritu, non carne, ideſt carnali voluptate, unde ſuum ſeminium eſt in ſpiritu, ideſt per ſpiritum, vel a ſpiritu, ſic enim ſumitur *in* pro *per*, vel pro *a*, ſicut etiam 1. Cor. 12. v. 8. *Alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alii autem ſermo ſcientiæ ſecundam eundem ſpiritum*, ideſt per eundem ſpiritum, *alteri fides in eodem ſpiritu*, ideſt per eundem ſpiritum, vel a ſpiritu . Similiter cum dicitur *qui ſeminat in carne*, ideſt per carnem, ideſt ſi a carne, ſive carnali voluptate movetur ad aliquod agendum, de carne metet corruptionem .

Objicit hæreticus illud Eph. 5. v. 25. *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam;* ſed Chriſtus non concubuit cum Eccleſia; ergo nec vos debitis concumbere cum uxoribus veſtris .

Solutio . Dico tibi, quod Ap. non dixit illud verbum ad imponendam omnimodam continentiam conjugatis, cum alibi dicat 1.Corinth.1. v.2. *Uxori vir debitum reddat : ſimiliter autem & uxor viro* .

Item 1. Tim.2. v.15. *Salvabitur mulier per filiorum generationem*, ſed dicit illud ad notandam firmitatem, & vehementiam dilectionis inter conjugatos, exemplo dilectionis Chriſti ad Eccleſiam; unde ſtatim ſequitur : *& ſe ipſum tradidit pro ea* . Similiter dico quod vir, ſi opus eſſet, deberet ſe tradere morti pro ſalvanda uxore .

Ad idem etiam objicit hæreticus illud 1. Teſſal. 4. v. 3. 4. & 5. *Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra : ut abſtineatis vos a fornicatione, ut ſciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore, non in paſſione deſiderii, ſicut & gentes quæ ignorant Deum* . Ex hoc vult hæreticus omnem coitum fornicationem eſſe, & ita nullus poteſt ſalvari in conjugio .

Solutio . Ex hoc non habetur, quod coitus matrimonialis fornicatio eſt. Et quod non ſit fornicator ille, qui eſt matrimonialis, patet ex illo verbo : *Propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam uxorem ha-*

(14) Negari non poterat, quin Apoſtolus Paulus voluerit, ut qui rebus ſacris eſsent addicti cœlibem vitam ducerent . Quare ad *Timoth. Epiſt.* I. *Cap.* v. *v. 9.* „ Vidua, *inquit*, eligatur „ non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor . „ Viduas autem dicit, quarum aliquod erat in Eccleſia munus . Eas autem caſtas, atque etiam a connubio liberas eſse vult, alioqui vidua uxorem unius viri non poſtularet . Porro præſcribit, ut ne minor ſit ſexagenaria . Non enim fidit adoleſcentioribus, *quod cum luxuriatæ fuerint, in Chriſto nubere volunt . Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt* . Unde colligitur ſolemnem tunc temporis a viduis promiſſionem de caſtitate ſervanda Deo fieri conſueviſse, ac votum quoddam, quod ſi irritum fecisſent, in damnationem incurrebant . Veluti ſapienter animadvertit Moneta Sanctos Patres Auctores ſequutus, præſertim autem Tertullianum *Lib. de Monogamia Cap.* XIII. *pag.* 533. quamvis hic multa adjungat, quæ minus caſtigata ſint, deflectantque ad Montaniſmum; Auctorem Conſtitutionum Apoſtolicarum *Lib.* III. *Cap.* I. *ſeq.* Cyprianum, Chryſoſtomum, Ambroſium, Epiphanium, Oecumenium, Theophylactum, alioſque quos recenſet Grotius *in Not. ad Cap.* v. *v.* 12. *Epiſt. ad Timoth.* Si ergo viduæ, quæ rebus ſacris erant addictæ, ſine ulla temeritate, Deo caſtitatem ſuam vovebant, quid eſt, quod Epiſcopi, & Presbyteri, ceterique omnes miniſtri rerum ſacrarum non poſſint, neque debeant vitam cælibem ducere, quin temeritatis, redarguantur? Eo dico, quo videam hæreticos juniores iniquos eſse Epiſcopis noſtris, Presbyteris &c. propterea, quod caſtitatem ſervare promittant . Sed de hoc alias .

habeat, *&c.* Monet ergo Ap. & præcipit abſtinere a non ſua tantum, cum dicit *a fornicatione*.

Item ad non abutendum ſua, cum dicit: *Ut ſciat unuſquiſque vas ſuum*, ideſt uxorem ſuam, *poſſidere in ſanctificatione*, *& honore*. *Et in ſanctificatione* dicit pro tempore abſtinendi a ſua, *& honore*, honeſte, ſcilicet ſe habendo cum ea, non turpiter. Quod autem ſua dicatur uxor patet ex eo, quod Petrus ait Ep.1. c.3. v.7. *Viri ſimiliter cohabitantes ſecundum ſcientiam*, *quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem*, ſcilicet in veſtibus, & aliis neceſſariis ad victum & veſtitum.

Sed ipſe objiciet dicens: Nonne ibi eſt paſſio deſiderii?

Et ego dico ei: nonne in comedendo cibum bene paratum eſt paſſio deſiderii? utique. Numquid propter hoc peccatum eſt in comedente. Non, dummodo propter voluptatem non comedatur; hæc eſt enim illa paſſio, quæ ſi deſideratur, & quæritur, malum eſt: ſimiliter in cognoſcendo uxorem, dummodo non cognoſcatur pro illa paſſione, dummodo illa non deſideretur, non eſt peccatum. (15)

Objicit etiam hæreticus illud 1. Tim. 5. v.15. *Volo ergo juniores nubere*: & quæſivit utrum Ap. loqueretur de exiſtentibus in Chriſto, quæ ſunt Chriſtianæ, an non? Si primo modo, contra hoc dicit hæreticus. Vide quod dicit Ap. de eis, quoniam *nubere volunt habentes damnationem*, ſi hoc habent; ergo non ſunt in Chriſto illæ quo volunt nubere.

Solutio. Dico, quod loquitur de nubentibus exiſtentibus in Chriſto: volo ergo juniores nubere, & iſtæ Chriſtianæ erant, & bonæ mulieres, volentes in matrimonio Deo ſervire, quæ votum caſtitatis omnimode non fecerunt.

Quod autem hæreticus contra hoc objecit, contrarium non fuit; quia illud verbum, quod dicit Ap. *cum enim luxuriatæ fuerint*, ideſt cum delicate vixerint in Eccleſia, *in Chriſto nubere volunt*, ideſt ac ſi non eſſet contra Chriſtum, intelligitur poſt emiſſionem voti, ideſt de eis, quæ votum fecerunt omnimodæ caſtitatis, (16) quod patet ex eo quod ſubdit Ap. *habentes damnationem*, quare? *quia primam fidem irritam fecerunt*, ideſt votum caſtitatis, quod prius fecerunt, fregerunt; unde & infra ſubdit v. 15. *Jam enim quædam converſæ ſunt retro Satanam*. Illud ergo *volo juniores nubere* intelligitur de illis, quæ nondum fecerunt votum.

[*] (17) Ad idem inducunt illud Hebr. 13. v. 4. *Honorabile connubium in omnibus*, *& thorus immaculatus*, dicentes, illud non poſſe intelligi de corporali matrimonio.

Sed hoc falſum eſt, cum dicat Ap. 1. Cor. 7. v. 2. *Propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam uxorem habeat*, propter fornicationem dico, ideſt, propter maculam fornicationis vitandam; unde dicit, *& thorus immaculatus*, hoc enim honorabile eſt.

Item propter vitandum judicium fornicatorum, & adul-

(15) Sapienter Tertullianus *lib.*I. *Contra Marcionem cap.* XXIX. „ *pag.* 380. „ Non ideo autem, *inquit*, & cibi damnabuntur, „ quia operoſius exquiſiti in gulam committunt; ſic nec matri- „ monii res ideo deſpuentur, quia intemperantius diffuſæ in lu- „ xuriam inardeſcunt. Multum differt inter cauſsam & culpam, „ inter ſtatum, & exceſsum. Ita hujuſmodi, non inſtitutio, „ ſed exorbitatio reprobanda eſt, ſecundum cenſuram inſtitu- „ toris ipſius; cujus eſt tam creſcite, & multiplicamini, quam „ & non adulterabis &c.

(16) Iſaacus Beauſobrius *Lib.* VIII. *Hiſt. Manichæor. cap.* IV. *num.* IX. *Tom.* II. Idem omnino de cœlibatu, & Matrimonio ſenſiſse ait, id ætatis Catholicos. Nam ut illi non interdicebant ſuis auditoribus nuptias, ita ne noſtri quidem laici prohibent; utque cavent noſtri ne quis Epiſcopus, aut rebus ſacris qualibet ratione addictus Matrimonium contrahat, ita illi electos deterrebant, a conjugio celebrando. Quare hoc inter nos, & Manichæos veluti parallelum conſtituit. 1. *Ordini Sacerdotali* prohiberi a nobis *conjugium*, quod *illud ſit ſtatus imperfectionis*, *qui minus aptos reddat ad functiones Eccleſiaſticas*, uti par eſt peragendas. 2. *Quia Matrimonio conjuncti*, *cum ſint in carne*, *non poſſunt placere Deo*. 3. *Quia non ſunt digni accedendi ad altare*, *tangendi hoſtiam immaculatam*, *intercedendique pro populo*. Id vero totum quantum eſt reſpondere omni ex parte rationibus, quibus Manichæi inducti electos ſuos a nuptiis deterrebant. Sed quam impudentem, quam falſum ſe prodat Beauſobrius, paucis evincam. Imprimis Manichæi, idcirco electos ſuos a nuptiis avocabant, quod malas eſse arbitrarentur; ut oſtendi *notatione* I. id vero Catholici averſantur. Deinde non ita ſe habent nominata, quæ Catholicos impellunt, ut altaris miniſtros a Matrimonio revocent ut a Beauſobrio exprimuntur. Nos enim Apoſtolum auctorem ſequimur, pugnamuſque ſatius eſse celibem vitam ducere, quod tum homo cogitet quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo; nec diviſus ſit, id quod præcipue miniſtris Altaris debet competere. Nam ſi viduas, quæ aliquod munus in Eccleſia exercerent, ut animadverti *notatione* XIV. promittere Deo caſtitatem volebat Apoſtolus, ut ſanctius poſſent rebus ſacris vacare, non video, cur hoc idem Epiſcopos, ceteroſque ſacrorum miniſtros non deceat. Rurſus ſi Apoſtolus *cap.* VII. *Epiſt.* I. *ad Cor.* hortatur conjugatos, ut ad tempus, quo vacent orationi, a concubitu ſibi temperent, multo magis iis id congruat neceſse eſt, qui continenter altari inſerviunt. Neminem porro adſtringit Eccleſia, ut Sacerdos ſit, neve ut caſtitatem, virginitatemque profiteatur; ſed ubi quiſquam cælibem vitam ducere vovit hunc peccare contra Deum, cui promiſit, putat: velut etiam Apoſtolus dixit viduas, quæ poſt profeſſionem nubere audebant, *damnationem habuiſſe quia irritam faciebant primam fidem*. Quodſi Catholicis præclare convenit cum Manichæis, conveniat item cum iiſdem hæreticis Apoſtolo neceſſe eſt; quo quid dici poteſt abſurdius? Sed quemadmodum Paulus hæreticos, qui *in noviſſimis temporibus futuri erant*, *ac prohibituri nubere* damnat, ita nos Manichæos reprobamus, qui ſcelus eſſe cenſebant Matrimonio ſeſe conjungere, ut *notatione* I. obſervavi. Neque vero Beauſobrius demonſtrare poterit, cœlibatum electorum a Manichæis non ut *præceptum*, ſed ut *conſilium* fuiſſe habitum. Etenim, quod affert ex Auguſtini *Lib.* V. *Contra Fauſtum Cap.* IX. not. I. ut oſcitanter ille, qui probet *conſilia* in idem atque *ſublimiora præcepta* Manichæorum recidere; ad rem non pertinet. Neque enim Manichæorum, ſed ſuo ſenſu eas voces adhibet Auguſtinus. „ Quam multi, *inquit*, in „ noſtra communione veraciter faciunt iſta ſublimiora præcep- „ ta Evangelica. Ceterum Manichæi ad vitam æternam conſequendam neceſsariam eſse putabant obſervationem præceptorum ejuſmodi, quæ conſilia nos appellamus. Nam ſi Auguſtino, cujus teſtimonio Beauſobrius ipſe abutitur, fides eſt adhibenda: *ſuis auditoribus Manichæi niſi* eadem præcepta coluiſsent, *non reſurrectionem*, *ſed revolutionem ad iſtam mortalitatem promittebant*, *ut rurſus naſcerentur*, *vitaque viverent electorum*: *Ibid. Cap.* X. Quamobrem neminem eorum, qui uxores haberent, procrearentque liberos ſalutem æternam adipiſci poſse Manetis aſseclæ arbitrabantur, niſi aliquando his dimiſſis atque neglectis, cælibem, atque electorum propriam vitam degerent. Deinde falſus eſt Beauſobrius, cum Catholicos carpit, quaſi vero idcirco a Sacerdotibus cælibatum poſtulent, quod cenſeant matrimonio conjunctos, atque adeo in carne degentes Deo placere non poſse. Nos enim Græcos Presbyteros, qui in noſtra communione verſantur, placere Deo poſse contendimus, tametſi uxores habeant; ſed longe magis ad decus altaris conducere arbitramur vitam cælibum miniſtrorum, quare eos qui ſacris initiari deſiderant, ad Sacros Ordines non admittimus, niſi prius Deo voveant perpetuam caſtitatem.

[*] Quæ duobus aſteriſcis comprehendimus, deſunt ex *Cod. Bonon. & Vatic.*

& adulterorum, unde subdit: *Fornicatores enim, & adulteros judicabit Deus*, non enim est fornicatio, vel adulterium cum sua, sicut innuit Ap. dicens: *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat*. Nec potest dicere hæreticus illud sic esse intelligendum, propter fornicationem, sic enim c. 6. v. 18. Dixerat. *Fugite fornicationem. Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*. [*]

Ad idem etiam objicit hæreticus illud Apoc. 14. v. 1. 2. 3. & 4. *Et vidi: & ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quattuor millia habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis. Et audivi vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni: & vocem quam audivi, sicut citharædorum citharizantium in citharis suis. Et cantabant quasi canticum novum ante sedem, & ante quatuor animalia, & seniores: & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum quocumque ierit*. Dixit autem quod per totum numerum intelligitur numerus salvandorum, præter quos nemo poterat dicere canticum novum, idest dominicam orationem: *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum quocumque ierit*, idest Christum. Illi ergo, qui in matrimonio sunt, non possunt dicere canticum illud, nec sequuntur Christum, & ita matrimonium malum.

Sol. Dico: quod prædictus numerus mysterium habet, & non significat numerum salvandorum, sed numerum virginum, qui sequuntur agnum, animi, & corporis integritate; præter quos nemo potest dicere canticum novum, idest cantare, sive exultare de novitate, idest integritate tam corporis, quam animæ; unde subdit: *Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, & agno*. Sicut enim ex grege melior agnus, & ex frugibus meliores manipuli, idest primitiva eligebantur; ita ex collegio Ecclesiæ, Christus Virgines eligit, ut aliis meliores. Sunt enim diversi status salvandorum in Ecclesia, scilicet rectores, continentes, & conjugati, de quibus habetur Mat. 24. *Duo in agro... duo in mola, & duo in lecto*. Ager Ecclesiam significat, in qua sunt duæ differentiæ prædicatorum in ea, velut in agro colendo laborantiam: quidam enim sincere Christum annuntiant; quidam vero verbum Dei adulterant. Mola quæ circuitum habet, curam, & sollicitudinem, quam habent conjugati significat; ideo etiam significatur fæminino genere, ut notetur, quia eorum regimen dependet a prædictis, sicut mulierum regimen dependet a viris suis. Lectus vero, qui locus est otii, significat quietam continentiam ex toto, qui sine sollicitudine eorum, quæ mundi sunt, libere cogitant, quæ Dei sunt: quorum unus assumitur, quia propter Dominum continere studet, alter relinquitur, quia pro humana laude, vel alia mala intentione continet. Significatur autem per tres viros quos vidit Ezechiel c. 140. 14. liberaturos animas suas per justitiam, scilicet Noe, qui arcam rexit, prælatos, sive rectores Ecclesiæ significat, Daniel continentes, Job conjugatos.

Præterea, si ibi describitur numerus salvandorum, & de iis dicitur: *hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati &c.* nullus ergo qui fuit in matrimonio carnali, vel qui cum muliere coinquinatus fuit salvatus.

Præter prædicta testimonia quibus utitur hæreticus ad matrimonium contemnendum, utitur etiam testimonio quodam Veteris Testamenti. Levit. 15. *Qui coiverit cum uxore sua immundus erit usque ad vesperam*.

Legitur etiam Ex. 19. v. 15. *Estote parati in diem tertium, & ne approquinquetis uxoribus vestris*. Super hæc dixit hæreticus. Si illi Veteris Testamenti qui appropinquabant uxoribus, immundi erant, quanto magis illi de Novo Testamento?

Sol. ad hoc ultimum est quod Ex. 19. propterea prohibitum fuit eis appropinquare uxoribus suis, non quia peccatum esset eis appropinquare, sed propter majus bonum, ad quod eos invitabat; scilicet ad reverentiam legis, & dignitatem ejus ostendendam, jubebat eis etiam ab eo quod erat licitum abstinere ad tempus. Fuit etiam istud factum ad ostendendum, quod lex Dei amori uxoris præferenda est. Non sic ille qui vocatus ad cœnam noluit venire. Cœna illa lex Divina: *Non enim in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei* Matth. 4. v. 4. fuit ergo illud mandatum in figuram, qua figuraretur lex Dei præferenda uxori.

Ad illud quod objicitur de Levitico, dico quod non est verum, quod jacens cum uxore sua esset immundus usque ad vesperam: hoc nusquam reperies; concedo tamen quod immundus erat, quando jacebat cum ea patiente menstua, ignoranter tamen, peccatum enim erat ei jacere cum menstruosa, etiam ignoranter, quia forte non adhibuerat diligentiam, quam poterat. Si enim scienter cognovisset, peccasset mortaliter. Ita etiam dicunt Judæi.

Præterea dico tibi, illa immunditia non erat spiritualis, sed tantum corporalis, non enim erat peccatum, dummodo uxor ejus non pateretur menstrui sanguinis fluxum.

Objicit etiam hæreticus illud David Psalm. 10. v. 1. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*; materialis ergo conjunctio viri cum uxore iniqua est, & peccatum.

Solutio. Illa iniquitas, & peccatum, non est referenda ad parentes, sed ad prolem; non enim dixit esse in iniquitatibus suis, sed meis, quasi diceret, ego cum fui conceptus, fui in iniquitatibus peccati originalis, & statim cum mater mea peperit me, fui in peccatis originalibus; & hoc est quod dicit Ap. Eph. 2. v. 3. *Eramus natura filii iræ*, idest a nativitate, hoc est a tempore quo nati sumus in utero, vel ex utero. Unde autem veniat peccatum originale dictum est supra in hac eadem parte hujus operis in cap. de baptismate.

Istud autem sciendum, quod hic ablativus *natura* non dicit causam iræ Dei, nativitas enim in utero, vel ex utero, non est causa iræ Dei, sed peccatum originale, notat tamen ille ablativus concomi-

mitantiam, esse enim filium iræ Dei concomitatur illam nativitatem, in his, qui non replentur Spiritu Sancto ex utero matris suæ.

§. II.

Solvuntur rationes quas contra hoc Sacramentum congerunt hæretici.

NOn solum autem testimoniis Scripturarum, sed etiam rationibus quibusdam phantasticis innitebatur hæreticus, & dicebat: Si conjugati aliqui filii Dei sunt, & membra Christi, & templum Spiritus Sancti, & si matrimonium est bonum, & sanctum, quomodo generant homines ex se, & ex matrimonio filios diaboli?

Præterea, si essent Dei filii, deberent generare filios Dei; pueri vero filii diaboli sunt, quod videtur ex eo, quod dicit Ap. Eph. 2. v. 3. *Eramus natura filii iræ*.

Præterea, si fructus malus est, & arbor mala est, sed fructus matrimonii malus est, scilicet puer, qui est in peccato originali natus ex matrimonio; ergo matrimonium malum est. (17)

Solutio. Ad primum dico, quod pueri filii Dei sunt quoad esse suum, quo autem ad peccatum originale non sunt filii Dei, imo filii iræ Dei, quod eis iratus existit, quoad hoc, quia si non baptizantur, & moriantur, sic Deus non dat eis gloriam suam, omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei; idest omnes peccatum originale contraxerunt ex Adam, propter quod egent Dei gloriosa misericordia.

Ad illud, quod dixit hæreticus, quomodo boni parentes generant filios diaboli, caute respondendum est, & dicendum ei, per quem modum velit dicere puerum esse filium diaboli, vel quoad esse, vel quoad generationem essentiæ ejus, vel quoad potestatem nocendi ei, vel quia in eo sit, vel quia est filius peccati, & habens in se peccatum, cujus prima origo fuit diabolus, quia fuit origo peccati Adæ, qui fuit origo generis humani? Si primis quatuor modis, dico non est verum; si ultimo modo, dici potest, quod aliquid in eo habet, scilicet peccatum originale, cujus prima origo vere diabolus fuit: tamen pater & mater pueri non generant filium diaboli, idest peccati: generant quidem filium, sed non filium peccati, vel diaboli, idest generando eum non faciunt, quod sit filius illius, non enim ex concubitu patris & matris est habens illud peccatum, sed ex peccato primorum parentum, quod ex diaboli suggestione processit; unde & peccatum originale exivit ex eadem suggestione.

Ex his patet solutio ad ultimum objectum, puer enim in quantum est habens peccatum originale, & in quantum malus illo peccato, non est fructus matrimonii, sed peccati primorum parentum. Quomodo autem intelligenda sit auctoritas illa, *eramus natura filii iræ*, expositum est supra.

[*] Item objiciet: Puer nascitur de peccato; ergo actus matrimonialis peccatum est.

Resp. Ubi invenis, quod de peccato natus sit? Hoc nusquam reperies.

Præterea, de quo peccato dicis eum natum? Si de concubitu parentum: Dico non est verum, quod ille sit peccatum.

Si autem dicas illud contra me: *in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*. Psal. 50. v. 7.

Dico: non dixit de iniquitatibus, sed in iniquitatibus, idest cum eis, & loquitur in persona humani generis, quia nascitur cum originali in utero matris, & ex utero similiter. De hoc etiam supra habitum est parum ante. [*]

Ad illud autem, quod dixit, si conjugati essent filii Dei deberent generare ex se filios Dei, dico: quod non est verum, parentes enim nec possunt conferre, nec conferunt eis nasci nativitate spiri-

(17) Simile quidpiam ex Catholicorum doctrina colligit Beausobrius *l. c. num.* 4. Concludi namque ex ea posse contendit matrimonii damnationem. Nam pugnant, inquit. 1. Catholici animam esse substantiam spiritualem, immortalem, & a corpore discrepantem. 2. Deum creare immediate animam, puram, sanctam, & omnino innocentem. 3. Virtute legis a Deo jam inde ab initio constitutæ, statim atque corpus est satis apte suis instructum organis, creari a Deo animam, quæ corpori vitam communicet, conjungi porro eam corpori ita, ut duæ substantiæ unum compositum, personamque unam constituant. 4. Animam innocentem, sanctamque in sua origine, ubi conjuncta corpori est, infici originali peccato, subjici morti æternæ, atque a manibus Dei excedere, transireque in diaboli potestatem. His positis sic argumenti concludit sententiam: qui fieri potest, ut ea probetur institutio, quæ animam puram constringit corpori infecto conjungi, & vitiari? Quod si hæc non officiunt, quo minus matrimonium a Catholicis probari quis dicat, ne opiniones quidem Manichæorum in caussa esse poterunt, cur ab illis nuptias fuisse damnatas putemus. Sed res est omnino dissimilis. Nam Manichæi nuptias damnabant, ut ostensum est *Notatione* I. falsis hisce, atque hæreticis rationibus ducti. I. Quod caro mala sit, a malo Deo condita. 2. Quod scelus sit virtutem Dei in materia detinere, atque ita impedire materiæ malæ destructionem. 3. Nefas esse naturam malam, animæ, seu virtute, ut ajebant Dei, colligere. *Vide Not.* I. Catholici contra, & corpus, & animam bonam esse, & a Deo procreatam defendunt. 4. Animam quidem puram a Deo condi; sed permissu Dei, ob peccatum primorum parentum, simulatque conjungitur corpori vitiari peccato originali; quod ita in scripturis, præsertimque in Pauli Epistolis legant, vetusque Ecclesiæ traditio postulet, veluti jam a multis demonstratum est. Provisum autem jam usque a principio fuisse, ut Sacramentis hoc tantum malum tolleretur; ut quemadmodum per unum hominem peccatum intravit in mundum, per alium etiam hominem simul ac Deum Christum gratia conferretur, excindereturque peccatum. Non ergo malas esse nuptias, sed bonas, quod Christus eisdem interfuerit, quod Paulus eos insectetur, qui nubere prohiberent, quod alioqui genus humanum interiret. Etsi autem ratione naturæ intelligi peccatum originale nequeat, credendum tamen esse, propterea quod Scriptura divinitus revelata illud dari confirmet. Nam in rebus nostræ religionis non tam rationis, quam auctoritatis momenta quærenda sunt. Quod si ex Catholicorum sententia sequitur malas esse nuptias, sequatur item ex Pauli doctrina necesse est, qui peccatum originale passim commemorat. Id autem non placet Beausobrio. Jam vero quamvis ratio non perciperet quemadmodum jungi peccatum originale cum licito matrimonio possit, non inde continuo sequeretur alterutrum: nempe aut non dari peccatum ejusmodi, aut nuptias esse reprobandas. Etenim si res naturæ ratio ipsa quomodo nectantur nequit percipere, ut est animæ, seu spiritus cum corpore nostro conjunctio; nec tamen inde concluditur falsum esse animum esse corpori nostro conjunctum, quod vis ingenii nostri limitata sit, neque consilia, rationesque Creatoris homo perspectas habere possit; multo minus in rebus revelatis, quæ vim notionemque nostram superant, hoc sibi jus tribuere quisquam debet, ut falsa esse putet, quæ unius rationis præsidio percipere ipse non possit.

(**) Desunt hæc in *Bon.* & in *Vatic.*

tuali, ſive nativitate gratiæ, cum homo non det gratiam, unde 1. Cor. 3. v. 7. *Itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus*, ut oſtenſum eſt in cap. de Baptiſmo.

Ad huc etiam nititur hæreticus matrimonium reprobare dicens: quod Eccleſia Romana puerperam immundam judicat, & quaſi paganam uſque ad Miſſam diei ultimæ ſuæ purificationis.

Item dicit, quod puer, qui inde naſcitur, cum dœmone naſcitur.

Item dicit, quod Eccleſia Romana non facit differentiam inter pueros natos ex matrimonio, & alios, qui non ſunt nati ex eo, imo ambos judicat malos, unde videtur, quod non ſit differentia inter matrimonium, & non matrimonium, ſed utrumque malum ſit.

Solutio. Mulier puerpera non cenſetur immunda ab Eccleſia Romana immunditia ſpirituali, quæ eſt peccatum, ſed quadam immunditia materiali menſtrualis ſanguinis, propter quam honeſtum eſt, quod abſtineat ab ingreſſu Eccleſiæ, uſque dum purificetur; ſed non eſt illicitum ei ante ingredi Eccleſiam, tamen quod non ingreditur, hoc fit ad imitationem Matris Chriſti, nec cenſetur tanquam pagana, & licitum eſt viro ad eam accedere, poſtquam ceſſaverit menſtruus ſanguis effluere.

Quod autem dixiſti, quod puer naſcitur cum dœmonio, dico falſum eſt, proba hoc.

Si objicies, quod Eccleſia in exorciſmo dicit; *Exi ab ea Spiritus immunde*, hoc ſolutum eſt in cap. de Baptiſmo.

Ad illud, quod dicis, quod Eccleſia Romana non facit differentiam, inter pueros natos ex matrimonio, & alios qui non ſunt nati ex eo, imo ambos judicat malos: dico quod verum eſt quoad peccatum originale, quod in utroque eſt, nec debet ibi differentiam facere, quia non eſt ex concubitu matrimoniali, vel non matrimoniali peccatum originale, ſed quia *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit* ad Rom. 5. v. 12.

Adhuc etiam vituperat matrimonium propter varietatem Eccleſiæ circa ipſum, prius enim ſtatuerat, quod in ſeptimo gradu, & infra non contraheretur matrimonium, & ſi contrahebatur nullum erat, modo autem conſtituit, ſcilicet in Concilio Lateranenſi, quod a quarto ſupra eſſe poſſit: eadem ratione poſſet adhuc deſcendere, uſque ſcilicet ad ſecundum gradum: quod concedo, licet enim Eccleſiæ pro diverſitate temporum aliquid ſtatuere, prout neceſſitas vel utilitas requirit, ut patebit in 5. p. hujus operis, in cap. utrum Eccleſia poſſit facere Conſtitutiones. Nonne & tu aliqua habes ſtatuta, quæ tamen ex Novo Teſtamento, aut ex alia Scriptura non potes oſtendere proceſſiſſe? Nonne & Chriſtus varia dedit decreta in Novo Teſtamento? Utique.

§. III.

Oſtenditur Matrimonium eſſe licitum, bonum, & ſanctum, & primo contra ponentes unum principium.

NUnc ad ſecundam hujus capituli partem de Matrimonio accedamus, oſtendentes divinarum teſtimoniis Scripturarum, quod matrimonium licitum eſt. In primis autem dico, quod matrimonium non eſt præceptum, alioquin nullus poſſet ſalvari ſine ipſo, ſed indultum eſt, ideſt conceſſum eſt, ita tamen, quod qui poteſt capere alteram partem, capiat, ſi ei placet(18) Cauſæ autem principales quibus matrimonium contrahitur, & debet contrahi, duæ ſunt, una eſt fornicationis vitatio, unde 1. Cor. 7. v. 2. *Propter fornicationem autem, unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum virum habeat*. Alia eſt filiorum generatio ad Dei honorem, unde 2. Tim. 2. v. 15. *Salvabitur autem per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate.*

Iſtam partem dividimus in tres partes, in prima loquimur contra eos, qui ponunt unum Creatorem; in ſecunda contra illos, qui ponunt duos; in tertia communiter contra utroſque.

Sciendum autem, quod hæretici, qui unum ponunt principium dicunt Apoſtolum loqui de matrimonio carnali, ſed non loquitur his, qui ſunt intra Eccleſiam, imo his, qui extra ſunt adhuc, ſcilicet qui nondum receperunt manus impoſitionem.

[*] Dicamus ergo eis in primis, quod falſo accuſant matrimonium, cum enim Deus æque potens ſit ut a principio mundi, & poteſt, & potuit creare novos ſpiritus, ſicut prius fecit; noluit tamen numerum angelorum ſuorum, qui fuerat diminutus inſtaurare, novos angelos creando, ſed tot aſſumendo de illis, qui ex concubitu maris, & fœminæ naſcuntur, quot angeli peccaverunt; quare ergo audes dicere illud opus eſſe malum in matrimonialiter conjunctis, cum Dominus per illud elegerit inſtaurare numerum prædictum? Quis enim ſapiens homo, & potens eligeret per immundum opus, rehabere, quod æque facile, vel facilius poſſet habere per mundum opus? [*]

Item 1. Cor. 7. v. 1. & 2. *Bonum eſt homini mulierem non tangere: propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum virum habeat*: Quomodo tu vis intelligere illud verbum: *propter fornicationem*? Nunquid ſic, ideſt propter fornicationem vitandam, ut verum eſt? Si hoc dicas, ergo in matrimonio non eſt fornicatio, & ita coitus viri cum uxore ſua non eſt fornicarius.

Si

(18) Multis Catholicos noſtros vexat Beauſobrius. Etenim *num.* VIII. *libri & cap.* ante judicati, retorqueri in eos poſſe dicit, quod ipſi Manichæis opponebant, hos nempe eſſe inimicos naturæ, & propagationis generis humani. Nam Catholici quoque, inquit, ſuos Epiſcopos, & miniſtros deterrent a matrimonio. Errat vehementer. Manichæi reprobabant matrimonium, ut *prima in hoc cap. notatione* animadverti. Itaque quod ad ipſos attinebat, tollebant propagationem generis humani. Catholici matrimonium probant, bonumque eſſe contendunt. Sanctius autem putant eſſe Sacris addictos a matrimonio ſibi temperare; Paulum auctorem ſequuntur. Ergo ſi hoc in Catholicos argumentum retorqueri poteſt, intorquebitur item in Paulum; qui cum optet alios, ut ſint, ſicut ipſe eſt, nempe ſine uxore, diriſque devoveat viduas; ſacris deditas, quæ rurſum nubendo irritam faciunt ſuam profeſſionem, carpit tamen hæreticos futuros, qui nuptias eſſent prohibituri.

[*] Quæ duobus aſteriſcis comprehendimus, deſunt e *Codd. Bonon. & Vat.*

Si autem vis dicere, quod fic intelligendum eft, ideft propter fornicationem faciendam, hoc non eft credibile, quod Ap. Corinthios moneret ad matrimonium propter hoc faciendum, quod probatur propter hoc, quod parum fupra Ap. dixerit: *Fugite fornicationem* c. 6. v. 18.

Item adhuc parum fupra v. 13. oftendit, quod fugienda eft fornicatio, ubi dixerat: *Corpus autem non fornicationi, fed Domino: & Dominus corpori*; facere autem iftud docet propter fructum gloriofæ refurrectionis a Deo habendum, unde fubdit v. 14. *Deus autem & Dominum fufcitavit, & nos fufcitabit per virtutem fuam*; *nos* dicit; ideft corpora noftra, de quibus dixerat, quod Dominus debetur corpori, quod fatis examinatum eft in cap. de refurrectione.

Item adhuc dicit Ap. dehortans a fornicatione: *Nefcitis quoniam corpora veftra membra funt Chrifti? Tollens ergo membra Chrifti, faciam membra meretricis?* v. 15.

Item aliquantulum fupra per damnum dehortatur a fornicatione dicens, v. 9. & 10. *Nolite errare: neque fornicarii .... neque adulteri .... Regnum Dei poffidebunt*.

Item dehortatur a fornicatione Ap. propter fupplicium æternum, quod imminet eis, qui fornicantur; unde Hebr. 13. v. 4. *Fornicatores enim & adulteros judicabit Deus*; ideft damnabit, unde Ap. 21. v. 8. *Fornicatoribus ..... pars illorum erit in ftagno ardenti igne, & fulphure*.

Ecce quam follicitus eft Ap. monere fugere fornicationem. Non eft ergo credendum, quod diceret unufquifque fuam uxorem habeat propter fornicationem faciendam.

Si autem dicas, quod iftud eft indulgentiæ, fcilicet permiffionem, qua permittebat eis minus malum, ne facerent pejus: Imo voluntatis ejus erat, ut oftendam inferius, quod matrimonium carnale facerent; ergo non erat malum nec minus, nec majus alioquin iftud nunquam vellet Ap. Sic ergo non erat tantum permiffionis, quod unufquifque fuam uxorem haberet, & e contrario, fed etiam voluntatis.

Quod autem voluntatis ejus effet matrimonium aliquarum perfonarum, patet 1. Tim. 5. v. 14. *Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matres familias effe &c.* de quo etiam dicemus inferius.

Præterea, fi matrimonium indulgentiæ eft, qua minus malum permittitur, ne fiat majus, minus ergo malum eft cum uxore, quam cum non uxore.

Contra: quare dicitur aliquid malum, nifi quia eft contra mandatum Dei? Nunquid cognofcere uxorem eft minus contra mandatum Dei, quam cognofcere concubinam propriam? Non, eadem enim prohibitione prohibetur utrumque fecundum te, illa fcilicet, *non mæchaberis*.

Forte dices, quod malum dicitur aliquid quia nocivum eft, quod etiam verum eft: Sed dic mihi, nunquid magis eft nocivum unum, quam alterum? Non; quia fi cognofcit concubinam, vel uxorem, & fic decedit, æquale damnum patietur, amittet enim Regnum Cœlorum, & æqualem gloriam, fupplicium etiam æquale habebit in ftagno inferni, quia tu ponis pœnas æquales, & glorias; ergo non erit magis nocivum unum, quam aliud; ergo non majus malum propter hoc.

Præterea, fi Deus eft Judex juftus, & unum eft majus malum; ergo magis punit illud, quia *reddet unicuique fecundum opera ejus*, ut habetur Ro. 2. v. 6. Si autem indulgentiam vis fumere pro conceffione voluntaria, ficut etiam fumi debet; ergo matrimonium non eft malum, nec actus matrimonialis malus, cum fit ab Ap. voluntarie conceffus.

Præterea tu hæretice dicis, quod de illis loquitur, qui extra Ecclefiam funt. Oftende hoc aliquo teftimonio, quod non potes facere: Obmutefce ergo.

Præterea, quomodo iftud dicere aufus eft? Scribebat enim *Ecclefiæ Dei quæ erat Corinthi fanctificatis in Chrifto Jefu* c. 1. v. 2., & non aliis.

Item illud dixerat: *Fugite fornicationem*; quibus locutus eft hoc? Nunquid illis, qui funt intra Ecclefiam, vel extra? Si illis qui extra, quomodo poteft hoc ftare cum dicat eis: *An nefcitis quoniam membra veftra templum funt Spiritus Sancti, qui in vobis eft, quem habetis a Deo, & non eftis veftri?* c. 6. v. 19. Illos ergo quos monuerat fugere, fornicationem, moneret facere fornicationem, fi ita effet intelligendum verbum Ap. *propter fornicationem &c.* ut dixifti.

Forte dices, quod iftud modo de aliis dixit, ideft de illis, qui funt extra.

Contra, nonne dicit illis c. 7. v. 5. *Nolite fraudare invicem, nifi forte ex confenfu ad tempus, ut vacetis orationi?* Si ifti debebant vacare orationi, & erant conjugati illi, de quibus dictum eft, v. 2. *propter fornicationem autem unufquifque fuam uxorem habeat &c.* ergo tales vacant orationi fecundum te; ergo non funt extra Ecclefiam, quod verum eft, & Ap. docet eos, quomodo poffunt complere illud mandatum, *fugite fornicationem*, fcilicet per matrimonium, fi nolunt continere ex toto, vel per virginitatem, vel etiam per viduitatem, de quibus loquitur in eodem cap.

Item poft illa verba *propter fornicationem autem &c.* dicit eis v. 3. *Uxori vir debitum reddat, fimiliter autem & uxor viro*. Ego dico, quod Ap. affignaverat caufam conjunctionis viri cum uxore, quæ caufa ad virtutem temperantiæ pertinet, fcilicet fornicationem vitare; modo autem affignat aliam caufam ad juftitiam pertinentem, cum dicat, *uxori vir debitum reddat* & e contrario, hoc enim juftitiæ eft: primum fuit conceffionis puræ, *propter fornicationem &c.* Iftud vero præcepti, fcilicet debitum carnale reddere: fed nunquid id præciperet Ap. fi malum effet? Abfit.

Si dicas, quod non præcepit, fed permifit. (19)

 Imo

(19) Ita Tertullianus Catholicis opponebat, fecundas nuptias reprobans, pofteaquam ad Montaniftas deflexit *lib. de Pudicitia Cap.* VI. Etenim poft Pauli verba. *Sed propter fornicationem unufquifque uxorem fuam habeat, vir uxori, & uxor viro debitum reddat*. „ Hujus boni fibulam, *inquit*, quis illum nefciat invi„ tum relaxaffe; ut fornicationi obviam effet; quam ficuti indul„ fit, vel indulget, utique confilium remedii fui infregit: tene„ bitur jam frenandis continentiæ conjugiis, fi fornicatio, ob „ quam permittuntur, non tenebitur &c. Sed præclarè hoc refponfi genus refellit Moneta. Vide Clementem Alexandrinum *lib.* III. *Stromateon n.* XII. *Edit. Oxonienfis*.

Imo dicebat, quod redderent invicem debitum carnale, & allegabat causam & rationem reddendi dicens v. 4. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*, quasi diceret viro debetur, quod viri est, & e contrario.

Item v. 5. *Nolite fraudare invicem*. Ecce quod Ap. dicit, quoniam fraus esset subtrahere. Ecce quomodo allegationibus suis inducebat ad debitum illud reddendum; ergo vel præcipiebat, vel ad minus consentiebat eis in reddendo debitum illud, quod non fecisset, si peccatum esset, dicit enim Rom. 1. v. 32. *Qui talia agunt digni sunt morte; & non solum, qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*.

Quod autem loquatur de debito corporis, patet ex illo verbo Ap. *Mulier sui corporis potestatem non habet &c.* quasi diceret ideo debet ei dare corpus suum, & e contrario, & si auferret ei, fraudem faceret.

Nec obstat mihi illud, quod dicit Ap. Rom. 8. v. 12. *Debitores sumus non carni* ut habitum est supra in prima parte hujus cap.

Dixit autem hæreticus, quod istud debitum intelligitur non pro dicto debito, sed quia debet providere uxori in victu, & vestitu; uxor autem viro in custodia domus, in suendo vestes ejus, in lavando ei caput, & præparando ei cibos.

Sed hoc non potest stare, quia ut patet ex litera, Ap. debitum appellavit corpus.

Præterea dic mihi, quo jure alter alteri tenetur ad hoc, nisi quia unus est vir, alia vero uxor ejus? nullo alio: primo enim dicit Ap. quod cohabitent, unde *propter fornicationem &c.* postea dicit: *Uxori vir debitum reddat*, quasi diceret, ex quo conjuncti sunt tanquam vir, & uxor, ad debitum hoc tenentur.

Præterea si ista non esset uxor ejus, & ille vir istius, non teneretur alter alteri ad hoc; ergo ex lege matrimonii est; quod etiam patet per Ap. in fine illius cap. v. 39. *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit*. Item Rom. 7. v. 2. *Quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi*; ergo hoc ex lege matrimonii, sed nunquid ex matrimonio, si opus diaboli esset, obligaretur alter alteri in hac re quo ad Deum? Non: ergo matrimonium illud a Deo est; non ergo est malum.

Præterea, si uterque tenetur alteri in hoc, ergo si unus alterum volentem sine carnali debito stare relinquit sine consensu ejus, peccat, quod inferius improbabitur. Tamen modo dico, quod Ap. allegabat hanc rationem reddendi debitum, *quia vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier*. Dic mihi, unde habet mulier istam [*] segnoriam corporis viri, & e contrario? si a Deo sancto, & non nisi per matrimonium, quo fiunt vir, & uxor; ergo matrimonium illud a Deo sancto est; si autem non a Deo sancto habent illam, ergo per eam non obligabitur alter alteri ad id, quod dixisti; ergo non peccaret, si hoc non faceret ei; constat autem, quod peccaret; ergo potestatem illam habet a Deo Sancto alter in corpus alterius; ergo matrimonium bonum.

Item dicit Ap. *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi*; si istud intelligitur de debito corporis absque consensu alterius, ut verum est: fraus ergo esset subtrahere debitum corporis absque consensu alterius; ergo peccatum; ergo oppositum bonum, scilicet conjunctio carnalis ad invicem.

Præterea, ad tempus vacando orationi ex communi consensu, non subtrahit debitum prædictum vir uxori, scilicet victum, & vestitum, ergo non intelligebat de illo debito, cum illud debitum, de quo Ap. locutus est, subtrahatur ex communi consensu vacando orationi ad tempus.

Præterea dicit: *Et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram*, idipsum dicit, idest corpus suum dandum invicem, de quo & dixerat, *nolite fraudare invicem*, & quare debeant reverti dicit: *ne tentet vos Satanas, propter incontinentiam vestram*, idest quando non vultis continere penitus, ergo conjunctio carnalis viri cum uxore tollit tentationem Satanæ; ergo ipsa non est opus Satanæ.

Dixit autem hæreticus, quod Ap. non præcepit istud, nec consuluit, sed tantum permisit dicens: nonne ad illud opus avidissimè redeunt?

Resp. imo quando unus alium abhorret, & non vult Corpus suum ei dare.

Præterea supra ostensum est, quod istud non est tantum permissionis illius, quam ponit hæreticus, imo concessionis voluntariæ 1. Tim. 5. v. 14. *Volo ergo juniores nubere &c.*

Dixit hæreticus quidam, quod reverti in idipsum, est reverti ad orationem.

Quod dictum non posset stare secundum Ap., qui dixerat: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi*, completo autem tempore orationis monet iterum reverti ad debitum illud, quodcumque fuerit.

Præterea, reverti ad orationem imperii est, non tantum indulgentiæ; ergo male dixit Ap. cum dixit v. 6. *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium*; si revertimini in idipsum, est reverti ad orationem.

Item quomodo audes tu dicere, quod matrimonium carnale malum sit, cum Ap. dicat, quod esse in illo sit donum Dei, sic enim ait: v. 7. *Volo enim omnes vos esse sicut me ipsum: sed unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius vero sic*: dixerat prius: *Uxori vir debitum reddat*, modo autem dicit, quod vellet omnes homines esse omnino castos, sicut ipse erat, & subdit: *Sed unus quisque*, scilicet, qui continet omnino sicut ego, & qui ducit uxorem, *proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic*, idest sicut ego in omnimoda castitate, alius vero sic in matrimonio, & ita conjugium donum Dei est.

Ad istud respondit hæreticus quidam sic: alius quidem sic, idest sicut ego omnino est castus, alius vero sic est, idest fidem habet, quæ est donum Dei.

Sed hæreticus iste in hoc sibi non cavit. Si enim ita esset; ergo fides proprium donum esset illius respectu Pauli, vel ejus qui esset sicut ipse erat, nec commune utrique, quod omnino falsum esse manifestum est.

[*] Hoc est: Dominium.

Item

Item v. 8. & 9. *Dico autem non nuptis, & viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego. Quod si non se continent nubant. Melius est enim nubere, quam uri.* Ecce concedit eis nubere, ergo non est malum, non enim loquitur permissive ut ostensum est prius. Exponit autem Ap. dictum suum *volo enim omnes vos esse sicut me ipsum*, ostendens de quibus loquitur, quia tantum de solutis, non de his omnibus, ut patet per literam Ap.

Item dicit, quod *melius est nubere quam uri*. Quomodo vis tu sumere uri, nisi quomodo ardere igne luxuriæ? Uri ergo idem est, quod luxuriari; ergo cum Ap. dicit *melius est nubere quam uri*, manifestum est, quod ipse intendit, quoniam nubere non est luxuriari.

Præterea dicit *melius est &c.* quomodo vis tu exponere melius? Si per minus malum, hoc esse non potest, quia nubere secundum te est mæchari; eadem ergo prohibitione prohibetur uxor, & quælibet alia mulier, unde de qualibet muliere intelligis illud verbum Matth. 5. v. 28. *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo*; ex qua auctoritate patet, quod una & eadem mæchia est; ergo non est minus malum.

Præterea æqualiter nocet, ut ostensum est prius super illud verbum *propter fornicationem &c.* ergo æqualiter malum.

Item æquali pœna ferietur; ergo vel Deus non est justus, vel illud æquale malum est, si malum est. Ex his patet, quod non potest sic intelligi, melius, idest minus malum; debet ergo sic intelligi, sicut etiam illud 1. Petri 3. v. 17. *Melius est enim benefacientes (si voluntas Dei velit) pati, quam malefacientes*, idest istud bonum, uri autem malum; ergo matrimonium bonum.

Præterea, quod non possit sic exponi, idest minus malum, patebit super illo verbo inferius. *Et si nupserit virgo non peccavit*. 1. Cor. 7. v. 28.

Item dicit Ap. postea v. 10. & 11. *Iis autem qui matrimonio juncti sunt præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari: & vir uxorem non dimittat.* Superius locutus est non conjunctis, modo loquitur junctis, & dicit, quod præceptum Dei est, quod non discedat unus ab alio; ergo præceptum Dei est, quod commaneant, ergo commanere est in statu salutis; ergo matrimonium bonum.

Ad hoc dixit hæreticus, quod hoc intelligendum est sub conditione, *si nolunt continere*.

Contra. Ergo si nolunt continere præcepit Dominus ut commaneant: sed commanere sine continentia peccatum est, & malum, atque prohibitum; ergo Dominus præcepit eis, quod prohibuit, & peccatum, & malum.

Præterea, nunquam præciperet Dominus eis hoc, cum sit malum, & contra salutem.

Dixit autem alius hæreticus sic: non discedere ab administratione, sed a concubitu.

Hoc autem improbatum est super illud verbum *propter fornicationem &c.*

Præterea, quomodo hoc præciperet, cum ipse dicat Mat. 19. v. 29. *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit?*

Præterea, ubi præcepit hoc Dominus nisi Matt. 19. v. 6. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet?* Et de hoc inferius dicemus.

Item 1. Cor. 7. v. 12. *Nam cæteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam*, similiter & e contrario. Quasi diceret: ubi uterque fidelis est, illud præceptum Domini dedi, ubi autem non est uterque fidelis, imo cum essent ambo prius infideles, scilicet vir, & uxor, alter conversus ad fidem etiam reliquo nondum converso, hoc moneo, quod est lucrandi occasio: *Si quis frater &c.* Ecce monet commanere. Ad quid autem commaneant vir, & uxor notum est; ergo non est præceptum; ergo non est contra salutem.

Præterea. Nunquid iste est intra Ecclesiam? Ostendo quod sic. Frater est, & fidelis; ergo intra est. Quod etiam probatur per illud, quod sequitur v. 14. *Sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem*; ergo ille bonus est, cum per eum sanctificetur mulier infidelis. Si autem iste est intra Ecclesiam, qui tenet uxorem infidelem; multo fortius qui tenet fidelem; ergo illi de quibus dictum est v. 10. *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt* &c. sunt ambo intra Ecclesiam, & boni; ergo matrimonium bonum.

Item v. 25. & 26. *De Virginibus autem præceptum Domini non habeo: consilium autem do tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem.* Vide quod dicit Ap. quod de Virginibus non habet præceptum Domini, quod contineant. Dominus ergo nusquam præcepit continentiam Virginibus; ergo si nubunt, & non continent, non veniunt contra aliquod Dei præceptum. Quod autem non est contra Dei præceptum, non est contra salutem; ergo non continere non est contra eam. (20)

[*] Forte dicet hæreticus; præceptum Domini non habeo, quod nubant.

Hoc autem stare non potest. Vult enim dicere Ap. illud præceptum, quod non habeo a Domino non do eis, sed consilium do de eo; ergo dat consilium, de quo non habet præceptum, scilicet de non nubendo. Et quod ita sit intelligendum patet, quia de jam conjunctis dixerat v. 10. *Iis autem qui matrimonio juncti sunt* &c. de illis ergo habebat præceptum Domini, quod tenerent matrimonium, sed de Virginibus dicit se modo non habere præceptum.

Præterea. Si vis dicere, quod non habet præceptum, quod nubant.

Res-

(20) Consulitor Sanctus Irenæus *lib.* IV. *Contra hæreses cap.* XI. *num.* 2. S. Clemens Alexandrinus *lib.* III. *num.* XII. *Contra Marcionem*.

(*) Quæ duobus asteriscis contenta vides, desunt e *Cod. Vat. & Bonon.*

Respondeo. Nunquid & quod non nubant? Si hoc concedas; ergo bona est expositio mea, hæc scilicet: *præceptum Domini non habeo*, scilicet quod non nubant.

Si dicas, quod Ap. habet præceptum, quod non nubant a Domino: dic ubi præcipit hoc Dominus de Virginibus?

Præterea, si modo dedit eis præceptum, quomodo audet dicere Ap. v. 28. *Si nupserit virgo, non peccavit?*

Præterea dicit v. 8. & 9. *Dico autem non nuptis, & viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego. Quod si non se continent nubant.*

Item in fine v. 39. & 40. dicit de vidua: *Cui vult nubat: tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium.* [*]

Præterea. Dicit: *Consilium autem do tanquam* &c. Duplex est causa quare dat istud consilium continendi ex toto: una est fidelitas ejus, quia erat fidelis dispensator talenti sibi traditi, non avarus detentor, vel invidus, qui volebat omnes homines esse sicut seipsum. Alia est utilitas eorum quibus dat istud consilium, unde ait: *propter instantem necessitatem*, idest propter curam, & penuriam, quæ sæpe conjugatis instat, vitandam.

Hæreticus autem exponit dicens: *Existimo ergo hoc*, idest continere, *bonum esse propter instantem necessitatem*, idest quia homini volenti se salvare instat necessitas continendi.

Hoc autem stare non potest, cum ostensum sit, quod non continere non est contra præceptum Dei, nec contra aliquam ejus legem. *Ubi autem non est lex, nec prævaricatio*. Rom. 4. v. 15.

Sequitur v. 27. *Alligatus es uxori? Noli quærere solutionem*. Ecce quod prohibet divisionem, unde supra v. 10. *Iis autem qui matrimonio juncti sunt* &c. (21)

Addit tamen hæreticus, si non vis continere.

Sed quis hoc crederet, quod Dominus, vel Apostolus ejus præciperet alicui, si tu non vis continere, præcipio tibi, quod non contineas, si hoc esset contra salutem: vel si non vis continere ab alia, præcipio tibi, quod non contineas cum illa?

Sequitur: *Solutus es ab uxore? Noli quærere uxorem*. Primum *noli* fuit prohibitivum ut patet ex illo verbo: *Iis autem qui matrimonio &c.* istud autem consultivum, unde supra v. 25. *De Virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do &c.*

Sequitur v. 28. *Si autem acceperis uxorem non peccasti. Et si nupserit virgo non peccavit.*

De hoc autem dixit hæreticus: quoniam hoc ideo est, quia antequam venirent ad Ecclesiam non fecerunt contra prohibitionem, & legem aliquam, quæ nondum sibi data erat.

Ad hoc opponas, & dicas sic: prohibitio a Deo non erat sibi data, ut patet supra; *De Virginibus autem &c.* Ergo non erat contra salvationem; omne autem, quod contra eam est, prohibitum est a Deo; ergo poterat salvari non continendo, dummodo non faceret votum continendi omnino. Modo ponatur, quod aliquis veniat ad vos, & dicat se omnia servare velle excepto hoc, quod non vult continere, cum non sit prohibitum, nec contra salutem; quæro ego: negas ei salutem non recipiendo eum ad manus impositionem? Vide etiam o miser tuam hæresim, quia non solum non peccavit; imo & bene fecit sicut dicit Ap. inferius v. 38. *Qui matrimonio jungit Virginem suam, bene facit*. Quid amplius potest dicere Ap., quam istud, scilicet quod nubere non est peccatum, imo bonum?

[*] Præterea, quod nihil sit illud, quod dixisti, de præterito loquitur, & pro eo quod extra Ecclesiam, patet in fine cap. de vidua, de qua dicit Ap. v. 39. *Cui vult nubat, tantum in Domino*; matrimonium ergo carnale est eorum, qui sunt intra Ecclesiam, quia in Domino.

Præterea dixit: si quis ante votum religionis uxorem accepit, non peccat, scilicet peccato prævaricationis, ubi enim non est lex, nec prævaricatio; & tamen peccat.

Sed contra. Dic mihi, quid est peccare, nisi contra legem facere aliquid? aliter enim non cognoscitur aliquid esse peccatum, nisi per legem ut habetur Rom. 7. v. 7. ergo si iste peccat, facit contra legem Dei. Dicas ergo, quæ est illa, & quando data est? Non erit assignare; Alioquin non dixisset Ap. *De Virginibus autem præceptum Domini non habeo &c.*

Nec obstat, quod induxisti de Ap. *Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*. Rom. 2. v. 12.

Loquitur enim de gentibus, quæ erant sine lege Moysi, sed non sine lege naturali, ut ibi ostendit Ap.

Si autem vis dicere, quod nupti veniunt contra naturalem legem. Proba hoc; quod non potes.

Præterea, cum dicas animam a Diabolo fieri, ut patet 2. lib. c. 2. lex ergo naturalis, quæ in anima hujus hominis est, a Diabolo est; ergo contra eam venire, peccatum non est. [*]

Item v. 36. *Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit super adulta, & ita oportet fieri: quod vult faciat, non peccat, si nubat*. Et est sensus: Si quis putat quod sibi turpe, idest vituperium est &c. super adulta, idest ultra pubertatem, & ita oportet fieri, quia illa non vult continere, non peccat pater, si virgo nubit, quod vult virgo, faciat pater, idest maritet eam.

Ad hoc dixit hæreticus: Imo quod vult virgo, faciat virgo.

Sed contra: Notum est quod loquitur ibi de duabus virginibus, scilicet de una volente continere, & de alia nolente hoc, & subdit argumentando: *Igitur & qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit melius facit* v. 38., idest, majus bonum; primum enim bonum est, sed hoc magis.

Ex

(21) Commodum transferri huc possunt verba Tertulliani ex lib. IV. *Contra Marcionem cap.* XXXIV. *Habes nuptiarum, quoque velis latere prospectorem; quas nec separari vult prohibendo repudium, nec cum macula haberi tum permittendo divortium. Erubesce non conjungens, quos tuus quoque Christus conjunxit. Erubesce etiam disjungens &c.*

[**] Duobus asteriscis conclusimus, quæ non exstant in Codd. Bonon. & Vatic.

Ex hoc patet malam fuisse expositionem tuam. Quod vult virgo, faciat pater, vel custos ejus, ipse enim facit, qui matrimonio jungit: Prius dixit *non peccat*, modo dicit quod bene facit. Obmutesce ergo vel concede matrimonium non esse contra salutem.

[*] Præterea. Nunquid peccat quis maritando filiam suam?

Si dicas non; ergo matrimonium bonum; vel si malum est, peccat qui maritat eam: Rom. 1. v. 32. *Qui talia agunt digni sunt morte; & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

Si dicas, quod sic. Contra: *qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit* 1. Cor. 7. v. 38.

Præterea dicitur ibi v. 28. *si nupserit virgo non peccavit.*

Forte dices, quod illud intelligitur spiritualiter.

Contra: quomodo dicitur aliqua virgo, nisi quia incognita viro, vel intacta? Si autem virgo spiritualiter sumitur, quomodo erit illud? Nunquid non tacta a viro est, idest a prælato, quando facta est ei manus impositio? Et nunquid non est cognita ab eo, quando ab ipso est docta? Restat ergo quod de matrimoniali virgine loquitur. [*]

Dixit hæret. Si nubit, bene facit: Sed nunquid in hoc *bene* est salvatio? Si dicas ei, quod est, opponit: ergo a simili in credere Deum esse, sine quo impossibile est Deo placere, & ita est bonum in quo erit salvatio, hoc autem falsum est dixit hæreticus, nisi ejus sequatur mandata, unde Jac. 2. v. 20. *Fides sine operibus mortua est*. Et v. 19. *Tu credis quoniam unus est Deus: bene facis: & dœmones credunt, & contremiscunt.*

Sed o miser hæretice! Ego non dixi, nec Paulus quod in illo solo sit salvatio, vel beatitudo; nisi alia faciat bona, & caveat a malo. Sed dico cum Paulo, quod nubere non est peccatum, & quod est bonum, sicut & credere Deum esse, est bonum, sed non sufficit ad salutem. Tu autem contra Ap. dicis ipsum esse malum, & non esse bonum, & exponis illud verbum Ap. *bene facit*, idest minus male. In qua etiam expositione contradicis Ap. qui dicit, quoniam si nubat non peccavit, si enim male agit peccat.

Præterea. Si male facit nubendo, non nubit in Domino.

Item v. 39. & 40. *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit, quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat: tantum in Domino. Beatior autem erit si sic permanserit secundum meum consilium*. Notandum quod dicit *alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit*; ut non liceat alii nubere, sed mortuo viro *liberata est* ab illo vinculo, ut *cui vult nubat*: *tantum in Domino*; nubere ergo non est contra Dominum.

Item dicit: *beatior autem erit, si sic*, idest innupta, *permanserit*. Et respondet quæstioni, quæ sibi posset fieri: Post illam liberationem, quid faciet? Ap. respondet, & dicit: *Cui vult nubat, tantum in Domino*.

Præterea dicit: *Beatior autem erit, si sic permanserit*, idest innupta; ergo & beata si nupserit, cum bene fecerit, & non peccaverit nubendo, dummodo caveat ab aliis peccatis.

Sequitur: *Puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam*: quasi diceret meo consilio de continendo standum est, quia a Spiritu Dei, quem habeo, est, nec tamen contra ipsum est nubere, ut ostensum est, quoniam in Domino est, *Dominus autem Spiritus est*, ut habetur 2. Cor. 3. v. 17.

Item simile illi, quod dictum est: *Mulier alligata est legi &c.* habetur Rom. 7. v. 2. & 3. *Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri; ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro*. Quare dicis ergo eam esse adulteram, si cum alio viro est? Quare etiam si alligata est legi viri eo vivente, eam solvere conaris? Cum Ap. dicat 1. Cor. 7. v. 27. *Alligatus es uxori? Noli quærere solutionem*. Et cum Dominus dicat Matt. 19. v. 6. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

Præterea, illud ligamen, seu vinculum, quo alligata est legi viri, a quo est? Nonne a Deo? Videtur quod sic: Sic enim ait Ap. 1. Cor. 7. v. 10. *Iis autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus &c.* Conjunctio ergo matrimonialis a Deo est; si enim a Diabolo esset, non firmaret eam suo præcepto.

Item Lucæ 1. legitur quendam Sacerdotem nomine Zachariam plenum Spiritu Sancto, & uxorem similiter, & filium ejus ab utero matris Spiritu Sancto plenum, & dicit de illis duobus, quod *Erant justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini, sine querela* v. 6. Quare ergo accusas conjugale opus?

[*] Quod autem illa conceptio a Deo esset, patet ex verbis Angeli ad Virginem. *Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua, & hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis*. v. 36. Et quia posset quis quærere, unde fuit quod sterilis concepit? subdit Angelus v. 37. *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum*, quasi diceret: potens est implere omnem promissionem suam, & illam, quæ facta est sterili, & illam quam facit tibi Virgini. De hoc etiam habes in fine cap. de Johanne Baptista. [*]

Quare ergo dicis prægnantem dœmoniacam esse, cum testetur Lucas istam plenam Spiritu Sancto? Quare etiam dicis dœmonem puerum in se habere, cum iste puer in utero plenus fuerit Spiritu Sancto; Cum etiam, ut ait Lucas, manus Domini fuerit cum illo? Virgo etiam Dei mater post conceptionem Jesu visitavit Elisabeth, & salutavit eam, & fuit cum ea tribus mensibus. Non est verisimile, quod cum ea esse vellet tanto tempore habens Jesum in utero, si il-

[*] Non extant in *Codd. Bonon. & Vat.* quæ rursum duobus asteriscis conclusa cernis.

(*) Desunt hæc item comprehensa duobus asteriscis e *Codd. Vat. & Bonon.*

si illa esset & dœmoniaca, & Johannes dœmoniacus. Istud autem non potest intelligi de spirituali matrimonio, vel si ita vis intelligere, jam ergo erat matrimonium spirituale, ergo jam erat Ecclesia, in Veteri scilicet Testamento, quod tu negare consuevisti: verum tamen est.

§. IV.

Idem probatur contra ponentes duo principia.

PErtractata prima parte hujus secundæ partis, & viso de matrimonio contra illos, qui unum ponunt principium, accedamus ad secundam partem ejusdem partis, & videamus de eodem contra illos, qui duo ponunt principia, addentes quædam, quæ communiter sunt contra utrosque Catharos.

Isti dicunt Ap. loqui de matrimonio spirituali, & loqui eis, qui intra Ecclesiam sunt.

Contra hoc primo sic objicitur: Si Ap. loquitur tantum de matrimonio spirituali; ergo & de muliere spirituali, idest Ecclesia, & de viro spirituali, idest Prælato. Sed nonne dicit 1. Cor. 7. v. 1. *Bonum est homini mulierem non tangere?* Si mulier sumitur pro Ecclesia, quomodo hoc esse potest, quod dicit Ap. hic, cum ipse dicat 1. Tim. 3. v. 1. *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat?* Et quod est opus, nisi regere Ecclesiam? Quid autem est regere Ecclesiam, nisi tangere eam? Bonum est ergo eam tangere.

Si autem vis dicere, quod non venit mulier pro qualibet congregatione, seu Ecclesia, sed tantum pro aliena: Quare ergo me reprehendis cum dico, *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam jam mœchatus est eam in corde suo*, Matt. 5. v. 28. quod mulier venit ibi tantum pro muliere aliena? De similibus enim idem dandum est judicium; Ergo si judicas me de hoc, dicam tibi *in quo me judicas, te ipsum condemnas*. Rom. 2. v. 1.

Præterea, si tantum pro aliena Ecclesia venit; ergo prohibetur ibi tantum fornicatio spiritualis. Quare prædicas propter illud verbum Ap. carnale matrimonium malum esse, nisi quia in hypocrisi loqueris mendacium?

Si autem dicas mihi, quod ibi loquitur de muliere carnali, cum subdit v. 2. *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habebat*. Loquitur de carnali, quod verum est; quid enim vult dicere Ap. nisi hoc: bonum est esse sine muliere, tamen propter fornicationem, scilicet vitandam, unusquisque habeat suam?

Item, *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum*. Nunquid loquitur de carnali matrimonio, vel de spirituali? Si de carnali, illud est bonum, ut habitum est supra §. 3. Si autem de spirituali.

Contra: quomodo stabit quod sequitur v. 3. *Uxori vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro?* Sed illud intelligunt hæretici de debito spirituali tantum Prælati ad Ecclesiam, vel e contra, propter illud verbum Rom. 8. v. 12. *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus*, de quo satis dictum est supra in 1. par. hujus c. Quod autem non intelligatur de spirituali debito probabitur super illo verbo. *Nolite fraudare invicem &c.* v. 5.

Præterea. Si hoc intelligatur de debito spirituali; ergo de spirituali corpore, & potestate, & spirituali viro, ac muliere, scilicet Ecclesia, intelligitur quod sequitur. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*; si enim loquitur de materiali; ergo locutus est de matrimonio materiali, quod penes corpus materiale realiter consistit, sicut spirituale matrimonium circa spirituale corpus, quod est Ecclesia.

Præterea. Si loquitur de materiali corpore, mentitur ergo Ap. secundum te, qui dicit, quod mulier habet potestatem illius. Si enim mulier Dei Ecclesia est, corpus illud materiale in ejus potestate esse non potest, cum sit alterius creationis, & alterius potestatis, scilicet Satan, ut tu credis.

Præterea. Quid est corpus materiale ipsius Ecclesiæ, cujus ipsa non habet potestatem?

Si autem loquitur de corpore spirituali, quod est Ecclesia, hoc videtur non posse esse, quia Ap. diversitatem ostendit inter Ecclesiam, & corpus ejus dicens: *Mulier sui corporis potestatem non habet*.

Præterea monstro tibi, quod Ap. dicit sic, & non, quia corpus viri est Ecclesia; caput enim mulieris, idest Ecclesiæ vir est, idest Prælatus. Ipse autem dicit, quod *vir sui corporis potestatem non habet*; ergo non habet potestatem Ecclesiæ.

Item dicit: *Mulier sui corporis potestatem non habet, idest, Ecclesiæ*, sed vir; ergo vir habet potestatem Ecclesiæ, & prius dicit, quod non; ergo in ore ejus est, est, & non.

Item v. 5. & 6. *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium*. Hic monet Ap. Prælatos, & Ecclesiam non subtrahere debitum spirituale unius ad alteram. Ego invenio, quod docere debitum est viri ad mulierem 1. Cor. 14. v. 35.

Item dominari ei, & vigilare pro ea custodienda, & orare pro ipsa, & e contrario debitum mulieris ad Prælatum est subjecta esse ei ut habetur 1. Cor. 14. & ad Tit. 2. v. 5. Si tu ista vis spiritualiter intelligere.

Item obedire Prælato debitum est Ecclesiæ ad eum, unde Hebr. 3. v. 17. *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri*.

Redeamus ad verbum Ap. *Nolite fraudare, &c.* Sicut dixi, Ap. monet ne sibi invicem debitum subtrahant, de quo dixerat v. 3. *Uxor vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro*; & tu illud intelligis de debito spirituali. Ostendit autem Ap. quod debitum invicem possunt subtrahere ex communi consensu, & ad tempus, ut vacent orationi. Modo

do dico sic: Vacando orationi possent invicem subtrahere sibi debitum prædictum; sed vacando orationi, non subtrahunt sibi debitum spirituale, imo magis reddunt; debet enim uterque orare pro altero Jac. 5. v. 16. *Orate pro invicem, ut salvemini.*

Item, tunc se invicem diligunt; ergo illud verbum: *nolite fraudare &c.* non intelligitur de debito spirituali, nec illud quod præcessit: *Uxori vir debitum reddat; similiter autem & uxor viro.*

Præterea dicit Ap. *Et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. In idipsum*, dicit, ideſt ad debitum solvendum, ex quo patet, quod vacando orationi non solvebatur illud debitum, de quo Ap. loquebatur; sed solvebant spirituale debitum; ergo Ap. intellexerat de carnali.

Item dicit: *Ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* De qua incontinentia loquitur? Si de spirituali; ergo erant spiritualiter incontinentes; ergo mali; ergo Ecclesia mala, quod esse non potest: Si de carnali; Ergo prius locutus erat de carnali debito, cum dixit: *Revertimini in idipsum.*

Forte dices: *Revertimini in idipsum* est reverti ad orationem.

Contra. Quomodo ergo stabit, quod dicit Ap. v. 6. *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium*, cum oratio sit in præcepto, & necessaria ad salutem?

Item ibi dicit Ap. v. 7. *Volo enim omnes vos esse sicut me ipsum*, ideſt absque matrimonio, secundum meum intellectum.

Si autem vis intelligere sine matrimonio spirituali, hoc stare non potest, quia Ap. erat in tali matrimonio, Prælatus scilicet Ecclesiæ, & Apostolus.

Quod autem debeat intelligi sic *sicut me ipsum*, ideſt sine matrimonio, patet ex verbis Ap. quæ subsequuntur v. 8. *Dico autem non nuptis, & viduis: bonum est illis, si sic permaneant*, ideſt innuptæ, vel viduæ, *sicut & ego.* [*] *Non nuptis* dicit, quæ nunquam fuerunt in matrimonio: *viduis* vero, quæ fuerunt aliquando in eo, & modo non sunt: de istis dicit: *Bonum est illis, si sic permaneant*, ideſt innuptæ vel viduæ, *sicut & ego* maneo; ergo manebat non nuptus; sed constat quod nuptus erat spiritualiter; ergo intelligebat de nuptiis carnalibus; vel si de spiritualibus intelligitur, Ap. erat sine eis, quod falsum est. [*]

Præterea. Nonne dicit: *Bonum est illis, si sic permaneant?* Istud sic intelligitur, ideſt non nuptæ; quod etiam patet ex subsequenti litera v. 9. *Quod si non se continent, nubant*; ergo non erant nuptæ: sed non potest esse, cum essent spiritualiter nuptæ; ergo Ap. intellexit de carnalibus nuptiis.

Quod autem non possit esse, cum essent nuptæ spiritualiter, patet, quia intra Ecclesiam erant Corinthiorum, quæ nupta erat, loquitur enim eis, qui intra sunt.

Præterea Ap. dicit 1. Cor. 11. v. 11. *Neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino*; ergo Ecclesia non esset sine Prælato, vel non debet esse; ergo non esset bonum non nuptis, si sic permanerent, ideſt non nuptæ, si de spiritualibus nuptiis intelligitur.

Præterea dicit: *Si non se continent, nubant.* De qua continentia loquitur? Si de spirituali:

Contra: Nonne dixerat: *bonum est illis, si sic permaneant?* ideſt in continentia, & addit: quod *si non se continent*, ideſt si nolunt continere, *nubant.* Sed istud de nuptiis spiritualibus intelligitur, in illis enim maxime continetur spiritualiter; ergo non intelligebat de continentia spirituali, imo de carnali; ergo & de nuptiis carnalibus; bonæ ergo sunt.

Sequitur v. 10., & 11. *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Ap. eas, quæ non erant in matrimonio, ideſt innuptas, & viduas monuerat sic manere, quia bonum est, sed si non continent, nubant. Modo loquitur de conjunctis in matrimonio, & dicit: *Iis autem &c.* Istud autem intelligunt ii hæretici de matrimonio spirituali: Uxorem appellant Ecclesiam.

Sed contra. Prius autem nota, quod in tribus statibus potest salvari hæc uxor, scilicet si non discedit, si manet innupta, si reconciliatur viro: si autem istud intelligitur de matrimonio spirituali, & de Prælato, & Ecclesia, illud quod dicit Ap. stare non potest, Ecclesia enim in discessione a viro spirituali non potest salvari, sic enim peccaret mortaliter; iste autem non peccavit, alioquin non præciperet Ecclesiæ, quod maneret innupta: sed hæc uxor de qua Dominus loquitur potest salvari in discessione a viro; ergo illud verbum non intelligitur de discessione Ecclesiæ a Prælato, sed de discessione materialis mulieris a marito materiali, & ita Ap. loquitur de matrimonio carnali.

Si autem tu dicis mihi, cum vir non peccaverit, quomodo potest salvari in tali discessione?

Dico, imo peccavit, quia fornicatus est; unde propter causam fornicationis ab eo discessit; & potest sic salvari dummodo maneat innupta, non enim potest nubere, quanto tempore vir ejus vivit, ut dicit Ap.

Sequitur: *Nam cæteris ego dico non Dominus: Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum* v. 12. & 13. Istud non potest intelligi de matrimonio spirituali Ecclesiæ, & Prælati, quia Ecclesia non tenet Prælatum infidelem pro viro, nec e contrario, non enim potest esse matrimonium spirituale inter tales, ut credis.

[*] Ad hoc dixit hæreticus sic: quod vir dicitur infidelis, cum Prælatus non omnino fidelis est.

Contra quem sufficit dicere, quod hujus expositionis de hoc nomine *infidelis* nullum testimonium habet: ego autem testimonium multiplex habeo, quod infidelis dicitur quis, quia fidem non habet: [*]

Vv Præ-

[*] Desunt hæc ex *Cod. Vat.*

[*] Ne hæc quidem comprehensa duobus asteriscis exst. in *Cod. Vat.*

Præterea si ita est, quod Prælatus infidelis est, ut tu dixisti, Ecclesia omnino fidelis; quomodo erit doctor Ecclesiæ, respectu cujus minus fidelis est? Oportet enim ipsum esse prudentem, & doctorem, ut habetur 1. Tim. 3. v. 2. & ad Tit. 1. v. 9. Oportet eum esse *amplectentem eum, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem: ut sit potens exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere*. Quomodo hoc, si hic infidelis, idest non penitus fidelis?

[*] Præterea: aut habet totam fidem, aut non? Si totam, male exposuisti; si non totam, ergo diminutam: Quomodo servabit alios in Christo sine ejus fide? Eph. 4. v. 11. & 12. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi*.

Præterea, si Ecclesia omnino fidelis, ipse autem non omnino, potius benedicetur ab Ecclesia sua, quam econtrario: ad Hebr. 7. v. 7. *Sine ulla autem contradictione, quod minus est, a meliore benedicetur*.

Præterea, Prælatus non sanctificatur a Subditis, sed e contrario: quomodo ergo stabit, quod Ap. ait 1. Cor. 7. v. 14. *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem*.

Præterea, quod infidelis dicatur non credens, patet 1. Petri 3. v. 1. *Similiter & mulieres subditæ sint viris suis, ut & si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucri fiant*. [*]

Præterea dicit 1. Cor. 7. *Alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt*. Istud de filiis carnalibus necessario intelligitur, non de spiritualibus, quia ex matrimonio fidelis cum infideli non possunt filii sancti generari. Loquitur ergo Ap. de matrimonio carnali, in quo sic fuit aliquando, quod altero infideli existente, & altero fideli, filii inde nati sanctificati sunt, idest exemplo fidelis, & verbo ad fidem conversi, ambobus simul manentibus: fideli autem discedente, filii qui majorem partem sequebantur, idest partem infidelium, quorum numerus maximus tunc erat, in infidelitate remanebant, & ita immundi. Si autem Ap. vult, quod fidelis maneat cum infideli in matrimonio carnali; quanto magis hoc vult quando uterque fidelis est; unde supra v. 10. *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere*, & loquitur ubi uterque fidelis est, postea vero cæteris, ubi unus fidelis, & alter infidelis.

Sequitur: *De Virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Domino ut sim fidelis: Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse*: v. 25. & 26. Si enim Ap. loqueretur de virginibus spiritualibus, & de spirituali matrimonio; quomodo staret, quod dicit: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo*? Super quo non habebat præceptum Domini de eis? nisi super hoc, scilicet ut nubant, vel non nubant, in utroque enim casu potest salvari virgo, quod esse non posset, si hoc vel illud præceptum Dei esset.

Quod autem in utroque casu possit esse salus ejus, patet ex litera Ap. *Alligatus es uxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? Noli quærere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccasti: Et si nupserit virgo, non peccavit* v. 27. & 28.

Dico ergo sic: Sine nuptiis de quibus Ap. loquitur potest salvari virgo; sed non potest salvari sine nuptiis spiritualibus, ergo Ap. non intelligebat de spiritualibus, sed de carnalibus.

Quod autem sine nuptiis spiritualibus non possit virgo salvari, patet ex eo, quod habetur 1. Cor. 11. v. 11. *Veruntamen neque vir sine muliere: neque mulier sine viro in Domino*, istud enim de spirituali, idest de Prælato, & Ecclesia intelligis.

Præterea: Istæ virgines spirituales erant, & intra Ecclesiam Corinthiorum, loquebatur enim de iis, quæ intra Ecclesiam sunt; ergo cum Ecclesia Corinthiorum esset nupta alicui Prælato, istæ virgines erant nuptæ alicui Prælato spiritualiter; sed constat, quod Ap. intelligit virgines, de quibus loquitur non esse nuptas; ergo loquitur de virginibus, & de nuptiis materialibus.

Præterea Ap. loquebatur de tribus generibus mulierum, scilicet nuptis, viduis, & virginibus. Quæ est differentia inter istas si spiritualiter sumuntur? Nonne omnes bonæ sunt? Nonne omnes virgines spirituales? Utique: alioquin corruptæ essent.

Præterea: Toti Ecclesiæ Corinthiorum, in qua erant istæ tres differentiæ dicit 2. Cor. 11. v. 2. & 3. *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Timeo autem ne sicut serpens Hevam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant a simplicitate, quæ est in Christo*.

Præterea, nunquid per spirituale matrimonium tollitur virginitas spiritualis? Absit. Imo tunc maxime conservatur; Ergo loquitur de virginibus materialibus, & nuptis similiter.

Præterea, quod loquatur de matrimonio carnali Ap. determinat cum subjungit: *tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi; ego autem vobis parco*; 1. Cor. c. 7. v. 28. Nunquid si aliqua congregatio nuberet Christo, aut Episcopo, necesse esset ut Ap. ei parceret? Absit; ergo loquitur de matrimonio carnali.

Item sequitur v. 29. *Tempus breve est: reliquum est, ut & qui habent uxores tanquam non habentes sint*. Quomodo potest hoc intelligi de matrimonio inter Ecclesiam & Prælatum? Nullo modo: quod enim Rectores Ecclesiæ sint tanquam non habentes Ecclesiam, hoc nihil est.

Item: *Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est. Et mulier innupta*, idest vidua, & virgo, *cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore, & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro*. Dic mihi, nunquid vult Sanctos esse sine sollicitudine spirituali?

[*] Desunt *ex Cod. Bonon.*

li? Absit, cum dicat Eph. 4. v. 3. *Solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis*. Hæc est illa unitas, de qua dicitur 1 Cor. 12. v. 13. *Etenim in uno spiritu omnes nos in unum Corpus baptizati sumus*; ergo non loquitur de spirituali sollicitudine.

Præterea quomodo stabit, quod sequitur: *Qui sine uxore est* idest sine Ecclesia, idest qui non est Prælatus Ecclesiæ, *sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo*. *Qui autem cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori*, idest Ecclesiæ, *& divisus est*? Nunquid iste non est sollicitus eorum, quæ Dei sunt, scilicet regiminis Ecclesiæ, & custodiæ ejus? Dic etiam: de quo mundo loquitur, nisi de materiali mundo? ergo & de materiali uxore, & ita de matrimonio carnali, & de sollicitudine temporalium, quæ imminet conjugatis, sine qua consuluit esse; unde & dicit: *Porro hoc ad utilitatem vestram dico*, idest consulo, sed non constringo vos præcepto ad hoc; unde & addit: *Non ut laqueum vobis injiciam* v. 35.

[*] Præterea dicit: *Qui sine uxore est sollicitus est, quæ Domini sunt &c.* Iste ergo melior est, quam si esset Prælatus, idest quam si esset cum uxore, idest cum Ecclesia. Melius ergo est subditum esse, quam Prælatum. Quomodo ergo stabit quod dicit Ap. v. 38. *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit, melius facit*? Sic enim soles exponere; qui non jungit alii, sed tenet eam, melius facit. [*]

Præterea, nonne prius dixerat: *Mulier innupta & virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore, & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat, quæ sunt mundi, & quomodo placeat viro*? Prima igitur de qua dixit, quod innupta est, & virgo, nullum habet virum; unde non cogitabat quomodo placeret viro, sed cogitabat quæ Dei sunt. Per hoc autem hortabatur Ap. eam præeligere sine viro esse, quam esse cum viro, quia melius est ei. Nunquid Ecclesia potest esse sine viro? Vel nunquid hoc ei melius? Nunquid hoc diceret Ap.? Non. Ergo loquitur de carnali.

[*] Præterea nunquid Ecclesia copulata viro non cogitat quæ Domini sunt? Imo cogitat magis, quam si esset sine viro. Quomodo ergo diversificat Ap. inter illam, quæ est cum viro, & illam quæ est sine viro dicens: *mulier innupta, & virgo &c.*? [*]

Sequitur: *Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta, & ita oportet fieri: quod vult faciat: non peccat si nubat*. Si Ap. hic loquitur spiritualiter, & virgo dicitur ibi aliqua congregatio, quis est iste, cujus dicitur esse virgo hæc? Si enim ejus est virgo; potestatem ergo habet super eam.

Præterea hoc idem videtur ex eo, quod dicitur inferius: *Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc judicavit in corde suo servare virginem suam, bene facit. Igitur & qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; & qui non jungit, melius facit*; v. 37. & 38. Sed quomodo hoc esse posset, nisi Prælatus ejus esset? Nullo modo ergo iste, qui habet virginem, Prælatus est virginis idest congregationis. Ergo est maritus ejus. Sed si hoc est, quomodo ergo stabit, quod dicit Ap. *non peccat si nubat*? Nonne dicitur Rom. 7. v. 3. *Vivente viro vocabitur adultera si fuerit cum alio viro*?

Præterea dic mihi: si superadulta est, vel materialiter, vel spiritualiter? Si materialiter; ergo loquitur de virgine materiali. Si spiritualiter, quare turpem existimat se, si est superadulta spiritualiter? Imo est ei pulchrum, sive decens, nisi forte velis dicere, quod dicatur superadulta in malo: si autem hoc est, corrupta est, & non virgo. Ex his patet, quod Ap. loquitur de conjugio materiali, & de patre, vel de matre materiali virginis materialis.

Item 1. Cor. 7. v. 39. *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit, quod si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat: tantum in Domino*. Si autem vis dicere, non peccat iste si illa nubit, male dicis, supra enim v. 28. dixit: *Et si nupserit virgo, non peccavit*. Item dicit Ap. idem: *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit, melius facit* v. 38. Istud patet de carnali matrimonio. Si autem de spirituali vis intelligere, quomodo stabit, quod dicit Ap.? Nunquid melius est Ecclesiæ esse sine matrimonio spirituali, & sine Prælato, quam in eo, & cum illo? Quis eam prædicabit, & reget, & corriget, si opus est? Nonne Ap. arguit in immensum gloriari, idest in aliena gloria? 2. Cor. 10.

Si autem vis dicere: *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit*, si alii eam jungit: *& qui non jungit* alii, *melius facit*, tenet eam sibi.

Modo dic mihi: cui melius facit? Sibi, vel virgini? Si sibi: quare prius dixit: *Volo vos sine sollicitudine esse*, uxoris spiritualis, ut tu credis? Quomodo etiam dicit: *Hoc ad utilitatem vestram dico*; imo e contrario est, ut ipse ostendit ibi. *Qui sine uxore est*: Non enim loquitur materialiter, ut credis. Ergo loquitur de matrimonio spirituali. Estne propter hoc melius congregationi, si alii rectori non datur? Imo si alii datur potest esse melius ei, quia melius potest regi quandoque ab alio.

Præterea, nonne prius ostenderat, quod innuptæ, & virgini melius est sic esse, idest sine viro, quam cum viro? Utique, sic enim ait: *Mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Porro hoc ad utilitatem vestram dico*; ergo cum dicit hoc: *Qui non jungit, melius facit*, debet intelligi, quod nulli jungit.

[*] Præterea *si jungit, bene facit*: & tu hoc intelligis sic: si jungit eam alii bene facit; si autem non jungit, sed tenet eam sibi, melius facit.

Contra. Apostolus loquitur in casu, quando non sufficit regere eam, ut tu dicis; melius ergo facit si jungit eam alii, quam si non jungit. Alius enim potest eam visitare, & docere, & consolari in

[*] Non comparent hæc in *Codd. Bonon. & Vatic.*
[*] Desunt hæc etiam ex utroque *Cod. Vatican. & Bonon.*

[*] Desunt *ex Cod. Vat.*

in tribulatione, iste non. Quomodo ergo audet dicere Ap. *& qui non jungit, melius facit?*

Præterea. Quomodo audet dicere. *Qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo*. Sic enim ostendit, quod melius est esse sine uxore, quam cum ea.

Præterea, dic cui junget eam Episcopus? Dices Filio majori. Sed nonne Ap. arguit Corinthios de hoc, quod filius uxorem Patris habeat? Utique: sic enim ait 1. Cor. 5. v. 1. *Omnino auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes, itaut uxorem patris sui aliquis habeat*. Quomodo ergo modo audet dicere, quod filius accipiat uxorem patris adhuc viventis?

Item: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit. Quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat: tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium*. De beatitudine loquitur, non temporali, sed spirituali, vel cœlesti: de utraque autem falsum est, quod sit futura beatior, non enim melior est sine Prælato, quam cum Prælato.

Item in cœlesti non erit beatior, quia ut tu credis, unusquisque tantum recipiet, quod amisit, & illud solum ei reddetur. Loquitur ergo de carnali matrimonio cum dicit *cui vult nubat &c.* in quo etiam ostendit, quod liberum arbitrium ei est de nubendo, vel non nubendo. Quare ergo negas liberum arbitrium?

Præterea, quod hic dicit de vidua, intelligitur superius de Virgine: *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit, melius facit*; ergo ibi etiam locutus est de matrimonio carnali.

§. V.

Probatio Ecclesiæ de Matrimonio contra utrosque Catharos communiter.

NUnc accedamus ad tertium, quod in hac parte tertia proposuimus, scilicet ut contra utrosque Catharos communiter disseramus.

Primo autem inducimus illud Matth. 19. v. 3. 4. 5. 6. & 7. *Accesserunt* (22) *ad eum Pharisæi tentantes, & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa? Qui respondens ait eis: Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

Omnia ista intelligit hæreticus esse dicta a Christo non affirmative, vel in bona parte, sed secundum illorum opinionem. Unde non cum affirmatione, sed interrogatione dixit *non legistis? &c.* Quasi diceret: Vos illud, quod legistis in Genesi opinamini.

Dicunt etiam, quod Christus non secundum propriam opinionem, sed illorum conclusit dicens: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro; quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*. Hoc autem est contra illud, quod dicit Ap. 1. Cor. 7. v. 10. *Iis autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere*, & loquitur ibi de matrimonio carnali, ut dicit ille qui unum ponit principium, & probatum est supra in hoc cap. Sensus autem illorum verborum Ap. est: non est meum præceptum, sed Dei, quod uxor non discedat a viro. Sed ubi hoc præcepit Dominus, quod uxor non discedat a viro, nisi hic: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet?* quasi diceret: homo non dimittat uxorem suam, secundum Dei institutionem sibi conjunctam, nec è contrario uxor dimittat virum, supple quacumque ex causa. Ergo illud: *quos ergo Deus conjunxit &c.* dictum est affirmative, & secundum Christi opinionem in bona parte. Similiter autem & illud: *propter hoc dimittet homo &c.* In bona parte dictum esse probatum est in 1. par. hujus cap. super illo verbo 1. Cor. 6. v. 16. *Qui adhæret meretrici unum corpus efficitur*. Ex illatione etiam patet, quod de carnali matrimonio intelligitur. Ex præcedentibus enim infert Dominus, & præcedentia intelliguntur de carnali matrimonio; ergo & conclusio de eodem, vel nulla est illatio, si de illo non respondit, de quo facta est prius interrogatio, & de quo prædicta verba scripta erant.

Et nota, quod illa conclusio: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro*, venit ex illo verbo: *& erunt duo in carne una*, idest in carnis unitate. Quod autem dicit non sunt duo, sensus est, idest non sunt divisibiles carnaliter, utroque vivente, sed una caro, idest sunt inseparabiles carnaliter, duo tamen sunt personaliter.

Item illa conclusio: *Quod ergo Deus conjunxit &c.* venit ex illo verbo, *& adhærebit uxori suæ, idest* ei inseparabiliter conjungetur. Ex prædictis patet etiam, quare illa conclusio a Domino ponitur post præcedentem.

Nota etiam, quod Christus dicit: *Quod ergo Deus conjunxit*, quod est præteriti temporis, ut intelligatur ab initio creaturæ, quando fecit Adam, & Evam, tunc enim omne matrimonium fecit per similitudinem, & matrimonii institutionem.

Sequitur in eodem capitulo Matthæus post prædi-

(22) Tertullianus *lib.* IV. *Contra Marcionem Cap.* XXXIV. *Quod Deus itaque junxit, homo non disjunget. Hoc responso, & Moysi constitutionem protexit, ut sui, & creatoris institutionem direxit, ut Christus ipsius. Sed quatenus ex his revincendus es* (Marcion) *quæ recepisti, sic sibi occurram, ac si meus Christus. nonne & ipse prohibens divortium, & Patrem tamen gestans, eum qui marem, & fœminam junxit, excusaverit potius, quam destruxerit Moysi constitutionem? Sed ecce si tuus sit iste Christus contrarium docens Moysi, & Creatori, ut si non contrarium ostendere meus sit. Dico enim illum conditionaliter, nunc fecisse divortii probitionem, si ideo quis dimittat uxorem, ut aliam ducat.* Qui dimiserit, *inquit*, uxorem, & aliam duxerit, adulterium commisit, & qui a marito dimissam duxerit, æque adulter *est ex eadem utique caussa, qua non licet dimitti, ut alia ducatur. Illicite enim dimissam pro indimissa ducens, adulter est. Manet enim matrimonium, quod non rite diremptum est. Manente matrimonio nubere adulterium est . . . . Si omnino negas permitti divortium a Christo, quomodo tu nuptias dirimis nec conjungens marem, & fœminam? nec alibi conjunctos ad Sacramentum Baptismatis & Eucharistiæ admittens, nisi inter se conjuraverint?*

dicta: Dicunt illi: *Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, & dimittere?* v. 7. Dixerat Dominus: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*, quod verbum videbatur esse contra illud, quod Moyses fecit, cum jussit dare libellum repudii, & dimittere; ideo dicunt: *Quid ergo Moyses mandavit &c.* Quasi dicant: vel tu male dicis, vel male fecit Moyses: ille enim facit, cujus authoritate fit. Sic ergo vel honorabant Moysen, vel ostendunt Christum ei contrarium, quod facere intendebant. Sed Dominus exoneras Moysen, & onerans, & arguens eos, quod non faceret, nisi malum esset dimittere ex quacumque causa, licet daretur libellus repudii, ait v. 8. *Ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras*: Non esset duritia dimittere, si esset malum.

Præterea ex hoc concludo: ergo ex duritia cordis eorum erat, quod nolebant stare cum uxoribus, sed dimittere eas quacumque ex causa; ergo malum erat dimittere: unde contrarium laudans, scilicet adhærere inseparabiliter uxori, ait: *Ab initio autem non fuit sic*; de quo initio dixerat: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos?* De ista duritia Act. 7. v. 1. Dicit Stephanus Judæis: *Dura cervice, & incircumcisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis*. De isto autem Spiritu 1. Tim. 4. v. 1. 2. & 3. *Spiritus autem manifeste dicit: Quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum; in hipocrysi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognoverunt veritatem.*

Quod autem de carnali matrimonio agatur Matthæ. 19. patet per verba Discipulorum v. 10. *Non expedit nubere*, non dixerunt non licet nubere, sed non expedit: aliqua enim licent, sed non expediunt, teste Ap. 1. Cor. 6. v. 12.

Præterea. Mar. 10. v. 10. Ubi agitur de eadem re dicitur: *Et in domo iterum Discipuli ejus de eodem interrogaverunt eum*: sed illi interrogaverunt eum de carnali; ergo & Discipuli de carnali interrogabant. Male ergo exponis tu, qui duo ponis principia, illud verbum: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*, idest Christum, & Ecclesiam aliquam.

Præterea, si hoc intelligitur de spirituali matrimonio, constat quod tu peccas, qui separas quandoque Episcopum a congregatione, excepta causa fornicationis; [*] Quandoque enim Episcopus tuus Ecclesiam suam tradit alii, scilicet Filio majori, quia non potest eam visitare, & regere pro aliqua debilitate. [*]

Item eodem cap. Matth. v. 9. Dicitur; *Dico autem vobis: Quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur*; Matth. 5. v. 32. Dicitur: *facit eam mæchari*. Qui ponunt unum principium intelligunt hoc de carnali matrimonio, & intelligunt ob fornicationem, idest quia ego cum ea fornicor, & fornicationem istam cum ea volo vitare.

Sed ponatur, quod ego dimittam eam non ob fornicationem istam, vel si placet, dimitto eam non quia illa sit fornicata cum alio, sed quia turpis est, vel ignobilis, vel vetula, vel hujusmodi: Christus dicit, quod si ipsa ad alium accedit, ego facio eam mæchari.

Contra. Nec dico, nec volo, nec cogo eam facere hoc, imo relinquo eam in suo arbitrio.

Si dicat adhuc, quod facio eam mæchari cum alio, quia si eam tenerem, non fornicaretur cum eo.

Similiter ergo & tu facis eam mæchari, quia si teneres eam non fornicaretur cum alio.

Præterea. Dimittendo eam facit eam mæchari; ergo non dimittendo non facit eam mæchari; si enim affirmatio est causa affirmationis, & negatio negationis est causa; ergo in matrimonio non est fornicatio, vel adulterium.

[*] Præterea dimittendo eam facit eam mæchari. Quomodo potest hoc esse? Constat enim, quod sic dimittit eam suo arbitrio, ut prædictum est: sed tenendo eam provocat eam ad fornicationem, vel consentit ei in opere fornicationis requisitus ab ea; ergo tenendo eam potius facit eam mæchari. [*]

Præterea si dimittendo facio eam mæchari; ergo dimittere eam est peccatum; ergo est contra aliquod præceptum Dei. Quæro quod sit illud?

Si dicas: virum uxorem non dimittere nisi ob fornicationem, idest nisi velit vitare fornicationem cum ea.

Contra. Tenere eam si non vult vitare fornicationem, quæ est cum ea, ut dicis, peccatum est; Deus autem in nullo casu præcepit aliquod peccatum fieri; ergo in nullo casu præciperet, quod ego tenerem uxorem, si non vellem vitare fornicationem, quæ cum ea est.

Præterea. Quid est hoc dicere, tene eam si non vis vitare fornicationem, quæ cum ea est, nisi dicere quod Dominus præcipiat: Esto firmus cum ea in fornicatione, vel nisi dicere, si tu non vis vitare fornicationem, præcipio ut forniceris cum ista? Absit autem, quod Dominus hoc dicat.

Præterea. Quid intendebat Dominus per illud: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur?* Constat quod intendebat præcipere, quod homo non dimitteret uxorem nisi ob fornicationem; unde 1. Cor. 7. *Præcipio non ego, sed Dominus uxorem a viro non discedere &c.* v. 10. Vel tenere eam mulierem cognoscere carnaliter non est malum; vel Dominus præcepit malum: sed Dominus nunquam vult aliquod malum, nec præcipit, idest peccatum; ergo tenere eam ad cognoscendum eam carnaliter non est peccatum, imo bonum; quidquid enim a Domino præcipitur bonum est; ego matrimonium carnale a Deo sancto est.

Præterea, qui illam duxerit, sive dimissa fuerit, sive non, adulteratur; frustra ergo, sive otiose dixit

[*] Quæ duobus asteriscis contenta vides, desunt e Cod. Neapol.

[*] Desunt hæc item comprehensa duobus asteriscis, e Codd. Bon. & Vat.

xit illud Matth. 19. v. 9. *Et qui dimiſſam duxerit mœchatur*, imo debuit dicere, quicumque duxerit adulteratur, ſi ita eſt ut dicis, quod matrimonium carnale adulterium eſt: ſed Dominus non fuit locutus otioſe; ergo ob aliquam juſtam cauſam, cum non poſſis aſſignare, ego tibi aſſigno eam, ſcilicet, quia licet dimiſſa ſit ob fornicationem, tamen legitima ejus uxor eſt, unde Rom. 7. v. 2. *Mulier vivente viro alligata eſt legi*. Item 1. Cor. 7. v. 39. Idem habetur.

Notandum autem eſt hoc verbum Domini Mat. 5. v. 32. *Omnis qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari*, quod ideo dicitur, quia alioquin dimittit eam ex cauſa propter quam non debet dimittere, ſola enim cauſa dimittendi eam eſt, ſi Chriſtiana eſt iſta, ſi alii ipſa adhæſerit, & e contrario.

Ecce diſputavimus verbum Domini contra illos, qui illud intelligunt de matrimonio carnali: nunc autem diſputemus illud contra illos, qui de ſpirituali illud intelligunt, matrimonio ſcilicet Prælati, & Eccleſiæ. Si enim hoc eſt; ergo de ſpirituali fornicatione intelligitur.

In primis autem dico: quod nullo teſtimonio poſſunt oſtendere, quod Epiſcopus vel Prælatus aliquis, ſit vir, ideſt Sponſus Eccleſiæ, ſed tantum Chriſtus. Jo: 3. v. 29. *Qui habet ſponſam ſponſus eſt &c.* 2. Cor. 11. v. 2. *Deſpondi vos uni viro*, ſcilicet Chriſto, non *mihi* dixit Paulus. Iſte autem argumentandi modus eſt contra iſtos in locis plurimis.

Præterea, ex illo verbo *non expedit nubere* Matthæ. 19. v. 10. patet, quod de materiali matrimonio loquitur.

Præterea, *ſi* illud verbum: *quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*, de ſpirituali intelligitur, ut tu credis; quomodo ergo tu audes ſeparare Prælatum ab Eccleſia, ſi neuter fornicatus eſt cum alio, cum Prælatus cum Eccleſia non fornicetur?

Præterea, quomodo intelligere vis *niſi ob fornicationem*? Si ſic, quia fornicabatur ſtando cum ea: hoc non poteſt ſtare, quia Prælatus cum Eccleſia non fornicatur. Si dicas ob fornicationem uxoris, ideſt Eccleſiæ, quæ fornicatur, quomodo ſtabit hoc, cum ipſe dicat Eccleſiæ Matth. 28. v. 20. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi*.

Item Matth. 7. v. 24. & 25. *Omnis ergo qui credit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram, & deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſuper petram*.

[*] Quod ſi de aliqua ſpirituali congregatione vis hoc intelligere, tamen, quod dixiſti, ſtare non poteſt: Aut enim illud intelligis ſic, quia Eccleſia fornicatur ſtando cum illo, & hoc non poteſt eſſe licitum uni ſtare cum alio in matrimonio ſpirituali. Aut illud hoc modo intelligis, quia cum alio fornicata eſt; ergo cum Dominus amputet omnes alias cauſas a fornicatione, ſi illam dimittit excepta cauſa fornicationis peccat mortaliter, quod etiam patet ex verbo Ap. 1. Cor. 7. v. 10. *Iis autem qui matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere*; ergo jam non eſt intra Eccleſiam ſecundum te; ergo ſi illa nubit alii, non adulteratur ipſa, neque qui eam ducit; quomodo ergo ſtabit verbum Domini Matth. 5. v. 32. *Qui dimiſerit uxorem ſuam excepta fornicationis cauſa facit eam mœchari*; reſtat ergo quod non intelligitur de ſpirituali matrimonio neque verbum Ap.: *Iis autem qui matrimonio &c.* Quod autem dimittere aliud ſit, quam fornicari patet ex verbis Domini, in quibus habetur, quod fornicatio eſt cauſa dimittendi.

Item quia dimittere conceſſum eſt ob fornicationem, fornicari autem non eſt conceſſum. [*]

Item Matth. 14. dicebat Johannes Herodi: (23) *Non licet tibi habere*, uxorem fratris tui. Iſtud non poteſt intelligi de uxore, vel viro ſpirituali, quia Herodias non erat, nec fuerat ſpiritualis, nec Philippus frater Herodis, cujus fuerat uxor. Intelligitur ergo de carnali. Johannes ergo zelo juſtitiæ armatus, arguebat eum quia habebat uxorem fratris ſui; aliam ergo non licebat habere, quia non arguebat niſi quia duxerat uxorem fratris ſui, nec alios arguebat, quia uxores habebant.

Quod autem Johannis teſtimonio ſit ſtandum patet, quia Johannes venit in via juſtitiæ, quod non eſſet verum, ſi ejus doctrina eſſet mala; unde dicitur Matth. 21. v. 32. *Venit ad vos Johannes in via juſtitiæ, & non credidiſtis ei*: Similiter nec vos ei creditis, qui de alio non arguit, niſi de uxore fratris, vos autem ſic.

Item Jo: 2. v. 1. dicitur: *Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ &c.* (24) Iſtud pertranſimus quia inde diximus in cap. 8. primæ partis, ubi agitur de miraculis.

Item 1. Cor. 14. v. 34. *Mulieres in Eccleſiis taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit*. Gen. 3. v. 16. *Sub viri poteſtate eris*. Conſtat quod lex loquitur de materiali muliere; ergo & Apoſtolus.

Præterea. Conſtat, quod Ap. non appellat mulieres Eccleſias, cum dicat: *Mulieres in Eccleſiis taceant*.

Præterea dicitur v. 35. *Si quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent*. In Eccleſia non faciant hoc, ſed in domo; iſtud ergo intelligitur de materiali dono, & de materiali viro, & de carnali matrimonio. Mulieribus iſtis datur præceptum tacendi in Eccleſia, iſtæ ergo ſunt intra Eccleſiam: *quid enim mihi de iis qui foris ſunt judicare?* ut habetur 1. Cor. 5. v. 12. ergo matrimonium carnale non eſt contra Eccleſiam.

Item

[*] Deſunt hæc etiam ex *Cod. Vat. & Bon.*

(23) Tertullianus *lib.* IV. *Contra Marcionem cap.* XXXIV. *Johannes*, inquit, *retundens Herodem, quod adverſus legem uxorem fratris ſui ... duxiſſet, habentis filiam ex illa ... conjectus in carcerem fuerat, ab eodem Herode poſtmodum & occiſus. Facta igitur mentione Johannis Dominus, & utique ſucceſſus exitus ejus, illicitum matrimonium & adulterii figura jaculatus eſt in Herodem, adulterium pronuncians, etiam qui dimiſſam a viro duxerit, quo magis impietatem Herodis oneraret, ... qui dimiſſam a viro duxerat ... ex libidinis, non ex legis inſtinctu; ac propterea Prophetam quoque aſſertorem legis occiderat.*

(24) Hoc argumento convellit eos, qui nuptiis erant infeſti Gregorius Nazianzenus. *Orat.* XXX.

Item Eph. 5. v.22. & 23. *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ*; Mulieres ergo hic aliæ sunt, quam Ecclesia.

Præterea dicitur: *Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ*; ergo nec mulier est Ecclesia, nec vir est Christus.

Item, non invenitur, quod aliud sit caput Ecclesiæ, nisi Christus; ergo vir non est caput Ecclesiæ: sed est caput mulieris; ergo vir non dicitur hic Prælatus, nec mulier Ecclesia.

Præterea, quod vir qui est caput mulieris sit vir materialis patet 1. Cor. 11. Idem habetur ex eo, quod sequitur Eph. 5. v.25. *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam*. Ecce quod distinguit inter uxorem & Ecclesiam, sicut prius inter eandem & mulierem.

Præterea, si per mulierem intelligitur Ecclesia Ephesiorum, quæ sunt aliæ mulieres, idest Ecclesiæ ipsorum?

Præterea ibi v. 28. dicitur: *Ita & viri debent diligere uxores suas ut corpora sua*: Ecce quod distinguit inter corpus & uxores. Vel si placet dic mihi aut corpora dicuntur ibi Ecclesiæ, aut ista materialia corpora: aliter non invenitur sumi corpus, quod aliquo testimonio tu possis ostendere: sed primo modo non accipiuntur; viri, idest Prælati debent diligere uxores suas, idest Ecclesias, ut corpus suum, idest ut Ecclesias suas; sumuntur ergo corpora pro materialibus corporibus. Hoc etiam patet ex eo, quod subdit Ap. v. 29. *Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit: sed nutrit & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam*. Caro ergo non venit pro Ecclesia, sed pro materiali carne, quæ est corpus; loquitur ergo Ap. materialiter, & de materialibus viro, & uxore.

Præterea ibi dicit Ap. v. 33. *Et vos singuli unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat*. Nunquid unusquisque Ephesiorum habebat Ecclesiam ad regendum? Non: ergo loquitur materialiter, poterat enim esse, quod major pars virorum uxores materiales haberent, de quibus filios generabant, quos docens Ap. statim ait c. 6. *Filii obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim justum est. Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione: ut bene sit tibi, & sis longævus super terram* v.1.2.& 3. Istud erat mandatum legis Moysi, quæ de materialibus filiis & parentibus loquebatur; patet ergo quod Ap. de fructu matrimonii carnalis ait, ostendens qualiter se debet habere ad suam originem, idest parentes.

Non est autem prætermittendum illud verbum Ap. illic: c. 5. v. 3. *Sicut & Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus, & de ossibus ejus*. Ecclesia enim Corpus Christi dicitur Rom. 12. & 1. Cor. 12. Istud corpus carnem habet, & ossa. Quidam sunt de ossibus ejus, sicut fortes, & firmi; quidam de carne, idest fragiles, & infirmi, quos oportet portari ab ossibus. *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia* v. 31. & 32. Ecce quod dicit Ap. quoniam illud verbum Genesis Sacramentum magnum est; matrimonium Christi, & Ecclesiæ, propter hoc, dicit, idest ad significandum quantum Christus dilexit Ecclesiam, scriptum est hoc: *Relinquet homo &c.*

Istud patet quantum ad sensum literæ; mystice autem intantum Christus dilexit Ecclesiam, ut patrem relinqueret, formam servi assumendo, & formam Dei non ostendendo, matrem relinquendo, idest sinagogam Judæorum, ex qua ortus est secundum carnem ut habetur Rom. 9. v.5. adhæsit uxori, idest Ecclesiæ, & fuerunt duo, idest Christus & Ecclesia in carne una. Nemo sani capitis dubitat, quia lex loquitur materialiter; ergo & Ap. loquitur de materiali uxore, quam debet vir diligere, sicut Christus dilexit Ecclesiam.

Qualiter autem respondendum sit ad id, quod objicit hæreticus super hoc verbo, habitum est 1.p. hujus cap.

Item 1. Tim. 2. v.10. usque ad finem (24) *Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum; sed esse in silentio. Adam enim primus formatus est, deinde Heva: & Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit: Salvabitur autem per filiorum generationem si permanserit in fide, & dilectione, & santificatione cum sobrietate*. Duo aufert Ap. mulieri, de qua loquitur, scilicet magisterium, & dominium super virum, & subdit duas causas, quia non est primo condita mulier, scilicet Heva, sed vir primo conditus est, unde debet esse ejus antianus, non e contrario. Secunda autem causa, quia primo peccavit, & ab ipsa ad virum peccatum venit, unde & dicit. *Adam enim primus formatus est, deinde Heva, & Adam non est seductus*, supple prius, *mulier autem seducta in prævaricatione fuit*. Ecce patet evidenter, quod loquitur de muliere, & viro materiali, ratione suæ originis, scilicet Adæ, & Hevæ. Hoc etiam patet per illud 1. Cor. 14. Ubi idem ex parte dicitur, ut ostensum est supra.

Præterea ibi dicitur: *Salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate*. Istud de Ecclesia non potest intelligi, quia Ecclesia generare filios spirituales non potest tacendo, quod hic indicitur mulieri, sed docendo, quod ei prohibetur; ergo mulier ista quæ salvabitur per filiorum generationem, non est Ecclesia; ergo est materialis mulier, & materiales filii ejus, per quorum generationem salvatur, ergo concubitus viri cum uxore non est peccatum, si fit propter generationem ad Dei honorem.

[*] Præterea dicit Eph.5. v. 23. Quod *vir caput est mulieris*, ubi patet quod mulier non sumitur pro Ecclesia, quia Prælatus non est caput Eccle-

(24) *Timotheum instruens* (Apostolus) *nuptiarum quoque interdictores sugillat. Ita instituunt Marcion, & Apelles ejus sequutor. Tertullianus lib. Præscript. cap.* XXXIII.

[*] Quæ duobus asteriscis comprehendimus, desunt, e *Codd. Bonon. & Vatic.*

clesiæ, quod tu possis ostendere aliquo testimonio. [*]

Item 1. Tim. 4. v. 2. & 3. dicit Ap. quod quidam doctrinis dœmoniorum attendentes prohibebunt nubere, (25) & abstinere a cibis, quos Deus creavit. De quibus cibis loquebatur monstratum est: nunc videamus de quibus nuptiis: dico autem quod de matrimonialibus 1. Cor. 7. Consilium dedit Ap. non nuptis, & viduis ut non nubant, & dixit v. 40. *Beatior autem erit, si sic permanserit*, idest innupta ut Ap. consuluit, cujus consilio fore standum ostendit, quia Spiritus Sancti est, unde: *Puto autem, quod & ego Spiritum Dei habeam*, a quo istud consulo. Consuluit autem hoc, scilicet non nubere, sed non prohibuit nubere ductus a Spiritu Dei. Modo autem dicit, quod quidam ducti a spiritibus dœmoniorum prohibebunt nubere; istud autem volunt intelligere de nuptiis spiritualibus; ego autem dico, quod nullo testimonio possunt ostendere, quod nubere spiritualiter sumatur. Ego autem habeo testimonia, quod materialiter venit. Matth. 19. v. 10. *Non expedit nubere*.

Item 22. v. 30. *Neque nubent, neque nubentur*, & multa similia.

Præterea, ubi habent ipsi, quod Ecclesia sit sponsa Prælati, & quod Prælatus sit sponsus Ecclesiæ? Volunt autem hoc habere per illud, quod dixit Ap. 1. Tim. 3. v. 2. De Episcopo, quem *oportet esse: unius uxoris virum*; hoc autem non potest intelligi de materiali uxore ut dicunt, quia Episcopi non ducunt uxores, nec Diaconi; ergo istud intelligitur de uxore spirituali ipsius Episcopi, & ita Ecclesia nubit Episcopo.

Ad hoc dico: quod supra falsum fundavit argumentum hæreticus iste. Imo Episcopi & Diaconi uxores ducunt in Ecclesia Orientali, in Occidentali autem non. Placuit enim hoc Occidentalibus se abstinere ab omni coitu, ut expeditores essent; elegerunt itaque, quod licet, & expedit. Orientales vero quod licet, sed non expedit: unde cum dicitur: *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum*, istud intelligitur de Orientalibus, qui non adstrinxerunt se voto omnimodæ castitatis, & est sensus *unius*, idest non plurium. (26) Quod autem de uxore materiali, & de filiis materialibus intelligatur, patet ex eo, quod dicit Ap. v. 4. Oportet Episcopum esse *suæ domui bene præpositum*. Nunquid istud de domo spirituali intelligitur? Forte dicet quod sic, propter hoc, quod dicit ibi Ap. v. 15. *Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi*. Sed hæreticus deceptus est, illam appellat domum suam illius, istam domum Dei, ut notaret quod hic, & ibi de alia domo loquitur, idest de materiali, quam appellat suam, hic de spirituali, quam dicit Dei.

Præterea, nonne ibi dicit Ap. v. 5. *Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* Ergo domus ista non est Ecclesia Dei, sed propria domus, in qua cum uxore & filiis moratur, quibus si bene præest, argumentum est, quod & Ecclesiæ Dei bene præerit; loquitur ergo de uxore materiali, & de filiis materialibus, sicut & de domo materiali.

[*] Præterea, ego habeo, quod sit domus materialis 1. Tim. 5. v. 3. & 4. *Viduas honora, quæ vere viduæ sunt. Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet, discat primum domum suam regere*.

Præterea, ubi habes tu, quod universalis, vel particularis Ecclesia, dicatur domus sua, idest Prælati? Ego non invenio hoc, sed quod est domus Filii, vel Patris Hebr. 3. v. 2. ubi ait de Christo: *Qui fidelis est ei, qui fecit illum, sicut & Moyses in omni domo ejus*. Item ibidem v. 5. & 6. *Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tanquam famulus in testimonium eorum, quæ dicenda erant. Christus vero tanquam filius in domo sua: quæ domus sumus nos*. Hebr. 10. v. 21. *Sacerdotium magnum super domum Dei* 1. Tim. 3. v. 15. *Ut scias quomodo oporteat te in Domo dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis* [*]

Item, quod Ap. loquatur de nuptiis materialibus 1. Tim. 4. patet ex eo, quod dicit v. 1. *Spiritus autem manifeste dicit*. Si enim de spiritualibus nuptiis istud intelligeretur, non loqueretur manifeste, imo occulte, quia nullo testimonio Scripturæ invenitur nubere in sensu spirituali, sed tantum materiali.

Præterea ex eo, quod probavimus quoniam de cibis materialibus intelligitur, patet etiam, quod de materialibus nuptiis.

Item 1. Tim. 5. a v. 3. usque ad 16. *Viduas honora quæ vere viduæ sunt*, usque, *ut iis quæ vere viduæ sunt sufficiat*. v. 16. Ap. loquitur de multis generibus viduarum, scilicet de illis, quæ habent filios, & nepotes, & ita familiam habent, quæ indiget earum regimine. Item ait de illis, quæ sunt desolatæ

(25) Huc spectant, quæ ex Tertulliano attulimus *notat. 23. In hoc Cap.* Apostoli porro locum, quem laudat Moneta, in Manichæos intorquet Augustinus *Lib.* XXX. *Contra Faustum cap.* VI. *Beausobrius lib.* VII. *Hist. Manich. cap.* IV. *num.* III. Fausto dicenti a suis non impediri nuptias, nihil aliud opposuisse Augustinum ait, quam secundum indulgentiam id concedi auditoribus Manichæorum, quod nollent electis obtemperare. Sed falsus est Beausobrius. Etenim Sanctus Episcopus, hæc opponit Fausto *l. c.* „Non vos Spiritus Sanctus ita pronunciaret, dicens: prohibentes nubere. Ille enim prohibet, qui hoc malum esse dicit, non qui huic bono aliud melius anteponit. Denique vos eum præcipue concubitum detestamini, qui solum honestus, & conjugalis est, & quem matrimoniales quoque tabulæ præ se gerunt liberorum procreandorum caussa, unde vere non tam concumbere, quam nubere prohibetis. Nec ideo vos dicatis non prohibere, quia multos vestros auditores in hoc obedire nolentes, vel non valentes, sola amicitia toleratis. Illud enim habetis in doctrina vestri erroris, hoc in necessitate societatis. Quid? negat hæc Faustus? Nihil ultra opponit. Quare fateamur oportet, quod ante quoque animadvertimus, Manichæos prohibuisse nuptias, quod peccatum esse putarent, tulisse autem utcumque, quod impedire non poterant, ut Auditores sui, qui parere nollent matrimonio sese conjungerent.

(26) Ita nempe, ut post mortem unius, aliam uxorem non duxerit. Nam de Polygamia simultanea intelligi non potest Apostolus, quippe quæ non Episcopis solum, sed etiam laicis interdicta fuerit. Quamobrem de successiva dygamia loquatur necesse est. Ergo, ut viduam unius viri uxorem, non viventis, alioqui vidua non esset, poscit Apostolus ad ministerium, ita Episcopum unius uxoris jam demortuæ virum postulat. Quare obtinet etiamnum in Ecclesia Orientali, quod jam inde a primordio Ecclesiæ in usu fuit, ut Presbyteri laici, qui uxorem duxerunt, nequeant assequi Episcopatum nisi se prius ab uxore sejunxerint.

[*] Desunt hæc, quæ sunt duobus asteriscis contenta ex *Codd. Bononiensi & Vaticano*.

tæ ideſt, quæ non habent iſta. Item de vetulis, & adoleſcentulis, & de bonis, & malis, & de his quas Timotheus debet vitare, ne recipiat eas ad Eccleſiam, & de his quas debet recipere. Modo dico ſic: quia iſtæ viduæ non poſſunt dici Eccleſiæ, quarum viri, ideſt Prælati mortui ſunt; oſtenſum eſt enim prius, quod Prælatus non eſt vir Eccleſiæ, ſed ſolus Chriſtus, ſicut ipſe ſolus eſt caput.

Præterea: Iſtæ viduæ, bonæ & malæ reperiuntur; ſed Eccleſiæ Dei non niſi bonæ ſunt.

Item, ſi Prælatus eſt vir Eccleſiæ, iſtæ non erant viduæ, quia Timotheus erat earum Prælatus.

Item dicit: *Si qua vidua filios, aut nepotes habet, diſcat primum domum ſuam regere.* Domum materialem dicit, ubi eſt vidua cum filiis, & nepotibus materialibus; ergo de vidua materiali loquitur. Agitur de deſolata, ideſt quæ non habet familiam, dicit quod inſtet orationibus die ac nocte, quia non eſt impedita ſicut prima. Poſtea loquitur de mala vidua, quæ vivit in deliciis, & mortua eſt in anima. Dicit autem quod omnibus præcipiat, ut ſint irreprehenſibiles; ergo iſtæ intra Eccleſiam Timothei erant; ergo nuptæ ſpiritualiter ei; ergo erant viduæ materiales.

Sequitur: *Adoleſcentiores autem viduas devita &c.* Iſtas non vult recipi ab Eccleſia, vel a Timotheo, & dicit quod vult eas nubere. Quare non vetulas, ſi de nuptiis ſpiritualibus agitur? Imo potius vetulas, ſic enim ait. *Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor*: loquitur ergo de materialibus.

Item Hebr. 11. v. 11. *Fide & ipſa Sara ſterilis virtutem in conceptionem ſeminis accepit*: conſtat, quod loquitur de Sara uxore Abrahæ, quæ virtute fidei, accepit virtutem concipiendi ſemen, & generandi filium, ſcilicet Iſaac, ut patet ex eodem cap. & Rom. 4. loquitur autem de fide ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, ut habetur ibi v. 6. Conceptio ergo ex fide ſancta eſt; ergo non eſt mala, vel illicita. Ipſa eſt conceptio carnalis; quod enim de alia Sara ſpirituali agatur, non poteſt oſtendi aliquo teſtimonio; ego autem poſſum oſtendere hoc, quod dico Rom. 4. & 1. Petri 3.

Item 1. Pet. 3. v. 1. *Mulieres ſubditæ ſint viris ſuis: ut & ſi qui non credunt verbo, per mulierum converſationem ſine verbo lucrifiant.* Hic dicas, quod prædictum eſt, quoniam Prælati non ſunt viri Eccleſiarum.

Item iſtud patet per hoc, quod ait: *Si qui non credunt verbo.* De viris earum loquitur, unde 1. Cor. 7. v. 14. *Sanctificatus eſt enim vir infidelis, per mulierem fidelem*; ergo non ſunt iſti Prælati, ſed ſunt viri materiales, habentes materiales uxores.

Item 1. Petri v. 5. *Sic enim aliquando, & Sanctæ mulieres ſperantes in Deo, ornabant ſe, ſubjectæ propriis viris. Sicut Sara obediebat Abrahæ &c.* v. 6. Iſtud fuit ante Chriſtum in Veteri Teſtamento, ubi ſecundum te non fuit matrimonium ſpirituale; ergo de materialibus viris, & uxoribus loquitur.

Item dicit: *Cujus* (Saræ) *eſtis filiæ benefacientes*; illa ergo bene faciebat, & bona erat: & tamen carnaliter jungebatur cum Abraham; ergo illud non eſt peccatum.

Similiter ibidem v. 7. dicitur: *Viri ſimiliter cohabitantes ſecundum ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo muliebri, impartientes honorem, tanquam & cohæredibus gratiæ vitæ.* Iſtud eſt vaſculum, de quo 1. Theſs. 4. v. 34. & 35. *Ut abſtineatis vos a fornicatione, ut ſciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere, in ſanctificatione, & honore: non in paſſione deſiderii, ſicut & gentes, quæ ignorant Deum*: ſumptum eſt de Tob. c. 8. v. 5. & concordat Ap. cum Petro, qui dicit: *viri ſimiliter cohabitantes* ideſt cum uxoribus habitantes, *ſecundum ſcientiam*, ideſt prudenter, quia non pro *paſſione deſiderii*, ideſt non pro delectamento carnis, ſed propter vitandam fornicationem, vel habendam prolem ad Dei honorem ut habitum eſt 1. Tim. 2., vel propter debiti redditionem: Et dicit, quod viri impertiant honorem eis propter tres cauſas, una quia infirmiores, alia quia participes gratiæ in præſenti, tertia quia participes vitæ in futuro. Honor iſte, quem viri debent impendere uxoribus, eſt honeſta proviſio in veſtibus, & aliis neceſſariis. Rom. 15. v. 1. *Debemus autem nos firmiores imbecillitatem infirmorum ſuſtinere.* Propter hoc dicit Ap. Hebr. 13. v. 4. *Honorabile connubium in omnibus*, addit etiam, *& thorus immaculatus*, ideſt ſine macula adulterii. Hæc ſunt illa duo 1. Theſs. 4. v. 4. *ut ſciat unuſquiſque vas ſuum poſſidere in ſanctificatione*, contra maculam, ideſt adulterium, & *honore* debitæ proviſionis.

Item Hebr. 13. v. 4. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus*: invitat ad matrimonium, ne homo incurrat adulterii, vel fornicationis judicium: *Fornicatores enim & adulteros judicabit Deus.* Monet etiam ut ſit honorabile, honeſte providendo uxori in neceſſariis. Monet etiam ne ad alteram accedat ut ſit *thorus immaculatus* propter evitandum judicium adulterii, quia *adulteros judicabit Deus. Immaculatus* dicitur, ideſt ſine macula adulterii, ut ſibi mutuam fidem ſervent.

Hæreticus tamen iſtud intelligit de materiali macula, cum tamen major macula ſit in vomendo, quod tamen ſit ſine peccato, quàm eundo ad privatas: Nunquid propter hoc damnamur? Nonne & quandoque aliquis infirmus mingit, vel aliud etiam facit in lecto ſine peccato?

[*] Item tu, qui unum ponis principium, credis, quod Deus Sanctus Noe cum uxore ſua cuſtodierit, & filios cum uxoribus pro ſemine humani generis, & de univerſis animalibus, & volucribus maſculum, & fœminam: quare audes ergo damnare coitum. [*]

Item Act. 21. a v. 3. uſque ad 6. dicit Paulus. *Venimus Tyrum, ibi enim navis expoſitura erat onus. Inventis autem diſcipulis manſimus ibi diebus ſeptem: qui Paulo dicebant per Spiritum, ne aſcenderet Jeroſolimam. Et expletis diebus profecti ibamus, deducentibus nos omnibus cum uxoribus, & filiis uſque foras civitatem.* Iſti erant diſcipuli, qui per Spiritum Sanctum loquebantur Paulo, ne iret Jeruſalem, & erant cum uxoribus, & filiis; non reliquerunt ergo uxorem & filios, ergo matrimonium bonum, & poteſt quis ſalvari in eo filios procreando,

[*] Non extant hæc, quæ duobus aſteriſcis comprehenſa cernis *in Codd. Vat. & Bonon.*

do, ut patet ex 1. Tim. 2. v. 15. *Salvabitur autem mulier per filiorum generationem, si permanserit in fide & dilectione & sanctificatione*, ideſt ſine macula adulterii, *cum ſobrietate* contra guloſitatem.

Item contra Catharos, qui duo ponunt principia, potes inducere omnia, quæ in prophetis leguntur de generatione filiorum, & filiarum, & de acceptione uxorum.

CAP. VIII.

De Reſurrectione Corporum.

§. I.

Quibus de Cauſis inducti ſint Cathari ad negandam horum corporum reſurrectionem, & quid de reſurrectione hæretici communiter ſentiant, & unde ſuum errorem confirment.

VIſo de Sacramentis Eccleſiæ, videndum eſt de ultima retributione, utrum ſcilicet retributio fiat corporibus iſtis, in quibus, & cum quibus animæ bona, vel mala egerunt. Prius tamen errorem eorum, qui reſurrectionem corporum negant, (1) & cauſas erroris producemus in medium.

Cathari horum corporum reſurrectionem negant, & hoc ideo, quia ea a Diabolo creata, vel facta credunt eſſe. Hanc autem cauſam in præcedentibus deſtruximus.

Aliam cauſam ponunt, quia credunt, quod corpora iſta non ſunt niſi organa, ideſt inſtrumenta animarum, (2) quæ per corpora tanquam per inſtrumenta, operantur bona, vel mala, ut dicunt: unde ſicut artifex tantum remuneratur, non inſtrumentum, quo utitur, ita ſola anima remunerabitur, non corpus. Iſti peccatum tantum animæ adſcribunt, & ſimiliter opus bonum, nullo modo corpori.

Si iſtam cauſam ponerent, qui duos aſſerunt (3) creatores, poſſes eis objicere de corporibus cæleſtibus, in quibus prius fuerunt hæ animæ, quæ agunt pœnitentiam, quoniam eadem ratione non eſſent reſurrectura, cum tamen ipſi ponant illorum corporum reſurrectionem.

Ad hoc dico, quoniam hæreticus inexpertus artis naturalis hoc dixit, quod corpus tantum eſt inſtrumentum animæ, ſic enim ex ipſo & anima non efficeretur unus homo. (4)

Præterea: Nonne videt hæreticus, quod anima conjuncta corpori complexionem corporis comitatur ut dicit Ariſt. in lib. 6. princip. unde ſecundum diverſitatem complexionum quædam ſunt aptiores ad gaudium, quædam ad triſtitiam, quædam ad patientiam, quæ non acciderent ſi tantum eſſet ut inſtrumentum, & nullo modo cooperaretur ipſi animæ. Hoc teſtantur philoſophi, hoc per experientiam ſcimus.

Item, vires naturales quædam inſitæ ſunt partibus corporis, quibus corpus animæ cooperatur, anima enim non videt pede (5) & quare non, niſi propter diverſam vim in oculo, quam in pede? Per illam vim cooperatur oculus animæ ad perficien-

(1) Gnoſticos, alioſque hæreticos veteres ſane multos ſequuti ſunt in hac re Cathari. Etenim Samaritæ corporum reſurrectionem negaverunt, ut referunt Philaſtrius *Hæreſ.* VII Leontius *de Sectis*, *Art.* 2. Conſulitor Lequienius in *Not. in lib. Johannis Damaſceni de Hæreſibus n.* IX. quo loco de hodiernis Samaritis etiam diſſerit. Hymeneus, & Philetus hæretici primi ſeculi factam jam eſſe putarunt reſurrectionem. Vide Paulum *Epiſt.* II. *ad Timotheum Cap.* II. *v.* 18. Quoquo tandem modo id intellexerint, concludi certe inde poteſt, veram corporum reſurrectionem fuiſſe ab illis ſublatam. Simon item magus negavit reſurrectionem corporum, ut narrat Pſeudo Clemens *Homilia* II. *n.* 22. Quin etiam Baſilides, apud Irenæum *lib.* I. *Cap.* XXIV. *n.* 5. Menander apud eumdem *lib.* I. *Cap.* XXIII. *n.* 5. Carpocrates apud Epiphanium in *Indicul. lib.* I. *Tom.* II. *n.* 7. Saturninus, apud Anonimum *inter Opp. Tertulliani Append. ad lib. de Præſcriptionibus Cap.* XLVI. Marcus & Colorbaſus, *apud eumdem Anonymum Cap.* L. Severiani apud Epiphanium *Indic. Tom.* III. *lib.* I. *n.* 12. Cajani *ibid. n.* 5: Ophitæ, *apud laudatum Anonymum Cap.* XLVII. Cerdoniani, *apud Epiphanium l. c. n.* 8. Marcionitæ *apud Irenæum lib.* I. *Cap.* XXVII. *n.* 3. Appelletiani *apud Anonym. ante memoratum Cap.* LI. Bardeſanes *apud Epiphan. Hæres* LVI. *n.* 2. Archontici *apud Epiph. Indicul. n.* 7. Hieracitæ, *apud Epiph. Hæreſi* LXVII. *n.* I. uno verbo omnes Gnoſtici, apud *Irenæum l.* I. *Cap.* XXII. *n.* I. & *lib.* V. *Cap.* II. in eodem errore verſati ſunt. His conſenſere Manichæi, *apud Epiphanium Hæreſ.* LVI. *n.* 86. Michael Balbus, *apud Zonaram Annal. lib* XV. *pag.* 136. *Tom.* II. *Edit. Pariſ. an.* 1687. Bogomilii apud *Euthimium in Panopl.* Ab his ſuam doctrinam mutuati ſunt Cathari. Hæretici quidam novi non negant corporum reſurrectionem; ſed eodem, quo ſumus nunc inſtructi corpore non eſſe ſuſcitandos putant. Jactant enim cœleſtibus corporibus juſtos eſſe induendos, ut Sociniani, *apud Cloppemburgium in Compendio Socinianiſmi Cap.* VIII. §. II. *pag.* 404. quin etiam cenſent impios nunquam reſurrecturos. Vide *Natalem Alex. Hiſt. Eccleſiaſticæ Sec.* XV. & XVI. dubitant Arminiani, e quibus tamen Slatius negat iiſdem corporibus homines reſurgere oportere. Slatio conſentiunt Vveigeliani apud Gaſparem Calvorium *lib.* XVII. *Fiſſuræ Sionis Cap.* II. §. XIII. *pag.* LXVII. *n.* 566. Sectatores quidam Petri Richerii XVI. Seculo reſurrectionem mortuorum funditus ſuſtulerunt. Adeundus Spondanus *ad an.* 1555. & Johannes Lamius vir doctiſſimus *Delic. Erudit. ad Epiſt.* VII. *Michaelis Glicæ pag.* 112. *ſeqq.* Thomas Burnetius Anglus *Cap.* VIII. *Operis de Statu mortuorum & reſurgentium* negat organicum fore reſurgentium corpus, & *Cap.* IX. non idem, quod nunc, ſed aliud corpus nos habituros in gloria poſt diem judicii cenſet.

(2) Paria opponentes introducit Gnoſticos Tertullianus *lib. de Reſurrectione Carnis Cap.* XVI. *Dicent*, inquit, *miniſtros & ſocios habere arbitrium miniſtrandi, atque ſociandi, & poteſtatem ſuæ voluntatis in utrumque, homines ſcilicet & ipſos: idcirco cum auctoribus merita communicare, quibus operam ſponte accomodant. Carnem autem nihil ſapientem, nihil ſentientem per ſemetipſam, non velle, non nolle de ſuo habentem, vice potius vaſculi apparere animæ, ut inſtrumentum, non ut miniſterium. Itaque animæ ſolius judicium præſidere, qualiter uſa ſit vaſculo carnis, vaſculum vero ipſum non eſſe ſententiæ obnoxium &c.* Hoc idem argumentum ſibi objicit S. Thomas III. *P. Quæſt.* CXVI. *Art.* I. *Arg.* 3.

(3) Nempe Balaſinanſæ Sectatores. Vide Prolegomena Cap. IV. Ubi de Mundo, & corporibus cœleſtibus a Bono Deo creatis, Albanenſium Catharorum, qui Balaſinanſæ parebant, ſententia diſſeritur.

(4) Platonici anima ſolum conſtitui hominem putaverunt. Adiſis Platonem *in Alcibiad.* I. & Petrum Danielem Huetium *lib.* II. *Origenianor. Cap.* II. *Quæſt.* VI. *n.* XVI. *pag.* 101. *Edit.* 6. *Colon. an.* 1681. Hoc erroris genus ſequuti ſunt Gnoſtici, ut colligi facile poteſt ex Tertulliano *lib. de reſurrectione Carnis Cap.* XI. Redarguit Origenem Methodius apud Photium *in Biblioth. Cod.* 234. quod Platonem in ea re fuerit ſequutus. Vereor, ut Arnobius in eumdem errorem inciderit *lib.* II. *adv. Gent.* Franciſcus Georgius recentiore memoria *Tom.* I. *Probl.* 26. 27. Platonicum hoc dogma tutatus eſt. Fortaſſe Cathari ab hac opinione non abhorruerunt.

(5) Athenagoras *lib.* I. *de reſurrectione mortuorum pag.* 56. *Edit. Opp. S. Juſtini an.* 1636. *Si enim*, inquit, *univerſa hominum natura ex anima immortali, & corpore pro ipſius creatione attemperato*

ciendam actionem visivam; ergo non est tantum ut instrumentum ipsius animæ. Nonne vides, quod percusso, & læso corpore, anima statim condolet ei, & de necessitate hoc esse non posset, si tantum organum esset, non enim necessario dolet artifex læso dolabro.

[*] (6) Dico autem corpus humanum organum esse animæ: conveniunt autem organum, & instrumentum, quia utrumque est id per, quod potentia exit in operationem: in hoc autem differunt, quod organum est conjunctum potentiæ sicut patet in oculo, qui conjunctus est potentiæ visivæ, instrumentum vero conjunctum est operationi, & non potentiæ ut patet in dolabro. Dicitur autem organum quasi ab origine natum, instrumentum vero quasi in strue operationum positum.

Dixit etiam Desiderius hæreticus (7), quod corpus nullam remunerationem haberet, quia nihil voluntarie fecit, sed coacte. Ad hoc autem induxit illud Rom. 7. v. 18. & 19. *Scio enim, quia non* (8) *habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum, non invenio. Non enim, quod volo bonum hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago*; & addidit, qualiter autem hoc intelligatur, in fine ostendit dicens v. 22. & 23. *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Item v. 25. *Ego ipse mente servio legi Dei: carne autem legi peccati.*

Ad hoc taliter respondemus. Primo dicimus, quod illud falsum est (9), quod ipse dixit, cum agit corpus, facere bonum coacte, quod patet ex ratione coactionis, quæ est operatio alicujus cum inclinatione voluntatis ad oppositum suum, vel contra voluntatem: corpus enim nihil vult; hoc autem patet, quia recedente Spiritu, nullius est voluntatis.

Item, quod omnis voluntas, & actus voluntarius fit animæ, sive bona sit, sive non ipsa voluntas, patet 1. Cor. 6. v. 11. ubi enumeratis quibusdam malis Corinthiis ait: *Et hæc quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.*

[*] Neque dicitur caro concupiscere, vel operari aliquem actum voluntatis, nisi quia anima Creatore contempto inclinatur ad delectabilia secundum carnem, servire volens potius creaturæ, quam creatori, qui est benedictus in sæcula ut dicitur Rom. 1. v. 25. In fine autem ejusdem epistolæ c. 16. v. 18. dicitur. *Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri* Philip. 3. v. 19. *Quorum Deus venter est.* Vide quod ibi dicit Ap. *Servierunt creaturæ potius*: *Potius* adverbium est eligendi, quasi diceret, hoc elegerunt; & loquitur de interioribus hominibus, electio enim mali operis non est carnis, sed spiritus inclinati ad carnem; unde & philosophus ait: *Anima cum fuerit occupata sensibilibus, distrahitur ab intellectualibus*, hoc est, quod Ap. ait. *Ego ipse mente servio legi Dei: carne autem legi peccati*, quasi diceret: ego ipse inclinatus ad intellectualia, idest spiritualia bona, servio legi Dei: inclinatus autem ad carnalia, & materialia, servio legi peccati: non vult enim Deus, quod magis impendat se rebus suis, quam ipsi Deo; unde Matth. 10. v. 37. *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Posuit enim Deus Spiritum hominis inter se & carnem, & alia visibilia: si impendit se infimis, magis Creatorem offendit, & adversus Spiritum, qui Deus est, imo etiam contra se concupiscit.

Ad hoc autem, quod dixit, quoniam non agit bonum voluntarie, responderi potest, dicit enim B. Jac. c. 2. v. 13. *Super exaltat autem misericordia judicium*; atque ut dicit Ap. Rom. 5. v. 16. *Judicium quidem ex uno in condemnationem*, etiam eorum, qui voluntatem non habent, ut puerorum, multo fortius misericordia ejus extenditur in non habentes voluntatem, & si damnavit corpus morte propter peccatum Rom. 8. v. 10. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum*: multo magis remunerabit ipsum propter opus bonum vita. Sicut non est voluntarium ad unum, ita etiam nec ad alterum, ut ostensum est (10), unde 2. Cor. 4. v. 10. *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris.*

Præterea, si facit malum voluntarie, & bonum coacte, non minus debet remunerationem de malo habere, & ita resurget ad pœnam.

rato consistit, neque animæ per se, neque corpori seorsum Deus istiusmodi, aut ortum, aut vitam attribuit, sed hominibus integris, qui istis ambobus componerentur, ut iisdem illis partibus, quibus ortum, vitamque acceperint, in vivendo utentes, ad eumdem, communemque finem, & præmium pervenirent; necessarium omnino est, quum unum ex istis ambabus partibus animal conficiatur, quod & omnibus animi, & corporis affectionibus imbuatur, pariterque, & agat, & faciat, quæcumque vel sensuum vel rationis judicium requirunt ad unum finem referri omnem istarum rerum seriem. Adisis etiam Tertullianum *lib. de Resurrect. Carnis Cap.* XV.

(6) Desunt hæc, quæ asteriscis notavimus *ex Codd. Bon. & Vaticano.* Quæ autem hoc loco adhibetur a nostro responsio, similis est ejus, quam adhibet S. Thomas III. *Part. Q.* CXVI. *Art.* I. *ad* 3. *Arg. Dicendum, quod anima non comparatur ad corpus solum, ut operans ad instrumentum, quo operatur, sed ut forma ad materiam: unde operatio est conjuncti, & non tantum animæ, ut patet per Philosophum l.* I. *De Anima Textu* 64. *&* 66. *Et quia operanti debetur operis merces, oportet, quod ipse homo compositus ex anima, & corpore operis sui mercedem accipiat.* Non abludit ab his, quod argumento Gnosticorum opponit Tertullianus *lib. de Resurrect. Carnis Cap.* XVI. *Omne vas, vel instrumentum aliunde in usus venit, extranea omnino materia a substantia hominis. Caro autem ab exordio uteri consata, conformata, congenita animæ, etiam in omni operatione miscetur illi.*

(7) Adisis notationem nostram 59. *in Cap.* III. *lib.* III. *pag.* 248.

(8) His iisdem testimoniis abutebantur Gnostici, qui resurrectionem carnis negabant. Adeundus Tertullianus *lib. de resurrectione Carnis Cap.* XLVI.

(9) Tertullianus loco mox indicato: *Cui ergo dices*, inquit, *reputabitur sensus carnis, si non substantiæ ipsi? Plane si probaveris aliquid carnem de suo sapere. Si vero sine anima nullius est sensus, intellige sensum carnis ad animam esse referendum, carni interdum deputatum, quia per carnem administratur. Et ideo habitare ait delinquentiam in carne, quia & anima, a qua delinquentia inducitur, inquilina est carnis, mortificatæ quidem, sed non suo, verum delinquentiæ nomine.*

(10) Sanctus Irenæus *lib.* V. *Cap.* XIII. *Quoniam*, inquit, *non de alio quodam corpore, sed de corpore carnis dicit hæc, manifeste, & indubitate, & sine ulla ambiguitate, Corinthiis ait*; Semper mortificationem Jesu in Corpore nostro circumferentes, ut vita Jesu Christi in corpore nostro manifestetur. Semper enim qui vivimus, in mortem tradimur per Jesum, ut & vita Jesu manifestetur in carne mortali nostra. Consulitor etiam Tertullianus *loco superius indicato.* Ejus responsa tam consimilia sunt, atque hæc a Moneta adhibita.

Tertiam causam ponunt, per quam credunt, quod ista corpora non sunt resurrectura, scilicet quia (11) vident ea vel in pulverem redigi, vel a vermibus, aut bestiis consumi; quandoque etiam videmus ea diversis terrarum spatiis esse conspersa, ita quod una pars corporis sit in una parte mundi, & alia in alia parte.

Ad quod respondetur per illud Ap. 1. Cor. 6. v. 14. *Deus vero & Dominum suscitavit, & nos suscitabit per virtutem suam.* Virtus ergo (12) divina, quæ humana corpora, immo & omnia creavit ex nihilo, ipsa humana corpora ubicumque dispersa, poterit adunare, & adunata resuscitare ad vitam.

(13) Quartam inducunt causam, propter quam corporum resurrectionem negant. Corporum enim humanorum quædam deformia sunt: nascitur enim homo cæcus, mancus, gibbus, claudus, nanus, aut alia deformitate pressus, multi etiam fœtus informes prius quam animati sunt nascuntur. Hanc autem multiplicem deformitatem corporum humanorum considerantes irridendo dicunt: hi malam partem habebunt in resurrectione, si resurgent sicut nati sunt.

Solutio. Non sic, impii, non sic resurgent (14) sicut nati sunt, teste Ap. qui 1. Cor. 15. dicit v. 12. *Mortui resurgent incorrupti.*

Item, ibidem dicit parum antea v. 45. *Seminatur*, idest generatur, *in corruptione, surget in incorruptione, seminatur in ignobilitate surget in gloria, seminatur in infirmitate, surget in virtute.* Unde corpus deforme redactum in pulverem, Dei potentia, cui nihil impossibile est reintegrabitur absque omni deformitate. Propter quod Ap. ait Phil. 3. v. 20. & 21. *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Sed ne quis putaret hoc esse impossibile, ut corpus redactum in pulverem, vermibusque consumptum reformari possit, subjungit Ap. quod Christus hoc faciet *secundum operationem, qua etiam possit subjicere sibi omnia.*

[*] Prædicta expositio hujus verbi *seminatur*, idest *generatur*, communis est quatuor clausulis, quas ponit Apostolus. Alia expositio est *seminatur*, idest *sepelitur*. [*]

(15) Quinta causa erroris eorum est prava intelligentia quarundam Scripturarum, quas inducunt ad probandum corpora non esse resurrectura. In primis inducunt illud Matth. 22. v. 30. *In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in Cælo.* Si sunt in Cælo sicut Angeli, sicut Angeli non habent corpora, ita nec animæ tunc corpus habebunt in Cælo; ergo non resurgent corpora.

Solutio. Saducæi, quibus Jesus dixit prædicta verba, dicunt resurrectionem (16) corporum non esse, neque Angelum, neque spiritum alium, ut habetur Act. 23. v. 8. Pharisæi autem utrumque confitentur. Credunt, & male, quod post resurrectionem homines ducent uxores, (17) & mulieres nubent sicut etiam in hac vita. Unde Saducæi ut Pharisæos arguerent de mala credulitate, suam fabulam de muliere septem virorum supponebant eis, quærentes cujus post resurrectionem erit uxor, ut habetur in prædicto cap. Matth. Sed Dominus Noster Jesus Christus utrumque errorem destruere volens, sic temperavit responsum suum, ut tria doceret. Primum scilicet, spiritum humanum esse æternum, & immortalem; secundum, corporum resurrectionem; tertium docuit nuptias post resurrectionem non esse necessarias. Dicimus ergo, quod cum Dominus dicit, *erunt sicut Angeli Dei in Cælo*, istud *sicut* non notat similitudinem in toto, sed in parte, in hoc scilicet, quod est esse sine nuptiis, & sine opere nuptiarum, hoc est sine generatione filiorum. (18) Similitudinem notat etiam in immortali-

(11) Placuit hoc argumentum Ethnicis, qui resurrectionem nolebant concedere. Sic enim eos inducit loquentes Athenagoras *in lib. de resurrect. pag.* 43. „ Multa corpora miserorum in naufragiis, & fluminibus piscibus escam de se præbuerunt, multa item in bello oppetentium corpora, aut ex alia asperiori causa, aliisque circumstantiis rerum, quum sepulturam non adepta sint, feris, ut quæque fuit obvia in prædam cesserunt. Corpora igitur ad eum modum absumta, eorumque membra, & partes unde constabant, quum a multis belluis dilaniata sint, ac proinde ex coalescendi natura belluarum artubus cohæreant, impossibile est, ut secerniculum, aut discriminationem patiantur.

(12) „ Cujus est potestatis a sua conditione informem materiam transformare, nullaque figura indutam, multis & diversis vultibus exornare, & partes elementorum in unum cogere, & semen, quod unum est, & simplex in multa dividere, & quod inarticulatum est, articulis distinguere .... ejusdem quoque potestatis erit, & quod dissipatum est counire, & quod jacet surrigere, & quod mortuum, denuo vivificare, & corruptibile, mutare in incorruptibilitatem .... Istiusmodi homines, videntur mihi conditoris, & gubernatoris omnium non satis scire nec potentiam, nec sapientiam. *Athenagoras lib. de Resurrectione Mortuorum pag.* 43. & 44. qui multa subinde persequitur, quæ ad rem maxime pertinent.

(13) Hoc item ab Ethnicis opponebatur Christianis argumentum. Adisis Augustinum *l.* XXII. *De Civ. Dei Cap.* XIX. *Tom.* VII. *Opp.* In eodem luto hæserunt Gnostici. Nam Tertullianus *de Resurrect. Carnis Cap.* IV. Sic eos inducit disputantes: *Adeone autem eadem sperabitur, quæ intercidit, ut claudus, & luscus, & cæcus, & leprosus, & paraliticus revertantur, ut rediisse non libeat ad pristinum.* Confer *Johan. Damascen. Parallel. Tom.* II. *Opp. Edit. Lequienii*, quo loco Justini Martyris verba laudat. Ab his mutuati sunt doctrinam Cathari.

(14) Videsis Johannem Damascenum loco mox indicato, qui sic Justinum Martyrum respondentem exhibet: *Sic isti* (hæretici) *excæcatos ad veritatem habent oculos. Numquid enim non viderunt in terra cæcos videntes, & claudos ambulantes? ... Si enim in terra carnis infirmitates sanavit, & corpus integrum reddidit, quanto magis in resurrectione id faciet, ut caro integra perfectaque resurgat.* Vide Athenagoram *lib. De resurrect. mortuorum pag.* 61.

[*] Quæ duobus asteriscis comprehendimus, desunt e *Codd. Bonon.* & *Vatic.*

(15) Hoc idem Catholicis apponebant hæretici veteres, ut colligi ex Tertulliano facile potest *lib. De resurrectione Carnis cap.* LXII.

(16) Adposite S. Irenæus *lib.* IV. *cap.* V. *al.* X. *num.* 3. Dominus „ noster, & magister, *inquit*, in ea responsione, quam habuit „ ad Sadducæos, qui dicunt resurrectionem non esse, & propter „ hoc inhonorantes Deum, atque legi detrahentes, & resurrectionem ostendit, & Deum manifestavit, dicens: *Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. De resurrectione enim mortuorum non legistis quod dictum est a Deo &c.* Vide quæ de Sadducæis habet Lucas *Act. cap.* XXIII. v. 8. Consulitor etiam Josephus *lib.* XIII. *Antiq. Judaic. Cap.* X. §. VI. *pag.* 663. *Tom.* I. & *De Bello Jud. lib.* II. *cap.* VIII. §. 14. *pag.* 165. *seq. Tom.* II. *Edit. Havercampi.*

(17) Ita quidem censuisse Pharisæos plerosque suspicari quis poterit, qui Josephum legerit, *loc. indic. Notatione superiore.* Consule *Synops. Criticor. ad hunc locum Matthæi, quem* nunc explicat noster.

(18) Tertullianus *lib. De resurrect. Carnis cap.* LXI. *seq. Quot spadones*, inquit, *voluntarii? Quot virgines Christo maritatæ ....*

si &

litate, quam ponit esse causam defectus nuptiarum in Cælo. B. Lucas tanquam philosophus, quia medicus fuit dicit c. 20. v. 36. *Neque enim ultra mori poterunt*: sicut enim mortalitas causa est quare nuptiæ fiant, quare intenditur generationi filiorum, ita etiam immortalitas causa est in Cælo quare non sunt ibi nuptiæ, & quare non generantur ibi filii & filiæ: modo enim ne pereat species, sive genus humanum, intenditur generationi filiorum, & necesse est hoc ne pereat hæc species homo; sed tunc quando non poterimus mori, non erit necessaria operatio vis generativæ, nec vis nutritivæ, quæ est ad conservationem individui, sicut generatio ad conservationem speciei. Primum illorum trium notat Dominus cum dicit *in resurrectione*, secundum cum dicit *neque nubent*: *neque nubentur*, tertium cum dicit *sed erunt sicut Angeli Dei in Cælo*, idest immortales, ut dicit Lucas.

Ad idem inducunt illud 1. Cor. 6. v. 13. *Esca ventri, & venter escis, Deus autem hunc & has destruet*; ergo non resurget venter, cum sit destruendus sicut & escæ; eadem ratione nec alia caro resurget.

Solutio. Hoc argumentum nullam habet apparentiam, nedum existentiam: venter destruetur a Deo sicut & escæ; ergo non resurget sicut & escæ. Licet enim aliqua assimilentur in uno, non tamen assimilantur in duobus.

Præterea Ap. non loquitur de ventre simpliciter sive secundum substantiam suam, sed secundum operationem ad escam, unde dicit. *Esca ventri, & venter escis*: loquitur ergo de ventre secundum quod est vas receptivum escarum, (19) & in quo decoquuntur; sic autem destruetur omnino, non autem destruetur secundum substantiam omnino; ut enim dictum est prius cessabit officium vis nutritivæ, sicut & generativæ, propter immortalitatem, & impassibilitatem corporum. Ad notandum autem quod venter destruetur omnino quoad officium & usum vis nutritivæ, dicit Ap. 1. Cor. 15. v. 44. *Seminatur corpus animale*, idest alimoniale, *surget corpus spiritale*, idest non indigens alimonia, sicut nec spiritus. Deus ergo destruet ventrem, & suscitabit eum, sed non suscitabit escas, quam differentiam notare Ap. volens dixit 1. Cor. 6. v. 14. *Deus vero & Dominum suscitavit, & nos suscitabit per virtutem suam*.

Item 1. Cor. 15. v. 37. Loquens de resurrectione per similitudinem grani dixit: *Et quod seminas, non corpus, quod futurum est seminas*.

In his verbis hæreticus vim constituens (20) sic argumentatur: ergo aliud corpus seminatur, & aliud futurum est: sed hoc induxit Ap. ad insinuandam resurrectionem per similitudinem; ergo aliud erit corpus, quod resurget, quam quod seminatur, idest in terra sepelitur, & sic resurrectio horum corporum non est futura.

[*] Scio autem, quod hanc expositionem nititur reprobare hæreticus, *seminatur*, idest *sepelitur*, non enim homo sepelitur: constat autem, quod tropice loquitur Ap. per synecdochen tribuens toti, quod est partis. [*]

Solutio. Dicimus ad prædictam objectionem, quod in auctoritate Ap. *Non corpus quod futurum est seminas*; *quod* sumitur pro *quale* sicut patet ex quæstione præambula v. 35. *qualive corpore venient?* quam quæstionem solvit dicens: *Non corpus quod futurum est seminas*, idest non quale. Idem etiam patet per hoc, quod subjicit Ap. *sed nudum granum, ut puta tritici aut alicujus cæterorum. Deus autem dat illi corpus sicut vult*, idest vestitum palea & aristis. Similiter seminatur corpus nudum veste immortalitatis propter peccatum primi hominis. Rom. 8. v. 10. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum*, sed surget vestitum veste immortalitatis 1. Cor. 15. v. 53. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*. Dico ergo quod idem granum, quod futurum est seminatur, & aliud: sed idem in substantia, aliud in qualitate, ut large sumatur aliud; similiter idem corpus in substantia moritur, & resurgit, sed in qualitate diversum. Quod autem idem granum sit in substantia, quod seminatur & surgit, patet expertis in scientia naturali, ubi habetur, quod generatio & corruptio unius & ejusdem est, materia enim quando exuitur una forma, induit aliam; similiter materia grani prius mortui induit formam grani novi, hæc autem forma ejusdem speciei est cum forma præcedentis grani. Materia ergo eadem in grano utroque, & forma specifica eadem in utroque; quare tota substantia unius est tota substantia alterius, & non differt nisi numero, idest, accidentibus.

Nonne etiam vides, quod Ap. ad granum dixit v. 36. *Insipiens tu quod seminas non vivificatur nisi prius moriatur*.

Item

si & hic jam vacare est & officia, & emolumenta membrorum temporali vacatione, ut in temporali dispositione, nec homo tamen minus salvus est. Proinde homine salvo, & quidem magis tunc in æterna dispositione, magis non desiderabimus, quæ jam hic non desiderare consuevimus. Sed huic disceptationi finem Dominica pronunciatio imponit, erunt inquit, tamquam Angeli. Si non nubendo, quia neque moriendo, utique nec ulli simili necessitati succidendo corporalis conditionis ... Denique non dixit erunt Angeli, ne homines negaret: sed tamquam Angeli, *ut homines conservaret*.

(19) Consulitor Tertullianus *lib. De Pudicitia cap.* VI. Sanctus Irenæus *lib.* V. *cap.* VII. utitur hoc testimonio scripturæ ad hæresim Gnosticorum refellendam. „ Templum Dei, *inquit*, in quo spi„ ritus inhabitat Patris, & membra Christi non participare salu„ tem, sed in perditionem redigi dicere, quomodo non maximæ „ est blasphemiæ? Quoniam autem corpora nostra, non ex sua „ substantia, sed Dei virtute suscitantur, Corinthiis dicit: *Cor„ pus autem non fornicationi sed Domino: & Dominus corpori*. Quæ verba mox sequuntur post ea, quibus Cathari abutebantur. Ergo de operibus ventris disserit Apostolus, non de ventre ipso, & corpore.

(20) Adi S. Thomam III. *P. Quæst.* CVI. *Art.* I. *Arg.* I. & S. Irenæum *lib.* V. *cap.* VII. *num.* I. *seq.* qui eodem quo noster responso utitur. *Hæc igitur*, inquit, *mortalis* (caro.) *Hæc autem de qua & dicit*: Vivificabit & mortalia corpora vestra. *Et propter hoc ait de ea in prima ad Corinthios*: seminatur in corruptione, vivet in incorruptione. *Etenim* tu, *ait*, *quod* seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur. *Quid est autem, quod ut granum tritici seminatur, & putret in terra, nisi corpora, quæ in terra ponuntur, in qua & semina jactantur? Et propter hoc dixit*: seminatur in ignobilitate, surget in gloria. *Quid enim ignobilius carne mortua? Vel quid iterum gloriosius surgente ea, & percipiente incorruptelam?* Seminatur in infirmitate, surgit in virtute. *In infirmitate quidem sua, quoniam cum sit terra, in terram vadit: virtute autem Dei, qui eam suscitat a mortuis, &c.*

[*] Quæ duobus asteriscis complexi sumus non extant in *Codd. Benon. & Vatic.*

Item diversam qualitatem respiciens dixit v. 37. & 38. *Et quod seminas non corpus, quod futurum est seminas, sed nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus cæterorum; Deus autem dat illi corpus sicut vult, & unicuique seminum proprium corpus*, idest propriam corporis speciem.

Ex his patet, quod cum ponatur, *quod* pro *quale* ut ostendimus, non valet prædicta argumentatio hæretici: *non corpus quod futurum est seminas*; ergo aliud corpus seminatur, & aliud resurget, nisi tu velis intelligere aliud in qualitate, hoc enim verum est, sicut & granum primum differt a secundo in qualitate, non in substantia.

Si autem vis sumere aliud in substantia, constat quod non valet argumentatio tua. *Non corpus quod futurum est seminas*, idest non quale, quasi diceret aliud in qualitate; ergo a simili aliud corpus in substantia resurget, quam illud quod seminatur, idest, sepelitur in terra.

Item ibidem v. 50. dicit Ap. *Hoc autem dico fratres: quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt* (21) *neque corruptio incorruptelam possidebit*, quibus verbis prave intellectis concludit hæreticus; ergo caro ista non resurget.

[*] Ad hoc dico, quod si caro non est resurrectura ad gloriam, nec anima secundum tuum errorem; ponis enim, quod utrumque de corruptione est, idest de luxuria ut patet 1.l. c.4. [*]

Præterea dico, quod Ap. in præcedentibus locutus fuerat de gloria resurgentium, postea autem ostendit qualiter possemus pervenire ad ipsam, idest si portemus in carne imaginem cælestis, idest Christi, sicut portavimus aliquando imaginem terreni, idest Adæ. Portare imaginem cælestis, est spiritu facta (22) carnis mortificare, ut enim dicitur Rom. 8. v. 13. *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*, supple in gloria resurrectionis: portare autem imaginem terreni est secundum desideria carnis vivere, unde ante verba prædicta dicitur. *Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini*. Ostendit etiam Ap. qualiter illam gloriam possumus admittere cum dicit: *hoc autem dico &c.* Sciendum autem, quod nec ad Rom. nec in prædicta auctoritate ad Cor. sumitur caro aut sanguis pro substantia carnis, aut sanguinis, sed pro carnalibus operibus, sicut & supra Rom. 8. v. 8. *Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt*, vel pro hominibus viventibus carnaliter, & facientibus opera carnis, quæ enumerantur ad Gal. 5. v. 19. 20. & 21. *Manifesta sunt autem opera carnis quæ sunt fornicatio &c.* postea subdit. *Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*. Idem habetur 1. Cor. 6. v. 9. & 10. *Nolite errare: Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt*. Distinguendum autem inter carnem, & sanguinem secundum B. Ambrosium. Caro enim dicitur carnalis sensus, vel carnaliter de Deo sentiens. Unde Roman. 8. v. 6. *Prudentia carnis mors est*. Sanguinem vero appellat turpem vitam illorum hominum, qui prædictis intendunt operibus. Duo ergo sunt quæ impediunt venire ad gloriam, scilicet infidelitas, & immunditia vitæ: ista duo appellat corruptionem, quia non possidebit incorruptelam.

Aliter autem potest dici, quod Ap. destruit ibi errorem (23) Pharisæorum qui credebant resurrectionem secundum opera nuptiarum, & ponebant futuram postea sicut modo, ut notatum est supra in eodem cap. in illa auctoritate. *In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur*. Dicit ergo Ap. ad Cor. *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt*: idest opera nuptiarum carnalium, in quibus ex duobus sanguinibus filii oriuntur, non erunt in regno Dei. Et dicit Ap. causam quam Lucas posuit, ut ibidem prænotavimus, quia incorruptibiles erimus, & non erit corruptio hominum, sive exitus de esse ad non esse in illo regno, nec enim ultra mori poterunt homines.

Ad idem etiam solent inducere illam auctoritatem ad Gal. 5. v. 17. *Caro enim concupiscit adversus spiritum*, (24) ex quo volunt, quod non sit digna gloria illa.

Sed qualiter sumatur ibi *caro*, jam supra dictum est, scilicet pro homine carnaliter vivente, non pro substantia carnis.

Si enim dicas, quod sumitur pro substantia carnis: similiter autem cum dicitur, *manifesta sunt autem opera carnis*, (25) *quæ sunt fornicatio &c.*

Ergo cum Deus redditurus sit unicuique secundum opera sua, reddet carni secundum ista opera; ergo caro resurget in judicio.

Ad

(21) Abutebantur hoc Apostoli testimonio Gnostici. Quare illud sibi opponit, refellitque Irenæus *Lib.* v. *cap.* IX. *Contra Hæreses*. Est autem ejus *Cap.* Argumentum hujusmodi: *Quomodo intelligendus sit locus Apostoli, quo hæretici abutebantur*: Caro & sanguis Regnum Dei non possidebunt. I. *Cor.* XV. Adisis Tertullianum *lib. De resurrect. Carnis cap.* XLVIII. *seq.*

[*] Desunt, quæ duobus asteriscis comprehensa cernis, e *Codd. Bonon.* & *Vatic.*

(22) Auctor Dialogi de recta in Deum fide *Tom.* I. *Opp. Origenis Edit. Novæ Dialog.* III. „ Apostolus, *inquit*, carnem & sanguinem turpes, & flagitiosissimas actiones nominat, qui carnalia sapiunt, carnales appellans; qui spiritualia faciunt, spirituales. Paria affert Irenæus *loco mox indicato*, ut ῥητὸν Apostoli explicet, *quod omnes hæretici proferebant in amentiam suam*.

(23) Fuisse Pharisæos, qui nuptias in resurrectione celebrandas esse putarent, dixi *Notatione* 18. *in hoc cap.* Hos autem refelli ab Apostolo non constat. Ceterum ut ita sentiat Moneta, nihil impedio: A Pharisæis hoc idem opinionis genus accepisse videtur Cerinthus, si non gente, at religione saltem Judæus. Consule *Euseb. Lib.* III. *Cap* XXVIII. *Hist. Eccles.* & *Theodoretum lib.* II. *cap.* III. *Hist.* Rabbini etiam plerique hanc eamdem sententiam probant de nuptiis, ut multis ostendit Vvindetus *lib. De Vita Functorum statu. Sectione* VII. *Tom.* IV. *Opuscul. Vvostii*. Ab his fortasse suum illud carnale regnum post Mortem mutuati sunt Mahomedani. Consulitor Relandus.

(24) Argumento ejusmodi nitebantur etiam, qui gnosticam hæresim defendebant. Adeundus Tertullianus *lib. De resurrectione Carnis cap.* X. Quo loco, sibi opponit Pauli ῥητὸν, ac explicat. *Apostolum quoque*, inquit, *ne de uno stylo noris, quo carnem plerumque compungit. Nam etsi negat habitare boni quidquam in carne sua, etsi affirmat eos QUI IN CARNE SUNT DEO PLACERE NON POSSE, QUIA CONCUPISCAT ADVERSUS SPIRITUM: & siqua alia ita ponit, ut carnis, non tamen substantia, sed actus inhonoretur. Dicemus quidem alibi, nihil propriæ carni exprobari oportere, nisi in animæ suggilationem, quæ carnem ministerio sibi subigit*.

(25) Adisis Irenæum *lib.* v. *cap.* XI. *per totum*, quo loco fuse hoc argumentum persequitur, atque ita rem explicat, ut eam paucis explicavit noster.

Ad idem inducunt illud Psal. 1. v. 5. *Non resurgent impii in judicio &c.*(26)

Solutio. De resurrectione prima loquitur, scilicet de resurrectione a vitiis; unde dicit: *Non resurgent impii*, ideſt infideles, *in judicio*, ideſt se hic judicando, sicut dicit Ap. 1. Cor. 11. v. 31. *Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Neque peccatores*, ideſt Christiani prava opera agentes resurgent *in consilio justorum*, ideſt, secundum consilium justorum, quod eſt præferre voluntatem Dei suæ: & quia loquitur de præsenti *non resurgunt*, loquitur de prima resurrectione, de qua Apocal. 20. v. 6. *Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem*. Non dicit in secunda, in illa enim omnes partem habebunt, unde 1. Cor. 15. v. 51. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*.

[*] Item quod corpora non resurgent, videtur posse ostendi per illud, quod dicit David. Psal. 48. v. 12. *Et sepulcra eorum domus illorum in æternum*.

Solutio. Æternum aliquod finem habet ut ostensum eſt 1. par. hujus operis cap. 1. Æternum autem hoc modo sumitur. Exod. 15. v. 18. *Dominus regnabit in æternum & ultra*: Æternum ergo dicitur spatium totum hujus seculi, in cujus die novissimo exibunt de sepulchris corpora resuscitata. Joha. 6. v. 44. *Et ego resuscitabo eum in novissimo die*; iste dies eſt hora illa, *in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei*; Jo: 5. v. 28.

Præterea. Ezech. 37. habetur idem, sic enim ibi v. 12. legitur: *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris*.

Item Dan. 12. v. 2. *Et multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt*.

Vel aliter *sepulchra eorum domus illorum in æternum*, verum eſt quoad voluntatem malorum, de quibus ibi loquitur, sine fine enim vellent resurrectionem diferri, cujus testimonium habetur Apoc. 6. v. 15. 16. & 17. *Et reges terræ, & principes, & tribuni, & divites, & fortes, & omnis servus, & liber absconderunt se in speluncis, & in petris montium: & dicent montibus, & petris: cadite super nos, & abscondite nos a facie sedentis super thronum, & ab ira agni: quoniam venit dies magnus iræ ipsorum: & quis poterit stare?* Quicumque autem volent se abscondere non poterunt, imo exibunt de cavernis, unde Michææ 7. v. 17. *Velut reptilia terræ, perturbabuntur in ædibus suis*, ideſt, cum turbatione & amaritudine exibunt de sepulchris. Per illud tamen supra ad hæreticos melius eſt. [*]

Ad idem inducunt illud Psal. 77. v. 39. *Et recordatus eſt quia caro sunt: Spiritus vadens, & non rediens*. Caro dicitur homo a cado cadis, quasi diceret, mortales sunt; & ponit causam, quia spiritus eorum eſt vadens a corpore, & non rediens ad ipsum; ergo corpus non resurget.

Item Psalm. 102. v. 15. & 16. *Recordatus eſt quoniam* (27) *pulvis sumus: homo, sicut fœnum dies ejus, tanquam flos agri sic efflorebit. Quoniam spiritus pertransibit in illo, & non subsistet*, ideſt non permanebit in hac vita, *& non cognoscet amplius locum suum*.

Item Psal. 103. v. 29. dicit David ad Deum: *Aververtente autem te faciem*, ideſt misericordiam tuam ab hominibus, *turbabuntur: auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur*.

Item Ecclesiastici 12. v. 7. *Revertatur pulvis in terram suam unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*.

Item Job. 7. v. 9. & 10. *Sicut consumitur nubes, & pertransit: sic qui descenderit ad inferos, non ascendet: nec revertetur ultra in domum suam, neque cognoscet eum amplius locus ejus*.

Ad primum dicendum eſt, quod spiritus postquam egressus eſt ab homine, non redit ad corpus pristinum, ideſt corruptibile. Bene ergo dicit in alio versu (Psalm. 102. v. 16.) quod spiritus non cognoscet amplius locum suum, quia corpus corruptibile fuerat locus ejus, sed post resurrectionem locus ejus eſt incorruptibile corpus.

Præterea. In Psal. illis evidenter agitur de Deo Veteris Testamenti, ut patet in Psalm. 77. *Attendite popule meus &c.* Unde sumpsisti versum primum. Similiter in aliis Psalmis de quibus sumpti sunt alii versus agitur de Deo qui creavit, distinxit, ornavit omnia visibilia iſta, sicut patet legentibus diligenter in eis; talis ergo eſt sanctus Deus, & verus.

Ad illud, quod dictum eſt: *& in pulverem suum revertentur*, & ad illud de Ecclesiaste, dico: quod iſtud non contradicit resurrectioni: licet enim dissolvatur corpus, licet in præjacentem materiam resolvatur, tamen postea reformabitur, secundum quod notatur in sequenti versu ejusdem Psal. *Emittes spiritum tuum, & creabuntur*, ideſt recreabuntur, unde sequitur, *& renovabis faciem terræ*, ideſt corporis de terra sumpti.

Ad illud, quod dicitur in Job, patet quod loquitur contra Pharisæos, videns in spiritu errorem eorum, quia credituri erant resurrectionem, & quod homines redirent ad domos, ideſt ad familias suas, & habitarent in locis suis, cum uxoribus, & filiis sicut modo, licet semper victuri. Unde Job contra hunc errorem dixit v. 7. *Memento quia ventus eſt vita mea, & non revertetur oculus meus, ut vi-*

(26) *S. Thomas* III. *P. Quæſt.* CVI. *Art.* 2. Augustinum auctorem sequutus *lib.* XX. *De Civ. Dei cap.* XXII. Sic argumentum hoc diluit: *Dicendum, quod* (Psalmista) *loquitur de spirituali resurrectione, qua impii non resurgent in judicio discussionis conscientiæ, ut Glossa exponit: vel loquitur de impiis, qui sunt animo infideles, qui non resurgent, ut judicentur; jam enim judicati sunt*.

[*] Quæ duobus astericis conclusimus, desunt e *Codd. Neapol.* & *Vatic.*

(27) Mirum non eſt, si Manichæi, ac Gnostici veteres hoc genere argumentorum usi non fuerint. Reprobabant enim totum quantum eſt, Vetus Testamentum. Sed Cathari, ut *libro primo* animadvertit Moneta, & Psalmos, & Prophetarum libros, & Jobi, ac eos, quos vocamus *Sapientiales*, facile admittebant.

videat bona, ſcilicet iſta temporalia, uxorem ſcilicet, & filios, equos, aſinos, boves, agros, & vineas, ſicut modo video, & procuro; unde ſtatim ſubdit Job v. 8. *Nec aſpiciet me viſus hominis*, ſupple in iſto ſtatu.

Ad idem inducunt Apoc. 21. v. 5. *Ecce nova facio omnia*: ex hoc concludunt; ergo vetus caro non reſurget.

Solutio. Sicut homo qui prius vetus erat vetuſtate peccati, renovatus autem in baptiſmo, vel pœnitentia, non eſt alius in ſubſtantia quam prius, ita caro, quæ prius erat vetus, ideſt corruptibilis & mortalis, per reſurrectionem fit nova, caro enim quæ, antiquatur, & ſeneſcit prope interitum eſt, ſed per reſurrectionem (28) facta incorruptibilis renovatur, nec tamen eſt alia in ſubſtantia; propter hoc dicitur in Pſalm. 102. v. 5. *renovabitur ut aquilæ juventus tua*: item Pſalm. 103. v. 30. *renovabis faciem terræ*. Sicut ergo non valet: iſte homo fit novus ſpiritualiter; ergo non erat prius: ita non valet, Deus faciet corpora humana nova; ergo caro vetuſta non reſurget; idem enim eſt ac ſi diceret, ergo non erant prius: deberet dicere, ergo non erant prius talia.

Ad idem inducunt quandam rationem ſophiſticam: Corpus conſtat ex elementis adinvicem contrariis (29) ſecundum ſuas qualitates, propter quam contrarietatem diſſolvuntur corpora hominum, ita quod illud quod ibi erat de igne, ad ignem evolat, quod de terra ad terram, quod de aqua ad aquam, quod de aere ad aerem: Legitur autem 2. Petri 3. v. 12. Quod *elementa ignis ardore tabeſcent*; & hoc erit ante reſurrectionem. Cum ergo partes elementares, ex quibus conſtat corpus humanum, redeant ad ſua principia, ideſt ad quatuor elementa, & elementa per ignem tabeſcant ante reſurrectionem; ergo corpora non reſurgent, deficiente enim materia deficit & materiatum.

Solutio: non negamus quin elementa (30) ex quibus conſtant humana corpora redeant ad ſua principia: non negamus etiam quin elementa ardore ignis tabeſcant in die judicii, ſed quod iſtud fiat ante reſurrectionem negamus, ſimilis enim fiet tabeſcentia elementorum (32) per ignem, qui ante faciem Chriſti præcedet, & reditio partium elementarium ex quibus conſtant humana corpora, ad ipſa corpora noſtra cum reſurgent; ergo non deficiet materia corporum noſtrorum, imo Dei virtute redibit ad corpora, ſicuti corporibus reſolutis evolaverat ad elementa.

Præterea. Qualiter elementa ſint tranſitura, dictum eſt 6. cap. primæ partis: adhuc tamen aliquid addimus, ſcilicet, quod non tranſibunt quoad ſubſtantiam ſuam, ſed ut dicit Aug. l. 20. de Civ. Dei c. 4. primariæ (32) qualitates eorum tranſibunt, ſcilicet caliditas, frigiditas, ſiccitas, & humiditas, Quomodo autem Auguſtinus intelligat iſtas tranſire ab elementis, dubitari poteſt; eſſentiales enim ſunt elementis, ideſt comitantes eorum naturam, & eſſentiam inſeparabiliter. Dico ergo quod iſtas qualitates tranſire dicit, quoad mutuam actionem, & paſſionem adinvicem, unde Aug. ſupra illud verbum 1. Cor. 7. v. 31. *Præterit enim figura hujuſmodi* dicit: *non ſubſtantia*, (33) *ſed figura præteribit, atque ipſa ſubſtantia eas qualitates habebit, quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione conveniant*, & vult dicere, quod ſicut ipſa corpora immortalia, & impaſſibilia erunt, ſic & ipſa elementa, ſalva tamen propria eorum ſubſtantia, in qualitatibus propriis & naturalibus.

Ad idem inducunt illud Job. 14. v. 22. *Homo cum dormierit non reſurget*.

Ad hoc dicitur, quod Job non ſimpliciter negat reſurrectionem, ut patet in cap. 14. v. 25. *Scio enim quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum*. Prophetice autem loquitur de redemptione humani generis per Chriſtum, & de reſurrectione ejus a morte dicens: *Scio quod Redemptor meus vivit*. Simile dixit Ap. ad Roman. 6. v. 9. & 10. *Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel: quod autem vivit, vivit Deo*, ideſt ad Dei ſimilitudinem, ideſt impaſſibilis, & immortalis. Bene ergo dicit Job,

(28) Adpoſite Irenæus *Lib.* v. *cap.* XXXIV. *num.* 2. *Quomodo*, inquit, *vere Deus eſt, qui reſuſcitat hominem, ſic & vere reſurgit homo a mortuis, & non allegorice, quemadmodum per tanta oſtendimus. Et ſicut vere reſurgit, ſic & vere præmeditabitur incorruptelam .... Deinde omnibus renovatis, vere in civitate habitabit Dei*. Dixit enim, *inquit*, ſedens ſuper Thronum: Ecce nova facio omnia. Nota autem propterea ex hoc Apocalypſeos verſu concludere auſos fuiſſe Catharos Albanenſes veterem *Carnem reſurgere* non oportere, quod, ut *not.* 3. in *hoc cap.* obſervavi, carnem cœleſtem, quam habuiſſe animas olim putabant, reſurrecturam eſſe arbitrarentur.

(29) Simile quidpiam ſibi objicit Auctor Operis *de recta in Deum Fide Dial.* III. *Tom.* I. *Opp. Origenis Edit. Novæ*. „ „ Homo ex terra, & aere, & aqua, & igne conſtituitur. Pro„ inde ubi moritur, & diſſolvitur, unaquæque ſubſtantia id „ quod ſibi proprium eſt recipit, veluti pars ignis, ignem, „ aquæ aquam, aeris aerem, terram denique ad terram ſe „ adjungit, & agglutinat. Quo igitur modo fieri poterit, ut „ homo reſurgat, cujus partes liquefactæ ita concreſcunt, & coa„ leſcunt invicem.

(30) Reſpondet huic argumento Auctor idem. Eſt autem ejus reſponſum hujuſmodi: *Tua opinione Deo homines fortiores eſſe oſtenduntur, & vanum eſt Servatoris pronunciatum: quæ apud homines ſunt impoſſibilia, apud Deum ſunt poſſibilia ... Quoniam homines vinum aqua confuſum, ſejungunt, uſi arte, & ſcientia, argentumque ab ære ſeparant, aliaque hujuſmodi complura norunt ſecernere. Deus autem, qui viribus invictus eſt inſuperabilis eſt, artifex, & opifex omnium, cui aqua, aer, terra obſecundant, cui timore ſerviunt .... quomodo non unicuique in reſurrectione corpus ſuum reddet*. Viden ut hæretici veteres iiſdem noſtros premebant argumentis, quibus ætate Monetæ Cathari, atque ut Auctor Dialogi non diſſimili utatur reſponſione.

(31) Huc recidunt, quæ habet S. Thomas III. *P. Q. CV. Art.* v. *in c.* Docet enim, *quod in ultima mundi conflagratione manebunt elementa quantum ad ſubſtantiam, & qualitates eorum proprias, ſed purgabuntur ab infectione, quam ex peccatis hominum contraxerant, & ab impuritate, quæ & actionem, & paſſionem mutuam in eis cauſat. Conſule ibid. S. Th.*

(32) Immo *cap.* XVI. ubi hæc habet: *illa utique ut dixi conflagratione mundana elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus noſtris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt; atque ipſa ſubſtantia eas qualitates habebit, quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione conveniant: ut ſcilicet mundus in melius innovatus, apte accommodetur hominibus, etiam carne in melius innovatis*. Animadvertendum porro hic eſt hoc de conflagratione mundi argumentum objectum fuiſſe Chriſtianis a Celſo Epicureo. *Apud* Origenem *lib.* v. *num.* 17. *pag.* 589. *Tom.* I. *Opp. Edit. novæ*; quamobrem Celſum ab Origene fuiſſe exagitatum: ibid.

(33) Ita quoque S. Thomas III. *Parte Q.* CVI. *Art.* I. *ad* I. *arg.*

Job, quod Redemptor suus vivit, postea per Christi resurrectionem probat resurrectionem suam dicens: *& in novissimo die de terra surrecturus sum*. Idem dicit Ap. 1. Cor. 15.

Praeterea, quod Job non neget simpliciter resurrectionem in verbis praedictis, patet ex eo, quod statim subjungit: *donec atteratur Caelum non evigilabit, nec consurget de somno suo*, idest de morte. Caelum autem aereum dicit, de quo Matth. 24. v. 35. *Caelum & terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt*, & 2. Petri 3. v. 7. *Caeli autem, qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem judicii*. De isto transitu jam diximus qualis sit, & quod similis erit cum resurrectione corporum nostrorum. Bene ergo dicit Job *donec atteratur Caelum*, ut notaret, quod utrumque similiter fiet.

§. II.

Sententia haereticorum qui duo ponunt principia.

Viso quid de resurrectione sentiant omnes Cathari communiter, scilicet, quod non resurgent haec corpora: viso etiam qualiter objiciant contra resurrectionem horum corporum, videamus specialiter quid de resurrectione sentiant illi qui ponunt duo principia. (34) Ponunt enim isti resurrectionem corporum distinguentes inter corpus, & animam, sed aliorum corporum resurrectionem, scilicet caelestium corporum, ex quibus animae, quae oves Israel secundum eos dictae sunt, propter peccatum in hunc mundum venerunt.

Ad hoc autem probandum inducunt illud Ezech. 37. a v. 1. usque ad 6. exclusive. *Facta est super me manus Domini, & eduxit me in spiritu Domini: & dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus: & circumduxit me per ea in gyro: erant autem multa valde super faciem campi, siccaque vehementer. Et dixit ad me: Fili hominis, putasne vivent ossa ista? Et dixi: Domine Deus tu nosti. Et dixit ad me: Vaticinare de ossibus istis, & dices eis: Ossa arida audite verbum Domini. Haec dicit Dominus Deus ossibus his: Ecce ego intromittam in vos spiritum, & vivetis*. Evidentissimum est, quod hic agitur de corporali resurrectione Filiorum Israel; unde & dicitur inferius v. 11. *Ossa haec universa domus Israel est*, quod ideo dicitur, non quia Filii Israel essent ossa illa, sed quia illa ossa fuerant partes eorum: illam autem domum, sive familiam intelligunt, ut dictum est in praecedentibus, populum caelestem, qui inde propter peccatum ejectus est, & per campum illum ubi erant ossa intelligunt caelestem patriam. Dicunt ergo illam prophetiam factam esse in mundo superiori.

Ipsi autem hoc, quod dicunt, non possunt ostendere intellectum esse ipsius prophetiae: in praecedentibus etiam ostensum est haereticum esse, quod dicunt de ovibus Israel ut habetur in prima parte hujus operis.

Praeterea. Litera non est pro eis: ipsi enim distinguunt inter animas, & spiritus, ut praedictum est supra, (35) & dicunt quod spiritus non sunt in corporibus, sed extra tanquam custodes, sed animae, in eis fuerunt; quomodo ergo stabit litera, quae dicit: *Ecce ego intromittam in vos spiritum, & vivetis*.

Praeterea. Inferius v. 10. dicitur: *Et prophetavi sicut praeceperat mihi, & ingressus est in ea spiritus, & vixerunt*; ergo spiritus est in corpore, non extra.

Praeterea. Secundum literam oportet eos dicere resurrectionem jam esse factam, (36) quia dicitur: *& ingressus est in ea spiritus, & vixerunt*; ipsi enim in prophetiis sumunt verba secundum, quod sonat litera, idest praeteritum pro praeterito.

Praeterea. Secundum sonum literae oportet dicere, quod ossa illa non essent in terra Israel, idest in caelesti patria, quam falso intelligunt ibi per terram Israel designari; dicitur enim per Ezech. v. 12. *Haec dicit Dominus: Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris populus meus: & inducam vos in terram Israel*. Isti tumuli non erant in terra Israel ut patet per literam, ergo nec ossa, quae in eis erant. Hoc autem esse non potest etiam secundum eos, quia Draco non traxit de Caelo, ut dicunt, nisi tertiam partem stellarum, idest animas, non corpora, nec spiritus, ut falso exponunt. Ex his omnibus patet, quod tumuli illi in hoc mundo inferiori sunt, & sic resurrectio de qua hic loquitur Ezech. est corporalis tantum, & hoc modo futura praedicitur, & ponitur praeteritum pro futuro, sicut in aliis ostendimus in prima parte hujus operis, & per domum Israel intelligitur populus Christianus videns Deum per fidem veram.

[*] Objiciunt etiam illud Rom 2. a v. 5. usque ad 10. excl. *Thesaurizas tibi iram in die irae, & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus: iis quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quaerunt, vitam aeternam: iis autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio. Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum*: non dixit in omne corpus, ut innuat corpus non esse resurrecturum.

Ad hoc autem dicimus, quod falsum dixit (37) haere-

(34) Nempe Cathari Albanenses. Vide Proleg. Cap. 3.

(35) Consule notationem 17. *in cap.* I. *lib.* I. *&* *notat.* I. *in cap.* x. *lib.* I. Hujusce operis.

(36) Videlicet hoc etiam restabat, ut Cathari Hymenaeum, & Philetum, Gnosticosque auctores sequuti, resurrectionem factam jam esse contenderent. De Hymenaeo, & Phileto consulendus est Apostolus *Epist.* II. *ad Timoth. cap.* II. v. 16. De Menandro Irenaeus *lib.* I. *cap.* XXIV. *num.* 5. ubi haec habet: *Resurrectionem* (ait Menander) *per id quod est in eum baptisma, accipere ejus discipulos, & ultra non posse mori*. Et de omnibus fere Gnosticis idem *lib.* II. *cap.* XXXI. *num.* 2. *Ubi esse resurrectionem a mortuis dicunt*, inquit, *agnitionem ejus, quae ab eis dicitur veritatis*. Consule etiam Tertullianum *Lib. De resurrectione Carnis cap.* XIX.

[*] Quae duobus asteriscis comprehensa vides desunt e *Codd. Bonon.* & *Vatic.*

(37) Hoc eodem testimonio, quo abutebantur Cathari, ad Manichaeos repellendos usus est Johannes Chrysostomus *Tom.* VIII. *Opp. pag.* 464.

hæreticus, non enim ut innuat hoc, quod dictum est, id dixit Ap., sed potius ad innuendum, quod omnis dolor animæ est, & omnis pœna, & quia dupliciter patitur anima, & secundum se, & pro ut conjungitur corpori, ideo postquam dixit: *ira & indignatio*; quia Deus irascitur, & indignatur talibus, subdit Ap. *tribulatio & angustia in omnem animam*, non dixit tantum tribulatio, vel tantum angustia, sed conjunxit illa duo, ut innuat duplicem modum passionis animæ; in resurrectione enim corporis mali hominis, & tribulatione animæ illæ conjunctæ habentur, Jac.5.v.1.2.& 3. *Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt: & vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum & argentum vestrum æruginavit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis.* Et Isaiæ ultimo v. 24. *Et egredientur, & videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt usque ad satietatem visionis omni carni.* [*]

Ad idem inducunt illud 1. Cor.15. Ubi ponit Ap. quod sunt corpora terrestria, & corpora cælestia, & quod alia est gloria cælestium, & alia terrestrium, & ponunt cælestium corporum resurrectionem tantum. (38)

Sed nonne videt miser hæreticus, quod corpora cælestia appellat Ap. Solem, & Lunam, & Stellas, (39) Sic enim ait v.41.& 42. De corporibus cælestibus testificans, & de diversitate claritatis ipsorum: *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum: Stella enim a Stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum*: supple differens erit in claritate, secundum quod homines magis, vel minus meruerunt in vita ista. Sciendum enim, quod resurrectio omnibus corporibus communis erit, secundum quod Ap. postea dicit v.51. *Omnes quidem resurgemus*. Sed gloria resurrectionis non erit omnibus communis, de qua subdit Ap. *Sed non omnes immutabimur*. Hanc immutationem amant Sancti, sicut Job 14. v. 14. qui ait: *cunctis diebus quibus nunc milito expecto, donec veniat immutatio mea*.

Item gloria resurrectionis differens erit, & hoc ostendit tripliciter: primo per comparationem corporum terrestrum inter se, unde ait v. 39. *Non omnis caro eadem caro*, idest ejusdem dignitatis, & loquitur de carne terrestrium, unde exponens subjungit: *Sed alia quidem hominum, alia vero pecorum, alia volucrum, alia autem piscium*: Secundo hoc ostendit per comparationem cælestium, & terrestrium adinvicem; unde v. 40. *Et corpora cælestia, & corpora terrestria*, supple differentiam habentia in gloria, unde subdit: *Sed alia quidem cælestium gloria*, idest claritas, *alia autem terrestrium*. Tertio ostendit illud idem per comparationem cælestium ad invicem; unde cap.41. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum*. Quam auctoritatem exponemus contra hæreticos qui unum ponunt principium cap. proximo de differentia præmiorum.

Hoc addito, quod ipsi per corpora cælestia animas intelligunt, (40) quarum conversatio in cælis est: Sed male, quia, ut ostensum est, anima nullo modo debet dici corpus.

[*] Si autem pro corpore cælesti aliud intelligis quam animam: dicas mihi hæretice qui unum ponis principium, quid est illud corpus cæleste, sive habitatio de cælo, quam Sancti cupiunt super induci; cum non credas, quod terrestris domus fiat cælestis, idest, quod hóc materiale corpus, quod modo est terrestre, idest corruptibile, fiat cæleste, idest, incorruptibile ad modum cælestium corporum. Valet autem hic modus ad claudendum os ejus, vel oportet eum suum errorem detegere. [*]

Ad idem etiam probandum inducunt illud 2. Cor.5. v.1. *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvetur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cælis.* (41) Dicit hæreticus: duas domos distinguit, scilicet corpus cæleste, & terrestre, primum est non manufactum, & æternum, & illud est, quod resurget, ut dicit hæreticus.

Solutio. Dico, quod una & eadem domus est modo terrestris, idest, fragilis, & corruptibilis, sed in resurrectione cælestis, incorruptibilis ad modum cælestium corporum: secundum primum statum manufacta est, idest, opere hominis facta, & est temporalis: secundum futurum statum erit non manu-

pag.464. Edit. Montfauc. Paris. Homilia v. In *Epist. ad Romanos num. 3. Vides*, inquit, *ut nobis de resurrectione corporum fores aperuerit? Cum incorruptione dicit; Incorruptio enim illa corrupti corporis est. Deinde quia hoc non satis erat, addidit gloriam, & honorem. Omnes enim resurgemus incorrupti, sed non omnes ad gloriam: sed alii ad supplicium, alii ad gloriam.*

(38) Corporum cælestium nomine corpus cæleste aptatum Christo intelligebant aliquot Gnostici. Adeundus Origenes, seu potius Auctor Operis *de Recta in Deum Fide. Dialogo*, seu *sectione* IV. *pag.*851. *Tom.* I. *Opp. Origenis Edit. Nov.*

(39) Ita plane Auctor Dialogi; cujus mox mentionem feci *loco notatione superiore indicato*. Σῶμα ὁ ἀπόστολος ὀνομάζει οὐρανὸν, ἥλιον σελήνην. οὕτω γὰρ φάσκει· σώματα ἐπουράνια, καὶ σώματα ἐπίγεια, ἄλλη δόξα ἡλίου, καὶ ἄλλη δόξα σελήνης, ἄλλη δόξα ἀστέρων. ἀστὴρ ἀστέρος διαφέρει ἐν δόξῃ, οὕτω καὶ ἡ ἀνάστασις τῶν νεκρῶν. Δεῖξον οὖν, εἰ σὰρξ, καὶ ὀστέα, καὶ αἷμα ἔχει ὑπόστασιν ἐν οὐρανῷ. *Corpus vocat Apostolus Cælum, Solem, Lunam. Sic enim ait*; Corpora cælestia, & corpora terrestria. Alia gloria Solis, & alia gloria Lunæ, alia gloria Stellarum. Stella differt a Stella in gloria. Sic & resurrectio mortuorum. *Ostende igitur, an caro, & ossa, & sanguis in Cælo habeant subsistentiam.*

(40) Non Cathari Albanenses, sed Concorrezenses corporis nomine animam indicari censebant. Quare τὸ *hoc addito* cadit in Catharos, qui unum ponebant principium ergo sapienter noster animadvertit corpus numquam significare animam. Catharis porro præivisse videntur Gnostici. Nam Theodotus ille, qui Eclogas elaboravit, quæ exstant ad calcem Opp. Clementis Alexandrini Edit. an. 1616. Ex Gnosticorum penu hæc deprompsit. Num. 13- Apud *Fabrit. Lib.* v. *Bibliothecæ Græcæ Cap.* I. *pag.* 145. „ Sed & anima corpus est. Igitur Apostolus: *Seminatur quidem corpus animale; surgit vero corpus spiritale.* „ Quonam autem modo, quæ torquentur animæ sentiunt, cum „ non sint corpora? Viden ut corporis nomine animam indicet.

[*] Quæ duobus asteriscis conclusa sunt, non exstant in *Codd: Bonon. & Vat.*

(41) Huc detorsisse videtur hoc idem Pauli testimonium Origenes *Lib.* III. *Periarchon cap.* VI. *num.* 4. *pag.* 153. *Tom.*I. *Opp. Edit. Novæ*. Ergo Catharis præivit, ut etiam Gnostici, quos Tertullianus *Lib. de Resurrectione Carnis Cap.* XII. innuit hoc Testimonio Pauli abusos fuisse, ut carnis resurrectionem tollerent.

manufacta, sed Dei virtute erit æterna, ideſt, indeficiens, quia incorruptibilis: (42) *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem* 1. Cor. 15. v. 53. Secundum etiam hunc ſtatum *habitationem noſtram, quæ de cælo eſt, ſuper indui cupientes*, 2. Cor. 5. v. 2. *quæ eſt* dicit, ideſt, quæ erit cæleſtis, ideſt, incorruptibilis, ſicut etiam dicit *habemus*, ideſt, habebimus, nondum enim habebat, ſed expectabat, & ſperabat habere; unde Rom. 8. v. 23. & 24. *Expectantes redemptionem corporis noſtri, ſpe enim ſalvi facti ſumus*. Hoc autem, quod una & eadem domus quæ modo eſt terreſtris, ſit futura cæleſtis declarat Ap. poſt illa verba *ſcimus enim &c.* Dicit enim v. 4. *Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo ingemiſcimus gravati: eo quod nolumus exſpoliari, ſed ſuperveſtiri, ut abſorbeatur, quod mortale eſt a vita*. Ideſt, tollatur mortalitas, & veniat vita immortalis. Idem dixerat ſupra c. 4. v. 11. *Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jeſum: ut & vita Jeſu manifeſtetur in carne noſtra mortali*. Propter hoc Ap. Roman. 7. Petebat liberari non a corpore iſto, ſed a corpore, ſecundum quod eſt mortis, ideſt mortale; & quia hoc non fit humano opere, ſed Dei gratia & virtute, ideo dicit v. 24. & 25. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum*, hic enim eſt carcer a quo petit liberari David dicens Pſal. 141. v. 8. *Educ de cuſtodia animam meam*, non enim eſt carcer niſi ſecundum quod gravat, hoc autem facit quia corruptibile & mortale eſt.

Ex hoc etiam patet ſolutio ad quandam objectionem quam facit hæreticus dicens: dicit Ap. 2. Cor. 5. v. 8. *Audemus autem & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præſentes eſſe ad Dominum*. Videtur ergo, quod corpus iſtud impediat Domino eſſe præſentem; quomodo ergo dicit reſurrecturum? (43)

Solutio. Dico: Corpus impedit Dei præſentiam inquantum mortale eſt & corruptibile: Sap. 1. v. 15. *Corpus enim, quod corrumpitur aggravat animam*: volebat ergo peregrinari a corpore, ideſt diſſolvi, & longe eſſe ab eo ſecundum quod tale, & tamen volebat abſorberi a vita immortali, immortalitatem & vitam Jeſu manifeſtari in carne ſua mortali, quia corpus tale non impedit præſentem eſſe ad Dominum videndum ſicuti eſt.

§. III.

Agitur contra illos, qui unum ponunt principium. Et quod horum corporum viſibilium & materialium erit reſurrectio una.

VIſo, qualiter reſurrectionem impugnant hæretici, accedamus ad oſtendendum, ipſam reſurrectionem corporum iſtorum futuram eſſe.

In primis dicimus, quod reſurrectio eſt ſecunda ejus, quod cecidit, ſurrectio; ut dicit Jo: Dam. L. 4. in fine. (44)

Secundo autem quædam ponemus contra illos qui unicum ponunt (45) Creatorem, quorum opinio eſt, animam eſſe corpus ſpirituale, carnem vero dicunt corpus animale, & ideo ubicumque corpus ſpirituale (46) reſurrecturum dicitur, animam tantum intelligi volunt, quod volunt habere ex gravi ſimilitudine. Nam in grano cortex eſt, & medulla. Per corticem carnem, per medullam vero animam ſignificari credunt, & ſicut medulla ſola cortice putreſcente vivificatur; ita & anima ſola putreſcente carne reſurget.

[*] Quod autem hæc ſimilitudo quam ibi ponit hæreticus nulla ſit, probatur hoc modo: Nihil reſurget a morte, niſi prius ceciderit in mortem, (47) unde Chriſtus prius mortuus eſt, & poſtea reſurrexit a morte 1. Cor. 15. v. 3. & 4. *Tradidi enim vobis in primis quod & accepi: quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundum ſcripturam: & quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertia die*. Surrexit ergo a morte. Hebr. 5. v. 7. *Qui in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationeſque ad eum, qui poſſit illum ſalvum facere a morte cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia*. Modo dico: Nunquid Chriſtus corporaliter ſurrexit? Utique: ut patet Johan. 20. v. 27. Ubi Thomæ dicitur a Chriſto: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum*. Et Lucæ 24. cap. 39. *Palpate, & videte: quia ſpiritus carnem & oſſa non habet*. Similiter Act. 2. v. 31. *Providens locutus eſt de reſurrectione Chriſti, quia neque derelictus eſt in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem*. Nunquid ergo ſurrexit relicto corpore in terra velut cortice? Abſit hoc a vera fide; ergo nos non reſurgemus relicto cortice corporis in terra; conſtat enim quod nos reſurgemus ſicut Chriſtus, juxta illud 1. Cor. 6. v. 14. & 15. *Deus vero & Dominum ſuſcitavit, & nos*

(42) Eodem ſpectant quæ habet *loco mox indicato* Tertullianus. „ Eamdem, *inquit*, ſententiam exſequitur remunerationes „ vexationibus præferens. *Scimus* enim inquit, *quoniam etſi ter-* „ *rena domus noſtra hujus tabernaculi diſſolvatur, habemus* „ *domum non manufactam æternam in Cælis*. Meminerat Evan- „ gelicæ definitionis. *Beati qui perſecutionem patiuntur prop-* „ *ter juſtitiam, quia illorum eſt Regnum Cælorum*. Non tamen „ carnis reſtitutionem negavit, ſi compenſationem mercedis op- „ poſuit, cum ipſi compenſatio debeatur, cui diſſolutio depu- „ tabatur, ſcilicet carni. Sed quia domum dixerat carnem, ele- „ ganter voluit & in mercedis comparatione vocabulo domus uti; „ ipſi domui quæ diſſolvetur per paſſionem, meliorem domum „ repromittens per reſurrectionem, &c. Vide quæ ſequuntur.

(43) Afferebant hæc item Gnoſtici. Sed hi refelluntur a Tertulliano, *Lib. de Reſurrect. Carnis Cap.* XLIII. Is tamen nonniſi martyribus continuo poſt mortem id eſſe datum pugnat, ut Deum intueantur: qua in re vehementer errat.

(44) Nempe in extremo. *Quarto Libro de Fide Orthodoxa*.

(45) Videlicet contra Catharos Concorrezenſos.

(46) *Vide Notam* 40. *in hoc cap.*

[*] Deſunt quæ duobus aſteriſcis complexi ſumus e *Codd. Bonon. & Vat.*

(47) Reſpondet argumento Gnoſticorum, quod in idem atque hoc Catharorum recidit, Tertullianus *Lib. de Reſurrectione Carnis cap.* LIII. Reſpondet autem eodem fere modo, quo noſter Moneta.

nos suscitabit per virtutem suam . Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi ? Quod testimonium in fine examinabimus .

Item Philipp. 3. v. 21. *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ .*

Item Rom. 6. v. 5. *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus : simul & resurrectionis erimus .* [*]

Dicunt etiam mortem esse separationem , unde mortem animæ dicunt ejus a corpore separationem , & animam mortalem dicunt , idest , separabilem a corpore .

Decepti sunt autem hæretici multipliciter : anima enim corpus non est , est enim substantia incorporea ; ergo non est corpus spirituale .

Præterea , nullo testimonio possunt ostendere , quod anima corpus dicatur ; etsi enim dicatur homo interior , non tamen propter hoc habetur , quod corpus sit ; dicitur enim homo per Sinecdochen , quia interior pars hominis est , sicut etiam corpus dicitur exterior homo , quia est exterior pars hominis .

Si enim velis dicere , quod anima proprie dicatur homo , (48) ut per hoc habeas , quod est substantia corporea ; esset ergo animal rationale ; ergo est animal , quod palam falsum est : Vel si verum est ; ergo est corpus animatum sensibile ; ergo est corpus animatum ; ergo habet animam a qua animatur . Eadem remanebit objectio de illa anima , & sic erit via ad infinitum . Similiter si homo exterior , idest , ipsa caro proprie dicitur homo ; ergo erit animal rationale .

Contra : Nunquid caro potest ratiocinari ? Non ; ergo caro non est rationalis ; ergo non est animal rationale ; ergo non est homo proprie .

Item . Si ipsa est animal rationale ; ergo est animal ; & ita constabit ex corpore & anima sensibili ; sic ergo in quolibet nostrum essent duæ animæ , & duo corpora .

Peccant etiam hæretici dicentes, mortem idem esse , quod separationem : imo mors idem est , quod privatio vitæ ab eo , de cujus aptitudine est , vel fuit ut vivat ; non est ergo mirum si isti falluntur , & fallunt simplices , quia ignari sunt significationis hujus nominis mors .

Præterea , quod mors non sit separatio animæ a corpore patet in sensibilibus , & vegetabilibus , in quibus anima non separatur a corpore , sed moritur cum ipso .

Quod autem aliud sit anima , sive spiritus , & aliud caro , sive corpus , possumus probare testimoniis Ap. 1. Cor. 7. v. 34. *Mulier innupta , & virgo cogitat quæ Domini sunt , ut sit sancta corpore , & spiritu .* Psalm. 83. v. 3. *Cor meum , & caro mea exultaverunt in Deum vivum .*

Item in Psalm. 62. v. 1. *Sitivit in te anima mea , quam multipliciter tibi caro mea .*

Præterea , quod mors sit ipsa separatio , nullo testimonio ostendunt ; unde patet quod vanum est & falsum , quod dicunt ; licet enim Ap. ad Philipp. 1. v. 23. dicat se habere desiderium dissolvi , & esse cum Christo , non tamen dicit , quod dissolutio spiritus a corpore sit mors , sed illam dissolutionem comitatur mors , non ipsius animæ , sive spiritus , sed ipsius corporis , quod moritur , idest privatur vita cum anima ab eo separatur ; anima vero cum separatur a corpore non privatur vita , imo tunc melius vivit , si in pœnitentia a corpore discedit ; unde Ap. Rom. 7. v. 24. Dicebat : *Infelix ego homo , quis me separabit a corpore mortis hujus ?* Constat ergo , quod tunc anima non moritur cum a corpore dissolvitur .

Quod autem anima non moriatur nisi accidentaliter , idest per peccatum , privando se vita sua , quæ est Christus , patet Ezech. 18. v. 4. *Anima quæ peccaverit , ipsa morietur .*

Item 1. Timoth. 5. v. 6. *Vidua quæ in deliciis est , vivens mortua est .*

Quod autem substantialiter non moriatur patet , dicitur enim Matth. 10. v. 28. *Nolite timere eos , qui occidunt corpus , animam autem non possunt occidere .*

Tertio errant, quia similitudinem grani ponunt in alio , quam Ap. ponit ; non enim in eo , quod dicunt , attenditur similitudo de grano quæ inducitur ab Ap. 1. Cor. 15. sed in hoc , quod sicut putrefactio , sive mors grani seminati , non impedit ejus vivificationem ; imo non vivificatur , nisi prius moriatur , idest putrescat ; ita & putrefactio corporum in sepulchris , resurrectionem eorum non impedit : hoc autem patet ex quæstione præambula , quomodo mortui resurgent ? Sic quærebant credentes non esse regressum de morte ad vitam , de privatione , scilicet , ad habitum ; quam quæstionem solvit dicens v. 36. *Insipiens , tu quod seminas non vivificatur , nisi prius moriatur .* Secundam quæstionem , quali autem corpore venient ? determinat cum dicit v. 36. *Et quod seminas , non corpus , quod futurum est seminas , sed nudum granum ,* ut prius dictum est in præcedenti cap. de resurrectione .

§. IV.

Testimonia pro Ecclesia de vera corporum resurrectione .

OStenso , quod anima non debet dici corpus , vel caro nec Philosophice , nec Theologice , ponamus testimonia de resurrectione . Constat dupli-

(48) Adisis *Notationem* IV. *in hoc Cap.* Homo ex anima , & corpore constituitur , ut patet . Sapienter Auctor *Poemat. Contra Marcionem Lib.* I. *cap.* IX. Inter *Opera Tertulliani* .

" Ergo totus homo credit , totusque lavatur .
" Abstinet , aut patitur pro nomine vulnera vere ,
" Verus surgit homo , vere mors victa silebit ,
" Sed non pars hominis anima sua parte relicta ,
" Percipiet palmam , socia quam carne laborans
" In stadio luctata , simul conjuncta meretur .
" Grande nefas portare duos per vincula pondus ,
" Quorum sit locuples unus , atque alter egenus ,
" Et miserum sperni , felici præmia reddi .
" Non facit hoc justus mercedis redditor æquus ,
" Et bonus , & dives , quem credimus omnia posse .

plicem resurrectionem esse: unam spiritualem, quæ est, cum anima mortua in peccato reviviscit, resurgendo de vitiis ad virtutes. De ista non loquor, sed de altera, (49) quam Dominus Johan. 6. v. 39. Dicit se facturum in novissimo die. Quæro an corporalis sit, an non?

Quod corporalis sit probatur: dicitur enim Job 19. v. 25. & 26. *Scio enim quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum.* Quod autem (50) Job sit talis testis, cujus testimonio standum sit, patet per Jacobum Apostolum, qui in persona Ecclesiæ loquens in Ep. cap. 5. v. 11. Dicit: *Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt*, & ponit Job, & Christum: sed Ecclesia Dei beatificat Christum beatitudine permanenti; ergo & ipsum Job, cum dicat communiter: *Ecce beatificamus &c.*

Præterea. Ecclesia Dei sine determinatione non diceret aliquem beneficatum propter hæc temporalia, licet homines beatificent tales, unde David ait Psal. 143. v. 15. *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt*, quasi diceret, hæc est opinio hominum; post ea ponit David, imo Spiritus Sanctus in eo, opinionem suam: *Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.*

Item, quod testimonio etiam Job standum sit, non diffitetur qui duos asserit creatores: ponit enim corporis resurrectionem, sed non hujus corporis, sed cælestis corporis ibi derelicti ab ovibus Israel, & de illo intelligit verba Job.

Contra illud dic: Nunquid de hoc testimonium habes? Ipse autem nullum testimonium potest inde ostendere, nisi forte illud, quod habetur 2. Cor. 5. v. 1. *Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam æternam in Cœlis.* Istud autem testimonium ostendimus non esse pro eis, supra eodem cap. Unde patet, quod visiones capitis sui loquuntur.

Ad Rom. 5. v. 12. Ubi dicit Ap. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors*; ergo aliud est peccatum, & aliud mors; peccatum est ex parte animæ, mors autem ex parte corporis: sicut per eundem Ap. in eadem Ep. c. 8. v. 10. Ubi dicitur: *Corpus quidem mortuum est propter peccatum.*

Si autem dicas, quod non loquitur hic de isto materiali corpore, sed de spirituali. Dic: quid est? Si dicas ipsam animam esse corpus spirituale:

Contra. Illa non est mortua, nisi illa morte, quæ peccatum est, mors enim animæ peccatum est: hic autem ostensum est aliud esse peccatum, & aliud mortem.

Præterea, ostensum est, quod anima non est corpus aliquo modo dicendi corpus, nec in aliquo testimonio Scripturæ habetur.

Si autem dicas corpus spirituale Ecclesiam, hoc non nego, quin Ecclesia aliquando dicatur corpus, sed quod ibi dicatur corpus, ubi Ap. ait: *Corpus quidem mortuum est propter peccatum*, hoc nego, ipsa enim Ecclesia sine macula est, & ruga, ut dicis; ergo non est mortua propter peccatum, maxime cum Ap. Ecclesiæ loquens dicat: *Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum*, ex quibus verbis patet, quod aliud est Ecclesia, & aliud corpus.

Præterea. Christo existente in Ecclesia, ipsa non potest esse propter peccatum mortua; similiter nec homo interior potest esse mortuus propter peccatum, si Christus in ipso est.

Præterea, statim dicitur: *Spiritus vero vivit propter justificationem.*

Præterea, parum ante illa verba Ap. determinat quid sit illud corpus, quod est mortuum propter peccatum, ait enim cap. 7. v. 24. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Nunquid volebat liberari, & solvi ab Ecclesia? Non ergo corpus mortis, idest mortuum propter peccatum, potest dici Ecclesia.

Item, ex hoc etiam testimonio patet, quod corpus mortis, sive mortuorum, non venit pro interiori homine, idest anima, quam dicebat esse corpus spirituale, falso tamen; quia ab interiori homine nollet liberari, imo ille est, qui petit liberari.

Adducamus testimonia resurrectionis. Dicit Ap. Rom. 8. v. 11. *Si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis* (51) *habitat in vobis: qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* Ex prædictis patet quod corpora mortua dicuntur tantum ista corpora visibilia: dicitur autem quod Dominus, qui suscitavit Christum a mortuis vivificabit ea: quare ergo negas resurrectionem horum corporum?

[**] Ad hoc dixit Desiderius hæreticus (52) unus de iis qui unum principium ponunt: quod Spiritus Sanctus vivificat corpus exterius, quod ab Ap. dicitur mortale & mortuum Rom. 8. ad serviendum rationi, non ad resurgendum.

Pri-

(49) Hanc enim unam negabant Cathari, aliam animæ non negabant. Ergo Scripturarum testimonia, quæ probant carnis resurrectionem sensu spirituali intelligi oportere censebant. Sequebantur autem Auctores Gnosticos, & Manichæos. Adeundus Tertullianus *Lib. de resurrectione Carnis cap.* XIX. Qui Gnosticorum dicendi rationem explicat.

(50) Non injuria Jobi testimonio Catharos exagitat Noster. Nam illi librum Prophetæ tanti nomine inscriptum in Agiographis ponebant. Ne autem mirere Monetam Jacobi auctoritate probare Jobo esse fidem adjungendam. Id enim facit, non eo quo Cathari negarent Jobum fuisse Spiritu Sancto adflatum, sed quo ejus sententiam magis magisque veram esse ostendat præsidio Novi Testamenti.

(51) Hoc item argumento usi sunt contra Gnosticos, & Manichæos veteres Ecclesiæ Patres. Irenæus *libro* V. *Cap.* VII. *n.* 1. „ Quomodo, *inquit*, Christus in Carnis substantia surrexit, & „ ostendit discipulis fixuras clavorum, & aperitionem lateris „ (hæc autem sunt indicia carnis ejus, quæ resurrexit a mortuis) „ *sic & nos*, inquit, *suscitabit per virtutem suam*. Et iterum „ ad Romanos ait: *Si autem Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra*. Quæ sunt ergo „ mortalia corpora? Numquidnam animæ? Sed incorporales animæ &c.

[**] Quæ duobus asteriscis comprehendimus, desunt e *Codd. Bon.* & *Vatic.*

(52) Vide *Notationem* 59. *in Cap.* III. *lib.* III. *pag.* 248.

Primum verum eſt, quia Spiritus Sanctus vivificat corpora bonorum ad ſerviendum rationi: ſecundum autem falſum eſt, quod dixit non ad reſurgendum. Ap. enim non dixit *vivificat*, jam enim erant vivificata eorum corpora ad prædictum ſervitium, & ideo dixit *vivificabit* de futuro loquens; ergo iſtud corpus vivificabitur a Spiritu Sancto in futuro.

Præt. ſi de vivificatione prædicta illud intelligis; quare concluſiſſet Ap. v. 12. *Ergo Fratres debitores ſumus non carni*. Imo ex hoc eſſemus ejus debitores, ſi ſervit noſtræ rationi [**]

Forte dicet Hæreticus: licet corpus mortuum non poſſit dici Eccleſia, tamen mortale corpus poteſt appellari.

Contra: Nunquid Eccleſia mortalis eſt? Si ſic: quomodo ergo ſtabit quod dicit Dominus Mat. 28. v. 20. *Vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi?* hoc enim dixit Eccleſiæ.

Præterea, Eccleſiæ Romanæ loquebatur, quæ unicum corpus erat, unde dicit Rom. 12. v. 5. *Multi unum corpus ſumus*; cum ergo hic pluraliter dicat *mortalia corpora veſtra*, neceſſe eſt quod veniat pro materialibus & viſibilibus corporibus.

Præterea: Ego habeo teſtimonium Rom. 6. v. 12. mortale corpus dici hoc materiale corpus, ubi habet: *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore*. Et quod ita ſit, patet ex eo quod ſequitur v. 13. *Neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato*; loquitur autem de materialibus membris; ergo de materiali corpore. Probatio primæ. Infra enim dicit Ap. c. 7. v. 5. *Cum eſſemus in carne, paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris.* Item v. 22. & 23. *Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, ex quibus verbis patet quod non ſumitur pro membris mentalibus, cum in membris de quibus Ap. loquitur ſit lex repugnans legi mentis; venit ergo pro materialibus membris, ſicut etiam patet per illud ad Gal. 5. v. 17. *Caro enim concupiſcit adverſus Spiritum*; ergo mortale corpus venit pro materiali corpore; non ergo pro Eccleſia: ſed iſtud vivificabit Dominus; ergo corpus iſtud reſurget.

Si autem diſputatio eſſet cum Catharo, qui ponit duo principia, & dicit corpora quædam in cælo relicta eſſe reſuſcitanda, quære utrum inde habeant teſtimonium, & non poterunt oſtendere quod dicunt: ſomniantur ergo.

Item, Rom. 8. v. 23. *Nos ipſi primitias Spiritus habentes: & ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri* (53) Conſtat quod Ap. hoc non dicit de redemptione animæ a culpa, illa enim facta erat in eis, non expectabatur ut fieret; unde Petrus Ep. 1. c. 1. v. 18. & 19. dicit: *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis de vana veſtra converſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo Sanguine quaſi agni immaculati Chriſti, & incontaminati*; loquitur ergo de redemptione corporis, & ita corpus materiale reſurget, ex quo redimetur.

Quod autem de materiali corpore loquatur Ap. patebit in ſequenti objectione.

Item 1. Cor. 6. v. 13. *Corpus autem non fornicationi, ſed Domino*, ideſt ſervitio ejus, & dicit quare, quia propter hoc *Corpus Domino debetur*; poſtea ſubdit Ap. quæ inde utilitas, cum ait v. 14. *Deus vero & Dominum ſuſcitavit*, (54) *& nos ſuſcitabit per virtutem ſuam*, ubi patet quod non loquitur de illa reſurrectione, quæ eſt a morte ſpirituali, ideſt a peccato, ſic enim jam ſuſcitatus erat Ap. & Eccleſia Corinthiorum cui ſcribit, ergo non diceret *ſuſcitabit nos* de futuro, ſed *ſuſcitavit*, ſi de ſpirituali loqueretur reſurrectione; loquitur ergo de corporali.

Præterea, quod pro materiali corpore veniat cum dicitur: *Corpus non debetur fornicationi*, patet ex eo quod addit Ap. v. 15. *Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollens ergo membra Chriſti faciam membra meretricis? Abſit*. De meretrice enim carnali loquitur Ap. ut oſtenſum eſt 6. cap. 1. partis; quod viſibilia, & tranſitoria iſta, a Deo Patre ſunt: loquitur ergo de corporibus iſtis, quia alia non poſſunt poni in poteſtate meretricis carnalis, & ita loquitur de reſurrectione corporali Ap. cum dicit: *nos ſuſcitabit per virtutem ſuam*, & ideo non debemus ea dare fornicationi, ſed Domino.

Præterea nota: quod dicit, *corpora veſtra membra ſunt Chriſti*, hominibus interioribus loquebatur; & aliud eſt corpus, & aliud qui habet ipſum, ergo corpus non venit pro interioribus hominibus.

Præterea, ſi ſunt membra Chriſti; ergo ſalvabuntur.

Præterea, ſunt templum Spiritus Sancti: quid mirum ergo ſi Spiritus Sanctus ſalvat templum ſuum?

Præterea, Quare præmittit: *Deus vero & Dominum ſuſcitavit*, niſi ut oſtenderet quod nos ſimiliter ſuſcitaret? Sed ipſum Chriſtum ſuſcitavit tantum corporaliter; ergo & nos ſimiliter ſuſcitabit tantum corporaliter, ergo & nos ſimiliter ſuſcitabit, de qua ſimilitudine dicitur Rom. 6. v. 5. *Si enim complantati* (55) *facti ſumus ſimilitudini mortis ejus: ſimul & reſurrectionis erimus*. Philip. 3. v. 11. *Configuratus* (56) *morti ejus, ſi quo modo occurram ad reſurrectionem, quæ eſt ex mortuis*. Et quod loquatur ibi de corporali reſurrectione, & de occurſu ad eam, patet Eph. 4. v. 13. *donec occurramus omnes .... in virum perfectum*: vir autem dicitur ſecundum corpus. Et quod ita debeat ſumi, patet per illud quod addit Ap. *in menſuram ætatis plenitudinis*

(53) Redemptio namque corporis, quæ alia eſſe poteſt, niſi corporis reſurrectio? Nugas agebant, qui animam corporis nomine indicari putabant. Nam in Scripturis nuſquam τοῦ σώματος appellatio tributa eſt τῇ ψυχῇ *animæ*. Sin antem tributa eſt, cur non attulerunt Cathari aliquod teſtimonium, quo poſſent ſuum dogma e[v]incere?

(54) Iræneus *lib.* v. *Cap.* VI. *n.* 2. *Quoniam*, inquit *corpora noſtra, non ex ſua ſubſtantia, ſed ex Dei virtute ſuſcitantur, Corinthiis dicit*: Corpus autem non fornicationi, ſed Domino, & Dominus Corpori. Deus autem & Dominum ſuſcitavit, & nos ſuſcitabit per virtutem ſuam.

(55) Adeundus Tertullianus *lib. de reſurrectione Carnis Cap.* XLVII.

(56) Videtor Tertullianus Loco indicato notati one ſuperiore.

nis Christi, ætas enim secundum corpus attenditur, est enim ætas spatium vitæ animalis, in quo animastat, crescit, aut decrescit.

Si dicas: quod de cælesti corpore loquitur: dicas mihi, quomodo peccas in corpus illud per fornicationem?

Præterea, quolibet peccato alio in illud peccaret, quare ergo dicis alia peccata esse extra corpus, istud autem in corpus?

Item 1. Cor. 9. v. 27. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo*; istud de spirituali corpore non potest intelligi, quia illud tale esset concors cum Apostolo, sed exterius quandoque erat ei contrarium, unde ipsum castigabat, reducendo ipsum ad servitutem Dei, unde Rom. 6. v. 19. *Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.*

Item Rom. 12. v. 1. *Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Et notandum, quod exteriora sunt sub regimine interiorum, ergo ejusdem Dei sunt, ex quo de Dominio Dei sunt, & castigata, & in ejus servitute; quare non resuscitaret ea?

Item 1. Cor. 15. v. 13. 14. *Si autem Christus prædicatur* (57) *quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est: neque Christus resurrexit* Ap. probabat Christum resurrexisse, & non nisi corporaliter, quia a corporali morte, non a spirituali; & ex hac infert mortuos esse resuscitandos, & inde arguit quosdam de Ecclesia Corinthiorum, quia dicebant mortuorum resurrectionem non esse, cum tamen crederent, ut prædicatum erat eis, Christum resurrexisse, illi autem non negabant resurrectionem animarum spiritualem, sed resurrectionem corporum: arguit ergo eos quia negabant corporalem, cum dicit: *Quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est*. In persona istorum ponit Ap. quæstionem illam, ac si diceret, alias quomodo resurgent mortui? Ubi patet quodde corporali loquitur resurrectione, quia statim subdit Ap. v. 35. *quomodo resurgent mortui, qualive corpore venient*? Ergo de corporali loquitur Quod autem non loquatur de anima, quam dicunt esse corpus spirituale, patet, quia dicit: *qualive corpore venient*; alius enim est qui venit, & alius in quo venit. Aliud ergo est Spiritus humanus, & aliud est corpus in quo veniet.

Præterea, Ap. inferius v. 38. dicit: *Deus autem dat illi corpus sicut vult: & unicuique seminum proprium corpus*: aliud autem est quod datur, & aliud cui datur; ergo & aliud est corpus proprium; ex his ergo patet quod Ap. quando dicit: *Si autem Christus prædicatur &c.* intelligit de resurrectione corporum mortuorum.

Præterea, Christus a morte corporali surrexit, unde Rom. 4. v. 25. *Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram*: *Traditus est* supple morti corporali, unde Lucæ 24. v. 20. dicitur: quod *eum tradiderunt summi Sacerdotes, & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum*; & Act. 3. v. 15. dixit Petrus Judæis: *Auctorem vero vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit a mortuis*. Sequitur ad Rom. 4. *& resurrexit propter justificationem nostram*, resurrexit autem ab illa morte corporali, & ita corporaliter resurrexit: sed Rom. 6. v. 5. dicitur: *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus: simul & resurrectionis erimus*; ergo si mortui fuerimus corporaliter pro ipso, sicut ipse pro nobis, resurgemus sicut & ipse, & ita corporaliter; & hoc est quod Ap. vult ostendere, cum ponit Christi resurrectionem esse argumentum nostræ, dicens 1. Cor. 6. v. 14. *Deus vero & Dominum suscitavit: & nos suscitabit per virtutem suam*. Item 15. v. 12. *Si autem Christus prædicatur &c.* Item 2. Timoth. 2. v. 8. *Memor esto Dominum Jesum Christum resurrexisse a mortuis*: quasi diceret: si caput resurrexit, & membra; unde 1. Cor. 6. v. 15. *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi?*

Item 1. Cor. 15. v. 42. dicit Ap. *Seminatur in corruptione*, (58) *surget in incorruptione*; hic non dicit quid seminatur, quia statim se exponens dicit: *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale* v. 44. & determinat hic illam quæstionem: *qualive corpore venient?* v. 35. „& dicit quia incorruptibili, & ita in meliori. Idem est illud quod seminatur in corruptione, scilicet corpus quod resurgit in incorruptione. Modo quæro, quid appellatur hic corpus? Si dicat ipsa anima: contra: Ostensum est prius, quod anima non potest dici corpus.

Præterea quæro: a quo seminatur in corruptione? Si dicat a Deo: nunquid ista corruptio substantialis est, idest egressus de esse ad non esse? Si hoc; ergo anima potest interire, & esse desinere, quod est contra illud Mat. 10. v. 28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*.

Præterea: ergo corruptio incorruptelam possidebit, si ipsa possidebunt regnum Dei, quæ seminantur in corruptione.

Præterea, ergo corruptio & incorruptio ab ipso est.

Præterea: dicas mihi, quando seminat eam in corruptione, & ignobilitate, in infirmitate, in animalitate? In opere illo viri & fœminæ.

Si autem dicat ad hoc hæreticus, quod corruptio animæ corruptio culpæ est, & est illa de qua dicitur 2. Cor. 11. v. 3. *Timeo autem, ne sicut ser-*

(57) Consulitor Tertulianus *Ibid. Cap.* 23.

(57. Huc spectant, quæ habet Auctor Dialogi De recta in Deum Fide *sect.* IV. *Inter Opp. Origenis Tom.* 1. *pag.* 856. *Nov. Edit.*

(58) Pulchre Irenæus *lib.* V. *cap.* VII. *n.* 1. & 2. „ superest, „ *inquit*, ut circa carnem mors ostendatur, quæ posteaquam „ exierit anima, sine spiratione, & inanimal efficitur; & paula- „ tim resolvitur in terram, ex qua sumta est. Hæc igitur mor- „ talis. Hæc autem de qua est dicit: *Vivificabit & mortalia cor-* „ *pora vestra*. Et propter hoc ait de ea, in prima ad Corinthios. „ *sic & resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, sur-* „ *get in gloria*. Quid est autem, quod ut granum tritici semi- „ natur, & putret in terra, nisi corpora, quæ in terra ponuntur, „ in qua & semina jactantur? Et propter hoc dixit: *seminatur* „ *in ignobilitate, surget in gloria &c.*

serpens Hevam seduxit astutia sua, *ita corrumpantur sensus vestri*, *& excedant a simplicitate*, *quæ est in Christo*.

Contra. In tali corruptione non seminaretur a Deo.

Forte dicet, sicut etiam credit, quod a Diabolo seminatur in his, ab illo scilicet, qui est in muliere prægnante, ut dicit hæreticus, & producit carnem ex carne, & animam ex anima.

Hoc autem improbatum est in primo cap. an animæ sint ex traduce, in secunda parte hujus operis.

Præterea, si tam anima, quam corpus ab ipso seminatur; ergo si corpus non possidebit regnum Dei, nec anima; dicitur enim quod corruptio incorruptelam non possidebit, vel si anima possidebit ipsam, & corpus; ejusdem enim opus est utrumque, & ab eodem seminatur in corruptione peccati.

Præterea, quod ille qui eum seminat in corruptione sit Deus Sanctus, patet Rom. 8. v. 20. & 21. ubi dicitur: *Vanitati enim creatura subjecta est non volens*, *sed propter eum qui subjecit eam in spe*: *quia & ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis*, idest corporis corruptibilis.

Si autem dicat hæreticus volens latere errorem suum, quod corpus surget, sed non illud quod seminatum est, adhuc restat objectio, quid sit illud corpus, quod resurget, si non est illud corpus quod seminatur in prædictis in veritate, secundum eos, qui unum ponunt principium, & contra quos hæ objectiones factæ sunt, non est nisi ipsa anima, & tamen hic non dicitur expresse, sed appellabit illud corpus, spiritale corpus. Sed quod idem sit corpus quod seminatur in corruptione, & surget in incorruptione, patet judicio Ap. qui dicit 1. Cor. 15. v. 53. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem*: *& mortale hoc induere immortalitatem*. Item ex illo verbo præcedente v. 36. *Incipiens Tu quod seminas non vivificatur*, *nisi prius moriatur*.

Forte dicet: aliud esse corpus, & aliud spiritale, propter illud verbum Ap. ibidem v. 44. *Si est corpus animale*, *est & spiritale*; *est* dicit, non dicit *erit*.

Tu autem dicas ei, quod non intelligit Ap. simul esse utrumque, licet utrobique ponat *est*, imo spirituale erit post animale, & sumitur *est* pro *erit*, cujus probatio ista est, quia dicit v. 46. *Sed non prius quod spiritale est*; *sed quod animale*; *deinde*, idest postea, *quod spiritale*.

Præterea, quid est dicere animale, nisi egens alimonia, & mortale, sicut corpus, aliorum animalium? Et quid est dicere spiritale, nisi non indigens hujus, & immortale ad modum spiritalis? Constat quod non est aliud dicere. Sed nonne dicit Ap. v. 53. *Oportet . . . mortale hoc induere immortalitatem*? Idem ergo corpus, quod modo est animale, futurum est spirituale, propter quod idem dicit Ap. v. 45. *factus est primus homo Adam in animam viventem*, idest habentem vitam animalem, sive mortalem, & ideo corpora vestra ab eo descendentia, animalia sunt modo; sed *novissimus Adam*, idest Christus, factus est *in spiritum vivificantem*, idest in vitam spiritualem, sive immortalem cum resurrexit: & sicut non fuit in eo prius spiritualitas corporis, sed animalitas, ita erit in nobis, si portaverimus ejus imaginem, idest imitationem. Christus dicitur *Adam*, quia de massa carnis Adæ ortus est secundum carnem: *novissimus* quia post ipsum non erit alius, per quem hujus gloria resurrectionis habeatur.

Viso, qualiter auctoritas illa intelligatur contra illos qui unum ponunt principium, videamus de eadem contra illos Catharos, qui ponunt resurrectionem corporum, quæ dicunt esse in cœlo mortua, quorum error patere potest, quia illa corpora non sunt seminata in corruptione, sed ibi sunt, quod tamen non est verum.

Et ad hoc induci potest illa auctoritas Mat. 13. v. 27. *Nonne bonum semen seminasti in agro tuo?* Intelligunt enim de agro cœli, sive alterius mundi, licet falso.

Item 1. Cor. 15. v. 53. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem*, (59) *& mortale hoc induere immortalitatem*. Modo quæro: ubi erat Paulus, cum istud dicebat. Et ubi est ista Corinthus, unde isti dicti sunt Corinthii? Constat quod Paulus in hoc mundo erat, sicut & Corinthus in Græcia hujusmodi, aliam enim non potes ostendere; ergo istud non potest intelligi de corporibus cælestibus, quæ tu fingis, alioquin dixisset *illud*, non *hoc*.

Item cum dicat *hoc*, (60) quod est demonstrativum ad oculum, & demonstrat quasi sub digito, nec trahatur ex vi adjuncti ad aliquod intelligibile demonstrandum, & quod non cadit sub sensu; ergo non demonstrat ibi corpus supercæleste.

Quod autem nullum adjunctum trahat illud pronomen, scilicet *hoc* ad faciendum demonstrationem ad intellectum patet: immo magis e contrario, cum *corruptibile*, & *mortale* spectent ad ea quæ cadunt sub visibus nostris, unde 2. Cor. 4. v. 18. *Quæ enim videntur temporalia sunt*: *quæ autem non videntur æterna sunt*.

Eadem est objectio contra Catharos, qui unum ponunt principium, qui dicunt quod demonstrat corpus spirituale, scilicet ipsam animam. (61)

Præterea, corpus mortale non invenitur dici ipsa anima, de hoc enim testimonium aliquod non habent; ego autem habeo testimonium manifestum, quod mortale corpus dicitur ipsum corpus exterius: Rom. 6. v. 12. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore*. Item Rom. 7. v. 5. *Cum enim essemus in carne &c.* Ista autem supra in eodem cap. examinata sunt.

Item 1. Cor. 15. v. 51. *Omnes quidem resurgemus*, *sed non omnes* (62) *immutabimur*. Primo quæro, quid est resurrectio mortuorum? Est permu-

(59) Tertullianus *lib. de resurrectione Carnis cap.* XLII. *Quum adjicit*, inquit, *oportet enim corruptivum istud induere incorruptelam*, *& mortale istud induere immortalitatem*: *hoc erit illud domicilium de Cælo*; *quod gementes in hac carne superindui desideramus*, *utique super carnem in qua deprehendemur*, *quia gravari nos ait*, *qui sumus in tabernaculo*, *quod nolimus exui*, *sed potius superindui*, *uti devoretur mortale a vita*, *scilicet dum demutatur*, *superinduendo quod est de cælis*.

(60) Græce τὸ φθαρτὸν τοῦτο *Mortale HOC* quod indicat corpus hoc quo sumus instructi.

(61) Vide Notam 46. *in hoc cap.*

(62) Consule Tertullianum *lib. de Resurrectione Carnis cap.* XLII.

mutatio de morte ad vitam, secundum quod Ap. sumit resurrectionem in illo cap. ubi v. 52. *mortui resurgent incorrupti*, sicut etiam Christus dicitur resurrexisse, ut probatum est supra eodem cap. super illo verbo: *Si Christus prædicatur &c.* hoc etiam patet Lucæ 18. v.3. ubi dicitur: *Occident eum, & tertia die resurget*; eodem etiam modo dicitur quod resurgemus & nos, ut ibidem probavimus. Nunquid alium sensum invenire potes, secundum quem mortui dicantur resurgere, nisi de morte ad vitam transire, aut spiritualiter, aut corporaliter? Si alium sensum invenis, ostende aliquo testimonio, quod quidem facere non potes; ego enim de iis duobus modis testimonium habeo. De illa quæ fuit a morte peccati habetur Apoc. 20. v. 6. *Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima* (63): *in his secunda mors non habet potestatem.* Prima resurrectio dicitur, quæ est a morte spirituali, idest a peccato; de ista dicitur 1. Jo. 3. v. 14. *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*; & Colos. 2. v. 13. *Et vos cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo donans vobis omnia delicta.*

De secundo modo habeo testimonium Rom. 6. v.9. ubi dicitur de Christo, quod resurrexit: *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur.*

Modo redeo ad auctoritatem Apost. *Omnes quidem resurgemus &c.* de qua resurrectione loquitur? De prima non, quæ est a peccato, ea enim resurrexerat Ap., & nunquam sic erat resurrecturus, nunquam enim erat per peccatum moriturus. Restat ergo quod de secunda loquatur, idest de illa quæ est de morte corporali ad vitam corporalem; ergo corpora ista resurgent; ergo cum dicitur *omnes resurgemus*, non fit sermo de interioribus hominibus, sed de exterioribus.

Dicit Hæret: qui unum principium ponens negat horum corporum resurrectionem, quod de interioribus hominibus fit sermo, sed male dicit.

Præterea: quid est immutari? Ad hoc dixit hæreticus, quod obviam Christoin nubibus rapi; sic ergo ista immutatio localis esset.

Quod autem ita non possit intelligi, patet per Ap. qui cum dixisset 1. Cor. 15. v. 52. *Mortui resurgent incorrupti*, (64) *& nos immutabimur*, statim exponit istam immutationem dicens v. 53. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem &c.* ergo ista immutatio non est localis, imo de corruptibilitate, & mortalitate, ad incorruptionem, & immortalitatem.

Item 2. Cor. 4. v.10. *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris.* Constat, & verum est quod Christus mortificatus fuit corporaliter, unde ait Apoc. 1. v. 17. & 18. *Ego sum primus, & novissimus, & vivus, & fui mortuus, & ecce sum vivens in sæcula sæculorum.* Dicit autem Apost. in persona Martyrum: *semper mortificationem &c.* mortificatio ergo quam ferebat, erat corporalis; ergo & vita corporalis; quod patet, quia dicitur: *ut & vita Jesu*, ad quam resuscitatus est, *manifestetur in corporibus nostris.*

Sequitur v. 11. *Semper enim nos qui vivimus in mortem tradimur propter Jesum: ut & vita Jesu manifestetur in carne nostra* (65) *mortali*. De qua morte loquitur? Patet quod de corporali; ergo loquitur & de vita carnali: quod etiam necesse est, quia dicit: *in carne nostra mortali*; in carne scilicet, quam habemus mortalem: aliud autem est habens, & aliud quod habet; igitur caro aliud est quam ille qui eam habet; constat autem quod interior homo loquitur; ergo aliud est interior homo, quam ipsa caro.

Præterea, satis ostensum est supra, quod caro, vel corpus mortale dicitur exterior homo, non interior, ut habetur in præcedenti argumento.

Forte autem dicet hæreticus, quod caro ibi dicitur Ecclesia.

Contra. Ubi habes testimonium de hoc? Ego autem testimonium habeo de carne materiali, quod caro dicatur; mihi ergo credendum est, non tibi.

Sed si forte diceret hæret. quia dicitur caro, cum dicatur corpus.

Respondemus: Non propter hoc dicitur caro; non enim omne corpus est caro, licet omnis caro sit corpus: de aliquo enim dicitur genus, de quo non dicitur species.

Item ibidem v. 13. & 14. *Habentes autem eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi propter quod locutus sum: & nos credimus, propter quod & loquimur: scientes quoniam qui suscitavit Jesum, & nos cum Jesu suscitabit.*

Notandum: quod de fide resurrectionis loquitur dicens: *Habentes autem eumdem spiritum fidei*, supple quem & Prophetæ, in quorum persona locutus est David dicens Ps. 115. v. 1. *Credidi propter quod locutus sum, & nos credimus* supple resurrectionem, sicut & illi: unde Rom. 10. v. 10. *Corde enim creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem.* Et loquitur ibi de fide resurrectionis Christi, sicut patet parum ante v. 9. & 9. ubi dicitur: *Hoc est verbum fidei quod prædicamus. Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris*; quasi diceret, cum Jesu suscitaberis. Quod autem sumatur ibi corporaliter, hoc probatum est supra eodem cap. super illo verbo 1. Cor. 6. v. 13. *Corpus autem non fornicationi, sed Domino.* Hoc etiam melius patebit inferius, cum testimonia de resurrectione corporali ex libro Actorum inducemus.

Item 2. Cor. 5. v. 4. dicit Ap. in persona sui, & aliorum electorum: *Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati: eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur,* quod

(63) Abutebantur hoc testimonio qui millenarium Christi in terris imperium propugnabant. Vide Irenæum *lib.* v. *cap.* XXXIV. *num.* 1. Verum ita explicabant Patres ceteri, qui abhorrebant a sententia Millenariorum, ut explicat Moneta.

(64) Adi-sis Tertullianum *lib. de Resurrect. Carnis cap.* LIII. *seqq.*

(65) Auctor Dialogi *De recta in Deum Fide sect.* v. *pag.* 866. Postquam hunc Pauli locum laudavit contra Gnosticos negantes corporum resurrectionem; *ne interpretationem quidem desiderat*, inquit, *cum dicat Jesu vitam in carne manifestari ..... Quid aliud intelligi potest, nisi quod progreditur ad vitam hoc corpus mortale?*

quod mortale est, *a vita*, ideſt ut tollatur ab eo vita mortalis, & detur ei vita immortalis. Nonne hoc eſt quod dixerat 1. Cor. 15. v. 53. *Oportet enim incorruptibile hoc induere incorruptionem*, *& mortale hoc induere immortalitatem*? Utique illud eſt.

Quod autem tabernaculum dicatur corpus patet 2. Petri 1. v. 14. *Velox eſt depoſitio tabernaculi mei.*

Item 2. Cor. 5. v. 10. dicit Ap. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti*, *ut referat unuſquiſque propria corporis*, *prout geſſit*, *ſive bonum*, *ſive malum*. Ecce *propria corporis* dicit, bona & mala opera; ſuperius autem oſtenſum eſt, quod non tantum ejus ut inſtrumenti, ſed ut cooperantis, ut habetur ſupra in principio 1. cap. de reſurrectione, & dicit, quod unuſquiſque refert iſta facta ante Chriſtum judicem, cujus oculis *omnia nuda*, *& aperta*, *ad quem nobis & ſermo*, ideſt reddenda ratio, ut habetur Hebr. 4. v. 13. Sed Deus eſt juſtus judex reddens unicuique ſecundum opera ſua; ergo reddet corporibus iſtis bonum, vel malum ſecundum quod meruerunt cum anima; ergo iſta corpora reſurgent, quædam ad gloriam, quædam autem ad pœnam æternam.

Item Philip. 3. v. 20. & 21. *Salvatorem expectamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, *qui reformabit* (66) *corpus humilitatis noſtræ*, *configuratum corpori claritatis ſuæ*. Ecce quod dicit reformabitur corpus, & loquitur de materiali corpore deformato per mortem, ideſt privato forma ſua, ideſt vita, & anima.

Ad hoc autem dicunt quod non poteſt intelligi de iſto corpore materiali, & ponunt cauſam, quia iſtud corpus non eſt humilitatis, ſed ſuperbiæ, *Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum* Gal. 5. v. 17. (67)

Sed contra hoc ſic. Si eſt corpus ſuperbiæ; ſuperbi ſunt digni morte; ergo corpora iſta ſunt digna morte: Dominus autem reddet unicuique ſecundum quod dignum eſt, ideſt ſecundum opera ſua in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei, ut habetur Rom. 2. v. 6. ergo reddet corporibus iſtis ſecundum quod digna ſunt; ergo iſta corpora reſurgent ad mortem æternam.

Præterea: Corpus Pauli erat caſtigatum, & in ſervitutem redactum, ſimiliter & aliorum Apoſtolorum; ergo non erat corpus eorum corpus ſuperbiæ (68).

Quod autem dicit Ap. *Caro concupiſcit &c.* determinatum eſt ſupra eodem cap. ſimiliter & illud Rom. 7. v. 24. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

Præterea: Valde deceptus es hæretice, ſi credis quod humilitas ibi dicatur virtus oppoſita ſuperbiæ, non ſic enim ſumitur, ſed pro afflictione, quod etiam patet per B. Paulum 2. Cor. 4. v. 10. ubi enumeratis afflictionibus ſuis dicit: *Semper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris*; poſtea ſubjungit v. 16. *Licet is qui foris eſt*, *noſter homo corrumpatur*: *tamen is*, *qui intus eſt*, *renovatur de die in diem*.

Præterea: Corpus claritatis Chriſti, corpus materiale erat, & ejus claritas materialis, quia viſibilis oculis corporeis, ut patet in Monte Thabor. Mat. 17. ergo configuratio ſive ſimilitudo noſtri corporis in illa claritate ad corpus Chrrſti erit materialis; ergo corpus noſtrum quod configurabitur corpori Chriſti in illa claritate, corpus materiale eſt; ergo non venit ibi corpus pro interiori homine, vel pro aliquo corpore ſpirituali, ſed tantum pro materiali corpore.

Hoc autem dixi, quia aliquando dixerunt, quod corpus humilitatis, hic dicitur Dei Eccleſia, quod eſſe non poteſt, ut modo oſtendimus.

Præterea, ſi hoc eſſet, quomodo ſtabit quod ſequitur: *Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ?* Nunquid reformabit Eccleſiam? Sic ergo modo non habet formam.

Contra. Sine macula eſt, & ſine ruga ſecundum te, ut habetur Eph. 5. v. 27. mali enim formam non habent ſpiritualem, quia non habent Chriſtum in ſe, unde Galatas malos deplorans Paulus dicit c. 4. v. 19. & 20. *Filioli mei*, *quos iterum parturio*, *donec formetur Chriſtus in vobis*. *Vellem autem eſſe apud vos modo*, *& mutare vocem meam*; *quoniam confundor in vobis*.

Præterea, nihil reſurgere niſi a morte dicitur, unde & Chriſtus prius mortuus eſt, & poſtea reſurrexit, ut oſtenſum eſt prius eodem cap.; ergo ſi Eccleſia reſurrectura eſt, prius morietur: ſed non poteſt mori, niſi peccet mortaliter; ergo deſinet eſſe.

Si dicat, immo aliter poteſt mori, ideſt diſſolvi a corpore iſto materiali; Eccleſia enim ſecundum eos non eſt niſi collectio interiorum hominum in fide vera.

Hoc ſupra oſtendimus eſſe falſum, ſcilicet quod mori ſit diſſolvi, vel mors diſſolutio, immo privatio vitæ.

Item 1. Theſs. 4. v. 12. & 13. *Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus*, *ut non contriſtemini*, *ſicut & cæteri*, *qui ſpem non habent*. *Si enim credimus quod Jeſus mortuus eſt*, *& reſurrexit*: *ita & Deus eos qui dormierunt per Jeſum adducet cum eo* (69) Ecce cum eo dormientes appellat mortuos corporaliter, dormitio enim dicitur mors corporalis, & dormire, ideſt mortuum eſſe corporaliter, ſicut patet ex c. 11. Joan. v. 11. & 12. ubi dicitur: *Lazarus amicus noſter dormit*: *ſed vado ut a ſomno excitem eum*. *Dixerunt ergo Diſci-*

(66) Egregie Tertullianus *lib. de Reſurrect. Carnis cap.* LV. „ Ubi etiam, inquit, inſtructus & Paulus: *qui transfigurabit*, „ inquit, *corpus humiliatis noſtræ conforme fieri corpori claritatis ſuæ*. Quod ſi & transfigurationem, & converſionem in tranſitum ſubſtantiæ cujuſque defendis: ergo & Saul in alium virum „ converſus de corpore exceſſit, & ipſe Satanas cum in Angelum „ lucis transfiguratur qualitatem ſuam amittit. Non opinor. Ita „ & in reſurrectionis eventum mutari, converti, reformari licebit cum ſalute ſubſtantiæ &c.

(67) Hoc idem opponebant Gnoſtici, ut tollerent carnis reſurrectionem. Aditor idem ipſe Tertullianus *lib. eodem cap.* x.

(68) Dicemus quidem . . . . . . , nihil propriæ carni exprobrari „ oportere, niſi in animæ ſuggillationem, quæ carnem miniſterio „ ſibi ſubigit. Verum interim & in illis literis Paulus eſt, quum „ ſtigmata Chriſti in corpore ſuo portet, quum noſtrum uti Dei „ templum vitiari vetet, quum corpora noſtra membra Chriſti faciat. Itaque ſi ignominiæ carnis reſurrectionem ejus expellunt, „ cur non dignitates potius inducent? *Tertullianus ibid.*

(69) Perſequitur hoc idem argumentum Tertullianus *lib.* mox indicato *cap.* XXIV. quem conſulere lector poterit.

scipuli ejus: *Domine*, *si dormit*, *salvus eris*, ideſt liberabitur ab infirmitate. Secundum iſtum modum dicit Ap. *Deus eos qui dormierunt per Jeſum*, ideſt qui corporaliter pro eo mortui ſunt, vel in ejus obſequio, *adducet cum eo*; ergo cum dicit *de dormientibus*, loquitur de mortuis corporaliter. Bene ergo dicit Ap. ipſis Theſſalonicenſibus *Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus*, ſupple quando reſurgent, *ut non contriſtemini* ſupple nimis de morte amicorum, *ſicut & cæteri* contriſtantur, *qui ſpem non habent*, ſcilicet reſurrectionis.

Præt. Iſti extra Eccleſia erant, & carnales erant, & ad carnalia tantum aſpicientes; ergo cum dicitur quod non habebant ſpem, intelligitur de ſpe carnalis reſurectionis.

Quod autem iſta ſpes, ſit ſpes reſurrectionis mortuorum corporaliter patet. Mat. 23. 24. & 26. ut infra dicemus.

Si autem dicat, quod de dormitione ſpirituali intelligitur, & in bono.

Contra: de taliter dormientibus non doleret Eccleſia Theſſalonicenſium: ſed de illis dormientibus dolebat, propter quod Ap. dicebat: *Nolumus autem &c.*

Si de dormitione in malo intelligitur.

Contra: de illa debet contriſtari, unde 2. Cor. 12. v. 21. dicit Ap. ſe timere ne lugeat *multos ex iis qui ante peccaverunt*, *& non egerunt pœnitentiam*, *ſuper immunditia*, *& fornicatione*, *& impudicitia*, *quam geſſerunt*.

Dicunt autem iſti, quod dormientes appellat Ap. homines interiores, quos corpora ſpiritualia eſſe credunt.

Hoc autem improbatum eſt ſupra, ubi oſtendimus quod homo interior non eſt corpus, unde.

Alter hæreticus dixit, hominem interiorem corpus habere, ſimiliter & hominem exteriorem dicit corpus habere. (70)
Sed ſecundum hoc in quolibet noſtrum eſſent duo corpora quæ habentur a duobus hominibus, uno interiori, & alio exteriori; & cum aliud ſit quod habet, ab eo quod habetur, quatuor ſunt ex quibus conſtamus ſcilicet duo corpora, & duo ſpiritus, quorum unus dicitur interior homo, alter exterior. Iſtud autem nullo teſtimonio poſſunt oſtendere eſſe verum, unde evidentiſſimum eſt quod viſiones, & ſomnia ſua referunt errantes, & in errorem mittentes.

Item 1. Theſſ. ult. v. 23. *Deus pacis ſanctificet* (71) *vos per omnia*: *ut integer ſpiritus veſter*, *& anima*, *& corpus ſine querela in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervetur*.

Ad hoc dicunt ipſi contra nos: nunquid iſtud corpus ſtabit integrum uſque tunc? Certe non; ergo non loquitur de iſto corpore.

Nos autem dicimus: quod non loquitur de integritate materiali, & viſibili, quam tollit diminutio partium, aut diviſio, ſed de integritate bonorum operum: & rogat Ap. quod uſque ad finem vitæ corpus maneat in integritate bonorum operum, & non corrumpatur per mala opera.

Objicit etiam hæreticus: Quomodo ſtabit ſine querela? Cum etiam corpus Pauli (72) ſine querela non eſſet, de eo enim conquerebatur Rom. 7. v. 24. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

Ad hoc reſpondetur: quod querela ibi appellatur offenſa Dei, vel proximi, ſicut etiam habetur Lucæ 1. v. 6. de Zacharia, & Eliſabeth. quod *erant* ... *incedentes in omnibus mandatis*, *& juſtificationibus Domini ſine querela* 1. Cor. 10. v. 32. *Sine offenſione eſtote Judæis*, *& Gentibus*, *& Eccleſiæ Dei*. In eadem etiam ep. 1. Theſſ. c. 2. v. 10. dicit Ap. *Vos teſtes eſtis*, *& Deus*, *quam ſancte*, *& juſte*, *& ſine querela*, *vobis qui credidiſtis fuimus*. Ecce igitur Paulus ſine querela erat, quia ſine Dei & proximi offenſa; Caſtigabat enim corpus ſuum & in ſervitutem redigebat Dei, ſicut & alios docebat Rom. 12. v. 1. *Obſecro itaque vos Fratres per Miſericordiam Dei*, *ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem*, *Sanctam*, *Deo placentem*. Ap. ergo non conquerebatur de culpa ſive offenſa, ſed de afflictione, ſive gravamine a corpore ſuo ut ſæpe jam diximus,

Modo objicio tibi hæretice: Qualiter tu vis ſumere corpus? Nunquid pro iſto materiali? ſi hoc eſt; ergo iſtud materiale corpus in adventu Domini remunerabitur, & ita reſurget. Si autem pro interiori homine.

Contra: Corpus ergo idem eſt quod anima, vel ſpiritus; quare ergo diverſificat Ap. dicens: *integer ſpiritus veſter*, *& anima*, *& corpus?* Male diverſificaret, ſi ſic eſſet, ut dicis.

Si autem vis dicere, quod corpus dicitur Eccleſia: hoc non eſt ſecundum te niſi anima vel Spiritus; ergo male diverſificat Ap. cum dicit: *ſpiritus veſter*, *& anima*, *& corpus*. Spiritum appellat Spiritum Paraclitum, de quo parum ſupra v. 20. dixerat eis: *Spiritum nolite extinguere*; ipſe enim qui in ſe ipſo inextinguibilis eſt, & incorruptibilis, per peccatum mortale extinguitur, & corrumpitur in nobis, ſicut etiam dicit Ap. de quibuſdam Hebr. 6. v. 6. *Rurſum crucifigentes ſibi metipſis Filium Dei*, *& oſtentui habentes*. Spiritus ergo Paraclitus ita integer conſervatur uſque in adventum Domini Noſtri Jeſu Chriſti, quando per peccatum mortale ab homine non fugatur, ſed ejus gratia integer conſervatur.

Forte dicet hæret. qui ponit reſurrectionem corporum cœleſtium, quod corpus ibi ſumitur pro corpore cœleſti ibi derelicto ab anima per peccatum ejecta.

Hoc autem eſſe non poteſt, quia illa corpora non ibi ſunt. Dato etiam quod ſint ibi, quod non

eſt

(70) Fuit hæc omnium fere veterum hæreticorum ſententia, ut duplici corpore hominem præditum eſſe putarent, craſſiore quidem uno, altero autem ſubtiliore. Quin etiam plerique Patres animum a corpore ſeparatum ſubtiliſſimo corpore inſtructum eſſe voluerunt. Fuerunt etiam qui dicerent animum eſſe corpus, quorum jam eſt exploſa ſententia. Vide Dionyſium Petavium *lib.* 1. *De Angelis Cap.* II. *n.* x. *ſeqq. Tom.* III. *Theologicorum Dogmatum*

(71) Hoc item adhibet Irenæus, ut Gnoſticos revincat, qui reſurrectionem negabant. Vide *lib.* v. *contra hæreſes cap.* 6. *n.* 1. *pag.* 300. *col.* 1. *Edit. Maſſuetii Paris*.

(72) Quemadmodum hic Pauli locus intelligi debeat oſtendunt Irenæus *lib.* III. *Cap.* xx. *n.* 3. & Auctor Dialogi *de recta in Deum fide ſect.* III. *pag.* 835. & Tertullianus *lib. De Reſurrect. Carnis Cap.* x. ut ceteros omittam, qui in eo explicando verſati ſunt.

eſt verum, tamen integra non ſunt, quod etiam poteſt eis oſtendi per illud quod habetur Ezech. 37. v. 1. & ſeqq. *Facta eſt ſuper me manus Domini &c.* ut prius dictum eſt in hoc eodem l. c. 2. Hanc autem auctoritatem introduco contra eos, qui de cæleſti agro, & de corporibus cæleſtibus illam intelligunt, licet male, ut oſtendimus.

Item act. 17. Prædicante Paulo Athenienſibus reſurrectionem mortuorum, dicitur v. 32. (73) *Quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt: audiemus te de hoc iterum.*

Item ibi antea v. 18. dicitur, quod quidam dicebant: *Novorum dæmoniorum videtur annunciator eſſe: quia Jeſum, & reſurrectionem annunciabat eis.* Iſtud de ſpirituali reſurrectione non poteſt intelligi, quæ eſt de vitiis ad virtutes, quia (74) Stoici, & Philoſophi illi illam ponebant; Intelligitur ergo de corporali.

Item act. 23. v. 6. & 7. *Sciens autem Paulus quia una pars eſſet Sadducæorum, & altera Phariſæorum, exclamavit in Concilio: Viri fratres, ego Phariſæus ſum filius Phariſæorum, de ſpe, & reſurrectione mortuorum ego judicor. Et cum hæc dixiſſet, facta eſt diſſenſio inter Phariſæos, & Sadducæos, & ſoluta eſt multitudo.* Sadducæi credunt non eſſe reſurrectionem mortuorum nec Angelum, nec Spiritum; Phariſæi autem utrumque confitentur. Ap. dicebat ſe judicari de reſurrectione mortuorum quam Sadducæi negabant; Phariſæi autem confitebantur eam; ſed illi negabant carnis hujus reſurrectionem, Phariſæi autem affirmabant eam; ergo Ap. credebat carnis iſtius reſurrectionem.

Item act. 24. v. 14. & 15. *Confiteor autem hoc tibi, quod ſecundum ſectam, quam dicunt hæreſim eſſe, ſic deſervio Patri, & Deo meo, credens omnibus, quæ in lege, & prophetis ſcripta ſunt: ſpem habens in Deum, quam & hi ipſi expectant, reſurrectionem futuram juſtorum, & iniquorum. Spem habens in Deum quam & hi ipſi habent*: ipſi autem non habebant niſi in datorem legis Moyſis, unde & dixit: *Credens omnibus, quæ in lege, & prophetis ſcripta ſunt*; ergo Paulus ſpem habebat in Deum Veteris Teſtamenti.

Præterea, ipſi non ſperabant aliam reſurrectionem futuram, niſi carnis hujus; ergo idem ſperabat Apoſtolus.

Item Act. 26. v. 5. 6. 7. & 8. *Secundum certiſſimam ſectam noſtræ religionis vixi Phariſæus. Et nunc in ſpe, quæ ad Patres noſtros repromiſſionis facta eſt a Deo, ſto judicio ſubjectus: in quam duodecim Tribus noſtræ nocte ac die deſervientes, ſperant devenire. De qua ſpe accuſor a Judæis, rex. Quid incredibile judicatur apud vos, ſi Deus mortuos ſuſcitat?* Spes autem repromiſſionis a Deo factæ, ſpes eſt reſurrectionis carnis hujus, quæ reſurrectio quibuſdam Judæis incredibilis erat, in quam etiam duodecim Tribus ſperant devenire: ſed ſperant devenire in carnale, ideſt hujus carnis reſurrectionem, quod patet, ſi modo interrogentur; ergo Paulus ſperabat hujus carnis reſurrectionem.

Et nota, quod in illa ſpe ſtabat judicio ſubjectus, in quam ſperabant duodecim Tribus devenire, cui concordat illud, quod habitum eſt ſupra Act. 23. v. 6. *Sciens autem Paulus &c.* Cui etiam concordat illud 2. Corinth. 4. v. 13. *Habentes autem eundem ſpiritum fidei &c.* Ut prænotatum eſt hoc eodem capite.

Ad iſtud autem objiciunt hæretici: Judæi credebant hujus carnis reſurrectionem, ſcilicet Phariſæi, & eorum imitatores, & credebant, quod poſt reſurrectionem facerent filios, vel filias (75) cum propriis uxoribus; ergo ſi Ap. eandem ſpem reſurrectionis carnis hujus habebat, credebat etiam Ap. opus matrimoniale futurum poſt reſurrectionem, quod falſum eſt; ergo falſum eſt, quod crederet reſurrectionem carnis hujus.

Reſpondeo: quod tam Ap. quam Phariſæi credebat carnis reſurrectionem, & in hoc conveniebat cum eis; ſed non ſequitur ex hoc, quod convenirent in opere conjugali. Miſerabile (76) argumentum eſt iſtud: ego credo quod iſta caro eſt futu-

(73) Sapienter ſane Tertullianus *lib. De reſurrectione Cap.* XXXIX. Reſurrectionem, *inquit*, Apoſtolica quoque ,, inſtrumenta teſtantur, nam & Apoſtolis nullum aliud negotium fuit dumtaxat apud Iſdraelem, quam veteris Teſtamenti reſignandi, & novi conſignandi, & potius jam Dei in Chriſto concionandi. Ita & de reſurrectione nihil novi intulerunt, niſi quod & ipſam in gloriam Chriſti annunciabant, de cetero ſimplici, & nota jam fide receptam ſine ulla qualitatis quæſtione, ſolis refragantibus Sadducæis. Adeo facilius fuit negari in totum mortuorum reſurrectionem, quam aliter intelligi. Habes Paulum apud ſummos Sacerdotes ſub tribus inter Sadducæos, & Phariſæos fidei ſuæ profeſſorem: *Viri*, inquit, *fratres ego Phariſæus ſum filius Phariſæorum, de ſpe nunc & de reſurrectione judicor apud vos*: utique communione quia jam tranſgreſſor legis videbatur, de præcipuo fidei totius articulo, id eſt de reſurrectione, ad Sadducæos ſapere exiſtimaretur. Hanc quam nolebat videri reſcindere fidem reſurrectionis, utique confirmabat ſecundum Phariſæos, reſpiciens negatores ejus Saducæos. Proinde & apud Agrippam, nihil ſe ait proferre, citra quam Prophetæ annunciaſſent. Ergo ſervabat reſurrectionem quoque, qualem Prophetæ annunciarant. Nam & de reſurrectione mortuorum apud Moyſen ſcriptum commemorans, corporalem eam norat, in qua ſcilicet ſanguinis hominis exquiri habebit. Itaque talem prædicabat, qualem & Phariſæi ſuſceperant, & Dominus ipſe defenderat, & Sadducæi ne talem quoque, crederent, in totum eſſe noluerant. Sed nec Athenienſes aliam intellexerant a Paulo portendi: denique irriſerant, non irriſuri omnino ſi animæ ſolius reſtitutionem ab eo audiſſent. Suſcepiſſent enim vernaculæ ſuæ Philoſophiæ frequentiorem præſumptionem &c. Viden ut omnia Monetæ noſtri argumentis altera ex parte reſpondeant?

(74) Philoſophos cum Paulo de reſurrectione diſceptaſſe, auctor eſt Lucas *Act. cap.* XVII. Non autem ait ullos fuiſſe in Areopago Stoicos. Non negaverim tamen, neque affirmarim fuiſſe. Quamvis veriſimile ſit etiam aliquot hujus generis philoſophorum in eum ſenatum admiſſos aliquando fuiſſe. Verum quid ſenſerint de animo humano poſt ſejunctionem ejus a corpore Stoici, colligi poteſt ex J. Lipſio Lib. III. Phyſiologiæ Stoicorum, diſſert XI. To. IV. edit. A. 1637. Auguſtino Steucho l. 9. de Perenn. Philoſoph. cap. XII. ſequu. Lærtio L. VII. de Vit. Philoſ. ſeg. 57. Arriano l. 3. *Comment. de Epicteti Diſputationibus cap. 13. pag. 279. edit. A.* 1595.

(75) Ita ſane Rabbini plerique. Nam in regno Cœlorum eadem ſe potituros putant, ſi caſte, ſancteque vixerint, in quo laute, molliterque edant, bibantque. Quin etiam novos ibidem ab ſe procreari oportere liberos cenſent. Videtor Baſnagius *Lib.* V. *Hiſt. Judæor. cap.* XIX. *pag.* 348. *ſeq. Tom.* V.

(76) Etſi veriſimile ſit Phariſæos in hac opinione fuiſſe verſatos, ut oſtendi *Not. 19. in hoc cap.* Non tamen inde concludi poteſt Apoſtolum in hac re Phariſæis fuiſſe adſenſum, quod præclare obſervat Moneta. Quare miror Egiſtium, qui *Comment. in Luc. cap.* XXIII. v. 43. cenſet Chriſtum ſeſe accommodaſſe Judæorum opinioni de Regno, ſeu de Paradiſo Terreſtri in Edem, cum dixit Latroni: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Quaſi vero Latroni hæc eadem

futura post resurrectionem; ergo credo, quod est comestura, & bibitura, & generatura filios, & filias.

§. V.

Testimonia Evangeliorum de Resurrectione corporum visibilium.

NUnc ad testimonia Evangeliornm veniamus. Matth. 5. v. 29. Dicitur: *Expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam. Corpus tuum* dicitur, corpus scilicet, quod habes, & loquitur de interiori homine secundum te, non exteriori, qui est tantum suum instrumentum, ut falso dicis; homo ergo interior non est istud corpus, quia aliud est habens, ab eo, quod habet; istud enim corpus est corpus exterius. Timore autem ne totum istud corpus illuc iret, hortatur eos cavere a peccato, scilicet, ne scandalizarentur ab aliquo. Quomodo autem timeret hoc, qui istud non crederet, scilicet, quod corpus gehennæ supplicium pateretur? Ergo volebat, quod istud crederent, & ita volebat horum corporum resurrectionem credi ab ipsis.

Item Matth. 8. v. 11. & 12. *Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob in Regno Cælorum: filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium.* Vanum esset hoc dicere, nisi esset corporum resurrectio.

Ad idem valet illud Matth. 10. v. 28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus &c.* Ubi etiam patet, quod distinguit corpus ab anima. Sed quia hæc authoritas discussa est in 6. cap. lib. 1. De Creatore rerum harum visibilium, ideo ad præsens ad alia transeamus.

Item Matth. 13. v. 50. *Mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium.*

Item 22. v. 13. *Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium.*

Ad hæc omnia dicunt, quod duplex est homo, scilicet, interior, & exterior ut dicit Ap. 2. Cor. 4. v. 16. Exterior homo corpus est animale, interior homo corpus est spirituale, ut dicunt. Asserunt etiam utrumque sua membra habere, propter illud quod legitur de Divite mortuo, & Lazaro. Lucæ 16.

Superius autem cap. 4. ostensum est, idem esse corpus animale, & spirituale, super illa verba: *seminatur in corruptione &c.* Unde patet eos male dicere distinguendo inter corpus animale, & spirituale essentialiter.

Præterea, supra eodem cap. ostendimus, quod anima non est corpus, nec corpus habens, nisi istud materiale, quod oculis cernitur.

Quod autem dicunt de divite, & Lazaro, dico quod prophetice locutus est Dominus pro tempore futuro post resurrectionem generalem, & diem universalis judicii. Quod autem ita oporteat intelligi secundum istos Catharos qui unum ponunt principium, patet: ipsi enim adhuc non ponunt esse infernum, scilicet locum tormentorum, ut dicetur tertia parte de universali judicio, ubi habetur etiam, quod ipsi nullum dicunt adhuc esse infernum, sed futurum post generale judicium; prophetice ergo dictum est illud pro tempore universalis judicii jam facti, & intelligitur sicut illud Matth. 25. v. 11. & 12. *Novissime vero veniunt & reliquæ Virgines dicentes: Domine, Domine aperi nobis. At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos*: idest si venirent, & dicerent *aperi*, responderet eis: *Nescio vos*. Similiter & illud Lucæ 16. v. 23. & sequ. *Elevans autem, &c.* Idest si elevaret, & videret, & diceret ut ibi scriptum est, ita responderet ei Abraham. Intelligitur ergo de lingua, & de oculis hujus materialis corporis, & de dentibus similiter.

Contra illos, qui duo ponunt principia, & dicunt corpora cælestia resurrectura, quærendum est de quo corpore loquatur Matth. 5. *Expedit enim tibi &c.* item 10. *Nolite timere &c.*

Item Matth. 12. v. 41. *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Et ecce plusquam Jonas hic.* Et v. 42. *Regina Austri surget in judicio cum generatione ista, & condemnabit eam, quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plusquam Salomon hic.* Ecce quod resurrectio mortuorum erit secundum utrumque sexum, qui non est nisi corporis; ergo corpus resurget de morte ad vitam; superius enim est ostensum, quod surgere, secundum quod dicit *mortui resurgent*, non est nisi transitus de morte ad vitam, aut corporaliter, aut spiritualiter. Sed de spirituali resurrectione, quæ est de vitiis ad virtutes hoc non potest intelligi, illam enim fieri oportet ante judicium, unde Act. 17. v. 30. & 31. Dicit Paulus: *Et tempora quidem hujus ignorantiæ despiciens Deus, nunc annunciat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agant, eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate.* Quomodo autem resurgant mortui, dictum est supra, & dicetur super illud Matth. 22. v. 23. *Accesserunt &c.*

Item Matth. 19. v. 28. *In regeneratione, cum sederit Filius hominis &c.* Prima generatio est spiritualis, regeneratio autem ista, carnalis, & corporalis erit, quando erit resurrectio in fine mundi.

Item Matth. 22. v. 23. & sequ. usque ad 31. exclusive. *Accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem: & interrogaverunt eum, dicentes: Magister, Moyses dixit: Si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, & suscitet semen fratri suo. Erant autem apud nos septem fratres: & primus uxore ducta defunctus est: & non habens semen reliquit uxorem suam fratri suo. Similiter secundus, & tertius, usque ad septimum. Novissime autem omnium & mulier*

eadem insederit sententia, quæ deinde Rabbinis, aut non essent e Judæis, immo etiam e Pharisæis plerique, qui Paradisi nomine gloriam indicari putarent sempiternam; sed vapulat l. c. *not. superiore* a Basnagio Grotius.

mulier defuncta eſt . In reſurrectione ergo, cujus erit de ſeptem uxor ? Omnes enim habuerunt eam . Reſpondens autem Jeſus ait illis : Erratis neſcientes Scripturas , neque virtutem Dei : in reſurrectione enim , neque nubent , neque nubentur : ſed erunt ſicut Angeli Dei in Cælo . De reſurrectione (77) autem mortuorum hic agitur ; de prima autem non agitur hic, iſtud patet : ergo agitur de ſecunda ; ſed iſta eſt corporalis : ergo corpora reſurgent .

Si autem dicat mihi : immo & ſecunda ſpiritualis eſt, ſpiritus enim defunctorum tam bonorum, quam malorum reſurgent .

Contra . Conſtat quod Evangelium loquitur hic de reſurrectione mortuorum : ſi ſpiritus reſurgent ; ergo a morte aliqua . Modo dicas mihi : Spiritus defunctorum malorum, a qua morte reſurgent ? Nunquid a morte, qua quis eſt mortuus in peccatis ? Non iſtud : Conſtat quod poſt hanc vitam non reſtat ulterius facere pœnitentiam , & a peccatis mortalibus reſurgere , ſi deceſſit in eis . Nunquid etiam reſurgent a morte naturali ? Non, quia immortales ſunt eſſentialiter . Matth. 10. v. 28. *Nolite timere eos , qui occidunt corpus , animam autem non poſſunt occidere* ; ergo non reſurgent a morte aliqua ; ergo non reſurgent . Alius autem ſenſus non eſt , nec inveniri poteſt , in quo dicantur mortui reſurgere : vel ſi eſt , oſtende aliquo teſtimonio , quod quia facere non potes , acquieſce fidei noſtræ .

Si enim dicas , quod ſpiritus dicatur reſurgere , eo modo quo homo ſurgit , quando jacet , vel ſedet, & ab illo ſitu ſe removet erigendo ſe de lecto , vel de loco , in quo ſedebat .

Hoc vanum eſt , & de hoc teſtimonia Scripturæ non habes , aut quod ſpiritus prius ſedeant alicubi, aut jaceant .

Præterea . Nunquid lectus ille , in quo jacent, materialis lectus eſt ? Nunquid & ſedes materialis , aut ſpiritualis ? Oſtende per aliquod teſtimonium quid horum ſit . Patet ergo , quod Dominus in his verbis deſtruit errorem Sadducæorum , quorum imitatores ſunt Cathari negando horum corporum reſurrectionem .

Secundum etiam deſtruit , quia mortuo corpore putabant animas non eſſe , ſed interire , unde ſubdit v. 31. & 32. *De reſurrectione autem mortuorum* , ideſt , de mortuis qui reſurrecturi ſunt , *non legitis, quod dictum eſt a Deo dicente vobis : Ego ſum Deus Abraham , & Deus Iſaac , & Deus Jacob ?* Quaſi diceret, illud dictum eſt in lege Moyſi , quam recipitis o Sadducæi , & hoc habetur Exodi 3. v. 6. *Non eſt Deus mortuorum , ſed viventium* , quaſi diceret ; ergo illi vivunt , ſi ego ſum Deus eorum : ſed non vivebant ſecundum corpus tunc , hoc conſtat , ergo ſecundum animas , & ſic non erant mortuæ animæ eorum cum corporibus .

Probatio autem , quod Spiritus vivunt , facit ad probationem reſurrectionis . Sicut enim non moventur niſi adminiculo corporis , ideſt , corpore cooperante , & coadjuvante , ut præhabitum eſt , ita non remunerabuntur plene ſine ipſo , unde dicit B. Dionyſius in Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 7. §. 1. *Pura vero illa corpora , quæ ſanctis animabus copulata , cum iiſdem ſimul & ambularunt , & deſcripta ſunt . . . . . ſibi quoque propriam reſurrectionem ſortientur .*

Item Matth. 27. v. 52. *Multa corpora* (78) *Sanctorum , qui dormierant , ſurrexerunt .* Si erant ſanctorum , non erant ipſi ſancti , ideſt , ipſi ſpiritus , ſed erant corpora materialia , in ſignum , quod corpora noſtra , quæ membra Chriſti ſunt, reſurrectura ſunt , ſicut & caput ſuum , ideſt Chriſtus ſurrexerat a mortuis .

De corporibus autem cæleſtibus hoc non poteſt intelligere hæreticus , qui duos aſſerit creatores , de hoc enim teſtimonium non habet . Evidens autem eſt , quod Chriſtus in hoc mundo paſſus , & ſepultus eſt , & quod ſurrexit a mortuis , & demum de hoc mundo ad Patrem aſcendit .

De prima etiam reſurrectione non poteſt hæreticus intelligere , quæ eſt a morte , ideſt , a peccato , (79) quoniam ante reſurrectionem Domini nullus a peccato ſurrexit ſecundum eum ; dicit enim quod nullus Spiritum Sanctum habuit ; legitur enim Rom. 8. v. 9. *Si quis autem Spiritum Chriſti non habet , hic non eſt ejus* , ſi autem ejus non eſt, oportet quod ſit ipſius Satanæ .

Item Matth. 24. v. 20. 21. & 22. *Orate autem ut non fiat fuga veſtra in hyeme , vel ſabbato ; erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi , uſque modo , neque fiet . Et niſi breviati fuiſſent dies illi , non fieret ſalva omnis caro .* Ergo aliqua caro ſalva fiet .

Si dicat , quod caro ibi dicatur Eccleſia , aut interior homo , oſtendat hoc aliquo teſtimonio , ſed non poteſt .

Item Johan. 5. v. 25. Dicitur : *Venit hora , & nunc* (80) *eſt , quando mortui audient vocem Filii Dei : & qui audierint vivent .* Venit , inquit , hora cum Apoſtoli prædicabunt , & nunc eſt , cum ego ipſe prædico , quando mortui ſine fide in peccatis audient

(77) Vide *Notationem* 18. *in hoc cap.*

(78) Johannes Chryſoſtomus *Homilia* LXXXIX. al. LXXXVIII. *in Matthæum num.* 2. *pag.* 826. *Tom.* VII. *Edit. Nov. Paris .* „ Nam „ ſi quatriduanum Lazarum , *inquit* , ex ſepulcro exire magnum „ erat , multo majus Sanctos illos omnes , jam olim ſepultos , „ confeſtim vivos apparere , quod futuræ reſurrectionis ſignum „ erat : Ait enim : *Multa corpora Sanctorum &c.* Ne enim pu„ taretur id quod fiebat phantaſma eſſe , multis etiam apparent „ in civitate . Conſtat ergo Monetam Patribus ſemper auſcultare .

(79) Primam reſurrectionem appellat hic noſter ſolutionem a peccato , quemadmodum eam plerique omnes Sancti Patres vocarunt .

(80) Non eſt hæc κατὰ λέξιν interpretatio . Nam literalis , ut vocant , ſenſus id poſtulat : *Venit hora , & nunc eſt* , nempe proxime imminet , *quando mortui audient vocem Filii Dei* , videlicet ſuam , *& qui audierint vivent* , hoc eſt , revocabuntur ad vitam , ut pateat eadem ipſum eſſe , qua Pater præditus eſt poteſtate . Quocirca Sancti Patres hoc item teſtimonio uſi ſunt ad reprimendam impudentiam Gnoſticorum . Ac Tertullianus quidem *Libro de Reſurrectione Carnis cap.* XXXVII. Ubi hoc ex Evangelio Johannis ῥητὸν protulit : *Quid mortuum* , inquit , *niſi caro ? Et quid vox Dei niſi ſermo ? & quid ſermo niſi ſpiritus ? Merito carnem reſuſcitaturus , quod factus eſt ipſe , & ex morte quam paſſus eſt ipſe , & ex ſepulcro , quo illatus eſt ipſo . Ne miremini quod veniet hora , in qua omnes qui in monumentis ſunt audient vocem Filii Dei , & procedent qui bona fecerunt in vitæ reſurrectionem , qui mala in reſurrectionem judicii . Nemo jam poterit aliud mortuos interpretari , qui ſint in monumentis , niſi corpora , & carnem , quia nec ipſa monumenta aliud quam cadaverum ſtabula .*

audient credendo, & qui audierint obediendo, vivent. Istud intelligitur de prima resurrectione, unde cum dixisset *venit hora*, statim subjunxit, *& nunc est*. Postea loquitur de secunda resurrectione, quæ erit in die judicii v. 28. *Nolite mirari in hoc*, *&c*. Postea subdit de judicio universali faciendo per filium v. 27. *Et potestatem dedit ei judicium facere*, *quia Filius hominis est*. Potestatem enim quam habebat cum Patre in occulto, dedit ei in manifesto, *quia Filius hominis est*. Postea subjunxit quando fiet istud judicium, quia in generali resurrectione corporum humanorum: v. 28. & 29. *Nolite mirari in hoc quia venit hora*, scilicet, in fine seculi, *in qua omnes qui in monumentis sunt*, *audient vocem Filii Dei*: *& procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ*: *qui vero mala egerunt*, *in resurrectionem judicii*. Et nota, quod dicit *audient*, commune est omnibus, quod autem sequitur, *& procedent &c*. discretio est bonorum, & malorum in judicio, sicut & Matth. 25. v. 46. *Et ibunt hi in supplicium æternum*: *justi autem in vitam æternam*.

Istud autem intelligunt ipsi hæretici de spiritibus humanis, (81) & de sepulchris carnis de quibus Ap. ad Rom. 3. v. 13. Cum David Ps. 5. v. 11. ait: *Sepulchrum patens est guttur eorum*.

Sed contra. Tu ipse posuisti, & scriptum reliquisti, quod istud de futura resurrectione intelligitur: resurrectio autem ut pluries diximus, non est aliud nisi transitus de morte ad vitam, sicut & ibi v. 24. tangit Johannes: *Qui verbum meum audit*, *& credit ei*, *qui misit me*, *habet vitam æternam*, *& in judicium non venit* (82) *sed transit a morte in vitam*. Spiritus autem hominum non transibunt de morte ad vitam tunc, quia nec a morte culpæ, nec a morte naturæ, quia neutro modo morerentur spiritus boni, mali autem spiritus non transibunt de morte ad vitam.

Præterea Johan. dicit: *Omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei*. Istud commune est bonis, & malis spiritibus, sicut tu dixisti in scriptis tuis. Boni autem non sunt in monumentis illis, de quibus dicit Ap. alioquin mali essent; pessime igitur dixisti, quod monumenta sumantur eodem modo quo sepulchra, de quibus loquitur Ap.

Si autem dicas, quod de solis malis intelligitur illud verbum: *venit hora*, *in qua omnes*, *qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei*, sic invenio in te *est*, & *non*; dicere enim consuevisti, quod intelligitur de bonis, qui audient illam vocem *venite benedicti*. Matth. 25. v. 24. Et de malis, qui audient illam *discedite a me maledicti* v. 41. Modo autem dicis, quod de solis malis inteligitur.

[*] Præterea. Dicas mihi, quid dicere poteris ad hoc: *Et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ?* Cujusmodi est ista resurrectio? Nunquid a morte culpæ, vel naturæ? Et patet objectio ex prædictis.

Quid autem sit ista vox Filii Dei, dico, quod ista vox est jussio de qua habetur 1. Thess. 4. v. 15. *Ipse Dominus in jussu*, *& in voce Archangeli*. *& in tuba Dei descendet de Cælo*: *& mortui*, *qui in Christo sunt resurgent primi*. Dicitur autem ista vox Angeli, quia fiet ministerio alicujus Archangeli: dicitur tamen Filii Dei, quia illius auctor est; & dicitur tuba ista vox, quia sicut tuba utebantur filii Israel ad bellum, & ad festum, ita illa vox ad bellum erit contra malos, sed quoad bonos erit festum, & ad festum invitans.

Ipsi autem pleni dolo, & fallacia objiciunt nobis: Si istud verum est, & de monumentis materialibus intelligitur verbum Johan. cum dicitur: *Omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei*, oportet dicere, quod jam resurrexerunt, ex quo audient vocem illam: quomodo ergo dicitur, quod procedent in resurrectionem vitæ? [*] sic ergo adhuc bis videntur fore resurrectura in fine seculi humana corpora.

Hoc autem non dicerent, nisi qui Scripturæ intellectu carent; si enim adverterent, quod hæc præpositio *in* aliquando causam notat, & ponitur pro *per*, forsitan istud non dixissent: non est aliud procedere in resurrectionem vitæ, quam per resurrectionem procedere ad vitam æternam: procedere autem in resurrectionem judicii, est per resurrectionem procedere ad judicium, idest ad damnationem. Nonne & hoc testatur Dominus Matth. 25. dicens v. 46. *Ibunt hi in supplicium æternum*: *justi autem in vitam æternam?* Nonne & Daniel hoc dicit c. 12. v. 2. *Multi de his*, *qui dormiunt in pulvere*, *evigilabunt*: *alii in vitam æternam*, *& alii in opprobrium sempiternum?*

Quod autem hæc præpositio *in* quandoque ponatur causaliter, patet. Gal. 2. v. 20. Ubi dicit Ap. *in fide vivo filii Dei*, idest, ex fide, sive per fidem. Et quod ita intelligendum sit, patet per illud Rom. 1. v. 17. *Justus autem ex fide vivit*.

Item Roman. 3. v. 30. *Unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem*, idem enim est *per fidem*, & *ex fide*.

Item Apoc. 1. v. 7. *Ecce venit cum nubibus*, *& videbit eum omnis oculus &c*. De adventu ad judicium universale loquitur, sicut Matth. 25. Et dicit, quod tunc *videbit eum omnis oculus*; loquitur autem de oculo humano, & de carnali; ergo caro ista resurget.

Si autem dicat, quod de spirituali oculo loquitur, sicut etiam super hoc dicere consuevit; soli enim spirituales oculi Deum visuri sunt, ut dixit hæreticus, & ad hoc induxit illud, quod in Pentecoste legimus: *Mundi corde*, *quem soli cernere possunt oculi*.

Contra. Nonne loquitur ibi de malis? Utique: dicit enim: *Videbit eum omnis oculus*, *& qui eum pupugerunt*: isti autem non erant mundi corde; ergo ipsi non habebunt oculos spirituales, & tamen eum videbunt; ergo loquitur de oculo corporali.

Præ-

(81) Monumentorum nomine homines veteres, seu peccatores indicari putabant Gnostici. Egregie Tertullianus l. mox indicato: *Siquidem & ipsi homines veteres, idest peccatores, idest mortui per ignorantiam Dei, quos monumenta intelligendos argumentantur hæretici de monumentis processuri in judicium aperte prædicantur. Ceterum quomodo de monumentis monumenta procedent?*

(82) Nempe in judicium *damnationis*.

[* Non exstant hæc quæ duobus asteriscis complexi sumus in *Cod. Neapol.*

Præterea, contra illos, qui duos creatores ponunt, dicendum eſt: quare *plangent ſe ſuper eum omnes Tribus terræ?* Conſtat, quia propter malum, quod fecerunt in Chriſtum, & in membra ejus; ergo dolebunt de illo malo; ergo non erant de creatione Diaboli, alioquin inde eſſent læti:

Præterea. Si pœniterent de malo facto; ergo naturaliter erant habiles ad oppoſitum; ergo non erant de creatione Diaboli.

Dicitur autem, quod *plangent ſe ſuper eum*; ergo damnabuntur in ultimo judicio; ergo non oves Iſrael ſalvabuntur.

Item Johan. 11. v. 13. Dixit Jeſus Marthæ: *Reſurget frater tuus*. Iſtud non poteſt intelligi niſi materialiter, quia non loquitur ibi Dominus niſi de reſurrectione, qua eum reſuſcitavit a morte in hoc mundo: ſed non reſuſcitavit eum niſi a morte corporali; ergo corporaliter reſurrexit. Si autem hoc eſt: quare ergo negas horum corporum reſurrectionem, niſi quia Antichriſtus es, cum Chriſtus hujus corpus reſuſcitaverit a morte?

Forte dices, quod reſurrectio iſta ſpiritualis eſt, quod Dominus non reſuſcitavit eum a morte corporis, ſed a morte animæ, ideſt a peccato. (83)

Contra. Nunquid ante adventum Spiritus Sancti, prius quam Chriſtus glorificatus eſt, aliquis a morte peccati ad vitam gratiæ reſurrexit? Non, ſecundum te: iſta autem reſurrectio Lazari ante fuit; ergo non fuit a morte peccati, ſed corporis reſuſcitatus.

Præterea Ap. dicit Roman. 8. v. 10. Quod *corpus quidem mortuum eſt .... Spiritus vero vivit propter juſtificationem* Spiritus Sancti, qui in ipſo eſt. Hæc autem juſtificatio, & vita non habetur niſi per Chriſtum habitantem in homine: Chriſtus autem in nullo habitavit, ut dicit hæreticus, ante adventum Spiritus Sancti; ante ergo nullus erat juſtificatus, & nullus ſpiritualiter vivus; ergo nullus reſurrexerat de morte ad vitam ſpiritualem: conſtat autem, quod Lazarus antea reſurrexerat; ergo de morte ad vitam corporalem; ergo illa reſurrectio fuit corporalis: reſurrexit autem Lazarus in proprio corpore, & quare? niſi ut ſciamus, quod in propriis corporibus reſurrecturi ſumus, unde 2. Cor. 5. v. 10. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.*

Præterea Johan. 11. v. 24. Martha dixit: *Scio, quia reſurget in reſurrectione in noviſſimo die.* (84) Iſtud non poteſt intelligi de reſurrectione ſpirituali a morte ſcilicet peccati; in die enim judicii nemo reſurget a peccato mortali, ſi deceſſit in illo; ergo intelligitur de corporali, ſcilicet de illa, quæ eſt a morte corporis; ergo corporaliter reſurget a morte, de alia enim reſurrectione non agimus, niſi de illa quæ eſt a morte.

Nec poteſt dicere hæreticus qui ponit duo principia, & aſſerit reſurrectionem corporum cæleſtium, quod iſtud miraculum ſpirituale ſit, aut quod de corpore cæleſti ſit intelligendum.

Primum, quia nullus in peccato mortuus ante Chriſti reſurrectionem, ut ipſe dicit, a peccato ſurrexit, nec ante adventum Spiritus Sancti.

Secundum dicere non poteſt, quod iſtud miraculum in Cælo factum ſit; Bethania enim eſt Caſtellum Mariæ & Marthæ, & alia quæ ibi dicuntur ſunt in hoc mundo. Iſtud patet: quod iſta autem ſint in Cælo, de hoc non habet teſtimonium: unde ab eo quærendum eſt, ſi hoc dixerit: nunquid iſtud aliquo teſtimonio potes oſtendere? Non; ergo obmuteſce.

Item Apoc. 11. v. 7. & 9. *Et cum finierint teſtimonium ſuum, beſtia, quæ aſcendit de abyſſo, faciet adverſus eos bellum, & vincet illos, & occidet eos...... Et videbunt de tribubus, & populis, & linguis, & gentibus corpora eorum per tres dies & dimidium;* & poſt pauca verba ſubjungit B. Johannes. v. 11. & 12. *Et poſt tres dies, & dimidium, ſpiritus vitæ a Deo intravit in eos. Et ſteterunt ſuper pedes ſuos, & timor magnus cecidit ſuper eos, qui viderunt eos. Et audierunt vocem magnam de Cælo dicentem eis: aſcendite huc. Et aſcenderunt in Cælum in nube: & viderunt illos inimici eorum.* Ecce evidentiſſimum ſignum reſurrectionis corporalis. Illi enim duo prophetæ primo occidentur, & eorum corpora jacebunt ſine ſepulcro, & poſt tres dies, & dimidium ſpiritus vitæ, ideſt anima vivificans illa corpora intrabit in eos, ideſt in corpora eorum, & ſtabunt ſuper pedes ſuos, deinde ad juſſum Dei cum corporibus aſcendent in Cælum in nube, ſicut & Chriſtus in nube corporaliter aſcendit.

Ad hoc dicunt hæretici, quod iſta verba ſpiritualiter intelligenda ſunt, quod etiam volunt probare per hoc, quia Dominus noſter in Ægypto & Sodoma non eſt crucifixus, immo circa Jeruſalem, extra portas ejus, unde ſpiritualiter intelligenda ſunt, & Civitas magna quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma, & Ægyptus, mundus iſte eſt, in quo jacebunt corpora Sanctorum, qui interficientur pro Chriſto, qui in mundo iſto crucifixus eſt. Mundus etiam ipſe ſpiritualiter dicitur Sodoma, & Ægyptus, ut patet ex interpretationibus nominum. Ita dicunt addentes etiam: quia, quod dicitur quoniam *corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ* v. 8. intelligi debet quia non occulte, ſed palam deſpicientur ubique.

Quod autem ipſi decepti ſint, & per hoc alios decipientes, poteſt expreſſe videri ſi diſcutiatur litera. Nonne dicitur, quod beſtia quæ aſcendit de abyſſo occidet illos? Utique. Aut materialiter, aut ſpiritualiter? ſpiritualiter non; ergo materialiter: ergo ibi agitur de occiſione corporum materialium illorum duorum prophetarum; ergo quando dicitur

(83) Sequuntur Cathari Manichæos rurſum auctores, a quibus omnem fere ſuam doctrinam mutuati ſunt. Id enim exprobrat Manichæis S. Auguſtinus *Lib.* IV. *Contra Fauſtum cap.* XL *Tom.* VIII. *Opp. Qui dicitis nunc eſſe reſurrectionem animarum per prædicationem negatis.* Id vero cenſebant, quod malam eſſe carnem atque a malo principio conditam arbitrarentur, velut etiam putabant Cathari, quos hic vexat Moneta. Hinc Theodoretus *Lib.* I. *Hæret. Fabul. Cap.* XXVI. *τὴν τῶν σωμάτων ἀνάστασιν ὡς μῦθον ἐκβάλλουσιν· οὐδὲν γὰρ τῆς ὕλης μόριον ἄξιον ὑπειλήφασι τῆς σωτηρίας. Reſurrectionem corporum ut fabulam rejiciunt. Nullam enim materiæ partem putant dignam eſſe ſalute.*

(84) Vide Tertullianus *Lib. de Reſurrectione Carnis cap.* LIII.

tur *corpora eorum jacebunt &c.* materialiter intelligitur, non Spiritualiter.

Præterea nonne ibi dicitur: *Et videbunt de tribus, & populis &c.* Isti mali sunt, & dicitur de eis quoniam videbunt corpora eorum; istud ergo intelligitur de visione materiali & corporibus materialibus, quæ non sinent illi mali in monumentis poni. Constat quod ista sunt monumenta materialia, in monumentis enim spiritualibus mali sinerent eos poni. In bonis autem monumentis Spiritualibus erant, vellent, nollent illi; ergo quando dicitur: *Spiritus vitæ a Deo intravit in eos, & steterunt super pedes suos*, intelligitur ad literam, idest in corpora eorum.

Si enim vis dicere, quod spiritualiter intelligitur *Spiritus vitæ*, idest Spiritus Sanctus post illos tres dies & dimidium *intrabit in eos*, idest in spiritus eorum:

Ergo ante illos tres dies & dimidium non esset in eis; ergo prius erant mali, quod falsum est, ut patet per Johannem, v.3. usque ad 6.incl. *Et dabo &c.* usque *quotiescumque voluerint*

Quod autem dixisti hæretice, illa esse tantum spiritualiter intelligenda, propter hoc quod Dominus non est crucifixus in Ægypto:

Nec hoc dicit Johannes, sed quia Crucifixus est in civitate, quæ vocatur, non simpliciter, Sodoma & Ægyptus. Unde bene concedo quod non Crucifixus est in Ægypto & Sodoma materiali, sed in Ægypto & Sodoma spirituali, scilicet in Jerusalem, idest in partibus ejus, quia juxta eam, sic enim loquitur Dominus Lucæ 13. *Quia non capit Prophetam perire extra Jerusalem* v. 33. Illa enim vocatur Sodoma spiritualiter, idest muta, quia Judæi muti extiterunt ad laudem Christi; unde etiam dicitur Jo: 12. v. 42. *Ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter Pharisæos non confitebantur, ut e synagoga non ejicerentur.*

Præterea de Principibus Judæorum Isaias dicit c. 1. v. 10. *Audite Verbum Domini Principes Sodomorum.* Et Jerem. 23. v. 14. *In prophetis Jerusalem vidi similitudinem adulterantium, & iter mendacii: & confortaverunt manus pessimorum, ut non converteretur unusquisque a malitia sua: facti sunt mihi omnes ut Sodoma, & habitatores ejus quasi Gomorrha*,

Ipsa etiam Jerusalem licet non materialiter, tamen Spiritualiter dicitur Ægyptus; interpretatur enim tenebra, vel mæror, & ipsa Jerusalem fuit in tenebris peccatorum, & mærore pœnarum. Propter hoc dicitur Jo. 1. v. 5. de Israelitis, & aliis Judæis: *Lux in tenebris lucet*: hæ tenebræ fuerunt ipsi Judæi, & habitantes Jerusalem; unde ibidem v.11. dicitur: *In propria venit, & sui eum non receperunt*; *sui*, idest Judæi, qui suus populus dicebantur. De mærore autem illius habetur Thren. 1. v. 4. *Et ipsa oppressa amaritudine*; & Lucæ 9. v. 41. & 42. *Et ut appropinquavit, videns civitatem flevit super illam, dicens: Quia si cognovisses & tu*, supple fleres, & merito; *&*, idest etiam; *quidem*, idest certe certe, *in hac die tua, quæ ad pacem tibi*, supple est, & subdit de mærore ejus: *nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis*.

Viso qualiter disputanda est præsens authoritas Apoc. 11. contra Catharos, qui unum ponunt principium, videamus qualiter disputanda est contra alios Catharos, qui duo asserunt.

Item Apoc.20. a v.12. usque ad finem dicit Johannes: *Et vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt: & alius liber apertus est vitæ: & judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum..... & qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Libri aperti, Sancti intelliguntur, per quos patebit, quod impii non immerito judicabuntur; liber vitæ Christus, qui suos vivificabit, & in cujus examine evidenter apparebit quasi in libro, qui sunt ituri in vitam æternam, & qui in supplicium æternum. Mare, idest aqua, dabit mortuos, idest corpora mortuorum, quæ in ipso erunt; & mors, idest diabolus, & infernus tenebrarum locus dabit mortuos; idest animas mortuorum, quæ ibi erunt, ut conjunctæ corporibus veniant ad judicium, ut habetur 2. Cor. 5. v. 10. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi*.

Ad hoc autem dixit hæreticus, quod spiritualiter accipienda sunt, & quod mare, mors, & infernus pro personis accipiuntur; voluit enim dicere, mare pro persona accipi, propter id quod habetur Ps. 113. v. 3. *Mare vidit, & fugit*: Non posset videre ubi fugeret. Item voluit dicere quod infernus & mors dicantur pro persona aliqua, propter illud Apoc. 20. v.14. *& infernus, & mors missi sunt in stagnum ignis*; & maxime propter illud Apoc.6.v 8. *Ecce equus pallidus: & qui sedebat super eum, nomen illi mors, & infernus sequebatur eum.* Volunt ergo propter hoc quod verba prædicta intelligantur spiritualiter tantum, non corporaliter, & quod de spiritualibus mortuis dicta sunt ista: *& mors, & infernus dederunt mortuos suos*.

Præterea in inferno, qui dicitur locus pœnarum, ante judicium, non creduntur esse corporaliter mortui, sed tantum animæ mortuorum; Unde dicit hæreticus, si infernus usque ad judicium corporales mortuos non habet, nequaquam eos dabit:

Quod autem falsum dixerit hæreticus iste, leviter potest ostendi. (85)

(85) Adeundi interpretes, qui in *Apocal. Commentarios ediderunt Cap.*XI. Nunc autem paucis refellam in *extrem. hoc cap.*VIII. quod sensit de resurrectione Beausobrius *lib.*VIII. *cap.* V. *n.*1 *Hist. Manich. Tom.* II. *pag.*561. Putat ergo ex Pauli verbis 1. *ad Cor. Cap.* XV. *caro & Sanguinis Regnum Dei non possidebunt*, concludi merito posse corpora, quæ resurgent, sine carne & sanguine futura. Id autem ultro confessum fuisse S. Augustinum *Cont. Adimantium Cap.* XII. ubi hæc habet: *Hinc apparet, quia caro & Sanguinis Regnum Dei non possidebunt, quia cum induerit incorruptionem, & immortalitatem, jam non caro, & sanguis erit, sed in Corpus Cœleste mutabitur*. Interpretationem Patrum, qui verba Apostoli de carnis operibus intelligi oportere defendunt, commentitiam esse. Probari ergo debere partem illam Manichæorum opinionis, qua pugnant Sanctos nec carne, nec Sangrine fore præditos; negari autem alteram, qua contendunt non futuram corporum resurrectionem. Nego igitur 1. Ex Scriptura id, quod voluit Beausobrius, probari ullo modo posse. Immo vero plane ostenditur Carnem, & Sanguinem habituros Sanctos post resurrectionem in Patria. Nam Christus, cujus Corpus Gloriosum post Resurrectionem fuit, Carne non caruit. Quæ jussit, ut Apostoli palparent, ac viderent, quia Spiritus *carnem & ossa non habet*. Non erit autem dissimile cum resurget corpus nostrnm, ut constat

CAP. IX.

De Judicio.

TErtio in hac parte quarta videndum est de Judicio; & primo, de judicio pœnarum præsentium, an sint a Deo. Secundo, de judicio animarum in Purgatorio & de Suffragiis. Tertio, de judicio animarum ante diem ultimum, id est utrum modo recipiant præmium in Paradiso, vel supplicium in inferno. Quarto, de universali judicio, an sit factum. Quinto, de inferno, sive loco suppliciorum, quis sit. Sexto, de suppliciis malorum, & prœmiis bonorum post judicium, an sint futura paria, an non.

§. I.

De judicio pœnarum præsentium, an sint a Deo.

SIcut diximus, hic videndum est, utrum flagella præsentia a Deo sint, sive in hominibus, sive in animalibus, sive in plantis, hoc est vegetabilibus. (1) Quod ita sit, probatur per illud Ap. Rom. 3. v. 5. & 6. *Nunquid iniquus est Deus, qui infert iram? (secundum hominem dico)* Idest more carnalium istam quæstionem propono: postea subdit ut sapiens: *absit) alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum? Infert* dicit, de præsenti illatione iræ, sive pœnæ intelligens; quod etiam patet per illud quod sequitur: *Alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum*; ergo quod dixerat *nunquid &c.* non potest intelligi de judicio hujus mundi, futuro.

Item 1. Cor. 11. v. 27. usque ad 30. *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calice Domini indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* Sed a quo immittitur hæc infirmitas, aut imbecillitas, aut dormitio, idest mors, nisi a Deo? Hoc patet per hoc quod sequitur v. 31. *Quod si nos metipsos dijudicaremus, non utique* a Domino *judicaremur.* Item v. 32. *Dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.*

Item 2. Cor. 12. v. 7. dicit S. Paulus: *Et ne magnitudo revelationum extollat me; datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ, qui me colaphizet.* Ecce quod dicit quomodo datus est ei stimulus carnis, & ad quid: scilicet ne magnitudo revelationum extolleret eum; ergo qui dedit ei stimulum, hoc volebat, ne extolleretur: bonus ergo erat, qui illum stimulum, scilicet angelum satanæ ei dederat ad stimulandum ejus carnem.

Item Proverb. 3. v. 11. & 12. *Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias: nec deficias cum ab eo corriperis: quem enim diligit Dominus, corripit; & quasi Pater in Filio complacet sibi.*

Item Act. 12. v. 7. dicitur, quod *Angelus Domini astitit*, supple ipsi Petro, qui incarceratus erat ab Herode, *& lumen refulsit in habitaculo: percussoque latere Petri excitavit eum dicens: Surge veloci-*

ex *Paulo 1. ad Corinth.* XV. *v.* 12. *seqq.* & Rursus si idem, quo nunc sumus præditi, corpus resurget, carne, sanguineque gaudeat, necesse erit: alioqui, non hnmanum, sed alius generis corpus erit. Corpus autem corpus resurgere oportere constat *ex cap.* XV. *Epistolæ 1. ad Corinthios*, quo abutitur Beausobrius, atque ex aliis plerisque Sacrorum Bibliorum locis, quæ nunc indicare supervacaneum est. *Sed caro*, inquit, *& Sanguis Regnum Dei non possidebunt*. Ita quidem ait Apostolus, verum ipse per se declarat, quo pacto sit hoc intelligendum. Nam v. 12. redarguit eos, qui negabant Resurrectionem. v. 13. Etenim nisi vere resurgent mortui, ne Christus qnidem resurrexit, quod falsum est. Christus namque fuit primitiæ dormientium. Introducit autem v. 35. quosdam rogantes: *Quali corpore venturi sint*, qui resurgent. Adducit exemplum seminis, quod non *vivificatur*, nempe non se dilatat, nec germinat, *nisi prius moriatur*, hoc est, nisi sub terram condatur, seu sepeliatur. Quod autem homo seminat, non est corpus quod futurum est, videlicet *corruptibile*. *Seminatur*, inquit v. 42. *sq. in corruptione, surget in incorruptione, seminatur in ignobilitate, surget in gloria, seminatur in infirmitate, surget in virtute*. Quod autem adjungit v. 44. *seminatur corpus animale, surget corpus spiritale*, non ita sumendum, est, quasi quod corpus quod nunc est, tunc in spiritum se convertere debeat. Etenim Christi Corpus, de quo mox v. 45. seq. sermonem instituit Paulus post resurrectionem, etsi agile, gloriosumque fuerit, Spiritus tamen non fuit, ut perspicuum est. Carne namque præditum erat, velut Evangelistæ memoriæ prodiderunt. Atqui mox adjungit Apostolus v. 47. *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de Cœlo Cœlestis. Qualis terrenus*, nempe Adam mortalis, corruptibilis, ignobilis, *tales terreni*, hoc est homines, qui vitam mortalem degunt; *Et qualis cœlestis*, hoc est Christus post resurrectionem virtute instructus, agilis, gloria, cælestique luce fulgens, præditus tamen carne, *tales & cœlestes*, scilicet, qui ad gloriam parandam resurgent. Si ergo subdit Paulus continuo: *Hoc autem dico fratres, quia caro & Sanguis Regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit*, non tollit carnem a corporibus, quæ resurgent, sicut non adimit Christo, sed detrahit tantum *infirmitatem, ignobilitatem, corruptionem*, quæ sunt mortalis corporis propriæ, ponitque *carnem, & corpus Gloriosum, virtute præstans, & immortalitate*. Si autem Carnem non tollit, ne Sanguinem quidem tollat necesse est, cum de Carne, & Sanguine eadem differat ratione. Carnis autem, & Sanguinis vocibus, hominem affectu, & passione ductum intelligebant judæi. *Hinc Matth. cap.* XVI. *v.* 17. *Quia caro, & Sanguis, non revelabit tibi*. Sublata autem ejusmodi passione prava, sublatisque imperfectionibus Carnis, & Sanguinis, cœleste tum corpus hominis nuncupandum putat Apostolus. Delirat ergo Beausobrius, dum ex Paulo liquere censet, corpora Sanctorum Carne esse, & Sanguine caritura. Major autem est hæretici impudentia, dum Augustinum sibi subsidio comparat. Non enim Augustinus pugnat carnem, & sanguinem, qualemcumque e cœlo eliminari debere, sed Carnem & Sanguinem, qui sit obnoxius corruptioni, quæ corruptio si auferatur, Corpus tum Cœleste appellari posse: *Quia* inquit, *cum induerit incorruptionem, jam non caro, & sanguis, erit*, hoc est corruptibilis, *sed in corpus cœleste*, hoc est *incorruptibile, mutabitur*. Veram hanc autem esse interpretationem, cum ex *eodem libro cap.* XI. tum *ex 1. retractat. lib. cap.* XXII. *n.* 3. *Tom. 1. Opp. deducitnr* ubi: *Quod autem dixi*, inquit, *cum induerit incorruptionem, & immortalitatem, jam non caro, & sanguis erit*: SECUNDUM CORRUPTIONEM CARNALEM DICTUM EST, CARNEM NON FUTURAM, NON SECUNDUM SUBSTANTIAM, SECUNDUM QUAM DOMINI CORPUS ETIAM POST RESURRECTINEM CARO APPELLATA EST. Quo nihil excogitari clarius potest, Videtor Austustinus *Epistola* CXLVI. *ad Consentium* in qua hoc argumentum fuse persequitur, ponitque Carnem, & Sanguinem in Corporibus quæ resurgent. Tribuit ergo fraude mala Sancto Doctori Beausobrius, ut suum confirmet errorem, quod illi numquam venit in mentem. Colliget inde Lector, quæ fides hæreticis hujus temporis adjungenda sit, quum eos non pudeat tam confidenter mentiri.

(1) Vide Notationem 49. *ad cap. 1. pag.* 5. Adisis Augustinum *lib. de natura Boni cap.* IX. *seq. Tom.* VIII. *opp. & lib.* III. *De lib. Arb. cap.* XVIII. *Tom.* 4. *Opp. & S. Thomam in Qu: disp. de malo.*

lociter & ceciderunt catenæ, de manibus ejus. Postea in fine capitis v. 21. 22. & v3. dicitur: *Statuto autem die Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat: Dei voces, & non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo, & consumptus a vermibus, expiravit*. Quis sit iste Angelus Domini, patet in litera, ille scilicet qui astitit Petro ad liberationem: ille astitit Herodi ad damnationem, ad flagellum: ille autem qui Petro astitit, bonus fuit; ergo & ille qui Herodi, cum fuerit ille idem. Si enim vis dicere quod de alio loqueretur, hoc non potes ostendere: ego autem testimonium habeo quod de bono Angelo dicitur in illo capite, quod sit Angelus Dei.

Præterea: Malus Angelus propter hoc non fuisset iratus ei quia non dedisset Deo honorem, imo ex hoc dilexisset eum.

Item Act. 13. v. 9. 10. & 10. ubi agitur de quodam volente avertere Proconsulem a fide dicitur: *Saulus autem, qui & Paulus, repletus Spiritu Sancto, intuens in eum, dixit: O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas. & nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non videns solem usque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo, & tenebræ, & circuiens quærebat qui ei manum daret*. Ecce quod iste subvertebat vias Domini, ideo manus Domini super eum fuit, idest vindicta præsens corporalis cæcitatis ad tempus; nec enim de alio Domino potes ostendere eum loquutum, nisi de illo cujus viam subvertebat, qui reddet unicuique secundum opera sua.

Item Math. 21. v. 19. & 20. habetur, quod Christus dixit cuidam ficui: *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum: & arefacta est continuo ficulnea. Et videntes discipuli mirati sunt dicentes: quomodo continuo aruit*.

Item Marci 5. v. 12. & 13. dicitur: *Et deprecabantur eum Spiritus dicentes: mitte nos in porcos ut in eos introeamus. Et concessit eis statim Jesus. Et exeuntes Spiritus immundi introierunt in porcos: & magno impetu grex præcipitatus est in mare ad duo millia*.

Item Jo. 2. v. 15. *Cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque, & boves, & nummulariorum effudit æs, & mensas subvertit*.

Item Jo: 9. v. 2. & 3. de cæco nato dicitur: *Quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur? Respondit Jesus: Neque hic peccavit, neque parentes ejus: sed ut manifestentur opera Dei in illo*. Aperte dicit quod non propter suum peccatum, vel parentum ejus cæcus est natus, sed propter gloriam Dei manifestandam; ex quo patet quod illa cæcitas non erat nisi a Deo.

Præterea: Nonne Ecclesia Dei, quæcunque illa sit, fratribus peccantibus aliqua flagella immittit, aliquas scilicet afflictiones? Constat quod sic. Nonne quod Ecclesia facit, Deus facit? Utique. Flagella ergo a Deo Sancto sunt.

Ex quo etiam patere potest quod falsum ponunt illi qui duo ponunt principia, dicentes quod Deus non punit populum suum pro peccatis hic commissis, sed pro peccato facto in cœlis: ad hoc autem nullum habent testimonium.

Nos autem aliqua ad hoc inducamus, ut confundantur hæretici. Ap. enim Rom. 1. v. 18. ait: *Revelatur enim ira Dei de Cœlo super omnem impietatem, & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in justitia detinent*. Enumerat autem Ap. in illo capite multa scelera, quæ absonum esset dicere esse facta in Patria Angelica, alioquin illa terra esset omnium abominabilissima.

Item Rom. 2. v. 2. *Judicium Dei est secundum veritatem in eos, qui talia agunt*. Notandum quod dicit *est* de præsenti loquens, sicut & supra, cum dixit *revelatur*.

Item Rom. 3. v. 5. *Nunquid iniquus est Deus, qui infert iram? Infert* dicit, de præsenti loquens, ut prænotatum est supra hoc eodem cap.

Item Eph. 5. v. 6. enumeratis quibusdam vitiis subdit: *Propter hæc enim venit ira Dei in Filios diffidentiæ*. Multa alia ad idem induci possent testimonia, sed ista sufficiant.

§. II.

De judicio animarum in Purgatorio, & Suffragiis.

Viso de judicio pœnarum in mundo, quod a Deo est, videamus de judicio animarum in Purgatorio; dicit enim Ecclesia, Purgatorium esse post hanc vitam animabus quæ de hoc mundo migraverunt inchoata condigna pœnitentia, sed nondum perfecta. Omnes autem hæretici, tam Cathari, quam Pauperes Lugdunenses, a quodam, qui dicebatur Valdisius (2) derivati, hoc negant.

Quod autem locus Purgatorius sit post hanc vitam, probatur auctoritate Domini Matth. 12. v. 32. Ubi dicit Christus: (3) *Qui autem dixerit contra Spi-*

(2) Petrum Valdum Auctorem fuisse Valdensium plerique censent. Alii tamen antiquiores Petro putant. Usserius *Lib. de successione* nomen Valdensium nusquam se reperisse testatur, nisi in libris Petro posterioribus. Fortasse Moneta Valdisium eumdem vocat, qui Petrus Valdus fuit. Negabant ergo Valdenses, Cathari, Petrobrusiani, Henriciani, aliique, si qui fuerunt XI. sequentibusque seculis hæretici Purgatorium. Sunt qui Græcos consensisse, consentireque etiamnum cum Catharis censeant in hac re. Verum errant longe. Etsi enim aliqui Græci in eadem atque hæretici illi versentur sententia, major, immo non maxima eorum pars a Catholicis verbis discrepat, re tamen omnino non discrepat. Videndus omnino Leo Allaccius *Lib. de Consens. Utriusque Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis in Dogmate de Purgatorio pag. 1. seqq.* Lutherani, Calviniani, Sociniani, Zuingliani, & cæteri, qui novas hæreses XVI. Ecclesiæ seculo invexerunt, Purgatorium funditus sustulerunt. Quæ res quoniam per sese perspicua est, nihil opus esse arbitror, eam argumentis confirmare, aut testimoniis hæreticorum.

(3) Negari nequit, quin hunc Matthæi locum huc traxerint plerique Patres. Consulendus cumprimis Augustinus *Lib. XX. De Civ. Dei cap. XIII. & XXIV.* Eodem recidunt, quæ habet S. Bernardus, *Sermone LXVI. in Cantica col. 779. Tom. II. Opp. Edit. Novæ Venetæ*: *Non credunt*, inquit, *ignem Purgatorium restare post mortem*,

Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro. Sed si omne peccatum, quod remittitur, tantum in hoc seculo remittitur, frustra adderetur, *neque in futuro*.

Præterea, non diceret aliquod peccatum non remitti in hoc seculo, nisi quia aliquod peccatum est, quod remittitur in eo; ergo a simili non diceret de peccato in Spiritum Sanctum, quod in futuro non remittetur, nisi aliquod peccatum esset, quod in futuro remittetur. Illud autem non remittitur in Paradiso, scilicet in gratia cœlesti, in quam nihil inquinatum incurrit, ut habetur Sap. 7. v. 25. Nec etiam in Inferno, ubi nulla est redemptio, ut patet in divite illo sepulto in Inferno, cui dixit Abraham: *Inter nos, & vos chaos magnum firmatum est: ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare*. Lucæ 16. v. 26. Ergo locum alium oportet ponere extra hoc seculum, in quo fiat Purgatio peccatorum aliquorum, & illum locum Purgatorium appellat Ecclesia.

Item: Esto, quod duo decedant in pari charitate, unus tamen illorum plenam egit pœnitentiam de peccatis, alter vero solum incæpit eam. Modo dico sic: primus nullum sustinebit supplicium; modo quæro: aut secundus sustinebit, aut non? Si non, & non habet minus præmium, quam alter habuisset, secundum illos qui unum ponunt Creatorem, quia unusquisque totum recipiet, quod in Cœlo habebat, antequam in Cœlo peccasset, multo melior est sua conditio, quam alterius, qui egit dignos fructus pœnitentiæ. Quare ergo Ecclesia Dei prædicat jejunium, & alias abstinentias? Si autem sustinebit aliquam pœnam, constat quod non in Inferno, nec in Paradiso, nec in hoc seculo; ergo in alio seculo est locus Purgatorius.

Præterea: Deus est justus, & *reddet unicuique secundum opera ejus*, ut dicit Ap. Rom. 2. v. 6. Ergo illi pœnitenti secundo: pœnitentiam condignam non perficienti, cui non reddidit pœnam in hoc seculo pro peccatis, reddet in alio; sed non in Inferno, vel in Paradiso; ergo in Purgatorio.

Præterea, nonne dicit Ap. 1. Cor. 3. v. 12. 13. 14. & 15. *Si quis autem* (4) *superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fænum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit: Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur: & uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit* supple incinerabile, *quod super ædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit: sic tamen quasi per ignem*. Per aurum intelliguntur optimi mores, per argentum meliores, per lapides pretiosos boni; ista enim non cremantur ab igne, scilicet aurum, argentum, & lapides pretiosi, similiter nec bona opera. Modo quæro, quid intelligis per lignum, fænum, & stipulam? Ista enim cinerabilia sunt ab igne; ergo per ista tria intelliguntur peccata. Sed nunquid (5) mortalia? Non: dicitur enim de eo, qui secum habet ista, quod *detrimentum patietur: ipse autem salvus erit: sic tamen quasi per ignem*; istud autem non potest intelligi de igne Inferni; nullus enim salvus in illum ignem ibit.

Præterea: Si hoc esset, *salvus* in malo sumeretur. Nunquid aliquod testimonium habes, quod *salvus* aliquando in malo sumatur? Non: ego autem habeo multa testimonia, quod in bono sumitur; ergo obmutescas, & ne dicas quod salvus ibi sumatur in malo, vel quod ignis sumatur pro igne Inferni qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus.

Præterea, duo dicit de illo. Unum est, *detrimentum patietur*. Sed quod detrimentum patietur, nisi æternum supplicium, si ita sumeretur ignis? Aliud est: *ipse autem salvus erit: sic tamen quasi per ignem*. *Autem* adversativum est; ergo oportet, quod salvari per ignem sumatur in bona parte, quod verum est.

Modo quærendum est a Pauperibus, (6) specialiter, qui Purgatorium negant: quid tu vis appellare diem Domini? Si diem præsentis tribulationis: unde habes in toto Novo Testamento, quod dies Domini sic sumatur? Ego autem invenio in Scripturis, quod dies Domini dicitur dies mortis uniuscujusque, vel dies judicii universalis. Dicitur enim 1. Thessal. 5. v. 2. *Ipsi enim diligenter scitis quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet*.

Item 2. Thessal. 2. v. 2. *Neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini*.

Item 2. Petri 3. v. 10. *Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo Cœli magno impetu transient*. Ecce habes *dies Domini*: sequitur de igne, *elementa vero calore solventur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur*. Prius autem dixerat v. 7. *Cœli autem qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem judicii, & perditionis impiorum hominum*. Ecce dies Domini, in quo revelabitur per ignem, qui præcedet faciem judicis, quale opus quis superædificaverit.

Præ-

tem; sed statim animam solutam a corpore, vel ad requiem transire, vel ad damnationem. Quærant ergo ab eo, qui dixit quoddam peccatum esse, quod neque in hoc seculo, neque in futuro remitteretur, cur hoc dixerit, si nulla manet in futuro remissio, purgatione peccati.

(4) Cum variæ sint Patrum Græcorum, & Latinorum hujus loci interpretationes, nec omnes *ignis* nomine ab Apostolo *Purgatorium illum* indicari censeant, sed alii ignem extremæ conflagrationis, alii ignem Tartareum, alii hujus vitæ tribulationes: inde colligit Natalis Alexander *Differt.* XLV. *in Hist. Eccles. Seculi* IV. *probabiliter* quidem ex eo Apostoli loco concludi ignem *Purgatorium*, non autem ἀποδικτικῶς posse. Sed Eminentissimus Cardinalis Gottius feliciter sane hoc Pauli testimonio usus est contra Piceninum. Consule *Tom.* II. *de Vera Ecclesiam Ar.* X. §. IV. Monetæ præiverunt Sancti Augustinus in *Psal.* XXXVII. & Gregorius Magnus *Lib.* IV. *Dialogorum cap.* XXXIX.

(5) Hæretici hujusce temporis venialium peccatorum a mortalibus distinctionem ut Papisticam aversantur. Verum errant longe. Etenim Christus apud Matthæum *cap.* V. *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio; qui dixerit fratri tuo Racha, reus erit Concilio; qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis*. Uni tantum gehennæ pœna infligitur, reliquis non item. Cur autem? Nisi quia veniale censetur, quod commiserunt. Jacobus *Epist.* I. *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua. Concupiscentia cum conceperit parit peccatum, peccatum cum consummatum fuerit generat mortem*. Non consummatum ergo peccatum, mortem non generat (nempe cui non est adnexus consensus omnino deliberatus.) Itaque veniale est. Vide *Origen, Homil.* XXVIII. *in Numeros* Cyprianum *Epist.* LV. *Ad Antonianum*. Adeundus Leo Allaccius *Lib. de Consensu Ecclesiæ Utriusque in dogmate de Purgatorio pag.* 326. *seq.*

(6) Videlicet Lugdunensibus, qui alio nomine Lombardi, & Valdenses etiam dicebantur.

Præterea. Verba Ap. omnia de futuro sunt: *manifestum erit*, *declarabit*, *revelabitur*; quare ergo audes dicere de præsenti intelligi?

Præterea, nullum malum impunitum: Job 9. v. 28. *Verebar omnia opera mea*, *sciens quod non parceres delinquenti*. Et 20. v. 18. *Luet quæ fecit omnia*. Et Rom. 1. v. 18. *Revelatur enim ira Dei super omnem impietatem*, *& injustitiam hominum*; ergo si Deus hic non punit, oportet quod alibi puniat, cum homo non puniverit sufficienter peccatum suum.

Præterea. Orationes, (7) & alia beneficia vivorum valent fidelibus defunctis, non ad liberationem ab Inferno, quia si iverant illuc, in Inferno nulla est redemptio; non ad merendum eis Paradisum, quia charitate, & bonis operibus, vel saltem pœnitudine cordis ipsum meruerunt, licet plenam non egerint pœnitentiam de peccatis in hac vita; valet ergo eis ad purgationem velociorem, & alleviationem a pœnis, igitur post hanc vitam restat Purgatorium.

§. III.

Utrum Suffragia Vivorum prosint Defunctis.

NUnc videndum est, utrum, sicut prædiximus, orationes, & beneficia vivorum prosint Defunctis. (8) Quod valeant, haberi potest 2. Machab. 12. a v. 43. Usque ad finem. Ubi habetur de Juda: *facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium ..... Sancta ergo & salubris est cogitatio pro Defunctis exorare*, *ut a peccatis solvantur*. (9) Sed quia Pauperes Lombardi non recipiunt hunc librum, alias rationes inducamus. Act. 9. v. 40. Habetur, *quod Petrus ponens genua oravit*: *& conversus ad corpus*, *dixit*: *Tabitha surge*. *At illa aperuit oculos suos*: *& viso Petro*, *resedit*. Ecce quod per orationem resurrexit ista, ergo orationes vivorum prosunt Defunctis ad sanitatem corporis, & liberationem ejus a morte: multo fortius ad sanitatem animæ, & liberationem ejus a peccatis, de quibus illi pœnitere incæperunt, sed dignos pœnitentiæ fructus non fecerant.

Si autem dicat hæreticus, istud miraculum spirituale, & resurrectionem illam fore spiritualem.

Ergo mors illius Tabithæ similiter erat spiritualis. Nunquid illa erat mortua spiritualiter, hoc est in peccato, & per peccatum, ut necesse esset quod Petrus eam resuscitarct? Hoc est contrarium literæ Actorum, ubi dicitur v. 36. & 37. *Hæc erat plena operibus bonis*, *& eleemosynis*, *quas faciebat*. *Factum est autem in diebus illis*, *ut infirmata moreretur*. Ecce quod infirmata dicitur, & postea mortua, quod omnino patet de infirmitate corporali intelligendum, & ita de corporali morte.

Sequitur: *Quam cum lavissent posuerunt eam in cænaculo*: Nunquid hoc intelligitur de lotione a peccatis? Si hoc est, cum lotio a peccatis sit ipsa resurrectio; ergo antequam Petrus venisset, resurrexerat, quod falsum est.

Præterea considera, quod ibi dicitur: *& conversus ad corpus dixit*: *Tabitha surge*: ergo de corporali morte intelligitur. Per plura alia ibi posita idem potest intelligi.

Item Johan. 11. Maria & Martha impetraverunt vitam Lazaro mortuo corporaliter, ut patet per literam Evangelii Johannis. Multa autem similia possunt in Evangelio reperiri.

Ad idem probandum, scilicet, quod orationes vivorum, & alia suffragia prosunt Defunctis, patet Matth. 9. Marci 5. Lucæ 7. & 8. Si enim valent ad sanitatem corporis, multo fortius credendum est, quod valeant ad sanitatem animæ, idest purgationem a peccatis.

Sed defunctorum tria sunt genera (10): sunt enim quidam valde boni, qui in ipsa dissolutione conjunguntur Deo in cœlestibus, & sine aliqua pœna post hanc vitam recipiunt æternum gaudium, quo ad animas; hi precibus juvari non possunt, quia non egent juvamine. Sunt etiam quidam valde mali, qui peccantes ante mortem existentes in peccatis mortalibus, sic decedunt absque pœnitentia; Similiter istis non valent suffragia ad liberationem a culpa, vel a pœna, quia in inferno nulla est redemptio. Sunt alii boni, sed non valde, qui post peccata, ducti pœnitentia, confessi sunt illa, sed satisfactione nondum peracta, ingrediuntur viam universæ carnis, & hi non damnantur perpetuo, nec statim salvantur, sed puniuntur sub expectatione recipiendi salutem. Et ii juvantur orationibus, & beneficiis, pro quibus Deus preces non despicit, quia non decesserunt sine pœnitentia.

Item

(7) Magni quidem certe fieri hoc genus argumenti debet. Cur enim offeruntur Sacrificia preces, &c. pro mortuis, nisi ut liberentur, qui in Purgatorio cruciantur? Ac Suffragia quidem jam usque a primordio Ecclesiæ mortuis fuisse adhibita nemo homo est, qui negare sine impudentiæ nota possit. Consulendi Tertullianus *Lib. de Corona Militis Cap.* III. *Lib. de Anima Cap.* LI. *Lib. de Exhortat. Castit. Cap.* XI. *Lib. de Monogamia Cap.* X. S. Cyprianus *Epist.* I. *ad Clerum*, *& Plebem Furnit.* Cyrillus Hierosolymitanus *Cath. Mystag.* V. Ubi hæc habet: *Denique pro omnibus oramus*, *qui inter nos vita functi sunt*, *maximum esse credentes animarum juvamen pro quibus offertur precatio Sancti illius*, *& tremendi*, *quod in altari positum est Sacrificii*. Mitto Patres cæteros, quorum testimonia accurate recenset Leo Allaccius. *De Consensu utriusque Ecclesiæ in Dogmate de Purgatorio*.

(8) Hæretici juniores veterem hanc traditionem Ecclesiæ derident. Sequuntur autem auctorem Aetium, quem S. Epiphanius, ut hæreticum insectatur, quod illi se opponeret, qui Sacrificia pro mortuis offerret. *Hæres* LXXV. *num.* 3. Vigilantius Aetio consensit, ut illi Hieronymus exprobrat. Hujus deinde errori adhæserunt Albigenses, & Valdenses.

(9) Quanti ponderis sit argumentum ex II. Machabæorum Libro expressum, nemo non videt. Senserunt id quidem Valdenses, & qui novas hæreses *Seculo* XVI. excitarunt; quare librum utrumque Machabæorum expunxerunt e numero Sacrorum Bibliorum. Sed injuria. Consule Natalem Alexandrum *Dissert.* VII. *Art.* VIII. *Hist. Vet. Test.* Adi-sis etiam Eustratii Presbyteri Ecclesiæ Constantinopolitanæ opus, quod inscribitur: *Refutatio eorum*, *qui dicunt humanas animas statim atque a propriis corporibus solutæ sunt*, *non operari*, quodque est e Græco a Leone Allaccio Latinum factum, *pag.* 555. *seqq. De Conf. Eccl. Occidental. & Oriental. in Dogmat. de Purg.*

(10) Prompsit hæc noster ex Augustini *Enchirid. ad Laurentium cap.* CIX.

Item ipſi Cathari orant pro ſuis defunctis, hoc conſtat (11).

Si dicant, quod non orant pro eis purgandis a peccatis, ſed liberandis a dœmonibus:

Contra: Dœmones iis nocere non poſſunt, qui peccatum non habent.

§. IV.

Utrum Orationes Sanctorum in Paradiſo Proſint Vivis in Mundo.

SEquitur, an orationes Sanctorum, qui ab hac vita migrarunt, (12) valeant vivis. Quod ita ſit, probatur 2. Machab. 15. v. 14. 15. & 16. ubi dicitur de Jeremia. *Hic eſt fratrum amator, & populi Iſrael: Hic eſt qui multum* (13) *orat pro populo, & univerſa ſancta civitate, Jeremias propheta Dei. Extendiſſe autem Jeremiam dexteram, & dediſſe Judæ gladium aureum, dicentem: Accipe ſanctum gladium, munus a Deo, in quo dejicies adverſarios populi mei Iſrael.* Propheta Domini hic erat mortuus, & tamen pro civitate orabat, & pro populo Dei, & valebat ei, ut ibi habetur.

Item, ego video quod Angelus orat pro vivis, ut patet Zach. 1. v. 12. ubi Angelus orat pro populo qui captivus erat (14) in Babylone dicens: *Domine exercituum, uſquequo tu non miſereberis Jeruſalem, & urbium Juda, quibus iratus es?*

Præterea, ſi Angelus orationes Sanctorum Deo præſentat, (15) quis dubitare audeat, quoniam etiam ipſe orationem faciat pro eis? Quid enim eas præſentare, niſi pro efficacia ipſarum Deo orationem facere? Ecce enim patet, cum quis alicui Principi corde, & animo preces alterius præſentat, quod pro eo eundem Principem rogat. Vis videre quod Angelus orationes fidelium Deo præſentat? Lege Tob. 12. v. 12. ubi Angelus dicit Tobiæ: *quando orabas cum lacrymis ..... ego obtuli orationem tuam Domino.*

Item Apoc. 8. v. 3. & 4. *Et alius Angelus venit, & ſtetit ante altare, habens thuribulum aureum ... Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.*

Præterea, Apoc. 6. v. 10. dicitur, quod animæ interfectorum propter verbum Dei, & teſtimonium Jeſu Chriſti *clamabant voce magna dicentes: Uſque quo Domine (ſanctus, & verus) non judicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de iis: qui habitant in terra?* Si Sancti qui ab hoc ſeculo migraverunt orant pro vindicta in reprobos, quis audeat dicere quod non orent pro clementia Dei in electos?

Præterea, nonne videmus nos, quod dives epulo, qui cruciabatur in flamma, oravit pro fratribus ſuis, cum adhuc viverent, ne venirent in locum tormentorum? Si ille, qui damnatus erat, pius erat in tantum, ut oraret pro aliorum ſalute, quos dilexit carnaliter, nunquid illi qui ſalvi ſunt non erunt pii ad orandum pro electis, quos ex charitate diligunt? Si amor carnalis movet ad orandum pro aliena ſalute, nunquid charitas, quæ non quærit, quæ ſua ſunt tantum, ſed & aliorum, ipſorum negliget ſalutem (16)?

§. V.

Argumenta quibus hæretici probant non eſſe orandum pro defunctis.

QUod non ſit orandum pro mortuis, nituntur probare aliqui hæretici teſtimoniis Scripturarum, quas non intelligunt, nec cauſam quare introducta ſunt conſpiciunt. Dicit enim Chriſtus Jo: 17. v. 9. *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo.* Si Dominus noluit orare pro mundo, ideſt pro mundanis adhuc vivis, multo minus orandum pro mortuis.

Sol. Et ſi tunc non rogarat pro mundo, tamen aliquando rogavit; de ipſo enim dicitur *ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.* 1. Jo. 2. v. 2.

Præ-

(11) Viden ut Cathari ſuffragia mortuis adhibita non reprobarunt? Abhorrebant ergo a novorum hæreticorum ſententia.

(12) Valdenſium erroris, quem deinde Lutherani, Calviniani, Sociniani, Anabaptiſtæ, ac cæteræ generis ejuſdem peſtes ſequutæ ſunt Architectus fuit Vigilantius, quem Seculo IV. integro volumine concidit Sanctus Hieronymus. Valdenſibus conſenſere Albigenſes, Henriciani, Petrobruſiani, Apoſtolici, qui Seculo XII. Eccleſiam vexaverunt, ut a S. Bernardo, a Petro Valincernenſi, ab Alano Inſulano, aliiſque Scriptoribus Eccleſiaſticis memoriæ proditum eſt. De Junioribus hæreticis nihil dico. Nemo enim eſt, qui ignoret, explodi ab illis Sanctorum invocationem.

(13) Nil mirum, ſi Moneta locum ex *lib.* II. Machabæorum adverſus eos indicet, qui negarent ejus libri canonicam auctoritatem. Verum cum apud Judæos, veteresque Chriſtianos magno in pretio illud idem opus haberi ſoleret, negare non poterant adverſarii jam uſque a primodio Eccleſiæ invaluiſſe hanc de interceſſione Sanctorum ſententiam. Atque hoc etiam factum a Grotio eſt, ut contra Rivetum, qui a recipiendis Machabæorum Libris longe abeſſet, locum eumdem laudaverit. *In Rivetani Apolog. Diſcuſſione pag.* 705. *Tom.* III. *Opp.*

(14) Adpoſite id quidem. Nam Cathari, & Valdenſes probabant libros Prophetarum, ut ſæpe alias animadverti. Ex oratione vero Angelorum concludi merito Sanctorum pro nobis orationes poſſe perſpicuum eſt. Eadem namque, qua Sancti, Angeli quoque gaudent Beatitudine; & quemadmodum hi, ita illi in Deo, quem intuentur, noſtras vident neceſſitates. Adi-ſis S. Thoamm III. *P. Q.* CIII. *Art.* I. & *Vvalemburchios lib.* XII. *De Unitat. Eccleſiæ.*

(15) Egregie S. Hilarius *cap.* XVIII. *In Matth. pag:*699. *Edit. Benedict. S. Mauri Paris. Fidelium*, inquit, *orationibus præeſſe Angelos abſoluta auctoritas eſt: Salvatorum igitur per Chriſtum Orationes Angeli quotidie Deo offerunt.*

(16) Cum pleraque Sacrorum Bibliorum documenta plane ſuadeant Sanctorum interceſſionem eſſe omnimodis admittendam, tum traditio Eccleſiæ perpetua, ſibique maxime conſtans hoc *ipſum* mirum in modum confirmat. Videndi, qui controverſiam hanc fuſe lateque tractarunt, imprimiſque Doctiſſimus Abbas Trombellus, qui jam quatuor volumina *de Sanctorum cultu* vulgavit. Verum ut ne videar jejune ſatis hoc de argumento diſſeruiſſe, ferent æquo animo Lectores, ſi quædam ex Origenis, Euſebiique veterum ſane Scriptoribus libris attulero, quæ hanc tam antiquam traditionem evincant. Origenes ergo *de Exhortatione ad Mart. pag.*192. *Edit. Baſil. ſic*, inquit, *animæ eorum, qui mortem ob Chriſti confeſſionem ſubierunt, non fruſtra altare cœli circumeunt ut iis, qui orant, obtineant peccatorum remiſſionem.* Euſebius vero Cæſarienſis *lib.* XIII. *Præp. Evang. cap.* XI. *Solemus*, inquit, *ſepulchra* Martyrum *inviſere, ibique precari, honorare beatas eorum animas: atque hic quidem mos rationi eſt maxime conſentaneus.*

Præterea dico: quod Scriptura quandoque mundum appellat hominem mundanum, ideſt mundane viventem: hic autem duplex eſt, alius enim adhuc agit pœnitentiam, alius autem nunquam. Pro iſto ita ſumitur; pro tali enim non oravit Dominus, quia vidit quoniam non prodeſſet ei; ſciebat enim quod nunquam vellet peccata dimittere ei: & nos ſi hoc ſciremus, pro tali non oraremus: oramus autem indifferenter pro quolibet, quia neſcimus de aliquo, qualis poſtea ſit futurus.

Sed nunquid argumentum tuum valet: Pro tali homine, qui eſt in mortali peccato, & nunquam exibit de illo, non oravit Chriſtus; ergo pro fideli defuncto ſine mortali peccato, in charitate, & in pœnitentia nondum perfecta, non eſt orandum? Conſtat quod non valet.

Ad idem inducunt illud 2. Cor. 5. v. 10. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Hic dicitur quod refert prout geſſit, non prout alius geſſit pro eo; ergo non prodeſt alicui defuncto, quod alius facit pro eo.

Reſpondemus: eadem ratione poſſes concludere, quod non prodeſt alicui vivo, quod alius facit pro eo, quod patet eſſe hæreticum: Eccleſia enim Dei orat pro peccatoribus, & Ap. in multis locis petit ſuffragia eorum, quibus ſcribit, ſicut patet Rom. 15. v. 30. Coloſſ. 4. v. 3. Item dicit ſe orare pro eis ſine intermiſſione, ut patet Rom. 1. v. 9. & in aliis locis.

Præterea, ibi loquitur Ap. de judicio univerſali, (17) ut patet per literam *omnes nos &c. ut referat unuſquiſque &c.* quod ergo Apoc. dicit *ut referat*, ſenſus ejus eſt, ideſt ut recipiat remunerationem, vel damnationem ſecundum opera ſua; per hoc ergo non removetur quin aliquis poſſit juvari ante illud judicium univerſale, ſi deceſſit in pœnitentia inchoata, ſed nondum finita.

Item 1. Jo. 5. v. 15. *Eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis.* Ecce quod hic dicitur quod aliquis eſt in aliquo peccato, pro quo non eſt orandum; ſed nullum eſt peccatum adeo grave, de quo quis non poſſit pœnitere dum vivit, ut oſtenſum eſt ſupra in cap. de pœnitentia; Iſtud ergo quod Joannes dicit, intelligitur de jam mortuis.

Sol. ſi peccatum illorum dicis peccatum ad mortem, qui/ jam ſunt mortui in peccatis, dico quod non oramus pro illis, qui decedunt in peccato ad mortem, ſed pro illis, qui cum charitate deceſſerunt, & cum pœnitentia de peccato mortali quod fecerunt.

Præterea: Ex litera B. Jo. non habetur, quod peccatum ad mortem ſit peccatum mortale eorum, qui jam ſunt mortui, imo qui adhuc ſunt vivi, ſic enim ait. *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem.* Poſtea ſubdit: *Eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico, ut roget quis.*

Præterea: Non dicit quod non ſit orandum pro tali, ſed dicit *non dico*, ideſt non præcipio ut roget quis pro illo. Sed licet non dicat quod nos oremus pro illo, nunquid propter hoc prohibet orare pro illo? Certe non.

Item, objiciunt illud Apoc. 14. v. 13. *Opera enim illorum ſequuntur illos*: hic dicitur *opera illorum*, non opera aliorum; ergo orationes, & beneficia vivorum non proſunt mortuis.

Sol. Verum eſt, quod opera illorum bona ſequuntur illos, hæc enim ſequuntur electos ad remunerationem; ſimiliter & peccata mortalia ſequuntur pravos ad damnationem; ſed per hoc non removetur, quin opera aliorum juvent bonos ad pœnæ purgatorii alleviationem.

Ad idem inducunt illud Jerem. 7. v. 16. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem, & orationem, & non obſiſtas mihi: quia non exaudiam te.* Si Dominus prohibuit orare pro illis, quorum merita poterant in bonum commutari; multo minus orandum eſt pro illis quorum merita commutari non poſſunt.

Iſtud argumentum peſſimum eſt, tale eſt enim: Non eſt orandum pro idololatris, & contumacibus, & rebellibus; ergo non eſt orandum pro fidelibus defunctis in charitate, & pœnitentia.

Si autem dicas mihi, quare nolebat Dominus ut oraret pro eis, cum tamen vellet quod eos ad pœnitentiam moneret?

Dico: quod nolebat, quia videbat eorum rebellionem, quæ ibi etiam deſcribitur. Volebat tamen quod eos ad pœnitentiam moneret: & ſi non pœniterent quod comminaretur eis pœnam, ut notum eſſet, quod Dominus non niſi ex malitia eorum affligebat eos, & non ex odio.

§. VI.

De judicio animarum ante diem ultimum: utrum recipiant modo præmium in Paradiſo, vel ſupplicum in inferno?

Probatio hæretici, quod ante diem judicii nulli vadant in Paradiſum, vel in infernum.

NUnc videndum eſt de effectu pœnitentiæ completæ, ſcilicet de judicio animarum ante diem noviſſimum; utrum ſcilicet animæ completa pœnitentia ſua ſtatim recipiant cœleſte præmium, & quæ decedunt in peccato mortali æternum ſupplicium. Sunt enim quidam hæretici, (18) ſcilicet Cathari, qui hoc dicunt, ſcilicet quod nec in paradiſum, nec in infernum vadunt aliqui, uſque ad diem

(17) Eodem recidit S. Thomæ reſponſio III. *P. Q.* cII. *Art.* 1I. *ad* I. *Arg.* S. Auguſtinus in Enchiridio ad Laurentium *cap.* cx. hanc adhibet interpretationem. *Quia etiam hoc meritum ſibi quiſque cum in corpore viveret comparavit, ut ei poſſent iſta,* nempe preces, ſuffragiaque *prodeſſe poſt mortem.*

(18) Catharorum errorem defendunt Græci juniores. Cenſent enim viſionem Dei differri oportere ad diem uſque judicii, ſequuti quidem ex parte ſententiam Millenariorum, Corinthi, Papiæ, Juſtini Martyris, Irenæi, atque aliorum, qui poſt mille annorum ab reſurrectione terrenum cum Chriſto imperium, tum demum Deum

diem ultimum. Hoc autem probare nituntur auctoritatibus pluribus, in quibus habetur quod judicium nondum factum est. Dicitur enim Is. 3. v. 14. *Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui*; & Dan. 13. v. 1. *Et veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœperunt usque ad tempus illud. Et in tempore illo salvabitur populus tuus, omnis qui inventus fuerit scriptus in libro*: & Joel. 3. v. 1. & 2. *In diebus illis, & in tempore illo cum convertero captivitatem Juda, & Jerusalem: congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Josaphat, & disceptabo cum eis ibi.* Item v. 12. dicitur: *Consurgant, & ascendant gentes in vallem Josaphat: quia ibi sedebo at judicem omnes gentes in circuitu.* Item Mat. 3. v. 12. dicit Joannes Baptista de Christo loquens: *Cujus ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Nec triticum adhuc in horreo est, nec paleæ adhuc in igne inextinguibili. Matth. 11. v. 22. *Tyro, & Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis.* Sic ergo nondum sunt judicati, & nondum puniuntur.

Item, Matth. 13. v. 41. & 42. *Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia* (19) *scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem: & mittent eos in caminum ignis*; ergo nondum sunt missi, & nondum puniuntur.

Item, Matth. 20. v. 8. *Cum sero autem factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo: voca operarios, & redde illis mercedem.* Pro *sero* intelligitur finis mundi; ergo tantum in fine mundi reddetur merces bonis; ergo modo non habent mercedem; ergo nec mali pœnam.

Item, Matth. 22. v. 11. 12. & 12. *Intravit autem Rex ut videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem. At ille obmutuit. Tunc dixit Rex ministris: Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium*; ubi patet quod ante introitum regis, idest ante adventum ejus ad judicium Ecclesiæ, in qua modo discumbunt boni, & mali, quia eisdem Sacramentis participant communiter, nulli ligantur manus, & pedes, adhuc nulli projiciuntur in tenebras exteriores, ubi erit fletus, & stridor dentium.

Item, Matth. 25. v. 31. *Cum autem venerit filius hominis in Majestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem Majestatis suæ &c.* Ubi patet nondum factum esse judicium, & sic nulli adhuc puniuntur, vel præmiantur.

Item 2. Cor. 5. v. 10. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Nullus ergo adhuc recipit pro ut gessit.

Item 2. Petri 2. v. 9. 10. & 11. *Novit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos vero in diem judicii reservare cruciandos ..... non portant adversum se execrabile judicium.*

Item Lucæ v. 6. *Angelos vero qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit.*

Item v. 14. & 15. *Prophetavit autem & de his septimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra Deum peccatores impii.*

Solutio prædictorum est, quod duplex est judicium, (20) unum novissimum, idest in novissimo die faciendum de toto homine, idest secundum animam, & corpus; alterum vero de homine interiori tantum, idest de anima. Et de primo judicio, quod erit de toto homine intelligitur auctoritas Is. 3.

Item auctoritas Dan. 12. ubi dicitur. *In tempore illo salvabitur populus tuus.* Tunc enim populus electorum salvabitur non tantum secundum animam, sed secundum corpus. De eodem judicio intelligitur authoritas Joel. 3. & Matth. 3. Dicimus enim secundum authoritatem Matth. triticum nondum esse in horreo totaliter, nec paleas in igne totaliter, sunt tamen ibi secundum quid. Similiter autem respondendum est ad authoritatem Matth. 11. & concedendum, quod nondum judicati sunt aliqui totaliter, & nondum totaliter puniti, (21) nondum in ignis caminum missi totaliter, nondum reddita

Deum a Sanctis videndum esse arbitrabantur. Hæresim Græcorum, Catharorum, Millenariorum confixit Synodus Florentina *in Decr. union. Græc.* Verum Calvinus, qui plus sibi sapere quam Ecclesia videbatur *lib.* IV. *Hist. cap.* XX. *stultum esse*, dixit, *& temerarium inquirere quo loco sunt animæ justorum, & an gloria fruantur nec ne. Interea cum Scriptura ubique jubeat pendere ab expectatione adventus Christi, & gloriam, & coronam eo usque differat, contentis nos esse debere his finibus divinitus præscriptis, animas piorum militare labore perfunctas in Beatam quietem concedere, ubi cum felici lætitia fruitionem promissæ gloriæ expectant.* Hactenus Calvinus errans.

(19) Hæc eadem argumenta ex Scripturis olim congerebant Millenarii, ut nondum datam esse Sanctis, qui decesserunt retributionem evincerent. Adisis Irenæum *Lib.* V. *cap.* V. *seq. &* XXXI. *seq. Vet. Edit.* Lactantium *Lib.* VII. *cap.* XX. XXIII. XXVI. Ex Græcis autem tum Disceptationes, quæ extant in Synodi Florentinæ Actis, tum etiam, ut Ephesii, aliorumque Opuscula Missa faciam, argumenta quæ contra Catholicum intorquet Schismaticus apud Plusiadeum *Discept. pro Concilio Florentino pag.* 643. *seqq. Tom.* II. *Græc. Orthod. Allatii.*

(20) Duplex Judicium admissum fuisse a Patribus, peculiare unum, generale alterum, nemo est, qui inficiari jure possit. Itaque Sanctorum animas statim atque ex hac mortali vita migraverint Dei visione sempiternoque Regno potiri testantur. Nec injuria. Etenim Evangelium, Paulus in suis Epistolis, atque constans Ecclesiæ Traditio hoc idem omnino postulat. Adeundus Vir Doctissimus Ludovicus Antonius Muratorius in *Opere de Paradiso*, quod ante aliquot annos edidit contra Burnetum impotenti ingenio hæreticum, qui millenariorum errorem, ex orco rursum revocare ausus est.

(21) Nempe corpore, quo carebunt animæ ad diem usque Judicii. Qui enim puniri, aut gaudere corpore, quo vacant, poterunt? Animas autem Sanctorum continuo Beatitate potiri, impiorum autem æternis addici suppliciis, compertum est. Adisis SS. Johannem Chrysostomum *Homil.* V. ad *Populum Antiochenum*, *Homil.* I. *ad Viduam juvenem*; Gregorium Nazianzenum *Orat.* XIX. & XX. Gregorium Nissenum. *In Vit. S. Ephræm. &c.* Huc item cadunt quæ habet Plusiadenus *in Discept. Pro Concilio Florentino* respondens Schismatico *apud Allatium Græciæ Orthodoxæ To.* II. *pag.* 642. *Si diceremus Sanctos corpore, & animo perfecte recepisse, tum absurdum non absone sequeretur. Nunc vero nos non ita affirmamus; sed animas tantum perfecte recipere, ut Sanctus Johannes Damascenus refert*, & perfectam in Cœlis coronam receperunt, *quod de corporibus non asseritur, sed de animis: in judicio vero tum animæ, tum corpora simul gloria perfruentur.*

dita merces totaliter omnibus electis, ut vult authoritas Matth. 20.

Per hæc etiam patet solutio ad authoritatem Matth. 22. *Intravit autem &c.* Item 25. *Cum venerit &c.* Item ad verbum Ap. 2. Cor. 5. *Omnes enim nos &c.*

Item ad illud 2. Petri 2. *Novit Dominus &c.* supple; Novit eos reservare ad animæ cum corpore tormentum.

Quod autem subdit de Angelis, *non portant adversum se execrabile judicium*, intelligitur sic, idest vix portant; sicut etiam dicit David Psalm. 139. v. 11. *Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos: in miseriis non subsistent*: Imo subsistent sine fine; quod ergo dicitur *non subsistent*, intelligitur sicut prædiximus.

Item Psal. 147. v. 17. dicitur: *Ante faciem frigoris ejus, quis sustinebit?*

Item If. 33. v. 14. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante?*

Ad illud quod habetur Judæ v. 6. *In judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit*; Respondetur, supple ad majus tormentum. Unde etiam quia præsentia Christi magis torquebantur dœmones solito, ideo dicunt ad eum Matth. 8. v. 29. *Venisti huc ante tempus torquere nos*, non quia non torquerentur ante, sed quia tunc magis torquebantur.

Ex prædictis etiam patet solutio ad illud Ep. Judæ v. 14. & 15. *Ecce venit Dominus in Sanctis millibus &c.* Ubi patet quod loquitur de universali judicio, & de illo, quod fiet in die novissimo de homine toto, & de Angelis apostatis, qui tunc majoribus tormentis adjudicabuntur.

§. VII.

Probatio Ecclesiæ; quod aliqui vadant in Paradisum, vel in Infernum ante diem judicii.

QUod autem mali homines, & dœmones pœnas habeant ante universale judicium, patet testimoniis Scripturarum; dicitur enim Lucæ 16. v. 22. *Factum est autem* (22) *ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & dives, & sepultus est in Inferno.* Dives ergo in Inferno erat: sed nunquid ibi torquebatur? Utique, ut patet ex litera, quæ sequitur v. 23. & 24. *Elevans autem oculos suos cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, & Lazarum in sinu ejus: & ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.*

Et ne dicas quoniam non est standum verbis ejus, audi quid dicit Abraham v. 25. *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.*

Si autem dicat, ista dicta esse parabolice, & pro die judicii futuri:

Contra: Nonne vides quid dicat dives v. 27. & 28. *Rogo ergo te pater, ut mittas eum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum?* Idest taliter vivant, idest pœnitentiam agant, sicut ibi tangit. Istud pro die judicii non potest intelligi, sed ante. Dives ergo erat in Inferno, & fratres ejus adhuc in mundo erant viventes.

Idem etiam patet per verba Abrahæ ad ipsum v. 29. *Habent Moysen, & Prophetas: audiant illos*, quod nequaquam poterit esse post diem, vel in die judicii.

Si autem dicas modo de Lazaro, quod erat in sinu Abrahæ, quod nondum erat in Paradiso.

Concedo hoc: & tamen consolabatur, non cruciabatur. Quod autem non erat in Paradiso, hoc erat quia nondum facta erat redemptio, nondum solutum erat pretium mundi.

Item Lucæ 23. v. 43. Dixit Jesus Latroni, qui dixerat ei v. 42. *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Hodie mecum eris in* (23) *Paradiso.* Constat quod tunc erat secum in tormentis crucis, & corporaliter: dixit autem ei, quod futurus esset secum, quod non potest intelligi secundum corpus; hoc ergo intelligitur secundum spiritum, idest, quod spiritus latronis esset futurus cum spiritu Christi, quem in manus Patris commendaverat Christus. Ubi autem foret secum illo die, dicit, scilicet in Paradiso; non quidem loci positione ante ascensionem, sed Dei visione, & fruitione, hic enim est Paradisus, quia *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum* Jo: 17. v. 3.

Nec potest dicere Catharus, quod Paradisus ibi dicitur Ecclesia, quæ in illo die secundum eum non erat, nec fuit ante adventum Spiritus Sancti post resurrectionem.

Si autem alius esset quam Catharus, qui diceret Ecclesiam tunc fuisse.

Dicendum est illi, quod verum est, Ecclesiam tunc fuis-

(22) Eustratius Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbyter. *In Refutatione eorum qui dicunt humanas Animas statim atque a propriis corporibus solutæ fuerint non operari &c. pag.* 538. Apud Allat: *De Consensu utriusque Ecclesiæ in Dogmate de Purgatorio,* „ sepultura, *inquit*, *de divite Epulone loquens*, est cum transire „ non valeas, neque prætergredi Principem mundi, & tenebra„ rum, & quæ sub eo sunt potestates rebelles & ordines. Nec alia ratione de animabus, quæ vitiis implicantur, nonnulli ex Patribus locuti sunt. Ex quo conjectari licet, quibus in locis degant, postquam separatæ fuerint a corporibus.

(23) Nihil circuitione est opus. Nam in Paradiso secum latronem futurum ea die, pronunciavit Christus. Ergo ne Millenarii quidem hinc effugere poterant, cum Animas terreno Regno in Paradiso terrestri cum Christo potituras post resurrectionem jactabant. Scio fuisse aliquos qui τὸ hodie affirmationem indicare futuræ rei contenderent, non præsentis; rursumque alios, qui sic legendum esse censerent: *Amen dico tibi hodie; mecum eris in Paradiso*: contra fidem omnium Codicum Mss. Nam *punctuatio* inter τὸ *hodie*, & *mecum* nugatoria est. *Vide Theophylactum in cap.* XXIII. *Evang. Lucæ*. Quamobrem SS. Patres omnes *Paradisi* nomine gloriam sempiternam intelligi oportere defendunt. Consule Johannem Chrysostomum *Homil.* X. *De Pœnitentia*, Johannem Jejunatorem *Orat. De Virginitate*, Hilarium *Lib.* X. *De Trinit.* Epiphanium *Hæresi* XVI. *&c.*

fuisse: sed tamen quod dicitur: *Hodie mecum eris* (24) *in Paradiso* non potest intelligi de Ecclesia, quæ in hoc seculo peregrinatur, quia Dominus dicit *eris*, de futuro loquens, & de Latrone post mortem.

Præterea: Jam secum erat in Ecclesia, jam enim se accusaverat, jam nomen Domini invocaverat, dicens: *Domine &c.* David autem dixit Psalm. 31. *Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei*, v. 5. jam ergo erant ei dimissa peccata, jam ergo erat de Christi Ecclesia.

Item Philip. 1. v. 21. dicit Ap. *Mihi enim vivere Christus est, & mori lucrum*. Dicit Ap. quod Christus est ei vivere, idest finis vitæ suæ, quia ad hoc erat ejus vita finaliter, ut Christum lucrificaret: mori autem erat ei lucrum. Quid autem lucraretur dicit ibidem v.23.& 24. *Coarctor* (25) *autem e duobus desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne necessarium propter vos*. Prius dixit v. 22. *Quod si vivere in carne, hic mihi fructus operis est, & quid eligam ignoro*; quasi diceret, nisi ex vivere in carne esset tam dignus fructus, non dubitarem quin eligerem mori, sed quia est tantus fructus, ideo ignoro quid ex duobus eligam: *Coarctor autem e duobus*: ego dico, *desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo*, quia *multo magis melius* est: *permanere autem in carne necessarium propter vos*: expresse dicit Ap. quid lucrabatur mors sua, sive dissolutio, quia lucrabatur esse cum Christo: ubi autem Christus esset, dicit Beatus Stephanus Act. 7. v. 55. *Ecce video Cœlos apertos, & filium hominis stantem a dextris Dei*.

Item Philip. 2. v. 9. *Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen*. Talia ergo lucrabatur mors Apostoli; quare igitur negas fidelium animas ante diem novissimum esse in Cœlis, vel in gloria Cœlesti?

Item Apoc. 6. v. 9. 10. & 11. *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant, & clamabant voce magna, dicentes: Usquequo Domine) sanctus, & verus) non judicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra? Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ*. Ecce quomodo dicit, quod vidit animas illas sub altari Cœlestis templi, quod altare Christus est, in cujus fide Ecclesia omnia sua sacrificia offert Domino, & dicit quod eis datæ sunt singulæ stolæ albæ; ergo jam habebant remunerationem, & si non totalem.

Si autem dicat aliquis hæreticus, quod prophetia est illud, quod dictum est: *Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ*, & ponitur præteritum pro futuro; ut mos est prophetarum.

Respondeo: Imo pure de præterito intelligitur, quia dicitur statim: *& dictum est illis ut requiescerent*, idest, expectarent, *adhuc tempus modicum donec compleantur conservi eorum, & fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut & illi*.

Item Apoc. 1. v. 9. Dicitur. *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis: stantes ante thronum, & in conspectu agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum*.

Item eodem cap. v.13.14.15.& 16. *Et respondit unus de senioribus, & dixit mihi: Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? Et unde venerunt? Et dixi illi: Domine mi, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, & serviunt ei die ac nocte in templo ejus: & qui sedet in throno habitabit super illos: non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos Sol, neque ullus æstus*. Si amicti sunt stolis albis, & non esurient, &c. ergo jam habent præmium, licet non totum.

Item Apoc. 14. 12. 13. *Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos*. Hic aperte dicitur, quia opera bonorum, qui in Domino moriuntur, sequuntur eos: constat autem, quod hoc non potest intelligi de operibus ipsis; ergo de mercede operum; ergo statim post mortem habent mercedem, & si non totam.

Item Apoc. 19. v. 20. Dicitur de bestia quadam, & de pseudopropheta qui fecit signa, quibus seduxit homines, quod *Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure*. Et cap. 20. v. 1. 2. & 3. *Et vidi Angelum descendentem de Cœlo, habentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est Diabolus, & Satanas, & ligavit eum per annos mille: & misit eum in abyssum, & clausit, & signavit super illum ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni*. Abyssum appellat stagnum prædictum, & sic patet, quod Satan, & pseudoprophetæ ante diem novissimum pœnas patiuntur in Inferno, idest in abysso, vel in stagno ignis ardentis sulphure.

Idem etiam patet per illud, quod David ait ad Dominum Psalm. 67. v.19. *Ascendisti in altum, cæpisti*, idest captivam duxisti, *captivitatem*. Hoc dicit Ap. Eph. 4. v. 8. completum esse in ascensione Domini; ergo in ascensione Domini aliqui ingressi sunt cœleste Regnum.

Ad idem facit illud Hebr. 4. v. 10. *Qui enim ingressus est in requiem ejus: etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut a suis Deus*.

Item v. 11. *Festinemus ergo ingredi in illam requiem*.

Item Jac. 1. v. 12. *Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam*

(24) Sapienter Moneta. Nam ut sæpe ante animadvertit, Cathari Scripturarum testimonia sic intelligi volebant, ut quæ *futuro tempore* exprimerentur, de re futura semper, quæ *præsenti*, de re præsenti, quæ *præterito*; de re præterita sumerent.

(25) Optabat ergo dissolvi a corpore, quod statim sibi mercedem polliceretur. Alioqui quorsum desiderasset tam cito ex hac vita migrare. Lucem huic φῶς affundit, quod habet Clemens Alexandrinus *Lib.* IV. *Strom. pag.* 599. *Edit. Oxonien. Quid enim, quod ad nos quidem attinet, nobis fit injuriæ, cum morte soluti tendimus ad Dominum; nec aliter vitæ mutatione afficimur, quam qui ex una ætate ad aliam transeunt? Si autem sapiamus, iis gratias habebimus, qui nobis præbuerint occasionem celeris migrationis, si propter dilectionem Martyres fiamus*.

ronam vitæ. Nota quod dixit: *cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*. (26)

CAP. X.

De Judicio Universali, An sit factum.

QUarto loco agendum est de Universali Judicio, an sit factum, (1) an non? Sumimus autem Judicium pro vindicta reproborum, & remuneratione electorum. Quod vero sit factum, voluit hæreticus ex eo, quod legitur Jo. 3. v. 18. *Qui autem non credit, jam judicatus est*. (2)

Ad hoc dico, quod illud dictum est per causam, quasi dicat: causam habet quare judicandus est, scilicet incredulitatem. Quod autem ita sit, patet per illud, quod præcedit: *Qui credit in eum, non judicatur*, idest, est sine causa judicii suæ damnationis, sic enim sumitur judicium, quod patet ex præcedenti verbo v. 17. *Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*.

Item, quod ita debeat intelligi: *qui autem non credit jam judicatus est*, idest causam habet judicii, idest damnationis in se ipso, patet: sic enim dicitur statim: *Quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. Hoc est autem judicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem*. Constat, quod istud non esset judicium, scilicet adventus Christi in mundum jam factus, nec dilectio tenebrarum magis, quam lucis dilectio; si enim aliud non fieret peccatoribus, istud non curarent, immo multo plures diligerent adhuc magis tenebras, quam lucem. Istud ergo non est judicium proprie loquendo, sed judicii causa; & propter hoc judicium appellatur.

Hic notandum est multiplex esse judicium; scilicet discretionis bonorum a malis, & e contrario; & hoc est duplex: unum secundum qualitatem de quo dicit David Psalm. 42. v. 1. *Judica me Deus, & discerne causam meam* a causa malorum, ut ego scilicet bonam causam habeam, non ut illi malam. Sed quia ista distinctio, sive judicium ex Dei munere, & ei tribuendum est, ideo Apostolus Corinthios de meritis baptismatum se jactantes, & aliis præferentes arguit Ep. 1. cap. 4. v. 7. dicens: *Quis enim te discernit?* Supple, nisi Deus; unde cap. 3. v. 7. dixerat eis: *Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus*. Secundum judicium discretionis est secundum locum; & hoc dupliciter, unum in judicio, de quo Matt. 25. v. 33. *Et statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris*; alterum post judicium, de quo ibidem v. 46. *Et ibunt hi in supplicium æternum: justi autem in vitam æternam*. Est etiam judicium justi examinis, de quo Rom. 14. v. 12. *Unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo*.

Item 2. Cor. 5. v. 10. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum*. Istud patet nondum esse factum ex verbis præmissis ipsius Ap.

Item Matth. 25. v. 34. & 41. *Tunc dixit Rex &c.* Quare autem istud judicium fiat a Deo, cujus oculis omnia nuda sunt, & aperta, est suæ justitiæ declaratio, & omnis excusationis a malo remotio. De prima Rom. 2. v. 5. *Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei*. De secunda patet Matth. 7. v. 22. *Multi dicent mihi in illa die: Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus &c.*

Item Math. 25. v. 44. & 45. *Quando te vidimus esurientem ... Amen dico vobis: Quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis*. Tertium judicium est prolationis sententiæ pro bonis, & contra malos: sic habetur Mat. 25., quod judicium nondum factum est. Et ad hoc possunt induci illa testimonia quæ præmissa sunt proximo Cap. de judicio animarum ante diem novissimum, ex quibus constare potest, universale judicium nondum esse factum, licet illi qui ponunt duo principia dicant quod factum est, falso tamen, quando populus Dei peccavit in cœlo, propter quod a Deo patre justorum justo judicio in hujus mundi exilium ejectus est: qui etiam mundum ponunt esse infernum, in quo populum Dei prædictum pœnitentiam agere contendunt, de quo satis dictum est supra in principio hujus operis.

Nos autem universale judicium futurum esse credimus in die novissimo: & ad hoc probandum facit illud verbum Rom. 2. a. v. 5. usque ad 4. *Secuncundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram, in die iræ, & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus: iis quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati; ira & indignatio. Tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum*. Ecce dicit de Deo quod *reddet*, & ita futurum est, dicit etiam *unicuique*, & ita universale erit judicium, & dicit quando, quia *in die iræ &c.*

Item 2. Thess. 1. v. 6. 7. & 8. *Si tamen justum est apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tri-*

(26) Consulendus doctissimus Ludovicus Antonius Muratorius in Opere de Paradiso, quod Contra Chiliastam Burnetium edidit, & in quo multa habet, quæ ad hoc quæstionis genus illustrandum maxime conducunt.

(1) Hoc portentum opinionis tuebantur Cathari Albanenses, Concorrezenses, & Bagnolenses, seu Bajolenses. Vide Peregrinum Priscianum, *In Proleg. ad hoc opus pag.* XXII. Iidem ipsi hæretici censebant nondum homines bonos, qui mortui sunt, requiem esse adeptos, affectosque sempiternis suppliciis malos, qui decesserunt. Verum quemadmodum hæc duo genera sententiarum conjungi possint, non video. Pugnantia quippe videntur esse, ut judicium factum sit remunerationis electorum, & vindictæ reproborum, etsi hactenus neque electi remunerationem obtinuerint, neque reprobi vindictam passi sint. Nisi forte de judicio animarum, quæ in Cœlo peccarunt, id intellexerint, quæ vindictam passæ sint, cum in hæc crassa corpora detrusæ fuerunt, quæ tamen explosa est sententia.

(2) Ut pereat, nisi resipiscat. Sed quamdiu vivit homo fidem amplecti, charitatemque colere, si velit, potest, tumque jam salvabitur. Hoc autem dixit Christus, ut necessitatem fidei nostræ indicaret. Cujusmodi autem sit hæc necessitas præclare ostendunt Patres, imprimisque Theodoretus *Serm. I. Therapev.*

tribulant : *& vobis qui tribulamini* , *requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de Cœlo* , *cum Angelis virtutis ejus* , *in flamma ignis dantis vindictam iis*, *qui non noverunt Deum* , *& qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi* . Ubi ostenditur generalem a Deo esse vindictam , scilicet ad illos qui fidem Christi non receperunt , unde *qui non noverunt Deum*; & ad Christianos malorum operum , & *qui non obediunt Evangelio* .

Item Mat. 16. v. 27. dicit Christus : *Filius enim hominis venturus est in gloriam Patris sui cum Angelis suis* : *& tunc reddet unicuique secundum opera ejus* . Vide quia dicit *venturus est* , *& tunc reddet* , & ita futurum est judicium , quod universale erit , quia dicit *unicuique* .

Item Mat. 24. v. 27. *Sicut enim fulgur exit ab Oriente* , *& paret usque in Occidentem* : *ita & adventus filii hominis* .

Item dicit Paulus act. 17. v. 30. & 31. *Et tempora quidem hujus ignorantiæ despiciens Deus*, *nunc annunciat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agant* , *eo quod statuit diem* , *in quo judicaturus est orbem in æquitate* , idest secundum opera sua .

Item 1. Thess. 4. v. 14. & 15. *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini* ... *Quoniam ipse Dominus in jussu* , *& in voce Archangeli* , *& in tuba Dei descendet de Cœlo* Et c.5.v. 2. *dies Domini* , *sicut fur in nocte*, *ita veniet* .

Item 2. Thess.2.v.2. *Ne terreamini*, *neque per sermonem* , *neque per Epistolam tanquam per nos missam* ; *quasi instet dies Domini* .

Item 2. Petri 3.v. 10. *Adveniet autem dies Domini ut fur* (3) de quo habetur in cap. de Purgatorio

Item Math. 25.v.1. *Tunc simile erit Regnum Cœlorum decem Virginibus* : Tunc dicit, quando scilicet filius hominis veniet , & ubi dicitur c. 44. v.5. *Dividet eum* , *partemque ejus ponet cum hypocritis*, *illic erit fletus*,*& stridor dentium*, ista omnia futura sunt in die judicii universalis,de quo agitur Mat.24. & 25.v.31. usque ad finem . ubi dicitur : *Cum autem venerit filius hominis in majestate sua* ... usque *justi autem in vitam æternam.* Notandum quod dicit *Cum venerit*, *& tunc sedebit* quæ omnia futura sunt , & ita universale judicium futurum est , & nondum factum , in quo boni bona , & mali mala recipient , secundum quod meruerunt . De ista sede & judicio dicitur 2. Cor. 5. v. 10. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi ut referat unusquisque propria corporis prout gessit* , *sive bonum* , *sive malum* .

Præterea : si dicis quod illud judicium , de quo Mat. & Ap. loquuntur , est factum , unde hoc habes , & quo testimonio ostendere potes ? In veritate nullo .

Præterea, si hoc judicium factum esse dicis quando Deus Pater populum qui peccavit coram eo a se ejecit .

Nonne hic habetur quod Dominus dicet his qui a dextris erunt: *Venite benedicti Patris mei* , *possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi* ; *esurivi enim & dedistis mihi manducare &c.* Aut ista sustinuit filius hominis antequam peccaret populus suus, sive (4) oves ejus,aut post? Si ante, dicas ergo mihi quæ differentia est inter esuriem & sitim , & quid esuriebat , & quid sitiebat filius hominis in cœlo ; item quomodo hospes fuit in cœlo , & quomodo in carcere fuerit , aut infirmus &c. Ista enim, vel ad minus quædam eorum , nec in se nec in membris ejus possunt convenire ante peccatum .

Si autem dicas,quod post peccatum populi sui ista sustinuit in membris suis .

Contra : Ista membra erant infirma , in carcere, & nuda , esurientia , & sitientia , & hospitium non habentia ; ergo erant mala , hujusmodi enim esse non possent , si essent bona . Isti autem quibus loquitur : *Esurivi enim* , *& non dedistis mihi manducare* , erat populus qui peccavit coram eo : esuriebant ergo , & sitiebant , & hospitio carebant , item infirmabantur , & in carcere erant , atque nudi existebant ; quomodo ergo poterant eum vestire, vel dare ei cibum , aut potum aut hospitium &c. quoad membra sua ? Nec potes dicere quod ipse Christus in se ipso talis esset .

Præterea dicitur illis : *Discedite a me maledicti in ignem æternum* ; Ergo isti sine fine affligentur ; ergo aliqui de creaturis cœlestis Dei damnabuntur . Si enim dixeris , quod de ejus creatione non sunt, hoc stare non potest , tum quia arguit eos qui cibum , aut potum suum ei esurienti , & sitienti non dederunt , ipse enim eorum cibum esurire non posset : tum quia illi libenter volebant salvari ; istud autem esse non posset , si essent naturaliter mali , quia cœlestis salus contra eorum esset naturam .

Quidam eorum dixerunt,quod istud verbum *esurivi &c.* dixit Deus malignis , idest dœmonibus , qui animas non permiserunt satisfacere Deo bono ; Angeli autem ibi dicuntur dœmones illi majores .

Sed hoc stare non potest propter ultimam rationem , quam modo posuimus ; tum quia Christum Dominum appellant ; tum quia illa ei non fecerunt .

Item si dixeris quod istud æternum habet finem .

Contra : Dominus exponit quid appellet *ignem æternum* , cum dicit: *Et ibunt hi in supplicium æternum* ; si ergo æternum finem habet , male ergo erit justis , de quibus Dominus dicit statim : *Justi autem in vitam æternam* ; sic enim beata vita justorum aliquando erit habitura finem .

Præterea Quod ignis ille , vel supplicium finem habeat, stare non potest, cum dicatur Marci 9.v.46. & 46. *Bonum est tibi luscum introire in Regnum Dei* , *quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis* : *ubi vermis eorum non morietur* , *& ignis non extinguetur* . Hoc idem habetur Isa. 66. v. 24. *Ver-*

(3) Cur autem *sicut fur* dies Domini ventura sit , explicant plerique omnes SS. Patres . Basilius Magnus *lib.* IV. *Adv. Eunomium* . *Quoniam* , inquit , *non conducebat hominibus judicii tempus audire* , *idcirco reticuit Christus. Nam expectatio quidem perpetua ferventiores ad pietatem reddit.* Adeuntor SS. Joannes Chrysostomus *Homil.* XLV. *In Johannes* . Isidorus Pelusiotes *lib.* I. *Epist.* CLXVII. Basilius Seleuciensis *Orat.* V. Basilius Magnus *Epist.* CCLXXXIII.

(4) Adludit ad Catharorum illorum sententiam , qui animas in Cœlo peccasse ajebant , easque appellabant *oves Israel.*

Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.

Præterea, quomodo poteſt eſſe, quod illud judicium jam ſit factum, cum Dominus poſt parabolam de decem virginibus, ubi agitur de adventu ad judicium, timore illius moneat vigilare nunc, dicens: Mat. 25. v. 12. *Vigilate itaque, quia neſcitis diem, neque horam, ſicut enim &c.* uſque ad v. 30. *Illic erit fletus, & ſtridor dentium.* Quomodo autem fiet illa ejectio, ſubdit Dominus in prædictis verbis *Cum autem venerit &c.*

Item c. 24. ubi agitur de eodem judicio, monet ad vigilandum timore ejuſdem judicii dicens v. 42. *Vigilate ergo quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit*; & poſt pauca verba ſubdit v. 48. & ſeqq. *Si autem dixerit malus ſervus ille in corde ſuo: Moram facit Dominus meus venire... veniet Dominus ſervi illius in die quam non ſperat, & hora quam ignorat: & dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis, illic erit fletus, & ſtridor dentium.* Nota, quod dicit *vigilate* ſcilicet nunc; & dicit quare, quia propter judicium, in quo dividetur malus ſervus, ſcilicet hædus ab ovibus. Hoc autem ſi factum eſſet, & non faciendum, non eſſet amplius timendum: quod autem factum non ſit, patet per illud Rom. 12. v. 19. *Mihi vindicta: ego retribuam, dicit Dominus*, quod falſum eſſet ſi judicium condemnationis jam eſſet factum contra peccatores. (5)

Notandum etiam, quod ipſi Cathari, qui ponunt duo principia, (6) aliud ponunt judicium diſcretionis, ſeu diviſionem ſuorum a non ſuis, & e contra. Primum autem fuit judicium ovium, id eſt diviſio earum a ſe propter peccatum in cœlo factum, ſed ſicut de hoc nullum habent teſtimonium, ita nec de ſecundo, niſi illud quod habemus Mat. 24. v. 51. *Dividet eum &c.* & 25. v. 32. *& ſeparabunt eos ab invicem.* Volunt autem quod non ſit aliud judicium niſi diſcretio, ſive diviſio prædicta: dicunt autem quod incæpit ab adventu Chriſti, & dicunt diem futurum in quo Dominus populum ſuum de ſtatu uno ad ſtatum alium meliorem revocabit. Ego autem intelligo judicium retributionem condignam bonorum, & malorum ſecundum opera ſua, ut verum ſit quod dicitur a Chriſto Marci 12. v. 4. *Quid ergo faciet Dominus vineæ? Veniet, & perdet colonos.* Quomodo autem perdet dicitur Mat. 24. v. 51. *Dividet eum*, ecce judicium diſcretionis, *partemque ejus ponet cum hypocritis, illic erit fletus, & ſtridor dentium.* Ecce judicium duræ punitionis, propter quod dicit Ap. Hebr. 10. v. 31. *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis.* Idem patet Mat. 25. v. 30. *Inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores.* Idem etiam patet Mat. 13. in parabola zizaniorum, & in auctoritate prædicta Rom. 2. *Tu autem ſecundum duritiam &c.* Ex quibus omnibus patet, quod unus eſt Dominus videlicet boni, & mali, præmii, & ſupplicii, & ita unica creatio, & unicus Creator, quia unus eſt, judex bonorum & malorum, ſalvandorum, & damnandorum in fine, quod etiam patere poteſt ex parabola decem Virginum, quarum quinque erant fatuæ, & quinque prudentes.

CAP. XI.

De Inferno.

Utrum Mundus iſte ſit Infernus?

QUinto, quia ponunt mundum iſtum eſſe (1) Infernum, locum ſcilicet damnatorum, & non alium, videamus utrum hoc verum ſit, an non. Quod autem verum non ſit, patet ex parabola Divitis, & Lazari Lucæ 16. In primis autem videamus de qua creatione fuerit Dives ille. Si dicatur quod malæ creationis erat.

Contra: Quomodo ergo deſiderium boni habebat, ſcilicet guttæ cadentis de digito Lazari ſuper linguam ejus: nullus ſi naturaliter malus eſſet, poſſet deſiderare aliquid bonum, quia bonum eſſet contra ejus naturam. Nonne vides quod naturale eſt ranæ in luto vivere? Utique: nonne vides quod ſi in lecto pulcherrimo poneretur, fugeret ad lutum, tanquam a contrario ſuæ naturæ, ad conveniens naturæ ſuæ?

Præterea, quomodo poterat eſſe malæ creationis, quem Abraham cœleſtis, ſecundum te, vocat filium ſuum, & Dives eum appellat Patrem?

Præterea, quomodo ipſe rogabat Abraham ut mitteret Lazarum ad prædicandum fratribus ſuis, ne venirent illuc; ſic enim ait v. 27. & 28. *Rogo ergo te Pater, ut mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres ut teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum*, valde enim ſollicitus erat de illorum ſalute, quod non poſſet eſſe, ſi eſſet dœmon, & malæ creationis.

Si

(5) Omnia ſcripturæ loca plane indicant judicium nondum eſſe peractum. Conſentiunt univerſi Patres, quorum longum eſt numerare ſententias. Atque in re quidem aperta immorari nefas habeo. Nemo enim id auſit revocare in controverſiam. Ergo uno Iſidori Peluſiotæ *lib.* I. *Epiſt.* CCXXXII. teſtimonio contentus ero. Sic autem habet: *Per id quod vivos, & mortuos judicandos eſſe ait Scriptura, illud ſignificatur fore, ut anima & corpus ſimul in judicium veniant, nec alterum ab altero ſejungatur, verum quemadmodum in hac vita communem conjunctionem habuerunt, ſic etiam futurum judicium ſubeant. Vivos, hoc eſt eos, qui æternam vitam & Deo gratam conſectati ſunt, & eos qui peccatis immortui ſunt &c.*

(6) Videlicet Cathari Albanenſes, qui Balaſinanſæ parebant. Nempe hi duo judicia admittebant: primum *diſcretionis* animarum a ſe ipſis, quæ ſimulatque in Cœlo, ut illi quidem cenſebant, peccarunt, detruſæ in hæc corpora ſunt; alterum *diſcretionis* eorum, qui non aſſentiuntur fidei Catharorum ab aliis, qui aſſentiuntur. Non abludebant autem a Gnoſticis, qui væ iis dicebant, qui in hac carne non reſurrexiſſent, quod jam eſſent judicati. *Tacite autem ſecundum conſcientiam ſuam hoc ſentiebant. Væ, qui non, dum in hac carne eſt, cognoverit arcana hæretica. Hoc eſt enim apud illos reſurrectio* Tertull. *Lib. de Reſurrect. Cap.* XIX.

(1) Albanenſes, & Bajolenſes inferni ignem nihil eſſe pugnabant. *Vide Proleg. Diſſert.* I. *pag.* XXII. ſequuti ſunt Auctores Eunomianos, qui, ut tradit Harmenopulus *De ſect.* XIII. *Minas futuri ſupplicii, & gehennam, non juxta veritatem, ſed ad metum prolatas dicebant.* Atque hi fortaſſe fuerunt, quos Johannes Chryſoſtomus refert dixiſſe ὁ Θεὸς πρὸς φόβον τῶν ἀνθρώπων ἠπείλησε ταῦτα. *Deus ad metum hominum minatus eſt hæc.* Ergo Cathari Albanenſes globum hunc terraqueum infernum eſſe ajebant, in quem animæ dejectæ fuerint, quo admiſſi in cœlo ſceleris pœnas luerent.

Si autem dicas, quod bonæ creationis fuit, ficut verum eſt, & tamen perpetuo damnatus.

Ergo non omnes oves Iſrael ſalvabuntur. Quod autem ipſe non poſſit ſalvari patet ex textu Evangelii, rogavit enim pro ſe, & non valuit ei, ſed dictum eſt ſibi ab Abraham v. 26. *Inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt: ut hi, qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque inde huc tranſmeare*. Si non poterat tranſire ad ſinum Abrahæ; ergo non poterat ſalvari.

Præterea, dicas mihi, ubi factum eſt hoc quod ibi dicitur: v. 19. 20. & 21. *Homo quidam erat dives &c.* uſque *ſed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus*; nunquid in cœlo, vel in mundo iſto? Si dicas in cœlo; bene ergo erat diviti, cum dicatur Lucæ 14. v. 15. *Beatus qui manducabit panem in regno Dei*; quare ergo ſepultus eſt in inferno?

Præterea, illæ epulæ ſi in cœlo erant, materiales non erant; ergo ſpirituales. Sed nunquid bonæ, an malæ? Nonne ille dives malus erat, & ejus epulæ malæ, & menſa mala? Utique: quomodo ergo Lazarus, qui bonus erat, cupiebat ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa divitis? Si autem epulæ illæ bonæ erant, & quotidie de illis epulis epulabatur ſplendide, ſimiliter veſtimenta ejus ſpiritalia, & bona erant; ergo divitiæ ſpirituales, & bonæ; bonus ergo erat dives ille, quod eſſe non poteſt, alioquin de micis dediſſet Lazaro; dicitur enim 1. Jo: 3. v. 17. *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?*

Præterea, Lazarus ulceroſus erat, & mala recipiebat in vita ſua: quare ſi cœleſtis erat, & bonus, quæ erant illa ulcera? Nunquid materialia, aut ſpiritualia? Primum non; ergo ſecundum; ergo erant peccata; ergo cum mortuus eſt, potius ſepeliendus erat in inferno quam dives. Nunquid etiam in cœlo canes, aut ulcera?

Præterea, qui canes, quæ ulcera lingebant? In cœlo non eſt aſſignare qui, aut quæ: conſtat ergo quod iſtud non eſt factum niſi in mundo iſto: dicitur autem quod dives mortuus eſt, & ſepultus eſt in inferno. Nunquid mundus infernus, & locus tormentorum dicitur hic, in quo ille ſepeliebatur? Si hoc dicatur.

Contra: Nonne de mundo iſto tranſitur ad ſinum Abrahæ? Utique, quia Lazarus inde tranſivit illuc: quomodo dicit Abraham: *Qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſunt; neque inde huc traſmeare*? Ergo mundus iſte non eſt infernus.

Præterea: Fratres divitis non erant in Regno Dei; ergo erant in regno hujus mundi; ergo mundus non eſt Infernus, cum dives exiſtens in Inferno dicat ipſi Abraham: *rogo ergo te pater, ut mittas eum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, ut teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum*: item cum dicat Abraham diviti: *habent Moyſen, & prophetas: audiant illos*, quaſi dicat, hoc modo non venient in Infernum.

Præterea Matth. 5. v. 29. *Expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam*.

Item Matth. 10. v. 28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam*.

Item Matth. 13. v. 42. *Mittent eos in caminum ignis*; ergo adhuc non erant miſſi in ipſum, erant autem in hoc mundo; ergo mundus iſte non eſt caminus ignis, vel gehenna; ergo non eſt Infernus.

Horum autem Catharorum, qui unum ponunt (2) principium, eſt alia opinio de Inferno; dicunt enim totam mundi fabricam, & omnia elementa in die judicii redigenda in eandem elementorum confuſionem, quæ fuit a principio ante rerum diſtinctionem ſecundum ſpecies earum a diabolo, ut aſſerunt, factam ex illa confuſione, ſive chaos, in qua confuſione, ſive chaos dicunt cruciandos eſſe ſpiritus humanos & dœmones, nullumque alium Infernum locum eſſe (3) credunt, & dicunt: Hoc autem volunt habere ex verbis Ep. 2. Petri cap. 3. v. 11. & 12. *Cum igitur hæc omnia diſſolvenda ſint, quales oportet vos eſſe in ſanctis converſationibus, & pietatibus, expectantes, & properantes in adventum diei Domini, per quem Cœli ardentes ſolventur, & elementa ignis ardore tabeſcent*?

Nos autem quomodo elementa ſolvenda ſint, & quomodo tranſitura, in cap. de reſurrectione prædiximus.

Præterea volunt dicere, & dicunt quod lux iſta ſolis, & aliarum ſtellarum auferetur ab eis, & dabitur ſpiritibus ſalvandis, qui illam induent, ſicut Adam inde ſpoliatus eſt cum deſcendit a Jeruſalem cœleſti in Hiericho, ideſt in mundum iſtum, & incidit in latrones, ut falſo fabulantur, & dicunt quod chaos idem tunc remanebit tenebroſum, & ſunt ibi tenebræ exteriores, de quibus Matth. 22. v. 13. *Ligatis manibus, & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores*.

De

(2) Hoc eſt Concorrezenſes. Hi Stoicorum conflagrationem magnam ex parte defendebant.

(3) Scriptores omnes Sacri locum ſuppliciorum admittunt; pœnas autem Damnatorum fore ſempiternas. Etſi autem in centro terræ plerique omnes SS. Patres infernum locent, ſunt tamen aliqui, qui alibi eſſe ponendum putent. Johannes Chryſoſtomus *Homil.* XXXI. *In Epiſtolam ad Romanos*: *In quo loco*, inquit, *erit gehenna? in quodam, ut ego exiſtimo extra univerſum hunc mundum loco*. Probat Chryſoſtomi opinionem Joſephus Briennius *Orat. De Extremo judicio, & ſempiterna Beatitudine*. Extremis hiſce temporibus Svvindenus Anglus integro volumine *in* VIII. in Sole infernum eſſe ponendum defendit. Quæ quidem Scriptoris Angli magna confidentia eſt. Nihil de ejuſmodi loco ſtatutum in Scripturis eſſe prodit Auguſtinus *Lib.* XX. *De Civitat. Dei cap.* XVI. Verum communi ſententiæ inſiſtendum eſt.

CAP. XII.

De inæqualitate Pœnarum, & Præmiorum.

§. I.

Quomodo probent hæretici pœnas esse æquales.

SExto videamus, an verum sit, quod ponunt Cathari, qui unum asserunt (4) Creatorem, scilicet, quod præmia bonorum post judicium erunt æqualia, similiter & pœnæ malorum. Ad hoc autem inducunt illud Matth. 13. v. 40. 41. & 42. *Sicut ergo colligantur zizania, & igni comburuntur: sic erit in consummatione seculi. Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis &c.* Hic enumerantur pœnæ communes malorum hominum, ad minus adultorum: istud patet; videtur ergo quod pœnæ æquales sint, ex quo sunt communes.

Solutio: Duplices pœnæ sunt: extrinsecæ, quarum hic ponitur una, scilicet ignis; alia est aqua nivium, item tenebræ exteriores. De primis duabus habetur Job. 24. v. 19. *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium.* De tenebris exterioribus habetur Matth. 22. v. 13. *Ligatis manibus, & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores.* Ista talia dicuntur pœnæ activæ, quia puniunt, & affligunt: istæ pœnæ erunt communes omnibus adultis damnatis. Sunt etiam pœnæ interiores, scilicet tristitiæ, & afflictiones provenientes a pœnis exterioribus, istæ signatæ sunt per vermem Is. 66. v. 24. *Vermis eorum non morietur.*

Item Matth. 22. Ubi istæ pœnæ signantur per fletum, & stridorem dentium: v. 13. *Ibi erit fletus & stridor dentium.* Istæ non erunt æquales omnibus damnatis. Licet enim omnes tales communiter, idest æqualiter in igne sint, non tamen æqualiter urentur, sicut ferrum, lapides, & ligna æqualiter sunt in igne aliquo, non tamen æqualiter comburuntur, & sic omnes partes terræ sub eodem sole sunt, non tamen æqualiter calefiunt. Quod autem istæ pœnæ non sint futuræ æquales, patebit inferius.

Ex his patet solutio ad id, quod dicitur: Hic enumerantur pœnæ communes malorum adultorum. Dico enim hoc esse falsum, immo tantum una, scilicet ignis, alia autem non est communis, scilicet dolor, immo distinguitur secundum magis, & minus in diversis hominibus, secundum quod magis, & minus peccaverunt.

Sed contra hoc objiciunt hoc, quod dicitur: *Sicut ergo colligantur zizania &c.* Sed zizania, æqualiter omnino consumuntur ab igne; ergo mali æqualiter affliguntur.

Ad quod dicimus, quod istud *sicut* non est omnino *sicut*, alioquin oportet dicere, quod sicut zizania omnino consumuntur ab igne, ita & mali ab igne Inferni. Quod autem diversitas ibi sit, patet ex litera illa; sic enim dicitur v. 30. *Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos*, non dixit fasciculum, ut notaret diversitatem peccatorum, & pœnarum.

Ad idem etiam probandum inducunt illud Jac. 2. v. 10. *Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*; ex quo videtur, quod tanta sit futura ejus pœna, quanta si fecisset omnia mala.

Solutio: Dic mihi hæretice: nunquid Jacobus intendit per illa verba: *factus est omnium reus*, quod intelligatur reus omnium peccatorum, idest, quod ille, qui offendit in uno peccato offendat, in quolibet? Si hoc est; ergo qui offendit furando, offendit occidendo corporaliter, & sic de aliis peccatis, quod falsum est. Si autem dicis, quod sic intelligitur: *factus est omnium reus*, idest transgressor omnium mandatorum; eadem est objectio. Si autem sic intelligitur: idest, ita malus est, & æquali pœna dignus, ac si omnia peccata fecisset, proba hoc.

Præterea: Quomodo stabit illud Matth. 11. v. 22. *Verumtamen dico vobis: Tyro, & Sydoni remissius erit in die judicii, quam vobis?*

Dico ergo, quod authoritas Jacobi sic intelligenda est: qui offendit in uno, idest in dilectione, factus est omnium reus bonorum, quæ fecit, omnia enim illa bona mortificat, quia non prosunt sibi ad salutem; unde illud 1. Cor. 13. v. 3. *Et si distribuero ..... Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*, scilicet ad salutem, licet ad pœnarum remissionem valeat, ut dictum est ex testimonio Matth. 11. De isto uno dixerat Jacobus parum ante verba prædicta v. 8. *Si tamen legem perficitis regalem secundum Scripturas: diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Unde qui in uno peccavit, multa bona perdit.

Vel aliter: qui in uno mandato offendit, factus est omnium reus, idest qui offendit in uno mandato, factus est reus omnium mandatorum prius observatorum, quia omnium illorum observantiam inutilem reddidit. Hæc autem expositio patet ex eo, quod dicit Jacobus: *Quicumque autem totam legem servaverit*, idest omnia legis mandata, & postea subdit: *Offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Istud quod dico patet Ezech. 18. v. 24. Ubi ait: *Si autem averterit se justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem ..... omnes justitiæ ejus quas fecerit non recordabuntur.*

Unde

(4) Est hic error proprius Stoicorum, ut Cicero, aliique produnt. Probatus fuit ab Joviniano, velut Auctor est Hieronymus in Opere, quod adversus eumdem hæreticum edidit. Inde suam doctrinam mutuati sunt Cathari Concorrezenses.

§. II.

Unde probent hæretici æqualitatem Præmiorum.

PRæmiorum etiam æqualitatem nituntur probare per illud Matth. 13. Post illa verba, quæ diximus v. 43. *Justi fulgebunt sicut sol in Regno Patris eorum*.

Solutio: Miser hæretice: *sicut* non est adverbium quantitatis, sed similitudinis: nunquid istud sequitur: similiter fulgebunt, ergo æqualiter? Determinat Ap. 1. Cor. 15. v. 41. & 42. *Stella enim differt a Stella in claritate: sic & resurrectio mortuorum*. Quæ auctoritas declarata est in cap. de resurrectione.

Et quia superius diximus, pœnas intrinsecas non esse æquales, ne istud intelligatur universaliter, idest quod in nullo æquales sint, ideo distinguimus duplicem æqualitatem, unam in perpetuitate, & aliam in acerbitate. Secundum primam æquales erunt pœnæ, quia sine fine; unde dicitur Matth. 25. v. 41. *Discedite a me maledicti in ignem æternum*, quia ille ignis erit sine fine, & cruciatus ejus sine fine. Sed quoad secundam æqualitatem non erunt omnes pœnæ æquales, imo una acerbior erit alia, quod notavit Dominus Matth. 11. v. 22. *Tyro, & Sydoni remissius erit in die judicii, quam vobis*.

Item, quod præmia æqualia sint, volunt habere per hoc, quod dicit Ap. 1. Cor. 13. v. 9. & 10. *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*.

Item v. 12. *Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum*. Ex his patet quoniam tolletur imperfectio cognitionis; omnes ergo perfecte cognoscent; ergo æqualiter: sed ipsa cognitio perfecta vita æterna est, & beata vita, ut habetur Johan. 17. v. 3. *Hæc est autem vita æterna: ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*; omnes ergo æqualiter beati erunt.

Præterea; si ego cognosco sicut & cognitus sum, similiter & alii, ergo omnes æqualiter cognoscemus, & ita æqualiter beati erimus.

Solutio: Omnes perfecte cognoscemus, & tamen unus perfectius alio, sicut etiam dicitur Matth. 5. v. 48. *Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est*, & tamen ipse nobis perfectior. Et sicut non valet, nos sumus perfecti sicut ille; ergo æquales sumus illi: ita non valet, perfecte cognoscemus; ergo æqualiter.

Similiter dico, quod omnes cognoscemus eum, sicut & cogniti sumus, & sic non sequitur, quod æqualiter cognoscamus eum; licet enim similiter, tamen unus plus alio. Similitudo erit in hoc, quia omnes videbimus eum facie ad faciem, idest manifeste, & tamen unus manifestius alio; sicut unus manifeste intelligit, & habet intellectum alicujus libri, & tamen unus manifestius alio intelligit ipsum, sicut etiam aliqui boni sunt, & tamen unus alio melior.

Ad idem inducunt illud Matth. 20. de operariis (5) introductis in vineam diversis horis, de quibus dicitur, quod omnes acceperunt singulos denarios, & ita sunt æquales in præmio: & quia per illos intelliguntur fideles boni, videtur quod eorum merita æqualia sint futura, maxime cum dicatur ibi v. 10. *Venientes autem & primi, arbitrati sunt, quod plus essent accepturi*; ad quod removendum dicitur: *acceperunt autem & ipsi singulos denarios*, & ita omnes æqualiter sunt remunerati.

[*] Solutio: Cum multæ expositiones sint hic, & bonæ, quæ de ultima retributione hæc verba Domini intelligunt, aliam tamen pono ad præsens, quam tangit ex parte B. Jo: scilicet, quod de tempore gratiæ intelligitur, quod ab adventu Christi cæpit. Per denarium autem Dei gratia designatur, ex gratia enim Dei est, quod decem mandata, quæ per denarium significantur, perficiantur teste Ap. qui 1. Cor. 15. v. 10. ait: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum*; idest non ego solus, sed cum gratia: Christus etiam ait Jo: 15. v. 5. *Sine me nihil potestis facere*. Primi sunt Judæi, novissimi sunt Gentiles. Judæi in tempore gratiæ, idest postquam Christus venit, murmurabant adversus Gentiles, existimantes quod vel ipsi soli gratiam Dei essent habituri, vel excellentius quam Gentiles, quos confutat Ap. Rom. 3. v. 9. *Quid ergo? Præcellimus eos?* Idest nos Judæi Gentes, *nequaquam*; ut dicitur Act. 10. v. 47. *Nunquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt, sicut & nos?* De murmuratione Judæorum adversus Gentes habetur Act. 10. v. 45. & 46. *Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro: quia & in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum*.

Item Act. 11. v. 1. & seqq. post illud factum, *Audierunt autem Apostoli, & fratres, qui erant in Judæa: quoniam & Gentes receperunt verbum Dei. Cum autem ascendisset Petrus Jerosolimam, disceptabant adversus illum*, scilicet Petrum procuratorem vineæ, idest Ecclesiæ, *qui erant ex circumcisione, dicentes: Quare introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis. Incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem, dicens: .... Cum autem cæpissem loqui, cecidit Spiritus Sanctus super*

(5) Fuit hæc parabola Joviniani præsidium. Videndi Augustinus *Lib. De Hæresibus ad* Quod vult Deum *Hæres.* LXXXVI. & *Lib. De Sancta Virginitate Cap.* XXVI. & Hieronymus *Lib.* II. Contra *Jovinianum*. Hi quidem Patres Parabolæ illius significationem ad futuræ gloriæ tempus referunt, quæ interpretatio placuit & PP. Græcis, aliisque Latinis, quorum subinde vestigia presserunt Scholastici fere omnes post S. Thomam 1. 2. *quæst.* 5. *art.* 2. *ad* I. At vero nostri interpretatio probatur aliis non infimi Ordinis Theologis, imprimisque Jansenio Gandavensi *In Concord. Evang. Cap.* CI. & Vasquesio in *P. S. Thomæ Part. Disput.* XLVII. *Cap.* IV. aliisque existimantibus, ea parabola non significari præmium vitæ æternæ, sed donationem gratiæ, ejusque prout Deo placet distributionem.

[*] Quæ leguntur ab hoc asterisco usque ad finem §. desunt in Cod. Bon.

super eos, sicut & in nos in initio. Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus, sicut & nobis, qui credidimus in Dominum Jesum Christum: ego quis eram, qui possem prohibere Deum? His auditis, tacuerunt: & glorificaverunt Deum, dicentes: Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam. Procurator ergo est Petrus, quem vocavit Dominus, cum sero factum esset: sero autem dicit novissimam ætatem, quæ incæpit a Christi adventu: 1. Cor. 10. v. 11. Nos sumus, *in quos fines seculorum devenerunt.* Isti procuratori dixit Dominus: *Voca operarios, & redde illis mercedem*, idest reddendam prædica illis mercedem suam, idest dandam sibi gratiam, & ita fecit in prædictis verbis Act. Apostolus. Et quod dicit Petrus Judæis murmurantibus: *Ego quis eram &c.* quasi idem est ei, quod habetur in Evangelio: *Amice non facio tibi injuriam.*

Si dicat hæreticus non est verum: quia Petrus non incæpit a novissimis reddere mercedem, idest, prædicare eam fore dandam.

Dico: Immo tunc incæpit a novissimis, idest a Gentibus, quando *adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus Sanctus super omnes, qui audierunt verbum* Act. 10. v. 44. Venit autem usque ad primos, ut dicitur Act. 11. v. 2. post illud factum: *Cum autem ascendisset Petrus Jerosolymam &c.* Fuerunt ergo primi novissimi, quia non præcellunt Judæi Gentiles in denario gratiæ Dei, & novissimi primi, idest primis pares in gratia. Sed tamen nec omnes primi, nec omnes novissimi ad numerum pertinent electorum ad gloriam, *multi enim sunt vocati, pauci vero electi* Matth. 20. v. 16. Ad Galat. 5. v. 6. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides, quæ per charitatem operatur.*

Item Colos. 3. v. 11. Non est *Gentilis, & Judæus*, prius dixerat v. 10. *Induentes novum, eum, qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit illum*; & subdit *ubi*, idest in qua renovatione, idest ad quam non facit esse Judæum, vel Gentilem.

Ex quo patet solutio cujusdam objectionis, quæ potest fieri contra nos. Quia si non est distinctio in denario gratiæ; ergo nec in denario gloriæ.

Solutio: Non negamus quin sit distinctio in denario, sed non est distinctio in illo ex eo, quod hic Judæus, & hic Gentilis; denarius enim gratiæ & si unus sit, tamen crescere potest si homo se exerceat, alioquin frustra dixissent Discipuli Jesu: *Adauge nobis fidem.* Lucæ 17. v. 5. Jacobus Ep. cap. 3. v. 5. dicit: *Ad invidiam concupiscit Spiritus*, idest facit concupiscere, vel invidere, & subdit v. 6. *Majorem autem dat gratium.*

Quidam autem intelligunt de ultima retributione, (6) & totum quod primi dicunt, sub conditione intelligunt: *Venientes autem & primi &c.* idest, si venirent existimantes, quod plus erant accepturi, quia plus laboraverunt in vinea; & si murmurarent, quod non acciperent plus, responderetur eis: *Amice non facio tibi injuriam.* Quantitas (7) autem præmii non attenditur ex diuturnitate temporis, sed devotione mentis; Sicut mulier quæ duo minuta posuit, plus omnibus misisse dicitur, quia ex majori fide, & devotione. Lucæ 21.

Ad illud autem, quod dictum est, quia quilibet accipit unum denarium, & ita æqualitater præmiantur.

Dico, quod ille denarius Deus est, qui est merces nostra, & gloria cujuslibet. In essentia igitur mercedis (8) non est distinctio, sed æqualitas; tamen in dilectione Dei diversitas erit, & inæqualitas, sicut videmus quod idem cibus melius sapit uni, quam alii.

Si dicatur, hoc esse non posse, quia ibi dicitur, quod existimabant se magis accepturos.

Dico, quod istud sub conditione intelligitur, sicut & illud Matth. 25. v. 11. & 12. *Novissime vero veniunt & reliquæ virgines dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens ait: Amen dico vobis nescio vos.* Nunquid clausa janua accedent aliqui ad januam Cœli? Certe non, sed condi-

 tio-

(6) Plerosque esse Patres, qui parabolam cx. Cap. Evangelii Matthæi non gratiæ distributionem, sed vitæ Beatæ præmium indicare censeant, animadverti notatione superiore. Verum si demas Scholasticos, atque Scriptores sequioris ætatis; pauci sunt, si qui sunt tamen, qui ita rem explicent, ut a nostro dedeclaratur. Atque, ut vere dicam quod sentio, non omnes περιστάσεις, quæ adornandis parabolis adhiberi plerumque solent, quidquam ad finem earum conducunt. Nihil autem ad rem pertinet operariorum conquestio. Nam si Christus de Vita beata, deque Sanctorum felicitate disseruit, in ea quidem certe nullus conquestioni locus est reliquus. Iam vero, quod ait Noster, dictum id conditione quadam a Christo fuisse; ut si primi questi fuissent illud retulissent responsi genus, subtile quidem est, at vereor, ut sit Patribus consentaneum. Ornatus autem caussa sæpe quædam innecti parabolis, quæ ad earum, οὐσίαν non pertineant, exploratum est. Atque Augustinus *Lib.* XXII. *Contra Faustum Cap.* XCIV. *Tom.* VIII. *Opp. Sicut in Citharis*, inquit, *& in hujuscemodi organis musicis, non quidem omnia quæ tanguntur, canorum aliquid resonant, sed tantum chorda, cetera autem in toto Citharæ corpore, ideo fabricata sunt, ut esset ubi vincirentur, unde, & quo tenderentur illæ, quas ad cantilenæ suavitatem modulaturus, & percussurus est artifex. Ita in his propheticis narrationibus, quæ de rebus gestis hominum prophetico spiritu deliguntur, aut aliquid jam sonant significatione futurorum, aut si nihil tale significant, ad hoc interponuntur, ut sic nude illa significantia tamquam sonantia convertantur.* Consule ceteros Patres, *quos Libro* VII. *Theologicorum Dogmatum Cap.* XI. *num.* 4. *Tom.* I. recenset Dionysius Petavius. Quid ergo impedit, quo minus ad ornatum adjuncta illa de conquestione narratio fuerit? Verum satius esse puto parabolam de Operariis interpretari ita, ut vocationem Judæorum, & Gentilium indicet. Tunc enim partes omnes illius colligatæ sic erunt, ut nihil fere supersit difficultatis.

(7) Eodem hæc recidunt atque illa Gregorii Nazianzeni, quæ exstant; Orat. XL. *Etsi ad laboris modum plus contulerint, qui priores ingressi sunt, non tamen quantum ad voluntatis modum. Propter quam etiam fortasse postremis amplior merces debebatur, quamvis absurdum quodammodo possit videri quod dico.*

(8) Ita Hieronymus *Lib.* II. *Contra Jovinianum: Unus autem denarius non unum est præmium: sed una vita, & una de gehenna liberatio.* Et in extrema Epistola CXLVI. Vet. Edit. *Et tu qui hora sexta conductus es, novissimo invides, cur tecum denarium, idest, æqualem consequatur salutem, licet salutis pro labore diversa sit gloria.* Ambrosius *Lib.* VII. *ad Cap.* XV. *Lucæ. O si nos quoque Mercenarios digneris conducere, licet sero venientes, nam & undecima conducis hora, & æqualem dignaris mercedem solvere, æqualem mercedem vitæ, non gloriæ.* Sanctus Augustinus *Tractat.* XXVII. In Johannem: *Quo utique denario vita significatur æterna, ubi amplius nemo vivit, quoniam vivendi non est diversa in æternitate mensura. Sed multæ mansiones diversa meritorum in una vita æterna significant dignitates.* Auctor Operis de Vita Contemplativa inter *Opp.* Sancti Prosperi *Lib.* IV. *Cap.* IV. *Sicut corporalis saturitas omnes saturos æqualiter habet, quamvis singuli cibum non æqualiter, sed pro possibilitate perceperint, ita omnes Sancti, etsi fuerint aliqua graduum suorum diversitate distincti, una beatitudine perfecti erunt, quia & una perfectione beati futuri sunt.*

tionaliter intelligitur : si venirent diceretur eis, *nescio vos*.

Item Lucæ 16. Dicit Abraham diviti : *Ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint* v. 26. idest etiam si vellent, non possent; non enim ad locum tormentorum inferni volunt transire illi, qui requiescunt in sinu Abrahæ.

§. IV.

Ostenditur unum peccatum esse majus alio, & ideo gravius puniendum, consequenter supplicia esse inæqualia.

NUnc ostendamus testimoniis Scripturarum, quod præmia bonorum, & supplicia malorum non sunt paria. In primis autem ostendamus, quod peccata paria non sunt. (9) Legitur enim Matth. 12. v. 32. *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei : qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, nec in futuro*; unum ergo peccatum majus est alio.

Item Jo: 9. v. 11. dixit Christus Pilato : *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*.

Item 1. Cor. 5. v. 1. *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat*. Ecce qualiter aggravat peccatum illius; ergo unum peccatum alio majus.

Item 1. Johan. 5. v. 16. *Est peccatum ad mortem : non pro illo dico ut roget quis*; aliquod ergo peccatum est ad mortem, & aliquod non; ergo unum est alio majus.

Item 1. Timot. 5. v. 8. *Si quis autem suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior*; ergo magis punietur.

Item Matth. 7. v. 5. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui : & trabem in oculo tuo non vides*. Quid per festucam, nisi minus peccatum, & per trabem, nisi majus? ergo unum peccatum alio gravius. (10)

Ex his concludo. Ergo si Deus justus est, gravius puniet illum qui habet majus peccatum, quam qui minus.

Item Matth. 12. v. 45. *Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus*, ergo ipse pejor quam prius; ergo gravius puniendus quam prius.

Quod autem unus alio secundum exigentiam culpæ amplius puniatur, habetur Matth. 11. v. 22. Ubi Dominus quibusdam contemnentibus prædicationem, suam dixit? *Tyro, & Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis*, & dicit hoc assertive, non conditionaliter; dicit autem quod erit eis remissius, quia non erit pœna sua, sicut istarum civitatum, quibus loquebatur, nisi præparabit se.

Item Lucæ 12. v. 47. & 48. *Ille autem servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non præparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis : qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis*.

Ad hoc autem dicit hæreticus, quod in hoc plus punietur : quia plagam istam habebit, quia dolebit, quod non fuit operatus ut scivit.

Sed si hoc est, dico ergo plus cruciabitur, & ita non sunt pœnæ pares.

Item Rom. 2. v. 5. *Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus*; ergo qui plus peccavit, plus punietur.

Ad hoc autem dicit hæreticus, quod hæc positio solum qualitatem operum respicit, non quantitatem.

Contra. Probo quod quantitatem respicit, idest magnitudinem, & pluralitatem : dicitur enim Apoc. 18. v. 7. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*.

Ad hoc autem dicit hæreticus sic : Quantum glorificavit se Ecclesia malignantium, idest tota congregatio malorum, & sic non comparatur unus de congregatione alii.

Sed contra. Ergo si minus fecisset de malo, minus puniretur. Ostendo etiam tibi, quod respicit pluralitatem operum : Rom. 1. v. 18. *Revelatur enim ira Dei de Cœlo super omnem impietatem, & injustitiam*; ergo plures pœnas habebit qui fecit centum impietates, vel injustitias, quam qui unam. Job. 20. v. 18. *Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur : juxta multitudinem adinventionum suarum, sic sustinebit*.

Item 2. Petr. 2. v. 9. & 10. *Novit Dominus pios de tentatione eripere : iniquos vero in diem judicii reservare cruciandos : magis autem eos qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant*; ergo isti plus cruciabuntur in die judicii.

Item ibidem v. 20. dicitur : *Si enim refugientes coinquinationes mundi, & cognitione*, idest, propter cognitionem, *Domini nostri, & Salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati superantur : facta sunt eis posteriora deteriora prioribus*.

Ad hoc dicit hæreticus : pejora non in pœna Inferni, sed hic in pœnitentia.

Sed istam expositionem patet esse falsam, non enim de pœnitentia agitur ibi, sed de statu in quo quis impli-

(9) Acceptum id quoque ab Stoicis, atque deinde ab Joviniano est. Utrique enim pugnabant paria esse peccata, ut omnes norunt.

(10) Sapienter argumenti concludit sententiam. Patres nimirum sequitur auctores, qui in Scripturarum lectione mirandum in modum erant exercitati. Chysostomus *Homilia* x. *De Statuis* : *οὐ πᾶν ἁμάρτημα τὴν αὐτὴν φέρει κόλασιν, ἀλλὰ τὰ εὐκατόρθωτα μείζονα ἡμῖν ἐπάγει τιμωρίαν*. *Non omne peccatum eamdem meretur pœnam; sed ea quæ facilius præstari potuissent, gravius merentur supplicium*. Isidorus Pelusiota *Lib.* IV. *Epist.* CLXXIX. paria habet. Adisis Rittershusium *Lect. Sacrar. Lib.* VII. *Cap.* XXI.

implicatur coinquinationibus mundi, post cognitionem veritatis, & comparatur iste status, & pejor dicitur quam status in quo erat ante cognitionem veritatis. Et quod ita sit, patet per hoc quod sequitur v. 21. *Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem, retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato*; *melius* dicit, idest minus malum.

Item Jac. 3. v. 1. *Nolite plures magistri fieri fratres mei, scientes quoniam majus judicium sumitis*; ergo in futuro erit majus, & minus judicium. Ergo major & minor pœna. Et hoc est, quod Dominus ait magistris, scilicet Scribis, & Pharisæis Matth. 23. v. 14. *Propter hoc amplius accipietis judicium*.

[*] Item Jacob. 4. v. 17. *Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum est illi*. Quare dicitur scienti? Nonne alias ignorans facere bonum, & non faciens peccat? Si non facit bonum, utique; dicitur enim 1. Corinth. 14. v. 38. *Si quis autem ignorat, ignorabitur*; ergo differentiam assignare intendit inter peccatorem scientem, & ignorantem, hanc scilicet, quod unus magis peccat, quam alius, & magis punietur; juxta illud Lucæ 12. v. 47. *Ille autem servus, qui cognovit voluntatem &c.* [*]

Constare potest hoc idem ex hac credulitate, scilicet, quod si non nocet mihi plus mille homines occidere, quam unum mendacium joci causa dicere, non restat nisi ut faciam quodcumque malum facere possum; ex illa autem credulitate, scilicet, quod plus nocet, & plus torquebor, restat hoc, scilicet, quod non faciam quidquid mali possum; ergo fides melior.

Præterea. Aliquis commisit unum homicidium, si decessit, tantum habebit supplicium: contingat, quod alia superaddat, nunquid punietur pro illis? Videtur quod non, quia si illa non addidisset, tantum supplicium sustinuisset, quam illis additis. Quod si est; ergo non est verum, quod dicit Ap. Roman. 1. v. 18. *Revelatur enim ira Dei de Cœlo super omnem impietatem, & injustitiam*. (11)

§. V.

Ostenditur Præmia bonorum futura esse inæqualia.

Viso, quod non sunt æqualia supplicia reproborum, videamus an præmia bonorum æqualia sint futura, vel inæqualia. Duobus modis ostendemus ea inæqualia, primo per inæqualitatem bonitatis in uno, & in alio; secundo per testimonia Scripturarum, quæ hoc asserunt evidenter. Legitur Lucæ 7. v. 41. 42. & 43. *Duo debitores erant cuidam fœneratori: unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit? Respondens Simon dixit: Æstimo quia is, cui plus donavit. At ille dixit ei: Recte judicasti*. Ex his verbis patet, quod unus habet majorem dilectionem quam alius; ergo majorem bonitatem.

Item Matth. 19. Quidam quæsivit a Jesu, quid faceret, ut vitam æternam haberet, & dixit Jesus v. 19. *Serva mandata*; & postea cum ille dixisset ei v. 20. *Omnia hæc custodivi a juventute mea*; postea Dominus subjunxit v. 21. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cœlo*. Si per observantiam mandatorum venitur ad vitam, etiam bonus est qui observat ea: & tamen Dominus dicit tali: *Si vis perfectus esse*; ergo in Ecclesia unus melior est alio.

Item 1. Corinth. 2. v. 6. *Sapientiam autem loquimur inter perfectos*; ergo in Ecclesia sunt aliqui perfecti, & aliqui non: ergo magis, & minus boni.

Item 1. Corinth. 7. v. 38. *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit melius facit*. Nec refert utrum de carnali, vel spirituali matrimonio intelligatur quantum ad hoc, quia sic oportet, quod in Ecclesia Dei sit majus & minus bonum; & ita majus, & minus meritum; ergo apud Dominum erit majus, & minus præmium, cum redditurus sit unicuique secundum meritum suum; unde 1. Corinth. 3. v. 8. *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*.

Sed ne dicas, quod istud *secundum* respicit qualitatem meriti, idest bonitatem vel malitiam, non ad quantitatem.

Audi, quod dicit Ap. 2. Corinth. 9. v. 6. *Qui parce seminat, parce & metet*; ubi patet, quod invitat ad majorem eleemosynam, ergo qui plus seminat, plus colliget.

Item 1. Corinth. 15. v. 41. & 42. *Stella enim a stella differt* (12) *in claritate. Sic & resurrectio mortuorum*; ergo sicut diversitas stellarum in claritate secundum magis & minus, sic etiam resurgentes magis & minus lucebunt.

Ad hoc dicit hæreticus, quod non comparantur boni ad invicem, sed boni cum malis.

Sed contra: Nonne dicitur, *stella differt a stel-*

[*] Desunt quæ duobus asteriscis conclusimus e *Codd. Bononien.*

(11) Omnia ergo Scripturarum loca probant inæquales futuras pœnas reproborum, pro meritorum inæqualitate. Concinunt Sancti Patres, quos ante laudavi. Immo vero omnes quotquot suis operibus Ecclesiam illustrarunt. Præstat audire Macarium, qui communem omnium Catholicorum sententiam exprimit *Homil.* XL. *Nos multos gradus esse dicimus, & differentias, & mensuras tum in ipso Regno, tum in gehenna.*

(12) Usi sunt hujus loci auctoritate Patres ad comprimendam Joviniani impudentiam, qui paria futura prædicabat præmia Sanctorum in gloria. Augustinus Tractatu LXVII. *in Johannem*: *Multæ*, inquit, *mansiones diversas meritorum in una vita æterna significant dignitates. Alia est enim gloria Solis, alia gloria Lunæ, alia gloria Stellarum. Tamquam Stellæ Sancti diversas mansiones, diversas claritates tamquam in Cœlo sortiuntur in Regno.* Adisis S. Fulgentium *Lib.* III. ad *Trasimundum*, & S. Johannem Chrysostomum. *Homilia* XL. *in Epistolam* I. *Ad Corinth.*

ſtella in claritate? Utique; & ſubditur: *Sic & reſurrectio mortuorum*, mortui ergo reſurgentes differentiam habebunt in claritate: hoc autem non poteſt intelligi niſi de bonis, quia mali ejicientur in tenebras exteriores.

Secundo oſtendamus hoc idem per teſtimonia Scripturarum. 1. Corinth. 7. v. 49. & 40. Dicitur: *Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir ejus vivit, quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt: cui vult nubat: tantum in Domino. Beatior autem erit ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium.*

Item Matth. 18. v. 4. *Quicumque ergo humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic eſt major in Regno Cœlorum*; ergo ſecundum diverſos gradus humilitatis eſt diverſus gradus exaltationis apud Dominum; *qui enim ſe humiliat, exaltabitur*. Lucæ 14.v.11. Ergo qui magis, magis, quod notat prædicta auctoritas Matth. 18. (13)

Explicit Liber Quartus.

VENE-

(13) Qui plura volet, quæ ad hanc rem de præmiorum inæqualitate pertineant, ex Patribus hauſta, conſulat Dionyſium Petavium *Lib.* VII. *Caput* X. *Tom.* I. *Theologicorum Dogmat.*

VENERABILIS PATRIS

MONETÆ CREMONENSIS

ORDINIS PRÆDICATORUM

SUMMÆ

ADVERSUS CATHAROS, ET VALDENSES

LIBER QUINTUS.

PErtractatis quatuor particulis hujus operis accedamus ad quintam, & ultimam. Hæc autem pars in plura dividitur capitula. Primum est, de Ecclesia Catholica, quæ sit. Secundum est, quando cœperit in Mundo isto. Tertium, an postquam cœperit desierit esse, & probatur esse perpetua. Quartum est, de perpetuitate animarum humanarum, a qua dependet perpetuitas Ecclesiæ. Quintum est, de Prælatis Ecclesiæ, an in Ecclesia possint esse mali Prælati, & an possint ministrare Sacramenta, & prædicare, & an eis sit obediendum, & de excommunicatione, quam faciunt Prælati Ecclesiæ Romanæ, an licita sit. Sextum est, an possit facere Constitutiones novas. Septimum est, an possit possidere divitas. Octavum est, de domo materiali, & de figuris, & de imaginibus Ecclesiæ, & præcipue de Cruce, an licitum sit eis uti, & facere in Ecclesia, & de officio Ecclesiæ, tonsura capitis, & rasura, & thurificatione. Nonum est, de hoc mandato: Non assumes nomen Dei tui in vanum. Decimum est, de isto mandato: Memento ut diem Sabbati sanctifices. Undecimum est, de novitate mundi, quæ ex illo mandato intelligitur. Duodecimum est de isto mandato: Honora partem tuum. Tertiumdecimum est de hoc: Non occides, Quartumdecimum est de isto mandato: Non furtum facies. Quintumdecimum est, de fine mandatorum Dei, idest de vita æterna, an sit communis omnibus ex Dei intentione, sicut & ipsa mandata omnibus communiter sunt imposita. Sunt enim quidam, qui de prædestinatione male sentientes quosdam homines a Deo creatos dicunt impossibile fore salvari, quosdam vero de necessitate salvandos.

CAP. I.

De Ecclesia Catholica quæ sit?



CIRCA primum (1) Capitulum sciendum est, quod duplex Ecclesia invenitur in mundo isto, secundum attestationem Scripturarum, una est Ecclesia Sanctorum, de qua legitur in Psalmo 149. v. 1. *Cantate Domino canticum novum laus ejus in Ecclesia Sanctorum*. Secunda est Ecclesia Malignantium, de qua legitur Spiritum Sanctum per David dixisse in Psalmo 25. v. 5. *Odivi Ecclesiam malignantium*; & cum radix Ecclesiæ sanctæ fides sit, unde Rom. 1. v. 17. *justus autem ex fide vivit*, sicut & arbor ex radice: ipsa est fundamentum ædificii spiritualis; unde Hebr. 11. v. 1. dicitur quod *fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium*, propter hoc dicitur 1. Cor. 3. v. 11. *fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus*, idest fides ejus, propter quam Christus habitat in cordibns fidelium, ut dicitur Ephes. 3. v. 17. solet autem quærere hereticus, quæ sit Dei Ecclesia.

Ad quod dicendum, quoniam hæreticus primo debuisset quærere, quid sit Ecclesia (2). Quam quæ-

(1) Negari nequit, quin *Ecclesiæ* nomen varias habeat in Scriptura significationes. Cum enim Ecclesia ἐκκλησία ἀπὸ τοῦ ἐκκαλεῖν *ab evocando* dicatur, ut colligitur cum ex aliis pluribus tum ex Cyrillo Hierosolymitano *Catech.* XVIII. quivis conventus Ecclesia appellari potest. Nil ergo mirum si in Sacris Litteris improborum hominum conventus Ecclesia, & Ecclesia quoque concio seu convocatio Sanctorum dici consuescat. Quin etiam conciones populi, Senatus &c. ab Ethnicis ἐκκλησίαι dicebantur. Suidas ad v. Ἐκκλησίαν, inquit, συναγαγὴν ὄχλου· ἀριστοφάνης πλούτῳ. ἐκκλησία δ' οὐχὶ διὰ τοῦτον γίνεται; *Concionem turbæ congregationem. Aristophanes in Pluto.* v. 21. *Concio vero nonne propter hunc habetur?* Verum quæ significatio addita ab Christianis huic voci fuerit, mox videbimus.

(2) Sapienter id quidem. Nam a difinitione rei, ut Plato, Aristoteles, atque Cicero præscribunt, ducendum disputationis cujusque exordium est.

quæstionem determinantes dico, quod Ecclesia est congregatio (3) fidelium; hæc autem est illa Ecclesia, quæ dicitur Ecclesia Romana, quidquid ejus æmuli fabulentur. Quod autem ita sit, evidens est per examen fidei ejus, ab illa enim incipiendum est, ipsa enim præcedit opera bona, unde examen fidei præcedit examen operum, sicut enim essentia Ecclesiæ incipit a fide, ut præostensum est, & a fide venit in opera fidei consona, ita etiam prima cognitio Ecclesiæ ex fide est; per illam enim primo cognoscitur, & distinguitur ab Ecclesia malignantium; (4) unde ad Gal. 3. ver. 7. *Cognoscite ergo quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ*. Joan. 1. ver. 12. *Dedit potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus*, fides ergo filios Dei facit, mundat enim corda: Act. 15. v. 9. *Fide purificans corda eorum*; operatur justitiam, idest opera justa. Unde Hebr. 11. v. 33. dicitur de quibusdam, quod *per fidem operati sunt justitiam*, vitam confert, perducendo ad gloriam æternæ felicitatis. Unde Jo: 3. v. 16. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam*. Operatur ergo fides in nobis munditiam, justitiam, & gloriam. Munditiam, qua reducimur; justitiam, qua deducimur; gloriam, ad quam perducimur. Reducimur autem de invio ad viam; deducimur de virtute in virtutem; perducimur autem de exilio ad patriam.

Item quod fides examinanda est, sic ostendit B. Petrus 3. cap. Epist. v. 15. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est spe*; & quia fides sine operibus non sufficit ad salutem, ideo secunda examinatio Ecclesiæ est de operibus, & secundario ex operibus cognoscitur. Cum ergo fides Ecclesiæ Romanæ testificata sit a lege, & prophetis, ut patet in singulis articulis, de quibus actum est in præcedentibus quatuor particulis; Fides autem tua o Cathare non solum non sit testificata ab eis, imo & eis contraria, palam est, quod Ecclesia Romana est Ecclesia Dei, quæ fidem habet, & opera bona, in quibus duobus consistit Ecclesia.

Objicit Hæreticus dicens, arbor ex fructibus cognoscitur, ut habetur Math. 7. v. 17. & 18. fructus autem Romanæ (5) Ecclesiæ malus est; ergo Romana Ecclesia mala est.

Solutio: hæc est falsa, fructus Romanæ Ecclesiæ malus est, imo dico quod bonus est, & ejus opera bona sunt; aliqui tamen sunt in Ecclesia (6), quorum fructus malus, quia male operantur, sed illi non sunt in Ecclesia, vel de ea opere, sed sola fide.

Contra hoc objiciet hæreticus illud quod Christus ait Joan. 14. v. 12. *Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, opera, quæ ego facio & ipse faciet*, sed tales non faciunt opera Christi, ergo non credunt in Christum, ergo non habent fidem Christi (7).

Solutio est: Invenio quod Scriptura mentionem facit de duplici fide, scilicet de fide otiosa, quæ non habet opera, & de fide operante per dilectionem. Gal. 5. de ista intellexit Christus cum dicit Joan. 14. *Qui credit in me &c.* Ex hoc autem non sequitur, ergo qui non facit opera Christi non habet fidem, sed dicendum, ergo non habet fidem per dilectionem operantem, habet tamen fidem, sicut otiosam: ista fide creditur Christus, idest creditur, quod verum sit, quod a Christo dictum est, prima vero

(3) Nam in novo Testamento nusquam, nisi eorum qui fidem nostram colunt, congregatio Ecclesia appellatur. Vide Melchiorem Canum *Lib.* IV. *de Locis Theolog. cap.* II. Ita fit ut Christiani nullam aliam hominum societatem, quam eam quæ Jesu Servatoris fidem colit, Ecclesiam umquam appellarint. Non nego fuisse aliquos, qui minus proprie Hæreticos, & Catholicos simul Ecclesiam constituere existimarint, velut Critopulum *In Confess. Fidei cap.* VII. verum horum ceteris non fuit probata sententia. Adi-sis Clementem Alexandrinum *lib.* VIII. *Stromat. Edit. Paris pag.* 765. *Basilium Magnum Epist.* CCCXCIII. Jobium Monachum apud Photium *In Biblioth. Cod.* CXXII. Cyrillum Alexandr. ad *cap.* XLII. *Isaiæ pag.* 544. Theodoritum *In Psalm.* XL. ubi hæc *habet*: *Nec Dei Ecclesia ex hominibus perfectis tota constat, sed habet etiam ignavos, & qui remissam amplectuntur vitam, quique voluptatibus serviunt*. Mitto Augustinum, Hieronymum, Optatum, alios denique omnes, qui in eamdem conspirant sententiam.

(4) Adposite Clemens Alexandrinus *Lib.* VII. *Stromateon Edit. Paris. pag.* 765. *In unius*, inquit, *naturæ sortem cooptatur Ecclesia, quæ est una, quam conantur hæreses in multas discindere. Et substantia ergo, & cogitatione, & principio, & excellentia, solam esse dicimus antiquam, & Catholicam Ecclesiam in unitate unius fidei, quæ est ex propriis testamentis, vel potius ex testamento, quod est unum diversis temporibus &c.* Consule Basilium Magnum *Epist.* CCCXCIV. & Chrysostomum *Homil.* I. *in* I. *Epist. ad Corinth.* Non autem fidem internam solum, sed opera quoque externa, quæ interiori fidei respondeant, requirit noster: Ac merito ille quidem. Cum *visibilis* Ecclesia *visibilia* indicia, quibus dignoscatur, necesse est habeat. Fides porro hæreticorum, satis non est, ut veram constituere possit Ecclesiam. Nam etsi fidem exterius profiteantur, non integram tamen, neque solido fundamento subnixam, seu ut noster dicit aliquanto interius, *testificatam a lege, & Prophetis*. Itaque externa, quam adhibent fidei professio, non est veræ Ecclesiæ nota: Eam namque postulamus fidei professionem, quæ nullum complectatur errorem, atque omnes, quotquot sunt, excludat. Sed Novatores eam fidem satis esse putant, quæ præcipuas contineat veritates. Vehementer autem inter se dissentiunt in designandis articulis, quos fundamentales vocant. Atque ita quidem Jurius hæreticus, quem Theologi nostri merito exagitant, *In Tractat. de Unitate Ecclesiæ Edit. Roterod. ann.* 1688.

(5) Vetus hæc calumnia hæreticorum est. Nam Manichæi Catharorum Magistri hoc idem Ecclesiæ Catholicæ exprobraverunt. Ut autem fructus nostræ Ecclesiæ malos esse ostenderent, hypocrisim ei, superstitionem, luxuriam, aliaque generis ejusdem vitia illi objiciebant. Consule S. Augustinum *lib. de Moribus Ecclesiæ cap.* XXXIV. *col.* 531. *Tom.* I. *Opp. Edit. Antuerp. an.* 1700.

(6) Donatistæ negabant peccatores esse Ecclesiæ membra. Adi-sis Augustinum *lib. de Unitate Ecclesiæ cap.* XII. Idem placet Calvinianis hæreticis. *Calv. lib.* IV. *Institut. cap.* I. §. VII. Non excludit, neque exterminat ab Ecclesia Christianos fidei Catholicæ addictos, sed pravis moribus, Moneta: Nec injuria. Nam omnium Patrum, qui Scripturarum usi sunt auctoritate, concors hæc est, atque communis sententia. Augustinus *Lib.* III. *contra Litteras Petiliani cap.* XXXVII. *col.* 216. *Tom.* IX. *Opp. Edit. an.* 1700. *Si in Ecclesia vere mali sunt*, inquit, *quos accusatis, non jam in illa, sed in paleis ejus sunt: si autem boni sunt, cum eos iniquis criminaionibus infamatis, ipsi velut aurum probantur*. Theodoretus *in Ps.* XL. *Nec Dei*, inquit, *Ecclesia ex hominibus perfectis tota constat, sed habet etiam ignavos, & qui remissam amplectuntur vitam, quique voluptatibus serviunt*. Vide-sis Jacobum Benignum Bossuetium *in Conference avec Mr. Claude sur la matiere de l' Eglise pag.* 127. *seq. Tom.* I. *Opp. Edit. Venet.*

(7) Cum fidem se ipsa justificare hominem putent Calviniani, & Lutherani, eos qui improbi sint, fide carere fateantur necesse est. Verum nostri responsio, & Scriptura, & Patrum auctoritate probatur. Hinc *ad Galatas* v. 6. fidem ad justitiam conferendam opus habere charitate affirmat: tumque jam fidem ipsam fieri efficacem. Pulchre, & ad rem nostram apposite Theodoretus. *Quæst.* LXIII. *In Exod. pag.* 110. *Non sufficit*, inquit, *fides ad salutem, sed operibus indiget ad perfectionem*. Consulendus Gregorius Nazianzenus *Orat.* XXVIII. *pag.* 476. *Tom.* I. *Opp.* Falsus ergo fuit Eunomius, qui ut observat Gregorius Nissenus *Lib.* I. *contra Eun. pag.* 306. putavit: *μόνην ἀρκεῖν τῷ ἀνθρώπῳ τὴν αἱρετικὴν πίστιν πρὸς τελειότητα*. *Ad perfectionem sufficere homini solam hæreticam fidem*. Falsi quoque sunt juniores hæretici, qui fidem operibus destitutam, non esse veram, sed hypocriticam fidem; Hoc est simulatam fidem esse statuunt.

vero fide creditur Christus, & obeditur; sine causa enim non dixit: *Qui credit* mihi *opera quæ ego facio &c.* Sed dixit *qui credit in me*, hoc enim est credendo ire per viam Charitatis in obedientiam mandatorum ejus.

Item objicit dicens, cum fructus fidei Romanæ malus sit, fides ejus mala est.

Solutio: Malus fructus non est fructus Ecclesiæ Romanæ, sed cujus fructus sit dicit Apostolus Gal. 5. v. 19. ubi ait: *Manifesta autem sunt opera carnis*, idest carnalis voluptatis, *quæ sunt fornicatio &c.* quæ ibi ponuntur.

Præterea, aliquis plene in fide tua doctus malorum operum est, numquid illa opera fructus dices fidei tuæ quam habet? Non.

Objicit contra, & dicit: decem partes Ecclesiæ Romanæ malæ sunt, & etiam plures, potius ergo debet dici Ecclesia diaboli, quam Dei.

Ad hoc dico quod argumentatio illa non valet, quoniam illi, qui mali sunt non sunt partes Ecclesiæ quo ad hoc quod malorum operum sunt, sola enim fide de ista sunt, conversatione autem sunt extra Ecclesiam.

[*] Item fides Romanæ Ecclesiæ mortua est, ergo Ecclesia Romana mortua; ex fide enim mortua non est vita, si autem Ecclesia Romana mortua est, cum Ecclesia Dei viva sit, ipsa non est Dei Ecclesia.

Solutio. Prima falsa est, imo ejus fides viva est, licet in aliquibus sit mortua; sicut etiam tua fides in credentibus tuis mortuam esse diceres, licet in te diceres non esse mortuam, quod tamen falsum est [*].

Item objicit hæreticus malo Prælato, vel cuilibet alio malo Catholico, & insultans ei dicit illud Jacobi 2. v. 18. *Sed dicet quis: Ostende mihi fidem tuam ex operibus* (8), *& ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.*

Solutio: Talis homo tantum credens est, non operans secundum quod credit, iste ex operibus non potest fidem ostendere, sed Ecclesia potest hoc facere, quia habet alios non tantum credentes, sed etiam bene agentes. Idem possum opponere tibi de tuo credente, quod tu de meo opposuisti. Sciendum autem quod Jacobus monet fideles ad vitandum mala opera, & ad agendum bona, propter prædictam hæreticorum insultationem vitandam. Dico autem quod non cognoscitur fides esse vera, vel falsa ex operibus, duo enim sunt ejusdem fidei, quorum unus est bonorum operum, alter non, sed ex operibus cognoscitur mortua esse, vel viva (9); sicut corpus humanum cognoscitur mortuum esse vel vivum, ex eo quod agit, vel non agit; si enim fides bona opera facit, viva est; si non facit, mortua est. Quod autem ita sit patet ex verbis ipsius Jacobi, qui illam fidem appellat otiosam, quasi in otio, non in actione: dicitur etiam fides mortua per similitudinem aliam, quoniam sicut corpus sine vita sua, idest sine anima mortuum est, ita etiam fides mortua est sine vita, idest sine dilectione Dei, & Christi; talis autem est fides illius, qui non bene agit, sed otiosus existit 13. Joan. 3. v. 14. *Qui non diligit manet in morte*, ille autem non diligit qui non bene agit, unde Joan. 14. v. 23. dicit Christus: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*; Item ibidem v. 24. *Qui non diligit me sermones meos non servat*: est autem competens similitudo ista, quia sicut anima trahit corpus ad operationem, sine anima vero non trahitur ad illam operationem, ita dilectio Dei trahit fidem ad bona opera, sine dilectione vero Dei manet otiosa.

Item adhuc probare nititur hæreticus, quod Ecclesia Romana non sit Dei Ecclesia, per multas ejus consuetudines (10), quæ in Evangelio, vel in alio libro Novi Testamenti non sunt scriptæ, nec potest ostendi quod fuerint in Ecclesia primitiva.

Similiter & ego possum eis objicere de suis consuetudinibus: aliquas enim tales habent & in orando & in comedendo, & in abstinendo.

Præterea, si illæ non sunt consuetudines contrariæ mandatis Dei, quare illas vituperas tanquam malas? non sunt enim malæ, si non sunt divinis mandatis contrariæ; si autem malæ non sunt, vituperandæ non sunt, imo magis laudandæ, & Ecclesia de eis laudanda.

Præterea, nunquid Ecclesia potest constituere aliqua? Quod possit, inferius ostendetur.

Item, ad infamiam Ecclesiæ inducit illud Matt. 23. v. 24. de Pharisæis & Scribis Judæorum: *Alligant enim onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea movere*; dicunt enim, quod Sacerdotes Romanæ Ecclesiæ tales sunt.

Ad quod dico: quoniam si qui in Ecclesia Romana tales sunt, mali sunt, nec malos excuso, nec propter malos bonos arguere volo.

Præterea dic mihi hæretice, quare subticuisti verbum Domini, quod præcessit v. 2. & 3. *Locutus est Jesus ad turbas & ad discipulos suos dicens: Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia ergo quæcumque dixerint vobis servate, & facite, secundum vero opera eorum nolite facere.* Moyses Magister legis fuit, cathedra ergo Moysis magisterium ipsius est, scilicet lex ipsa, in qua teste Apostolo Rom. 2. v. 21. Judæi requiescebant; sic ergo hortatur Dominus populos, & discipulos suos, ut subjiciantur illis Doctoribus, attendendo non vitam, sed doctrinam ipsorum. Scribas & Pharisæos, & eis similes arguit Paulus Rom. 2. v. 21. *Qui prædicas*

[*] Quæ duobus asteriscis comprehensa sunt, desunt *Cod. Bononiensi*. Ceterum hoc argumenti genere utebantur olim Donatistæ, & utuntur etiamnum hæretici juniores.

(8) Negari nequit, quod opera fidem esse in homine charitate formatam indicent. Verum ex malis operibus concludere nemo potest interiisse in homine fidem, modo tamen is eam se profiteri dicat.

(9) Ita quidem Patres omnes explicant. Auctor Epistolæ ad Ephesios, quæ sancto Ignatio Martyri tribuitur: *Initium*, inquit, *vitæ fides est, perfectio vero charitas: hæc autem duo quoties in unam coeunt, Dei hominem perficiunt.* Paria habent ceteri, qui exploratam habuerunt Jacobi sententiam.

(10) Romanæ Ecclesiæ consuetudines alias esse Ecclesiæ universæ communes, alias ipsi particulares sapienter observat Melchior Canus *Lib.* VI. *de loc. Theol. cap.* VII. *resp. ad extrem. arg.* Primas autem accepit ab Apostolis traditione quadam, ut præclare animadvertit S. Augustinus *in Ep. ad Januar. olim* CXVIII. consule *Innocentii* I. *Epist. ad Decentium*. Posteriores autem vel a Petro habet, vel ipsa recte instituit, quamvis non æque curarit, ut in orbem universum promulgarentur, quocirca nec ab omnibus servari oporrere docent Augustinus *Ep.* LXXXVI. *ad Casulanum, &* CXVIII. *&* CXIX. *ad Januarium*, & Nicolaus Papa XII. *Dist. cap. scit.*

cas non furandum &c. Ergo si nostri tales sunt, quales illi fuerunt, ut dixisti, subjiciaris Sacerdotibus Ecclesiæ Romanæ, servando corde, & faciendo opere quod illi dicunt, non faciendo tamen quod illi faciunt, quod quia non facis, transgressor esse convinceris.

Si autem dicat hæreticus, numquid Christus suadebat eis, ut mandata legis Moysis servarent, & facerent secundum quod dicebant Scribæ & Pharisæi?

Dico quod sic; nondum enim cessaverat lex, donec Christus se obtulit in Cruce, de cujus cessatione, & tempore, & causa cessationis habetur in quarta parte hujus operis in cap. de Lege.

Præterea: nonne vides, quod Dominus dixit, *super Cathedram Moysis* &c. quod verbum ideo præmisit, ut ostenderet eos tunc audiendos in his, quæ ad doctrinam legis Mosaicæ pertinebant, non in suis propriis traditionibus, quas addiderunt contra legem, ut patet Matth. 15. v. 16. *Irritum fecistis &c.* Nonne etiam vides, quod ex illo verbo conclusit tanquam a causa, *omnia ergo &c.* & ne istud *omnia* particulariter, & non universaliter sumi dicas, subdit *quæcumque dixerint &c.*

Inducunt etiam illud contra Ecclesiam, quod Dominus dixit Scribis, & Pharisæis Mat. 23. v. 13. *Væ autem vobis Scribæ & Pharisæi hyppocritæ, quia clauditis regnum Cœlorum ante homines, vos autem non intratis, nec introeuntes sinitis intrare*, dicunt enim, quod nos sumus similes illis, quia nec intramus regnum Cœlorum, idest in Ecclesiam Dei per fidem, nec volentes intrare sinimus introire.

Sed miser hæreticus in his falsum locutus est triplex, quorum nullum testimonio probare potest. Primo, quia dixit, quoniam nos claudimus regnum Cœlorum ante homines; secundum, quia dixit, quod non intramus regnum Cœlorum, idest Ecclesiam Dei per fidem; hoc autem dixit, quia nos non intramus eorum Congregationem, quam dicunt regnum Cœlorum, quod quidem verum est, scilicet quod eam non intramus, falsum est autem quod illa sit regnum Cœlorum, vel Dei Ecclesia, imo Synagoga satanæ; tertium, quia dixit quod volentes intrare non sinamus.

Sed ipse hæreticus quod ei convenit, & quod facit, Ecclesiæ Dei, id est nobis, attribuit. Primo Lucæ 11. v. 12. ait: *Væ vobis legis peritis, quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introibant prohibuistis*; ergo clavis ista ad scientiam, idest ad fidem Christi habebatur ab eis; tu autem dicis me successorem eorum; ergo habeo clavem scientiæ, idest fidem, sed sola Ecclesia habet clavem; ergo ego sum in Ecclesia Christi, & tu non; ista autem auctoritas Lucæ determinata est supra in quarta parte in cap. de lege.

Illud etiam objiciunt, quod Dominus dicit Matth. 23. v. 29. usque ad 33. Scribis, & Pharisæis: *Væ vobis qui ædificatis sepulchra Pharisæorum, & ornatis monumenta justorum, & dicitis, si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine Prophetarum, itaque testimonio estis vobis metipsis, quia filii estis eorum, qui prophetas occiderunt, & vos implete mensuram patrum vestrorum, serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ?* Vult autem dicere Christus, quod sicuti ipsi erant filii homicidarum naturaliter ut testabantur, ita etiam per imitationem, quoniam patres prophetarum occiderunt, ut & ipsi ædificantes, & ornantes eorum sepulchra, & maleficia patrum culpantes, mensuram patrum impleverint, quia Dominum Jesum, & ejus Apostolos occiderunt; per hoc enim quod dicit eis *implete* &c. non jubet ut faciant, sed prædicit, quid facturi erant, cum dicit, implebitis; & ponitur imperativum verbum pro indicativo: dicunt autem quod Sacerdotes Ecclesiæ Romanæ, quos etiam Pharisæos modernos appellant, eadem ira accensi, operibus illorum homicidarum consentiunt, dicentes, quod Pharisæi Judæorum, quos patres Sacerdotum nostrorum dicunt, Apostolos occiderunt, & Sanctorum Ecclesiam primitivam persecuti sunt, nostri autem Sacerdotes sepulchra eorum ædificant, & ornant, & desuper altaria construunt: eadem etiam ira accensi mensuram illorum Pharisæorum implent, occidendo, persequendo eorum Ecclesiam.

Solutio: In verbis prædictis multa falsa locutus est hæreticus; unum est, quia dicit, quod Sacerdotes nostri eadem ira accensi sunt, qua & Pharisæi, imo justitia armati contra hæreticam pravitatem; ut patebit in cap. de isto mandato, *Non occides*. Secundum falsum est, quod nos illorum Judæorum operibus, qui prophetas occiderunt consentiamus, hoc enim probare non possunt: quod autem ædificemus sepulchra Sanctorum, & ornemus, & desuper altaria faciamus: istud non negamus, verum enim est in aliquibus locis; etiam bonum est quod facimus, non contra Evangelium; nec de isto opere arguuntur, nec de decimis, vel primitiis, imo dicit Christus, quod hæc oportuit facere, & illa non omittere; unde & mentiris in sequenti articulo, dum eos a Christo de illis asseris redargutos. Quod autem subjungit, falsum est, scilicet quod eadem ira accensi, mensuram illorum Pharisæorum impleamus occidendo, & persequendo; ipsi enim non sunt Dei Ecclesia, nec Apostolorum, & Martyrum Christi successores, imo eorum & Christi doctrinæ contrarii. Extrinsecus quidem induti vestibus ovium, scilicet jejuniis, & orationibus, & aliis hujusmodi, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. *Intrinsecus* autem dicit, quia licet exteriori conversatione oves se simulent, tamen interiori voluntate sunt lupi omnium devoratores. Quod autem doctrinæ Christi & Apostolorum sint contrarii patet ex præcedentibus, ubi ostensum est, quod secundum fidem quam habent, contrarii sunt articulis rectæ, & sanæ fidei.

Item dicit hæreticus, quod Romana Ecclesia dicitur bona, & non facit; & si bona aliqua facit, ideo facit, ut ab hominibus videatur, unde ornat altare non retro ubi non videatur ab hominibus, sed ante, & a lateribus, & longis orationibus utitur, ut bona capiat viduarum, & decimas: & primitias oleorum, & animalium a principio exigit; de quibus omnibus Christus Scribas, & Pharisæos arguit dure Matth. 24.

Solutio: Ecclesia Romana, bona dicitur, & facit,

git, ornatque altare non ut tantum videatur ab hominibus, sed ut illud impleatur, *luceat lux vestra coram hominibus*, *ut videant opera vestra bona*, *& glorificent patrem vestrum qui in cælis est*. Nec utitur longis orationibus, ut bona hominum rapiat, & si aliquis in ea hoc facit, de Ecclesia quidem est fide, non opere, male enim facit, nec enim prohibitum est multa loqui in oratione sed sicut Ethnici faciunt, qui dant operam magis excitandæ linguæ, quam menti mundandæ.

Item, confidebant in verborum multitudine, non in mentis puritate; legitur enim Dominum in oratione pernoctasse, & in passione prolixius orasse.

Item Paulus: *Sine intermissione orate*; nec est verum, quod Dominus arguat eos de omnibus illis, ut prædiximus.

Item hæreticus dicit: si caput bonum esset, mirum esset quomodo tam mala haberet membra. quod ad præsens non solvimus, dimittentes id usque ad caput de Prælatis Ecclesiæ.

Item dicit, quod Ecclesia Dei in mundo isto passura sit persecutionem, non factura aliis: Ecclesia autem Romana facit aliis persecutionem, & manet a persecutoribus libera. Hujus quoque solutionem differrimus usque ad caput de isto mandato: *Non occides*.

Item objicit hæreticus: Ecclesia Christi imminentibus tribulationibus sæpe esuriebat, & sitiebat, colaphis, & verberibus cædebatur, & facta instabilis suis manibus laborabat, aliena non appetens, propria libenter Christi pauperibus erogabat, ita quod nec quisquam egens erat inter eos, maledicebatur, & benedicebat; unde 1. Cor. 4. v. 11. *usque in hanc horam & esurimus*, *& sitimus*, *& nudi sumus*, *& colaphis cædimur &c. & benedicimus*; non ita autem Romana Ecclesia se habet: Romana enim Ecclesia in divitiis multis est, & in deliciis, induta purpura, (11) & bysso, & epulatur quotidie splendide, & secura, & stabilis in hoc mundo, non laborat manibus suis, sed ipsa lasciva, & otiosa devorat aliorum labores, ab aliis benedicitur, & maledicit.

Solutio: Dicimus quod Romana Ecclesia imminentibus tribulationibus alicubi esurit, & sitit, colaphis, & verberibus cæditur, & instabilis est, & laborat manibus suis in aliquibus membris suis. Romani non omnes manibus suis laborabant, imo carnalia metebant ab his, quibus spiritualia seminabant. Si qui autem otiose, & lascive in ea vivunt, non defendo illos. Si autem dicis, quod nec quisquam egens erat inter illos, verum est: quoniam pauci erant, & tempore aliquo. Alioquin quomodo dicit Apostolus *usque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus*. Quod autem Ecclesia Dei malediceret, inferius patebit, quando agemus de excommunicatione, capite de Prælat.

Item, quod possit habere divitias, istud determinabitur in capi an Ecclesia possit habere divitias. Quod autem dicit hæreticus, quod Ecclesia Romana in alienis laboribus gloriatur, & in redditibus mortuorum, non obstat; ait enim Christus discipulis: *Alii laboraverunt*, *& vos in labores eorum introistis*.

Præterea, nunquid dices: Apostolos in alienis laboribus gloriari, dum metebant carnalia ab his, quibus spiritualia seminabant? Non. Similiter dico quod Ecclesia Romana se habet.

Præterea; nonne tua Synagoga legata recipit mortuorum? Nonne aliquoties, cum aliquis moritur, recepta manus impositione a te, legat Ecclesiæ tuæ tantum vel tantum; & alii totidem aut plus, vel minus?

Item dicunt: Ecclesia Christi contemnebatur, & blasphemabatur a mundo, e converso Ecclesia Romana a mundo honoratur.

Solutio: Immo a mundo, & infidelibus, & Tyrannis, & hæreticis contemnitur, & vituperatur. Si autem honoratur ab aliquibus mundanis, illi Christiani sunt saltem fide, licet non opere. Præterea, non ne dicit Apostolus 1. Tim. 3., de Episcopo, *oportet autem illum testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt?*

(12) Item dicunt: quod Ecclesia Christi prius docebat, quam baptizaret aliquem, sicut habetur Matth. 28. v. 19. *Euntes docete omnes gentes baptizantes &c.* Ecclesia Romana prius baptizat, quam doceat, ut patet in parvulis. Præterea, numquam invenitur, quod Christus, & ejus discipuli baptizarent aliquem carentem fide, & rationis usu, Ecclesia vero Romana hoc facit.

Solutio ad primum; quod Ecclesia Romana prius docet, quam baptizet adultos, de illis enim loquebatur Christus Jesus dicens 28. Matth. *Euntes &c.* Addo, quod non omnia, quæ fecit, aut discipuli ejus, in Scripturis reperiuntur; dicit enim Johannes in fine Evangelii sui: *Sunt & alia multa*, *quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula*, *nec ipsum arbitror mundum capere eos*, *qui scribendi sunt*, *libros*.

Præterea, nonne Dominus imponebat manus parvulis, & benedicebat eis? Utique, ut habetur Matth. 19. & Marci 10. & quod loquebatur de parvulis materialibus patet in capite de Baptismo, & quarta parte hujus operis super illud verbum Lucæ 18. v. 15. *Afferebant ad illum &c.* Nonne tu dicis, quod manus impositio Baptismus verus est, & non Baptismus aquæ materialis? Utique dicis, quamvis male dicas. Dominus ergo baptizabat parvulos secundum te, & tamen non habent usum rationis, quare ergo inde arguis Ecclesiam Romanam? Nonne etiam mentitus es dicens: quod Christus neminem talium invenitur baptizasse, cum inveniatur manus eis imposuisse: si manus impositio Baptismus est, (13) ut dicis?

Præterea, nonne & tu doctrinæ Christi contrarius es,

(11) Hoc idem objiciunt Romanæ Ecclesia hæretici juniores; iique præsertim, qui commentarios in jus Canonicum ediderunt, ut missos faciam Lutherum, Calvinum, Zuinglium, qui multis potestatem Romanæ Ecclesiæ, atque opes impudentissime reprobarunt. Vide, si licet, Casparis Ziegleri *Differt. de juris Canonici Origine pag. 26. 27. Edit. an. 1669.*, *& Instit. Juris Canonici Justi Henningis Bohemeri*.

(12) Nil mirum hæc opponi a Valdensibus. Erant enim Anabaptistæ, Catharis namque accessere, qui infantes baptizari non oportere censebant. Vide *not. in lib.* IV. *Hujusce Op. Cap.* I. §. IV. Non discrepabant Petrobrusiani, Henriciani, Pseudo apostolici, quorum errorem sequuntur hac ætate Anabaptistæ juniores.

(13) Catharum hoc loco, non Valdensem insectatur. Nam Cathari fuerunt, qui manuum impositionem Baptismum esse verum pugnabant.

es, qui imponebat manus infantibus, tu autem non imponis, immo damnatos esse dicis, & perditos, si ante annos discretionis decedunt.

Præterea: pluries invenitur, quod aliquis baptizatus est, & domus ejus tota, ut patet Actor. 16. de Custode carceris, qui baptizatus est cum tota domo sua.

Item 1. Corinth. 1. v. 16. *Baptizavi autem & Stephanæ domum*, verisimile enim est, quod in domo idest familia istorum, & similium essent parvuli, & dicitur quod tota domus ejus baptizata est; quare ergo negas pueros baptizandos?

Item, quod Ecclesia Romana non sit Dei Ecclesia, probare nituntur per viduam, de qua dicitur 1. Tim. 5. v. 9. *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum &c.* hanc enim debet habere Dei Ecclesia, sed Romana Ecclesia eam non habet. (14)

Solutio: Hanc potest habere Ecclesia ad curam aliarum, sed sine hac potest Dei esse Ecclesia; nonne moritur aliqua vidua tua, antequam aliam ordines? ergo tua congregatio non est Dei Ecclesia, si sine tali esse non potest; constat ergo, quod licet, & potest esse, quod Ecclesia Dei sine tali vidua sit; nec est præceptum, sed consilium tantum quod ibi dicit Apostolus de Vidua eligenda; quid enim obstaret, si virgo esset, & numquam virum, aut filios habuisset, dummodo prudentior, & sanctior esset, vel æque sancta, & quinquaginta novem annorum esset?

Præterea: dic mihi, de quibus annis loquitur, nunquid de annis istis transitoriis? Si hoc esset; Contra: Ad hoc ut Ecclesia Dei sit, oportet quod viduam talem habeat; ad hoc autem ut talis sit, necesse est quod adminus sit tot annorum; ergo anni faciunt, adesse Ecclesiam Dei, quomodo ergo audes dicere quod sit a diabolo? de illo enim intelligis illud Genes. 1. v. 16. & 17. *Fecit Deus duo luminaria, luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti, & stellas, & posuit eas in firmamento?* Prius autem dixerat de istis: quod sint *in signa & tempora, & dies, & annos.*

Præterea, nonne dicitur: *Vidua eligatur*: si necesse est, quod sit vidua, modo quæro; qua viduitate, materiali vel Spirituali? si materiali, bona est ergo talis viduitas materialis, per quam ipsa vidua digna est eligi (15) & sine qua non potest eligi. Si spiritualis, quomodo ergo dicitur non minus sexaginta annorum?

Præterea, vidua dicitur a viro separata per mortem viri. Si a viro materiali, ergo non intelligitur de viduitate spirituali: Si a viro spirituali; Quis est ille vir? Si Prælatus, quid erit si non est separata a Prælato? Quia Prælatus non est mortuus spiritualiter, idest per peccatum; nec corporaliter. Si autem vir ille diabolus est: quomodo ergo intelligitur, quod fuerit unius viri uxor. Nunquid unius diaboli? Si hoc: ergo non posset eligi nisi fuisset uxor unius diaboli: Quod si duorum vel trium, ex quo sancta est modo? Si intelligitur de materiali viro, ergo matrimonium carnale facit ad hoc, ut vidua sit talis, quæ possit eligi in Ecclesia Dei, ergo bonum est, cum sit necessarium Ecclesiæ, quia necessarium est viduæ eligendæ, & ejus fructus. Unde dicit Apostolus: *Si filios educavit*; Istud enim de spiritualibus non potest intelligi, quia fœminæ non est concessum dominari in virum, ut habetur 1. Timoth. 2. v. 12. Si autem id intelligitur de viro spirituali; Contra: Ubi habes, quod Prælatus sit vir Ecclesiæ?

Præterea quid si habuisset duos Prælatos? Nunquid non potest eligi?

Item dixit hæreticus: quod Ecclesia Dei non occidebat, non jurabat, Ecclesia autem Romana hoc facit. Ad quod patebit responsio, quoniam sicut aliqui tunc non occidebant, ita etiam nec modo aliqui occidunt in Ecclesia Romana, nec licet eis.

Præterea, proba quod dixisti, quod Ecclesia Dei nunquam occiderit, vel juraverit; nunquid omnes nosti, qui fuerunt in Ecclesia primitiva; posito autem quod nulli tales fuerunt, potuerunt tamen esse licite aliqui tales, ut inferius ostendetur cum de occisione agetur.

Dixit etiam hæreticus, quod filii Ecclesiæ Romanæ rapiunt, & furantur contra Dei mandatum.

Solutio: Non sunt hi filii Romanæ Ecclesiæ, nec de Ecclesia in quantum hoc faciunt; intus quidem sunt aliqui tales fide sola, extra vero sunt operatione perversa.

Præterea, immo tu furaris, qui furtum recipis scienter, & rapinas, ut ostendetur in capite de hoc mandato: *Non furtum facies.*

Item objiciunt: quia in Ecclesia Romana multi sunt egentes, qui fame, siti, & frigore quasi moriuntur, quibus divites Ecclesiæ Romanæ, non compatiuntur, sed afflere, sed affligi prædictis (16) passionibus sinunt; quomodo ergo Charitas Dei manet in eis? nullomodo, ut etiam dicitur 1. Jo. 3. v. 17. *Qui habuerit substantiam hujus mundi &c.* Si autem Charitas Dei non manet in eis, quomodo Ecclesia Dei sunt?

Solutio: Si qui tales sunt in Ecclesia, imo qui tales sunt, nec Ecclesia Romana sunt, nec de Ecclesia ipsa, nisi sola fide; sunt autem in ea aliqui, qui sua libenter pauperibus erogant, & operibus misericordiæ se & sua exponunt.

(17) Item objicit hæreticus, quod Ecclesia Roma-

(14) Hinc patet Catharos viduas habuisse, quæ rebus Sacris sese miscerent. Fortasse eædem ipsæ erant Catharæ, quæ si aberat Episcopus, aut filius major &c. manus imponebant, dabantque pœnitentiam, cujus rei meminit Reinerus Sachonus *In summa de Catharis.*

(15) De viduis nullum exstat in Scriptura præceptum: ceterum etsi primis Ecclesiæ temporibus fuerint in Ecclesia, progressione temporis sublatæ sunt, quod forte ad utilitatem Reipublicæ Christianæ non conduceret, ut essent, quæ jam longe ab instituto suo deflexerant. At Virginum, viduarumque castitatem profitentium, degentiumque in Monasteriis magnus est, ut nemo ignorat, in Ecclesia numerus. Vide quæ habet Binghamus *lib.* II. *de Origin. Eccles. Cap.* XXII. *de Diaconis.*

(16) Mirum! Catharus hæc opponit Ecclesiæ Romanæ, qui etsi famem pati suum fratrem cerneret, eleemosynam tamen ei non largiebatur. Videsis Reinerum Sachonum In *Summ. De Cathar. Tom.* V. *Thesauri Anecdotor. Martenii.*

(17) Sumpserunt hoc a Manichæis Cathari. Illi namque gloriabantur, quod exiguo essent numero. Augustinus Contra *Lib.* XIII. *Cap.* XIII. *col.* 185. *Edit. an.* 1700. *Nec illi*, inquit, *audiantur, qui sub nomine quasi secretæ, & Apocryphæ veritatis, & hominum paucitatis dicunt: Ecce in cubiculis, ecce in deserto, &c.*

Fre-

mana multiplicata eſt, & dilatata per orbem; e contrario Eccleſia Dei pauca eſt. Matth. 7. v. 14. *Arcta via* eſt, *quæ ducit ad vitam &c.*

Solutio: Immo Eccleſia Dei (18) multa eſt, unde cum Johan. in Apocalyp. 7. v. 4. dixiſſet: *In omni tribu filiorum Iſrael tantum quadraginta quatuor millia ſignati*; ſubdit Apoſtolus v. 9. *Poſt hæc vidi turbam magnam &c.* Quod cum tibi non conveniat, conſtat, quod tu non es Dei Eccleſia: dicuntur tamen qui ſalvantur pauci, comparatione eorum qui damnabuntur, cum tamen multi ſint in ſe ipſis.

Præterea: ſi vos Cathari de paucitate gloriamini, pauciores vobis ſunt Leoniſtæ, (19) multo igitur magis poſſunt gloriari de paucitate, & jactare ſe eſſe Eccleſiam Dei; & ſi aliqui pauciores illis, ipſi iterum multo magis poterunt gloriari, quod minime concedendum eſt. Dico etiam, quod illi, qui in Eccleſia Romana ſunt fide, & opere, intrant per anguſtam portam, & incedunt arcta via; alii vero qui ſic non incedunt in ea, non ſalvantur.

Obijicit etiam hæreticus dicens: Eccleſia Chriſti dicitur hæreſis a principibus Sacerdotum, & Sacerdotibus, ut patet Actor. 24. ubi Paulus ait ad Felicem præſidem v. 14. *Confiteor autem hoc tibi, quod ſecundum ſectam, quam dicunt hæreſim, ſic deſervio Patri, & Deo meo &c.*

Item, ubique ei contradicitur, ut habetur Actor. 28. Eccleſia autem Romana Sancta, & Catholica dicitur ab hominibus hujus mundi, & ubique per mundum ei favetur.

Solutio: immo ubique ei contradicitur. Nonne a Judæis contradicitur ei? nonne a Paganis? nonne a falſis fratribus, de quibus tu es? & qui eam Sanctam, & Catholicam prædicant, valde pauci ſunt reſpectu eorum, qui contrarium aſſeverant; omnes enim prædicti eam hæreſim dicunt, quamvis falſum dicant.

Præterea, quod auctoritas Pauli, quam pro te induxiſti, contraria tibi ſit, patet ex verbis Pauli; cum enim dixiſſet: *Sic deſervio Deo Patri*, ſtatim expoſuit illud *ſic*, cum ait: *Credens omnibus, quæ in lege, & prophetis ſcripta ſunt*; tu autem non omnia credis, quæ in Scripturis ſunt.

Item ſubdit Apoſtolus: *Spem habens in Deum, quam & hi ipſi expectant reſurrectionem horum corporum*, qui reſurgunt, illam habebunt; ſed hanc ſpem tu non habes, Ergo tu de ſecta Pauli non es, quæ hæreſis dicebatur, ſed nos ejus ſecta ſumus, qui in omnibus, quæ in lege, & prophetis ſcripta ſunt credimus, & ſpem horum corporum, quod reſurgant, habemus.

Item objicit hæreticus dicens: In Eccleſia Chriſti (20) non fuerunt hi Ordines, ſcilicet Ordo Auguſtini, vel Benedicti; in Eccleſia vero Romana ſunt.

Item in Eccleſia Chriſti fuerunt tantum Epiſcopi, filii, & Sacerdotes, ſive Presbyteri, & Diaconi; non fuerunt ibi Archiepiſcopi, nec Primates, vel Cardinales, vel Archidiaconi, Acolythi, Exorciſtæ, Lectores, & Oſtiarii, vel Cantatores, vel Sacriſtæ.

Solutio: Nec etiam ordo Catharorum ibi fuit.

Præterea, poſito, (21) quod ibi non fuerint, quid nocet hoc, ſi contra Chriſti, vel Apoſtolorum ejus præceptum non eſt? ſi autem exiſtit contra, oſtende in quo; quod cum facere non poſſis, tace.

Ad aliud: quod nec ipſi poſſunt oſtendere, unde habent filium majorem, (22) vel minorem, niſi ex inſti-

Frequentius tamen Donatiſtæ hoc ſibi momentum magno eſſe præſidio contendebant. Sic enim ajebant. *Ideo juſti ſumus, quia pauci ſumus. In paucis frequenter eſt veritas, errare multorum eſt.* Conſule eumdem Auguſtinum *Lib.* III. *Contra Creſconium cap.* LXVI. *num.* 75. & *Lib.* IV. *Cap.* LIII. *num.* 63. Feſtive idem ipſe Auguſtinus *Lib.* II. *Opp. Imperfecti Cap.* III. *Nolite*, inquit, *de paucitate gloriari. Parricidæ & pauci, & peſſimi ſunt.*

(18) Cyrillus Hieroſolymitanus *Cathech.* XVIII. *Illuminat. Catholica*, inquit, *vocatur Eccleſia, quia per univerſum orbem terrarum diffuſa eſt a finibus terræ ad fines.* Conſule S. Irenæum *Lib.* I. *Cap.* III. *Contra Hæreſes.* Tertullianum *Lib. Contra Judæos Cap.* III. Cyprianum *Lib. De Unitate Eccleſiæ*, Athanaſium *Lib. De Humanitate Verbi.* Chryſoſtomum, & Hieronymum *in cap.* XXIV. *S.* Matthæi, & alios quos recenſet Bellarminus *Lib.* IV. *De Eccleſ. cap.* VII. *pag.* 87. *ſeq. Tom.* II. *Opp. Edit. an.* 1721.

(19) Nempe Valdenſ. Eodem autem argumento jugulat Catharos noſter, quo Donatiſtas Auguſtinus. Sic enim adverſus Creſconium intorquebat hoc e paucitate ſumtum documentum Maximianenſium comparatione, qui Rogatiſtis erant numero pauciores. *Noli ergo*, inquit, *in comparatione multitudinis gentium de veſtra paucitate gloriari, ſicut non vis, ut Maximianenſes in comparatione multitudinis veſtræ de ſua paucitate glorientur.*

(20) Mirum quam ſemper Monachis infenſi fuerint hæretici. Hem Tibi quæ habet Ruffinus *Lib.* XI. *Hiſt. cap.* III. De *Lucio Epiſcopo Arianorum.* „ Inde ad Monaſteria furoris ſui arma convertit, vaſtat eremum, & bella quieſcentibus inducit. Ter mille ſimul, aut eo amplius, viros per totam ſolitudinem ſecreta, & ſolitaria habitatione diſperſos oppugnare pariter aggreditur, &c. S. Hieronymus *in Chronico* tam infenſum Monachis fuiſſe Valentem Arianum Imperatorem, ait, ut lege lata, aut arma eos ſumere, aut fuſtibus cædi juſſerit. Conſule, quæ habet Johannes Chryſoſtomus in Opere *Adverſus Oppugnatores Vitæ Monaſticæ Tom.* I. *pag.* 44. *ſeqq. Edit. Paris.* Cadunt enim ea omnia in Valentis Ariani Imperatoris tempora, ut Sapienter animadvertit Clariſſimus Montfauconius *In Monito ad idem Opus pag.* 42. *ſeq.* Pari furore in Monachos concitati fuerunt Donatiſtæ, ut auctor eſt Auguſtinus *Lib.* III. *Adv. Petilianum Cap.* XL. *Tom.* IX. *Opp.* Ubi hæc habet: *Deinceps perrexit ore maledico in vituperationem Monaſteriorum, & Monachorum, arguens etiam me, quod hoc genus vitæ a me fuerit inſtitutum.* Non diſcrepabat Vigilantius, ut conſtat ex Hieronymo *Lib. Adv. Vigil. pag.* 288. *Tom.* IV. *Opp. Edit. Martian.* Nihil moror, quæ Iconomachi Conſtantino Copronymo imperante in Monachos moliti ſunt ſcelera. Hos auctores ſequuti ſunt Cathari, quod Religioſos Monachos ſuis erroribus adverſari experirentur. Catharis acceſſere Vviclefus, Martinus Lutherus, Magdeburgenſes Centuriatores, uno verbo, hæretici juniores fere omnes, quos memorat Bellarminus *Lib.* II. *De Monachis. Præfat. pag.* 169. *Tom.* II. *Opp. Edit. Venetæ an.* 1721.

(21) Sunt, qui Therapeutas Philoni memoratos *Lib. De Vita Contemplativa* Chriſtianos fuiſſe putent Euſebium *Lib.* II. *Hiſt. Eccl. Cap* XVII. Et Hieronymum *Lib. De Spiritualibus Eccleſiaſticis Cap.* XI. Auctores ſequuti. Vide Beveregium *Cod. Canon. Vind.* III. *Cap.* V. Montfauconium in *Diſquiſit. Gallica De Therapeutis*, quam adjunxit *Libro Philonis mox laudato.* Id ſi verum eſt, ſpecies quædam Monachorum I. Eccleſiæ ſeculo viguerit neceſſe eſt. Verum Scaliger *Lib.* VI. *De Emendat. Temporum*, & Valeſius in Notis ad *Lib.* II. *Cap.* XVII. *Hiſt.* Euſebii Therapeutas Chriſtianos fuiſſe negant. Etſi conſentiunt Samuel, & Jacobus Baſnagii *ille Tom.* I. *Lib.* II. *Annal. Eccleſ. Polit.* hic vero *Hiſtor. Judaic. Tom.* II. *Cap.* XXI. *ſeqq.* Utut ſit, negari non poteſt, jam inde ab initio Eccleſiæ fuiſſe inter Chriſtianos pleroſque homines contemplationi rerum cœleſtium, ſeverioriqụe diſciplinæ addictos, qui *Aſcetæ* appellarentur. Tum vero Monachi appellari cœperunt, cum ſolitudini ſeſe dedere, ſive eremiticam coluere rationem vivendi, ſive denique in Monaſteria a populi conſortio remota ſe recepere, quod factum eſt ſeculo IV. Eccleſiæ, ut oſtendit, poſt alios bene multos, Cl. Muratorius *Tom.* V. *Antiq. Italicarum Diſſert.* LXV. Nil ergo mirum ſi Johannes Chryſoſtomus *Homil.* XXV. *in Epiſt. ad Hebræos.* Οὐδὲ γὰρ, dicat, τότε μονάζοντος ἦν; *Neque enim tunc* (tempore Apoſtolorum) *vel veſtigium Monachi erat.*

(22) Filium majorem appellabant Cathari eum, qui ſecundus erat Epiſcopo dignitate; Filium autem minorem, qui tertius. Johannes

institutione sua; si autem nova instituerunt, quare arguunt Ecclesiam Romanam quia nova instituit? Similiter dico: quod Ecclesia Romana ex institutione propria habet diversas personas, & personarum diversa nomina secundum diversitatem officiorum in Ecclesia; nam & illi, (23) quos Cardinales dicunt, aut Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi sunt; Archiepiscopi (24) etiam & Primates, Episcopi sunt & Patriarchæ, sicut similiter & Archidiaconi Diaconi sunt; de nominibus non debet esse altercatio, quod enim sic nominentur prohibitum non invenitur, unde peccatum non est, quod sic dicantur. Illi autem gradus officiorum, qui non erant in Ecclesia primitiva, instituti sunt ab Ecclesia, quæ illi successit, & quod hoc possit, inferius ostendetur; ratio etiam institutionis horum habetur in quarta parte in cap. de Ordine.

Item objiciunt hæretici: quod unicus est salvationis modus, quoniam unica est via ad salvationem secundum Christum, qui Johan. 14. v. 6. dicit: *Ego sum via, & veritas, & vita, nemo venit ad Patrem nisi per me*; cum ergo via Ecclesiæ Romanæ (25) multiplex sit, alia enim est via Monachorum, & alia Canonicorum Regularium, & alia Clericorum aliorum. Item alia Fratrum Prædicatorum, alia Minorum; Ergo Ecclesia Romana non est de via salutis.

Solutio: Unica est via ad salutem, via scilicet principalis, & prima, idest Christus, sed in illa via sunt diversæ viæ, & diversæ semitæ, alioquin non dixisset David: *Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me*; postea petitionem suam impletam fore, ostendens ait: *Notas mihi fecisti vias vitæ*, idest Christi, qui ait: *Ego sum via, & veritas, & vita*. Nonne hoc dicit Apostolus 1. Corinth. 4. v. 17. *Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus & fidelis in Domino: qui vos commonefaciet vias meas, quæ sunt in Christo Jesu*; Ergo in via una quæ Christus est, idest Christi fides, sunt diversæ viæ, idest, diversi modi vivendi ad salutem sunt in una fide; falsum ergo locutus es dicens, quod unicus modus est salvationis.

Item, quod multæ viæ sunt, Isaiæ 55. v. 9. *Sicut exaltantur Cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris*.

Item Actor. 13. v. 10. dixit Paulus cuidam Mago: *O plene omni dolo & omni fallacia fili: diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas*. Apocal. 15. v. 3. *Justæ & veræ sunt viæ tuæ Rex seculorum*. Nonne & Dominus Matth. 13. ait de semine, quod cecidit in terram bonam, quoniam aliud fecit fructum centesimum, aliud sexagesimum, & aliud trigesimum, per hoc autem tres status salvandorum significantur in Ecclesia Dei per terram bonam significata, scilicet Conjugatæ, Viduæ, (26) & Virgines, de quibus ostendit Apostolus, quod sunt in statu salutis 1. Corinth. 7, ut ostensum est supra in quarta parte hujus operis in capite de Matrimonio.

Dicunt etiam, quod nullus salvatur nisi in doctrina Christi, quam Apostolus dedit. Quibus dicendum, quomodo ergo vos salvabimini? certum est enim, quod a vita Apostolica decidistis, non tantum a fide ut in præcedentibus partibus ostensum est. Nusquam enim invenitur in Novo Testamento, quod Apostoli essent negotiatores, & quod pergerent ad nundinas causa negotiationis terrenæ, & quod anhelarent pecuniam cumulandam, sicut vos facitis, quomodo ergo illorum viam tenetis?

Præterea, quis usquam in Novo Testamento legit, quod Apostoli proprium haberent, & simul viventes unusquisque partem suam poneret pro emendis necessariis ad vitam communitatis sustentandam? Nullus hoc legit. Quomodo ergo tu es in via Apostolorum?

Item

nes de Lugio Auctor Catharorum Albanensium, quos Lugienses vocabant, non Episcopus erat, sed Filius major hæreticorum, velut constat ex Rainero Sachono *In Summa De Catharis, & Valdensibus Tom.* v. *Thesauri Anecdot. Martenii*.

(23) Sapienter id quidem. Cardinalis enim is est olim appellatus, qui alicui Ecclesiæ, vel ædi Sacræ præfectus erat, ac veluti *incardinatus* munere Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi. Itaque Cardinalis erat is, quem hodie *ordinarium* Episcopum, Parochum aut Diaconum alicui Ecclesiæ mancipatum diceremus. Adeuntor Auctor *Tractat. Gallici de Origine Cardinalium*, & Thomasinus *De Benefic. Parte* I. *Lib.* II. *Cap.* 115.

(24) Sunt, qui Archiepiscoporum, & Primatum dignitatem ab Apostolica, etsi non divina, traditione repetant. Alii vero, quamvis fundamenta, ac veluti initia harum potestatum jacta fuisse primo Ecclesiæ seculo putent, negant tamen distinctionem tunc Metropoleon, & sedium primas obtinentium factam, demta una Romana, cui jure divino primatus obtigit. Priorem sententiam tuentur Jacobus Usserius *De Orig. Episcop. & Metropol.* Beveregius *Cod. Can. Vindic. Lib.* II. *Cap.* v. *num.* 12. Hammondus *Præfat. in Epist. Pauli ad Titum*. Atque ut ceteros missos faciam, Cl. Bacchinus in celebri Opere *De Hierarch. Eccles. Orig.* Sed horum, quos laudavi non idem est in re explicanda systema. Posteriori sententiæ accedit Petrus de Marca *De Concord. Sacerd. & Imperii Lib.* VI. *Cap.* I. *num.* IX. Utcumque tamen sese res habeat, negari profecto nequit, Apostolos aliquam formam hujusce regiminis reliquisse, vetustissimamque esse Primatum, & Metropolitanorum institutionem. Johannes Chrysostomus *Homil.* XV. *In* I. *ad Timoth. pag.* 510. *Tom.* VI. *Edit. Francfordiensis*. *Manifestum est*, inquit, *quod Timotheo credita fuerit Ecclesia, immo gens fere tota Asiatica*. Consule *Homil.* I. *In Epist. ad Titum ejusdem S. Chrysost.* Eusebium *Lib.* III. *Histor. Eccles. Cap.* IV. Concilium Ephesinum *Actione* VIII. *Tom.* III. *Concilior. col.* 800. ubi hæc habentur. *Sancta Sinodus dixit: Docete, annon jus Ordinandi ex more veteri apud nos habet Antiochanus? Zenon Episcopus dixit: prius adfirmavimus, quod numquam, vel adfuerit, vel ordinaverit, neque in Metropoli, neque in alia civitate. Sed Synodus nostræ Provinciæ congregata, constituebat Metropolitanum*. Vide quam appellet veterem consuetudinem. Mitto quæ de jure Metropolitico vetere imprimis, & antiquo exstant apud Concilium Nicænum *Can.* VI. *Tom.* II. *Conc. pag.* 31. Athanasium *De Sentent. Dionys. Tom.* I. *Opp. pag.* 246. *Edit. Monach. S. Mauri*. Concilium Eliberitanum *Tom.* I. *Concilior. pag.* 976. & alios sane multos Ecclesiæ Patres, quod nolim esse longus.

(25) Placuit hoc Calvino assèclæ Catharorum. Nam *Lib.* IV. *Institut. cap.* XIII. *num.* 14. Ut ostenderet non esse apud Romanam Ecclesiam unitatem, tot esse in ea Schismata adfirmavit, quot sunt ordines Monachorum. Sed inepte atque impie ille quidem.

(25) Nulla est Respublica, in qua varii non sint ordines, ac societates, quin ulla in eis sit divisionis suspicio: quare non video, cur varii in Republica Christiana Religiosorum cœtus ullum unitati afferre possint detrimentum. Ac ordinem quidem viduarum, ordinemque Virginum, quæ castitatem perpetuo colerent jam usque ab initio in Ecclesia fuisse nemo negaverit. Quin etiam Presbyterorum, ceterorumque Ecclesiasticorum ordinem distinctum ab eo fuisse, qui erat proprius Laicorum, comperta res est. An ergo ullum fuit primis temporibus in Ecclesia Schisma? Nihil minus. Itaque nugas agit Calvinus, dum Monachorum varietatem inimicam unitati esse affirmat, cum omnes fateantur, unam esse fidem, unam Ecclesiam, eadem Sacramenta, fidem, Evangelium, idem totius Ecclesiæ caput, sed varias vias esse quibus homo ad sempiternam possit appellere felicitatem, non rejectas, sed probatas a Christo Servatore. Consulitor Johannes Chrysostomus in Opere *adversus calumniatores Vitæ Monasticæ pag.* 46. *seqq. Tom.* I. *Opp.*

Item alio modo nituntur probare Ecclesiam Romanam non esse Ecclesiam Dei, quia benedicit carrocia (27) parata ad prælia injusta, idest ad prælia contra fratres & proximos suos, & sic suadent hominibus injuste pugnare.

Si autem dicimus eis, imo sunt prælia aliqua justa contra proximos, & fratres. Ipsi objiciunt; cum diversæ civitates ad invicem pugnent, constat alteram illarum injustam habere causam, quare ergo Prælati illius partis benedicunt carrocium ejus.

Solutio: Quicumque Prælati sunt, qui hortantur aliquos ad prælia injusta, mali sunt, quia male faciunt, sed benedicendo carrocia non peccant, quia illa benedictione nihil dicunt, vel petunt, nisi ad pacem pertinens, ut: *Da Domine pacem* (28) *in diebus nostris*, & consimilia, nisi quia in fine dicitur: *Libera nos Domine ab insidiis inimicorum nostrorum*, hoc autem malum non est.

Objicit etiam hæreticus, quod Ecclesia Romana (29) non est Ecclesia Dei, quia aliis prælata, & superposita est, cum Ecclesia Dei omni creaturæ debeat esse subjecta, teste B. Petro 1. vers. 13.

Solutio: Non esset Dei Ecclesia nisi esset aliis superposita, illis scilicet, quibus debet superponi.

Item, quicumque in Ecclesia Dei est, si habet superiorem, illi debet esse subjectus. Ideo autem dixi, si superiorem habet, quia in Ecclesia Dei debet quis esse summus, cui omnes alii subjici debent propter Dominum; tota igitur Ecclesia Dei, excepto illo qui in ea summus est, alii subjecta est, ei scilicet, cui debet.

Item, non tantum sunt fideles subjecti ipsius Romanæ Ecclesiæ Prælatis, & Principibus, sed etiam alicubi subjecti sunt eis, qui foris sunt, non tantum scilicet bonis, & modestis, sed etiam discolis.

Præterea: Nunquid tu vis intelligere universaliter præceptum Apostoli Petri, *subjecti* &c?

Ergo tu teneris subjectus esse Episcopis nostris, & potestatibus, & Principibus; Ergo Prælatio Ecclesiæ Romanæ, & dominium seculare a Deo est, si autem tu non vis universaliter intelligere, quare me arguis? nam & ego alicui subjicior, ut prædixi.

§. I.

Quæ sit Ecclesia Dei; & quomodo probant hæretici Ecclesiam Romanam non esse Ecclesiam Dei.

AD detestationem etiam Romanæ Ecclesiæ induxit hæreticus illud Apocal. 17. v.3. ubi Johannes dicit se vidisse *mulierem sedentem super bestiam coccineam* (30) *plenam nominibus blasphemiæ*, & ut brevius comprehendam, totum, vel fere totum quod legitur Apocal. 17.18. & 19. circa principium, ubi dicitur v. 3. *Et fumus ejus ascendit in secula seculorum*, contra Ecclesiam Romanam dictum credunt tam Cathari, quam Leonistæ; per bestiam enim Ecclesiam Romanam intelligunt, & per mulierem; ibi enim capite 17. v. 3. Legitur bestia fuisse coccinea; ibidem etiam legitur v. 4. quod mulier induta sit *coccino*, *& purpura*, *& inaurata auro*, *& lapide pretioso*, *& margaritis*, *habens poculum aureum in manu*, & hæc dicunt convenire Domino Papæ, qui est caput Romanæ Ecclesiæ. Eodem etiam capite dicitur mulier ebria de sanguine Sanctorum, quod Ecclesiæ Romanæ adscribunt propter hoc, quia occidi eos jubet, se enim Sanctos credunt. Et in fine ejusdem capitis legitur v. 18. *Et mulier quam vidisti est civitas magna, quæ habet regnum super Reges terræ*; non est autem dubium, quod Romana Ecclesia tunc dominium habebat super Reges terræ. Idem etiam volunt habere propter hoc, quod mulier ista dicitur Babylon 16. capite circa finem, & 18. v. 2. *Cecidit, cecidit Babylon magna &c.* de ista Babylone loquitur Petrus in fine. Epist. c.5. v.13. dicens: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta*, idest in Roma.

Solutio ad ista facilis est, si discutiatur litera Apocalypsis. Dico ergo, quod hæreticus infelix primo in hoc erravit, quod idem intellexit per bestiam, & mulierem, hoc enim esse non potest, primo, quia dicitur quod mulier sedebat super bestiam; Ergo aliud est mulier, quam bestia. Secundo patet idem ex Johannis testimonio, cui dictum est, v. 8. *Bestia quam vidisti, fuit, & non est*, tunc ergo non erat bestia, sed tunc erat mulier, quod probatur ex fine illius capitis, ubi dicitur: *Mulier quam vidisti &c.* ut

(27) Erat *Carrocium*, seu *Carrocerum* magnum vexillum bellicum, quod currui impositum a quatuor bovum jugis trahebatur, & magna cura a lectis militibus servabatur, cum illo exui insignis probri loco haberetur. Consule Sigonium *Lib.* II. *De Regno Italiæ*, Ducangium *in Glossar. ad Script Medii ævi & Infimæ Latinit. Tom.* II. *Edit. Novæ lit. C. & Cl.* Muratorium *Tom.* II. *Antiquit. Italicarum Dissert.* XXVI. *Carrocii* inventionem Heriberto Episcopo Mediolanensi, qui anno 1124. florebat, tribuit Corius *Hist. Mediol. Parte* I. At vero Antonius Campius *Hist. Cremonensis Lib.* I. *Carrocii*. Usum apud Cremonenses consignat *ad an.* 1081.

(28) De Ritu benedicendi vexilla bellica fuse disputat Eruditissimus Catalanus *in Notis ad Pontificale Romanum Tom.* II. *Tit.* XXIV. Discrepat autem formula quam indicat noster, ab ea quæ extat in Romano Pontificali. Quin etiam ne in antiquis quidem Ecclesiæ Ambrosianæ & iis, quos refert Martenius *De Sacris Eccles. ritibus*. Ritualibus libris similem usquam reperire potuimus.

(29) Vetus hæc hæreticorum conquestio est. Romanam scilicet Ecclesiam Tyrrannidem occupasse jactant. Non oportere autem dominium in Cœtu Christianorum exercere ullum. Idque jam Episcopis nostris opponunt, imprimisque Romano Pontifici Protestantes. Verum non animadvertunt, præscriptum esse a Paulo, ut obediamus præpositis nostris, eisque subjaceamus. Non equidem inficior Episcopum non superbum esse debere, neque tyrannidem exercere, neque dominum existimare se, sed doctorem fidelium, institutorem, correctorem morum, improborum castigatorem, ut pax in Ecclesia & asservetur, cui præfectus a Deo est. Jubere ergo potest, necesseque est, ut qui ditioni illius obnoxii sunt, eidem pareant.

(30) Ab Catharis, & Valdensibus mutuati hoc sunt hæretici juniores Lutherani, & Calviniani. Quorum sententiam probavit is, qui Synopsim Criticorum compilavit. *In Apocal. Cap.* XVII. v. 6. Minister Jurius homo cumprimis malus, & imperitus ausus est affirmare. *Bestiam Apocalypseos esse bestiam Romanam Latinam*. Sed hominem solide, faceteque oppugnavit Richardus Simonius *in Respons. ad Defens. Opinionum aliquot Theologor. Holland. pag.* 186. *seqq. Edit. an.* 1687.

ut prius; igitur nec beſtia mulier eſt, nec e contrario. Tertio patet, quia eodem capite v. 15. ubi dicitur, quod gentes & linguæ, & decem cornua beſtiæ odient fornicariam, & deſolatam facient illam & nudam, & manducabunt carnes ejus, & concremabunt, ergo non eſt idem beſtia, quod mulier fornicaria, ſed ei contraria, & inimica; Ergo Eccleſia Romana per illa duo ſignificari non poteſt, ergo cum non ſic; nunquid per alterum? Dicet quod ſic. Quæro per quod? Dixit hæreticus & ſcripſit, quod beſtia dicitur Eccleſia Romana; Ergo cum non ſit idem beſtia, quod mulier ſuper eam ſedens, mulier non eſt Eccleſia Romana; ſed mulier illa dicitur Babylon, & meretrix magna, & ebria de ſanguine Sanctorum, & habitatio dœmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & omnis volucris immundæ, de ira fornicationis ejus bibent omnes gentes, cum qua Reges terræ fornicati ſunt, cui etiam dicit Dominus: Exite de illa populus meus, ut ne participes ſitis delictorum ejus, & hujuſmodi alia; Ergo Eccleſia Romana non eſt Babylon, (31) nec meretrix magna, nec ebria de ſanguine, nec habitatio dœmoniorum, & hujuſmodi, ſi hæc enim eſſet, eſſet fornicaria mulier illa, nihil ergo horum tangit Eccleſiam Romanam.

Nunc probemus, quod Eccleſia Romana non eſt beſtia, de qua Johannes loquitur. Sciendum autem quod ubicumque loquitur Johannes in Apocalypſi de beſtia, ſcilicet 11. cap. & 13. & 18. & 19. & 20. de eadem re loquitur; 12. autem capite ubi loquitur de beſtia habente duo cornua (32) ſimilia agni loquitur de beſtia alia; modo dico ſic. Beſtia illa quam dicis eſſe Eccleſiam Romanam dicitur aſcenſura de abyſſo, Apocalyp. 11. & de mari 13. hoc autem non poteſt convenire Eccleſiæ Romanæ nec ad ſonum literæ, nec ſpiritualiter ſecundum oppoſitionem eorum; dicunt enim, quod Romana Eccleſia ab Eccleſia Dei initium habuit, quomodo ergo dicitur aſcenſura de abyſſo, imo magis diceretur deſcenſura de Cœlo, ſicuti etiam de Stella dicitur capite 9. *Vidi ſtellam de Cœlo cecidiſſe*.

Præterea 13. cap. v. 4. dicitur de quibuſdam: *Et adoraverunt draconem, qui dedit poteſtatem beſtiæ, & adoraverunt beſtiam*; nullus autem adorat Eccleſiam Romanam; Ergo Eccleſia Romana non eſt ipſa beſtia.

Item ibi dicitur v. 5. *Et data eſt ei* beſtiæ *poteſtas facere menſes quadraginta duos*, ſed Eccleſia Romana jam fecit decem millia menſium, & ultra.

Item dicitur ibidem v. 7. quod *data eſt illi poteſtas in omnem tribum, & populum, & linguam & gentem*, quod non eſt verum de Eccleſia Romana, nec unquam fuit.

Item ibi dicitur v. 8. *Et adoraverunt eam omnes, qui inhabitant terram*; multi ſunt qui habitant terram, ſcilicet Judæi, & Pagani, qui non adorant Eccleſiam Romanam.

Præterea, de beſtia habente duo cornua ſimilia Agni dicitur, v. 14. quod fecit fieri *imaginem beſtiæ, quæ habet plagam gladii & vixit.* (v. 15.) *& datum eſt illi ut daret Spiritum imagini beſtiæ, & ut loquatur imago beſtiæ: & faciat ut quicumque non adoraverint imaginem beſtiæ, occidantur* (v. 16.) *& faciet omnes puſillos, & magnos, & divites & pauperes, & liberos, & ſervos habere caracterem in dextera manu ſua, aut in frontibus ſuis* (v. 17.) *& ne quis poſſit emere aut vendere, niſi qui habet characterem, aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis ejus*; nunquid iſta potes adaptare, & oſtendere convenire Eccleſiæ Romanæ? Nullo modo.

Item, mulier erat tempore Johannis, ſive id quod ſignificabatur per mulierem, juxta illud v. 18. *Mulier quam vidiſti eſt civitas, quæ habet regnum ſuper Reges terræ*, immo etiam a loco alio cap. 17. v. 1. *Veni oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ*; uſquequo deſcribitur ejus damnatio nihil de ea dicitur de futuro, ſed omnia de præſenti V. G. eſt civitas magna, item habet poteſtatem ſuper Reges terræ. Item ſedet ſuper aquas multas; quædam etiam de præterito dicuntur de ea, V. G. v. 2. cum qua fornicati ſunt, inebriati ſunt, & ſimilia, patet ergo quod tempore Johannis erat mulier, & fuerat prius.

Præterea habetur cap. 17. v. 3. quod Johannes vidit mulierem portatam a beſtia, unde & Angelus dixit ei, v. 7. *Ego dicam tibi Sacramentum mulieris & beſtiæ, quæ portat eam*; ſed nec Eccleſia Romana, nec aliquid de ea portabat tunc mulierem, nec etiam aliquid faciebat, quia nec ipſa erat, nec aliquid de ea, ut tu credis, imo poſtea eam incepiſſe ſub Conſtantino (33) credis; ſi autem non erat, non erat portans mulierem, nec aliquid faciens; Ergo cum beſtia, ut Johannes ait, portaret mulierem, beſtia non eſt Eccleſia Romana.

Item cap. 17. v. 8. dixit Angelus Johanni: *Beſtia quam vidiſti, fuit, & non eſt*, ſed Eccleſia Romana ſecundum dictum tuum nondum fuerat; Ergo beſtia non eſt Eccleſia Romana. (34)

Item ibi dicitur v. 9. *Quod ſeptem* capita, *ſeptem* montes ſunt, *ſuper quos mulier ſedet, &* Reges *ſeptem ſunt* (v. 10.) *Quinque ceciderunt, & unus eſt, alius nondum venit*; & poſt pauca dicitur v. 11. *& beſtia, quæ erat, & non eſt, & ipſa octava eſt, & de ſeptem eſt*; ſi autem eſt de ſeptem, aut eſt de quinque qui ceciderunt, aut ille qui erat, aut ille qui venturus erat; primum non potes dicere, quia Eccleſia Roma-

(31) S. Johannes in Apocalypſ. Babylonis nomine Romam Ethnicam deſignat, quæ ſanguine Sanctorum delectabatur. Nam Nero, & Domitianus in Chriſtianum nomen dire crudeliterque ſævierant. Babylon autem vetus Roma dicitur, quod ſimilis Babylonis eſſet, antequam Chriſto nomen dediſſet, potentia, ſuperbia, tyrannide, ſcortatione, idololatria, crudelitate. Vide Doctiſſimi Petri Franciſci Fogginii *Opus De Romano D. Petri Itinere, & Epiſcopatu Exercitat.* x. *per totum* & *Miſcellaneas Diſſertationes* gallico ſermone perſcriptas *in Monum. Hiſt. Eccl. Tillemontii*.

(32) Adiſis Simonium *l. c. Notatione* 31. *in hoc Cap.* Hæreticis autem potius beſtia aptari debet. Etenim quemadmodum beſtiæ datum eſt os, ut ſe glorificaret, & blaſphemaret Deum, ejus Tabernaculum, & eos, qui in Cœlo habitant. *Apoc.* XIII. 5. 6. Sic hæretici cum ſe ipſos extollunt, tum Deum, ejuſque Sanctos impio ore blaſphemant. Ipſi autem Catholicis bella ſæpe ac multum indixerunt, ac religioſos pleroſque extremis ſuppliciis affecerunt. Conſulendus *Jacobus Benignus Boſſuetius in Reſponſ. ad Jacobum Baſnagium*.

(33) Valdenſes, quos noſter Leoniſtas vocat, Conſtantino Imperatore Romanam Eccleſiam cœpiſſe putabant. Id vero, etſi falſum eſt, neque probatum Monetæ; adducitur tamen contra genus illud hæreticorum ad eorum audaciam comprimendam.

(34) Conſule Calmetum *in Cap.* XIII. *ſeq.* Apocalypſeos.

Romana nondum ceciderat, quia non fuerat ut tu dicis, eadem ratione non potes dicere secundum; si tertium dicas: Contra: De illo dicitur v. 10. Quod *nondum venit, & cum venerit, oportet illum breve tempus manere*; hoc autem non convenit Ecclesiæ Romanæ, quia longo tempore jam mansit, ut prædictum est; ergo Ecclesia Romana non est de septem, sed bestia est de septem; ergo Ecclesia Romana non est ipsa bestia.

Item, pars bestiæ erat Johannis tempore, scilicet sextum caput; & pars transierat, scilicet quinque capita; Ergo tempore Johannis jam erat pars Ecclesiæ Romanæ, etiam transierat pars ejus, hoc autem falsum est secundum eos; ergo Ecclesia Romana nec est bestia, nec pars bestiæ, quia non est assignare, quæ pars, ut ostensum est. Si autem dicas mihi, quod bestia coccinea dicitur, & per hoc velis habere, quod sit Ecclesia Romana, hoc nihil ad rem; quia Draco 12. capite v. 3. dicitur rufus, quod idem est ac coccineus, & habens capita septem, & cornua decem, sicut dicitur de bestia Apocal. 17. non tamen Draco est Ecclesia Romana; Ergo propter hoc non debes dicere, quod ipsa sit bestia.

§. II.

Quod Ecclesia Romana non potest intelligi per mulierem.

Visso, quod per bestiam non potest intelligi Ecclesia, ostendamus quod nec per mulierem, quoniam mulier erat tempore Johannis ut prædictum est, sed Ecclesia Romana secundum quod credis, nondum erat; Ergo mulier non est Ecclesia Romana.

Item dicitur 18. cap. v. 3. *De vino iræ fornicationis ejus bibent omnes gentes*; quod non est verum de Ecclesia pro tempore præterito, nec pro præsenti.

Item eodem capite v. 19. dicitur: *Væ væ civitas illa magna in qua divites facti sunt omnes, qui habebant naves in mari, de pretiis ejus*.

Item ibi dicitur v. 20. *Exulta super eam Cœlum & Sancti Apostoli, & Prophetæ: quoniam judicavit Deus judicium vestrum de illa*. Quomodo hoc de Ecclesia Romana potest intelligi? cum ipsa non occiderit Apostolos.

Item ibi dicitur v. 23. Quod *in veneficiis tuis erraverunt omnes gentes*.

Item, omnia mala quæ dicuntur, ut supra ostensum est, de hac muliere, tanquam præterita, vel præsentia tempore Johannis dicuntur, quoniam nondum erat, nec fuerat prius Ecclesia Romana secundum eos, nihil ergo ad Ecclesiam pertinent mala illa; Ergo illa mulier non est Ecclesia Romana.

Item, si mulier est Ecclesia Romana sive Dominus Papa, & Papa est (35) Antichristus; quæ est ergo bestia, quæ ibi dicitur v. 8. ascensura de abysso, quæ v. 16. cum carnibus suis odiet fornicariam istam, & desolatam faciet eam & nudam, & manducabit carnes ejus & ipsam igni concremabit; ista autem quomodo fient? Nunc redeamus ad probationem suam quam induxit dicens illud Apocalypsis cap. 17. v. 18. *Mulier est civitas magna &c.* constat autem quod Ecclesia Romana tunc habebat regnum super Reges terræ, civitas ergo illa est Roma, & ita mulier illa (36) est Roma. Detur autem hoc causa disputationis; nunquid sequitur ex hoc: Ergo mulier est Ecclesia Romana; certe non: bene potuit esse quod illa civitas mala esset, & infidelis, & Sanctos, ac fideles persequens, & tamen Ecclesia Dei, scilicet Ecclesia Romana esset in ea collecta, (37) sicut Petrus dicit in Epist. I. cap. 5. v. 13. *Salutat vos* &c. Sicut enim dicitur Cantic. 2. v. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*.

Item, Apocalypsis 2. v. 13. dicitur Angelo Pergami: *Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanæ*.

Item Ezechiel. 2. v. 6. dicitur: *Et cum scorpionibus habitas*.

[*] Superius causa disputationis datum fuit, quod mulier esset civitas Romana, nunc autem volumus ostendere, quod per mulierem non potest intelligi illa civitas. Ad hoc autem valet illud, quod dictum est supra, ubi probavimus, quod ipsa non est Ecclesia Romana, scilicet *de vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes gentes, in qua divites facti sunt omnes, qui habebant naves in mari de pretiis ejus*.

Item *in veneficiis tuis erraverunt omnes gentes*.

Item in ea inventus est sanguis Prophetarum, & sanctorum, & omnium qui interfecti sunt in terra. [*] Ex jam dictis patet, quod per bestiam non intelligitur (38) Ecclesia Romana, quidquid fabulentur hæretici.

Item, ut ostensum est per mulierem non intelligitur nec Ecclesia Romana, nec ipsa Roma; nunc autem restat ut dicamus, quid per bestiam intelligatur. Dicimus autem ex testimonio Apocalyp. quod idem est bestia, quod Draco; unde Apocalyp. 12. eadem dicuntur de Dracone, quæ de bestia dicuntur; Decimo septimo, similis ei ostenditur in colore, in capitibus, & in cornibus, & in Diadematibus ut habetur 13. Apoc. Ista bestia seu ipse Draco ut habetur Apocalypsis 17. v. 14. fuit antequam Christus veniret, habens magnam potentiam, quia colebatur fere ubique, ut Deus in idolis; sed ut dicit Johannes, non est, quia post adventum Christi in tanta potestate non est, imo quasi annihilatus est cultus ejus

(35) Est hæc quoque calumnia novorum hæreticorum, quos fuse refellit doctissimus Malvenda *in Tractatu de Antichristo*.

(36) Consule Malvendam *Lib.* IV. *De Antichristo*. *Cap* XIX.

(37) Romam Ethnicam indicari ab Johanne in Apocalypsi sub imagine mulieris testantur Tertullianus *Adversus Judæos Cap.* XIX. *Sic & Babylon apud Johannem nostrum Romanæ Urbis figuram portat*, Hieronymus *in extremo* II. *Libro Contra Jovinianum*, & alii plerique Ecclesiæ Patres. Quod attinet ad locum Petri; ut mittam ceteros, quos Foginius recenset *Exercit.* X. *Operis De Romano D. Petri Itinere, & Episcopatu*, *Eusebius Lib.* II. *Hist. Ecclesiasticæ Cap.* XIV. *In priore Epistola*, inquit, *quam* (Petrum) *in urbe Roma scripsisse ajunt, atque id eum indicare, quando allegorice urbem vocat Babylonem his verbis: Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone collecta, & Marcus Filius meus*.

[*] Quæ duobus astericis complexi sumus, desunt e *Codice Bononiensi*.

(38) Verum id est, atque extra omnem dubitationis aleam constituendum. Certum quoque non Romam urbem mulierem esse. Nam quid peccarunt mœnia, & ædes, aut quid umquam peccare possunt? Sed Ethnicus idololatriæ addictus, qui urbem incolebat, sæviebatque in Sanctos, per mulieris Symbolum ab Johanne indicatur.

ejus, unde Chriſtus imminente tempore paſſionis & mortis ſuæ dixit Johann. 12. v. 31. *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras*. Hebræor. 12. v. 24.

Item ad Hebr. 2. v. 14. *Quia ergo Pueri, communicaverunt carni & ſanguini, & ipſa ſimiliter participavit eiſdem, ut per mortem deſtrueret eum qui habebat mortis imperium, ideſt Diabolum* v. 15. *& liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti*. Unde & Apocalypſis 12. v. 7. dicitur quod *factum eſt prælium in cœlo* (ideſt Eccleſia &c.) *Michael & Angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli ejus, & non valuerunt, neque locus inventus eſt eorum amplius in Cœlo, & projectus eſt draco ille*, (ſcilicet Angelus) *qui vocatur Diabolus, & Satanas*; quam auctoritatem expoſuimus ſupra, ſed tamen aliquando erit habens magnam poteſtatem in ſeptimo capite, ſive in ſeptimo rege venturo, qui cum pervenerit, breve tempus manebit; & nota ſicut Judas dicitur diabolus propter magnam ſimilitudinem ad eum, ita etiam caput ſeptimum illius beſtiæ, ſive ſeptimus Rex, qui Apocal. 17. v. 16. dicitur venturus, & brevi tempore permanſurus propter magnam ſimilitudinem ad draconem, beſtia appellatur in pluribus locis Apocal. ut jam dictum eſt, ex quo patet qualiter intelligi poſſit illud, quod ait Johannes Apocal. 17. v. 11. *Beſtia, quæ erat, & non eſt, ipſa octava eſt, & de ſeptem eſt*; proprie enim loquendo ipſa eſt octava, ſed de ſeptem eſt, ideſt ſeptima propter magnam ſimilitudinem ad Antichriſtum ſeptimum Regem; ſeptima autem dicitur, ideſt ſeptimum caput ſuum, ſive ſeptimus Rex, quod non poteſt eſſe niſi improprie loquendo, & per aſſimilationem magnam.

Item Apocal. 15. Ipſe Pharao dicitur beſtia, ideſt, draco per eandem aſſimilationem magnam ad draconem, ut dictum eſt in ſecunda parte cap. de Deo Veteris Teſtamenti. Poſſet tamen non incongrue dici, quod pro Antichriſto venerit, ideſt pro ſeptimo Rege, ſive capite beſtiæ, qui ex re nominis hujus (39) Antichriſtus præ aliis haberi poteſt, ut patet 13. Apocal. Qui autem ſunt alii Reges de ſeptimo? dico quod ille unus, qui erat tempore Johannis, de quo ipſe dicit Apocal. 17. v. 10. *Et unus eſt*, ille inquam eſt Imperator Romanorum, qui tempore Johannis imperabat Orbi, & ſicut Imperio Romano adveniente in potentia iſta, alia quinque regna deſierant, & ceciderant a potentia priſtina, ita etiam regnum Romani Imperii cadet a potentia ſua cum venerit ſeptimus Rex, ſcilicet Antichriſtus; unde 2. Theſſalonic. 2. v. 3. *Niſi venerit diſceſſio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis*. Si autem quæras a me, qui fuerunt illi quinque Reges, (40) de quibus dicit Johannes Apocalyp. 17. v. 10. quod tempore ſuo ceciderunt; dico: quod fuerunt quinque Principes, qui populum Dei perſecuti ſunt. Primus fuit Rex Ægyptiorum, ſecundus Rex Aſſyriorum, tertius Rex Babyloniorum, quartus Rex Medorum, & Perſarum, quintus Rex Græcorum, qui quinque tempore B. Johannis jam ceciderant a priori potentia; Ecce habemus quid ſignificent ſeptem capita beſtiæ. Nunc videamus quid ſignificent decem cornua. Dico: quod ſignificant decem regna nova, circa tempus Antichriſti, de quibus Daniel loquitur circa finem ſeptimi capitis. Diligenter autem attendendum eſt, ubi ſumatur beſtia pro dracone, & ubi ſumatur pro ſeptimo capite breviter manſuro, & ubi ſumatur pro Apoſtolis ejus. Pro dracone ſumitur Apocalyp. 17. v. 3. *Vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam*, ideſt rufam.

Item eodem capite v. 7. Ubi Angelus ait Johanni: *Ego dicam tibi Sacramentum mulieris, & beſtiæ, quæ portat eam, quæ habet capita ſeptem, & cornua decem*.

Item ibidem v. 8. *Beſtia, quam vidiſti, fuit, & non eſt, & aſcenſura eſt de abyſſo &c.*

Item ibidem v. 11. *Ipſa octava eſt*. Quoniam autem venit pro ſeptimo capite ſuo, ideſt Antichriſto, qui dicitur beſtia ipſa, ſicut & Judas dicitur diabolus propter maximam ſimilitudinem ut dictum eſt. Apocalyp. 11. capite ſumitur pro illo ubi v. 7. dicitur: *Et cum finierint teſtimonium ſuum, beſtia, quæ aſcendit de abyſſo, faciet adverſum eos bellum, & vincet illos, & occidet eos*.

Item cap. 13. per totum: *Vidi de mari beſtiam aſcendentem*: ubi etiam dicitur v. 4. quod *draco dedit poteſtatem beſtiæ*. Sciendum autem, quod ibi eſt quoddam verbum expoſitione indigens, dicit enim Johannes v. 3. *Vidi unum de capitibus ſuis quaſi occiſum in mortem, & plaga mortis ejus curata eſt*. Iſtud enim ſeptimum caput, per quod idem ſignificatur, quod eſt per beſtiam, ſignificatur Antichriſtus, & dicitur Antichriſtus ſeptimum caput ſuum, quia eſt ſeptimum caput Draconis, ſcilicet principalis beſtiæ; Non ne vides quod beſtia dicitur eſſe de ſeptem Apocalyp. 17. v. 11. de ſeptem ſcilicet capitibus, ideſt ſeptimum caput ſuum.

Item 17. venit pro illo capite, ideſt rege ſeptimo ubi dicitur v. 16. *Decem cornua quæ vidiſti in beſtia, hi odient fornicariam*.

Item 19. ubi dicitur: *Et vidi beſtiam & reges terræ, & exercitus eorum congregatos, ad faciendum prælium cum illo, qui ſedebat in equo, & cum exercitu ejus*. Tertio modo ſumitur beſtia pro Apoſtolis Antichriſti Apocal. 13. v. 11. Ubi Johannes dicit: *Et vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra, & habebat cornua duo ſimilia agni, & loquebatur ſicut draco* (v. 12.) *& poteſtatem prioris beſtiæ omnem faciebat in conſpectu ejus, & fecit terram, & habitantes in ea, adorare beſtiam primam*. Capite 19. v. 20. hæc beſtia

(39) Adeundi Malvenda *loco ſuperioribus notationibus indicato*, & Calmetus *in Apocalypſim*.

(40) Non una eſt Interpretum de Regibus Johanni memoratis ſententia. Alii namque Reges, ac Principes indicari putant ab Apoſtolo, qui ſeptem ætatibus mundi aut perſequuti ſunt, aut perſequentur Eccleſiam. Alii, ut Grotius, ſeptem Imperatores Romanos, Claudium, Neronem, Galbam, Othonem, Vitellium, Veſpaſianum, Titum. Alii ſeptem Imperatores, Vitellium, Othonem, Galbam, Veſpaſianum, Titum, Domitianum, & Nervam; Alii alias ſequuntur interpretandi rationes, quas recenſent *Polus Synopſ. Crit. in Cap.* XVII. v. 10. *Apocalypſ. B. Johannis*, qui tamen caute legendus eſt, quod Sedi Apoſtolicæ, ut mos eſt hæreticorum, impudentiſſime calumnias impingere ſæpe ſolebat, Calmetus *in Commentar. ad Cap.* XVII. *Apocal.* v. 10. Et Boſuetius *in Apocalypſ. id. cap.*

bestia dicitur *pseudopropheta, qui fecit signa coram ipso; quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ*. Nota quod dicit *signa coram ipso &c.* quod idem est ei, quod dictum est supra cap.13. v.12. *Et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu ejus, & fecit terram, & habitantes in ea adorare bestiam primam*. Sciendum autem quod bestia, sive draco dicitur ascensurus de abysso, ubi nunc clausus est, ut habetur Apoc. 20. v. 3.

His visis plana sunt omnia, quæ de bestia in Apocalypsi reperiuntur; quid autem per mulierem significetur dicam; quoniam mulier dicitur universitas omnium reproborum, qua ex re nomen habet, scilicet Babylon. Istud autem cogunt dicere verba Apocalypsis cap. 18. quæ dicunt v.3. de vino iræ fornicationis ejus bibisse omnes, v.23. & in veneficiis ejus errasse omnes gentes, v.24. & in ea sanguinem esse effusum Prophetarum, & Sanctorum, & omnium, qui interfecti sunt in terra. Hoc etiam volunt Prophetæ, scilicet Isaias, & Jeremias, qui de Babylone loquentes totum mundum figurant in confusione maligni positum; Babylon enim confusio interpretatur, hæc enim circumdata purpura, & coccino meretrix, & mater fornicationum, quam caput septimum bestiæ cum cornibus suis odio hahabebit, desolabit, judicabit, manducabit. Dicitur autem vestita purpura, idest regali veste, quia se dicit Reginam, unde 18. Apoc.v.7. habetur quod *in corde suo dicit: Sedeo Regina, & vidua non sum, & luctum non videbo*. Dicitur autem vestita coccino, rufa scilicet veste, quia delectatur in Sanctorum sanguine, quem effudit: meretrix dicitur, quia Deo derelicto, qui deberet esse ejus sponsus, diabolo adhæret; huic opposita est illa civitas, scilicet Jerusalem casta, scilicet triplici castitate, Virginali, Viduali, & Matrimoniali, mater omnis munditiæ per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, ut habetur ad Titum 3. v. 5. Hæc est Christi Sponsa, de qua dicitur Apocal. 19. v.8. quod sit induta byssino splendenti, & candido, quæ sunt justificationes Sanctorum; hæc est de qua dicit Angelus Apocal.21.v.9. *Ostendam tibi uxorem agni*; hæc est illa civitas Sancta Jerusalem, quam Johannes Apocal. 21. v.10. vidit descendentem de Cœlo, habentem claritatem Dei.

§. III.

Quod nec Cathari, nec pauperes Lugdunenses sunt Ecclesia Dei, sed sola Romana Ecclesia.

Viso qualiter respondendum est hæreticorum objectionibus, quibus nituntur probare, quod Romana Ecclesia non est Dei Ecclesia, nec successit Apostolicæ Ecclesiæ, accedamus ad secundam partem capitis, & adjuvante Dei gratia ostendamus, quod ipsi non sunt Dei Ecclesia.

Ad hoc dicet Hæreticus: proba, quod nos Cathari sine fide (41) sumus. Hic dico, assumas aliquem de articulis fidei, qui disputati sunt in præcedentibus partibus hujus operis, & maxime articulum de Deo Veteris Testamenti assume ad disputationem contra eos, & dic eis: cum ille sit Deus Verus, & Sanctus, palam est quod sine fide Dei estis, quia illum malum esse dicitis. Quod autem ille sit Deus verus, & Sanctus, ostende prædictis testimoniis in secunda parte hujus operis cap. 6. maxime autem assumas illa testimonia, quæ manifestiora sunt, & ad aures populi magis accommodata. Secundo autem idem ostendi potest per illud Apostoli 1. Timoth. 4. v. 1. *Spiritus autem manifeste dicit: Quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dœmoniorum &c.* Quomodo autem possunt cognosci, ostendit Apostolus per duo, scilicet, per prohibitionem nuptiarum, unde dicit v.3. *Prohibentium nubere*; (42) Item per doctrinam abstinendi a cibis quibusdam tamquam illicitis, idest ovis, carne, & caseo: hæc autem auctoritas disputata est septimo cap. primæ partis hujus operis, unde ibi quærendum est de ista materia. Tertio ostendemus hoc idem per illud 2.Petri 2.v.1. *Fuerunt vero & pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis*. Quod autem de Catharis loquatur ostendit per signum, quod est (eodem versiculo) *& eum qui emit eos Dominum negant*. Neutri enim Cathari Christum dicunt Deum omnipotentem, imo puram creaturam eum existimant, illi, qui duo ponunt principia; qui autem unum ponunt principium, credunt eum minorem Patre; ex quo sequitur, quod non sit Deus, ut ostensum est in ter-

(41) Is sine fide esse putandus est qui in aliquo fidei articulo pervicaciter errat. Quamobrem jam inde ab Exordio Ecclesiæ communione prohibiti fuerunt, exterminatique velut infideles e cætu Catholicorum, qui in re quapiam ad fidem pertinente errassent; ut satis testata res est. Jure S.Thomas 2.2. *Quæst.*v. *Art.* 3.; Quicumque, *inquit*, non inhæret sicut infallibili, & divinæ regulæ doctrinæ Ecclesiæ, quæ procedit ex veritate prima in Scripturis Sacris manifestata, ille non habet habitum fidei, cujus objectum est Veritas prima, secundum quod manifestatur in Scripturis Sacris; & doctrina Ecclesiæ, quæ procedit ex veritate prima. Manifestum est autem, quod ille, qui inhæret doctrinæ Ecclesiæ tamquam infallibili regulæ, omnibus assentit, quæ Ecclesia docet: alioquin si de his, quæ Ecclesia docet, quæ vult tenet, & quæ non vult, non tenet; non jam inhæret doctrinæ Ecclesiæ sicut infallibili regulæ, sed propriæ voluntati. Et sic manifestum est, quod hæreticus, qui pertinaciter discredit unum articulum fidei, non est paratus sequi in omnibus doctrinam Ecclesiæ; unde manifestum est, quod talis hæreticus circa unum articulum, fidem non habet de aliis articulis.

(42) Clemens Alexandrinus *lib.*III.*Stromateon n.*XII.*pag.*550. *Tom.* I. *Opp. edit. Oxon.* De Gnosticis loquens, qui Matrimonium tollebant, hæc habet, quæ apte cadere in Catharos possint, qui veteres illos hæreticos, ac Manichæos Auctores sequebantur: *Numquid autem de hujusmodi hominibus merito aperte dicit Spiritus, quod* in novissimis temporibus deficient quidam a fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dœmoniorum, in hypocrisi falsiloquiorum, cauteriatam habentium conscientiam, & prohibentium nubere, abstinere a cibis, quos Deus creavit ad participationem cum gratiarum actione &c. *Omnino igitur non est prohibendum jungi matrimonio neque carnibus vesci, aut vinum bibere... Et ut in summa dicam, omnes Apostoli Epistolæ, quæ moderationem docent, & continentiam, cum & de matrimonio innumerabilia præcepta contineant, nusquam honestum moderatumque matrimonium prohibuerunt, aut abrogarunt; Sed legis cum Evangelio servantes convenientiam, utrumque admittunt, & eum, qui Deo agendo gratias, moderato utitur matrimonio, & eum, qui ut vult Dominus, vivit in castitate.*

tia parte hujus operis cap. 3. ubi agitur de Chriſti deitate. Quarto modo probatur hoc idem per illud ſignum cognoſcendi magiſtros mendaces, quod ibidem poſtea ſubdit Petrus v. 10. dicens de magiſtris mendacibus: *Et dominationem contemnunt*: iſtud autem verbum parum infra diſcutiemus contra Leoniſtas, & ideo ab ejus diſcuſſione hic ſuperſedemus. Quinto modo poteſt probari adhuc iſtud idem, quoniam teſte Apoſtolo Rom. 3. v. 21. *Sine lege juſtitia Dei manifeſtata eſt; teſtificata a lege & prophetis*, & v. 22. dicitur: *Juſtitia autem Dei per fidem Jeſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes qui credunt in eum*. Ex hoc verbo procede contra eos eo modo quo proceſſum eſt in principio hujus operis. Sexto modo probatur idem, eo quod in Eccleſia Dei eſt baptiſmus, de quo legitur: *Unum baptiſma* Epheſ. 4. v. 5. in congregatione autem eorum non eſt baptiſmus. Si dicat, immo eſt, ſcilicet impoſitio manuum, illam enim baptiſmum dicunt. Contra: Iſtud nullo teſtimonio Scripturæ fulcitur, quod impoſitio manuum baptiſmus dicatur, ſicut oſtenſum eſt in quarta parte hujus operis in capite de baptiſmo; Ergo iſta impoſitio manuum baptiſmus non eſt, eſtis ergo ſine baptiſmo; Ergo non eſtis Eccleſia Dei.

§. IV.

Probatio ſpecialiter, quod pauperes Lugdunenſes non ſunt Eccleſia Dei.

OStenſo, quod univerſitas Catharorum non eſt Eccleſia Dei, oſtendamus, quod univerſitas pauperum Leoniſtarum non eſt Eccleſia Dei; & probatur per illud 2. Petri 2. v. 1. ubi legitur de magiſtris mendacibus: *Qui introducent ſectas perditionis*; & ponit unum ſignum, quo cognoſcantur, ubi dicit v. 10. *Dominationemque contemnunt*; (43) ipſi enim negant vindictas temporales poſſe exerceri ab his, qui in Eccleſia Dei ſunt, quo dicto neceſſe eſt dicere, quoniam hujuſmodi dominationes temporales in Eccleſia eſſe non debent, ſcilicet imperialis dominatio, & regia, atque conſimiles. Si autem velint dicere, quod de dominatione ſpirituali loquitur Petrus, dicas hoc eſſe non poſſe, iſtud enim in quæſtione eſt inter me & te, qui ſunt qui contemnunt dominationem ſpiritualem; ergo non eſt ſignum quo cognoſcantur Magiſtri mendaces, ſignum enim manifeſtum eſſe debet, manifeſtum ſignum eſt, ſi de dominatione temporali loquatur Petrus; ergo cum ipſe intendat ponere manifeſtum ſignum cognoſcendi hæreticos, ipſe loquitur de dominio temporali. Quod autem dominationes hujuſmodi intra Eccleſiam eſſe poſſint, & debeant, patet ex hoc verbo B. Petri, & ex eodem verbo Judæ v. 8. adhuc etiam plane patebit 13. capite hujus partis.

Secundo modo idem oſtenditur, ſi ipſorum origo attendatur; (44) non enim multum temporis eſt, quod eſſe cœperunt, quoniam ſicut patet a Valdeſio (45) Cive Lugdunenſi exordium acceperunt, qui hanc viam incœpit, non ſunt plures, quam octuaginta anni, (46) vel ſi plures, aut pauciores parum plures, vel pauciores exiſtunt; Ergo non ſunt ſucceſſores Eccleſiæ primitivæ; Ergo non ſunt Eccleſia Dei. Si autem dicunt, quod ſua via ante Valdenſem fuit, oſtendant hoc aliquo teſtimonio, quod minime facere poſſunt.

Tertio, per remiſſionem peccatorum oſtendi poteſt, quod eorum congregatio non eſt Dei Eccleſia, hoc modo: Vos veniſtis a Valdeſio, dicatis unde ipſe venit; conſtat quod non niſi a Papa Romanæ Eccleſiæ; (47) Ergo Papa eſt ſolus hæres Eccleſiæ primitivæ. Si autem dicat, quod non ſit a Papa; ad quid ergo venit ad Papam? & promiſit ſervare quatuor Doctores, ſcilicet Ambroſium, Auguſtinum, Gregorium, & Hieronymum, & ſic accepit a Papa prædicationis officium, cujus rei teſtimonium facile poteſt inveniri. Si dicant quod a Deo venerunt, & ab Apoſtolis, atque Evangelio. Contra: Ipſe non parcit niſi per Miniſtrum, unde *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis* Jo: 20. v. 23. Ergo ſi remiſit Valdeſio; per miniſtrum remiſit; ſed dic mihi, per quem Miniſtrum ei remiſit.

Præterea, quod non remittat niſi per Miniſtrum patet Actor. 9. v. 11. & ſequentibus, ubi miſit Paulum ad Ananiam; ſed quare ipſum ad illum miſit, niſi ut oſtenderet, quod non vult tollere Eccleſiæ formam ſuam, & videtur ſervare jam dictum: *quorum remiſeritis peccata &c.*

Item Actor. 10. habetur, quod Cornelio dimiſſa ſunt peccata a Deo, ſed per interpretem perſonam, ſcilicet Petrum, quo loquente verba Dei in domo Cornelii, cecidit Spiritus Sanctus ſuper omnes qui audiebant verbum; Igitur ſi remiſſa ſunt peccata Valdeſio a Deo, per aliquem Miniſtrum ſunt ei remiſſa, ſed per quem niſi per Papam non eſt oſtendere; ergo Papa cum ſuis hæres eſt primitivæ Eccleſiæ.

Quarto modo idem oſtenditur per Ordinem Eccleſiaſticum, quem ipſi ad minus triplicem confitentur, ſcilicet Epiſcopatum, Presbyteratum, & Diaconatum, ſine quo triplici ordine Eccleſia Dei non poteſt eſſe, nec debet, ut ipſi teſtantur; Dicamus ergo eis: Si Eccleſia Dei non eſt ſine iſtis Ordinibus, ve-

(43) Hoc eſt legitimam Eccleſiæ auctoritatem contemnunt hæretici præferentes communi conſenſioni fidelium ſua privata judicia. Ac de hæreticis quidem Petrum diſſerere comperta res eſt, quidquid contra hæretici quidam noſtrorum temporum Valdenſium ſtudia æmulati jactitent. Sic enim loquitur Petrus: *Magis autem eos, qui poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant, dominationes contemnunt, ... ſibi placentes ſectas non metuunt.*

(44) Eodem argumento premit Gnoſticos Tertullianus *Lib. De Præſcription.* quem librum compoſuit, ut oſtenderet falſam eſſe fidem hæreticorum, quod novitatem vocum importet. Id vero directe affirmat *Lib.* I. *Contra Marcionem Cap.* I. *Sed alius libellus*, inquit, *hunc gradum ſuſtinebit adverſus hæreticos, etiam ſine retractatu doctrinarum revincendos, quod hoc ſint de præſcriptione novitatis*. Conſule ergo *Lib. Præſcription. Cap.* XX. & *ſeq.* & *Cap.* XXXII.

(45) Nempe a Petro Valdo, ſic enim Valdenſium auctor vocabatur, ut alias ſæpe animadvertimus.

(46) Petrus Valdus medio XII. ſeculo hæreſim ſuam ſpargere in vulgus cœpit, nempe circa ann. 1160. quare non injuria Moneta affirmat 80. circiter annos ante ætatem, qua ſcribebat hanc *Summam Contra Catharos, & Vald.* ortam fuiſſe Valdenſium hæreſim. Nam ab anno 1160. *ad ann.* 1240. fluxerint neceſſe eſt anni 80. quod innuimus *in Prolegomenis*. Conſule Flevrium *Lib.* LXIII. *Hiſt. Eccleſ. ad an.* 1184.

(47) Codex Vaticanus adjunxit, *quod ſi verum eſt*: Id quod argumento eſſe debet, Monetam hanc fabulam hiſtoriæ loco non habuiſſe, ſed attuliſſe tamen ipſam, ut ex ſua ipſorum narratione Valdenſes revinceret, ut oſtenſum eſt *in Prolegom. huic operi præfixis*.

veſtra autem generatio ſine eis eſt; Ergo non eſt de Eccleſia Dei. Si autem dicat, noſtra generatio illos ordines habet, quæro a quo habuit, quis enim eſt (48) Epiſcopus veſter? ſi dicant, talis homo; dicite, quis ordinavit eum? Si dicunt, quidam; quæro etiam, quis iſtum alium ordinavit, & ſic aſcendendo compellentur uſque ad Valdeſium venire; poſtea quærendum eſt, unde iſte ordines habuit? ſi dicant, quod a ſe ipſo; palam eſt, ſi hoc eſt, quia contrarius Apoſtolo ſit, qui dicit Hebræor. 5. v. 4. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.* (v. 5.) *Sic & Chriſtus non ſemeptipſum clarificavit, ut Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Valdeſius autem ſi a ſe ordinem habuit, clarificavit ſemetipſum ut Pontifex fieret; ipſe igitur Antichriſtus fuit, ideſt Chriſto, & ejus Eccleſiæ contrarius. Si dicant, quoniam a Deo ordinem habuit immediate, illud nullo teſtimonio Scripturæ oſtendere poſſunt; eadem enim ratione quilibet alius bonam vitam ſimulans poſſet idem dicere, & ſic ſectam perditionis inducere.

Præterea, de hoc non eſt mentio apud eos.

Præterea, ſi iſtud velles dicere, quod a Deo ordinatus ſit, quamvis non legatur; niſi diceres, quod Melchiſedech Pontifex fuit, & tamen de ordinatione ejus Scriptura nihil dicit.

Contra: Adminus dicit, quod fuit Pontifex; iſtud autem numquam dicit de Valdeſio; ergo non eſt ſimile de iſto, & de illo.

Præterea dico, quod de ordine Melchiſedech a Deo adminus Scriptura teſtatur. Scriptum eſt enim: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tamquam Aaron*, ut dicitur Hebræor. 5. v. 4.

Præterea, ordo Chriſti fuit talis, qualis ordo Melchiſedech, quod patet ex teſtimonio Patris dicentis ad eum Pſalmo 109. v. 4. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*; ſed ordo Chriſti fuit talis, *quia non ſemetipſum clarificavit ut Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum: Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*; ergo & ordo Melchiſedech conſimilis fuit, ſcilicet quod non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret, ſed Deus qui de eo dixit filio ſuo: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.*

Sciendum autem, quod quidam dixerunt, quod Valdeſius ordinem (49) habuit ab univerſitate fratrum ſuorum. Eorum autem, qui hoc dixerunt principalis auctor fuit quidam hæreſiarcha pauperum Lombardorum Doctor perverſus Thomas nomine; hoc autem probare taliter niſus eſt: Quilibet de illa congregatione potuit dare Valdeſio jus ſuum, ſcilicet regere ſeipſum, & ſic tota congregatio illa potuit conferre, & contulit Valdeſio regimen omnium, & ſic creaverunt illum omnium Pontificem, & Prælatum. Si autem hæreſiarcha ille intellexiſſet, quam fatuum iſtud eſſet, nequaquam ex ore ſuo iſtud procedere permiſiſſet; omnis enim Pontificatus eſt regimen, ſed non omne regimen eſt Pontificatus, quomodo ergo ſequitur: potuerunt ei dare regimen ſui; Ergo Pontificatum? Nunquid valet, ego poſſum tibi dare aliquid; Ergo hoc aliud? Non valet.

Præterea, nonne congregatio aliquorum hominum confert alicui regimen ſuper ſe? Utique; nunquid ergo Pontificatum?

Item, numquid mulier regimen habens alicujus congregationis mulierum, habet Pontificatum, ſive Epiſcopatum? Eſtne Pontifex, vel Epiſcopus? Nunquam hoc invenitur. Aliud eſt conferre ordinem, & aliud eſt conferre regimen, primum enim tantum Epiſcoporum eſt.

Præterea, nonne Hebræor. 7. v. 7. dicitur: *Sine ulla contradictione, quod minus eſt, a meliore benedicitur*; & ſic conſtat eſſe in quolibet canonice ordinato, exceptis quibuſdam privilegiatis perſonis de quibus jam dicemus: Moyſes enim jam Sacerdos Aaron in Pontificem ordinavit, & filios ejus Sacerdotes, ut habetur 8. Levitici. Similiter 20. Numer. Eleazarum pro Aaron Patre ſuo moriente ordinavit in Pontificem. Similiter Petrus & alii Apoſtoli Mathiam ordinaverunt in Pontificem loco Judæ, & impletum eſt illud dictum Pſalm. 108. v. 88. *Epiſcopatum ejus accipiat alter*; ſimiliter Stephanum & ſocios ejus orantes, & manus imponentes in Diaconos ordinaverunt; legitur enim Actor. 14. v. 22. de Paulo, & Barnaba, quod conſtituerunt per ſingulas civitates presbyteros.

Item 1. Timoth. 3. v. 10. Apoſtolus eum inſtruit jam Epiſcopum, de qualitate ordinandorum, ideſt quales ordinet, & quod nemini cito manum imponat. Titum etiam inſtruit de eodem, cap. 1. Quod autem non ordinatus alium ordinet, nec rationem habet, nec teſtimonio Scripturarum fulcitur; unde palam eſt quia fabuloſum eſt dicere, quod Valdeſius ordinem habuit, & quod aliis conferre potuerit; ſic ergo ordine caruit, ergo & vos, ergo non eſtis Eccleſia Dei, quæ in tribus ordinibus adminus conſiſtit, ut exemplis Pauli manifeſte docemus, Eccleſia

(48) Hanc veræ Eccleſiæ notam Patres omnes ſemper hæreticis, ut murum aheneum objecerunt. Conſulendi Irenæus *Lib.* III. *Contra Hæreſes Cap.* III. Cyprianus *Lib.* I. *Epiſt.* VI. Optatus Milevitanus *Lib.* II. *Contra Parmenianum.* Epiphanius *Contra Hæres.* XXVII. Præſtat Audire Tertullianum *Lib. De Præſcriptionibus cap.* XXXII. *Ceterum ſi quæ* (hæreſes) *audent inſerere ſe ætati Apoſtolicæ, ut ideo videantur ab Apoſtolis traditæ, quia ſub Apoſtolis fuerunt: poſſumus dicere: edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverint, habuerit auctorem, & anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt, ſicut Smirnæorum Eccleſia habens Polycarpum ab Johanne conlocatum refert, ſicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit. proinde utique & ceteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos, Apoſtolici ſemini traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici.* Concinit Tertulliano Auguſtinus *in Pſalm. contra Partem Donati Tom.* IX. *Opp. Edit. Antuerp. an.* 1700. *column.* 5.

Numerate Sacerdotes vel ab ipſa Petri Sede
Et in ordine illo Patrum quis cui ſucceſſit, videte:
Ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.

(49) Huc item ſe recipiant neceſſe eſt hæretici noſtrorum temporum. Sublato namque Ordine Succeſſionis, & Hierarchia Eccleſiaſtica labefactata, ſibi ipſis honorem illum arrogant, quem a Chriſto, & Apoſtolis numquam acceperunt. Apte in hos novos, ut in Valdenſes cadit, quod habet Tertullianus Contra Gnoſticos *Lib. De Præſcript. cap.* XLI. *Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconſtantes. Nunc Neophitos conlocant, nunc ſeculo obſtrictos, nunc Apoſtatas noſtros, ut gloria eos obligent, quia veritate non poſſunt … Itaque alius hodie Epiſcopus cras alius; hodie Diaconus, qui cras Lector; hodie presbyter, qui cras Laicus. Nam & Laicis Sacerdotalia munera injungunt.*

Dei non poteſt eſſe ſine Sacramento Ordinis, imo nec ſine ſeptem Sacramentis.

Quinto oſtenditur, quod ipſi non ſunt Eccleſia Dei per carentiam prædicationis; ſicut enim probatum eſt, quod carent Ordine, (50) ita etiam probari poteſt, quod carent prædicationis officio, per illud verbum Apoſtoli Roman.10. v.15. *Quomodo vero prædicabunt niſi mittantur*; ipſi autem non poſſunt oſtendere ſe miſſos ab aliquo habente auctoritatem mittendi. Ad ultimum etiam perveniemus ad Valdeſium, qui fuit primus eorum; de quo non habetur a quo miſſus ſit, niſi a Papa. Non ſunt igitur Eccleſia Dei, quæ Ordinem habet, & officium prædicandi, ipſi autem neutrum habent.

Dicunt autem hæretici, quod ſicut Moyſes in Veteri Teſtamento a nullo homine ordinatus fuit Sacerdos, & tamen fuit Sacerdos juxta illud Pſal.98. v.6. *Moyſes & Aaron in Sacerdotibus ejus*; & aliis Sacerdotium contulit, ut oſtenſum eſt; ſimiliter autem & Paulus fuit Sacerdos & Epiſcopus, ſicut & alii Apoſtoli omnes, unde de Juda dictum eſt Pſalm.108. v.8. *Epiſcopatum ejus accipiat alter*; & tamen a nullo homine ordinatus; unde Galat.1. v.1. *Non ab hominibus, nec per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum, & Deum Patrem*.

Item 2. capite de Apoſtolis loquens ait, quod nihil ſibi contulerunt; ita etiam & Valdeſius & Ordinem habuit, & aliis conferre potuit.

Sed objicitur: Nunquid de Valdeſio (51) invenitur, quod fuerit ordinatus a Deo ſicut de Moyſe, & Paulo? Non. Nulla ergo eſt ſimilitudo veſtra, quam vos hæretici induxiſtis inter Valdeſium & illos. Forte dicent, quod nec de Moyſe invenitur hoc; ſed hoc falſum eſt, cum dicat David Pſalmo 98. v.6. *Moyſes & Aaron in Sacerdotibus ejus*.

Præterea, Exodi 4. v.16. legitur ei dictum fuiſſe a Deo: *Aaron frater tuus ipſe erit os tuum: tu autem eris in his quæ ad Deum pertinent*; prius dixerat ei in eodem capite v.15. *Et ego ero in ore tuo, & in ore illius*; hic autem generaliter loquens adjungit: *Tu autem eris in his, quæ ad Deum pertinent*, ſcilicet conferendo ei Sacerdotium vice Dei, ſicut Pontifex confert in ſimilibus; hinc etiam & Eccleſiaſtici 45. v.3. dicitur de Moyſe; quod *juſſit illi coram populo ſuo*; ubi habet alia litera v.18. *Unxit eum oleo ſancto*; de qua unctione habetur Levitici 8. v.12. & David Pſalmo 132. v.2. ait: *Sicut unguentum in capite*. De Paulo etiam invenitur quod fuerit ordinatus a Deo Apnſtolus. Galat. 1. v.1. *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum, & Deum Patrem*.

Item, eodem primo capite v.11. dicit: *Notum vobis facio fratres Evangelium, quod Evangelizatum eſt a me, quia non eſt ſecundum hominem* [v.12.] *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem Jeſu Chriſti*.

Item, Actor. 9. v.15. dicit Chriſtus de ipſo: *Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filiis Iſrael*; de quo etiam dicetur in ſecunda parte quinti capitis.

Item, Actor. 26. v.16. dixit ei Chriſtus: *Ad hoc apparui tibi, ut conſtituam te miniſtrum, & teſtem eorum quæ vidiſti*. Duo dicit, teſtem, & miniſtrum; aliud enim eſt hoc, & aliud illud; teſtem eſſe Prædicatorum eſt, miniſtrum vero Pontificum eſt. 1. Corinth. 4. v.1. *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*. Ecce quod Apoſtoli Chriſti & miniſtri erant, & aliis miniſterium conferebant. 1. Timoth. 1. v.12. dixit Paulus: *Quia fidelem me exiſtimavit, ponens in miniſterio*. Nec mirandum eſt, ſi Chriſtus, qui Pontifex factus eſt ſecundum ordinem Melchiſedech, in cœlo exiſtens Apoſtolum ordinavit; nec enim Sacerdos eſſe deſiit immortalis factus, & in dextera Dei Patris collocatus; non ſimpliciter dicitur eſſe Sacerdos, ſed in æternum.

Item, ſi infirmus ſecundum carnem, ideſt mortalis in terra exiſtens, alios diſcipulos ordinavit, quid mirum videtur, ſi factus immortalis in Cœlo eos ordinavit, imo ad majorem eruditionem dante Deo aliud eſt dicendum: dicimus autem, quod electi in Apoſtolos, ut habetur Matth.10. v.1. quando convocatis illis poteſtatem dedit ſpirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem dicens v.5. *In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis* [v.6.] *ſed ite potius ad oves quæ perierunt domus Iſrael*; tunc ergo fuerunt electi in Pontifices; poſtea vero Lucæ 10. v.1. fecit ſeptuaginta duos diſcipulos, & miſit illos binos ante faciem ſuam, dans eis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones (52), & ſupra omnem virtutem inimici; iſti fuerunt minores presbyteri, ſive Sacerdotes, quam prædicti. De modo autem, & de forma conſecrandi inſtruxit eos in Cœna ſua cœnans cum illis, quando accipiens panem, & *gratias agens benedixit, fregit, & dixit: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & Calicem poſtquam cœnavit dicens: Hic calix novum teſta-*

(50) Conſulendus S. Cyprianus *Libe De Unitate Eccleſiæ*. Vide quoque Illuſtriſſimum Boſſuetium *Epiſt. Paſtoral. De Paſchali Communione Tom.* I. *Opp. Edit. Venetæ pag.* 454. *ſeqq.*

(51) Moſis, & Pauli, Prophetarum, atque Apoſtolorum, aliorumque miſſionem extraordinariam fruſtra exemplo Valdenſium, in ſuæ Miſſionis patrocinium trahunt nonnulli Proteſtantes. Quo enim Scripturæ teſtimonio, aut quo ſigno probabunt ſe eſſe miſſos ſicuti Moyſen. Nemini autem de ſe ipſo prædicanti fides temere adhibenda eſt. Eo argumento Novatorum omnium miſſionem Patres ſemper elevarunt. Præclare imprimis Tertullianus *lib.* III. *Contra Marcionem Cap.* II. *Præceſſiſſe debuerat mittentis patrocinium in teſtimonium miſſi, quia nemo veniens ex alterius auctoritate ipſe eam ſibi ex ſua affirmatione defendit, ſed ab ipſa defenſione potius expectat præeunte ſuggeſtu ejus, qui auctoritatem præſtat*. Vide eumdem ipſum Tertullianum *lib. De Præſcriptionibus cap.* XXX.

(52) Non ante extremam cum Chriſto celebratam Cœnam inſtituti fuerunt Sacerdotes Apoſtoli. Idque jam certum, atque extra omnem dubitationis aleam ponendum eſſe conſtituit Synodus Tridentina *Seſſ.* XXII. *cap.* I. *Sacerdotem*, inquit, *ſecundum ordinem Melchiſedech ſe conſtitutum declarans, Corpus & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earumdem rerum Symbolis Apoſtoli, quos* TUNC NOVI TESTAMENTI *Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidit, & eiſdem eorumque in Sacerdotio Succeſſoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem*. Cum autem Moneta Apoſtolos quidem Pontifices electos fuiſſe ait, quo tempore contulit eis Chriſtus poteſtatem ejiciendi immundos ſpiritus, minorum autem Preſbyterorum numero habitos ſeptuaginta diſcipulos; non affirmat tunc fuiſſe creatos Sacerdotes, aut Pontifices, ſed electos, quod verum eſt. Nam Chriſtus quos initio delegit Apoſtolos ad Sacerdotium deſtinarat. Ordinavit porro in extrema Cœna Sacerdotes,

testamentum est in meo sanguine, hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem, ut dicit Apostolus 1. Cor. 11. v. 24. & 25.

Sexto modo potest idem ostendi per exitum (53) Catharorum ab Ecclesia; dicit enim Apostolus 1. Timoth. 4. v. 1. *Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum &c.* Modo quæro: Qui sunt isti quidam, qui discessuri erant a fide, nisi Cathari, qui prædicant non nubendum esse,& abstinendum a cibis,quos Deus creavit; constat quod nulli alii sunt. Modo quæro a te: Nunquid a te discesserunt? si dicas sic.

Contra: Nunquam tecum fuerunt, quod tu possis ostendere aliquo testimonio; ego autem ostendo tibi ad oculum, quod ex Romana Ecclesia exierunt; de Romana enim Ecclesia fuerunt omnes, vel fere omnes; ergo tua congregatio non est Dei Ecclesia, sed tantum congregatio Ecclesiæ Romanæ. Forte dicent, quod Cathari, licet non exierunt ex nobis, tamen ex fide (54) nostra exierunt, Apostolus autem dicit eos exituros, non ab aliquibus, sed a fide, quæ, ut ipsi dicunt una est in Ecclesia Romana, & in congregatione Valdensium, licet discrepantia sit in operibus.

Contra: Verum est quod Apostolus dicit eos exituros a fide; sed B. Johannes in prima Canonica cap. 2. v. 18. dicit: *Et nunc Antichristi multi facti sunt: unde scimus quia novissima hora est*: v. 19. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis.* Idem est dicere, *novissima hora est &c.* & dicere in novissimis temporibus discedent quidam a fide 1. Timoth. 4. v. 1. ergo discedere a fide est discedere ab Ecclesia Dei fidem habente. Sed Cathari non discesserunt a tua Ecclesia; ergo ab Ecclesia Romana.

Præterea, ex Auctoritate Johannis sola possum idem habere; Cathari exierunt ex nobis Romanis, ut patet ad oculum; ex vobis autem non exierunt, quod vos possitis ostendere; ergo vos non estis Dei Ecclesia, quam intellexit Johannes per hoc quod ait: *Ex nobis*, idest ex Ecclesia.

Septimo potest ostendi hoc idem, per exitum hæresum generaliter ab Ecclesia; evidens enim est ex testimonio Pauli jam dicto, & ex prædicto testimonio (55) Johannis, hæreses ab Ecclesia exituras.

Idem patet Actor. 15. v. 24. *Quoniam audivimus, quia quidam ex nobis exeuntes, turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandavimus*, & sunt verba Apostolorum Christi, & discipulorum ejus.

Item, Actor. 20. v. 29. dixit Paulus: *Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos non parcentes gregi.* v. 30. *Ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa ut abducant discipulos post se.* Quod autem Ecclesia Dei de aliqua hæresi exitura sit, in nulla Scriptura invenitur: & hoc patet ex eo, quod Ecclesia Dei ab initio mundi, ab Abel scilicet usque ad finem mundi duratura sit, & probabitur inferius tertio capite. Cum ergo constet Valdenses ex Romana Ecclesia exivisse, & non e contra, palam est, quod ipsi non sunt Ecclesia Dei.

Ad prædicta respondebunt præfati hæretici, Dei Ecclesiam de Romana Ecclesia, quæ est Ecclesia malignantium exituram (56), & ad hoc inducunt illud quod legitur Apocal. 18. ubi descripta damnatione meretricis magnæ, quæ in capite 17. v. 18. dicitur *civitas magna, quæ habet regnum super Reges terræ*, quæ & in capite 18. dicitur v. 2. *Babylon magna*, audivit Johannes vocem dicentem [v. 4.] *Exite de illa populus meus &c.* ex quo verbo volunt prædicti hæretici, quod in ultimo tempore, de quo ibi agitur, Dei Ecclesia, quam se esse dicunt, de Ecclesia Romana, quam dicunt Ecclesiam malignantium, exitura sit, & Dei Ecclesia, quæ in Silvestro, ut dicunt, defecerat, per illam tunc restituendam, & ejus restitutionem in verbis prædictis esse prophetatam a Johanne.

Ad hujus autem erroris improbationem sufficit illud, quod dictum est supra in hoc eodem capite, ubi ostensum est, quod per mulierem illam non potest intelligi Ecclesia Romana, nec per civitatem magnam scilicet Babylon, quæ idem est quod mulier illa ut ibi habetur. Dico ergo quod verbum Apocalypsis Prophetia est de exitu electorum, de conversatione congregationis reproborum, quæ significatur per mulierem, & civitatem magnam, ut in eo capite dictum est: appellat autem Deus illos electos suum populum, non respectu status, quo prave vivebant, sed respectu status conversionis, sicut etiam dicitur Matth. 1. v. 16. quod Jacob genuit Joseph virum Mariæ, cum genuit eum, imo postea futurum virum; hic autem promisit Deus Angelo Philadelphiæ, idest Episcopo illius Ecclesiæ, ut dicitur Apoc. 3. v. 9. *Ec-*

(53) Simili argumento jugulat Marcionitas, & Valentinianos Tertullianus *lib. De Præscr. cap.* XXX. indeque evincit doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ, quam ante hæresiarchæ professi fuerant, quam in errorem incidissent, constantem, ac stabilem veritatem. *Ubi tunc*, inquit, *Marcion Ponticus Nauclerus Stoicæ studiosus, ubi Valentinus Platonicæ sectator? Nam constat illos neque adeo olim fuisse Antonini fere principatu, & in Catholicæ primo doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem sub Episcopatu Eleutherii.* Hinc colligere licet Protestantes cum ante suum Schisma, & Apostasiam in Romana communione fuerint, fateri omnino debere, aut eam esse veram Ecclesiam, aut se novam instituisse, quæ ipsa sua novitate vera esse non potuit.

(54) Hoc etiam est effugium hæreticorum hujusce temporis. Cum enim negare non possint majores suos Ecclesiæ Romanæ communioni fuisse addictos; tum fidem Christianam olim vitiatam a Patribus, nunc a se restitutam pugnant: quasi vero Ecclesiæ fides, si vitiata fuisset, fidei Christianæ nomen mereri potuisset. Vide Bossuetium *in collat. cum Claudio Ministro Calvinianorum. To.* I. *Opp. Edit. Venetæ pag.* 130. *seqq.* qui hoc ipsum præcludit hæreticorum effugium.

(55) Pulchre Tertullianus *lib. de Præscription. cap.* XXXVII. „ Hæc est institutio, *inquit*, non dico jam, quæ futuras hæreses „ prænuntiabat, sed de qua hæreses prodierunt. Sed non fuerunt „ ex illa, ex quo factæ sunt adversus illam. Etiam de olivæ nu„ cleo mitis, & opimæ, & necessariæ asper oleaster exoritur . . . . „ Ita & hæreses de nostro fructicaverunt, non nostræ, degeneres „ veritatis grano, & mendacio sylvestres. Si hæc ita se habent, ut „ veritas *nobis* adjudicetur, quicumque in ea regula incedimus, „ quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo; Christus a Deo „ tradidit, constat ratio propositi nostri, definientis non esse ad„ mittendos hæreticos ad ineundam de Scripturis provocationem, „ quos sine Scripturis probamus ad Scripturas non pertinere: Consule quæ sequuntur cetera, sunt enim ad rem, qua de agit Moneta, mirifice accommodata.

(56) Huc recidunt, quæ ad defectionem suam excusandam proferunt hæretici juniores. Ecclesiam Romanam Babylonem esse jactant, adeoque ex ea discedere oportuisse. Adi-sis Jacobum Benignum Bossuetium Meldensem Episcopum *Epist. Pastoral. de Paschali Communione pag.* 461. *Tom.* I. *Opp. Edit. Venetæ.*

Ecce dabo de Synagoga Satanæ, qui dicunt se Judæos esse & non sunt, sed mentiuntur: Ecce faciam illos ut veniant, & adorent ante pedes tuos, & sciant, quia ego dilexi te [v. 10.] *quoniam servasti verbum patientiæ meæ*; sic completur illa Prophetia Oseæ 2. v. 4. quam resumit Paulus Rom. 9. v. 25. *Vocabo non plebem meam, plebem meam; & non dilectam, dilectam; & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam*. Et Petri 1. cap. 2. v. 10. dicitur: *Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei; qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti*. Ille igitur exitus, *exite de illa*; non tangit Ecclesiam, nisi quoad quædam membra sua prius immunda, postea vero mundificata in nomine Domini Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri, ut habetur 1. Cor. 5. v. 11.

Octavo potest idem ostendi per comparationem Ecclesiæ Novi Testamenti ad Ecclesiam Veteris Testamenti (57) in multitudine. Constat enim, quod Ecclesia Novi Testamenti major esse debeat, quam Ecclesia Veteris Testamenti, alioquin Christus pejorasset.

Præterea, hoc patet ex eo quod dicit Apostolus ad Galatas 4. v. 27. *Quia multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum*, idest habebat; & sumitur hoc testimonium de Isaia cap. 54. v. 1. Tua autem Ecclesia o Valdensis non est major quam Ecclesia Veteris Testamenti: ergo tu non es Ecclesia Dei, sed mea Ecclesia sic, quia fidem Christi habens major est illa.

Item Roman. 11. v. 25. *Cæcitas ex parte contigit in Israel donec plenitudo Gentium intraret*. Plenitudo gentium non intravit in te, intravit autem in me; ergo tu non es Ecclesia Dei, sed ego.

Si autem dicat ad hoc, & ad præcedens, intrabit in me, & ego ero major, quam Ecclesia Veteris Testamenti, de hoc non habet testimonium; ego autem teneo pignus jam, quia intravit in me ut patet, & manifeste major; nec est alia fides Christi, quam mea, sicut & tu credis; intravit autem in fidem meam, & in opera (58).

Nono idem potest ostendi per generalitatem doctrinæ Romanæ Ecclesiæ; constat quod Matth. 26. cap. 1. v. 13. dicit Christus discipulis: *Ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur, & quod hæc fecit in memoriam ejus*.

Item Marci 13. v. 10. *In omnes gentes primum oportet prædicari* Evangelium; a tua Ecclesia non est prædicatum in toto mundo, vel in omnes gentes, aut fere in omnes, idest ad Paganos, & Judæos, sed ab Ecclesia Romana prædicatum est in toto mundo, & in omnes gentes (59), vel fere in toto, & in omnes; ergo tu non es Dei Ecclesia, sed ego, idest congregatio Romana.

Item: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ*, ut dicitur Lucæ 16. v. 15. Forte dicent, hoc complendum.

Contra: istud dictum fuit Apostolis, & in eis completum magna ex parte. Si dicant, & nos in eis sumus.

Contra: Hoc verum esse non potest, quia non sunt relicti Apostoli, vel discipuli sectæ tuæ ubique, vel fere ubique, sed discipuli Ecclesiæ Romanæ ubique quasi relicti sunt; ergo vos non estis Dei Ecclesia, sed tantum Ecclesia Romana.

§. V.

Probatio contra Valdenses Ultramontanos.

Valdensibus ultramontanis, qui concedunt quod Ecclesia Romana habet septem Sacramenta (60), & quod a nobis ea reciperent, si dare vellemus, & credunt nos conficere. Potest objici sic: Numquid Ecclesia Romana est Ecclesia Dei? si sic.

Contra: Ecclesia Romana est una congregatio per se, tu es alia, ipsa autem te excommunicavit, & ligavit in terra, ergo ligatus es in Cœlo.

Præterea, tu eam condemnas; pessime igitur facis, quia sic condemnas Ecclesiam Dei; sed in illo articulo, credo Sanctam Ecclesiam Catholicam non fit mentio nisi de Dei Ecclesia; ergo ibi fit mentio de Ecclesia Romana, cum unica sit Dei Ecclesia, sed non credis eam sanctam; ergo venis contra illum articulum; ergo hæreticus es cum omnibus tuis.

Præterea, si est Ecclesia Dei, quare non es secum? Si dicat, eo quod non permittit. Contra: Aut juste, aut injuste; si juste, male est tibi; si injuste, ergo non est Ecclesia; ergo defecit Ecclesia Dei. Si dicat, quoniam mala habet opera, ideo non sum secum. Contra: Si habet mala opera; ergo non est Ecclesia Dei; ergo defecit Ecclesia, quod inferius improbabitur in quinto capite.

Præterea, si Romana Ecclesia est Dei Ecclesia; ergo habet Sacramenta; ergo habet Corpus, & Sanguinem Christi; sed de figura, idest de agno Pascha, si dictum est Exodi 12. v. 46. *In una domo comedetur* in signum quod tantum in una Ecclesia comedetur Christus; ergo si in Romana Ecclesia comeditur, non comeditur in tua; ergo tua domus non est Ecclesia Dei, sed Ecclesia Romana. Si autem dicat, quod Ecclesia Romana non est Dei Ecclesia; ergo Ecclesia Dei defecit, quod infra improbabitur.

Præterea, si defecit, quomodo hæc habet Sacramenta Dei, & præcipue Ordinem Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi?

Decimo idem ostenditur per illud Matth. 22. v. 16. *Multi sunt vocati, pauci vero electi*. Ista duo dicuntur de Ecclesia Dei, ista duo debent ei convenire,

(57) Eodem diffusionis, & amplitudinis argumento usi sunt Patres adversus Veteres hæreticos. Consule Augustinum *Epist.* XCIII. *al.* XLVIII. *post mod.* & *Epist.* CXCVII. *al.* LXXVIII. *in calce*; & *lib. contra Epist. Fundamenti cap.* IV. Confer. etiam Optatum Milevitanum *lib.* II. *contra Parmenianum*.

(58) Vaticanus Codex sic habet: *Quia jurat in casu aliquo sicut & ego, & concedit judicia Sanguinis, sicut & ego*.

(59) Eo sensu dicitur prædicatum Evangelium ab Ecclesia Romana in toto mundo, quod in præcipuis mundi partibus late ab Apostolis, vel Apostolicis viris Ecclesiæ Romanæ societate conjunctis prædicatione sit propagatum. Hac ratione Augustinus docuit invicteque probavit adversus Donatistas sui temporis Ecclesiam ubique diffusam, quamquam nondum ubique gentium constituta esset. Adeundus S. Augustinus *Epist.* XCIII. CXCVII. & CXCIX. *cap.* XII. *ad Hesychium*.

(60) Hinc facile colligi potest discrepasse Valdenses *ultramontanos* a *cismontanis* Valdensibus. Alioquin cur ab ultramontanis tantum septem Sacramenta admissa fuisse Moneta dixisset?

re, sed non conveniunt Ecclesiæ tuæ; ergo tua non est Ecclesia Dei; quod autem vocati intraverint, patet ex eo quod dicitur parum ante illa verba; sic enim habetur v. 9. ubi Rex ait servis suis: *Ite ergo ad exitus viarum, & quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias* [v.10.] *& egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt, malos, & bonos: & impletæ sunt nuptiæ discumbentium* [v.11.] *Intravit autem Rex ut videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali* [v. 12.] *Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit* [v. 13.] *Tunc dixit Rex ministris: Ligatis manibus, & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium.* Duo igitur ostendere intendimus, unum est, quod omnes pauperes, qui Valdenses dicuntur, deviati sunt, & rebelles sunt Ecclesiæ illæ, quæ Romana dicitur, & non solum ab operibus, sed a fide ceciderunt, quia veniunt contra hunc articulum: Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam (61) licet congregationem Romanorum eam esse non credant.

Sed contra. Catharus credit corporum resurrectionem, aliquis enim Catharus credit resurrectionem corporum cœlestium, alius corporum spiritualium, quæ animam dicunt, ut habitum est in quarta parte hujus operis in tractatu de Resurrectione. Nunquid non venit Catharus contra illum articulum: Credo carnis resurrectionem? Dices utique venit, quia non credit resurrectionem corporum prout debet, quia non credit hæc corpora fore resurrectura; ergo a simili tu venis contra illum articulum: Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam, quia non credis sicut debes, non enim credis Romanam Ecclesiam illam esse. Ex hoc constat, quod si ipsa est, tu pauper a fide cecidisti, ostensum est autem supra quod ipsa est Dei Ecclesia.

[*] Forte dicerent, quod eorum congregatio, & congregatio Romanæ Ecclesiæ est Una, Sancta, & Catholica, licet duæ sint ejus partes, una est pars maligna, quæ dicitur modo Romana Ecclesia; alia benigna scilicet congregatio Valdensium.

Sed contra: Illa pars a tempore Silvestri non fuit usque ad tempus Valdesii, quod tu possis ostendere; ergo Ecclesia defecit in Silvestro, quod falsum esse ostendetur in tertio capite [*].

(62) Secundum, quod ostendere volumus, est eorum audacia superbissima. Constat plura & majora peccata, vel crimina fuisse tempore Prophetarum in populo Judæorum, quam tempore Valdesii in populo Romanorum; unde vituperans eos Is. 1. v. 4. ait: *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis: dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum* [v.5.] *super quo percutiam vos ultra addentes prævaricationem? omne caput languidum, & omne cor mœrens* [v. 5.] *A planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas*; & post pauca v. 10. *Audite verbum Domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri populus Gomorrhæ.*

Item v. 21. *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena judicii? Justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ &c.* Et cap. 56. v. 9. *Omnes bestiæ agri venite ad devorandum, universæ bestiæ saltus* [v.10.] *Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, & dormientes, & amantes somnia* [v.11.] *Et canes impudentissimi nescierunt saturitatem: ipsi Pastores ignoraverunt intelligentiam: omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam, a summo usque ad novissimum.* [v.12.] *Venite, sumamus vinum, & impleamur ebrietate: & erit sicut hodie, sic & cras, & multo amplius.*

Item Ierem. 2. v.9. ait: *Sacerdotes non dixerunt: Ubi est Dominus? & tenentes legem nescierunt me.* Et iterum v.26. *Quomodo confunditur fur, quando deprehenditur, sic confusi sunt domus Israel, ipsi, & reges eorum, principes, & Sacerdotes, & Prophetæ eorum* [v.27.] *Dicentes ligno: Pater meus es: & lapidi: Tu me genuisti.* Et post pauca v. 29. *omnes dereliquistis me dicit Dominus.*

Item cap. 5. v. 1. *Circuite vias Jerusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, & quærentem fidem: & propitius ero ei.* Et paulo post v. 4. *Ego autem dixi: Forsitan pauperes sunt & stulti, & ignorantes viam Domini, judicium Dei sui.* [v.5.] *Ibo igitur ad optimates, & loquar eis: ipsi enim cognoverunt viam Domini judicium Dei sui, & ecce magis hi simul confregerunt jugum, ruperunt vincula.* Et paulo post v.7. *saturavi eos, & mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur &c.* fere per totum caput talia de illo populo invenies. Capite 6. multa talia, de quibus illud pono v. 13. *A minore usque ad majorem omnes avaritiæ student: & a Propheta usque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum.*

Item Matth. 8. multa talia invenies. Similiter in Ezechiele, & in aliis prophetis, in tantum ut Michæas dicere compellatur cap.7. v.1. *Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ, non est botrus ad comedendum, præcoquas ficus desideravit anima mea.* (v.2.) *Periit Sanctus de terra, & rectus in hominibus non est.* Talis quidem fuit populus ille in prælatis, & in subditis, & tamen neque dicti Prophetæ, nec alii de illo populo exire præsumpserunt, ut novam Ecclesiam, novumque Sacerdotium invenirent. Ex quo manifesta

(61) Mox addit Codex Vaticanus: *Forte dicent non est verum: immo credimus sanctam Ecclesiam Catholicam, licet &c.*

[*] Quæ duobus asteriscis comprehendimus desunt e *Cod. Bononiensi.*

(62) Injustum esse ab Ecclesia secedere ob corruptos plurium fidelium mores simili argumento fuse probat S. Austustinus *Ep.* XLIII. *al.* CXXVI. ubi exemplis ex Scriptura petitis Aaronis, scilicet, Davidis, Samuelis, Isaiæ, Jeremiæ, Zachariæ, Danielis, Christi Domini, Apostolorum, qui malos tolerarunt, ostendit immerito Donatistas Ecclesiæ unitatem deseruisse ob depravatos mores Catholicorum. Epistola vero XCIII. *al.* XLVIII. *cap.* XII. *Neque enim*, inquit, *propter paleam relinquimus aream Domini, neque propter malos pisces rumpimus retia Domini, neque propter hædos in fine segregandos deserimus gregem Domini, neque propter vasa facta in contumeliam migramus de domo Domini. Cap.* IV. jam dixerat: *Non propter malos boni deserendi, sed propter bonos mali tolerandi sunt; sicut toleraverunt Prophetæ, contra quos tanta dicebant, nec Communionem Sacramentorum illius populi relinquebant.* Consule eumdem Augustinum lib.I. de Moribus Ecclesiæ *cap.* XXXIV. *lib. de vera Religione cap.* VI. *lib.* II. *contra Cresconium capp.* XXXIV. XXXV. XXXVI. *lib. de Unit. Ecclesiæ cap.* XVII.

ſta eſt audacia Valdenſium, qui ab Eccleſia Romana propter quorumdam vitia exire præſumpſerunt, cui adhuc Deus per miracula teſtimonium perhibet, tam in viventibus, quam in his, qui de hac vita tranſierunt, præſertim cum Dominus dicat Mat.23. v.2. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi*; ſi enim Scribis, & Phariſæis, qui nequiſſimi fuerunt de lege Moyſi obtemperandum fuit propter officium, & Ordinem Sacerdotis uſque ad conſummationem legis, quanto magis Sacerdotibus & Prælatis obediendum eſt de lege Chriſti licet mali ſint, donec ab Eccleſia tollantur.

Item, ſi licitum fuit Valdeſio exire de Romana Eccleſia, ut reſtitueret Eccleſiam ſecundum ſuam falſam opinionem in Silveſtro deſtructam; quare non alii in alia provincia tunc temporis? & iterum, quare non tertio adhuc in tertia provincia vel regno; quare etiam non aliis pluribus? Sic autem tot poſſunt Eccleſiæ deſignari, quot regna, vel provinciæ. Quomodo autem ſtabit illud Canticorum 6. v.8. *una eſt columba mea*. Forte dicet, quod una eſſet columba ideſt Eccleſia in genere, licet plures particulares.

Contra: Nonne etiam Valdeſius fuit Summus Pontifex ſecundum eos: Utique loco (63) Silveſtri; ſed eadem ratione quilibet aliorum reſtituentium Eccleſiam, ex dictis eſſet Summus Pontifex. Sic igitur in una Eccleſia eſſent multi Pontifices Summi, quod inconveniens eſſe patet, quia nec in Veteri Teſtamento tale quid invenitur, inde etiam plura inconvenientia ſequerentur.

CAP. II.

Quando incœperit Eccleſia Dei in hoc mundo.

§. I.

Quot modis accipiatur Eccleſia Dei.

VIſo quæ ſit Eccleſia Dei, & quæ non, accedamus ad ſecundum caput hujus partis, & videamus de ejus initio, ideſt quando cœperit. Eſt autem ſententia Catholicorum virorum, quod dupliciter poſſumus conſiderare Eccleſiam. Dicitur enim uno modo Eccleſia congregatio fidelium, ut fidelis dicatur a fide ſimpliciter, hæc autem una, & eadem fuit in antiquis Sanctis, qui fuerunt ante Chriſti adventum in mundum, & in illis, qui poſt Chriſti adventum crediderunt in eum, propter quod dicit Apoſtolus 2. Cor.4. v.13. de ſe, & aliis prædicatoribus Novi Teſtamenti: *Habentes autem eundem ſpiritum fidei ſicut ſcriptum eſt: Credidi propter quod locutus ſum, & nos credimus propter quod & loquimur*. Tempora ergo variata ſunt, non fides, illi Chriſtum venturum, nos veniſſe credimus. Secundum hoc dicendum eſt, quod Eccleſia Dei cœpit a primo juſto (64) ſcilicet Abel; unde & Dominus noſter Matth. 23. v.34. exprobans Judæis ait: *Ecce ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & ſcribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis veſtris, & perſequemini de civitate in civitatem*. (v.35) *Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effuſus eſt ſuper terram a ſanguine Abel juſti uſque ad ſanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quam occidiſtis inter templum, & altare*. Ideo autem dicitur ab Abel incœpiſſe potius, quam ab Adam, cum tamen Adam prius fuiſſet juſtus, quia Abel fuit primus juſtus juſtitia continuata, non interrupta per lapſum peccati, ut oſtendatur, quod Eccleſia Dei ſecundum modum prædictum continue futura foret, & nunquam defitura foret. Adam vero & ſi primus juſtus fuerit, tamen ſuam innocentiam, ſicut & Eva, interrupit. Quod autem Eccleſia fuerit ante (65) Chriſti adventum, probatum eſt in octavo capite hujus operis, ubi probatum eſt, quod in Veteri Teſtamento & ante, fuerint aliqui viri boni, & aliquæ mulieres.

Quod autem Eccleſia Dei non fuerit, nituntur probare hæretici per illa argumenta, quæ ex parte illorum inducta ſunt octavo capite ſecundæ partis, ad oſtendendum, quod nulli ante Chriſti adventum boni fuerint, & ibi ſoluta ſunt. Ad idem inducunt illud ad Galat.3. v.24. Ubi dicitur quod *lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide juſtificemur. At ubi venit fides jam non ſumus ſub pædagogo*, prius ergo non erat fides; Ergo prius non erat Eccleſia.

Solutio: Fides dicitur veniſſe, quia Chriſtus venit de quo eſt fides. Hoc argumentum non valet: venit, ergo non erat prius; ſed dicendum eſt: ergo non erat prius eo modo quo eſt nunc; modo enim eſt fides Chriſti incarnati, prius fuit fides Chriſti incarnandi; modo eſt fides Chriſti paſſi, tunc erat Chriſti paſſuri; ex quo patet, quod fides dicitur veniſſe, quia venit, ideſt completum eſt, quod tunc credebatur futurum, ſicut digna promiſſio dicitur veniſſe, quia id quod promiſſum eſt venit, ideſt impletum eſt.

Ad idem inducunt illud Hebræor.11. v.13. *Juxta fidem defuncti ſunt omnes iſti*, ſcilicet antiqui; Ergo illi non erant in fide. Ergo &c.

Solutio: Argumentum non valet. Nonne vides, quo-

(63) Nam tum primum Eccleſiam vitiatam fuiſſe, jactabant Valdenſes, cum Silveſter Pontificatum gerebat; ut alias ſæpe obſervavimus.

(64) Eccleſiæ Sanctæ, & innocentis primordia ab Abele repetunt Auguſtinus, & Gregorius, ille quidem in *Pſalm.* CXLII. *num.*3. *Tom.*IV. *Opp. pag.*1589. *Edit. Paris Monac. S.Mauri*, ubi hæc habet: *Hæc civitas initium habet ab ipſo Abel, ſicut mala civitas a Cain*. Hic vero *Homil.* XIX. *in Evang. Tom.*I. *Opp-Edit. Paris. Mon.S.Mauri col.*1510. quo loco ſic diſſerit: *Eccleſia incipit ab Abel Juſto uſque ad ultimum electum, qui in fine mundi naſciturus eſt*.

(65) S.Thomas II.II. *Quæſt.*II.*Artic.*VII. *in c.Myſterium Incarnationis Chriſti aliqualiter oportuit omni tempore eſſe creditum apud omnes, diverſimode tamen; & ad 3. arg. Quod ſi qui*, inquit, *ſalvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta* (Chriſti venturi) *non fuerunt ſalvati abſque fide Mediatoris; quia etſi non habuerunt fidem explicitam; habuerunt tamen implicitam*. S. Auguſtinus *Lib.* III. *ad Bonifacium contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap.* IV. „Eadem, *inquit*, fides eſt & in illis, qui nondum, ſed „reipſa fuerunt antea Chriſtiani, & in iſtis, qui non ſolum ſunt, „ſed etiam vocantur, & in utriſque eadem gratia per Spiritum „Sanctum.„ Conſulitor *idem Auguſtinus lib. De Catechizandis rudibus cap.* XIX.

quoniam verbum erat apud Deum, & tamen erat Deus, unde & Christus Johannis 14. v.10. & 11. ait *Ego in Patre, & Pater in me est*: dicuntur tamen fuisse juxta fidem per spem ejus, quod credebant, longe autem erant secundum rem, quia rem illam non tenebant; sicut etiam secundum rem longe sumus a salute patriæ cœlestis, & tamen juxta sumus per spem ejusdem. Unde Apostolus Rom.8. v.24. dicit: *Spe salvi facti sumus*, si enim nunquam in fide fuissent, nequaquam dixisset Apostolus Hebræor. 11. v. 33. de illis, quod *per fidem vicerunt regna*; alia etiam ad idem valentia similia habentur eodem capite ad Hebræos.

Ad idem etiam inducunt illud Matth.16. v. 18. Ubi Christus ait Petro: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*; si ædificanda erat; Ergo nondum erat.

Solutio. Ædificanda erat supra hanc confessionem, sive fidem hujus: *Tu es Christus filius Dei vivi*, ædificat tamen erat, priusquam Christus homo esset factus de Virgine super confessionem istam, quod Christus esset futurus, & nasciturus de Virgine. Unde Deuteron. 18. v. 18. dicebat Judæis Moyses: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem ei &c.*

Præterea, nonne vides, quod Apostolus 1. Corinth. 14. v.4. ait: *Qui prophetat, Ecclesiam Dei ædificat*; si ædificat, nunquid ex hoc sequitur, quod non fuerit? constat quod non sequitur: Similiter dico quod non valet argumentum tuum, quod fecisti; jam enim Petrus priusquam pro se, & aliis dixit Matth. 16. v.16. *Tu es Christus Filius Dei vivi*, ædificata erat super illam confessionem, sed ædificanda quoad alios, qui crediturі erant per verbum eorum in Christo.

Item ædificanda erat quod augmentum, ipsa enim augmentum corporis sui facit ut dicit Apost. Ephes. 4. v. 16.

Dicitur alio modo Ecclesia congregatio fidelium, ut fidelis dicatur quis non a fide simpliciter, sed a fide Christi jam nati de Virgine, jam passi, & sic de similibus; sic autem cæpit ab adventu Christi etiam (66) ante passionem, & resurrectionem, quia ante, Spiritum Sanctum dedit discipulis suis, ut probatum est in capite de Spiritu Sancto in secunda parte hujus operis: hæc est Ecclesia, quæ modo Romana dicitur, quæ a Christo incæpit, cui successit B.Petrus, & sic usque ad consummationem seculi, ut probabitur in sequentibus.

Quod autem a Christo non incœperit Ecclesia Romana, nec a Petro ejus successore volunt habere Cathari (67) per illud quod legitur Matthæi 4.v.23. ubi dicitur, quod Jesus venit in Galilæam prædicans Evangelium regni Dei; non dixit, legem Moysi, vel ordinem Romanæ Ecclesiæ, vel Augustini, vel Benedicti.

Solutio: Imo & legem Moysi prædicavit, quam non venit solvere, sed adimplere, ut ostensum est septimo capite secundæ partis. Nonne credis, quod in Paulo Christus prædicavit? Credis utique. Nonne Actor.26. v.22. ait Paulus: *Usque in hodiernum diem sto, testificans minori, atque majori, nihil extra dicens, quam ea quæ prophetæ locuti sunt futura esse, & Moyses.*

Item, Actor.24. v.14. Dixit idem Paulus *se credere omnibus, quæ in lege, & prophetis scripta sunt.* Quod autem dixisti quod Jesus venit prædicans Evangelium regni Dei, non dixit Romanum Ordinem &c. Respondeo, nec etiam dixit Catharorum.

Præterea, si prædicavit Evangelium, non tamen prohibuit Romanum Ordinem, vel Augustini, vel Benedicti, quia non est talis Ordo contrarius Evangelio, sed fundatus in eo, licet aliqua addat, & quod istud fieri possit, inferius ostendemus in capite de Ecclesiæ Constitutionibus.

Adhuc etiam hæretici agitati veneno perfidiæ nituntur probare, quod Romani Pontifices, & qui eis adhærent, non sunt successores (68) Petri, sed Constantini, nec a Petro incœpisse Ecclesiam, sed a Constantino, vel a Silvestro. Dicunt enim quod cum Paulus venisset Romam, Sancti, qui tunc Romæ erant, quia & ab Imperatoribus Romanorum capiebantur, deridebantur, carcerabantur, & contradicebatur eis fere ab omnibus, & occidebantur. Tunc autem Roma imperium mundi tenebat. Illud autem imperium Julius Cæsar vindicavit sibi, in superbia multa, & rapina, auferens illud ab alio (69) Imperatore. Istud imperium tenuit Roma usque ad tempus Constantini, qui in eodem imperio (70) superbe successit, & sicut habebat tradidit Silvestro, qui fuit Papa hujus Romanæ Ecclesiæ, & omnia insignia imperii illi tradidit, scilicet coronam imperialem, Chlamidem coccineam, Palatium Latera-

(66) S. Augustinus *in I. Epist. S. Johannis Tom.* III. *Opp. Parte* II. *col.*837. *Ibi inchoatam esse Ecclesiam*, dicit, *ubi venit de Cœlo Spiritus Sanctus, & implevit in uno loco sedentes centum viginti*. Ceterum nihil impedit, quominus ante Ecclesia Spiritu Sancto donis manifestis aucta fuerit, quam in Apostolos idem ipse Spiritus in Cœnaculo descendisset, ut noster defendit.

(67) Cum Albanenses, tum Bagnolenses, & Concorrezenses; omnes enim infesti erant Libris Moysis, ut ostendit Reinerius Sachonus in *Summa De Catharis, in Extremo* v. *Tomo Thesauri Anecdotorum Martenii*.

(68) En quibus magistris gloriari possunt novi hæretici, qui Romanum Pontificem ab omni antiquitate pro Petri Successore habitum, Petro tamen suffectum negant. Nos Traditioni Ecclesiæ, omnibusque Christianis Historicis auscultamus; Protestantes autem qui nugis delectantur, Catharosque sequuntur auctores, nihil pendimus.

(69) Summa erat Catharorum in Historicis rebus ignorantia. Non enim cuiquam Imperatori regnum; sed Romanæ Reipublicæ libertatem ademit Cæsar, quod ne pueros quidem fugit.

(70) Nemo Doctus est, qui nesciat Constantinum Patri jure successisse, & non malis artibus. Hinc Deus tanto Imperatori auxilio fuit, ut hostes vinceret. Nota enim est crux, quæ illi in Cœlo apparuit, cum hac hypographe τούτῳ νίκα: *hac vince*. Consule Eusebium *lib.* I. *De Vita Constantini cap.* XXVIII. Philostorgium *lib.* I. *cap.* VI. & Nazarium, Ethnicum ceteroqui Auctorem in *Panegyrico cap.* XIX. ubi hæc habet: *Flagrabant verendum nescio quid Umbones corrusci, & cœlestium armorum lux terribilis ardebat, tales enim venerunt, ut tui crederentur. Hæc ipsorum sermocinatio, hoc inter audientes ferebant: Constantinum petimus, Constantino imus auxilio.* Adeundi Petrus Franciscus Chiffletius in *Dissert. De Cruce Const. Visa edita Paris. an.*1676. & Tillemontius *Tom.* IV. *Hist. Imp. pag.*573. *Edit. Paris.* Injuria autem superbiæ accusant Valdenses, quorum hæc calumnia est, Constantinum; etenim Praxagoras scriptor ceteroqui idololatra apud Photium *Cod.* LXII. testatur, *quod omni virtutum, & honestatis genere, omnique adeo felicitate, omnes omnino, qui se antecesserunt Imperatores facile obscuravit Constantinus.*

nense, & potestatem, atque dominium mundi, sicut ipse (71) habebat, sed ipse habebat hoc per violentiam, & rapinam, sicut Julius Cæsar, & alii prædecessores sui; ergo Silvester, qui illa accepit injuste, & per rapinam illa possedit; Similiter & omnes alii qui a Silvestro per successionem (72) acceperunt; non dicant ergo Romani Pontifices se esse successores Petri, sed Constantini.

Item Petrus 1. cap.2. v.13. dixit: *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum*; Ecclesia autem Romana fere omni creaturæ est præfecta; Quomodo ergo successit Petro, cujus Doctrinam non servat?

Item, quomodo Silvester successit Christo? Christus enim regnum hujus mundi fugit, ut habetur Joannis 6. v.15.

Item Joan. 18. v. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo*.

Item Math. 20. v. 25. *Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui majores sunt potestatem exercent in eos*. (v.26.) *Non ita erit inter vos*.

Solutio: Dico, quod Silvester potestatem spiritualem ligandi scilicet, & solvendi non habuit a Constantino, nec illa potestate Pontificali successit ei, licet illa quæ tu dixisti ab illo habuerit, & Imperij secularis honorificentiam in Italia, & occidentalium regionum provinciis, ut habetur in privilegio Ecclesiæ in Decretis dist. x. cap.6. & sic completa est Prophetia Danielis 7.v.27. *Regnum autem, & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cælum detur populo sanctorum Altissimi*. Ad illud autem quod dixisti quoniam Constantinus illud dominium per violentiam possidebat & rapinam; dico non est verum, imo Deo Auctore a quo est omnis potestas teste Apostolo Roman. 13. v. 1. & per communem populi voluntatem, qui jus suum potuit illi dare, jus videlicet regendi se ipsum; & licet ante conversionem suam abuteretur illa potestate, postea tamen illa bene usus est ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: idem dico de prædecessoribus suis quoad hoc, quoniam illam potestatem a Deo habuerunt, licet abusi sint illa ad mortem Sanctorum: Istud patet Danielis 2. in Nabuchodonosor Rege impiissimo, cui ait Daniel v.37. *Tu Rex Regum, & Deus Cœli regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi* (v. 38.) *Et omnia, in quibus habitant filii hominum, & bestiæ agri, volucres quoque cœli dedit in manu tua*. Juste ergo tradere potuit illa Romano Pontifici quæ dixisti, & juste potuit Silvester uti eisdem.

Præterea, dato quod per rapinam illud imperium, & res imperii habuerit, quod probare non potes: Dic mihi hæretice: Aliquis mille marcas (73) per violentiam & rapinam aquisivit, venit autem ad te cum illis, tradens tibi usum illarum, numquid ipsum argues de illis rebus? numquid (74) non recipies? imo nunquid de hoc te judicas? Non. Quare ergo de regno per rapinam a Constantino possesso & Silvestro tradito ab eodem arguis Constantinum, & Romanum Pontificem? Hoc dato quod per rapinam habuit illa, quod tamen non est verum; dico quod non tradidit ea Silvestro sicut habuit, quia injuste habuit, Silvester autem juste recepit, quia ex Dei decreto ut patet per dictam auctoritatem Danielis. Ad illud quod objecit hæreticus, quod regnum meum non est de hoc mundo, responsum est in prima parte primi capitis hujus operis, & in prima parte cap.8. ubi quæritur, an res transitoriæ a Deo sint. Ad illud etiam Matth. 20. v. 25. *Scitis &c.* responsum est in prima parte sexti capitis secundæ partis. Ad illud quod objicitur, quod Christus fugit regnum mundi, dico verum esse quoad hoc, quoniam noluit esse temporaliter Rex illorum, qui volebant eum constituere sibi Regem, quærentes ipsum non propter ipsum, sed quia manducaverant de panibus ejus; auctoritatem tamen regni mundi hujus non fugit, imo illam habuit, & qui habent, ab ipso habent; unde Sapientia, quæ Christus est ait Proverbiorum 8. v.15. *Per me Reges regnant*. Idem patet per proximum testimonium Danielis 2. v. 37. *Tu Rex Regum &c.* Idem patet per Apostol. Roman. 13. v. 6. ubi a Deo ordinati & ejus ministri, in hoc ipsum ei servientes vocantur ut patebit inferius cap.13. Dico igitur, quod auctoritatem habet Ecclesia, non fugit eam, sicut nec Christus, & tamen sicut Christus noluit esse temporaliter Rex illorum, ita nec Papa vult esse Rex, vel Imperator, sed consentit, vel concedit quod alius sit.

Ad probandum etiam, quod Romana Ecclesia non habuit regimen a Christo vel successore ejus B. Petro, dicunt quod Ecclesia Romana non erat pacata, nec secura de ejus successione; & hoc volunt probare dicentes, quod Romana Ecclesia post mortem Petri fere (75) trecentis annis secundum scripta Eccle-

(71) Nihil minus. Nam quod ipse obtinebat imperium, numquam cedere Pontifici voluit, quamvis amplissimis donis, priviilegiis, muneribus Romanam Ecclesiam auxerit, de quibus doctissimi viri fuse lateque Seculo mox præterito, atque hoc ipso, quo vivimus disseruerunt. Hos ego non indico, quod illorum opera omnium manibus teri soleant.

(72) De Origine Dominii temporalis, quod in hisce provinciis obtinet Summus Pontifex; erudite, sapienterque disputat P.M. Josephus Augustinus Orsius Sacræ Congregationis Indicis a Secretis, in *Opere Italico: De origine Dominii* &c. Prodiit Romæ *an.* 1742.

(73) Cujacius in *Lib.v. Feudor. Marcas*, inquit, *dicit Urspergiensis pro Libris. Plus tamen est marca. Continet enim duas libras. Sed quod Latinis olim fuit libra est hodie marca fere, quod selibra, hodie libra*. Vox est germanica. Hoc autem loco pro genere quodam nummi usurpatur a nostro. Quanti autem valeret *marca* ostendit Doctissimus Ducangius in *Glossar. Med. & infim. Latin. ad v. Marca*.

(74) Ita sentiebant hæretici. Vide nostrum infra *cap.* XIV. §.3. Nefas est autem ab aliquo recipere, quod scias frande quadam, & improbitate fuisse ab illo surrepetum. Jam vero si is qui recipit ignorat rem furto ablatam fuisse istum certe neque se judicat peccasse, neque peccat reipsa recipiendo.

(75) Errant vehementer hæretici. Nam magno in honore habitæ fuerunt Sancti Petri reliquiæ jam usque ab illius Martyrio. Pulcre Cajus Ecclesiæ Romanæ presbyter, qui secundo seculo floruit, apud Eusebium *Lib.* II. *Hist. Eccles. cap.* XXV. „ Ego vero, *inquit*, „ Apostolorum tropæa possum ostendere. Nam sive in Vaticanum, „ sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi tropæa eo- „ rum, qui Ecclesiam illam fundaverunt. Eusebius autem *l. mox* indicato „ Ita, *inquit*, Nero ut apertum se hostem divinitatis, „ pietatisque professus est, ipsorum prius Apostolorum expetit ne- „ cem, & Paulum quidem capite in ipsa Urbe Roma, Petrum ve- „ ro Crucis patibulo condemnat. Horum testimonium quærere ex- „ trinsecus superfluum puto, cum rem gestam insignia usque in „ hodiernum diem, & splendidissima eorum monumenta testentur. Viden ut Eusebius longe altius repetat monumentorum, & reliquiarum Petri, quam a 300. annis post ejus Apostoli necem?

Ecclesiæ Romanæ, inquisivit ejus ossa, quasi per hoc volens ostendere se Petro successisse.

Præterea dicunt, Petrum nunquam fuisse Romæ, unde arguunt nos de inquisitione ossium ejus Romæ, (76) cum in Novo Testamento, nullum testimonium habeatur, quod Petrus fuerit Romæ. Arguunt etiam Ecclesiam Romanam de ossibus illis dicentes, Ecclesiam nescire an ejus ossa fuerint vel alterius hominis mortui, forte Pagani, quod ipsi credunt, & ab illo mortuo dicunt Ecclesiam Romanam sumpsisse exordium, non a Christo, vel Petro, & in mortuis hominibus, falso tamen eam fore contendunt, de quibus Christus Matth. 8. v. 22. ait: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*.

Solutio ad hoc: quod falsum dixit hæreticus Ecclesiam Romanam non fuisse securam, nec pacatam de Petri successione; imo semper de hoc secura fuit, nec ut inde secura fieret, vel ut ostenderet se Petro succedere ossa ejus inquisivit post trecentos annos, ut dixisti, sed propter honorem, & reverentiam Christi, & successoris ejus B. Petri, & devotionem populi Christiani.

Præterea mirum est, quod ausus es dicere Petrum non fuisse Romæ cum dicat Petrus in fine tertiæ Epistolæ v. 13. *Salutat* (77) *vos Ecclesia quæ est in Babylone collecta*. Per Babylonem Romam significari videtur. Nunquid non dicitur de hac Babylone Apocal. 17. v. 18. *Quod habet regnum super Reges terræ*; non est autem dubium, quod Romæ tunc conveniebat potius. Igitur increpandus est hæreticus, quia dicit Petrum non fuisse Romæ, & de hoc testimonium non habet. Quod autem dixit hæreticus Ecclesiam certam non fore de ossibus illis, an essent Petri Apostoli, aut alicujus Pagani. Dico quod non est verum. Licet enim non credas, Deus tamen ad honorem Apostoli sui, per illa ossa aliqua ostendit miracula, his qui Christum, & ejus Apostolum venerati sunt. Non ergo ab aliquo Pagano jam mortuo, sed a Christo, & Petro ejus successore Ecclesia Romana sumpsit exordium; nec consistit in mortuis, sed in vivis per fidem Christi, qui ait Rom. 1. v. 17. *Justus autem ex fide vivit*.

§. II.

De Origine Catharorum.

Viso, quod Ecclesia Romana a Christo velut capite sumpsit exordium, nunc unde Catharorum Ecclesia originem duxerit ostendamus. Sicut enim per universitatem creditorum ab Ecclesia Romana ostensum est, quod ipsa est Christi Ecclesia, ita etiam per universitatem creditorum ab eis ostenditur, quod eorum congregatio non est Dei Ecclesia, nec ab ipso velut capite sumpsit originem, sed potius a Paganis, aut Judæis, aut Apostatis Christianis. Fuit enim quidam Paganus Pythagoras (78) nomine, qui animas hominum in alia corpora, hominum, scilicet, vel pecudum intrare dixit, cui errori plures Pagani consenserunt, & dicti sunt Pythagorici, quos velut exordium suum Cathari, qui duo ponunt principia, imitantur. In hoc errore fuerunt etiam quidam alii perfidi, scilicet Zarden, & Arphaxat, qui dixerunt datorem legis Moysi esse Principem tenebrarum, a quibus omnes Cathari, quoad hunc errorem derivati sunt. Fuerunt etiam apud Judæos Saducæi, qui horum corporum resurrectionem negabant, a quibus omnes Cathari duxerunt originem. Fuit quidam alius Manes nomine qui duo principia posuit, & duas creationes, duasque naturas, unde Manichæi dicti sunt quidam, & ab istis quidam Catharorum sumpserunt principia. Item omnia visibilia, & transitoria asserebant a Diabolo fabricata, unde Christum negabant carnem istam sumpsisse de Virgine. Vetus autem testamentum respuunt, quos Cathari plurimum imitantur. Fuit etiam quidam Tatianus nomine, a quo Tatiani quidam dicti sunt, qui esum carnium reprobavit, quem Cathari imitantur. Item Valentiniani a Valentino, qui Christum dixit nihil de Virgine assumpsisse.

(76) Ex his Monetæ verbis colligi facile potest jam usque a XIII. immo etiam ab XII. saltem seculo, quo orti Valdenses fuerunt, exstitisse hæreticos, qui Sanctum Petrum Romam venisse negarent. Quare falsi sunt, qui neminem ante XV. vel XIV. seculum fuisse putant, qui rem tam exploratam in controversiam revocarint. Ceterum non æque curandum est quid Valdenses existimarint, quidve censuerint Cathari. Nam historici omnes, & Patres, & hæterodoxi quilibet, qui ante XII. seculum floruerunt, Petrum Romam venisse testati sunt. Videntor Calmetus *Dissert. De Adventu Petri in Urb. Rom. præfix. Epist.* I. *B. Petri*. Et Doctissimus Petrus Franciscus Fogginius *De Rom. D. Petri itinere & Episc. Exercit.* II. *seqq.* qui Veterum Testimonia accurate recensent. Ita fit, ut eruditiores hæretici hujusce temporis, cum veritati resistere nequeant, ultro fateantur Petrum venisse Romam, Caveus, Hammondus, Pearsonius, Grotius, Usserius, Chamierus, Blondellus, Patricius Junius, Josephus Scaliger, Thomas Ittigius, & alii plerique, quos numerat *ibid.* Fogginius *Exercitat.* I. *pag.* 9. *seq.*

(77) Babylonis nomine Romam intellexerunt antiquiores Ecclesiæ Patres, ut Papias apud *Euseb. Lib.* II. H. E. *cap.* XIV. Tertullianus *Lib. Adv. Judæos cap.* IX. aliique, ut ante animadvertimus. Consulendus Fogginius *De Rom. D. Petri itinere, Exercitat.* X. *per tot.* Ridendus ergo est Harduinus, qui *in Comment. In Nov. Test.* neque Petrum Romæ, neque Johannem in Asia minore fuisse pugnat. Nam cum hoc homine confligtari nefas habeo; quippe qui omnia sus deque vertit, ut sua somnia verisimilia reddere possit.

(78) Sapienter quidem ostendit noster Originem Catharorum. Ea autem explicata concludi facile potest, Sectam illorum a Christo non fuisse profectam. Siquid enim habuerunt, hoc totum quantum erat aut ab Ethnicis, aut ab hæreticis mutuati sunt. Quod ad animorum transmigrationem attinet, vide *Notationem* VIII. *ad cap.* IV. *Lib.* I. *pag.* 61. *De Veteris Testamenti Auctore consule notam* I. *ad cap.* VI. *Lib.* II. *pag.* 143. De Sententia eorum, qui corporis resurrectionem negarunt, adi *Notationem* I. *ad cap.* VIII. *Lib.* IV. *pag.* 346. De duorum Principiorum assertoribus dixi in *Notationibus ad cap.* I. *Lib.* I. De Hæresiarchis, qui Christum nihil a Virgine sumsisse jactabant plura reperies *Notat.* 58. *ad cap.* II, *Lib.* III. De abstinentia ab ovis &c. disserui *Notat.* 2. *ad cap.* V. *Lib.* II. Zardis, & Arphaxati nomina fabulosa sunt, fictaque ab ascititio Abdia Babylonio. Is in *Opere De Cert. Apost. Lib.* VI. *pag.* 32. *Apud Laurentium De la Barre Hist. Christ. Veter. Patr. Edit. an.* 1683. *Invenerunt Simon Chananæus, & Judas Thaddæus ibi* (In Perside) inquit, *duos magos Zarden, Arphaxat, qui a facie Matthæi Apostoli de Æthiopia fugerunt. Erat autem doctrina eorum prava ita, ut Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Jacob blasphemantes Deum dicerent tenebrarum, & Moysen dicerent maleficum fuisse, denique omnes Prophetas Dei a Deo tenebrarum missos assererent.* Zaradem nescio quem loco Dei habitum a Manete fuisse contendit Cotelerius. *In Lib.* IV. *Recognition. pag.* 542. *Nota* 5. *Tom.* I. *Patrum Apostolicorum Edit. Amsteled. Clerici*. Sed de Abdiæ falsis narratiunculis plura reperies apud Johannem Albertum Fabricium *Tom.* II. *Cod.* Apocryphi Novi Testamenti, quo loco diligenter ostendit unde falso confictus Abdias suam hanc depromserit de Zaroe, seu Zarde, & Arphaxato fabulam.

CAP. III.

An postquam Dei Ecclesia cæpit, desierit esse?

§. I.

Ecclesiam defecisse hæretici probare conantur.

NUnc ad tertium caput progredientes investigemus, an Ecclesia Dei postquam cæpit, esse desierit, sicut falso (1) asserunt Pauperes Leonenses. In primis autem videbimus, quare moti sunt ad hoc dicendum. Secundo improbabimus hunc errorem. Sciendum autem quod isti hæretici dicunt Ecclesiam Dei tempore B. Silvestri defecisse, quando scilicet a Constantino & mundi divitias, & dominationem secularem recepit, & Constantino, quod abuteretur concessit, & consensit. In temporibus autem istis restitutam eam asserunt peripsos, quorum primus fuit Valdesius.

Quæramus ergo unde habent, quod defecerit, (2) & cum inde testimonium non habeant, obmutescant. Ad istud autem probandum inducunt illud Daniel. 8. v. 20. ubi loquitur de Ariete, ideft Rege Medorum, & Persarum; & v. 21. de hirco habente cornu insigne inter oculos, per quod significatur Rex primus Græcorum ut dicitur Danielis 8. quo cornu fracto orta sunt quatuor cornua subter illud, scilicet filii ejus, de uno autem ex eis egressum est cornu unum modicum, & factum est grande, sic dicitur Rex impudens facie, cujus fortitudo roborabitur, sed non in viribus suis. Per istum autem intelligunt Silvestrum dicentes eum in viribus Constantini roboratum. Isti autem hæretici per hoc nihil probant, sed visiones capitis sui loquuntur. Si autem ita volunt intelligere, quomodo exponent singula, quæ dicta sunt ibi a Daniele? aut si aliqua ita finxerunt, non tamen habent quibus testimoniis illa confirment; dicamus autem nos, quod prophetia Danielis exponitur 1. Machabæorum cap. 1. ubi habetur v. 1. quis fuit Rex primus, qui regnavit in Græcia, & v. 9. qui Reges eo mortuo successerunt, scilicet pueri ejus; & quis Rex impudens, scilicet Antiochus, qui ex uno illorum exivit, qui contra Principem Principum, ideft contra Dominum consurrexit, ut patet 1. Machab. 1. v. 23. in violatione templi Dei, & populi ejus, qui etiam sine manu contritus est, ut habetur 1. Machab. 6. ubi dicitur v. 13. quod mortuus est præ tristitia, & non hominis gladio.

Idem etiam habere volunt per illud Matth. 17. v. 11. ubi dicitur: *Elias quidem venturus est, & restituet omnia*; per quem intelligunt Valdesium, & ab ipso dicunt restitutam Ecclesiam, quæ defecerat in Silvestro.

[*] Quibus dicendum est, quod impletum est in eis illud David verbum Psalm. 118. v. 85. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes*, isti qui volunt esse legis Doctores non intelligentes, nec quæ loquuntur, nec de quibus affirmant. [*] Et quare non probant, quod Elias sit Valdesius? Si testimonium inde habent, quomodo stabit quod habetur ibi v. 12. *Elias jam venit*? Hoc dixit Christus; Si hoc nolunt intelligere, quod verum est de Johanne Baptista: de quo etiam dicitur Lucæ 1. v. 17. *Quod ipse præcedet ante Christum in spiritu, & virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam justorum parare Domino plebem perfectam*. Constat, quod iste Elias non fuit Valdesius, imo Elias Thesbites, ut habetur Malachiæ 4. v. 5.

Præterea, non diceretur de Johanne Baptista, quod veniret in spiritu, & virtute Eliæ, ideft Valdesii; imo potius e contrario, Valdesius in virtute Johannis Baptistæ.

Idem etiam probare nituntur dicentes, quod Ecclesia debuit esse pauper, & talis fuit usque ad tempora Silvestri, in quo desiit esse talis, scilicet pauper; & ita in ipso desiit esse Ecclesia Dei. Hujus solutio patebit septimo capite partis hujus.

Idem etiam volunt habere per illud, quod dicit Johannes Apocal. 11. v. 1. Sibi dictum esse: *Surge, & metire templum Dei*; super quo verbo dicunt, si non erat Ecclesia desitura, ad quid mensuraretur? unde ex hoc quod mensurari præcipitur eam Johanni, volunt, quod desitura fuerit tempore Johannis, & ideo mensurari, scilicet quantum duraret.

Ad hoc dicimus, quod verbum metiendi male intellexit hæreticus, ipsa enim mensuratio non pertinet ad durationem ejus per aliquantum tempus, & non amplius; sed metiri templum, ideft Ecclesiam est considerare capacitatem singulorum in Ecclesia, & secundum capacitatem unius verbum prædicationis ministrare. Sic metiebatur templum Ecclesiæ Paulus dicens 1. Cor. 2. v. 6. *Sapientiam loquimur inter perfectos*; Corinthiis vero tanquam parvulis in Chri-

(1) Donatistas sequuti. Hi namque Ecclesiam Catholicam, quæ initio late longeque propagata erat, lapsu temporis defecisse, atque in ea Africæ parte constitisse, quæ Donato accesserat effutiebant. Adeundus S. Augustinus *Lib.* II. *Contra Epistolam Parmeniani cap.* XIX. & *cap.* II. Et alibi passim contra Donatistas *Tom.* IX. *Opp.* Berengarius, teste Ratramno Corbejensi *in Opusc. De Eucharistia, in omnibus gentibus*, ajebat, *credit Mundus, facta est Ecclesia, crevit, fructificavit, sed imperitia male intelligentium postea erravit, & periit: In nobis solis, & iis qui nos sequuntur, postea remansit*. Hæretici juniores initio quidem Ecclesiam visibilem deficere minime posse putarunt: ut constat ex *Confess. Augustana Artic.* VII. *Et ex Apolog. ejusdem Confess. Titulo de Ecclesia*. Consulendus Bossuetius *Lib.* III. *Hist. Variat. nu.* LIX. *pag.* 136. *Tom.* II. *Opp. Edit. Venet.* Paria senserunt Calviniani, ut patet ex *Confess. Flacci Argentinensi cap.* XV. & XVI. Basileensi *an.* 1536. *Art.* XIII. & XIV. Sed cum premi se a Catholicis cernerent, sciscitantibus, ubinam eorum esset ante annos 150. Ecclesia, ut se facile expedire possent, quod observat Jurius *In system. Ecclesiæ pag.* 206 affirmarunt, eam certis quibusdam temporibus fere visibilem esse desiisse. Colligitur hoc plane ex Catechismo Calvinianorum *Dominica* XV. *ex Confess. Art.* XXXI. Ex Claudio Ministro. In *Defensione Reformationis*. Verum sibi non constiterunt semper novi hæretici. Adi-sis Bossuetium *Lib.* XV. *Hist. Variation. num.* 1. *seqq.*

(2) Adposite Augustinus contra Donatistas disserens *Lib. De Unitate Ecclesiæ cap.* XVI. *num.* 42. *Tom.* IX. *Opp.* „ Perscrutentur, *inquit*, Scripturas, & contra tam multa testimonia, quibus ostenditur Ecclesia Christo terrarum Orbe diffundi, vel unum proferant tam certum, & tam manifestum, quam illa sunt, quo demonstrent Ecclesiam Christi periisse de ceteris gentibus, & in sola Africa remansisse, tamquam ab alio initio, non ab Jerusalem, sed a Carthagine, &c.

[*] Non exstant in *Cod. Bonon.* quæ duobus asteriscis complexi sumus.

Christo quasi nondum spiritualibus, sed quasi carnalibus lac potum dedit non escam, ut ipse dicit 1. Corinth. 3. v. 1. & 2.

Præterea, quid per altare intelligitur? nam & illud metiri jubetur Johannes; ego invenio quod altare Christus est. Hebræor. 13. v. 10. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt*. Nunquid istud altare desiturum erat, quia mensurabatur? Non. Ergo neque templum Dei propter hoc dici debet esse desiturum tempore Johannis. Item, nunquid adorantes erant desituri? propter eandem causam, ita oportet te dicere: Ergo omnino defecisset Ecclesia etiam quoad orationem, ut nullus esset medio tempore, qui Dominum oraret, & nullus bonus esset, quod tu non credis.

§. II.

Primo agitur, quod Ecclesia Novi Testamenti, postquam incœpit, nunquam defecit.

NUnc ad secundam partem hujus capitis accedamus, & ostendamus quod Ecclesia Novi Testamenti, postquam esse cæpit, non desierit esse. Legitur enim (3) Isaiæ 9. v. 6. *Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis*; & post pauca subdit v. 7. *Super solium David & super regnum ejus sedebit: ut confirmet illud, & corroboret in judicio, & justitia, amodo, & usque in sempiternum*; Loquitur autem Isaias de Christo pro tempore Incarnationis; imo dicit *natus est*, *datus*; & dicit *amodo*, idest postquam incarnatus, *super solium David, & super regnum ejus sedebit &c.* Ergo non defecit. Idem dixit Angelus Mariæ Lucæ 1. v. 32. *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum*. v. 33. *Et regni ejus non erit finis*. Sed istud regnum appellat Ecclesiam, ergo non fuit finis Ecclesiæ, postquam esse cæpit. [*] Quomodo ergo tu audes dicere contra Evangelium, & propheticum testimonium, quod habuit finem in Silvestro. [*] Ad idem induci potest illud Isaiæ 33. v. 20. *Respice Sion civitatem solemnitatis nostræ: oculi tui videbunt Jerusalem, habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit: nec auferetur clavis ejus in sempiternum: & omnes funiculi ejus non rumpentur*. v. 21. *Quia solummodo ibi magnificus Dominus Deus noster*. De Ecclesia loquitur, non de illa terrena Jerusalem, nec de tabernaculo Mosaico, vel Salomonico, sed de Tabernaculo Ecclesiæ Dei.

[*] Item Isaiæ 49. v. 14. Ubi loquitur de tempore gratiæ ut probabitur infra eodem capite. Deus dixit Sion: *Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei*. v. 15. *Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui*. v. 16. *Ecce in manibus meis descripsi te: muri tui coram oculis meis semper &c.* Muri autem sunt Prælati, qui muniunt civitatem, qui semper (4) sunt oculi Domini postquam Ecclesia cœpit. Quomodo ergo audes dicere, quod defecerit in Prælatis. Item ex dilatatione Ecclesiæ, quæ ibi prophetabatur patet, quod tu non es Ecclesia Dei. [*]

Item Isaiæ 54. v. 1. Ubi loquitur de Ecclesia de gentibus; *Lauda sterilis, quæ non paris &c.* Quod Apostolus ad Galat. 4. v. 27. de præfata exponit Ecclesia; de ista dicit, quoniam non pariebat ante Christi adventum, sed postea plures filii ejus, quam Synagogæ, quæ prius habebat virum, idest Dominum; sed secundum ista duo tempora loquitur de Ecclesia, & secundum primum tempus dicit eodem cap. Isai. v. 6. *Quia, ut mulierem derelictam, & mærentem spiritu vocavit te Dominus, & uxorem ab adolescentia abjectam, dixit Deus tuus*. v. 7. *Ad punctum in modico dereliqui te*; Sed secundum tempus adveutus Christi ait v. 7. *Et in miserationibus magnis congregabo te*. Item secundum primum tempus dicitur ibi v. 8. *In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te*; sed secundum tempus Christi subjungit eod. vers. *Et in misericordia sempiterna misertus sum tui*. Si sempiterna est misericordia; ergo non desiit Ecclesia esse, postquam fuit.

Item subjungit v. 11. secundum primum tempus antequam Christus veniret: *Paupercula tempestate convulsa*; sed secundum tempus gratiæ dicit eod. vers. *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Sapphiris*. v. 12. *Et ponam jaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles, &c.*

Quod autem non defecerit quoad eruditionem, palam est ex Isaia 59. v. 22. ubi de Ecclesia loquens ait: *Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus, qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Dominus, amodo, & usque in sempiternum*.

Quod autem non desierit postquam cæpit, quoad Prælatos sibi invicem succedentes, (5) probatur per illud, quod Dominus dicit ad Ecclesiam sub typo Jerusalem Isaiæ 60. v. 17. *Ponam visitationem tuam pacem, & præpositos tuos justitiam*. v. 18. *Non audietur ultra iniquitas in terra tua, vastitas, & contritio in terminis tuis*. Isti sunt illi præpositi, de quibus dicit Paulus Hebræor. 13. v. 7. *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei*. Item v. 17. *Obedite præpositis vestris,*

(3) Multa ex Isaia congerit Augustinus *Lib. De Unitate Ecclesiæ cap.* VII. *num.* 15. *seq.* ut ostendat Ecclesiam diffusam per universum Orbem, & perpetuam esse oportere; *num.* autem 19. hæc habet: *Ecce ex uno Propheta quam multa, quam clara, & tamen resistitur, & contradicitur, non cuiquam homini, sed spiritui Dei, & evidentissimæ veritati. Et tamen ab eis, qui nomine Christiano gloriari volunt, gloriæ Christi ipsius invidetur, ne ista quæ tanto ante de illo prænunciata sunt, credantur impleri, cum jam non prænunciantur, sed ostenduntur, videntur, tenentur, &c.*

[*] Desunt e *Cod. Bonon.* quæ duobus asteriscis comprehensa vides.

(4) Vaticanus Codex pro *semper* habet *septem*. Hæc postrema mihi videtur vera, atque germana lectio.

(5) Successionem Pastorum ab Apostolis numquam interruptam, veræ Ecclesiæ notam esse palam evincunt Tertullianus *Libro De Præscript. cap.* XXXII. Irenæus *Lib.* III. *Contra Hæreses cap.* III. & *Lib.* IV. *cap.* XXVI. *al.* XLIII. Cyprianus *Epistol.* LXIX. aliique multi.

ſtris, *& ſubjacete eis*. Si autem in terra Eccleſiæ non eſt vaſtitas, & contritio, nec ultra audita eſt in ea iniquitas poſtquam cæpit; quomodo audes dicere, quod deſierit? Si autem dicas: imo in Eccleſia Romana audita eſt iniquitas multa. Dico: falſum eſt, ſi enim in Eccleſia Dei aliquis malus eſt, intra eam non eſt niſi fide, non iniquitate operationis malæ.

[*] Item Iſaiæ 62. v.3. Dicit Dominus ad Eccleſiam: *Eris corona gloriæ in manu Domini*, *& diadema regni in manu Dei tui*. v. 4. *Non vocaberis ultra derelicta*, *& terra tua non vocabitur amplius deſolata*; *ſed vocaberis voluntas mea in ea*, *& terra tua inhabitata*, *quia complacuit Domino in te*: *& terra tua inhabitabitur &c.* Et ſic uſque ad finem capitis de Eccleſia loquitur, & dicit quod diadema regni, & corona erit in manu Dei; Diadema enim ad prælationem ſpectat; & dicit, quod non erit derelicta amplius; ergo non defecit in Prælatis, poſtquam cæpit.

Item Ezechiel.36. v.23. *Cum ſanctificatus fuero in vobis coram eis*, v.24. *Tollam quippe vos de gentibus*, *& congregabo vos de univerſis terris*, *& adducam vos in terram veſtram &c.* v.30. *Et multiplicabo fructum ligni*, *& genimina agri*: *ut non portetis ultra opprobrium famis in Gentibus*.

[*] Item Ezech. 37. v. 21. *Hæc dicit Dominus Deus*: *Ecce ego aſſumam filios Iſrael de medio nationum ad quas abierunt*, *& congregabo eos undique*, *& adducam eos ad humum ſuam*. v.22. *Et faciam eos in gentem unam in terra montibus Iſrael*, *& Rex unus erit omnibus imperans*, *& non erunt ultra duæ gentes*, *nec dividentur amplius in duo regna*. v.23. *Neque polluentur ultra in idolis ſuis*, *& abominationibus ſuis*, *& cunctis iniquitatibus ſuis*: *& ſalvos eos faciam de univerſis ſedibus*, *in quibus peccaverunt*, *& emundabo eos*, *& erunt mihi populus*, *& ego ero eis Deus*. v.24. *Et ſervus meus David rex ſuper eos*, *& paſtor unus erit omnium eorum*: *in judiciis meis ambulabunt*, *& mandata mea cuſtodient*, *& facient ea*. v.15. *Et habitabunt ſuper terram quam dedi ſervo meo Jacob*, *in qua habitaverunt Patres veſtri*, *& habitabunt ſuper eam ipſi*, *& filii eorum*, *& filii filiorum eorum uſque in ſempiternum*: *& David ſervus meus princeps eorum in perpetuum*. v. 26. *Et percutiam illis fœdus pacis*, *pactum ſempiternum erit eis*: *& fundabo eos*, *& multiplicabo*, *& dabo ſanctificationem meam in medio eorum in perpetuum*. v.27. *Et erit tabernaculum meum in eis*, *& ero eis Deus*, *& ipſi erunt mihi populus*. v. 28. *Et ſcient gentes*, *quia ego Dominus ſanctificator Iſrael*, *cum fuerit ſanctificatio mea in medio eorum in perpetuum*. Per filios Iſrael in duo regna diviſos, ſcilicet in regnum Judæ, & regnum Iſrael, intellige duos populos, ſcilicet Judaicum, & Gentilem, qui facti ſunt in regnum unum in adventu Chriſti; David Rex eorum, ideſt Chriſtus Rex eorum de eo natus ſecundum carnem; & nota ibi verba perpetuitatem Eccleſiæ deſignantia, plura enim talia ibi reperies: quod autem loquatur de Eccleſia, patet ex c.2. v.44. *In diebus autem regnorum illorum ſuſcitabit Deus Cœli regnum*, *quod in æternum non diſſipabitur*, *& regnum ejus alteri populo non tradetur*: *comminuet autem*, *& conſumet univerſa regna hæc*: *& ipſum ſtabit in æternum*. v. 45. *Secundum quod vidiſti*, *quod de monte abſciſſus eſt lapis ſine manibus*, *& comminuit teſtam*, *& ferrum*, *& æs*, *& argentum*, *& aurum*. Quis autem iſte lapis, non eſt dubium quin ſit Chriſtus, ſecundum quod Petrus ait 1. 2. cap. v. 4. Iſte lapis ſine manibus, ideſt ſine viri opere abſciſſus eſt de monte, ideſt de B. Virgine, vel cœtu Sanctorum Patrum.

[*] Item Oſeæ 2. loquitur Chriſtus ad Eccleſiam de gentibus v. 19. *Et ſponſabo te mihi in ſempiternum* v.20. *Et ſponſabo te mihi in fide*. Ecce quod dicit ſponſabo te mihi in ſempiternum. Ergo Matrimonium Chriſti, & Eccleſiæ non deſiit. Ergo nec Eccleſia deſiit, poſtquam cæpit. [*]

§. III.

Probatur per teſtimonia Novæ Legis, quod Eccleſia Dei, poſtquam incæpit, nunquam defecit.

NUnc ad teſtimonia Novi Teſtamenti veniamus. Legitur enim Matth.7. v. 24. *Omnis ergo qui audit verba mea hæc*, *& facit ea*, *aſſimilabitur viro ſapienti*, *qui ædificavit domum ſuam ſupra petram*; vir iſte Chriſtus eſt, unde ſuper petram ædificavit (6) Eccleſiam. Hæc eſt illa Eccleſia, quæ ait Pſal. 39. v.3. *Statuit ſupra petram pedes meos*, *& direxit greſſus meos*. 1.Corinth.10. v.4. *Petra autem erat Chriſtus*. Si autem defecit Eccleſia, quomodo verum eſt quod Chriſtus ait Matth.7. v.25. *Et deſcendit pluvia*, *& venerunt flumina*, *& flaverunt venti*, *& irruerunt in domum illam*; *& non cecidit*: *fundata enim erat ſupra petram*.

Item Matth. 7. v. 22. Dicit Chriſtus: *Multi dicent mihi in illa die*: *Domine*, *Domine*, *nonne in nomine tuo prophetavimus*, *& in nomine tuo dœmonia ejecimus*, *& in nomine tuo virtutes multas fecimus?* (7) Non per vitam, ſed per miniſterium. Ergo mala vita non tollit effectum ſuum miniſterio; ergo non amittitur Ordo propter aliquod peccatum; ergo poſito, quod Silveſter peccavit, & malus factus fuerit, non tamen defecit Eccleſia in Silveſtro.

Item Matth. 8. v.4. *Vade*, *oſtende te Sacerdoti*; hoc dixit Jeſus Leproſo, non ob munditiam habendam, quia jam erat mundus, ſed ut propter populum judicaretur mundus a Sacerdote, qui hoc habebat facere ex Ordine. Ex hoc autem apparet, quod approbavit Sacerdotium malorum miniſtrorum; ergo

[*] Deeſt e *Cod. Bonon.* quod duobus aſteriſcis complexi ſumus.

[*] Deſunt e *Cod. Bonon.* quæ duobus aſteriſcis comprehenſa vides.

(6) S. Hieronymus *ad cap.* IV. *Iſaiæ Tom.* III. *Opp. Edit. Martianæi pag.* 45. *ſuper Petram*, inquit, *fundata Eccleſia*, *nulla tempeſtate concutitur*, *nullo turbine ventiſque ſubvertetur*.

(7) Codex Vaticanus addit: *Iſti mali erant*, *& dœmonia ejiciebant*, *& prophetabant*, *atque virtutes multas faciebant*.

go non amittitur (8) per peccatum. Item non dixit, vade, ostende te illi homini, sed Sacerdoti; ut ostenderet, se approbare Ordinem, & non vitam personæ. Ordo igitur Sacerdotalis non amittebatur in Veteri Testamento propter malam vitam; ergo nec modo; si enim illud Sacerdotium, quod tantum erat ad tempus, non desinebat propter malam vitam, multo fortius nec nostrum, quod perpetuum est. Ergo licet peccavisset Silvester, quod non est verum, non tamen Ordinem amisisset; ergo non defecit in eo Ecclesia Dei.

[*] Item Matth. 13. v. 30. dicitur servis a Patre familias: *Sinite utraque crescere usque ad messem*, idest usque ad seculi consummationem, utraque (9) dicit; Zizania, & triticum, idest filios nequam, & filios regni, idest Dei Ecclesiam; Si ex tunc usque ad messem crescere debuit; ergo non defecit. [*]

Item Matth. 16. v. 18. dicitur, quod Christus ait Petro: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*; (10) quod non esset, si defecisset.

Item Matth. 24. v. 34. *Non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant*. Ante Valdensem non erant impleta illa, quæ ibi Dominus dicit. Ergo nondum præterierat generatio Ecclesiastica, de qua Petrus 1. cap. 2. v. 9. dicit: *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuncietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum*.

Item Matth. 28. v. 20. dixit Christus discipulis: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi*. Istud dixit Christus Prælatis Ecclesiæ, idest Apostolis, & Successoribus suis, ergo usque ad consummationem non deficiet, quoad successionem.

Præterea, si tantum loquebatur illis undecim discipulis. Contra: Isti brevi tempore vixerunt; ergo non fuit secum omnibus diebus usque ad consummationem seculi; falsum ergo dixit eis.

Præterea, secundum hoc illa promisio non tangit Paulum, nec Titum, vel Timotheum, nec alios Prælatos, & fideles; Quomodo igitur fiduciam possunt habere in eo illi, qui modo sunt? Nullam. Loquebatur ergo illis pro se, & suis successoribus. Ergo Ecclesia non defecit, cum loquatur ibi Apostolis, ut Prælatis, atque Baptistis, & Doctoribus. v. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. v. 20. *Docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum (11) sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi*.

[*] Item Marci 14. v. 7. dixit Christus discipulis: *Semper enim pauperes habetis vobiscum, & cum volueritis, potestis illis benefacere, me autem non semper habetis*. [*]

Item Lucæ 1. v. 33. *Et regni ejus non erit finis*; & loquitur de regno, quod est Ecclesia Dei.

Item Lucæ 22. v. 32. dixit Christus Petro: *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*; ergo fides ejus non defecit, ergo nec Ecclesia; vel si hæc defecit, & fides defecit, quæ alibi non est nisi in Ecclesia Dei; non enim rogat Christus pro quacumque fide, sed pro fide operante per dilectionem.

Item Johan. 14. v. 18. Christus ait: *Non relinquam vos orphanos*; quod non esset, si Ecclesia defecisset, omnibus enim hoc dicit.

Item Johan. 17. v. 20. Christus orans ad Patrem ait: *Non pro eis autem rogo tantum*, scilicet pro Apostolis, *sed pro eis, qui credituri sunt per verbum in me*. v. 21. *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus, quia tu me misisti*. Ecce quomodo pro Apostolis rogat & pro successoribus, ut sint inseparabiliter unum, sicut & ipse, & Pater, donec mundus credat. Quare ergo audes dicere, Ecclesiam Petri, quoad successionem, defecisse?

[*] Item 1. Corint. 11. v. 26. *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*. Annuntiabitis dicit per successionem, donec veniat in secundo adventu ad judicium; ergo non defecit quoad successionem ministrorum.

Item Ephesior. 2. v. 20. *Superædificati super fundamentum Apostolorum, (12) & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu*. v. 21. *In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino*. Crescit, dicit, & in templum, non qualecumque, sed Sanctum, idest firmum; & prædixerat causam, quia superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, idest supra firmam petram, supra lapidem angularem, idest Christum; Quomodo autem crevit in templum Sanctum, si tam cito defecit? Capite 3. v. 20. dicit: *Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter*,

(8) Ut Cathari, & Valdenses existimabant.

[*] Quæ duobus asteriscis complexi sumus, desunt e *Cod. Bonon.*

(9) Cave censeas Monetam iis assentiri, qui præmia, aut pœnas sempiternas differri ad extremum usque Judicii diem putarent. Nam hunc errorem ante *Lib.* IV. refellit. Ergo de seculi consummatione hoc ῥητὸν intelligit, quod tum numerus electorum compleri debeat. Augustinus etiam *Lib. De Universitate Ecclesiæ cap.* XVIII. *num.* 47. *Quidquid*, inquit, *de peccatis hominum & verum, & probatum objicitur, nec tamen ad frumenta, quæ inter paleam latent, sed ad ipsam paleam, quæ in fine separabitur, pertinet, non objiciatur, &c.* Consule quæ exstant *ibid. cap.* XVII. *nu.* 45.

(10) S. Leo *Epist.* X. *al.* LXXXIX. *ad Episc. Provinciæ Viennensis: Hunc* (Petrum) inquit, *in consortium individuæ unitatis assumtum, id quod ipse erat voluit nominari, dicendo:* Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, *ut æterni ædificatio templi, mirabili munere gratiæ Dei, in Petri soliditate consisteret: hac Ecclesiam suam firmitate corroborans, ut illam nec humana temeritas posset appetere, nec portæ contra illam inferi prævalerent*. Consule Doctissimum Orsium *De Auctor. Roman. Pont. Lib.* II. *cap.* XIII. *Art.* I. *pag.* 298. *seqq. Tom.* I. *Parte* I. quo loco multa ex Patribus affert, quæ ad rem nostram pertinent.

(11) S. Johannes Chrysostomus *Homil.* XI. *al.* XCI. *In Matthæum num.* 2. *pag.* 841. *Tom.* VII. *Opp.* post allata Christi verba: *Ecce ego &c. Viden*, inquit, *quomodo illa sese attemperandi causa dixerit? Non cum illis solum se fore dixit, sed etiam cum omnibus, qui post illos credituri erant. Neque enim Apostoli usque ad consummationem seculi mansuri erant: sed fidelibus omnibus, quasi uni corpori loquitur*.

[*] Desunt e Codice *Bonon.* quæ duobus asteriscis comprehendimus.

(12) Isidorus Pelusiotes *Lib.* I. *Epist.* CCCCXCVII. *Quemadmodum*, inquit, *angularis quidem lapis duorum parietum vinculum esse invenitur ad arctissimam, & firmissimam conjunctionem eos inter se devinciens: eodem modo Domini Nostri Incarnatio duobus Orbis populis inter se copulatis, atque in unum Corpus, & unum Spiritum compactis, in caput anguli effecta est, firmam ac minime nutantem conjunctionem interpositu suo custodiens*.

ter, quam petimus, aut intelligimus secundum virtutem, quæ operatur in nobis. v.21. *Ipsi gloria in Ecclesia, & in Christo Jesu, in omnes generationes seculi seculorum. Amen.*

Item Ephes.4. v.11. Apostolus de Christo loquens ait: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores, & doctores.* v. 12. *Ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi* v.13. *Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.*

Si dedit tales, & tales donec &c. Igitur Ecclesia non defecit postquam cæpit, nec quoad successionem Pastorum, nec quoad eruditionem sive doctrinam.

Item Philip.1. v.6. Dicit Apostolus: *Qui cæpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.* In vobis dicit per successionem usque in diem Christi Jesu. Hic est dies ille de quo 1.Thessal.5.v.2. Dicit Apostolus: *Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet.*

Item Act.17.v.31. *Statuit diem in quo judicaturus est orbem in æquitate.*

Item Timoth.1.cap.3. v.14. dicit Apostolus: *Hæc tibi scribo,* Fili Timoth, *sperans me ad te venire cito.* v.15. *Si autem tardavero, ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna, & firmamentum veritatis.* Si tamen cito defecit, ut dicis, non est verum firmamentum veritatis; alioquin non dicit verum Apostolus 2.Timot.3. v.19. *Firmum fundamentum Dei stat.* Quomodo etiam verum est, quod Christus ait Matth. 7. v. 25. *Et descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat supra petram?*

Item Hebræor. 1. v.8. Introducit Apostolus verba Patris ad Filium: *Thronus tuus Deus in seculum seculi;* (13) Et quis est ejus Thronus nisi Ecclesia? Ad hujus confirmationem induc, quod supra dictum est ex Isaia 9. v.7. *Super solium David;* quod etiam habetur ex Luca 1. v.32.

[*] Item Apocal. 1. v.13. Beatus Johannes vidit filium hominis vestitum podere; notum est, quod poderis est tunica talaris a pos, quod est pes, unde & tripos tripodis dicitur propter triplicem pedem. Quæ est ista talaris tunica nisi Dei Ecclesia, qua filius hominis, idest Christus vestitus est? Nulla alia. Hoc est illud vestimentum, quod ei promisit Pater Isaiæ 49. v.18. *Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris.* Quare autem talaris dicitur, nisi quia ab initio, idest, postquam cæpit, duratura erat usque ad finem mundi; hoc est quod David ait Psalmo 132. v. 1. *Ecce quam bonum, & quam jucundum, habitare fratres in unum.* v. 2. *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. Quod descendit in oram vestimenti ejus.* Et Isaiæ 49. *Et circumdabis tibi eos quasi sponsa.* Constat autem quod in illo capite loquitur Dominus de tempore gratiæ, sicut patet ex illo verbo ibi posito v. 8. *In tempore placito exaudivi te, & in die salutis auxiliatus sum tui &c.* Quod exponit Apostolus de tempore gratiæ 2. Corinth.6. v.1.

Item propter illud verbum ejusdem capitis Isaiæ v.6. *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ:* quod Paulus Actor. 13. v. 48. pro eodem tempore dictum exponit. Item de facto oppono: Quomodo est tempus gratiæ ab adventu Christi, si tam cito defecit, & si tam parum duratura est post resurrectionem?

Item Paulus Rom.15. v.19. dicit, quod *ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverit,* idest plene prædicaverit, *Evangelium Christi.*

Item Actor. 14. v. 22. dicitur: quod Paulus & Barnabas constituerunt per singulas civitates Presbyteros. Posito ergo, quod etiam in Silvestro defecerit, quod tamen non est verum, non sequitur quod defecerit in aliis Prælatis.

Præterea? ibi reliquit Paulus discipulos, & Barnabas similiter. Confidenter autem dico, quod sectæ tuæ discipulos ibi non reliquerunt; sed discipulos tantum ejus, quod tenet Ecclesia Romana. Ipsa igitur est Ecclesia Dei, & non tu. [*]

C A P. IV.

De perpetuitate animarum humanarum, a qua pendet perpetuitas Ecclesiæ, & de immortalitate animæ.

§. I.

Quibus auctoritatibus anima mortalis esse videatur.

OStenso, quod Ecclesia Christi perpetua est, idest postquam cæpit, desitura non est, nec desiit; accedamus ad quartum caput hujus partis, & de perpetuitate animarum tractemus, sine qua Ecclesia non potest esse perpetua. Sunt enim quidam homines, qui unum putant interitum hominum, & jumentorum, & æquam utrorumque conditionem, credentes, animas hominum cum corporibus interire. In hoc autem non arguo Catharos, nec pauperes Ultramontanos, (1) aut Lombardos, sed quosdam, qui ut sine fræno possint (2) vivere ad rea-

(13) De imperio cœlesti intelligunt Patres. Atque is quidem est hujusce ῥητοῦ sensus κατα λέξιν. Moneta Ecclesiæ militanti accommodat: quod sane quo minus faciat, nihil impedio.

[*] Quæ duobus asteriscis complexi sumus desunt e *Cod. Bonon.*

(1) Hi enim censebant animas hominum esse immortales. Itaque contra eos disputat, qui ut sine metu in omne scelus sese possent effundere, animam mortalem esse existimabant, Epicureos auctores sequuti. His autem accedunt *Libertini* nostrorum temporum, qui Dei existentiam, animorumque immortalitatem negant, ut vivere scelerate possint.

(2) Hæc enim est ratio, quæ plerosque ante induxit, ut humanis animis tollerent immortalitatem. Hinc Sapienter Athenagoras in *Legatione pro Christianis pag. 39. Edit. an.* 1636. *Illi,* inquit, *qui præsentis hujus sive probæ, sive improbæ vitæ numquam sibi reddendam rationem, sed animam cum corpore simul interituram, veluti in eo extinguendam putarunt; nullum non facinus ausuri sunt.* Præter Ethnicos; qui animos esse mortales existimarunt, fuerunt etiam e Judæorum Republica Sadducæi apud *Josephum Lib.* XVIII. *Antiq. cap.* XII. Et ex hæreticis antiquis Heracleon Valentinianus apud *Origenem Tom.* XVIII. *In Evangel. Johannis pag.* 255.

reatum suum istud apud se confinxerunt, quorum errorem describit liber Sapientiæ capite 2. Quod autem anima humana non moriatur cum corpore, potest probari multipliciter. Primo per Scripturam divinam; Secundo naturali ratione. Ad hoc autem valet illud, quod ait Christus Matth. 10. v. 28. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Ex quo patet quod anima non moritur cum corpore, alioquin occiso corpore occideretur anima humana. Ad idem etiam inducendum est illud, quod Dominus ait Matth. 22. v. 32. *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob.* Postea subdit eod. vers. *Non est Deus mortuorum, sed viventium.* Isti ergo tres vivi erant tunc quando Christus dixit illud; sed non secundum corpus; ergo vivebant secundum animam; ergo animæ eorum non erant mortuæ cum corporibus; ergo animæ immortales sunt.

Idem etiam probatur per Scripturas Philosophorum, unde adjuvante Deo ponendæ sunt aliquæ eorum rationes ad probandam animarum immortalitatem.

Dividitur autem hoc caput in duas partes. In prima primo inducuntur quædam argumenta ad ostendendam animæ mortalitatem: hæc autem pars in duas dividitur; in prima inducuntur auctoritates quibus videtur anima humana esse mortalis. In secunda autem parte inducuntur quædam rationes sophisticæ ad idem.

Primo autem ad hoc probandum inducimus illud Ecclesiastes 3. v. 19. *Sicut moritur homo, sic & illa,* idest jumenta, *moriuntur, & nihil habet homo jumento amplius.* Secundo inducimus illud 1. Timot. 1. v. 17. *Regi autem seculorum immortali, invisibili soli Deo.* Solus igitur Deus immortalis est. Ad idem facit quod habetur ultimo cap. ejusd. Epistolæ v. 16. *Qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem.* Item Johannes (3) Damascenus 2. vel 3. capite dicit de Angelo: *Qui est suscipiens immortalitatem secundum gratiam, non secundum naturam;* ergo multo fortius anima secundum naturam mortalis est, & est immortalis ex sola gratia. Item ibidem dicit Johannes Damascenus. *Omne creabile variabile est, solum enim quod increabile est, & invertibile est.* Item ibidem dicit *omne enim quod incipit, & terminatur secundum naturam;* ergo cum anima humana cœperit esse, ipsa est finibilis secundum naturam. Item B. Gregorius in Moralibus. *Cuncta quæ de nihilo facta sunt, & eorum essentia rursum ad nihilum tenderet, nisi omnium auctor ea manu regiminis contineret.* Item Augustinus contra Epistolam fundamenti: *Res ideo corruptibiles sunt, quia de nihilo sunt,* ubi autem eadem ratio, ibi idem effectus. Ergo cum anima de nihilo sit, ipsa est corruptibilis.

Solutio harum auctoritatum hæc est: Ad primam dicimus quod Ecclesiastes loquitur ibi non asserendo, sed (4) concionando: isti sunt de quibus dicitur Sapient. 2. v. 1. *Dixerunt impii cogitantes apud se non recte: Exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis.* Ad illud Apostoli dico, quod solus dicitur (5) immortalis eo modo quo dicitur Matth. 19. v. 19. *Unus est bonus Deus,* scilicet ex se ipso, non ex alia causa; & ex hac ratione sumitur secunda solutio, quare solus Deus dicitur immortalis, ideo scilicet, quia ipse solus ita est immortalis, ut sit sua immortalitas; idem enim est ibi quod habetur, & quod est, secundum omnia quæ de ipso dicuntur, ut idem bonum, & bonitas, & sic de hujusmodi. Ad illud quod dicit Johannes Damascenus, dico: quod (6) natura dicitur multiplex, uno modo dicitur

pag. 255. *Tom.* II. *Edit. Huetii*. Consule novam S. Irenæi *Editionem a Massuetio adornatam an.* 1710. *pag.* 373. omitto Arabas illos, atque Samaritas memoratos in Eusebio *Lib.* VI. *Hist. cap.* XXXVII. Origene *In cap.* XXII. *Matth. pag.* 486. *Tom.* I. *Edit. Huet. an.* 1685. Epiphanio *Hæresi* IX. *pag.* 16. *Tom.* I. *Opp.* Et Leontio *de Sect. Art.* II. *pag.* 422. Tempore Synodi Basileensis fuisse *in Hesperia plaga Sadducæos* Pseudo-Christianos, *qui resurrectionem negarent, & animas cum corporibus simul interire affirmarent*; auctor est Andreas de Petra Archiepiscopus Colossensis Eugenii Papæ ad Synodum Legatus *Tom.* XVII. *Concilior. col.* 663. Seculo XVI. Pomponatius æstu disputationis abreptus dum Niphum refelleret, animorum immortalitatem cum principiis naturæ pugnare scripsit. Quare Synodus Lateranensis sub Leone X. *Sess.* VIII. *col.* 842. *Tom.* XIX. *Concil. Edit. Venetæ* hunc errorem damnavit. Prætereo quæ de animo humano censuit Henricus Dodvvellus, illum nempe non esse spiritum, adeoque non esse natura immortalem. Nam refellitur a Masuetio *Dissertat.* III. *Art.* IX. *pag.* CIV. *seq. In Opera S. Irenæi. Edit. an.* 1710.

(3) *Lib.* II. *De Fide Orthodoxa cap.* III. *Tom.* I. *Opp. pag.* 155. *Angelus est substantia . . . ejus natura secundum gratiam immortalitatem consequuta, & pag.* 156. *Immortalis est, non quidem natura, sed Dei munere & gratia. Quidquid enim ortum habuit, finem quoque suapte natura habiturum est. Solus enim Deus semper est.* Verba Gregorii, quæ indicat noster, exstant *Lib.* XVI. *Moral. cap.* XXXVII. *alias* XVIII. *col.* 118. *Tom.* I. *Opp. Novæ Edit.* suntque hujusmodi: *Cuncta ex nihilo facta sunt, eorumque essentia rursum ad nihilum tenderet, nisi eam auctor omnium regiminis manu retineret.* Quod autem tribuit Augustino expressum est e libro de natura boni contra Manichæos *cap.* X. *col.* 357. *Tom.* VIII. *Opp. Edit. an.* 1700.

(4) Nempe non affirmando, quasi hæc sit Scriptoris Spiritu Sancto adflati sententia; sed *concionando*, hoc est referendo aliorum, qui prave sentiebant, judicia minus castigata, minusque consentanea rationi. Sunt, qui censeant de exitu bestiarum, & hominum, qui sub oculos cadit, sermonem a Scriptore Sacro institui, atque huc sensum ῥητȢ hujus recidere. *Oculis nostris idem esse interitus hominum videtur ac interitus jumentorum; quare si sensibus nostris tantum sistendum sit, non censebitur homo esse jumento præstantior. Quis enim oculis, aut sensu percepit spiritum filiorum Adam sursum ascendere?* Ceterum non negat, quod si mentis nostræ, & revelationis habeatur ratio, tum demum non pateat animam hominis immortalem esse, bestiarum vero non item. Ceterum multa sunt testimonia Scripturarum, quæ mox producentur a nostro, quæ tam diserte constituunt animorum immortalitatem, ut mirum sit ex hoc uno implexo ceteroqui, & impedito, voluisse *libertinos* evincere, animos esse mortales, neglectis illis luculentissimis, quibus nihil clarius potest desiderari.

(5) Adposite Athanasius, seu *Auctor Dialogi* I. *Contra Macedonit. Solus Deus*, inquit, *immortalitatem habet, quia Deus ipse est immortalitas; Angeli autem μετοχῆ ἀθανασίας participatione immortalitatis, sunt immortales.* Consulendi Theophylactus *in hunc Apost. loc. pag.* 793. & Johannes Damascenus *Lib.* I. *Contra Manichæos.*

(6) Non Johannes Damascenus tantum, verum etiam Irenæus, Sophronius, Dionysiaster, aliique multi veteres Christiani hanc dicendi rationem adhibuerunt. Verum sic intelligebant, ut Deum solum ipsam esse immortalitatem vellent, res autem creatas, si quæ sunt immortales, participes esse divinæ illius immortalitatis. Audi Irenæum contra Gnosticos disceptantem: *Lib.* II. *cap.* XXXIV. *pag.* 168. *Edit. Paris Monach. S. Mauri.* „Discant, quoniam sine „initio, & sine fine vere, & semper idem, & eodem modo se ha„bens solus est Deus, qui est omnium Dominus. Quæ autem sunt „ab illo, omnia quæcumque facta sunt, & fiunt; initium quidem „suum accipiunt generationis, & per hoc inferiora sunt ab eo, qui „ea fecit, quoniam non sunt ingenita, perseverant autem, & ex„tenduntur in longitudinem seculorum secundum voluntatem facto„ris

citur natura materia ejus, ut habetur in 2. physicorum Aristotelis; alio modo natura dicitur forma; tertio modo dicitur natura prima causa, quæ est principium nativitatis uniuscujusque rei, natura enim a nascendo dicitur, quasi nascendi principium; secundum hunc ultimum modum non est dubium animam esse vertibilem; Deus enim posse habet, eam vertere in non esse, sicut de non esse eam duxit in esse. Item secundum eandem naturam, scilicet primam causam immortalis est; Dei enim virtute ut natura naturante omnia, perpetuatur esse animæ. In his tribus sensibus non est idem natura, & res naturæ secundum esse, nec etiam secundum rationem. Quarto modo dicitur natura rei ipsa res naturæ, idem enim est secundum esse &c. in Deo licet sit ratione differens, unde dici solet communiter, quod in Deo est idem, quod est, & quo est. Sic sumit idem Jo: Damascenus Lib. 2. cap. 3. Ubi dicit Angelum immortalem secundum gratiam, non secundum naturam, & est sensus ex gratuita bonitate Dei, non ex se ipso; similiter enim intelligendum de anima, hujusmodi enim creaturæ immortalitatem habent per participationem, non per essentiam suam, sicut Deus, cujus essentia est sua immortalitas, & in quo idem est immortale, & immortalitas, idem enim in eo est quod est, & quo est. Ad illud aliud Johannis Damasceni, omne quod creabile est, vertibile est, dicitur, quod istud intelligendum est duobus modis in Angelo, & anima humana, uno modo, scilicet per subtractionem virtutis causæ primæ ab ipsa re creata, & hoc vult B. Gregorius cum dicit. *Cuncta quæ de nihilo facta sunt, & eorum essentia rursum ad nihilum tenderet, nisi omnium auctor ea manu regiminis contineret*. Iste autem modus communis est cunctis creaturis; Secundum hunc modum unumquodque creatum naturaliter vertibile est, quia prima causa subtrahente suam virtutem ab ea, ejus natura non sufficeret ad conservationem rei in suo esse; sed non dicitur naturaliter vertibile, quia natura ejus sit causa versionis, nisi in aliquibus, in his scilicet, in quibus sic est, quod sunt ex contrariis ut in corporibus elementatis. Alio etiam modo, qui est proprius creaturæ rationalis dicitur Angelus, vel anima humana vertibilis, quem etiam modum tangit ibi Joh. Damascenus, dicens Angelum (7) vertibilem secundum mentem, scilicet voluntatem, & loquitur de Angelo secundum statum ante confirmationem, similiter anima humana vertibilis est secundum voluntatem.

Nota, quod aliqua res unico modo vertibilis est in non esse, ut anima, vel Angelus, scilicet redeundo in non esse, si prima causa tolleret inde virtutem suam. Aliqua autem res vertibilis est duobus modis, ut corpora cœlestia, quæ sunt elongata a contrarietate omnium intra se, & extra se, ut ponit Aristoteles in libro de Cœlo, & Mundo. Vertibilia autem sunt prædicto modo & partium divisione, mensurantur enim continua quantitate, licet enim corpora illa non sint susceptibilia sectionis, a creatione contrarii agentis intra ea, vel extra ea, quia non sunt receptibilia recti motus, qui in eorum natura est, tamen actione primæ causæ apta sunt ad sectionem. Ignis, aqua, & alia elementa propter modos prædictos sunt susceptibilia versionis actione contrarii agentis extra, corpora autem elementata actione contrariorum in elementato ad invicem pugnantium. Ex his patet qualiter respondendum sit ad illud verbum Jo: Damasceni: *Omne quod incipit etiam finitur secundum naturam*; patebit etiam melius in sequentibus, ubi exponetur hoc verbum omne compositum naturaliter dissolubile est; patebit etiam, qualiter intelligi debet verbum illud Augustini: *Res ideo corruptibiles sunt, quia de nihilo sunt*.

§. II.

Qualiter quibusdam rationibus mortalis anima esse videatur.

NUnc videamus qualiter sustinendum sit animam esse immortalem contra phantasticas rationes. In primis inducimus illud: Omne compositum naturaliter divisibile est, & in sua principia resolubile, quod patet ex hoc, quod omne simplex indivisibile est; ergo cum anima sit composita, ipsa divisibilis est; ergo corruptibilis. Quod autem sit composita probatur per illud Boetii (8): Omne quod est citra primum, est hoc, idest compositum ex hoc, & hoc. Idem dicit Avicembron lib. 1. Idem etiam dicit Avicennas dividens substantiam in simplicem, & compositam: simplicem autem dividit in materiam & formam; compositam in corpoream, & spiritualem substantiam; ergo spiritualis, ut anima, composita est.

Solutio hujus duplex est: Una est, quia eadem ratione necesse haberent ponere Angelum esse mortalem, quod tamen ipsi non faciunt; ergo ratio illa nulla fuit. Alia solutio est, quia omne compositum est resolubile in sua principia secundum rem, ut ea quæ corruptibilia sunt. Alia secundum rationem tantum, ut substantiæ spirituales. Si autem in opponendo ista proponat: Omne compositum est naturaliter resolubile: distinguendum est, quia naturaliter potest dici a natura, secundum quod natura dicitur ipse Deus, qui est natura naturans omnia; & secundum hoc natura, quæ principium est, nascendi unicuique dedit principium, secundum quod principium

„ ris Dei, ita ut sic initio fierent, & postea ut sint eis donat. „ Hæc ille. Ex his autem colligi facile potest, Dei beneficio immortales esse animas, nam nisi Deus eas conservare vellet, in nihilum, unde extractæ sunt, reverterentur. Ceterum corruptioni obnoxiæ esse nequeunt, cum compositæ non sint, sed tantum, *annichilationi*, si Deo placuerit. Id vero constat ex iis quæ habet Irenæus *Lib.* v. *cap.* VII. *pag.* 300. *Caro*, inquit, *est quæ moritur, & solvitur; sed non anima, neque spiritus. Mori enim est vitalem amittere habilitatem, & sine spiramine imposterum, & inanimalem, & immemorabilem fieri, & deperire in illa, ex quibus initium substantiæ habuit. Hoc autem neque animæ evenit; flatus est enim vitæ: neque spiritui, incompositus est enim & simplex spiritus; qui resolvi non potest, & ipse vita est eorum, qui percipiunt illum.* Viden ut clare diserteque Monetæ antecesserit Irenæus? Consule Massuetium *Dissertat.* III. *Præv. In Irenæi Libros Art.* IX. *nu.* 105. *pag.* CLIV.

(7) Johannes Damascenus *Lib.* II. *De Fide Orthodoxa cap.* III. Consule S. Thomam I. *P. Quæst.* I. *Art.* V. *ad* I. & 3. *argum.*

(8) Hæc in Physicos Aristotelis libros observarunt Boetius, & Arabes illi Scriptores. Boetius quidem nihil habet, quod libertinis suffragio sit. Nihil moror Avicembronem, quem tamen, ut & Avicennam aliquanto postea benigne interpretatur noster.

cipium est quod, vel post quam omnia. Vel potest dici a natura, secundum quod sumitur a naturali intelligentia; utroque modo esse compositum est divisibile, sed ultimo modo secundum rationem, primo autem secundum rem; sicut enim Deus præsentia suæ virtutis conjunxit formam materiæ substantiæ spiritualis, ita etiam potest illam dividere suæ virtutis subtractione, ut patet ex prædicta auctoritate Gregorii. Tertio etiam modo potest intelligi omne compositum naturaliter divisibile esse, idest naturæ suæ relictum a prima causa; sed iste modus si bene inspicitur non diversificatur a primo modo, & sic verum est quod omne compositum naturaliter est vertibile, imo & omne simplex, ut materia, & forma, ut patebit in capite de æternitate Mundi, & secundum hunc modum principium divisionis, & causa versionis non est in re ipsa, sed extra eam, ut diximus prius. Quarto etiam modo potest intelligi omne compositum naturaliter est divisibile, idest a natura sua, quia ex contrariis est, ut patet in elementatis; secundum hunc modum non est illa universaliter vera, immo illud solum est naturaliter tale, quod ex contrariis est, & hoc principium divisionis, & versionis in non esse, intra est. Ex his patet, qualiter intelligendum sit illud verbum Augustini. *Res ideo corruptibiles sunt quia ex nihilo sunt*; *ex* enim ordinem dicit, non naturam, ut dicit B. Anselmus. Ex nihilo igitur sunt, idest quia habent esse post non esse, & vult dicere, quod eadem virtute, & causa, qua egressæ sunt de non esse ad esse, eadem causa, & virtute vertibiles sunt in non esse; quæ autem illa sit, ostensum est prius.

§. III.

Secunda ratio, qua probari videtur animam hominis esse mortalem.

SEcunda ratio ad probandam animam hominis esse mortalem, ista est: Sicut sensus non fiunt in nobis sine instrumento corporeo, ita etiam nec intellectus sine sensu, (9) & imagine. Ergo cum sensus, & imago dependeant a corpore, intellectus etiam dependet ab eo. Ergo peribit cum corpore, & ita ipsa anima mortalis est morte corporis, cum ejus excellentissima potentia deficiat per defectum corporis.

Solutio: Non est simile, quia sensus, & imaginatio nec sit, nec est in nobis sine corpore, intellectus autem licet non fiat in nobis sine corpore in principio, scilicet cum anima humana incipit negotiari per intellectum, & discere scientias intelligibiles, tamen est sine illis inanimatis.

Tertia etiam ratio est ad idem, scilicet quia sicut virtus sensitiva impeditur, & debilitatur per debilitationem corporis, & maxime organi sui, ita & virtus intellectiva impeditur, & debilitatur cum corpus debilitatur, (10) aut impeditur, ut patet in ægrotantibus V. G. Phreneticis, Melancholicis, & inanimatis, & quolibet alio modo mente alienatis; Ergo dependet a corpore, ergo & anima humana, ergo deficit deficiente corpore, ergo est mortalis.

Solutio: Hoc ipso scilicet, quod virtus intellectiva retrahitur, ac impeditur ab apprehendendo intelligibilia, potest esse post perceptionem disciplinæ; videmus enim aliquos sapientes, & disciplinatos fieri amentes; vel ante perceptionem disciplinæ. Primo modo retractio ab apprehensione intelligibilium non facit quod ipsa anima non habeat actionem in se ipsa, & per se ipsam, nec enim lædit potentiam intellectivam; potest tamen concedi ut in alia facultate habeatur, quod corpus agat in animæ, hoc modo scilicet, quia corpus læsum occupat animam ad curam sui, & retrahit eam a parte intelligibilium; cum enim anima occupatur circa unum, retrahitur ab alio absque suæ potentiæ intellectivæ læsione, sicut videmus, quod absque læsione potentiæ intellectivæ, cum fuerit anima occupata sensibilibus, retrahitur ab intelligibilibus, verisimile est, quod occupetur circa corpus læsum propter naturalem amorem ad ipsum, quia necesse est illud curari, non tamen læditur potentia animæ, licet impediatur; aliud autem est impediri ex læsione sui, aliud impediri ex occupatione, quemadmodum somnia tenent mentem alligatam circa phantasmata, sic & istæ passiones, & alienationes eam tenent occupatam circa se ipsam: essentiam autem virtutis intellectivæ non lædunt, sed ejus operationem occupando impediunt; quod etiam patet, quia expurgata hujusmodi passione, virtus intellectiva tanquam nihil passa læsionis in essentia sua ad proprias operationes libere revertitur. Secundo autem modo retrahitur per defectum, vel per pravam dispositionem instrumenti ab apprehensione intelligibilium. In principio enim non fit capax disciplinæ, & eget ea, sed non potest venire ad perfectionem

(9) Hoc item argumentum sibi objicit S. Thomas *I. P. Quæst.* LXXV. *Art.* VI. *arg.* 3. respondet autem: *Quod intelligere cum phantasmate est propria operatio animæ, secundum quod corpori est unita. Separata autem a corpore habebit alium modum intelligendi, similem aliis substantiis a corpore separatis*. Verum si quis contenderet animum posse sine imagine quidquam percipere, næ is facilius comprimere posset audaciam hominum incredulorum. Nam qui tandem fieri potest, ut figuram millelateram imaginatione concipiam. Perturbatur enim tanta laterum, angulorumque multiplicitate imaginatio, cum distinguere nequeat mille ne, an ducenta sint latera, quæ percipit. At mente accurate distinguit homo latera mille, & angulos, atque quæ sint laterum dupla, quæ tripla, quæ quadrupla: rursumque quot angulis rectis anguli mille æquentur. Id autem fieri nequiret, nisi homo distincte sola ratione, sine imagine ulla angulos tantos perciperet. Deinde, quam obsecro habemus nostræ cogitationis imaginem? Ego enim cogitare me sane intelligo, at ullam me ipsum habere imaginem cogitationis, nullo modo prorsus intelligo. Itaque datur mentis sine imagine ulla phantasiæ perceptio.

(10) Est hoc argumentum Epicureorum, quod Lucretius *lib.* III. *v.* 446. *seqq.* objicit iis, qui tuerentur animorum immortalitatem. Magnam in hoc ipso vim constituunt athei Juniores. Sunt porro Lucretii versus hujusmodi.

Præterea gigni pariter cum corpore, & una
Crescere sentimus, pariterque senescere mentem,
Nam velut infirmo pueri, teneroque vagatur
Corpore; sic animi sequitur sententia tenuis.
Inde ubi robustis adolerit viribus ætas,
Consilium quoque majus, & auctior est animi vis
* * * * * * * * * * * * * *
Huc accedit, ut videamus, & corpus ut ipsum
Suscipere humanos morbos, durumque dolorem;
Sic animum curas acreis, luctumque metumque.
Quare participem leti quoque convenit esse &c.

ſuam addiſcendo ſententias intelligibiles,niſi juvetur ab inſtrumento corporeo, ſenſus ſcilicet, vel imaginationis, ſed poſtquam perceperit diſciplinam, poteſt adimplere ſuam actionem præter ipſum, ſicut qui iturus eſt ad aliquam terram eget quodam vehiculo, ſed cum pervenerit non eget eo, ſicut etiam ponit Auguſtinus exemplum in eo, qui venit ad portum non ſine navi,tamen in portu eſt ſine illa, non egens ea; igitur cum aliqua ejus actio ſit præter (11) corpus, palam eſt, quod intellectiva potentia agit per ſe ipſam, & præter corpus; Ergo eſſentia animæ humanæ præter corpus eſt. Ex prædictis patet, quoniam illa propoſitio prius poſita falſa eſt, ſicut virtus ſenſitiva impeditur, & debilitatur per debilitationem corporis &c. ita & virtus intellectiva &c. non enim eſt ſimile impedimentum hinc inde, quia impedimentum potentiæ ſenſitivæ eſt ex ſui læſione, impedimentum autem intellectivæ ex occupatione illius, quia non juvatur ad percipiendam intelligibilium diſciplinam ſenſu, & imaginatione ut ſupra dictum eſt; deficiente enim uno ſenſu, deficit una ſcientia. Si autem quæratur unde eſt, quod ſenſus lædatur eſſentialiter læſo corporis organo ab his quæ ſenſum excedunt, & non intellectus. Dicimus: quod hujus cauſa eſt, quia viſus, & quilibet alius ſenſus quoad organum ſuum harmoniacus eſt, ut volunt Philoſophi, & eſt virtus ſita, & pro parte in illo organo propter; quod neceſſe eſt illum deſtrui deſtructione illius, in quantum pendet ab illo. Inſtrumentum autem viſus deſtruitur ab excedentibus harmoniam ſuam, hoc eſt a vehementibus viſibilibus, & luminoſis. E contra autem ſe habet in intellectu, quoniam ipſe non habet partem determinatam in corpore, quæ ſit inſtrumentum ipſius. Immo confortatur, & invaleſcit ex vehementibus intelligibilibus: quod autem vis intellectiva non habeat partem determinatam in corpore, quæ ſit ejus inſtrumentum, patet ex his, quæ habentur in ſecunda parte hujus capitis, ubi oſtenditur, quod ipſa non dependet a corpore.

Quarta ratio ad idem hæc eſt: Conſtat, quod animam humanam invadunt invidia, triſtitia, & timor, & hujuſmodi paſſiones, quæ ſunt non ſolum dolores, ſed & tormenta graviſſima; dolor autem, & tormentum non eſt ſine læſione; Si autem læſio (12) ibi eſt, erit venire ad defectum, quoniam cauſa, quæ magis dolere facit, magis lædet. Cum ergo contingat cauſam doloris augeri, continget augeri, & dolorem, & per conſequens læſionem; Ergo cum omnis virtus, quæ doloris ſenſibilis eſt, ſit finita ad patiendum, erit venire ad extremum læſionis; hoc autem non eſt niſi defectus, & mors. Ergo anima humana defectibilis eſt, & mortalis.

Solutio: Dolor æquivoce dicitur, alio enim modo dicitur dolore vulneratus, alio modo damnificatus; quod patet ex eo, quia longe alterius modi eſt, unio inter amantem, & amatum, & alterius modi inter partes continui; ſi autem unio æquivoca eſt, & diviſio æquivoca; quoties enim unum oppoſitorum dicitur, & alterum; ergo & dolor, qui eſt unitatis, vel unionis ſolutio æquivocus eſt; Ergo, & læſio hinc inde æquivoce dicitur, & altera quidem eſſentialis eſt, altera non; altera enim in eſſentia ſua læditur, altera non; ſicut uſualiter dicitur: læditur in re ſua, & forinſeca; & inde eſt, quod quemadmodum ipſa hujuſmodi (13) læſio rerum vel deſtructio non attingit ſubſtantiam patientis, niſi quia in ea eſt, ſed de re forinſeca eſt; ſic nec ejus dolor eſſentialis eſt, & ideo nec læſionem, nec defectum eſſentialem inducit.

Quinta ratio ad idem iſta eſt: Quoniam anima ſenſibilis (14), & vegetabilis in animalibus, & vegetabilibus mortalis eſt, cum tamen ſit ſubſtantia ſpiritualis, ſicut & anima rationalis; cum enim ſubſtantia dividatur in corpoream, & ſpiritualem ſubſtantiam, ſpiritualis in intelligentiam, & animam, quarum prima eſt ſubſtantia omnino ſeparata, ſcilicet intelligentia; altera autem eſt ſubſtantia conjuncta corpori, ut anima, conſtat, quod anima

(11) Negari non poteſt, quin dentur quædam animi operationes, quæ corporis propriæ eſſe nequeant. Nam cum corpus extenſum natura ſit, quæ propria corporis ſunt, neceſſe eſt aliquam habeant extenſionem. Ita ſit ut color, & impetus, & ſi quæ ſunt alia in corpore, ſine extenſione non ſolum eſſe, ſed ne cogitari quidem poſſint. Jam verò quædam operationes indicant animum extenſione carere. Qui enim fieret, ut eſſe in animo poſſet perceptio rerum prope infinitarum, eaque jam clara, atque diſtincta, ſi extenſa eſſet cognitio, aut animus ea præditus cognitione? Nam ſi extenſio eſſet animus pars una illius rem unam perciperet, atque altera pars rem aliam; quare una conſcia eſſe non poſſet cognitionis, quæ eſt propria alterius. Etenim quæ diſtincta ſunt, diſtinctas item habeant perceptiones neceſſe eſt, niſi ſint eadem aliqua ratione. Ut ſi in globo in quo depictus ſit orbis terraqueus, aliqua eſſet perceptio, pars globi, in qua depicta Italia ſit, conſcia ſibi non eſſet, ſe cognoſcere Gallias, quæ in alia parte ſint depictæ. At novimus nos quidem animum ſibi conſcium eſſe ſe res tam multas, tamque inter ſe diſcrepantes pernoſcere. Itaque non eſt extenſus. Sin autem extenſus non eſt, non eſt corpori ſimilis, ac proinde ne dividi quidem poteſt. Jam vero quod nullam pati poteſt diviſionem *incorruptibile eſt, & immortale*. Erit ergo humanus animus immortalis. Audiendus Cicero *in* I. *Tuſcul. Quæſtion. Cap.* XXV. *Quid igitur?* inquit, *utrum capacitatem aliquam in animo putamus eſſe, quo tamquam in aliquod vas ea, quæ meminimus infundantur? Abſurdum id quidem. Qui enim fundus, aut quæ talis animi figura intelligi poteſt, aut quæ tanta omnino capacitas? An imprimi quaſi cera animum putamus, & memoriam eſſe ſignatarum rerum in mentem veſtigium? Quæ porro tam immenſa magnitudo, quæ illa tam multa poſſit effingere? Quid illa vis, quæ tandem eſt quæ inveſtigat occulta, quæ inventio, atque excogitatio dicitur? Ex hac ne tibi terrena mortalique natura, & caduca concreta ea videtur? & Cap.* XXIX. *n.* 71. *In animi cognitione dubitare non poſſumus, niſi plane in phyſicis plumbei ſumus, quia nihil ſit animus admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex.*

(12) Lucretius *Lib.* III. *v.* 473.

Nam dolor ac morbus leti ſabricator uterque eſt
Multorum exitio perdocti quod ſumus ante.

Utitur item hoc argumento Panætius apud Ciceronem in I. *Tuſcul. Quæſt. Cap.* XXXII. *Nihil eſſe*, inquit, *quod doleat, quin id ægrum eſſe quoque poſſit: Quod autem in morbum cadat, id etiam interiturum.*

(13) Juniores Philoſophi perfacile contra Atheos hujuſce temporis hoc argumenti genus repellunt. Negant enim corpus ſentire. Id enim proprium eſſe animi pugnant. Cum autem diſcrepet corpus in hac re ab animi natura, & notione, atque corruptioni idem ipſum corpus obnoxium ſit, concludi potius inde oportere ajunt, animum non eſſe mortalem. Verum reſponſioni a noſtro adhibitæ aſſentitur Gaſſendus *Lib.* XIV. *Phyſic. Cap.* III. *pag.* 562. *Tom.* II. *Opp. Edit. Florent.*

(14) Opponunt hoc item argumentum iis qui recte ſentiunt *Libertini* noſtrorum temporum. Immo vero animas brutorum non diſcrepare ajunt perceptione, & cognitione ab humanis. Quare ſi illæ mortales ſunt, has quoque eſſe mortales concludunt. Ut hujuſce momenti vim eluderet Bougeantius e Societate Jeſu Scriptor, animas brutorum, quæ tot ſigna cognitionum edunt, dæmonas eſſe dixit, dignum ſcilicet patella operculum.

anima non permanet indiviſibilis, ſecundum Philoſophos, ſed dividitur, ut genus in ſpecies, in vegetabilem, & ſenſibilem, & humanam; ergo cum humana anima, quæ ſubſtantia ſpiritualis eſt, & indiviſibilis carens contrario, immortalis ſit, utraquæ prædictarum immortalis erit; vel ſi illæ ſunt mortales, anima humana mortalis erit.

Præterea, ſicut patebit in ſecunda parte, ſecundæ partis hujus capitis. Quatuor modis accidit, deſtructio alicujus rei, vel per deſtructionem ſubjecti, vel per diviſionem partium diviſibilium, vel per actionem contrarii inducentem diviſionem formæ a materia, vel per abſentationem ſuæ cauſæ; ergo cum nullo horum modorum accidat deſtructio animæ ſenſibilis, vel vegetabilis, utraque immortalis eſt, vel ſi eſt mortalis; ergo eadem ratione humana anima.

Solutio ad iſta hæc eſt: Ponunt quidam, quod anima ſimpliciter forma eſt, & dicitur ſubſtantia ex intellectu formæ, non ex intellectu materiæ, vel compoſiti ex materia, & forma.

Idem, dicunt de intelligentia, ſive Angelica natura. Diſtinguunt etiam, hoc habentes a Doctore Pariſienſi, quod formarum alia eſt, quæ totaliter innititur, & incumbit materiæ ſuæ, & non ſuſtinet eam, ſed ſuſtinetur ab ea, & hæc eſt forma proprie corporalis; alia eſt cui potius innititur ſua materia, & ſuſtinetur, & regitur ab ea, veruntamen non eſt operatio hujus formæ, niſi cum ſua materia, & per eam, & ideo apparet ejus eſſentiam dependere ex materia ſua, cum omnis operatio ex illa pendeat, & cum ejus eſſentia, extra materiam ſuam otioſa eſſet, & inutilis: hoc modo forma materialis, eſt anima ſenſibilis, & vegetabilis; ideſt ex materia ſua pendens quoad eſſe, & quoad operari; ſecundum iſtos dicendum eſt, vel quod aliqua ſpiritualis ſubſtantia materialis eſt; ideſt materiæ impreſſiva corporeæ, & ſecundum eos, ſubſtantia ſpiritualis dividitur, in ſubſtantiam omnino ſejunctam a corporea materia, & ſubſtantiam ſpiritualem omnino ei conjunctam; & in ſubſtantiam ſpiritualem mediam, qualis eſt anima humana, quæ conjuncta ſubſtantia eſt omnino quoad vires, quas communicat cum ſenſibili; ſeparata autem ſubſtantia eſt quoad potentiam intellectivam; vel ſi dixerint, quod anima (15) ſenſibilis, & vegetabilis, non eſt ſubſtantia ſpiritualis, neceſſe habent dicere, quod anima ſecundum quod dicit ſubſtantiam non habet ſe per modum generationis in animalibus, & vegetabilis ad ſenſibilem, & vegetabilem, & quod ſenſibile, & vegetabile non dicant in eis ſpeciem animæ, ſed potentias ſolum. Utrolibet autem modo dicatur, manifeſta eſt ſolutio primæ objectionis. Non enim ſimile eſt de anima humana, & de illis, ut oſtenſum eſt. Ad illud objectum dicunt: quod eorum deſtructio, ad primum modum reducitur, quoad deſtructionem ſubjecti, ſive materiæ, deſtruitur forma omnino materialis. Sunt autem, qui ponunt, quod utraque anima ſubſtantia (16) ſpiritualis eſt: ſicut humana anima, & compoſita ex materia, & forma ſpirituali, cui enim advenit corporeitas, & fit ſubſtantia corporea, eidem advenit ſpiritualitas, & fit ſpiritualis ſubſtantia. Secundum iſtos aliter reſpondendum eſt. Dicimus ergo, quod non eſt ſimile de anima humana, & de illis, ut oſtenſum eſt, ſcilicet quod utraque earum, quoad eſſe dependet a corpore, cujus ſignum eſt, quia quoad eſſe ſuum, & agere dependet ab illo, non autem ſic in anima humana, ut patebit in ſecunda parte, hujus capitis. Ad iſtud, quod quæritur, ſcilicet per quem modum accidat ei deſtructio? Poteſt dici, ut prius; quia licet non ſit forma proprie loquendo, tamen ad modum materialis formæ, ſe habet in prædicta dependentia a corpore. Si autem ejus deſtructio ad quartum modum reducatur, quo aliqua res dicitur, deſtrui ex eo, quod cauſa ejus tollit virtutem ſuam ab illa, non videtur mihi inconveniens, ut enim prædictum eſt, eſſentia utriuſque animæ, poſt corpus, omnino otioſa eſſet, & inutilis; & fruſtra influeret prima cauſa virtutem ſuam ſuper eam ad conſervandam eam, hoc autem eſt inconveniens, cum cauſa prima, non agat per modum neceſſitatis, ſed electionis, ut oſtendetur in capite de æternitate Mundi.

Sexta ratio ad idem hæc eſt: Dictum eſt, quod ſubſtantiarum, vel formarum, vel etiam virtutum alia eſt omnino ſeparata a corpore, & ideo omnino immortalis, & incorruptibilis; alia omnino conjuncta corpori, & ideo omnino mortalis, & corruptibilis, alia eſt mediæ diſpoſitionis inter iſtas, ut anima humana, quæ mortalis eſt, quoad aliquas vires; ſcilicet quas communicat cum ſenſibili, & vegetabili, & immortalis, quoad potentiam intellectivam; & ita quoad ſubſtantiam ſuam immortalis. Sed

(15) Verum id quidem eſt. Cujuſmodi enim ſit anima brutorum intelligi profecto non poteſt. At multis oſtenditur illam non eſſe ſpiritualem. Nam ex effectis rei cujuſque natura repetenda eſt. Effecta autem beſtiarum indicant earum animas a ſpiritus notione differre. Nihil enim percipiunt, niſi ſingulare, niſi corpus, niſi, materiale. Generales autem, & primas, quæ corporis vim, rationemque ſuperant notiones non aſſequuntur. Quin etiam idearum nexum, nullum habent. Etſi autem pleraque ſint animalia, quæ organa ſat apte conſtituta, atque formata habeant ad loquendum, quod ſapienter animadvertit Vvolfius *Pſychologiæ ration. Sect.* IV. *cap.* III. §. 759. eaque jam cum hominibus continenter verſentur, numquam tamen loquendi vim aſſequuntur; etſi aliquot verba exprimere aliquando diſcant, quæ tamen idea verbis illis conjuncta ſit, animo nequaquam concipiunt. Accedit illud Ciceronis, quod extat in I. *de Officiis Libro cap.* IV. ut beſtias ab homine longo intervallo ſuperari conſtet: *Inter hominem & belvam hoc maxime intereſt, quod hæc tantum, quantum ſenſum movetur, ad id ſolum, quod adeſt, quodque præſens eſt, ſe accommodat, paullulum admodum ſentiens præteritum, aut futurum. Homo autem, quod rationis eſt particeps, per quam conſequentia cernit, cauſas rerum videt, earumque progreſſus, & quaſi anteceſſiones non ignorat; ſimilitudines comparat, & rebus præſentibus adjungit, atque annectit futuras; facile totius vitæ curſum videt, ad eamque degendam præparat res neceſſarias &c.* lege quæ deinceps ſequuntur.

(16) Excitavit hanc eamdem ſententiam, quæ jam obſoleverat, Leibnitium ſequutus, Chriſtianus Vvolfius *In ſua Pſychologia*. Animas quippe brutorum ſpirituales eſſe contendit, ſed anima humana longe imperfectiores. Itaque hanc poſt mortem ſuperſtitem eſſe; illas autem cum corpore interire. Sed vereor, ut hac poſita opinione, humanorum animorum immortalitas poſſit conſiſtere. Nam ſi animus quia ſpiritualis, atque adeo neque mixtus, neque duplex, neque coagmentatus eſt, dividi, atque interire non poteſt; ſi brutorum animæ ſpirituales ſunt, non erunt mixtæ, neque compoſitæ, neque diviſibililes, adeoque ne mortales quidem. Sapienter ergo Moneta, animas beluarum, ut ex effectis earum colligitur, quod ad *eſſe* illarum pertinet, a corpore dependere ait; quapropter cum corpore ipſo perire.

Sed contra : Si pars eſt mortalis , & corruptibilis (17) ergo & totum ; qualiter enim erit domus incorruptibilis , cum paries corruptibilis ſit .

Solutio : Vis inviſibilis non eſt corruptibilis ſecundum id quod habet a corpore , hoc eſt , quoad idoneitatem inſtrumenti ad recipiendas (18) mutationes a viſibilibus ; virtus vero judicativa , quæ radicaliter fundatur in anima , pendet omnino ex eſſentia mentis in homine , quæ nullo modo dependet a corpore viſibili ; ergo virtus in homine , quoad aliquid pendet ex corpore , & quoad aliud non ; in anima vero ſenſibili pendet a corpore , quoad duo , & quoad id quod habet ex ipſa esſentia animæ ſenſibilis , & hoc ideo quia ipſa eſſentia animæ ſenſibilis pendet ex corpore . Quod autem dixi de anima humana , hoc ideo dixi , quoniam ipſa vires animales habet ſecundarias ; alias autem vires , in quibus a brutis diſtinguitur habet principales , ſecundum quas non pendet ab illis : ſed ſecundum alias dependet a principalibus ; & hoc ideo , quoniam vires ſecundariæ propter principales ſunt , imo ut univerſaliter dicam , ſecundaria , & ignobiliora in omni ſubjecto ſunt propter principalia , & nobiliora ; quantum ergo ad ea , quæ habent ex corpore , ipſæ vires animales dependent a corpore , quantum vero ad radicem judicandi non pendet ex eo , quia radices ipſæ virium animalium pendent ex eſſentia animæ velut radii proceſſi ex luminoſo ; convenientius autem eſt , ut ea , quæ principalia ſunt , & nobilia in aliquo , trahant ad fortitudinem ſuam ſecundaria , & ignobilia , quam e contra : hoc autem dixi , ut clarum eſſet vires animales , pendere ex corpore , & eſſe corruptibiles , & quomodo hoc ſit juxta mentem Phyſicorum .

§. IV.

Quod anima ſit immortalis probatur , & primo per teſtimonia Scripturarum .

NUnc accedamus ad ſecundam partem hujus capitis , quæ pars in duas dividitur , ſecundum duos modos probandi animæ immortalitatem , quorum unns eſt ex teſtimonio Scripturarnm , alius eſt ex rationibus ; & iſte duplex eſt , unus eſt ex communibus , & tranſcedentibus rationibus , alius autem eſt ex propriis ; ſunt autem iſti duo modi noti, ex his , quæ tradita ſunt in Logica . Etiam his modis , atque rationibus uſus eſt , in tractatu ſuo de animæ immortalitate Magiſter Guillelmus de Arverni Pariſienſis (19) Epiſcopus , quem & in hoc tractatu libenter ſequimur , cum ſit lumen ſcientiæ , & vitæ puritate præclarus , cum etiam ante nos alii eum in eodem ſecuti ſunt . Nunc ad propoſitum veniamus, ſicut diximus in prima parte , primæ partis capituli . Adducuntnr quædam teſtimonia Scripturarum ad probandum animæ immortalitatem , ſi forte ſit aliquis de negantibus animæ immortalitatem , qui velit verbis divinis probare contra ſenſum . Ad hoc primo inducimus , quod Chriſtus, ait Matth. 10. v. 28. *Nolite timere eos , qui occidunt corpus , animam autem occidere non poſſunt* ; ex quo patet , quod anima humana non moritur cum corpore ; alioquin occiſo corpore occideretur & anima ; & qui corpus occideret , ipſam animam occideret . Ad idem etiam inducendum eſt illud , quod Dominus ait Matth. 22. v. 32. *Ego ſum Deus Abraham , & Deus Iſaac , & Deus Jacob : Non eſt Deus mortuorum , ſed viventium* . Vivi erant tunc iſti , quando Dominus dixit illud ; ſed non erant vivi ſecundum corpus ; ergo vivebant ſecundum animam ; ergo animæ eorum non erant mortuæ cum corporibus , ſed remanebant in ſuo eſſe corporibus mortuis .

Item,

(17) Magni faciunt hoc momenti genus Athei , ac Libertini hujuſce ætatis , Epicureos vehementer ſequuti auctores . Verum paullo aliter illud exponunt . Putant enim ne in cogitationem quidem cadere poſſe , ut animus ſenſibus carens quidquam poſſit cognoſcere . Vacabit autem ſenſuum organis animus poſt mortem , quum hi cum corpore una ſimul intereant ; non ergo cognoſcet . Quid autem facias animo experti cognitionis ? Ergo pereat animus poſt mortem neceſſe eſt . Paria ante attulerat Lucretius *lib.* III. *v.*624.

. . . . Si immortalis natura anima eſt
Et ſentire poteſt ſecreta a corpore noſtro ;
Quinque , ut opinor , eam faciendum eſt ſenſibus auctam
At neque &c.

Plinius item *lib.* III. *Quod autem* , inquit , *corpus animæ per ſe ? Quæ materia ? Ubi cogitatio illi ? Quomodo viſus ? Auditus ? Aut qui tangit ? Qui uſus ejus ? Aut quod ſine his bonum ?*

(18) Fatemur nullis ſenſibus animas poſt mortem inſtructas manere . Verum quid inde concludere poſſunt Athei ? An intelligunt ipſi quomodo animus ſenſuum ope percipiat res extra ſe conſtitutas ? Quod ſi rem , quam continenter experiuntur , explicare , & intelligere nequeunt ; quod eſt , quod non percipientes modum , quo animus a corpore ſolutus cognoſcit ; colligant animum non eſſe ſuperſtitem corpori ? Adpoſite Cicero in I. *Tuſculanorum Quæſtionum cap.* XXII. „ Sed plurimi , *inquit* , contra nituntur , animoſ„ que quaſi capite damnatos , morte multant , neque aliud eſt „ quidquam cur credibilis his animorum videatur æternitas , niſi „ quod nequeunt , qualis animus ſit vacans corpore , intelligere , „ & cogitatione comprehendere . Quaſi vero intelligant , qualis „ ſit in ipſo corpore . . . . Hæc reputent iſti , qui negant ani„ mum ſine corpore ſe intelligere poſſe : videbunt , quem in ipſo „ corpore intelligant . Mihi quidem naturam animi intuenti , „ multo difficilior occurrit cogitatio , multoque obſcurior ; qua„ lis animus in corpore ſit , tamquam alienæ domui , quam qualis „ cum exierit , & in liberum cœlum , quaſi domum ſuam vene„ rit . &c. Conſulendus Samuel Clarkius *Parte* II. *de Relig. Naturæ cap.* VIII. *pag.*193. *Edit. an.* 1717.

(19) Indicat Librum *de Immortalit. Animæ* Guillelmi Arverni Epiſcopi Pariſienſis , qui floruit Seculo XIII. creatuſque fuit Epiſcopus *an.* 1228. *obiitque anno* 1249. Vivebat ergo quo tempore noſter contra Catharos , & Valdenſes ſcribebat . Exſtant opera Guillelmi in duos Tomos diſtributa , atque edita *an.* 1674. *Aureliæ* cura Bartholomæi Ferronii .

(20) His teſtimoniis uſi ſunt Patres , ut e Scripturis animam eſſe oſtenderent immortalem . Conſulitor imprimis Johannes Chryſoſtomus *Homil. in illud : De Dormientibus nolo vos &c. Tom.*I. *Opp. Edit. Paris . pag.* 762. *ſeqq.* S. Irenæus *lib.* II. *cap.* XXXIV. hoc item aliud affert : *pag.*268. *Edit. Paris. Maſſuetii . Meminiſſe* , inquit , *animas operum , quæ egerunt hic , & a quibus ceſſaverunt , colligitur* ex *ea relatione , quæ ſcribitur de divite , & de Lazaro eo , qui refrigerabat in ſinu Abrahæ , in qua ait divitem cognoſcere Lazarum poſt mortem , & Abraham ſimiliter , & manere in ſuo ordine unumquemque ipſorum . . . . Per hæc enim manifeſte declaratum eſt , & perſeverare animas , & non de corpore in corpus tranſire &c.*

Item, 1. Corinth. 15. v. 19. *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*. Item, 2. Corinth. 5. v. 8. *Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præsentes esse ad Dominum*. Item, ad Philip. 1. v. 21. *Mihi enim vivere Christus est, & mori lucrum*. Item, v. 23. *Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo*. Item, Apocal. 6. v. 9. *Vidi subtus altare animas interfectorum propter Verbum Dei, & propter testimonium quod habebant*. Item, Proverbior. 14. *Sperat autem justus in morte sua* (20).

§. V.

Rationibus probatur animæ immortalitas.

NUnc accedamus ad secundam partem, secundæ partis capitis, & Animæ immortalitatem probemus primo per rationes communes; secundo per proprias; rationes autem communes divinæ justitiæ, atque judicio innituntur. In primis ponimus pro constanti, quod Deus est summe potens, summe sapiens, & summe bonus, & juxta hoc ponimus, quod non vane ei servitur; vane autem ei serviretur, si alia vita non esset, cum in vita ista cultores ejus non remunerarentur; ergo est alia vita post istam, in qua remunerantur a Deo, & ita non pereunt animæ cum corporibus; quod autem non remunerentur hic a Deo ejus cultores patet, quia ut videmus (21), & malis bene, & bonis male hic est sæpe.

Præterea, quod illa propositio vera sit, scilicet quod non vane servitur ei, patet, quia alioquin Deus non curaret de cultoribus suis, idest de his, qui debitam honorificentiam ei impendunt; si autem non curat; ergo vel quia non diligit eos, vel quia ignorat, vel quia non potest. Si non diligit, ubi (22) est summa bonitas? Si ignorat, ubi est est summa Sapientia? Si non potest, ubi est summa potentia.

Præterea, summe bono non potest deesse summa justitia, Deus summe justus est; non ergo vacat in eo justitia summa. Ergo reddet aliquando bonis, & malis prout merentur, sed non reddet aliquando hic, ut patet, cum utrique recipiant contraria meritis suis in hoc mundo, ut videmus in multis, ut etiam patet in Divite, & Lazaro; reddet igitur eis, ut merentur post hanc vitam; ergo animæ non sunt mortales.

Præterea, ut idem (23) Episcopus posuit, justitia divina a justo judicio retrahi non potest, aut impediri vel ignorantia, vel impotentia, sed constat ex eo, quod bonis hic est male, & malis bene, quod non judicat hic quandoque pro meritis; ergo alibi judicabit pro meritis, & ita alia vita existet.

Præterea, si non esset aliqua retributio futura, post vitam istam, soli illi sapientissime vivunt, qui omni voluptate sese prostituunt, & illi stulti sunt, qui sancte, & juste vivunt, & totum bonum suum contemnunt, & abjiciunt; illi ergo non errant, & melius eligunt, isti autem errant, & prave eligunt, potius igitur isti dicendi sunt mali, illi boni, quam e contra.

Præterea, si illi dicendi sunt mali, & isti boni, illi ergo non solum impune mali, sed etiam bono suo mali sunt, & ex malitia sua est eis melius, si Deus non curat de factis hominum judicandis; & contra autem isti boni frustra, imo malo suo boni sunt, & ex bonitate sua est eis deterius; hoc autem divinæ justitiæ æquitas nullatenus sustinet.

Item probatur, quod anima est immortalis per propriam operationem animæ.

Nunc ostendamus aliam vitam esse, & animas cum corporibus non interire ex rationibus propriis, scilicet per propriam operationem animæ humanæ, quæ in anima nobilissima est, & in qua excedit bruta animalia; & primo per illam operationem compositam, vel comparatam ad corpus. In primis autem ponamus illam radicem philosophicam. Omnis substantia cujus operatio non pendet ex corpore, nec ejus essentia dependet ab eodem, alioquin nobilior, & liberior (24) esset ejus operatio, quam ejus essentia, & quod accidit, quam id cui accidit, & quod sustinetur, quam id quod sustinet, quod esse non potest. Dico ergo sic: Operatio intellectualis virtutis animæ humanæ non dependet a corpore; ergo

(21) Egregie Lactantius *Lib.* VII. *Institutionum de Vita Beata cap.* IX. *Virtus*, inquit, *soli homini data, magno argumento est, immortales esse animas: quod nec erit secundum naturam, si anima extinguitur: huic enim præsenti vitæ nocet . . . . si ergo virtus & prohibet iis* terrenis *bonis hominem, quæ naturaliter appetuntur, & ad sustinenda mala impellit, quæ naturaliter fugiuntur, ergo malum est virtus, & inimica naturæ; stultumque judicare necesse est, qui eam sequitur; quoniam se ipse lædit, & fugiendo bona præsentia, & appetendo æque mala, sine spe fructus amplioris . . . . Virtutis ergo fructus, ac præmium sempiternum est, quia vitiorum commodum in præsenti est, virtutis igitur in futuro. Ita fit, ut in hac vita virtutis præmium nullum sit, quia virtus adhuc ipsa est. Nam sicut vitia, cum in actu suo finiuntur, voluptas, & præmia eorum sequuntur; ita virtus cum finita est; merces ejus insequitur &c.*

(22) Disputat hic contra Libertinos Moneta, qui Deum ponerent, eumque, jam bonum, & sapientem esse, prospicereque rebus creatis censerent. Alioquin non tanta ejus argumento vis esset. Ceterum si quis est, qui neget Deum existere, is refelli facile poterit argumentis, quæ Sancti Patres Minucius Felix in *Octav.* Cyrillus Hierosolymitanus *Catech.* XI. S. Basilius *in Hexaemeron*, Gregorius Nazianzenus *Orat.* XXXIV. Basilius Seleuciensis *Orat.* I. Theodoretus *Serm.* I. *Therapert.* S Thomas in *Libris contra Gentes &c.* in medium afferunt. Frugiferum quoque erit pervolvere lucubrationes *de Existentia Dei*, quas recentiore memoria adornaverunt, Nievventytus, Clarkius, Derhamus, Jacquelotius, Fenellonus, Tourneminius, aliique multi, quos nunc recensere non vacat.

(23) Nempe Guillelmus Arvernus. De divite, & Lazaro consulendus. S. Irenæus *l. c. notatione* XX. *in hoc cap.*

(24) Nemo tam plumbeus in physicis est, ut nesciat eam rem a corpore non pendere, cujus operatio a corpore ipso non pendeat. Nunc agendum videamus pendeat ne a corpore animi operatio. Exsequitur id quidem, suo more, sapienter imprimis, atque accurate noster. Nam etsi organa corporis, ac vires assidua exercitatione consumantur, & consenescant, ut non tantæ suppetant homini sexaginta annos nato, quantæ juveni, qui vicesimum tertium agat annum ætatis; longe tamen major intelligentiæ vis, atque perceptio, memoriæque, rerumque plurimarum comprehensio in homine magno natu, quam in juvene esse solet. Quid autem hoc est, quam attrito, ut ita dicam, ac debilitato corpore, vigere animum, ac proinde a corpore illius intelligentiam non pendere?

ergo nec essentia animæ humanæ, in qua fundatur virtus intellectiva; ergo anima humana naturaliter separabilis est a corpore, & vivens post corpus: Quod autem operatio intellectualis non dependeat a corpore, probatur primo per hoc: quoniam virtutes a corpore dependentes in suis operationibus sequuntur dispositionem corporis, scilicet vigorem, & debilitatem, vigorato enim corpore, vigoratur etiam virtus corporalis, & debilitato eo debilitatur, ut patet in virtutibus animalibus, V.G. in sensibilibus, & in virtute sensibili. E contrario autem se habet in virtute intelligibili, quæ post quadraginta annos in plerisque confortatur, licet corpus debilitetur; ergo ipsa non est corporalis, nec dependet a corpore ipsa anima humana. Separabitur ergo a corpore, & vivens post ipsum.

Secundo per diuturnitatem operationis, quia virtus corporalis, sicut & unaquæque res quæ mortalis est, quanto diuturnior, (25) tanto debilior; sua igitur diuturnitate, sive duratione debilitatur, & senescit, donec veniat ad ultimum defectum, qui est mors: ipsa autem virtus intellectiva sua duratione invalescit, & quanto diuturnior, tanto fortior; sua igitur duratione non tendit ad senium, vel defectum, sed potius elongatur ab eo; ergo ipsa est immortalis.

Tertio per exercitium, & per assuetudinem operationis probatur hoc idem; virtutes enim corporales, & corruptibiles, quanto magis in exercitio suæ operationis & assuetudinis sunt, tanto magis lassantur, & deficiunt, sed e contrario videmus esse in intellectuali virtute; exercitio enim, & assuetudine suæ operationis invalescit, & clarificatur, & expeditior efficitur; igitur non est virtus corporalis, sive dependens a corpore; ergo nec anima humana; ergo non perit corpore pereunte.

Quarto probatur hoc idem per maximam sui unionem ad corpus, per sollicitudinem scilicet, & amorem, ubi omnino absorbetur operatio (26) intellectivæ virtutis, ut patet in carnali, vel corporali commixtione viri, & fœminæ; ergo in omnimoda sui separatione vigoratur ejus operatio; hæc autem separatio in morte est, vel ipsa mors est; impossibile autem est vigorari operationem virtutis; ergo non læditur essentia ejus ex morte corporis.

Quinto probatur hoc idem, scilicet quia non dependet a corpore, quia ejus operatio excellentissima, scilicet divinatio, & revelatio invalescit, dum est in corpore maximis impedimentis corporis; revelatio enim prophetialis vix accidit, nisi cum magna debilitatione corporis, sicut patet in extasi, & inde est quod extasim raptum nominare solemus; Unde Daniel. cap. 10. v. 16. *Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, & nihil in me remansit virium*; manifestum est igitur, quod nobilissima operatio, ac fortissima virtutis intellectivæ, scilicet Prophetia, vel revelatio divina tunc maxime viget, cum corpus infirmum est, ut in (27) extasi, & raptu palam est, hic autem est maxima ejus separatio, dum est in corpore; ergo in omnimoda separatione, quæ est mors, omnino viget, nisi ex culpa impediatur.

Præterea, iste raptus & ista applicatio ad nobilia, & intelligibilia, aut est violentus, aut voluntarius huic virtuti, aut naturalis, aut casualis; casualem autem esse impossibile est, quoniam istud est potissima, ac nobilissima ejus perfectio dum est in corpore, & quo maxime illustratur & regitur genus humanum; revelationes enim divinæ ac Prophetia maxime ordinant vitam humanam, & omnis ars, & sapientia credit eis, atque subjicitur: Casui ergo crederet omnis ars, & sapientia. Si vero naturalis est, secessio igitur a corpore, & applicatio ad res nobiles incorporales, est naturalis huic virtuti nobili; nullum autem naturale noxium est, aut mortiferum ei cui naturale est, sed salubre, & adjutivum, Seorsum ergo a corpore fieri salutiferum est, & adjutivum isti virtuti. Idem vero accidit, si voluntarium est naturali voluntate, vel rationali, omne enim quod ex alteratione hujusmodi voluntarium est, & indubitanter utile est volenti. Violentum vero esse non potest, quo generaliter eo usque adjuvatur virtus hæc, illustratur, atque perficitur; omne enim violentum impedimentum est illius naturæ, cui violentum est.

Sexto patet hoc idem in vicinitate ad mortem, ubi plerumque divinationes, & futurorum revelationes factas non dubitamus; unde ut comprehendam præcedens argumentum cum isto, sic dico: Propria operatio hujus potentiæ in separatione a corpore invalescit, ut patet in extasi, & raptu, & vicinitate ad mortem, invalescentia operationis, si est ultimata, est perfectio ipsius virtutis; si autem non est ultimata, appropinquatio est ad perfectionem (28) in eam. Non solum igitur est seorsum a corpore, sed etiam perficitur ex separatione.

Viso, & ostenso, quod anima immortalis est ex eo, quod non dependet a corpore quoad operationem

(25) Corpus quodlibet continenter attritum, consumi solet, animus contra non item. Egregium est illud Ciceronis in *Catone De Senectute*. *Cap.* XI. *Hæ sunt exercitationes ingenii, hæc curricula mentis, in his desudans, atque elaborans, corporis vires non magnopere desidero: adsum amicis, venio in Senatum frequens, ultroque affero res multum & diu cogitatas, easque tueor animi, non corporis viribus*. Hæ namque in Catone pene extinctæ erant; mentis vero vigebant maxime. Et Capite xx. *Omnium ætatum certus est terminus, senectutis autem nullus certus est terminus, recteque in ea vivitur, quoad munus officii exsequi, & tueri possis; & tamen mortem contemnere, ex quo fit, ut animorum etiam senectus sit, quam adolescentia fortior &c.*

(26) Hebescit ingenium eorum, qui vitiis se se dediderunt, atque adeo carni, & corporis rebus se se magis, magisque immiscent. Est ergo quid a corpore discrepans anima, alioquin corpus corpori junctum, communicatis simul viribus, cresceret potius virtute, non minueretur. Transferam huc quæ Cyrus morti proximus filios alloquens suos dixit: *apud Cic. in Lib. De Senectute Cap.* XXII. *e Xenophonte in* VIII. *Lib. Cyropæd. Mihi quidem numquam parsuaderi potuit, animos dum in corporibus essent mortalibus, vivere; cum exissent ex iis emori: nec vero tum animum esse insipientem, cum ex insipienti corpore evasisset: sed cum omni admixtione corporis liberatus, purus, & integer esse cœpisset, tum esse sapientem.*

(27) Extasim vires corporis opprimere, animoque vim magnam ad res cœlestes considerandas tribuere divinitus, testata res est. Verum non admittitur extasis a Libertinis. Ita illi desipiunt, rem claram negando ad summam impudentiam. Atque hoc unum saltem negare non poterunt: animos, cum remissi ac liberi sunt, multo plura cognoscere, cumque curis laxati corporis, visere tum demum liberius veritatem, & contemplari. Adeundus Cicero *Lib. De Senect. Cap.* XXII. *& Lib.*I. *Tusculan. Quæst. Cap.* XIX.

(28) *Cod. Vatic. Ergo separatio a corpore aut approximat eam ad perfectionem, aut inducit perfectionem in eam.*

nem ſuam intellectivam, quare nec quoad eſſe ſuum, oſtendamus hoc idem, comparando operationem hujus potentiæ ad objectum ſuum, & hoc multipliciter. Primo per reflexionem intellectualis (29) operationis ſuæ (ad quod ponitur a quibuſdam inſtrumentum ſuum, ſcilicet media Cellula, aut Cor. 10.) & ſe ipſam, & ſuam apprehenſionem, & qualitatem ſuam (ſi quæ in ea eſt,) virtus enim intellectualis apprehendit unumquodque horum, nulla autem virtus dependens a corpore hoc poteſt facere, ut patet in viſibili; ergo intellectus non dependet a corpore. Quod autem dixi de viſu, & de aliis ſenſibus notum eſt, ſcilicet, quod non apprehendunt inſtrumenta ſua, nec ſuos actus, nec ſe, nec qualitatem, ſi quæ in eis eſſet; nunquam enim apprehendunt, niſi quod præter illos, & extra illos eſt; cujus ſignum eſt, quod non apprehendit vis febrilis calorem Ethicæ cum fuerit firmata in corpore totaliter. Non ſolum hoc accidit in vi ſenſibili, ſed in æſtimativa, ipſa enim ſi vellet non poſſet æſtimare, vel ſuum actum, vel organum, & loquor de æſtimativa vi in quantum eſt diſtincta a ratione.

Secundo oſtenditur hoc idem comparando ipſam virtutem (30) intelligibilem ad ſuum apprehenſum ſecundum fortitudinem, & debilitatem ipſius apprehenſi; certum eſt autem quod cum intellectus apprehendit aliquod forte intelligibile, fortior eſt ad alia intelligenda, ſecus autem eſt in virtute dependente a corpore, V. G. in virtute ſenſibili, cum enim ſenſus apprehendit aliquod forte ſenſibile, debilior eſt ad alia ſentienda, in tantum quod non poteſt apprehendere debile poſt forte niſi poſt aliquantulum temporis; non enim auditur debilis ſonus ſtatim poſt maximum tonitrum, nec apprehenditur dulcedo tenuis poſt magnam amaritudinem propter imperfectionem inſtrumenti corporalis ab alio forti apprehenſi; ex quo patet, quod operatio intellectualis non dependet a corpore; ergo nec ipſa anima.

Ad idem facit illud quod dicit Philoſophus, ſcilicet, quod in viribus ſenſibilibus ſic eſt, quod læduntur a forti ſenſibili ſubito ſuperveniente, quia læditur ejus inſtrumentum vel deſtruitur, læditur enim oculus a fortitudine radii, & auditus a ſono vehementi, unde viſus corporalis non poteſt videre ſtatim, aut etiam vix videt modicam lucem poſt vehementem, & auditus modicum ſonum poſt magnum vix audit; e contrario autem eſt in intellectu, roboratur enim a forti intelligibili, quanto enim majorem, & profundiorem rem intelligibilem apprehendit, tanto erit habilior ad minorem, & minus profundam; unde conſtat quod non dependet a corpore; ergo nec anima per illud quod dictum eſt.

Tertio oſtenditur hoc idem per infinitatem apprehenſibilium ab intellectuali (31) virtute; hæc virtus eſt ſupra infinitas res, eſt enim capax omnium ſcibilium, unde & ab Ariſtotele dicitur non eſſe determinatæ naturæ, ſed potentialiter eſſe omnium capax, ſicut & prima materia omnium formarum. Dico igitur ſic. Omnis virtus corporalis non eſt virtus niſi ſupra res aliquas, & determinatas, ut oſtendam, virtus autem intellectualis eſt ſupra res infinitas; ergo non eſt virtus corporalis, ſive a corpore dependens; ergo non perit pereunte corpore: quod autem virtutes corporales non ſunt niſi ſupra res aliquas, & determinatas, illud manifeſtum eſt in vi ſenſibili, & imaginativa, & quod majus eſt etiam in vi æſtimativa animalium, ipſa enim eſt circa commodum, & incommodum, ſed non niſi ſenſibile, aut corporale.

Quarto idem oſtenditur per incorruptibilitatem apprehenſi ſui; potentia enim intellectiva apprehenſiva eſt, & receptibilis veritatis incorruptibilis, aut alicujus concluſionis neceſſariæ, ſicut etiam concluſio Syllogiſmi demonſtrativi, medii ejus ad extrema comparati, ſive principiorum ejus capax eſt; conſtat autem quod unum contrarium non eſt capax, vel receptibile alterius, vel ſimilitudinis ipſius, ſicut albedo non eſt receptibilis nigredinis, vel ſimilitudinis ejus; cum ergo anima humana ſecundum intellectum ſit receptibilis, & capax ſimilitudinis (32) rei incorruptibilis, & ſimilitudinis ejus, ipſa incorruptibilis eſt.

Quinto patet hoc idem, quia nulla virtus poteſt ſupra ſibi innaturale, ut viſus non poteſt in phantaſmata imaginationis; ergo cum intellectus poſſit ſupra incorruptibile, ipſe eſt incorruptibilis naturæ.

Præterea, manifeſtum eſt virtutem iſtam nobilem aut eſſe duarum facierum, quarum altera illuminabilis eſſe deſuper a rebus, ſcilicet nobilibus incorporalibus, ſcilicet ſpoliatis a materia, & appendiciis ejus; altera illuminabilis a parte inferiori, ſci-

(29) Magna hæc virtus animæ eſt. Ea namque ſola ſeipſam cognoſcit, ſuamque percipit perceptionem. Id autem a corpore diſcrepat. Nam quæ pars corporis propriæ poteſtates ſunt, neque ſe ipſas, neque aliud quidquam poſſunt cognoſcere. Præclare Cicero *in I. Tuſculanar. Quaſt. cap.* XXII. *Eſt illud*, inquit, *vel maximum animo ipſo animum videre: & nimirum hanc habet vim præceptum Apollinis, quo monet, ut ſe quiſque noſcat. Non enim credo id præcipit, ut membra noſtra, aut ſtaturam figuramve noſcamus; neque nos corpora ſumus, neque ego tibi hæc dicens corpori tuo dico: cum igitur noſce te dicit, hoc dicit, noſce animum tuum. Nam corpus quidem quaſi vas eſt, aut aliquod animi receptaculum. Ab animo tuo quidquid agitur, id agitur a te: hunc igitur noſſe, niſi divinum eſſet, non eſſet hoc acrioris cujuſdam animi præceptum &c.* Quæ tametſi, quod ad Apollinis oraculum attinet, nullam vim habeant, quod ethnica ſint, quod ſpectat autem ad ſui cognitionem plurimum conferunt ad animi immortalitatem conſtituendam.

(30) Conſtat id continenti experientia. Animus namque dum ad rem difficilem imprimis, atque involutam conſiderandam, evolvendamque ſe applicat, tum ſi quæ occurrant faciliores, eas continuo percipit, atque explicat, contra oculus ſi copia radiorum perculſus fuerit, aut auditus ſtrepitu, commotioneque magna æris, nihil tum ſentire ſoni, aut lucis remiſſioris quidquam poteſt. Conſtat ergo vim maximam animi eſſe, a viribus corporis diſcrepantem; quippe cum non atteratur, nec magna minuatur commotione.

(31) Cicero *Lib. De Senectute Cap.* XXI. Sic inducit Catonem loquentem: *Sic mihi perſuaſi, ſic ſentio, cum tanta celeritas animorum ſit, tanta memoria præteritorum, futurorumque prudentia, tot artes, tantæ ſcientiæ, tot inventa, non poſſe eam naturam, quæ res eas contineat eſſe mortalem.*

(32) Nempe cum animus mente percipiat res ſempiternas, earum ideas, & notiones in ſe ipſa habeat neceſſe eſt. Cenſeri autem mortalem eſſe naturam, quæ rei ſempiternæ obtineat ſimilitudinem? Nihil minus. Ita ſit, ut beſtiarum animas mortales putamus eſſe, quod nullam Dei, nullam veritatis, nullam ſapientiæ, nullam denique æternitatis ſibi unquam pararint, aut parare poſſint cognitionem. Sapienter Cicero in I. *De officiis Cap.* IV. *Imprimiſque*, inquit, *hominis eſt propria veri inquiſitio, atque inveſtigatio &c.*

licet corporalium ſenſibilium : aut eadem eſt virtus, & eadem facies, ſed liberam habens virtutem, ſe in quam partem voluerit illuminari, ſive pingi, ſive inſcribi, a quibus voluerit; ad utramque enim ſe vertat, ad lumen ſuum, & perfectionem ſuam ſe vertit, ſed a ſuperiori eſt nobilior ejus perfectio, & lumen nobilius, quanto ergo ad illud magis ſe verterit, perficietur, & illuminabitur copioſius. Certum eſt autem, quod perfectio, & illuminatio elongant a non eſſe; Converſio igitur ad ea quæ ſunt, ipſam ſcilicet perficit, & illuſtrat virtutem nobilem. Manifeſtum autem eſt, quoniam ipſa ſeparat a corpore, & a corporalibus, & conjungit ſpiritualibus ſpoliatis & a corpore ſeparatis. Palam igitur debet eſſe, quia virtus iſta nobilis non pendet a corpore, ſed etiam obſcuratur, & impeditur ex ipſo, & applicatione ſui ad iſtud.

Sexto idem patet. Quoniam cum duplex ſit via recognoſcendi aliquam concluſionem ſecundum duplex medium, unum topicum, & aliud demonſtrativum, & cum anima venerit in cognitionem concluſionis alicujus mediante medio demonſtrativo, quod neceſſario eſſet incorruptibile, ejus delectatio in illa major eſt, quam ſi veniret in cognitionem concluſionis mediante medio topico, ideſt probabili ſolum, hoc autem eſſe non poſſet, ſi anima eſſet corruptibilis; imo e contra magis delectaretur in corruptibili medio, quale eſt topicum, quia majorem convenientiam habet cum illo; delectatio enim eſt conjunctio convenientis cum convenienti. Item nullum contrarium diligit ſuum contrarium, nec in eo delectatur, ſed impugnat, & fugit.

Septimo idem patet ex eo, quod actio potentiæ intellectivæ elevatur ſupra tempus, & uſque in ævum ſive perpetuum V. G. in Angelum cogitando de illo, imo elevatur etiam in ipſum æternum, (33) ſcilicet ipſum Deum; Actio ergo ejus quædam ſupra tempus eſt, ergo & ſubſtantia ejus, ſcilicet ipſa anima. Ut enim dicit Ariſtoteles; Impoſſibile eſt, ut ſit res, cujus ſubſtantia cadat ſub tempore, & actio ſupra tempus, & in æternitate, ſic enim ejus actio nobilior eſſet, quam ſua ſubſtantia; Subſtantia igitur animæ humanæ ſupra tempus eſt; Ergo ſupra corruptionem, cum omnis corruptio ſit in tempore, & etiam ſubtempore, ergo ipſa incorruptibilis eſt. Ex his omnibns patet, quod intellectus animæ per inſtrumentum corporeum non intelligit, quod etiam patet in Angelo, & per Angelum, cujus intellectus inſtrumento corporis non eget; Ergo a ſimili nec intellectus animæ humanæ, quod etiam magis patebit in quinto modo, in quo probatur immortalitas animæ.

Octavo probatur hoc idem a partibus ſufficienter enumeratis, a partibus dico, ideſt a particularibus modis, quibus accidit alicujus rei deſtructio, qui modi quatuor ſunt, ut patebit. In primis autem, quia nullo quatuor modorum, quibus ſolet deſtrui res aliqua, accidit animæ deſtructio; ergo ipſa non eſt deſtructibilis. Ad hoc autem oſtendendum primo ponimus, quod anima ſubſtantia eſt, non accidens, cui advenit deſtructio per deſtructionem ejus cui accidit deſtructio, ergo ipſa non eſt deſtructibilis ad modum accidentis per deſtructionem ſubiecti; quod anima non ſit accidens poſtea probabimus in fine hujus capitis. Secundo ponimus, quod ipſa anima humana non eſt corpus ut poſtea probabimus. Si autem corpus non eſt cum ſit ſubſtantia, dimenſiones non habet, omne autem, quod caret dimenſione, caret etiam diviſione partium quantitativarum, anima igitur humana non eſt deſtructibilis per hujus diviſionem. Tertio ponimus, quod anima eſt ſubſtantia ſpiritualis, immaterialis, & incompoſita in ſe hujuſmodi compoſitione, quæ eſt ex materia, & forma, ſolæ autem formæ materiales corruptibiles ſunt, ergo cum anima non ſit materialis, ſed immaterialis, ipſa incorruptibilis eſt. Item quemadmodum viſus nullam habet contrarietatem ex formis viſibilibus, ita & intellectus nullam ex i ntelligibilibus, ut in proximo patebit, ergo cum omnis forma ſit ei intelligibilis, nulla eſt ei contraria, ergo non eſt corruptibilis per modum unius contrarii ab alio.

Forte ponet, quod anima humana eſt ſubſtantia compoſita ex materia (34), & forma. Contra: Nulla ſubſtantia, quæ eſt intelligens, aliquam formam materialem habet ut ſuam, ideſt ſibi naturalem vel eſſentialem, quæcumque ſubſtantia intelligens ſit, & hoc patere poteſt ex eo, quod omnium hujuſmodi formarum ſimilitudinem recipit, quemadmodum oculus nullum habet colorem in ea parte, ſeu ubi omnium colorum ſimilitudines recipit, alioquin nec iſte, nec ille ſuorum ſenſatorum ſimilitudines reciperet, nec ab illis paſſibilis eſſet, cum album ab albo paſſibile non ſit, nec ſimilitudinem ejus, ullo modo valeat recipere, ſi enim illam reciperet, duæ abbedines invenirentur in eadem ſuperficie, cum impreſſio albedinis in album non poſſit eſſe niſi albedo; ex hoc conſtat, quod anima non habet formam materialem.

Forte dicet, quod forma animæ immaterialis eſt, quoniam non eſt in materia corporea, tamen materialis eſt, quoniam eſt in materia ſpirituali, unde anima corruptibilis eſt per diviſionem formæ ſuæ ſpiritualis a ſua materia ſpirituali.

Sed contra: quod forma alicujus compoſiti dividitur a materia ſua, & ſic deficit, hoc accidit duobus

(33) Lactantius *Lib.* VIII. *De Vita Beata Cap.* IX. *Illud argumentum*, inqnit, *quod etiam Marcus Tullius vidit, ſatis firmum eſt, ex eo æternitatem animæ poſſe dignoſci, quia nullum ſit aliud animal, quod habeat notitiam aliquam Dei, religioque ſit pene ſola, quæ animam diſcernat a brutis, quæ cum in hominem ſolum cadat; profecto teſtatur id affectare nos, id deſiderare, id colere, quod nobis familiare, quod proxime ſit futurum.*

(34) Fuerunt aliqui Patres, qui animum a corpore ſolutum corpore ſubtiliore præditum eſſe putarent, ut alibi eſt a nobis animadverſum; cæterum S. Auguſtinus, & alii magno numero Sancti Patres animum ipſum omni prorſus corpore vacare affirmant; ſequuti communem, & Apoſtolicam Eccleſiæ traditionem. Id vero ne Ciceronem quidem fugit. Is enim I. *Tuſculan. Quæſt. libro cap.* XXVII. „ Singularis eſt, *inquit*, quædam natura, atque vis animi, ſejuncta „ ab his uſitatis, notiſque naturis, *& paulo ante:* Nihil enim eſt „ in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum, „ atque fictum eſſe videatur, nihil ne aut humidum quidem, aut „ flabile, aut igneum: his enim naturis nihil ineſt, quod vim me„ moriæ, mentis, cogitationis habeat, quod & præterita teneat, „ & futura prævideat, & complecti poſſit præſentia „. Adiſis Clarkium *Tom.* I. *De Exiſt. Dei Cap.* VIII. *pag.* 189.

duobus modis. Primo per actionem contrariæ formæ, ut patet in elementis, quæ contraria sunt ad invicem secundum suas naturas; hoc autem non contingit in anima, quia ejus formæ, nihil est contrarium, ut postea probabimus, quare nec isto modo divisibilis est forma ejus a sua materia. Secundo modo dividitur forma alicujus compositi a materia propria, quia ipsum compositum naturaliter est ex contrariis, ut patet in corporibus elementatis V. G. in corporibus humanis, quæ sunt corruptibilia, quia ex contrariis sunt ad invicem agentibus, & patientibus; anima autem non est composita ex contrariis, quare non est corruptibilis isto modo, nec per hunc modum poterit dividi ejus forma a sua materia, ergo anima non est destructibilis per actionem contrarii intra se, vel contrarii extra se. Item ipsi Philosophi tanquam certo, & probato utuntur, quia omnem generationem, & corruptionem, omnemque conflictum contrariorum in materia, & circa materiam esse necesse est, quoniam in immaterialibus, & in incorporeis non est contrarietas, & ideo nec conflictus naturalis, propter hoc nec generatio, nec corruptio ibi est, quoniam generatio, & corruptio ex conflictu sunt contrariorum invicem agentium, & patientium, & quia omnes hujusmodi actiones, & passiones per contactum sunt, contactus autem in solis materialibus, & corporibus esse necesse est, sequitur, quod generatio, & corruptio non attingat nisi materialia, & corporea. Item animæ non accidit destructio a destructione causæ suæ, sicut nos videmus, quod diei accidit destructio ex defectu præsentiæ solaris, causa enim animæ humanæ est ei semper præsens, & nunquam deficit, quia Deus ipse est causa ejus. Plures modi autem, quibus res sit destructibilis inveniri non possunt, ergo anima nullo modo est destructibilis, quare nec mortalis, solum enim his quatuor modis, ut idem (35) Episcopus dixit, & Philosophi volunt, accidit destructio alicujus rei, scilicet vel per destructionem subiecti, vel per divisionem partium diversarum, sive integralium, vel per divisionem formæ a materia, vel per absentationem causæ suæ.

Forte autem aliquis ponet quartum modum destructionis, scilicet defectum proprium, ut senium, & putrefactionem; istud autem nihil esse cognoscunt exercitati ab aliis, idest in scientia naturali; senium enim, & antiquitas nunquam aliquid dissolverent, nisi esset pugna elementorum in corpore, quod senescit, & antiquatur, & per hoc sequitur ad senium divisio animæ, & corporis; similiter nec putrefactio alicui accideret, nisi eadem causa esset, quæ ipsam induceret, & per conseque s divisionem formæ a materia, ac ejusdem destructionem; Constat igitur, quod iste modus destructionis ad aliquem prædictorum quatuor reducitur, scilicet ad illum, qui est per divisionem formæ (36) a materia; sed quia forte negaret quod diximus, scilicet senium, & putrefactionem esse ex pugna contrariorum ad invicem, & induceret quædam perire sola defectione essentiæ suæ (37), dicentes, quod necesse habet determinare in modis defectionis. Si enim omne quod perit, non perit, sive non defic it, nisi ex debilitate essentiæ suæ, idest quia debile, & infirmum est ad permanendum in se ipso; cum omne creatum in quantum creatum hujusmodi sit, idest debile in se ipso, & per se ipsum ad permanendum, nihil permanebit eorum quæ sunt creata, cum ista causa non permanendi inveniatur in omnibus creatis, sive creatis ab alio; nos autem videmus multa permanere diutius, & quædam aliis velocius perire; quæ igitur causa in hoc, nisi quia prædicta infirmitas sive debilitas nihil eorum quæ sunt destruit, nisi ipsa ad rei destructionem juvetur aliquo prædictorum modorum, aut impediatur eorum contrariis?

Quoniam autem superius posuimus ipsam formam animæ non habere contrarium, & ideò non esse corruptibilem per modum unius contrarii ab alio, necessarium duximus ostendere, quod supposuimus, scilicet quod ejus forma non habet contrarium; constat autem illud esse ponendum, quod forma animæ rationalis est, quod in eo excellentius est; illud autem est intellectiva potentia, secundum positionem omnium Philosophorum. In primis dicimus, quia si potentia intellectiva contrarium haberet non esset susceptibilis illius rei, nec similitudinis ejus, quemadmodum albedo non est susceptibilis nigredinis, nec similitudinis suæ; igitur potentia intellectiva non esset illius apprehensiva, cum ipsa non apprehendat aliquid, nisi apud se illud habeat, aut ejus similitudinem, ergo non potest intelligere aliquid sibi oppositum, si oppositum habet, cum igitur potentia intellectiva sit omnium capax, sicut & prima materia omnium formarum, palam est, quoniam non habet contrarium.

Quarto ostenditur hoc idem, scilicet, quod anima immortalis est per comparationem animæ ad materiam, & sumitur argumentum a majori; constat enim quod anima secundum suam substantiam altior est in rerum ordine (28), quam materia, quæ ponitur

(35) Nempe Guillelmus Arvernus Episcopus Parisiensis. *Vide Notat. 19. in hoc Cap.*

(36) Seu potius ad divisionem. Nam putrefactio motus quidam est partium. Dissolvuntur autem motu partes, atque discerpuntur quasi ab invicem, dum agitur. Ita sciscunt juniores philosophi. Vera ne dicant, viderint ipsi, qui in hoc rerum genere sunt exercitati.

(37) Vereor ut hic animos reduci in nihilum posse, ac proinde reduci reipsa oportere putent, qui Monetæ sunt adversarii. At enim quamvis nemo sanus negaverit posse quidem animum reverti in nihilum; si Deus voluerit; quæ tamen ratio est, cur quisquam censeat, id Deum esse facturum? Hoc demum est, quod ostendere debebant, qui negabant animorum immortalitatem. Scripturæ quidem certe animos sempiternos fore adfirmant. His nos adsentimur, non ineptissimis, scelestissimisque hominibus, qui ut liberius vivant, fingunt se animo, & corpore extingui oportere.

(38) Verum id sane est. Quotus enim quisque negaverit animi naturam omnibus materiæ partibus longe esse præstantiorem, cum nulla pars materiæ cogitare possit, animus autem cogitat. Scio Lockium *Lib. IV. De Mente Humana Cap. III.* §. VI. dubitare possit ne Deus suapte Omnipotentia tribuere materiæ vim cogitandi. Verum Stillingfleetus falsus Ecclesiæ Anglicanæ Episcopus hoc dubitationis genus ponendum esse negat. Ego postremo huic assentior, quod pugnare cum materia cogitationem putem, & hæc cadere in illam omnino nequeat. Nam si vires omnes proprietatesque materiæ spectes, nihil in eis est, quod cum cogitatione ullam colligationem habeat. Consule Clarkium *Tom. I. De exist. Dei Cap. IX. pag. 81. seqq. Edit. An. 1717.*

nitur ſubjectum generationis, & corruptionis. Ergo ſi corruptio non attingit materiam, ut ponunt Philoſophi, non attingit etiam ſubſtantiam animæ humanæ.

Quinto etiam oſtendi poteſt per comparationem animæ humanæ ad ſubſtantiam Angelicam, ubi potentia intellectiva, & ejus actus patet eſſe non indigens corpore, aut inſtrumento corporeo, unde ipſam intellectivam Angeli potentiam non attingit corruptio; ergo a ſimili nec intellectiva potentia hominis eget corpore, vel ejus inſtrumento, nec ad ipſam accedit corruptio: ergo nec ad ſubſtantiam animæ, & ita incorruptibilis eſt (39).

Forte dicet, quod intellectus hinc inde æquivocus eſt, & ideo non eſt ſimile oſtendere animam incorruptibilem per ſuum intellectum, & Angelicum per ſuum.

Sed contra. Idem habent intelligibile, ergo idem habent ſubjectum, ergo & eundem actum, ergo & eandem potentiam: potentiæ enim teſte Philoſopho diſtinguuntur per actus, & actus per objecta. Præterea intellectus humanus, & Angelicus ut dictum eſt in intelligibili non differunt, ſed in modo intelligendi, quia intellectus Angelicus intelligit rem non per ſpeciem abſtractam a re: ſed humanus ſic; Idem igitur intelligunt, ſed differenter, modus autem non diverſificat ſpeciem. Cum ergo intellectus Angelicus ſit incorruptibilis, & humanus ſimiliter; Ergo & anima cujus eſt intellectus; incorruptibile enim non fundatur in corruptibili. Si autem quæratur, quare Angelus intelligit non per ſpeciem abſtractam a re, ſed anima ſic. Dico hoc eſſe quia Angelus eſt ſubſtantia ſeparata, anima vero ſubſtantia conjuncta, unde & in beatitudine eſſentia intellectus non mutabitur, ſed modus, & corruptio non attingit eſſentiam ejus, ſed modum.

Sexto probatur quod anima incorruptibilis eſt ex eo quod omne corruptibile in quantum tale habet eſſe non ſemper & ubique, ſed hic, & nunc, ſed non convertitur, corpora enim cæleſtia habent eſſe hic & nunc, non ubique, aut ſemper, & tamen non ſunt corruptibilia, ut probat Ariſtoteles in principio de Cælo, & Mundo; ſed ſubſtantia virtutis intellectivæ habet eſſe præter hic & nunc, ergo non eſt corruptibilis. Veritas majoris propoſitionis patet, quia omne corruptibile in quantum tale cadit ſub permutationem, quæ non fit præter locum & tempus; veritas ſimiliter minoris propoſitionis patet, quia ſi virtus intellectiva abſque determinatione loci & temporis non eſſet, ſpecies rerum per ſe ipſas non apprehenderet.

Septimo probatur idem, quia omne movens in quantum (40) movens nobilius eſt moto ab ipſo, loquimur autem hic prout Philoſophi loquuntur ponentes corpus moveri a ſubſtantia ſpirituali, conſtat quod eſt quædam ſubſtantia ſpiritualis omnino ſeparata a corpore, & ideo non movens corpus, & hæc nobiliſſima ut Angelus. Eſt etiam alia ſubſtantia ſpiritualis conjuncta corpori, quare & movens corpus, ſed minus nobilis quam prima, etiam habet diverſos gradus, primus gradus erit ſubſtantiæ ſpiritualis movens corpus incorruptibile ut cælum ſecundum Philoſophos, & ipſe movens incorruptibilis eſt. Eſt etiam alia ſubſtantia ſpiritualis movens corpus corruptibile, & ipſa corruptibilis eſt, ut prima parte hujus capitis oſtenſum eſt. In primo gradu utrumque eſt incorruptibile, ſcilicet movens, & motum in ſecundo utrumque corruptibile; Iſta autem duo extrema ſunt, utrumque ex oppoſito ſe reſpicientia, continuus autem ordo partium ipſius univerſi non eſt niſi per ſimile ut ponit Ariſtoteles in penultima propoſitione libri de cauſis, neceſſe igitur illa duo continuari per aliquod medium, ſcilicet quod erit incorruptibile ſecundum id quod eſt movens in ipſo, & corruptibile ſecundum id quod movetur, hoc autem eſt homo incorruptibilis ſecundum animam, & corruptibilis ſecundum corpus; quartam enim conjunctionem non eſt invenire, ſcilicet, in qua movens ſit corruptibile, & motum ſit incorruptibile per illam propoſitionem, nobilius eſt movens moto. Eadem via probatur idem, dico quod cælum non movetur ab anima, quamvis Philoſophi dicant contrarium, quibus tamen in hoc a ſimplicitate Fidei Catholicæ non eſt credendum: Dicamus ergo ſic: cælum movetur ab aliqua natura, quæcunque illa ſit, Cœlum autem eſt incorruptibile corpus, & movens, & ipſum motum eſt corruptibile, ergo erit medium inter iſta cujus natura movens ſit & incorruptibilis, & motum corruptibile ut prius.

Quoniam ſuperius poſuimus animam non eſſe accidens, nunc ſicut præmiſimus illud breviter oſtendamus (41), omne enim, quod unum & idem numero ſecundum ſui permutationem ſuſceptibile eſt contrariorum ſubſtantia eſt, talis autem eſt anima, ergo ſubſtantia eſt, ipſa enim movetur, ſed ſecundum ſui permutationem a virtute in vitium, & è contra, & a ſcientia in ignorantiam, & a gaudio in triſti-

(39) Non negligendum illud argumentum eſt, quod recens philoſophi quidam adhibuerunt ad probandam animi *incorruptionem*. Teſtata namque res eſt, corpus quodlibet, atque imprimis humanum; continenter effluere, per tranſpirationem eam, quæ ſub adſpectu non cadat. Ita fit, ut nos alimento indigeamus ad eas reparandis partes, quas effluxu tanto amittimus. Quod cum verum ſit, & a Bellinio, Nievventyto &c. demonſtratum, neque negatum a Libertinis hujuſce temporis; conſequens erit corpus noſtrum, immutari poſt tres, quatuorve annos, ut aqua in flumine continenter immutari ſolet. Sin autem minus qualitas quædam corporis, ac naturæ affectio eſſet; effluente tali corpore, talis quoque una ſimul efflueret qualitas, & affectio. Verum experientia noſtra perpetua, eaque conſtanti, intimoque ſenſu conſtat, animum cum corpore tali non effluere. Nam etiam ſi homo ducentorum annorum vitam agat; meminit tamen rerum earum, quas fecit; dum puer eſſet: Atque *ego*, inquit, decennis Ex. Gr. hoc molitus ſum, id feci &c. Quis ille *ego* eſt? corpus ne? Nihil minus; Nam illud, quod decennis habebat, effluxit ante multos annos. Ergo animus erit. Manet ergo effluente corpore animus. Si manet jam non pendet a corpore, neque illius affectio quædam eſt. Quare ſubſiſtet pereunte corpore animus; quod erat demonſtrandum.

(40 Cicero in I. Tuſculanarum Quæſtionum *Cap.* XXIII. hæc habet ex Platone. „ Quod ſemper movetur æternum eſt; quod „ autem motum affert alicui, quodque ipſum agitatur aliunde, „ quando finem habet motus, vivendi habeat quoque finem neceſſe „ eſt. Solum igitur, quod ſeipſum movet, quia numquam deſeritur a ſe, numquam ne moveri quidem deſinit; quin etiam ceteris, quæ moventur, hic fons, hoc principium eſt movendi: „ principii autem nulla eſt origo. Nam e principio oriuntur omnia: „ ipſum autem nulla ex re alia naſci poteſt; nec enim eſſet principium, quod gigneretur aliunde .... Ita fit ut motus principium „ ex eo ſit, quod ipſum a ſe movetur .... Cum pateat igitur, „ æternum id eſſe, quod ſeipſum moveat, quis eſt, qui hanc naturam animis eſſe tributam neget?

(41) Vide *Notationem* XXXIX. *in hoc cap.* Eo enim loci probatur, animum non eſſe qualitatem, non affectionem quamdam corporis.

triſtitiam, & e contra; ergo anima non eſt accidens, ſed ſubſtantia. Item nihil quod adveniens conſtituit ſpeciem & recedens deſtruit eam accidens eſt, ſed anima adveniens conſtituit ſpeciem, & recedens deſtruit, conſtituit enim brutum animal, vel rationale animal, vel ſpecies vegetabilium rerum per ſuum adventum, vel per receſſum deſtruit; ergo anima non eſt accidens, ſed ſubſtantia.

§. VI.

Utrum anima ſubſtantia ſit ſimplex, vel compoſita.

Viſo, quod anima ſubſtantia eſt, videamus cujuſmodi ſubſtantia ſit, ſcilicet an ſimplex, an compoſita; Philoſophus enim dividit ſubſtantiam in ſimplicem, & compoſitam, ſimplicem autem dividit in formam, & materiam: compoſitam vero ex his dividit in corpoream, & in incorpoream. Quod autem ſubſtantia incorporea, ſeu ſpiritualis compoſita ſit ex materia & forma probat, quia omnes ſubſtantiæ differentes per formam conveniunt in materia, ſed ſubſtantia corporea & incorporea differunt per formas; ergo convenient in materia, utraque enim ſubſtantia ex materia, & forma compoſita eſt. Item omnes ſubſtantiæ tam ſimplices, quam compoſitæ in hoc conveniunt, quod ſubſtantiæ ſunt, ſed propriis formis differunt, neceſſe eſt ergo ſubſtantia in qua conveniunt ſit illis communis, quæ dat omnibus intellectum ſubſtantialitatis æqualiter, hanc non dat eis forma, ſed materia, quod ſic probatur. Nulla conveniunt in eo in quo differunt, ſed ſubſtantiæ ſimplices, & compoſitæ forma differunt; ergo in forma non conveniunt, ſed in ſubſtantia; ergo ſubſtantia non eſt eis forma, ſed materia. Item ſubſtantiæ ſimplices non ſunt materiæ tantum, quia ſic in nullo differrent, ſed omnino unum eſſent, quia materia unita eſt, non diviſa in ſe. Item nec aliquid agerent, quia actus formæ eſt, non materiæ; Si enim ex eo quod ſunt materia aliquid agerent, tunc omnes agerent idem propter unitatem materiæ. Item ſecundum hoc non haberent eſſe, quia materia non habet eſſe niſi per formam. Item ſubſtantiæ ſpirituales non ſunt formæ tantum, formæ enim ſubſtantiales non habent eſſe niſi in materia: ſi vero una haberet eſſe ſine materia, & aliæ ſimiliter, quia omnes communicant in intellectu ſubſtantiæ; cum igitur in una forma ſubſtantiali inveniatur, quod ejus eſſe non eſt præter materiam, relinquitur quod idem ſit in aliis. Item Boetius dicit, quod omne, quod eſt circa primum eſt hic, & hoc. Item Philoſophus dicit, quod poſt unitatem eſt dualitas; ergo poſt unitatem primam, quæ eſt Deus, quælibet ſubſtantia, quæ poſt ipſum eſt dualitate conſiſtit.

Ad iſta duo ultima reſpondent quidam, quod duplex eſt dualitas, vel compoſitio; una eſt materiæ & formæ in corporalibus ſolum, alia compoſitio cujus partes dicuntur, quod eſt, & quo eſt, & hæc eſt in ſubſtantiis incorporeis, & etiam dicunt, quod idem eſt ibi quod eſt, & quo eſt ſecundum rem, ſed differens ſecundum rationem; una enim & eadem potentia eſt animæ, quæ in quantum eſt receptibilis formarum intellectibilium eſt, quod eſt, & eſt quaſi materia, in quantum eſt ſpeculativa, eſt quo eſt, & quaſi forma, compoſitio ergo eſt in anima, & intelligibili non ſecundum rem, ſed ſecundum rationem ſolam.

Quod autem hoc non ſit verum palam eſt quia ſubſtantiæ ſpirituali aliud eſt eſſe, quam (42) noſſe, compoſitio autem eſt illius, quod eſt hoc & aliud.

Præterea non eſt idem eis eſſe, vivere, & intelligere, ſi enim unum eſſet, & idem, profecto ſicut in omnibus eſt una eſſentia, ideſt ſine differentia, quæ eſt ſecundum magis & minus, ita etiam indifferens eſſet intelligentia ſecundum eaſdem differentias, ſi autem eſſet cognitio, ideſt indifferens ſecundum magis & minus, ſimiliter & indifferens dilectio, tantum enim quilibet diligit, quantum cognoſcit diligendum eſſe, ſi anima ejus bene ordinata eſt, non autem æque diligunt; ergo non æque cognoſcunt: ergo non æque intelligunt, quæ tamen ſunt; ergo aliud eſt eis eſſe, & aliud intelligere; Si ergo ibi eſt aliud, & aliud, ergo & compoſitio non ſolum ſecundum rationem, ſed etiam ſecundum rem, quod concedimus, ſalvo eo, quod alii dicunt, quibus præjudicium facere non intendimus, credimus tamen quod in eis, quæ dicuntur ſubſtantiæ ſimplices, eſt compoſitio ex materia, & forma, ſed ex materia, & forma ſpiritualibus, ſicut corporea ex materia, & forma corporali componuntur, nec dicuntur ſubſtantiæ ſimplices abſolute, ſed reſpectu corporearum ſubſtantiarum, reſpectu quarum minus habent de compoſitione, in ſolo autem Deo eſt abſoluta ſimplicitas & natura, in quo non eſt hoc & hoc, qui idipſum eſt quod habet. Sciendum tamen quod materia tribus modis accipitur, uno modo accipitur ſimpliciter, & intelligibiliter nuda ab omni forma, prout eſt apta recipere omnem formam, corporalem ſcilicet, & incorporalem; ſecundo modo accipitur pro ut eſt induta corporeitate, [*] & ſic eſt materia tantum ſpirituum. [*]

Tertio modo dicitur materia corpus, elementum, & elementatum, pro ut ſic eſt materia tantum generabilium, & corruptibilium, ideſt eorum quæ ſunt ſub circulo Lunæ & ſic accipit Ariſtoteles cum dicit, quod ὕλη eſt ſubjectum generationis, & & corruptionis, ſed non ὕλη ſimpliciter, & univerſaliter. Quapropter cum ſubſtantiæ ſpirituales dicuntur eſſe immateriales non dicitur hoc de eis niſi, quoad ſecundum, & tertium modum, nam quoad primum modum ex eadem materia ſunt corporeæ & ſpirituales ſubſtantiæ, quoad quem modum poteſt intelligi dictum eſſe illud Eccleſiaſt. 18. v. 1. *Qui vivit in æternum creavit omnia ſimul*, ſimul dico in materia univerſali, ſalvis tamen aliis expo-

(42) Negant hoc Carteſiani. Putant enim animæ naturam in una cogitatione conſiſtere. Sed errant longe. Nam cogitatio, rei alicujus cogitatio ſit neceſſe eſt. Rurſum ſi natura animi eadem, atque cogitatio eſſet, periret profecto niſi cogitaret animus. At ſæpe evenit, ut non cogitet, quod pluribus oſtendit acutiſſimus Lockius *Lib.* I. *De mente Humana Cap.* I. §. 10. *ſeqq.*

[*] Hæc habet Cod. Vat.

expoſitionibus ſuper hoc a ſapientibus prolatis. Secundum illam viam dicendum eſt, quod materia eſt ſimplex, aut compoſita, ſimplex eſt quæ eſt univerſalis omnium, compoſita eſt, quæ eſt ſpecialis corporeorum, & incorporeorum. Notandum tamen, quod compoſitio non accidit formæ ex materia, ſed potius e contra: hoc patet in corporibus quorum materiæ non accidit eſſe quantam, niſi ratione formæ corporeæ, qua induta eſt, quantitas enim ſequitur formam corporis, non e contra, unde non eſt inconveniens dicere materiam in ſe ipſa ſimplicem, compoſitam eſſe prout induta eſt forma. Ecce habemus quod anima ſubſtantia eſt, non accidens, & ſubſtantia compoſita; nunc oſtendamus quod eſt ſubſtantia compoſita ſpiritualis non corporea; omne enim corpus habet qualitates perceptibiles aliquo ſenſu, anima vero non: ergo anima non eſt corpus. Item omne corpus ſubjacet omnibus ſenſibus, vel ſaltem aliquibus, ſed anima nullis ſubjacet ſenſibus; ergo anima non eſt corpus. Item omne corpus aut eſt animatum, aut inanimatum, anima vero non eſt animata, nec inanimata; ergo anima non eſt corpus. Si enim dicant animam eſſe animatum corpus.

Contra. Si eſſet animatum corpus ſecundum eſſe corpus animatum jam anima eſt animatum; ergo una anima eſſet animata ab alia, & eſſet ſimilis quæſtio de illa alia anima, & ſic in infinitum; ergo anima non eſt corpus animatum: ſed nec inanimatum corpus, quia omne corpus inanimatum non vivit, quod non vivit, aliud vivificare non poteſt; anima autem corpus vivificat; ergo anima nullo modo eſt (43) corpus, ſed eſt ſubſtantia; ergo eſt ſubſtantia incorporea; quod autem ſit movens corpus hoc patet; ergo anima eſt ſubſtantia incorporea movens corpus ex ſe ipſa, ſicut etiam Plato deffinit eam.

[*] Ultimo ſciendum eſt, quod eſt triplex intellectus, ſcilicet poſſibilis, ſive materialis, agens, & formalis. Intellectus agens abſtrahit ſpecies a phantaſmatibus, & abſtrahendo unit cum poſſibili, ſive materiali, qui eſt recipiens; formalis autem eſt qui recipitur. Inter iſtos tres intellectus ſolus formalis eſt corruptibilis, quia aquiſitus eſt, & tolli poteſt, & ſecundum diverſa eſt. Alii duo intellectus incorruptibiles ſunt, ut habetur ab Ariſtotele in primo de anima de materiali intellectu, ubi ait, quod eſt divinum quid, & impaſſibile, de utroque autem habetur in tertio de Anima. [*] (44)

CAP. V.

De Prælatis Eccleſiæ.

An in Eccleſia poſſint eſſe mali Prælati, & an poſſint miniſtrare Sacramenta, & prædicare, & an eis ſit obediendum, & de excommunicatione quam faciunt Prælati Eccleſiæ Romanæ, an licita ſit?

IStud caput in plures partes dividitur. Prima eſt an in Eccleſia poſſint eſſe Prælati mali Eccleſia permanente Dei Eccleſia, & ponuntur argumenta hæreticorum, quod non poſſunt eſſe; ſecunda pars eſt in qua oſtenditur, quod eſſe poſſunt mali Prælati Eccleſia permanente in ſuo eſſe: Tertia pars eſt an poſſint miniſtrare Sacramenta, & prædicare, & an obediendum ſit eis, & ponuntur argumenta hæreticorum ad oſtendendum, quod non: Quarta pars eſt in qua oſtenditur, quod ſic: Quinta, quod in Eccleſia Dei ſunt boni, & mali: Sexta pars eſt de excommunicatione, quam faciunt Prælati, utrum licita ſit: Septima eſt de Prædicatoribus, an mitti debeant.

Ponun-

(43) Nam ſi aliquo modo corpus eſſet, haberet illa quidem aliquam extenſionem. At nullam habet. Id quod ne quidem Bælius *in art. Charron. not.* N B. negare auſus eſt. Sic enim habet: *Contendere animam hominis, quod cogitet, immaterialem eſſe, hoc, meo quidem judicio, recte ratiocinari eſt. Atque hoc etiam plurimum conferre potuit ad animi ejuſdem immortalitatem probandam.* Rurſum idem ipſe Bælius multis evincit, id quod cogitat dividi nequire, adeoque ne extenſione quidem eſſe inſtructum. Audiendus autem eſt. Sic enim ſcribit *Art. Leucippus. Nota F.* „ Nam ſi res cogitans, *inquit*, non eſt una, niſi ea ratione, qua „ globus aliquis unus eſt, illa quidem certe neque arborem unam „ totam, quanta eſt, noſceret, neque ſentiret dolorem, quem excitat ictus baculi. En autem Tibi modum, quo evinci hoc ipſum „ perfacile queat. Finge animo globum, in quo depictæ ſint quatuor mundi partes. Non videbis uno ictu oculi non ſolum partem unam mundi, ſed etiam ne oram quidem unam. Pars, quæ „ exhibet Peruidem, non eadem eſt atque illa, quæ ob oculos „ ponit Regnum Siam. Sequitur, quod ſi globus poſſet percipere „ eas, quibus eſt ornatus, figuras; nihil contineret, quod dicere poſſet: *Cognoſco totam, quanta eſt, Europam, totam Amſteledami Urbem.* Quælibet pars globi poſſet ſolum cognoſcere „ figuræ portionem, quæ illi ineſt. Verum cum hæc eadem pars „ admodum eſſet exigua, ut nullum integrum locum per ſe ipſa „ exhibere valeret, inutile profecto eſſet globum cognoſcere. Non „ enim reſultat ex ea facultate ullus actus cognitionis; aut ſaltem, is eſſet cognitionis actus longe diſcrepans ab iis, quos in „ nobis continentur experimur. Noſtri enim nobis exhibent totum objectum, totam E. G. arborem totum equum, &c. Quæ „ res maxime ſuadet, id quod in nobis affectum hujuſmodi imaginibus eſt, non eſſe in partes diviſibile; atque adeo, id „ quod in homine cogitat, non eſſe corporeum, aut materiale, „ aut compoſitum ex multis *entitatibus*. Nam ſi compoſitum eſſet „ partibus, non ſentiret dolorem, cum dolor ſe divideret in tot „ minutas partes, quæ eſſent in organis &c.

[*] Quæ duobus aſteriſcis complexi ſumus, deſunt e *Cod. Bonon.*

(44) Præter veteres Philoſophos Ciceronem, Platonem &c. Præter Patres Irenæum, Lactantium, Chryſoſtomum, & Sanctum Thomam, quos ante laudavi, alioſque, ut Macharium *Homil.* XXII. Gregorium Nazianzenum *Orat.* X. Theodoretum in *Serm. Therapev.* Clementem Alexandrinum, Minucium Felicem &c. Plerique Philoſophi hac noſtra ætate contra Libertinos de immortalitate animarum ſcripſerunt. Videndi ergo Gaſſendus *Sect.* III. *Lib.* XIV. *Phyſicæ Cap.* I. *ſeqq.* Vvollaſtonus *De Relig. natur. Sect.* IX. *pag.* 332. *ſeqq. Edit. ann.* 1726. Samuel Clarkius *Epiſt. ad Dodvvellum*, & *Tom.* II. *De Exiſt. Dei, & Relig. Natur. Cap.* VIII. Crouſaſius *Exam. Pyrrhon. Sect.* X. *pag.* 472. *Edit. an.* 1733. Henricus Morus *De Immortal. Animor. Lib.* I. *ſeqq. Tom.* II. *Opp. Edit. an.* 1679. *Johan.* Baptiſta Hamelius *Lib.* IV. *De mente Humana Cap.* IV. *ſeqq.* Thobias Pfannerus in *Syſtemate Theolog. Gentil. Cap.* XVII. §. XVI. *pag.* 408. *ſeqq. Edit. an.* 1676. aliique.

§. I.

Ponuntur argumenta hæreticorum probantium, quod in Ecclesia non possint esse (1) Prælati mali, Ecclesia permanente Dei Ecclesia.

Contra hanc primam partem sic objiciunt Cathari, & Pauperes Lombardi. Prælatus Ecclesiæ caput ejus est; Quomodo ergo membra sana erunt, si caput est languidum; dicitur enim Isaiæ 1. v. 5. *Omne caput languidum, & omne cor mærens.* (v. 6.) *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.*

Solutio duplex est, quia in toto Novo Testamento non invenitur, quod Prælatus sit caput Ecclesiæ, quare ergo dicis ipsum esse caput ejus? & sic non procedit objectio tua. In Isaia autem loquitur Dominus de plebe Judæorum, quorum Principes languidi erant, qui per caput significati sunt, similiter Prophetæ, & legis Doctores qui per cor, & minores qui per plantam pedis significantur: non ideo tamen istud dicitur, quasi aliqui non essent ibi boni, ut Isaias bonus, Jeremias, & aliqui alii; Quod ergo dicitur esse caput &c. ideo dicitur, quia rarissimi boni erant apud eos. Quis autem sit caput Ecclesiæ: Dico quod Christus, secundum quod testatur Apostolus Ephes. 1. v. 22. *Et ipsum* (scilicet Christum) *dedit caput supra omnem Ecclesiam* v. 23. *quæ est corpus ipsius.* Item eadem Epist. cap. 4. v. 15. *Veritatem autem facientes in Charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus.* 1. Cor. 11. v. 3. *Omnis viri caput Christus est.* Colloss. 1. v. 18. *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ.* Si autem dicat, imo & Prælatus dicitur caput Ecclesiæ 1. Corinth. 11. v. 3. *Caput autem mulieris vir*: hoc falsum est; nam ibi agitur de muliere materiali, & marito ejus, ut ostensum est in secunda parte hujus operis cap. 4. de formatione horum visibilium a Deo.

Præterea posito (2), quod dicatur caput Ecclesiæ ex hoc non sequitur, quod membra illius capitis infirma sint, sicut patet Apocalyp. 3. Ubi loquitur Deus Angelo, idest Prælato Ecclesiæ Sardis, quem constat malum fuisse, & tamen dicitur ibidem eidem Angelo v. 4. *Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua: & ambulabunt mecum in albis quia digni sunt*; ergo sub malo Prælato possunt esse boni viri.

Ad idem inducunt illud Matth. 6. v. 22. *Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex: totum corpus tuum lucidum erit* [v. 23.] *Si autem oculus tuus fuerit nequam: totum corpus tuum tenebrosum erit*; nomine autem oculi volunt intelligere Prælatum, & per corpus Ecclesiam, quæ sub ipso est. Ecce quod si Prælatus est tenebrosus tota Ecclesia tenebrosa est.

Huic argumento taliter respondemus: dato quod oculus ibi dicatur Prælatus; quod adhuc patet solutio per illud, quod dictum est de Angelo Sardis, qui tenebrosus erat, & tamen aliquos subditos lucidos, & bonos habebat.

Præterea, Paulus erat oculus gentium, & Magister earum, quia earum Apostolus, imo & Episcopus, & erat lucidus oculus totius Ecclesiæ, & tamen habebat multos subditos malos, sicut patet in Epistolis suis; oculus ergo aliquando lucidus est, nec tamen totum corpus lucidum est. Quomodo ergo dicit Dominus utrobique *totum corpus* &c.? Dico, quod non sumit ibi *totum* universaliter, sed distributive, vel posito quod sic sumatur, totum corpus tenebrosum dicitur, & totum lucidum, non quod ita sit in actu, sed quia sic de facili esse posset. Dicitur ergo corpus tenebrosum vel lucidum, idest obscurabile, & illuminabile de facili propter Prælatum, sive propter ejus exemplum. Nonne vides simile in Apostolo Roman. 11. ubi volens probare, quod Judæi, non ita ceciderunt, quin possint reparari, ad hoc ostendendum dicit v. 36.: *Quod si delibatio sancta est, & massa.* Et quid per delibationem nisi Apostoli sanctificati a Christo, quid vero per massam, nisi plebs Judæorum figuratur? illa tunc non erat Sancta, & tamen Sancta dicitur, quia sanctificabilis. Similiter & corpus dicitur totum lucidum, scilicet illuminabile, & totum tenebrosum scilicet obscurabile (3); verius tamen est, quod non dicitur ibi oculus ipse Prælatus, nec corpus Ecclesia, sed ipsum cor, sive mens, scilicet intentio, unde prius dixerat v. 21. *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum*; per corpus vero licita conversatio designatur, quæ tenebrosa est, vel lucida, ex intentione bona, vel mala, ex qua intentione fit illicita, quæ alias esset Sancta, & bona.

Item, objiciunt illud Matth. 15. v. 14. *Cæcus autem si cæco ducatum præstet. ambo in foveam cadunt.*

Solutio. Prælatus iste non est cæcus, quia videt, quid credendum sit, & quid faciendum, licet non faciat. Isaias tales arguit dicens: cap. 4. v. 20. *Qui vides multa nonne custodies?* Si autem alicubi inveni-

(1) Novatianis, ac Donatistis adhæserunt Cathari, & Pauperes Lugdunenses. Nam illi quoque malos Prælatos membra Ecclesiæ esse negabant, ut ex Operibus Augustini, quæ sunt contra Donatistas, passim liquet. Hæreant quoque eidem luto necesse est novi hæretici, qui ex solis prædestinatis, ac Sanctis conflari Ecclesiam arbitrantur.

(2) Non negat Moneta Romanum Pontificem esse caput Ecclesiæ visibilis: De hoc namque non disputat. De capite solum invisibili, quod est Ecclesiæ fundamentum, & lapis angularis differit. Hoc enim pacto Christus est caput Ecclesiæ solus, non autem alius quisquam. Hinc Gregorius Nazianzenus *Orat.* XXXI. εἷς Χριστὸς, inquit, μίαν κεφαλὴ τῆς ἐκκλησίας. *Unus Christus, unum Ecclesiæ caput.* Vide Gregorium Nissenum *Orat.* XII. *Contra Eunomium Tom.* II. *pag.* 725. Theodoretum in *Psalm.* CXIII. & *ad* 1. *ad Corinth.* XI. 3.

(3) Hæc est germana hujusce loci interpretatio. Unum Hilarium laudabimus hoc loco; quum longum esset omnium testimonia persequi. Sic ergo ille *Cap.* V. *Comment. in Matth. n.* 4. *Tom.* I. *Opp. Edit. Veron. pag.* 690. *Continens sensus est. De oculi enim luminis officio, lumen cordis expressit. Quod si simplex, & lucidum manebit; claritatem æterni luminis corpori tribuet, & splendorem originis suæ corruptioni carnis infundet. Si autem obscurum peccatis, & voluntate erit nequam, vitiis mentis natura corporis subjacebit. Et si lumen, quod in nobis est, tenebrosum sit; quantas necesse est ipsarum tenebras esse tenebrarum? Quia jam periculose solet animi generositati terrenæ carnis vitiosa origo dominari, longeque magis peccata corporum ingravescere, si etiam cupiditatibus adjuventur animorum: ex eoque fieri præter naturam suam corpora nostra tenebrosa, si in illis mentium lumen extinctum sit.* Vide Maldonatum *in cap.* VI. *Matth. v.* 12.

venitur, quod cæcus ſit, dico oculum voluntatis prava voluntate obtenebratum, & ſecundum hoc, quod cæcus alii ducatum præbere non poteſt. Patet etiam ſolutio ex jam dicto hic.

Ad idem inducunt illud 1. Corinth. 5. v. 6. *Neſcitis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit?* Ex quo videtur, quod in Eccleſia non poſſit eſſe Prœlatus malus, nec etiam ſubditus.

Solutio: Nonne ille de quo ibi agitur intus erat? Utique, quia Paulus eum judicavit, quid enim ad nos de his, qui foris ſunt judicare, & nonne ille malus erat? Quomodo autem dicatur tota maſſa corrumpi dicetur inferius in quinta parte hujus capitis.

Ad idem inducunt illud ad Epheſ. 5. v. 25.: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea* [v. 26.] *ut illam ſanctificaret, mundans lavacro, aquæ in verbo vitæ* [v. 27.] *Ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam* (4), ſcilicet carnalis concupiſcentiæ, ideſt gulæ, vel luxuriæ, *aut rugam*, ſcilicet ſanctitatis ſimulatæ propter ſuperbiam vitæ, aut aliquid hujuſmodi, ſcilicet vitium cupiditatis terrenæ. Ergo in Eccleſia Dei, nec mali Prælati, nec mali ſubditi eſſe poſſunt.

Solutio: Chriſtus aliqua voluit, & ad aliqua venit, quæ nondum (5) ſunt completa. Sicut idem, Johann. 3. v. 17. dicit: *Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum*, & tamen nondum eſt ſalvatus mundus, niſi ex parte; ſimiliter dico, quod Chriſtus voluit talem eſſe Eccleſiam, & tamen non eſt completum niſi ex parte. Nonne etiam vides, quod Matth. 23. v. 37. dicit Dominus: *Jeruſalem quoties volui congregare filios tuos &c.* & tamen non eſt completum: ſimiliter dico de Eccleſia; complebitur autem ejus intentio in futuro.

Ad idem inducunt illud 1. Timoth. 3. ubi Apoſtolus deſcribit, qualis debet eſſe Epiſcopus dicens: v. 2. *Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum, ſobrium, prudentem &c.*

Item v. 8., & ſequentibus deſcribit, qualem oportet eſſe Diaconum, & quales oportet eſſe filios Epiſcopi; ergo ſi iſta non fuerint, non erit Epiſcopus, nec Diaconus.

Hujus ſolutio habetur in quarta parte hujus operis in capite, de Sacramento Ordinis, iſtud tamen ad præſens addimus. Sicut dicit Apoſtolus, quod oportet eum eſſe irreprehenſibilem, itam etiam 1. Corinth. 11. v. 19. dicit: *quod oportet, & hæreſes eſſe, ut, & qui probati ſunt manifeſti fiant*. Nunquid boni homines non eſſent probati. & manifeſti ſi hæreſes non eſſent? imo.

Præterea dicit v. 4., quod oportet eum habere filios ſubditos cum omni caſtitate, quod ego intelligo de filiis carnalibus, ex quorum regimine dignoſcitur, qualis ſit futurus qui ordinatur; ſi enim bene rexit filios quos habuit, ſi domui ſuæ, ut docet Apoſtolus, bene præfuit, probabile eſt, quod Eccleſiæ Dei regendæ fidelis erit. Tu autem Cathare dic mihi de quibus filiis intelligis tu hoc? Si de carnalibus; ergo ſi non habuiſſet eos, non eſſet Epiſcopus, cum dicat Apoſtolus v. 4. *Filios habentem ſubditos cum omni caſtitate*, vel argumentum tuum, ſuper illo verbo *oportet Epiſcopum eſſe irreprehenſibilem*, nullum fuit, quod verum eſt. Si autem de ſpiritualibus filiis, nunquid de filio (6) majori, vel minori, quos te habere jactas? Dices quod ſic, quod ſi illi fornicarentur cum muliere aliqua, nunquid deſineret eſſe Epiſcopus? Ita oportet te dicere ſi argumentum prædictum debet valere; ſic igitur iterum ordinandi eſſent filii, ſic & ipſe in Epiſcopum.

Item, ſi deſiiſſet eſſe Epiſcopus, poſset alius in Epiſcopum ordinari, quorum neutrum verum eſt; ſi de ſubjectis intelligitur, aut de omnibus, aut de aliquibus eorum hoc dicitur: quod oportet eum habere filios tales; de aliquibus non, quia qua ratione de iſtis, eadem ratione de aliis; ergo de omnibus intelligitur; ergo ſi non fuerint omnes tales, ſed unus eorum luxuriatus fuerit a patre, ipſe deſinit eſse Epiſcopus propter iſtum filium.

§. II.

Probatur quod mali Prælati poſſunt eſſe in Eccleſia Dei.

SEcunda pars capitis, hæc eſt in qua oſtenditur, quod in Eccleſia poſsunt eſse Prælati mali, Eccleſia manente Dei Eccleſia, hoc autem oſtenſum eſt in quarta parte hujus operis in capite de Ordine, ubi actum eſt de Angelo, ideſt Epiſcopo Epheſino (7).

Item nota, quod Dominus per Johannem Apoc. 1. v. 20. dicit: quod ſeptem ſtellæ, quas Johannes vidit in dextra ejus, ſunt ſeptem Angeli, & ſeptem candelabra, quæ vidit ſeptem Eccleſiæ erant, & quæ eſſent illæ Eccleſiæ exprimitur propriis nominibus

(4) Abutebantur hoc Apoſtoli teſtimonio Pelagiani, Donatiſtæ, & Novatiani. Vide S. Pacianum *Epiſt* III. *ad Sympronianum*, & S. Auguſtinum paſſim in Libris contra Donatiſtas, & *Lib. de Perfectione Juſtitiæ contra Cœleſtium &c.*

(5) Fuerunt plerique Græci Patres, qui hunc locum de Eccleſia hujus ſeculi intelligerent. Verum non Græci ſolum, ſed & Latini. Adeunda Synodus *Tolet.* VI. *cap.* I. Sed Auguſtinus toto fere Libro de *Perfectione juſtitiæ* hanc explicandi rationem affert: locum Apoſtoli intelligendum de Eccleſia, quæ ſanctificatur, ac mundatur in hoc ſeculo per baptiſmum, fidem, & caritatem, ſed tamen non ita perficitur hæc mundatio, ut immaculata prorſus dici, & ſine ruga poſſit, donec Chriſtus in futuro ſeculo, eam ſibi faciat glorioſam, ſine macula, & ruga. Eodem recidit Monetæ reſponſio. Adeundus idem ipſe Auguſtinus *lib.* I. *Retractationum cap.* XIX. & *lib.* II. *cap.* XVIII.

(6) Filium majorem a Catharis appellatum fuiſſe eum, qui ſecundas ab Epiſcopo partes in Eccleſia obtinebat, diximus aliis in locis ſæpe. Quare actum agerem, ſi recoquere eadem vellem, quæ diſputata toties fuerunt. Scimus porro nos, quæ ſint munera Epiſcoporum, & quanta Sanctitate eſſe debeant, quippe qui in pietatis operibus inſtituere debeant ceteros. Præſcripta namque ea ab Apoſtolo fuerunt in Epiſtolis ad Titum, & ad Timotheum, atque a Patribus ſæpe ac multum repetita. Conſulendi S. Ignatius in *ſeptem ſinceris Epiſtolis*, Pſeudo Clemens *lib.* II. *Conſtitut. Apoſtolicar. cap.* XI. Iſidorus Peluſiotes *lib.* I. *Epiſt.* CXXXVI. Verum quis inde colliget Epiſcopum deſinere eſſe eum, qui ejuſmodi leges migraverit, minuſque piam duxerit, ſanctamque vitam?

(7) Nam Angelus Eccleſiæ Epheſi Epiſcopus ejuſdem Eccleſiæ fuit, velut omnes interpretes, ne hæreticis quidem exceptis ultro fatentur. Is autem etſi non pie viveret, dejectus tamen ab Epiſcopatu non fuit, quamvis illi Chriſtus minetur ablationem candelabri de loco ſuo.

nibus terrarum, ficut expreffum eft, primo capite v. 11. ubi dicitur Johanni: *Quod vides, fcribe in libro: & mitte feptem Ecclefiis, quæ funt in Afia, Ephefo, & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiciæ*. Ifti autem Angeli, erant Presbyteri, & Epifcopi illarum Ecclefiarum. Unde Malach. 2. v. 7. dicitur: *Labia Sacerdotis cuftodient fcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eft*.

Item 1. Corinth. 11. v. 10. dicitur: quod mulier habeat velamen fuper caput fuum, propter Angelos ideft propter Sacerdotes. Omnes autem hi Angeli, reprehenfibiles erant, & reprehendebantur, exceptis duobus, fcilicet fecundo, & fexto; quinque vero mali erant, & tamen Ecclefiæ eorum bonæ, erant enim candelabra aurea illo auro, de quo dicitur cap. 3. v. 18.: *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum, ut locuples fias, & veftimentis albis induaris*. Iftud ergo aurum, & locupletat fpiritualiter, & veftit veftimentis albis, ideft virtualibus Chrifti.

Præterea dicitur ibi, quod filius hominis, ideft Chriftus, in medio eorum erat perambulans, quod non faceret, fi malæ effent Ecclefiæ per candelabra defignatæ. Unde 2. Corinth. 6. v. 16. dicit Paulus: *Vos eftis templum Dei vivi, ficut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipfi erunt mihi populus*.

Item, erant in dextera Chrifti, quod non effet verum fi effent malæ, imo potius in finiftra, ftatuet enim hædos a finiftris, ut dicitur Matth. 25. v. 33. expreffe autem patet, quod propter malitiam Prælati non amittit Ecclefia bonitatem fuam; de Angelo enim Sardis legitur, quod malus erat, & tamen habebat fubditos bonos, ut prænotatum eft in prima parte, hujus capitis. Et quia Cathari duo ponentes principia, iftud dicunt non effe intelligendum in mundo ifto, fed in cœlefti mundo, dicam eis, unde hoc poffunt oftendere? Nunquid enim eft ibi Ephefus, & aliæ terræ de quibus agitur in Apocalypfi? Si dicant quod fic, dico eis, quod inde non habent teftimonium; funt igitur fimiles illis, a quibus Paulus Colofsenfes monet cavere dicens: cap. 2. v. 18. *Nemo vos feducat volens fuprafuadere in humilitate, & religione Angelorum, quæ non vidit*, ideft quorum non habet teftimonium.

Præterea, nunquid in Cœlo tempore Johannis erant Pfeudoapoftoli? Sic oportet te dicere, quia legitur de Angelo Ephefi Apocal. 2. v. 2. *tentafti eos, qui fe dicunt Apoftolos effe, & non funt, & inveniſti eos mendaces*. Ergo erant ibi mali, fcilicet Nicolaitæ, de quibus dicitur eodem verficulo: *Non potes fuftinere malos*; & Paulo poft v. 6. *Sed hoc habes, quia odifti facta Nicolaitarum, quæ, & ego odi*; ubi etiam innuit, hæreticos inquantum funt hæretici efse odiendos.

Præterea, fi verum eft, quod in mundo patriæ cœleftis ifta fuerunt, quæ Johannes narrat; ergo ibi tempore Johannis erat fynagoga Satanæ: Dicitur enim Angelo Smyrnæ Apoc. 2. v. 9. quod blafphematur ab his, qui fe dicebant Judæos, & non erant, fed fynagoga Satanæ.

Item, Diabolus fecundum hoc ibi efset, & foret incarceraturus aliquos ex illis, qui fub illo Angelo erant.

Item, ibi effet fedes Satanæ, quia fic dicitur Angelo Pergami Apoc. 11. v. 13. *Scio ubi habitas, ubi fedes eft Satanæ*; quæ omnia falfa funt, nec etiam effe poffent fecundum tuum pravum intellectum, cum dicatur Apoc. 12. v. 7. *Et factum eft prælium magnum in cœlo, Michael, & Angeli ejus præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli ejus*. [v. 8.] *Et non valuerunt, neque locus inventus eft eorum amplius in cœlo*. [v. 9.] *Et profectus eft draco ille magnus, ferpens antiquus, qui vocatur diabolus, & Satanas, qui feducit univerfum orbem: & profectus eft in terram, & Angeli ejus cum illo miffi funt*.

Præterea, pofito etiam, quod ita effet, ut tu dicis, tamen Ecclefiæ poffunt effe bonæ miniftris exiftentibus malis. Si autem vis dicere, quod non erant Epifcopi, vel miniftri illi Angeli, de quibus ibi agitur, hoc ftare non poteft; ad quid enim diceret Apoftolus illos Angelos Ecclefiarum illarum? Ad quid etiam unicuique eorum fpecialiter affignaret Ecclefiam? Ad quid etiam eos argueret, quia habebant ibi hæreticos, & quia permittebant eos feducere fervos Dei? Ad quid etiam moneret aliquos eorum ad confirmationem eorum, qui morituri erant, nifi miniftri eorum effent, & Paftores? De hoc enim arguuntur, quia videbant, & non opponebant fe eis (8).

§. III.

An mali Prælati poffint Sacramenta miniftrare, & prædicare, & eis fit obediendum.

Probare nituntur hæretici quod non.

Nunc ad tertiam partem hujus capitis accedentes videamus, utrum mali Prælati poffint conferre Sacramenta Ecclefiæ, & utrum poffint prædicare, & an eis obediendum fit. Quod autem non poffint miniftrare Sacramenta volunt probare hæretici, qui Cathari dicuntur, & etiam pauperes Lombardi his modis:

Primo per illud Matth. 5. v. 13. ubi Chriftus ait difci-

(8) Cathari autem cum viderent Epifcopos fibi effe infeftos, ut facilius horum auctoritatem declinarent, malos effe Epifcopos, adeoque ne in Ecclefia quidem effe affirmaverunt. Sequuti autem funt Audæanos, de quorum auctore dicit Epiphanius *Tom.* I. *Hæref.* LXX. *n.* 2. quod moleftus fuit Epifcopis, quorum mores accufabat, adeoque defcivit ab Ecclefia. Merito poffent aptari huic generi hominum Clementis Romani verba in *Epift. ad Corinthios*, qui paftores fuos fede quandoque deturbarant, conflato fchifmate: *Hinc æmulatio, difcordia, & feditio, perfecutio, & tumultus, bellum, & captivitas. Ita infurrexerunt inhonorati contra honoratos, inglorii contra gloriofos, infipientes contra fapientes, juvenes adverfus feniores. Idcirco procul abfunt juftitia, & pax, dum unufquifque timorem Dei deferit, & in fide illius cæcutit, nec ambulat in inftitutis præceptorum ejus, neque vitam fecundum id, quod Chrifto dignum eft moderatur; fed unufquifque fecundum fuas pravas cupiditates incedit, invidiam iniquam, & impiam refumendo, per quam & mors intravit in mundum. Ep.* I. *ad Corinth. n.* III. *pag.* II. *Tom.* I. *Epift. Rom. Pont. Edit. Conftantii, Ed. an.* 1721.

discipulis: *Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus*. Ex quo videtur, quod postquam Prælatus evanuit, non potest condire alium, & quod ad nihilum valet, & ita Sacramentorum etiam ministratio facta ab ipso inefficax est. Istud credunt omnes (9) Cathari, & pauperes Lombardi. Ultramontani vero pauperes dicunt, quod Ecclesia Romana habet Sacerdotium (10), & Sacramenta conferunt ab ea collata, & quod Eucharistiam, & alia Sacramenta reciperent ab ea, si darentur eis.

Solutio objectionis prædictæ est, quia si Prælatus evanuerit in aliquo, in illo non potest alium condire, in illo etiam ad nihilum valet, si enim in fide fuerit factus vanus, non potest condire alios verbo fidei; si autem evanuerit in vita, non potest condire alios exemplo bonæ vitæ: sed si Ordinem non amittat, non evanescit in Ordine; quare nec in Sacramentorum collatione, quam facit ex vi Ordinis. Si autem vis dicere, quod evanuit in Ordine, proba hoc aliquo testimonio, quod non potes: ego autem inferius probabo contrarium. Vis videre quod Prælatus potest evanescere quoad unum, & non quoad alia? attende quod Dominus ait discipulis Matth. 23. v. 3. *Omnia quæcunque dixerint vobis, servate, & facite: secundum opera vero eorum nolite facere*; isti evanuerant quoad vitam, & tamen valebant ad aliquid, idest ad doctrinam. Quod ergo dicitur de sale, quod si evanuerit, quoniam ad nihilum valet, non intelligitur universaliter, sed particulariter, idest non valet ad illud in quo evanuit.

Sed objiciet hæreticus: Quare non servatis doctrinam Domini de mittendo eum foras, cum etiam dicat Apostolus 1. Corinth. 5. v. 11. *Cum ejusmodi nec cibum sumere*; quod vos de Ecclesia Romana non observatis.

Solutio: Imo observo doctrinam Domini, & Apostoli ejus; dicit enim Christus Matth. 18. v. 15. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum* [v. 16.] *Si autem te non audierit: adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium stet omne verbum* [v. 17.] *Quod si non audierit eos: dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*. Iste est ordo, quo mittendus est foras; ut primo convincatur duobus, vel tribus testibus, si enim auctoritate tua vis illud facere, malum esset, sic enim innocens posset damnari; serva igitur doctrinam Evangelii. Istam doctrinam servavit Paulus 2. Corinth. 13. v. 1. ubi dicit. *Ecce tertio hoc venio ad vos: In ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum* [v. 2.] *Prædixi, & prædico, ut præsens his, & nunc absens, iis qui ante peccaverunt, & cæteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam*. Quod enim dicit in prima Epistola *Cum ejusmodi &c.* intelligitur de accusatis, & convictis per duos, vel tres testes, & sic condemnati sunt. Hoc modo si sal evanuerit, foras mitti debet, & conculcari, idest vilipendi ab hominibus, & ita fit ab Ecclesiæ Prælatis, & si qui non faciunt, illos non excuso.

Ad idem inducunt illud Matth. 6. v. 24. *Nemo potest duobus Dominis servire*. Si autem Prælatus est malæ vitæ, servit Diabolo; Manens ergo talis non potest servire Deo; videtur ergo quod non possit ministrare ejus Sacramenta.

Solutio: Donec malus est, non potest Deo servire, aut ministrare meritorie; diabolo ministrat meritorie, apud quem meretur supplicia opere vitæ malæ. Si autem facit aliquod opus de genere bonorum, non propter hoc meretur aliquod bonum apud Dominum. Unde 1. Corinth. 13. v. 3. ait Apostolus: *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*.

Ad idem inducunt illud verbum Domini Matth. 7. v. 18. *Non potest arbor mala bonos fructus facere*.

Solutio: Quomodo tu vis intelligere bonum fructum? si meritorium vitæ æternæ, concedo quod Prælatus malus non potest facere opus meritorium vitæ æternæ; si autem per bonum fructum vis intelligere opus utile alii (11), dico quod Prælatus malus potest facere opus alii utile; fame morientem potest enim pascere, quod valde est utile fame morienti, potest etiam ostendere viam alii, licet non vadat per eam, unde: *omnia quæcumque* &c.

Ad idem inducunt illud Titi 1. v. 16. ubi dicit Apostolus de Prælatis: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, cum sint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi*.

Istud eodem modo solvendum est, sicut & præcedens per distinctionem boni; dicuntur autem isti Deo abominabiles, & incredibiles, quia non credunt Deo fide per dilectionem operante.

Præterea, nonne Angelus Ephesinus malus erat, qui charitatem reliquerat, & tamen aliqua bona habebat, ut ei dicit Dominus Apoc. 2. v. 2. & 3., inter quæ ponit hoc v. 6. *Sed hoc habes bonum*, *quia*

(9) Donatistas auctores sequuti, qui non valere Sacramenta a malis ministris collata censebant; Idque jam faciebant, ut Cæciliani Ordinationem a Felice Aptungitano habitam, nullam esse ostenderent. Catharis, & Valdensibus adsensi sunt Hussitæ, & Vviclefi discipuli seculo XIV. cadente, ut notum omnibus est, qui primoribus labiis Historiam Ecclesiæ attigerunt.

(10) Viden ut non omnes Valdenses addicti erant errori eidem, quomodo id fuit a nostro animadversum. Id autem notent necesse est, qui Valdenses omnes in eodem errore versatos fuisse tradunt, ut Jueninus, ut Turnellius, ut Natalis Alexander, ut alii, qui in Historiam Ecclesiasticam, & Theologiam commentarios addiderunt.

(11) Johannes Chrysostomus *Homilia* VIII. *in Epist.* I. *ad Corinthios*: „ Contingit quidem, *inquit*, principes esse malos, & „ sceleratos, eos autem, qui illorum parent imperio, bonos, & „ moderatos, & laicos quidem in pietate vitam agere, Sacerdotes „ autem in improbitate, ac nequitia, & neque futurum esset baptisma, nec Corpus Christi, nec oblatio per illlos, si ubique dignitatem, ac merita requireret gratia. Nunc autem etiam per „ indignos Deus solet operari, neque baptismatis gratia quidquam „ læditur a vita Sacerdotis. Nam qui accipit, minus esset habiturus .... Hæc autem dico, ne quispiam ex iis, qui adstant, „ de vita Sacerdotis curiose inquirens, offendatur in mysteriis, „ quæ peraguntur. Nihil enim affert Sacerdos ad ea, quæ sunt „ proposita, sed universum est opus Dei virtutis, & ille est, qui „ nobis exhibet mysteria „ Et S. Ambrosius *libro de his qui Mysteriis initiantur, cap.* V. *Non merita personarum*, inquit, *sed officia consideranda sunt Sacerdotum*.

quia odisti facta Nicolaitarum , quæ & ego odi; illud bonum probat Dominus in eo .

Ad idem inducunt illud verbum Domini Jo. 12. v. 26. *Si quis mihi ministrat me sequatur* . Ex quo volunt habere , quod ille , qui non sequitur Christum non est minister Christi , & ita non potest ministrare Sacramenta ejus .

Quoad pauperes Lombardos patet solutio hujus objectionis ex eo , quod habetur Rom. 13. de potestatibus , qui v. 4. dicuntur ministri Christi, licet mali sint, secundum eos, in usu gladii materialis, qui contra Dominum est , ut credunt ; quare ergo Prælati non dicentur Christi ministri in eo , quod non est contra Dominum .

Ad omnes autem est alia solutio : quod quicunque Christum non sequitur , in eo , in quo non sequitur eum, non est ejus minister; in alio tamen potest esse ejus minister .

Præterea Catharis dicas : Nonne Judas (12) fuit minister Christi , & tamen malus ? Nonne dicitur Actor. 1. v. 24. quod Apostoli orantes dixerunt : *Tu Domine , qui corda nosti omnium , ostende quem elegeris ex his duobus unum* , [v. 25.] *accipere locum ministerii hujus , & Apostolatus , de quo prævaricatus est Judas* ? Nonne etiam Apostoli ante mortem Christi ministri ejus fuerunt ? Utique : Nonne & mali ? Utique ut credis . Unde ergo ausus es dicere , quod si malus est , non est Christi minister .

Ad idem inducunt illud quod ait Christus discipulis Johan. 20. v. 22. *Accipite Spiritum Sanctum.* [v. 23.] *quorum remiseritis peccata , remittuntur eis : & quorum retinueritis , retenta sunt*; prius dixit: *Accipite Spiritum*, postea dixit: *quorum* &c. Quare hoc fecit, nisi ut ostenderet quod non valet peccata remittere alii ille Prælatus , qui non habet Spiritum Sanctum (13) .

Solutio : Non est verum : proba , quod propter (14) hoc fecerit illud : ego autem dico tibi : quod nullus potest alii peccata dimittere digne , & decenter , & meritorie , nisi prius habuerit in se Spiritum Sanctum , quo ei sint dimissa peccata ; & hoc voluit Dominus innuere dicens prius: *Accipite Spiritum Sanctum* .

[*] Præterea ad ostendendum , quod per Spiritum est remissio peccatorum , sicut etiam ad idem ostendendum dixit Matth. 12. v. 32. *Qui dixerit contra Spiritum Sanctum verbum, non remittetur ei neque in hoc sæculo , neque in futuro* [*] . Quod autem per Spiritum Sanctum fiat hæc remissio , patet 1. Corinth. 6. v. 11. *Sed abluti estis , sed sanctificati estis , sed justificati estis in nomine Domini Jesu Christi , & in Spiritu Dei nostri* . Similiter intellige illud Verbum Domini Matth. 7. v. 5. *Hypocrita , ejice primum trabem de oculo tuo , & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui*, supple digne , & meritorie .

Ad idem inducunt illud Jeremiæ 13. v. 23. *Si mutare potest Æthiops pellem suam , aut pardus varietates suas , & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum* . Si non possunt benefacere , quomodo possunt peccata dimittere ? (15)

Solutio : Si non possunt benefacere , quomodo possunt fame morientem propter Dominum pascere? Patet autem solutio ex prædictis : Benefacere enim dupliciter dicitur , idest utiliter alii aliquid facere, vel sibi ipsi meritorie ; primo modo potest , donec talis est, bene facere , secundo modo non potest .

Ad probandum autem quod non possunt prædidicare , inducunt illud Matth. 12. v. 34. *Progenies viperarum , quomodo potestis bona loqui , cum sitis mali* .

Item Eccles. 15. v. 9. *Non est speciosa laus in ore peccatoris* .

Item in Psalmo 49. v. 16. *Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas , & assumis testamentum meum per os tuum ?*

Solutio : Quod homo malus quandoque loquatur bona,manifestum est ex tertio testimonio , quod modo inductum est ; *Peccatori autem dixit Deus : quare &c.* Quod ergo Dominus dicit in Evangelio: *Quomodo potestis &c.* non removet, quin possint dicere bona ; hoc etiam patet ex eo , quod ibi loquebatur Pharisæis , qui dixerant ei v.24. *Hic non ejicit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum* ; isti autem aliqua bona dicebant , alioquin non dixisset discipulis suis Matth. 23. v. 2. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi* (v.3.) *Omnia ergo quæcunque dixerint vobis , servate & facite ; secundum opera vero eorum nolite facere : dicunt enim , & non faciunt* . Si autem quæras a me, quomodo intelligendum sit verbum Domini ad ædificationem simplicium Catholicorum ? Dico : quod Pharisæi habebant scientiam Legis divinæ , & habebant voluntatem malam ; scientia divina bonus thesaurus erat , & bona arbor ; e contrario vero de voluntate mala ; ex primo Thesauro cordis sui , quando dicebant bona , ex secundo autem mala : ex abundantia autem cordis os loquitur : ex scien-

(12) S. Augustinus *Tractatu* v. *in Johannem Tom.* III. *P.* II. *Opp.* „ Quomodo dicitis , *inquit* , quia vos baptizatis , & Johannes dicit , *hic est , qui baptizat* ? Sed ministros , inquiunt , tanti judicii justos esse oportet , per quos baptizatur . Et ego dico, „ & omnes dicimus , quia justos oportet esse tanti judicii ministros. „ Sint ministri justi si volunt : si autem noluerint esse justi , qui super Cathedram Moysi sedent , securum me fecit Magister meus, „ de quo spiritus ejus dixit : hic est , qui baptizat . . . Baptismum „ dedit Judas , & non baptizatum est post Judam ; dedit Johannes, „ & baptizatum est post Johannem : quia si datus est a Juda baptismus, Christi erat ; qui autem a Johanne datus est, Johannis erat. „ Non Judam Johanni , sed baptismum Christi , etiam per manus „ Judæ datum , baptismo Johannis , etiam per manus Johannis dato recte præponimus .

(13) Huc recidunt argumenta S. Cypriani , quæ errans congerit in *Epistola ad Jubajanum* , & *in Epist. ad Pompejum* . Eum nempe qui Spiritum S. non habeat , non posse gratiam Spiritus S. conferre.

(14) Idem sibi Valdensium nomine argumentum opponit Pilicdorfius , eodemque responso refellit . *Cap.* XVI. *Tom.* XXV. *Bibl. PP.*

[*] Quæ duobus asteriscis complexi sumus , desunt e *Cod. Bonon.*

(15) Id vero indicat , quemadmodum fieri possit S. Augustinus *lib.* III. *De Bapt. Contra Donatistas . Cap.* X. *Non est* , inquit , *aqua profana & adultera , super quam nomen Dei invocatur , etiamsi a profanis , & adulteris invocetur . Quia nec ipsa creatura , nec ipsum nomen adulterium est . Baptismus vero Christi verbis Evangelicis consecratus , & per adulteros , & in adulteris Sanctus est , quamvis illi sint impudici , & immundi . Quia ipsa ejus Sanctitas pollui non potest , & Sacramento suo divina virtus adsistit sive ad salutem bene utentium , sive ad perniciem male utentium . An vero solis , vel etiam lucernæ lux , cum per cænosa diffunditur , nihil inde sordium contrahit, & baptismus Christi potest cujusquam sceleribus inquinari?*

ſcientia divina non erant ipſi mali, ſed ex mala voluntate ſua mali erant, & inde non poterant loqui bona; propter hoc non dixit Dominus tantum, *quomodo poteſtis bona loqui*; ſed addidit *cum ſitis mali*; quaſi diceret, ex eo quod mali eſtis, bona dicere non poteſtis; ſi quæ ergo bona dicebant, hoc erat ex eo, quod ſcientes erant Legem Domini. Ad illud vero quod dictum eſt, *non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris*, dico: quod loquitur de aperto malo, cujus laus ſive prædicatio non eſt Deo placita, (16) nec hominibus gratioſa; imo & ſcandalum parit eis; & bene dico, quod talis non debet prædicare, unde Eccl. 27. v. 14. dicitur: *Narratio peccantium odioſa*. Bene ergo dicit: *non eſt ſpecioſa*, ideſt non habet ſpeciem ſive pulchritudinem; honeſtas enim prædicatoris, honeſtas eſt prædicationis. [*] Ad verbum David: *Peccatori autem dixit Deus &c.* Dicendum eſt, quoniam loquitur ut dictum eſt de aperte malo, ſicut dictum eſt in verbo Eccleſiaſtici. Vel dicatur, quod utrobique loquitur de hæretico; Unde Eccleſ. 21. v. 19. dicitur: *Narratio fatui*, ideſt hæretici, *quaſi ſarcina in via*. [*] Eſt etiam alia facilis ſolutio ad illa tria. *Quomodo poteſtis &c.* Item *Peccatori &c.* Item, *non eſt ſpecioſa &c.* ut dicatur: *quomodo*, ideſt non utili modo; *quare* ideſt ad quid hoc eſt, ad quam utilitatem cum non ſit ſpecioſa, ideſt Deo placens laus in ore peccatoris. Hæc autem ſolutio confirmatur ex eo, quod dicit Apoſtolus 1. Corinth. 13. v. 1. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens*.

Dicunt etiam iſti, quod ſolis bonis obediendum eſt, quia illi ſoli, ut dicunt, habent poteſtatem ligandi, & ſolvendi, & hoc volunt habere per illud Malach. 2. v. 2. ubi Dominus dicit Prælatis: *Maledicam benedictionibus veſtris*.

Solutio: Ideſt, faciam, quod benedictio veſtra cedet vobis in maledictionem; poteſt enim eſſe, quod benedictio alicujus cedat alii in benedictionem, & ſibi in contrarium, ut patet in illo qui non ſequebatur Chriſtum, ut habetur Lucæ 11. Ipſe enim in nomine Chriſti benedicebat dœmoniacis, & liberabantur; ipſis ergo erat benedictio, ſed ipſi non, imo ipſe erat maledictus, & reprobatus a Deo. Et nota, quod Chriſtus nolebat, quod prohiberetur, quamvis non ſequeretur Chriſtum, & Apoſtolos ejus.

§. IV.

Probatur, quod mali Prælati poſſunt prædicare, & Sacramenta miniſtrare, & quod eis eſt obediendum.

HIc incipit pars quarta, in qua oſtenditur, quod Prælati, quamvis mali ſint, tamen & officium prædicandi, & miniſterium Sacramentorum habent, & quod eis obediendum eſt. De hoc autem aliqua dicta ſunt in quarta parte hujus operis in capite de ordine, ubi oſtenſum eſt ex parte; etiam ſecunda parte hujus capitis, ubi actum eſt de ſeptem Angelis ſeptem Eccleſiarum, quorum quinque mali videntur ſecundum literam Apocalypſis, & aperte mali, qui non dicuntur remoti ab adminiſtratione, ſed comminatur aliquibus eorum remotionem.

Item Johan. 11. v. 51. dicitur de Caipha, quod prophetavit dicens &c. Et quare hoc? dicit Johannes: *Cum eſſet Pontifex anni illius*. Ecce quod ratione Pontificatus accepit donum prophetandi, & tamen malus erat. Malus ergo Prælatus non cadit ab officio prædicandi.

Item 1. Corinth. 9. v. 16. dicit Paulus: *Væ enim mihi eſt, ſi non evangelizavero*; & ſubdit v. 17. *Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: ſi autem invitus, diſpenſatio mihi credita eſt*. Nonne ſi invitus faceret, malus eſset? Utique, quia ut prædictum eſt, ſi volens facit, mercedem habet, ergo ſi invitus facit, non habet mercedem, ſed non privaretur ea niſi eſſet malus, ergo malus eſt, ſi invitus evangelizat, & tamen nihilominus, ut ipſe ait, diſpenſatio evangelii eſset ei credita, malus igitur non cadit ab officio evangelizandi. Ad Philip. 1. Apoſtolus, docet, mercenarios prædicatores non eſse propellendos; dicens v. 18. *Quid enim? Dum omni modo, ſive per occaſionem, ſive per veritatem Chriſtus annuncietur; & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo*. Ecce quod Paulus de duplici Chriſti prædicatione, ideſt de illa, quæ fiebat occaſione alicujus mali, & de illa, quæ fiebat per veritatem manifeſtandam, ideſt propter homines illuminandos cognitione veritatis; de occaſione quidem non gaudebat, ſed de prædicatione: volebat igitur, quod prædicarent Chriſtum, licet non vellet, quod ſic, ideſt hac intentione prædicarent. Idem igitur volebat Deus, cum Paulus bene, & ſecundum Dominum vellet; mercenarii igitur prædicatores prædicare poſsunt, & fungi prædicationis officio, ſed ſi male functi fuerint, detrimentum patientur. Jo: 10. v. 13. *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt*,

(16) Immo vero graviter hujuſmodi miniſter malus peccat, ſi verbum Dei prædicat, ſi manifeſto præſertim crimine teneatur. S. Thomas *in* IV. *ſentent. Diſt.* XIX. *Quæſt.* II. *Art.* II. *ad* 4. *Eorum*, inquit, *qui docent Sacram Scripturam, eſt idem finis, ac eorum, qui Sacram Scripturam ediderunt: unde cum ad hoc ordinetur Scripturæ editio, ut ad vitam æternam perveniat homo, quicumque impedit finem doctrinæ docendo, peccat: Impedit autem, qui Sacram Scripturam in peccato docet, quia ore ſe profitetur noſſe Deum; factis autem negat.* S. Thomæ prævivit S. Hilarius *lib.* VIII. *De Trinitate pag.* 947. *Edit. Paris. Mon. S. Mauri. Non ſtatim*, inquit, *boni, atque utilis Sacerdotis eſt, aut tantummodo innocenter agere, aut tantummodo ſcienter prædicare: cum & innocens ſibi tantum proficiat, niſi doctus ſit, & doctus ſine doctrinæ ſit auctoritate, niſi innocens ſit. Non enim apoſtolicus ſermo probitatis, honeſtatiſque præceptis, hominem tantum ſeculo conformat ad vitam, neque rurſum per doctrinæ ſcientiam Scribam Synagogæ inſtituit ad legem; ſed perfectum Eccleſiæ principem perfectis maximam virtutum bonis inſtituit: & vita ejus ornetur docendo, & doctrina vivendo.* Luculentius Tractatu *in Pſ.* CXVIII. *Peccatorem*, inquit, *monuit eum, qui in peccato manſiſſet, prædicationis officio abſtinere. Vult enim liberum a crimine eſſe cœleſtis doctrinæ prædicatorem.*

[*] Deſunt e *Cod. Bonon.* quæ duobus aſteriſcis comprehenſa vides.

est, & non pertinet ad eum de ovibus. Non removet eum, sed tantum arguit, quia non agit officium suum, idest non opponit se lupis pro ovibus suis. Idem etiam potest ostendi per illud, quod habitum est supra in capite hujus partis; An Ecclesia defecerit postquam cæpit. Similiter illud Matth. 7. v. 22. *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Item supra illud verbum Matth. 8. v. 4. *Vade, ostende te Sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyses in testimonium illis*; sed hoc magis valet contra Valdenses, quam contra Catharos. Item per illud quod dictum est supra illud verbum Matth. 23. v. 2. in tertia parte hujus capitis. *Super Cathedram &c.* Si enim Dominus præcipit audire illos, & auditis ab eis obedire, patet, quod etiam manifeste mali in Ecclesia, & possunt prædicare, & eis obediendum est, donec tollantur (17), & non sint remoti illo modo, & ordine, quem expressimus supra in tertia parte hujus capitis supra illud verbum Matth. 5. v. 13. *Si sal &c.* Item etiam probari potest per Petrum, qui negavit Jesum dicens cum juramento Matth. 26. v. 72. *Non novi hominem*; Petrus Episcopus erat, & non amisit ordinem propter peccatum. Si autem dicas, quod cito pœnituit; sit ita, sed tamen in peccato aliqua hora fuit, & tamen in illa Ordinem non amisit, vel si amisit, dic ubi ei postea datus est. Ego enim video, quod Matthiæ datus est Ordo, ut habetur Actor. I. ergo si Petrus amisisset, iterum ei datus esset. Item quando Paulus ei in facie restitit, quia reprehensibilis, constat quod Petrus prædicabat, & bene faciebat, & administrabat Sacramenta Ecclesiæ, & infra obediebatur ei; quare non modo similiter Prælatis reprehensibilibus idem licebit, quare non eis obediendum sicut tunc? postquam, & donec tollantur, usquequo præcidantur tunc ordine quem expressit Dominus Matth. 18. v. 15. *Si peccaverit &c.*

Præterea Catharis objicias de Apostolis, quibus, ut credunt, nundum datus erat Spiritus Sanctus, qui etiam mali erant, ut credunt, inter quos erat & Judas, & tamen contulit Dominus eis potestatem curationum, & calcandi supra serpentes, & scorpiones, & supra spiritus immundos, & omnem virtutem inimici, & qui non recipiebat eos, Deo non placebat, ut patet Matth. 10. v. 2. Et Lucæ 10. v. 19. Licet ergo aliquis Prælatus malus sit, tamen potest fungi officio prædicationis, & donec tollatur, ei obediendum est. Si autem dicat Valdensis, quod postquam malus fuit, Episcopus non fuit Judas. Hoc stare non potest, quia nusquam invenitur privatus officio sibi prius injuncto, imo quousque ad Cœnam, & in Cœna fuit cum Jesu, & cum aliis discipulis; toleravit ergo eum Dominus; vade & tu fac similiter.

Præterea, si deposuisset eum Dominus, probabile est, quod alium loco ejus substituisset, ut non esset necesse Apostolos amplius super hoc laborare substituendo ei Matthiam.

Ad hoc autem, quod de Juda dictum est, diceret Pauper Lombardus, quod ideo toleratus est, quia occultus erat. Similiter dico, quod Prælatus donec occultus est, tolerandus est, & potest fungi officio suo, hoc quidem & ego concedo; sed dico, quod nullus sua anctoritate debet ab obedientia Prælati discedere, sed servato ordine judiciario, qui habetur Matth. 18. ut parum ante dictum est, & supra similiter in tertia parte hujus capitis. Nonne vides, quod ad minus duo de Angelis Apocalypsis erant notorii, & tamen non erant remoti.

Præterea nonne vides, quod in Veteri Testamento fungebantur suis officiis, licet mali, & quod eis obediendum fuit? Item contra Valdenses objici potest illud Num. 20. v. 9. & sequent. ubi legitur quod Moyses, & Aaron produxerunt aquas de petra, & Dominus ministerio ipsorum hoc fecit, & tamen tunc mali erant, quia increduli Domino; unde ibidem v. 12. dicitur eis a Domino. *Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis*. Quod Aaron incredulus fuerit, ibi aperte habetur. Ecce quod ministerium Prælatorum illorum malorum efficax erat tunc. Quare non & nunc? Nulla est ratio.

Præterea Hebræor. 5. v. 1. dicitur: *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* (v. 2.) *Qui condolere possit iis, qui ignorant, & errant: quoniam & ipse circumdatus est infirmitate:* (v. 3.) *Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis*. Ecce quod isti & ignorantiam, & peccata habebant, & tamen non cadebant ab Ordine, nec officii administratione; ita erat in Sacerdotibus Veteris Testamenti, & Pontificibus; ergo multo magis modo Ordo, vel ejus administratio non amittitur donec quis tollatur ab Ecclesia; si enim ita fuit in Sacerdotio quod ad tempus fuit, multo fortius in Sacerdotio æterno. (18)

Pro-

(17) Immo & ab iis Sacramenta percipere, nisi tollantur, ut scisit Moneta. Nicolaus I. *Resp. ad Consulta Bulgarorum* LXXI. hæc habet: *Sciscitantibus vobis, si a Sacerdote, qui sive de hoc sola fama respersus est, debeatis communionem suscipere, nec ne; respondemus, non potest aliquis, quantumcumque pollutus sit, Sacramenta divina polluere, quæ purgatoria cunctarum remedia contagionum exsistunt. Nec potest solis radius per cloacas, & latrinas transiens aliquid exinde contaminationis attrahere; Proinde qualiscumque Sacerdos sit, quæ sancta sunt coinquinare non potest. Idcirco ab eo, usquequo Episcoporum judicio reprobetur, communio percipienda est, quoniam mali bona ministrando, se tantummodo lædunt .... sumite igitur intrepide ab omni Sacerdote Christi mysteria, quoniam omnia in fide purgantur &c.*

(18) Merito ergo Martinus V. in Synodo Constantiensi hunc Viclefi ab Catharis, & Valdensibus ante præformatum errorem proscripsit. Pugnabat namque hæreticus ille *Art.* IV. quod *si Episcopus vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat*. Accedit Canon XII. *Sess.* VII. Synodi Tridentinæ, cujus verba sunt hujusmodi: *Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum; anathema sit. Et Canone* IV. *De Baptismo: Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum; anathema sit.*

§. V.

Probatur quod in Ecclesia sunt boni, & mali.

SEquitur pars quinta hujus capitis, in qua ostendendum est, quod in Ecclesia Dei sunt simul boni, & mali. Licet enim hoc pateat ex præmissis, adhuc tamen aliqua testimonia inducemus, ut obstruantur ora loquentium iniqua de Ecclesia Romana propter multitudinem malorum, quam vident in ea. Quomodo autem mali de Ecclesia sint, & quomodo non sint dictum est supra in primo capite quintæ partis hujus operis circa principium. Legitur Matth. 13. v. 41. *Et colligent de regno ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem.* Qui sint isti qui colligent, patet ibidem eodem versu, ubi dicitur: *Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent &c.* Sed quod est regnum istud nisi Ecclesia sua; si autem de ea omnia colligent scandala, ergo prius fuerunt in ea. Si autem dicat Valdensis imo regnum ejus hic mundus est. Contra: etiam eos, qui boni sunt, qui non sunt scandala, nec faciunt iniquitatem de isto mundo colligent, quare ergo potius dixisset de scandalis, quod ea colligent? Item eodem capite v. 47. dicit Dominus: *Simile est Regnum Cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti &c.* Regnum Cœlorum hic dicitur Ecclesia Dei; ipsa igitur ad modum sagenæ in una fide colligit bonos, & malos, sed in littore, idest in fine mundi fiet istud, quod ibi dicitur v. 49. *Sic erit in consummatione seculi, exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum.* Et nota quod dicit *foras miserunt*, ex quo patet, quod prius intus erant. Item Matth. 20. in parabola de vinea v. 16. *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi*: duo genera hominum tanguntur, scilicet vocati, & electi, & distinguitur inter illos per multitudinem, & paucitatem; per hoc autem, quod ait: *multi sunt vocati*, innuit, non omnes esse vocatos ad fidem; unde patet tertium genus hominum, eorum scilicet, qui non sunt vocati, nec venerunt ad fidem Ecclesiæ: de omnibus igitur multi sunt vocati ad fidem, & de illis multis pauci sunt electi ad beatitudinem, illi qui vocati sunt in fide sunt illi, qui in sagena Domini esse dicuntur Matthæi 23. Illud verbum *multi sunt vocati, pauci vero electi* habetur Matth.22. v. 10. ubi dicitur: *Et impletæ sunt nuptiæ discumbentium*; impletæ dictæ sunt de bonis scilicet & malis, unde etiam dicitur ibi eodem vers. *Congregaverunt omnes quos invenerant, malos & bonos*; & postea subdit: *Et impletæ sunt nuptiæ discumbentium*. Et loquitur de nuptiis Christi, & Ecclesiæ ejus; ergo ad nuptias Ecclesiæ intrant boni, & mali. Idem etiam patet per illud quod ibi dicitur v. 11. *Intravit autem Rex, ut videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali*, & subdit v.12. *Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* ergo intra Ecclesiam sunt boni, & mali. Item Matt.25.v.1. *Simile erit Regnum Cœlorum decem Virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso, & sponsæ* (v.2.) *Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes.* Quid intelligatur per Regnum Cœlorum, ostensum est supra, ubi disputatum est illud verbum: *& colligent de Regno ejus &c.* Ergo in Ecclesia Dei sunt stulti, atque sapientes, & boni, & mali: quod potest etiam probari ex eo, quod Christus dicitur earum sponsus; & notandum, quod omnes dicuntur Virgines fidei integritate, sed quinque sapientes conversationis puritate. Si enim vellet dicere Valdensis, quod Regnum Cœlorum dicitur mundus iste, de hoc nullum habet testimonium, de cœlesti autem patria non potest intelligi, quia ibi nullus stultus est; nec de inferno, quia ibi nullus sapiens est. Apostolus scribens Ecclesiæ Romanæ arguit ex eis multos de turpissimis peccatis. Idem etiam patet in aliis Epistolis, ut in 1. ad Corrinth. 1. ubi eos arguit de contentione dicens v. 11. *Significatum est enim mihi de vobis fratres mei, ab iis, qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos.* Item cap. 5. v. 1. *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem Patris sui aliquis habeat.* Prius autem dixerat 1. cap. v. 2. eos Ecclesiam Dei, quæ est Corinthi. Forte dices, quod non erant illi contentiosi, vel iste tam turpis incestuosus de Ecclesia. Sed hoc stare non potest, cum dicat ibi Apostolus: *Omnino auditur inter vos &c.* Item forte dicet, quod inter eos erat, & in medio eorum, & tamen non erat intra Ecclesiam. Contra: Apostolus judicavit illum Corinthium (19) incestuosum, ergo intus erat; Sic enim ait cap. 5. v. 12. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt judicare? Nonne de iis, qui intus sunt, vos judicatis?* Quod autem Paulus illum judicarit, patet ex eod. cap. v. 3. *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum, qui sic operatus est &c.* Item 1. Corinth. 11. v. 20. dicit Apostolus: *Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est dominicam Cœnam manducare*; & arguit ibi de multis vitiis, propter quæ non est eis licita Dominica Cœna. Nota, quod dicit: *Convenientibus vobis in Ecclesia*, istud autem tu non intelligis de materiali domo, Ergo intra Ecclesiam Dei mali sunt Prælati.

Præterea: Apostolus dicit, quod ibi sunt; tu dices, quod non, cujus testimonio standum est, tuo, an Apostoli, in quo, & Christus loquebatur, ut ipse dicit in fine secundæ Eplstolæ? Item 2. Timoth. 2. v. 20. *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam*: ipsi vero exponunt in magna domo, idest inmundo. Sed dic eis, ubi habetur, quod domus dicatur mundus? Nusquam, quod vos possitis aliquo testimonio declarare; ego autem habeo testimonium, quod domus Dei est Eccle-

(19) Maximi ponderis hoc argumentum est. Redigit enim ad incitas non Valdenses solum, verum etiam novos hæreticos. Etenim nisi de Ecclesia fuisset Corinthius ille, non eum tanta pœna Paulus affecisset. Consule Natalem Alexandrum *Lib.* I. *Theologiæ Dogmat. & Moralis Quæst.* I. *Art.* x. §. III. *num.* 1.

Ecclesia 1. Timoth. 3. v 14. *Hæc tibi scribo, sperans me ad te venire cito* (v. 15.) *Si autem tardavero, ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi*. Ecce quod Apostolus eidem Timotheo scribens exponit domum Dei Ecclesiam; tu autem dicis domum esse mundum; dic, an magis est credendum tibi, an Apostolo? De ista magna domo dicitur psal. 34. v. 18. *Confitebor tibi in Ecclesia magna*. [*] Et Johannes Apoc. 7. v. 4. postquam dixit: *Centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israel*, subjunxit paulo post v. 9. *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis*; turbam magnam dicit, & David Ecclesiam magnam, & Apostolus domum magnam. Multa quidem, & alia testimonia possent ad idem induci, sed ista sufficiunt ad præsens [*].

§. VI.

An sit licitum aliquem excommunicare.

NUnc ad sextam partem hujus capitis accedamus, scilicet ad videndum de excommunicatione, utrum licitum sit illam facere. Est autem excommunicatio, de qua hic agere intendimus, separatio a fidelium (20) communione. Quod autem licitum sit, probatur per illud Matth. 18. v. 15. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*. (v. 16.) *Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum*. (v. 17.) *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus*. Ecce, quo ordine debet fieri excommunicatio; præcedit enim correctio sicut dicit Dominus, contempta autem correctione Ecclesiæ sequitur excommunicatio, *sit tibi sicut &c.* Et ne aliquis superbus dicat, sicut tu vitas me, & ego te, ideo Dominus sententiam excommunicationis confirmans dicit v. 18. *Amen dico vobis: Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlo; & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlo*. Ecce, quod prius Petro concessum fuit supra 16. capite v. 19., modo omnibus (21) dicitur. Item testimonio discipulorum Christi excommunicandos esse aliquos, idest a communione fidelium separandos, evidens est Jo: 2. Epist. v. 10. *Si quis veuit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis*; loquitur autem de doctrina fidei, & morum Christi. Subdit autem caussam B. Johannes v. 11. *Qui enim dicit ei AVE, communicat operibus ejus malignis*; Signum enim dat, quod ejus errori consentit, & est aliis occasio deceptionis putantibus, quod placeat homo ille salutanti, & recipienti eum in domo propter talem familiaritatem. Loquitur autem de fratre discedente a doctrina regulæ Christianæ patenter cum dicit. *Si quis &c.* Sicut & Paulus 1. Corinth. 5. v. 11. *Nunc autem scripsi vobis, non commisceri: si is qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cum ejusmodi nec cibum sumere*. Et nota, quod non dixit, si quis frater est fornicator, sed si nominatur, sententiæ nominationem intelligens (**) Dominus etiam in Evangelio Matth. 18. v. 17. tunc Peccatorem dixit habendum, *sicut Ethnicus, & Publicanus*, cum Ecclesiam audire contempserit, tunc etiam per sententiam est notandus. [*]

Item 1. Corinth. 5. v. 3. dicit Apostolus: *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi, ut præsens eum, qui sic operatus est*. (v. 4.) *In nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis, & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu*: (v. 5.) *Tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi*. Postea subdit: *Modicum fermentum totam massam corrumpit*; Istud patet, quoad literam; sic ille incestuosus totam massam, idest congregationem Corinthiorum posset corrumpere; unde inferius v. 7. *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova consperfio, sicut estis azymi*.

Item v. 13. *Auferte malum ex vobis ipsis*: istum excommunicavit Paulus propter peccatum operis manifeste mali: Hymenæum, & Alexandrum propter hæresim, ut habetur 1. Timoth. 1. v. 20., quos tradidit Paulus Satanæ. Item 1. Corinth. 16. v. 22. *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema, Maran Atha*. Ille autem non amat eum, qui a doctrina ejus discedit. *Maran Atha* (22) idem est, quod donec Dominus veniat, scilicet in adventu Domini: *anathema* idem est, quod separatus a communione fidelium.

Item habetur ad Galatas 1. v. 9. *Si quis vobis evangelizaverit præter id, quod accepistis, anathema sit*.

Item 2. ad Thessalon. cap. 3. v. 3. *Denuntiamus autem vobis fratres in nomine Domini nostri Jesu Christi*,

[*] Quæ duobus astericis complexi sumus, desunt e *Cod. Bonon.*

(20) De graviore excommunicatione disputat hoc loco Moneta, quam Græci Patres, imprimisque Gregorius Nissenus *Can.* v. *Epist. ad Letojum* παντελὴν ἀφορισμον vocant. Sic excommunicati dicuntur a Synodo Laodicena *Can.* XXXVI. ἀκοινώνητοι, καὶ κεχωρισμένοι τῆς ἐκκλησίας, *excommunicati, & separati ab Ecclesia* a Patribus Concilii Gangrensis *Epist. ad Episcopos Armeniæ, quæ extat Tom.* I. *Edit. Labbeanæ* ἐκτὸς εἶναι τῆς ἐκκλησίας. *Extra Ecclesiam esse*.

(21) Ad Episcopos ergo, qui sunt Apostolorum Successores pertinet jus excommunicandi, Pulcre S. Thomas *in* IV. *Sentent. Dist.* XVIII. *Quæst.* II. *Art.* II. *Quæstiunc.* I. *In foro conscientiæ*, inquit, *caussa agitur inter hominem, & Deum: in foro autem exterioris judicii caussa agitur hominis ad hominem, & ideo absolutio, vel ligatio, quæ unum hominem obligat quoad Deum tantum, pertinet ad forum pœnitentiæ: Sed illa, quæ hominem obligat in comparatione ad alios homines ad forum publicum exterioris judicii pertinet: & quia per excommunicationem homo a communione fidelium separatur, ideo excommunicatio ad forum exterius pertinet, & illi soli possunt excommunicare, qui habent jurisdictionem in foro judiciali, & propter hoc soli Episcopi propria auctoritate, majores Prælati possunt excommunicare, non Presbyteri Parochiales*. Hinc *caussa* XVI. *Quæst.* II *Can. Visis*, excommunicatio *Mucro Episcopi* appellatur.

[*] Non extant in *Cod. Bonon. & Vatic.* quæ duobus asteriscis complexi sumus.

(22) Syriacum est. Indicat *Dominus venit*. Sensus est; gravissimum anathema est iis, qui non diligunt Jesum Christum. Vide Synopsim Criticor. in hunc locum Pauli.

Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non secundum traditionem, quam accepistis a nobis, & v. 14 Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur.

Item Rom. 16. v. 17. *Declinate ab illis*. Ista autem subtractio, & declinatio fieri debet secundum formam traditam a Domino, ut sæpe dictum est Matth. 18.

§. VII.

An licitum sit alicui maledicere, & imprecari.

QUia in præcedentibus visum est, quod Paulus aliquibus imprecetur, dicens: *Anathema sit*; videndum est utrum hujusmodi imprecationes licitæ sint Ecclesiæ Dei. Videtur enim, quod non, exemplo Christi, de quo Petrus Epist. 1. cap. 2. v. 23. dicit: *Qui cum malediceretur, non maledicebat*; & cap. 3. v. 9. monet Petrus dicens: *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes*. Paulus autem ait 1. Corinth. 4. v. 12. *Maledicimur, & benedicimus*. Ex his, & consimilibus videtur, quod non sit licita maledictio.

Solutio: (23) Quia dupliciter potest quis alii maledicere, vel ex amore, & dilectione pœnæ ejus, cui maledicitur, vel amore justitiæ, & correctionis; primo modo prohibita est, sed secundo modo est licita. Nonne vides, quod Deus imprecatus est, & maledixit aliquibus in Veteri Testamento sine peccato, & per ministros suos, ut habetur Deutoron. 27., & tamen illi ministri non amabant pœnam populo Dei, sed justitiam Dei in populo illo desiderabant? Ad quod etiam invitantur judices aliorum in lib. Sapient. cap. 1. v. 1. *Diligite justitiam, qui judicatis terram*. Istud dici potest Pauperibus, sive Valdensibus, nulli tamen licebat ex odio male dicere proximo suo, sic est etiam hodie; & quod ita sit, patere potest ex Christo, qui loquens in David pro tempore gratiæ imprecatur Judæ in psal. 108. *Deus laudem meam ne tacueris*, ubi multiplex imprecatio ponitur contra Judam proditorem Christi. Istud etiam patere potest per exemplum Christi Lucæ 11. v. 45. cui dixit quidam Legisperitus: *Magister hæc dicens etiam contumeliam nobis facis*. Hoc autem Dominus non negavit, sed addidit v. 46. *Et vobis Legis peritis væ: quia oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt &c.* Quod ergo dictum est, *cum malediceretur non maledicebat*, non obstat, quin licita sit aliqua maledictio, quia aliquando maledicebat. Idem etiam probari potest per illud Marci 11. v. 14. ubi dicitur, quod Christus maledixit ficui, & aruit statim; quod ei maledixerit patet ex verbis ejus ad ficum Matth. 21. v. 18. *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum; Et arefacta est continuo ficulnea*. Item ex verbis Petri ad Jesum Marci 11. v. 21. *Rabbi, ecce ficus, cui maledixisti, aruit*; nec obstat mihi ad id, quod intendo, si de ficu spirituali intelligatur a Catharo, quod ibi agatur sermo; sic enim ut patet ex verbis Petri, maledixisset ei spiritualiter, de hoc autem dictum est nono capite primæ partis (**). Catharis etiam, qui duo ponunt principia potest dici illud, quod legitur Jeremiæ 18. v. 20. *Recordare, quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, ut averterem indignationem tuam ab eis*. (v. 21.) *Propterea da filios eorum in famem, & deduc eos in manus gladii &c.* usque ad finem capitis. Idem etiam patet Act. 8. v. 20. ubi Petrus ait Simoni Mago: *Pecunia tua tecum sit in perditionem*. Forte dicet: Quomodo potest pecunia alicujus esse in perditione cum illo? Dico, quod non dixit pecunia in perditione, sed in perditionem, & est sensus: tu vis dare mihi pecuniam tuam pro dono Spiritus Sancti, sed tecum sit, idest tene eam tibi[*], tecum sit ad perditionem tuam, quasi diceret: mihi non dabis eam: & nota, quod nulla imprecatio gravior est ista, quam Petrus fecit. Idem etiam patet per illud Act. 23. v. 2. ubi legitur, quod Princeps Sacerdotum Ananias præcepit adstantibus sibi, percutere os Pauli; tunc Paulus ad eum dixit v. 3. *Percutiat te Deus paries dealbate*. Duo fecit ei Paulus, scilicet improperium appellando eum parietem dealbatum, quasi similem ei, idest putridum interius, exterius autem nitidum; Item maledixit ei. Si autem dicas, quod non est ibi percutiat, sed percutiet. Contra literam dicis. Ibi enim dicitur Paulo v. 4. *Summum Sacerdotem Dei maledicis*; ipse autem non negavit se maledixisse, sed dixit se illud ignoranter fecisse, nesciendo scilicet eum summum Sacerdotem; quod si scivisset, non fecisset, *scriptum est enim Principem populi tui non maledices*; ut habetur v. 5. Ecce Apostoli, qui dicunt *maledicimur, & benedicimus*, & qui dicunt *non reddentes maledictum pro maledicto*. Item *benedicite, & nolite maledicere*, tamen maledicunt: Nunquid sunt sibi contrarii? Non: non enim maledicunt odio personæ, sed intuitu correctionis fraternæ. Similiter dico de improperio, quod dupliciter potest fieri ab aliquo, vel intuitu infamiæ ejus cui improperatur, vel intuitu correctionis ipsius, alioquin quomodo stabit, quod dicit Paulus 1. Corinth. 15. v. 36. *Insipiens, tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur*.

Item Galat. 3. v. 1. *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati?*

Item ibidem v. 3. *Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummamini?*

Item

(23) Sanctus Thomas II. II. *Quæst.* LXXVI. *Art.* I. *in c. Si aliquis*, inquit, *imperet, vel optet malum alterius, in quantum est malum, quasi ipsum malum intendens, sic maledicere erit illicitum .... Si autem aliquis imperet, vel optet malum alterius sub ratione boni; sic est licitum; quia principalis intentio dicentis non fertur ad malum, sed ad bonum. Contingit autem malum aliquod dici imperando vel optando sub ratione duplicis boni: quandoque quidem sub ratione justi; & sic judex licite maledicit illum, cui præcipit justam pœnam inferri: Et sic etiam Ecclesia maledicit anathematizando, sicut & Prophetæ in Scripturis quandoque imprecantur mala peccatoribus, quasi conformantes voluntatem suam divinæ justitiæ ..... quandoque vero dicitur aliquod malum, sub ratione utilis puta cum aliquis optat aliquem peccatorem pati aliquam ægritudinem, aut aliquod impedimentum, vel ut ipse melior efficiatur; vel saltem ab aliorum nocumento cesset.*

[*] Quæ duobus asteriscis comprehendimus desunt e Cod. *Neapolit. & Vaticano.*

Item Lucæ ultimo v. 25. *O stulti, & tardi corde ad credendum, in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ!*

Item Act. 13. v. 10. habetur, quod Paulus dixit Elimas Mago improperia. *O plene omni dolo, & omni fallacia fili Diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas* (v. 11.) *Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, & non videns solem usque ad tempus*: Et *confestim cecidit in eum caligo, & tenebræ, & circuiens querebat, qui ei manum daret*. Istud non potest intelligi de cæcitate spirituali, quia sic jam erat cæcus ante hoc factum.

Præterea, non potest intelligi de malo Domino, tum quia ille non cæcasset eum, quia subvertebat vias Domini rectas, alioquin retraheret homines ab impedimento prædicationis Christi, & subversionis viarum rectarum: tum quia ibi dicitur de quo Domino fiat sermo, ubi dicitur v. 10. *Non desinis subvertere vias Domini rectas*, & statim subdit v. 11. *Ecce manus Domini super te, & eris cæcus*; ille igitur Dominus cujus vias subvertebat, illius manus super eum fuit ad eum cæcandum.

§. VIII.

Quibus, & ubi liceat prædicare?

SEquitur septima pars hujus capitis, in qua intendimus demonstrare, quod nullus debet prædicare, nisi missus sit, & necessaria est auctoritas, quam contrahit ex mittente potestatem habente mittendi. Secundò ostendemus, quod sapientia necessaria est Prædicatori. Tertiò, quod vita. Quartò, quod fama.

Circa primum sciendum, quod nullus debet prædicare nisi missus sit teste Apostolo Rom. 10. v. 14. (24) *Quomodo ergo prædicabunt nisi mittantur?* Matth. 10. v. 1. *Et convocatis duodecim discipulis suis dedit illis potestatem spirituum immundorum &c.* Ecce quod duodecim dat officium prædicationis.

Item v. 16. *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*. Idem habetur Marci 3. v. 13. *Et ascendens in montem vocavit ad se, quos voluit ipse, & venerunt ad eum* (v. 14.). *Et fecit ut essent duodecim cum illo, & ut mitteret eos prædicare* (v.15.) *& dedit illis potestatem curandi infirmitates, & ejiciendi dæmonia*. Idem habetur Lucæ 6. v. 13. *Et cum dies factus esset vocavit discipulos suos: & elegit duodecim ex ipsis. quos & Apostolos nominavit*.

Item Lucæ 10. v. 1. *Post hæc autem designavit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem, & locum, quo erat ipse venturus*. Et v. 3. *Ite: Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos*.

Item Johan. 17. v. 18. *Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum*. Ne autem aliquis præsumptione ductus, aut proprii animi motu dicat se a Deo missum exemplo Pauli, qui dicit ad Galatas 1. v. 1. *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, & Deum Patrem*. Vide quod Dominus Act. 9. v. 15. ante hoc dicit de eo Ananiæ. *Vade quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filiis Israel*. Idest vas a me specialiter electum.

Item vide, quid dicat Ananias ipsi Paulo Act. 9. v. 17. *Saule frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas, & implearis Spiritu Sancto*. Visionem autem istam coram Anania, visibili miraculo demonstravit; Primi ergo Prædicatores missi inveniuntur a Christo, & postea ipsi alios miserunt. Sciendum autem, quod his verbis Matth. ultimo v. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes* dicunt hæretici sibi commissum esse prædicationis officium: sed cum inde testimonium non habeas, quod per illa verba missus sis, qua ratione illud dicis? & rursum alii idem dicere possunt; Sic igitur generale erit illud mandatum omnibus conveniens.

Si autem ita est Paulus pro nihilo enumerat divisiones gratiarum Roman. 12. v. 6. dicens: *Habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis differentes* & v. 7. subjungit. *Sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina*.

Item 1. Corinth. 12. v. 8. *Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ: alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum &c.* & v. 28. *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum* (v. 29.) *Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes Prophetæ? Nunquid omnes Doctores?*

Item ad Ephes. 4. v. 11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores* (v. 12.) *Ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi*.

Item si generale est, & omnes missi sunt ex illo verbo; Quare Dominus ait Matth. 24. v. 45. *Quis putas est fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore?* Quare etiam Paulus Timotheo scribit in 2. Epistola cap. 11. v. 1. dicens ei: *Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu* (v. 2.) *Et quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere*. Fidelibus dicit, non hæreticis,

Kkk

(24) De vocatione, & Missione præconum Verbi Dei constat quid sentiendum sit ex iis testimoniis Scripturarum, quæ afferuntur a nostro. Quod autem adjungit noster primos prædicatores missos fuisse a Christo, posteriores autem ab iis, quos Christus misisset, testatum, exploratumque est. Audiendus Innocentius I. *Epist.* xxv. *ad Decentium Eugubinum n. 2. pag. 856. Epistolar. Romanor. Pontificum Tom.* I. *Edition. Constantii*, nam ceteros referre perlongum profectò esset. Sic ergo Innocentius habet: *Quis nesciat aut non advertat, id, quod a Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari, nec superinduci, aut introduci aliquid, quod auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? Præsertim cum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, & insulas interjacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos Venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus Successores constituerint Sacerdotes..... Oportet ergo eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, a qua eos principium accepisse non dubium est; ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere.*

reticis, nec infidelibus, nec his omnibus, ſed qui idonei erunt alios docere [*]. Iſta ſunt illa duo Chriſti verba in Matth. 24. v. 45. *Quis putas eſt fidelis ſervus, & prudens*; fidelem dicit a fide, non quacunque, ſed operativa per dilectionem, ut ibi comprehendatur & vita: [*] Tria enim ibi tanguntur, ſcilicet auctoritas, quæ conſtituit: Item ſcientia, unde prudens; Item vita, unde fidelis; ſimiliter, & in verbis Pauli ad Timotheum Epiſ. 2. Cap. 2. v. 2. *His commenda*, ecce autoritas, *fidelibus*, ecce vita; *qui idonei* ecce ſcientia.

Item Corinth. 12. v. 8. *Alii quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ: alii autem ſermo ſcientiæ ſecundum eumdem ſpiritum*. Sermo, ideſt doctrina. Item, quod Epiſcopi debebant conſtitui, quorum eſt docere (25), & aliis offlcium docendi committere, patet 1. Tit. 1. v. 5. ubi ait Paulus: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ deſunt corrigas, & conſtituas per civitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi* (v. 6.). *Si quis ſine crimine eſt, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accuſatione luxuriæ, aut non ſubditos* (v. 7.). *Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe*, ideſt ſine peccato criminali, & ſine ejus infamia; ubi patet, quod per Presbyteros (26) intelligat prius Epiſcopos, non tamen minores Sacerdotes. Ex prædictis patet, quod auctoritas prædicandi, & vita, & ſcientia eſt neceſſaria Prælato, & Prædicatori. Sed quia de ſimplicitate (27) gloriantur dicentes ad ſui laudem dictum illud Matth. 11. v. 25. *Confiteor tibi Pater, Domine cœli, & terræ, quia abſcondiſti hæc a ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea Parvulis*. Oſtendamus ad hoc, quod ſapientia ſit ei neceſſaria. I. Timoth. 3. ubi enumerantur, quæ neceſſaria ſunt Epiſcopo, ubi etiam habetur de vita, & etiam de fama, ubi dicitur v. 7. *Oportet autem illum* (ideſt Epiſcopum) *& teſtimonium habere bonum ab iis, qui foris ſunt*.

Item de ſapientia habetur Matth. 22. v. 29. ubi dicit Chriſtus: *Erratis, neſcientes Scripturas*. Neceſſaria igitur eſt ſcientia Prædicatori contra errorem.

Item Lucæ 21. ubi Chriſtus eis promittit dicens: v. 15. *Ego enim dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes adverſarii veſtri*. Nunquid enim hæc promiſſio tantum illis facta eſt. Non; Unde & B. Petrus de divo Paulo, qui tunc non erat inter illos, ait. 2. Petri 3. v. 15. *Sicut & chariſſimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis*.

Item, quod ſapientia neceſſaria ſit, patet 2. Tim. 3. v. 14. *Tu vero permane in iis, quæ didiciſti, & credita ſunt tibi: ſciens a quo didiceris*. (v. 15.) *Et quia ab infantia ſacras Literas noſti, quæ per te poſſunt inſtruere ad ſalutem, per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu*. (v. 16.) *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia*: (v. 17.) *Ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus*. Adhuc ſciendum, quod ſicut officium prædicationis non eſt univerſale viris, ita etiam ex toto prohibetur fœminis; unde 1. Cor. 14. v. 34. *Mulieres in Eccleſiis taceant, non enim permittitur eis loqui*, ideſt prædicare.

Item 1. Timoth. 2. v. 12. *Docere autem mulieri non permitto*. Contra hoc præceptum Apoſtoli veniunt Valdenſes: Mulieres enim eorum prædicant in (28) Eccleſia; Si tamen Eccleſia debet dici eorum congregatio, quod verum non eſt. Ad hoc autem dixerunt, quod Chriſtus Mariam Magdalenam miſit prædicare dicens Johannis 22. v. 17. *Vade autem ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum: Deum meum, & Deum veſtrum*. (v. 18.) *Venit Maria Magdalene annuncians diſcipulis: Quia vidi Dominum*. Sed pravæ intelligentiæ hæretici eſt adſcribendum, quod ex hoc miſerit eam ad prædicandum; non enim prædicaſſe, ſed tantum nuntiaſſe dicitur diſcipulis, id quod Evangeliſta dicit. Nunquid quandocumque aliqua mulier mittatur aliquod bonum nuntiare Eccleſiæ alicui, debet dici prædicare ei? Non.

§. Ultimus.

Quod prædicatio veritatis non eſt occultanda, ſed facienda in publico.

Sciendum (29), quod prædicatio veritatis non eſt occultanda, ſed in publico facienda exemplo Chriſti, qui nullo timore coactus ab Evangelii prædicatione abſtinuit. Johannis 18. v. 20. *Ego palam locutus ſum in mundo: ego ſemper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Judæi conveniunt: & in occulto locutus ſum nihil*.

Item, qui ait Lucæ 11. v. 37. *Nemo lucernam accendit, & in abſcondito ponit, neque ſub modio, ſed ſupra candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant*. Ubi etiam excluſa eſt gloriatio eorum, qui volunt dicere ſe eſſe Dei Eccleſiam, quia abſconſi

[*] Non exſtant in *Cod. Bonon.* quæ duobus aſteriſcis contenta vides.

(25) Vetuſtiſſimus *Canon.* LVIII. ex iis, quos Apoſtolicos vocant: *Epiſcopus*, inquit, *aut Præsbyter, Clerum, vel Populum negligens, & non docens eos pietatem, ſegregatur*. Eſt autem hoc munus proprium Epiſcopi, quod tamen Presbytero committere poteſt. Olim in Africa Presbyteris præſente Epiſcopo prædicandi munus non concedebatur. Ita factum eſt, ut Epiſcopi Numidiæ Valerio Epiſcopo Hiponenſi detraherent, quod ſe præſente Auguſtinum Presbyterum docere paſſus fuiſſet. Poſſidius *in Vita Auguſtini Cap.* v. *Eidem*, inquit, *Presbytero poteſtatem dedit coram ſe in Eccleſia Evangelium prædicandi, contra uſum quidem ac conſuetudinem Africanarum Eccleſiarum? Unde etiam ei nonnulli Epiſcopi detrahebant... Poſtea bono præcedente exemplo, accepta ab Epiſcopis poteſtate, Presbyteri nonnulli coram Epiſcopis populo tractare cœperunt Verbum Dei*.

(26) Ita quidem plerique Patres intelligunt. Oecumenius *in* I. *Petri Epiſtolam Cap.* v. S. Maximus *in Cap.* I. *de Cœleſti Hierar. & alii*. Diſſertiſſime Theodoretus *ad* v. 7. *Cap.* I. *Epiſt. ad Titum*: *Hinc quoque manifeſtum eſt*, inquit, *quod Presbyteros nominavit Epiſcopos. Cum enim dixiſſet*: ut conſtituas per Civitates Presbyteros, *ſubjunxit*, oportet enim Epiſcopum eſſe ſine crimine &c.

(27) Hæc erat ſuperbia Valdenſium. Simplices enim ſe jactabant eſſe, qui omnium erant vaferrimi.

(28) Id nunc Quackeri fœminis integrum eſſe affirmant. Fuerunt etiam olim hæretici, qui mulieribus facultatem docendi in Eccleſia darent. Tertullianus *De Preſcrip. Cap.* XII. *Ipſæ mulieres hæreticæ*, inquit, *quam procaces, quæ audeant docere, contendere &c.* Conſule Epiſtolam Firmiliani ad Cyprianum, & Epiphanium *Hæreſ.* LXXIX.

(29 Hoc idem argumentum tractat Pilicdorfius adverſus Valdenſes *Cap.* VII. VIII. *Tom.* XXV. *Bibl. PP.* Confer etiam Ebrardum *in Ant. Cap.* XXI. *Tom.* XXIV. *Bibl. PP. Edit. Lugdun.*

absconsi sunt, inducentes illud Matth. 13. v. 44. *Simile est Regnum Cœlorum thesauro abscondito in agro*. Qui enim istud dixit, jam dixerat Matth. 1. v. 14. *Non potest civitas abscondi supra montem posita*. Dicendum ergo, quod si aliquibus absconsa est Ecclesia Dei, quæ est Romana Ecclesia, ab hominibus impugnata tam hæreticis, quam Judæis, & Paganis, atque etiam Tyrannis aliis, hoc est vitio hominum, qui sunt rebelles lumini, non propter hoc quia in publico prædicetur veritas a prædicatoribus veritatis, a quibus, quantum in ipsis est, non potest abscondi civitas, idest Ecclesia supra montem posita. Unde, & Paulus 2. Corinth. 4. v. 2. dicit se ambulare in manifestatione veritatis; postea dicit v. 5. *Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum: in iis, qui pereunt, est opertum*. Quasi dicat vitio eorum est, & non propter nostram taciturnitatem. Unde 2. Timoth. 2. v. 8. ait Apostolus: *Memor esto Dominum Jesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David secundum Evangelium meum*. (v. 9.) *In quo laboro usque ad vincula, quasi male operans: sed verbum Dei non est alligatum*. Ecce, quod Paulus nullo timore cessabat a veritatis manifestatione.

Item Act. 20. v. 18. *Vos scitis a prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim*. (v. 19.) *Serviens Domino cum omni humilitate, & lacrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Judæorum*: (v. 20.) *Quomodo nihil subtraxerim utilium, quominus annuntiarem vobis, & docerem vos publice, & per domos*. (v. 21.) *Testificans Judæis atque gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Jesum Christum*. (v. 22.) *Et nunc ecce alligatus ego spiritu, vado in Jerusalem: quæ in ea ventura sint mihi, ignorans*. (v. 23.) *Nisi, quod Spiritus Sanctus per omnes civitates mihi protestatur, dicens: quoniam vincula, & tribulationes Jerosolymis me manent*. (v. 24.) *Sed nihil horum vereor: nec facio animam meam pretiosiorem, quam me, dummodo consummem cursum meum, & ministerium verbi, quod accepi a Domino Jesu, testificari Evangelium gratiæ Dei*. Ibi enim duo dicit, scilicet publice, & per domos, ex quo patet vos non esse imitatores Apostolorum.

Ultimo, quia dicunt se non esse prohibendos loqui occasione illius verbi Marci 9. v. 37. & Lucæ 9. v. 49. ubi discipuli dicunt Jesu: *Magister, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non sequitur nos, & prohibuimus eum*. (v. 38) *Jesus autem ait: Nolite prohibere eum*. Ecclesia igitur Dei non debet prohibere aliquem loqui.

Respondeo: verum est, ejicientem dœmonia, tu autem non ejicis, imo ejecta reducis, mittens homines in errorem (30). Præterea neminem debeo prohibere, verum est, qui adversum me non est, sicut tibi dicit Christus v. 39. *Qui enim non est adversum vos, pro vobis est*.

Præterea, si non est hæreticus prohibendus, quomodo stabit illud, quod legitur Apocal. 2. v. 20. ubi Dominus ait Angelo Thyatiræ: *Sed habeo adversus te pauca: quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit propheten, docere, & seducere servos meos?* Per Jezabel intelliguntur hæretici, quia sicut Jezabel uxor Achab contraria erat doctrinæ Domini, & prophetarum ejus, ita & isti. Sciendum autem tria esse genera prædicantium, quidam enim fures sunt, quidam mercenarii, quidam Pastores; de omnibus istis habetur Johannis 10. Fures abjiciendi sunt, quia prædicant fraudulenter. Johan. 10. v. 10. *Fur non venit nisi, ut furetur*.

Item Apostolus 2. Corinth. 2. v. 17. *Non enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei*. Mercenarius prædicat pro quæstu, sed vera: De talibus, & de Pastoribus, etiam dicit Apostolus ad Philip. 1. v. 18. *Quid enim? Dum omni modo, sive per occasionem sive per veritatem, Christus annuntietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo*. Per veritatem annuntiat, qui illam intendit principaliter generare in cordibus auditorum; per occasionem vero, qui occasione lucri, vel alterius rei sine admixtione falsitatis; talis est tollerandus; Pastor vero, qui propter veritatem annuntiat, ille est amplectendus.

CAPUT VI.

An Ecclesia possit facere novas Constitutiones.

NUnc veniamus ad sextum Caput hujus partis. & videamus utrum Ecclesia Dei quæcunque illa sit possit facere Constitutiones. Hoc caput in duas partes dividitur; in prima parte ponuntur causæ propter quas hæretici Ecclesiæ Constitutiones damnant tanquam superfluas, unde & (1) pauperes Valdenses credunt licitum esse coniugium inter consanguineum, & consanguineam, cum non inveniatur prohibitum nisi ex constitutione Romanæ Ecclesiæ. In secunda ostendemus, quod Ecclesia potest facere Constitutiones novas.

§. I.

Hæreticorum Argumenta probantia Ecclesiam non posse facere Constitutiones.

QUod non possit facere constitutiones novas nituntur probare Valdenses, tum ex Veteri, tum ex Novo Testamento. Ex Veteri inducunt illud Exodi 30. v. 12. & sequentibus, ubi dicitur, quod quan-

(30) Tertullianus *Lib. De Præscript. Hæretic. Cap.* XLI. *De Verbi administratione quid dicam?* inquit. *Cum hoc sit negotium illis, non ethnicos convertendi, sed nostros evertendi. Hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si jacentibus elevationem operentur, quoniam & ipsum opus eorum, non de suo proprio ædificio venit, sed de veritatis destructione. Nostra suffodiunt, ut sua ædificent &c.*

(1) S. Irenæus *Lib.* I. *Cap.* XXIV. Hæreticis Basilidianis vitio vertit, quod legem ab Apostolis latam neglexissent. Hos sequuti sunt Valdenses. Nam qui Ecclesiæ legum ferendarum adimunt potestatem; adimant in Apostolis necesse est. Eadem fere peccavit XV. Ecclesiæ Seculo Vviclefus. Sic enim statuit apud Henricum Knigtonum *Lib.* V. *Papam non posse condere Canones decretales, seu Constitutiones, & si quos condiderit, nullum teneri eos observare*. Non abludunt Lutherani, & Calviniani.

quando filii Israel convenerunt, ut quilibet daret dimidium sicli, & dives non adderet ultra medium siclum, & pauper non minueret; siclus vero viginti obolos habet; dimidium vero decem obolos, & significat observantiam decem mandatorum, quam cum fide Christi debet dare omnis, qui transit ad hoc nomen Jesus per fidem ejus, idest omnis fidelis, debet autem illud dare juxta mensuram templi, idest Ecclesiæ, non juxta suum placitum, sed juxta dispositionem legis Dei, vel Sacerdotis ejus. Dives non addet, idest perfectus homo non plus faciet, quam decem mandata cum Christi fide; Ergo non tenetur servare præcepta Ecclesiæ Romanæ, quæ sunt hominum institutiones.

Solutio: Dives non addet ad medium sicli, idest aliquid contrarium medio siclo, idest Decalogo. Hæc solutio patebit jam super illud Proverb. 30, *Non addes &c.*

Item objiciunt, quod constitutiones Ecclesiasticæ, quæ non sunt ex Evangelio, vel Apostolis Christi, sunt significatæ per ignem alienum, quem Hadab, & Abiu filii Aaron posuerunt in thuribulis suis, & incensum desuper offerebant Domino, ut habetur Levitici 10. v. 1.

Respondeo: Non est verum, immo ignis alienus contrariam doctrinam significat doctrinæ Christi, & Apostolorum ejus, qualis est hæreticorum doctrina; vel significat ignem cupiditatis, quem habent multi Sacerdotes in cordibus suis, qui etiam movet eos ad thurificandum Domino.

Item Deutoron. 4. v. 2. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.*

Item 12. v. 31. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas.* Sic ergo non tenetur servare Constitutiones istas Ecclesiæ.

Solutio: Ad primum, non addetis &c. hoc est, quod Judæi ante adventum Christi tenebantur nihil addere Legi, tanquam esset insufficiens pro tempore illo; similiter nihil inde debuerunt auferre tanquam esset superfluum; & quod ita intelligi debeat, patebit in secunda parte, ubi loquemur de Rechabitis, qui sine peccato aliquas additiones ex mandato Patris sui servabant, ut habetur Jerem. 35. v.6. & sequent. Ad aliud dico, *quod ego præcipio tibi* vel per ministrum, utroque enim modo præcipit Dominus.

Præterea. Nunquid Rechabitæ peccabant? Absit.

Idem etiam volunt probare per illud Isaiæ 29. v. 13. quod Christus dicit Matth. 15. v. 9. *Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.* Sed Ecclesiasticæ Constitutiones sunt tales; Ergo qui eas servant frustra Dominum colunt.

Solutio. Constitutiones Ecclesiæ non sunt tales; illæ enim doctrinæ hominum, & mandata erant, ita quod non Dei. Constitutiones verò Ecclesiæ non sunt hominum tantum, sed Dei, qui in Ecclesia, & per ministros Ecclesiæ illas instituit (2); Unde & ait Matth. 10. v. 20. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*; & Lucæ 10. v. 16. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.*

Ad idem inducunt illud Proverb. 30. v.6. *Ne addas quidquam verbis illius*, idest Domini.

Solutio: Quidquam contrarium veritati. Et quod ita debeat intelligi patet ex litera sequenti in eodem versu. *Et arguaris, inveniarisque mendax*; ex quo verbo patet solutio, ubicunque simile invenitur, per quod institutio Ecclesiæ videatur evacuari.

Item objiciunt illud Matth. 15. v. 6. *Et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.*

Solutio: Istud non tangit Ecclesiam, quæ licet habeat aliquas traditiones, non tamen contrarias mandato Dei, unde non reliquit Dei mandatum propter aliquam traditionem suam.

Item dico, quod Constitutio Ecclesiæ, Dei est, qui ait Matth. 10. v. 20. *Non enim vos estis, qui loquimini.*

Item objiciunt ad Philip. 3. v. 15. *Et si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus revelabit.*

Item Rom. 15. v. 18. dicit Paulus: *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus.* Si Paulus non audet loqui aliquid eorum, quæ a Christo non habet, quomodo alius quantumcumque magnus audet hoc facere?

Solutio: Sicut Paulus illa, quæ loquebatur, & faciebat, a Christo fiebant, vel dicebantur, per Christum; sic etiam dico, quod illa, quæ facere debet Ecclesia ejus, ipse per Ecclesiam ejus dicit, & facit; unde dicitur: *Non enim vos estis, qui loquimini.*

Item ad Galat 1. v. 9. *Si quis vobis evangelizaverit præter id, quod accepistis, anathema sit.*

Solutio,

(2) Sapienter id quidem. Christus namque Rempublicam Ecclesiasticam constituit. In quavis autem Republica magistratus vigeant necesse est, quos intueri possit populus, quibusque jubentibus obtemperare. Alioqui sublato Imperio, quod sub adspectu cadat, non Reipublicæ forma ulla consistet; sed perturbatio maxima inde orietur. Itaque præsides in Ecclesia Christus constituerit necesse est, qui vim potestatemque haberent, latis legibus eas tollere abusiones, quæ malorum hominum vitio in Ecclesiam immigrassent. Nam opus non erat Christum tot leges condere, quot lapsu temporum circumstantiæ, lites, contentiones flagitassent. Necesse enim fuisset, ut omnes essent perpetuæ, quippe, quæ a Christo Deo manassent. Satius ergo erat potestatem Apostolis tribuere leges ferendi, quæ sublatis circumstantiis, tolli & ipsæ commode a legislatore possent. Constitutos autem a Christo fuisse Episcopos, qui leges condere possent, quibusque parere deberet Christianus populus, constat ex Scripturis. Nam Matthæi *Cap.* XVIII. De homine disserens Christus, qui Ecclesiæ obtemperare nolit: *Si Ecclesiam*, hoc est ut Chrysostomus explicat, Episcopos, *non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus & Publicanus*. Lucæ X. Apostolos alloquens *Qui vos audit*, inquit, *me audit, qui vos spernit, me spernit*. Paulus ad Hæbreos XIII. *Obedite*, inquit, *Præpositis vestris, & subjacete eis*. Apostoli autem constituerunt legem, quæ divina certe non erat, de sanguine, & suffocato. Id vero non fecissent, nisi a Christo obtinuissent auctoritatem. Hinc Paulus *Act.* XV. *v.* 41. *Perambulabat Syriam, & Ciliciam . . præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum*. Scio Vvitacherum negare, exstare hoc in Græcis Cod. Verum eruditus Milius Anglus *in hoc cap. &* v. *Actor. Apostolic.* in Vetere *Cod. Alex.* reperiri ultro fatetur. Sed fac in Græcis exemplaribus non extare. Quid tum? Nonne *Cap.* XVI. *v.* 4. ait Lucas: *Cum autem pertransirent Civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis, & Senioribus, qui erant Hierosolymis?* Jam vero Episcopos suffectos esse Apostolis constat ex universa Traditione. Legesis Epistolas Ignatii, & quæ nobis relicta sunt ab Irenæo, Tertulliano &c. documenta. Petri porro successorem Romanum Pontificem esse, probatum multis a nostris Theologis est. Itaque si Apostolis succedunt Episcopi, habeant necesse est potestatem ferendarum legum. Alioquin nulla superesset forma regiminis in Ecclesia. Non injuria igitur leges jam inde ab exordio Ecclesiæ constituerunt in Synodis Episcopi, & extra Synodos Romani Pontifices, varias Constitutiones, & leges, quibus Ecclesia regi commodius posset.

Solutio : *præter id*, ideſt contra id. Similiter reſpondeo ad illud, quod legitur Apocalypſis 22. v. 18. *Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto*. Ad hoc dicitur, ideſt contrarium huic, ut oſtenſum eſt ex eo, quod legitur Proverb. 30. v. 6. *Ne addas &c.* de quo dictum eſt ſupra. Unde dico, quod Dominus apponit, non homo, quando Eccleſia aliquid inſtituit.

Solet autem objicere hæreticus; Utrum Doctrina Chriſti ad ſalutem ſufficiat? Hoc autem facit, ut inſtitutiones Eccleſiæ reprobet, & per conſequens ipſam Eccleſiam.

Cui dicendum eſt, quam ipſe appellet doctrinam ejus; ſi doctrina, quam ipſe dedit eis per ſe; dico, quod illa non (3) ſufficit, imo decreta Eccleſiæ ejus ſervanda ſunt: poteſt etiam dici doctrina ejus, doctrina, quam dedit per ſe, vel quam dedit per Apoſtolos, & adhuc dat per eorum Vicarios, ſic ſufficit.

§. II.

Probatur licitum eſſe Eccleſiæ Dei novas Conſtitutiones facere.

NUnc ad ſecundam partem capitis veniamus oſtendentes, quod liceat Eccleſiæ Dei aliqua conſtituere. Primo autem contra Catharos loquimur, ſecundo contra Valdenſes. Contra Catharos dicendum eſt illud Apoſtoli Rom. 2. v. 1. *In quo judicas alterum, te ipſum condemnas*. Habes enim o Cathare plures Conſtitutiones, quas unde habeas, teſtimonio Scripturæ oſtendere non potes. V. G. in oratione enim conſtat, quod Dominus docuit diſcipulos orare, ut habetur Matth. 6. v. 9. *Sic ergo vos orabitis: Pater noſter, qui eſt in Cœlis &c.* Tu autem huic orationi addis, (4) *quoniam tuum eſt regnum, & virtus, & gloria in ſecula. Amen*. Omnibus autem, ideſt tam Catharis, quam Valdenſibus dic: Quoniam ſi licuit Eccleſiæ primitivæ aliqua facere ordinamenta, quare modo non licet Eccleſiæ Dei aliqua ordinare, quæcumque illa Eccleſia ſit. Quod autem Eccleſia primitiva aliqua ordinaverit, quæ Chriſtus prius non ordinaverat patet Actor. 15. v. 28. ubi dicitur: *Viſum eſt enim Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria* (v. 29.) *Ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione*. Unde 16. Actor. v. 4. Paulus & Timotheus cum pertranſirent civitates, tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis, & ſenioribus, qui erant Jeroſolymis. Si autem dicat quod illa decreta a Spiritu Sancto habuerunt. Dico verum eſt, & modo etiam idem Spiritus eſt, qui revelat myſteria: & qui in Eccleſia ſua aliqua ordinat. Nonne vides quod Dominus ait Johan. 16. v. 12. *Adhuc multa habeo vobis dicere: ſed non poteſtis portare modo* (v. 13) *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Eccleſia ergo Dei non fuit, nec eſt contenta his quæ Chriſtus præſentialiter, ſed alia addidit, licet non contraria Spiritui Sancto eam docenti. Nonne vides quod dicit Johannes Epiſt. I. cap. 2. v. 27. *Sed ſicut unctio ejus docet vos de omnibus*. Item Paulus 1. Corinth. 7. v. 12. *Nam cæteris ego dico, non Dominus: Si quis frater uxorem habet infidelem &c.* Nonne ibidem v. 25. dicit: *De Virginibus autem præceptum Domini non habeo: conſilium autem do*. Conſtitutiones ergo Eccleſiæ Dei non ſunt humanæ, ſed divinæ, juxta illud Matth. 10. v. 20. *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*.

Specialiter autem dicendum eſt de Valdenſibus, quod ſi Eccleſiæ de Judæis, quæ minoris poteſtatis fuit, licuit aliqua conſtituere præter legem Dei; multo fortius Eccleſiæ, quæ nunc eſt, licet aliqua ordinare præter Chriſti doctrinam, dummodo non ſit contra Chriſtum. Quod autem Eccleſia Veteris Teſtamenti aliqua ordinaverit patet Eſtheri v. 17. & ſeq. ubi Judæi conſtituerunt decimam quartam diem menſis Adar, ideſt Martii ſolemnem, in qua deſierant hoſtes ſuos cædere.

Item 1. Machab. cap. 4. v. 59. *Et ſtatuit Judas, & fratres ejus, & univerſa Eccleſia Iſrael, ut agatur dies dedicationis altaris in temporibus ſuis, ab anno in annum per dies octo, a quinta, & vigeſima die menſis Caſleu, cum lætitia, & gaudio*.

Item Judith. 16. v. 31. *Dies autem victoriæ hujus feſtivitatis, ab Hebræis in numero Sanctorum dierum accipitur, & colitur a Judæis ex illo tempore uſque in præſentem diem*. Item Machabæi ordinaverunt pugnare in die Sabbati ad defenſionem ſuam, ut habetur 1. Machab. cap. 2. v. 41. Item David conſtituit Cantores, & Summos Sacerdotes, ut habetur Pſalmo 23.

Item Actor. 8. v. 12. Apoſtoli mutaverunt formam baptiſmi eis traditam a Chriſto, (5) & baptizaverunt in nomine Jeſu Chriſti. Item ordinaverunt Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, (6) de qui-

(3) Poſitis Eccleſiæ legibus. Sufficeret enim, ſi temporum ratio non induxiſſet ad leges ferendas Eccleſiam. Satis namque eſt bonis Evangelium. Hi namque ſponte faciunt, quod ſciſcit ratio, & auctoritas. Mali autem cum cauſſa perturbationum ſint, legibus coerceantur oportet Eccleſiaſticis. Has vero ni obſervaverint, Eccleſiæ non obedient. Peccabunt ergo. Si igitur peccant, ſalvari non poterunt, niſi pœnitentia ducantur. Hoc igitur pacto affirmat Moneta non eſſe ſatis legem Chriſti. Legem autem pro imbecillis ferri, affirmant Euſebius *Lib. 1. Demonſtr. Evang. pag.* 12. *Clemens Alexandr. Pædagogi Lib.* 1. *Cap.* XI. & III. *Stromat. pag.* 445. *Edit. Paris.*

(4) Non exſtat in vulgata. Verum neſcio quo caſu hæc noſtro exciderint. Forte non inciderat in aliquot latinos codices, in quibus viſitur hæc additio. Viſitur item in Græca editione. *ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Quod tuum eſt regnum, & poteſtas, & gloria in ſecula.*

(5) Fuſiſſime de hoc argumento diſſeruit doctiſſimus Joſephus Auguſtinns Orſius *Ord. Præd. Sacræ Indicis Congregationi a ſecretis in Diſſert. & in Vindic. De Baptiſmo in nomine Jeſu.*

(6) Non ſunt hæc Apoſtolicæ tantum Conſtitutiones. Divino namque jure Conſtituti ſunt Epiſcopi, Presbyteri, & Miniſtri, ut ſtatuit Synodus Tridentina. Ceterum, quod vult Moneta, etſi nulla in Evangelio harum dignitatum injecta mentio ſit, ab Apoſtolis tamen primum, qui eas contulerunt, fuere commemoratæ. Quod ad Canones Eccleſiæ pertinet, quibus omnino parendum ſit, ex Eccleſiæ tradione. Conſulendus Bingha mus *Lib.* XVI. *cap.* IX. *Orig. Eccleſiaſt.* §. V.

quibus Christus nihil dixisse invenitur. Paulus 1. Corinth. 11. v. 5. & seq. de velaminibus mulierum locutus est, & ordinavit.

Item Jeremiæ 35. v. 2. *Vade ad domum Rechabitarum, & loquere eis, & introduces eos in domum Domini, in unam exedram thesaurorum, & dabis eis bibere vinum.* Et paulo post v. 5. dicit Jeremias: *Et posui coram filiis domus Rechabitarum scyphos plenos vino, & calices: & dixi ad eos: Bibite vinum.* (v. 6) *Qui responderunt: Non bibemus vinum, quia Jonadab filius Rechab, pater noster, præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum vos, & filii vestri, usque in sempiternum.* (v. 7.) *Et domum non ædificabitis, & sementem non seretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis, sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris;* Et post pauca dicit Dominus eis per Jerem. v. 18. *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Pro eo, quod obedistis præcepto Jonadab patris vestri, & custodistis omnia mandata ejus, & fecistis universa, quæ præcepit vobis* (v. 19.) *Propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Non deficiet vir de stirpe Jonadab filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.* Hic dicitur, quod isti servabant præcepta, & traditiones patris sui, de quibus nulla mentio erat in lege, nec ex lege haberi poterat, scilicet non bibere vinum, & alia, quæ dicta sunt, nec Deus alicubi inde fecerat mentionem, & tamen quia ad honestatem spectabant, pro eorum observantia meruerunt audire a Domino id quod dictum est: *Hæc dicit Dominus &c.* A simili ergo traditiones Ecclesiasticæ, quæ spectant ad religionem, & honestatem, non sunt reprobandæ, sed laudandæ, alioquin incurret illud, quod dicitur Deutoronom. 17. v. 12. *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto judicis, morietur homo ille.* Osee 4. *Popolus tuus, sicut hi qui contradicunt Sacerdoti.* Quare non est ei contradicendum in his, quæ ordinat, dummodo non sit contra Dominum, licet Deus de illis non fecerit mentionem, sicut & mentionem non fecit de institutione Rechabitarum, ut habetur prædicto capite Jeremiæ. Valet autem hæc objectio etiam contra Catharos, qui duo ponunt principia, quia prophetas recipiunt.

CAP. VII.

(1) *An Ecclesia Dei possit possidere divitias, & unde conantur hæretici ostendere, quod successoribus Apostolorum non liceat terrena possidere.*

NUnc ad septimum caput accedamus, an successoribus Apostolorum, scilicet Prælatis Ecclesiæ, cæterisque discipulis Christi liceat habere divitias, castra, civitates, aurum, argentum. & similia, hoc autem capitulum in tres partes dividitur. In prima inducuntur quædam argumentationes hæreticorum, qui dicuntur Valdenses, ad probandum quod non. In secunda autem apertis rationibus ostenditur, quod Ecclesia potest habere divitias. In tertia parte ostenditur quod bonum est, imo melius omnia relinquere propter Christum, & quod Prædicatoribus spiritualia seminantibus non est injunctum manibus laborare.

§. I.

Argumenta hæreticorum probantia, Ecclesiam non posse habere divitias.

[*] AD probandum, quod non liceat, inducunt illud Matth. 5. v. 3. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum.*

Ad hoc autem patet solutio; quoniam per hæc verba Domini non fit distinctio inter aliquos. non enim magis de Clericis, quam de Laicis loquitur Dominus.

Præterea, per hæc verba non tollitur regnum divitibus, sicut & inferius probabitur. [*]

Ad idem inducunt illud, quod habetur Matth. 6. v. 19. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.*

Solutio: Cupiditas avaritiæ ibi prohibetur, (2) per quam quis neglecto Domino laborat divitias congregare non ad necessitatem, sed ad superfluitatem; primo enim modo idest ad necessitatem licet congregare terrena, & aquirere illa, juxta quod Apostolus ait Act. 20. v. 34. *Ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.*

Item 1. Timoth. 6. v. 8. *Habentes enim alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus.* Appetitum vero superfluorum & Dominus in præcedentibus verbis, & Apostolus 1. Timoth. 6. v. 17. prohibet dicens: *Divitibus hujus seculi præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum; sed*

(1) Erat hæc opinio propria Valdensium. Pseudo Apostolicos Augustino *in Lib. de Hæresibus Cap.* XL. memoratos sequuti sunt auctores Valdenses. Sic enim habet Augustinus: *Ideo hæretici sunt, quia se ab Ecclesia separantes, nullam spem putant eos habere, qui utuntur his verbis, quibus ipsi carent.* A Valdensibus mutuatus errorem est Johannes Viclefus, qui cum ob alia multa, tum ob hoc portentum opinionis damnatus fuit in Synodo Constantiensi *sess.* VII.

[*] Quæ duobus asteriscis complexi sumus desunt e *Cod. Bonon.*

(2) Clemens Alexandrinus *Lib.* III. *Cap.* VI. *Pædagogi pag.* 273. *Edit. Oxoniensis* ,, sunt, *inquit*, habendæ divitiæ, ut est rationi ,, consentaneum, suntque benigne, non autem sordide, nec insolenter communicandæ: nec est honesti studium in sui amorem, ,, superbiamque, & arrogantiam consumendum &c. Paria cernere licet in reliquorum Patrum libris. Ergo Apostolici, & Valdenses ab Ecclesiæ antiquæ sententia discrepant.

sed in Deo vivo (qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum) . Item v.9. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem* . Hoc autem melius adhuc patebit in sequentibus . Nonne etiam vides, quod mensuratus cibus, aut potus conceditur, & superfluus prohibetur?

Item ad idem inducunt illud Matth. 6. v.24. *Non potestis Deo servire, & (3) mammonæ* .

Solutio: Soli Deo serviendum esse Scripturarum testimonio confirmatur, testimonio scilicet legis Deutoronomii cap.6. v. 13. *Dominum Deum tuum timebis; & illi soli servies*, quod testimonium Christus Matth.4. v. 10. confirmat. Item testimonio Samuelis 1. Reg. 7. v. 3. *Præparate corda vestra Domino, & servite ei soli*. Mammonæ autem idest divitiis servire prohibitum est, sed non est prohibitum mammonam habere, (4) imo, *facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, ut habetur Lucæ 16. v.9. Cum autem divitiis serviendum non sit, tamen de eis Deo serviendum est; alioquin Lucæ 8. v. 2. & 3. Non laudaretur Maria Magdalene, & Johanna uxor Chusæ procuratoris Herodis, & aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.

Ad idem inducunt illud Matth.6. v. 26. *Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini*.

Solutio: Non intelligitur hoc de omni sollicitudine providentiæ necessariorum sibi, nec aliis; unde Apostolus ad Galat.2. v. 10. dicit, quod rogatus ab Apostolis ut esset memor pauperum, sollicitus fuit hoc ipsum facere, de qua sollicitudine sua, & etiam aliorum pro pauperibus habetur ad Rom. 15. v.26. & 27. & 2. Corinth. v.3. & sequentibus. Nonne Apostolus 1. ad Thessalo. 2. v. 9. ait: *Memores enim estis, fratres, laboris nostri, & fatigationis: nocte ac die operantes, ne quem vestrum gravaremus, prædicavimus in vobis Evangelium Dei*.

Item Actor. 20. v.31. *Quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ*. Nunquid istud erat sine sollicitudine providendi sibi, & sociis? Non. In verbo ergo Domini *ne solliciti sitis &c.* sollicitudo suffocationis prohibita est, de qua habetur Matth.13. v. 22. *Sollicitudo seculi istius, & fallacia divitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur*. Bene autem dicit Dominus fallacia divitiarum, non quia a divitiis istis fallitur homo, sperans quandoque aliter quam eveniat, homo autem seipsum fallit in eis.

Ad idem inducunt illud Matth.6. v. 26. *Respicite volatilia Cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: Et Pater vester cœlestis pascit illa: Nonne vos magis pluris estis illis*.

Ad hoc dicimus, quoniam ipsa volatilia materialia, naturaliter sollicita sunt de necessariis sibi, similiter autem & nos de necessariis solliciti esse possumus, ut præostensum est. Sed sunt quidam, qui de bonitate Dei desperantes hoc faciunt; hoc non vult Dominus esse in membris suis, sed vult quod sperent in ipsum, quia si Dominus providet his minimis, scilicet volatilibus, multo fortius fidelibus suis, propter quod Apostolus Timotheo scribens ait Epist. 1. cap. 6. v. 17. *Divitibus hujus seculi præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum)*. Dicimus ergo, quod Dominus non prohibet seminare, aut metere, aut in horrea congregare, sed prohibet ista facere ex desperatione divinæ bonitatis, tanquam ipse non sit provisurus necessaria.

Præterea, sicut & alia, ita & istud temporale est, idest datum primis prædicatoribus Evangelii tantum ad tempus; & quod ista vera sint, patebit ex sequentibus in hoc capite.

Item objiciunt illud Matth. 10. v.9. Ubi Christus discipulis suis ait: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris*; ex hoc volunt, quod non licet successoribus Apostolorum ita habere.

Item Actor. 3. v. 6. dixit Petrus cuidam Claudo: *Argentum & aurum non est mihi*.

Solutio: Illud mandatum *Nolite &c.* datum fuit Apostolis ad tempus, & tantum in illa missione; & quod ita sit, patet ex eo, quod habetur Joan. 4. v.8. Ubi dicit Johannes, quod *discipuli ejus* (idest Jesu) *abierant in civitatem* (scilicet Galilæam) *ut cibos emerent*.

Item Johannis 13. v.29. *Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus: Eme ea quæ opus sunt nobis ad idem festum: aut egenis ut aliquid daret*. Ad aliud dico, quod Petrus non dixit, quin liceret ei habere aurum vel argetum, sed quia non erat ei, idest, non habebat.

Præterea potest & aliter solvi: Petrus non dixit argentum, & aurum non est nobis, sed non est mihi, cujus causa quia non erat ei aliquid proprium, vel aliis discipulis. Unde Actor. 4. v. 32. dicitur: *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una: nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia*. Bene ergo dixit Petrus: *Aurum & argentum non est mihi*; si dixisset, mihi est, aliquid suum esse singulariter esse dixisset.

Præterea credibile est, quod in tanta multitudine aliquis aurum vel argentum haberet, vel pecuniam aliquam, cum dicatur ibid. *Nec quisquam eorum quæ possidebat &c.* Possidebant igitur; si autem aliqua talia habuerunt aliqui de illa multitudine, Apostoli etiam illa habuerunt, alioquin non esset verum quod ibi dicitur: *Et erant illis omnia communia*.

Præterea, quod Apostoli habuerunt talia, patet ex litera quæ sequitur v. 34. *Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant* (v.35.) *Et ponebant*

(3) Objiciebat hoc Matthæi ῥητὸν Catholicis Tertullianus *Lib. De Fuga in persecutione cap.* XII. quod pecunia se liberarent a suppliciis, & persecutione Ethnicorum. Adjungebat porro: *Christiana pecunia salvus est, & in hoc nummos habet, ne patiatur, dum adversus Deum erit dives &c.*

(4) Ne Tertullianus id quidem negabat. Ita autem, ut noster, explicant Patres hunc Evangelii locum. Vide Hieronymum in Cap. VI. *Matth.*

nebant ante pedes Apostolorum. Ex quo patet, quod Apostoli fuerunt comparticipes illarum possessionum, quæ erant illis, & Apostolis communes.

Præterea, nunquid vos possidetis aurum, & argentum? Dices mihi, quod non, quia non accipitis illud manibus vestris, nec illud servatis. Nonne vos illud a quibusdam familiaribus vestris accipi facitis, & servari? Utique; ergo possidetis aurum & argentum atque pecuniam.

Præterea in hoc magis divitum mores, quam pauperum sequimini, pauperes enim datam sibi pecuniam accipiunt, ferunt, custodiunt, & dispensant, divites aliis eam committunt, qui eam ferunt, custodiunt, & dispensant prout divites volunt; ergo si divites talium possessores sunt, & vos simili ratione.

Hic sciendum est, quod illorum verborum, quæ Dominus dicit Apostolis Matth. 10. quædam fuerunt tantum data ad tempus, sicut patet in illo mandato ibidem v.5. *In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis* (v.6.) *sed potius ite ad oves quæ perierunt Domus Israel*; alioquin fuissent transgressores Petrus & Johannes, dicitur enim Actor. 8. v. 14. *Cum autem audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria Verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Joannem* (v.15.) *Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum*. Item Paulus, & Barnabas; dicitur enim Act. 13. v. 46. *Vobis oportebat primum loqui Verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes*. Si autem volunt illud spiritualiter intelligere. *In viam gentium &c.* quod est imitari gentes; & ego illud spiritualiter intelligam, nolite possidere aurum sapientiæ, scilicet mundanæ, & phylosophicæ, vel argentum eloquentiæ Rhetoricæ.

Præterea, Matth. 10. v. 10. dicitur, quod non habeant peram in via; sed Lucæ 22. v. 35. dicitur: *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis?* (v.36.) *At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis Jesus: Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram*. Non est autem credibile, quod si Christus pro omni tempore illud prohibuisset, quod postea illud eis Lucæ 22. dixisset, alioquin eos transgredi fecisset, & fuisset in eo est, & non, quod negat Apostolus 2.Corinth.1.v.19.

Item Matth. 10. v.10. dicitur, quod non habeant duas tunicas. Dico, quod istud ad sonum literæ non observant Valdenses, necesse est ergo eis dicere, quod vel particulare fuerit mandatum, vel ad tempus datum. Quod etiam patet Lucæ 22. v. 36. ubi dicitur, quod *vendat tunicam suam, & emat gladium*, quod ridiculosum esset; si enim unam tantum tunicam quis haberet, tunc remaneret nudus, vel in camiscia, & braccis tantum, si illam venderet ut gladium emeret; ergo primum ad tempus tantum datum est, scilicet pro tempore illius missionis primæ, vel tantum spiritualiter intelligendum est.

Præterea Matth. dicit cap. 10. v. 10. quod non habeant calceamenta in pedibus. Marc. vero 6. v. 9. dicit, quod essent calceati sandaliis. Nunquid contradictio est inter eos? Absit. Sed Matthæus ad tempus loquitur, vel spiritualiter tantum. Marcus autem ad literæ sonum. Item Matth. dicit 10. v. 10. quod virgam non portent. Marc. autem 6. v. 8. quod portent virgam; ex quo colligitur quod vel ad tempus tantum loquitur Matthæus, vel quod unus spiritualiter sit locutus, alter autem materialiter ad literæ sonum. Item Lucæ dicitur cap. 10. v.4. quod neminem per viam salutent, quod si ad literam intelligitur, quomodo stabit, quod dicitur Matth. 5. ut non tantum fratres, & amicos salutent, sed etiam inimicos. Unde restat, quod verbum Lucæ non sit simpliciter intelligendum ad literæ sonum, sed spiritualiter, vel cum aliqua adjectione, neminem salutaveritis cum mora vel curiositate, ut mos est quibusdam mundanis.

Præterea, nos invenimus Marci 6. v.8. quod Dominus prohibuit eis panem ferre, tamen ipsi Valdenses ferunt eum. In alio autem tempore reperiuntur panes secum tulisse Apostoli; unde Matt.14. v.17. dicunt: *Non habemus hic nisi quinque panes, & duos pisces*. (v.18.) *Qui ait illis: Afferte mihi illos huc*; Illos autem secum tulerant de quodam loco, ubi spatium manducandi præ multitudine hominum concurrentium non habebant, ut dicitur Marci 6. v.31.

Præterea, si illa mandata Matth. 10. Marci 6. Lucæ 10. non sunt particularia, vel ad tempus data, vel ad sonum literæ sunt intelligenda, fere omnium transgressores sunt quæ ibi dicuntur, nec enim leprosos curant, & sic de similibus: quæ si volunt spiritualiter intelligere, constat quod ad literæ sonum hoc fecerunt Apostoli.

Præterea, quare hoc spiritualiter non intelligetur *nolite possidere &c.* Similiter illud septuaginta duobus discipulis dictum Lucæ 10. v.4. & seq. nullo modo implent ad sonum literæ; sacculos enim, & peras portant ad libros suos portandos, calceamenta gerunt, per viam salutant, cumque in domum aliquam intrant, non dicunt primum pax huic domui; de domo in domum transeunt, infirmos non curant, exeuntes de civitate aliqua quæ eos non recepit, non dicunt, etiam pulverem, qui adhæsit nobis de civitate vestra extergimus in vos.

Objiciunt etiam hæretici probare volentes, quod non liceat possidere domos per illud Matth. 8. v.20. *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*.

Solutio: Licet Christus in eo quod homo, non haberet domum specialem & propriam, sicut mos est hominibus, in eo tamen quod Deus, habebat omnem domum, omnis enim domus materialis sua erat, quidquid Cathari fabulentur; loquimur ergo de eo secundum humanitatem, secundum quam nullam domum sibi deputatam habebat. Dico ergo, quod quamvis dicat se non habere, non tamen prohibuit discipulis habere, ut patebit inferius.

Item, objiciunt illud Matth. 19. v. 21. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*. Ad hanc perfectionem nullus magis tenetur quam Summus Pontifex, & post eum Episcopi, & Prælati Ecclesiarum.

Item

Item Lucæ 14. v. 33. *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*. Prælati ergo vel non sunt discipuli Christi, vel oportet eos renunciare omnibus quæ possident.

Solutio: Ad primum est, quod Dominus Papa, & Ecclesiarum Prælati non sunt possessores rerum Ecclesiæ, idest Domini earum, sed vice Christi, qui est verus Dominus, sunt dispensatores earum; non enim sunt res Ecclesiæ illorum propriæ, sed communes ut sibi, & familiæ suæ, prout cuique opus est provideant, superflua vero pauperibus distribuant. Sic etiam de aliis Clericis intelligendum est. Qui autem aliter faciunt, non excuso eos, tamen per gratiam Dei aliqui sunt tales.

Ad secundum dico, quod duplex est (5) abrenunciatio, una abjectionis, idest remotionis rerum ex toto a se; hæc est abrenunciatio perfectionis, quia perficit, & signum est perfectæ charitatis in Deum, de hac perfectione dictum est: *Si vis perfectus esse &c.* Hæc perfectio non est præcepti, sed tantum voluntatis; unde dicit Christus adolescenti: *Si vis perfectus esse &c.* Est & alia abrenunciatio subjectionis, qua abrenunciatione quis subjicit sibi res; hoc autem facit, qui non præponit eas Deo, vel sibi, imo potius ex toto illis careret, quam Dei gratia vellet se privare; sciens scriptum esse Mat. 10. v. 37. *Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus*; sicut tactum est in quarta parte hujus operis in principio capitis de Matrimonio supra illud verbum Matth. 19. v. 29. *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores &c.* Ista abrenunciatio necessitatis est, non tantum voluntatis, ad hanc tenetur quilibet, nullus sine hac discipulus est Christi, idest non imitatur ejus magisterium contemnendo ejus præceptum; hic non dixit, si vis meus esse discipulus, sicut dixit, si vis perfectus esse Matth. 19. v. 22. Aliqui ergo possunt esse Christi discipuli, & esse divites; sicut illi qui non appretiantur divitias plus quam Deum. Hoc autem patet Actor. 11. v. 29. ubi dicitur: *Discipuli autem, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judæa fratribus*.

Item Matth. 19. v. 24. *Facilius est camelum per foramen acus transire* (6); *quam divitem intrare in regnum cœlorum*.

Item Lucæ 6. v. 24. *Verumtamen væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram*.

Item Johan. 22. v. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*. Quasi dicat misit me pauperem, & ego mitto vos pauperes.

Item Jacobi 2. v. 7. *Audite, fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni quod repromisit Deus diligentibus se?*

Solutio ad primum, & secundum est, quia non intelligitur de omni divite; unde Marci 10. ubi de eadem re loquitur, dicit v. 24. *Filioli, quam difficile est, confidentes in pecuniis in regnum Dei introire!* & subdit v. 25. *Facilius est Camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei*. Loquitur ergo Dominus in Matthæo de divite confidente in divitiis, & ita de malo divite. Similiter in Luca loco citato non dixit væ vobis divitibus tantum, sed addidit, *quia habetis hic consolationem vestram*, idest quam quæritis neglecta æterna, & spirituali consolatione, qualis erat ille dives de quo dicitur Lucæ 16. v. 19. *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendide*. Sed sunt alii divites consolationem terrenam non quærentes, sed cœlestem, sicut Joseph de quo legitur Matth. 27. v. 57. *Qui erat dives, & discipulus Jesu*; Lucas autem dicit 23. v. 10. *Qui erat Decurio*; Marcus autem 15. v. 43. *qui nobilis Decurio*; & dicitur Decurio, quasi de ordine curiæ officium ibi aliquod administrans, & dicit Lucas 23. v. 50. quod erat vir justus, & bonus: Nunquid isti diviti dicitur væ? Non: potest ergo aliquis esse dives, & discipulus Christi, & intrare regnum Dei, licet difficulter; unde prius dixerat Matth. 10. v. 23. *Dives difficile intrabit in regnum cœlorum*; sed non dixit impossibile est, sed difficile; nec mirum, cum Petri 1. cap. 4. v. 18. dicatur: *Et si justus vix salvabitur*, & Actor. 14. v. 21. dicit Paulus: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Sciendum autem, quod Jerosolymis quædam porta erat, quæ foramen (7) acus dicebatur, per quam Camelus nisi deposito onere, & flexis genibus transire non poterat; merito ergo Camelus divites significat, qui non possunt intrare foramen acus, idest viam arctam, quæ ducit ad vitam, nisi divitiis, saltem non amando eas plus quam Deum, depositis; deposito etiam peccatorum onere, & flexis genibus, idest humiliata intelligentia per fidem, & voluntate per obedientiam mandatorum Dei. Ad idem quod objiciunt de Johanne, *Sicut misit me Pater &c.* dicendum, quod licet illos pauperes miserit, tamen divitias per hoc non prohibuit.

Præterea jam dictum est, quod Prælati Ecclesiarum non sunt Domini divitiarum Ecclesiæ, sed tantum dispensatores, unde bene potest eis convenire illud 2. Corinth. 6. v. 10. *tanquam nihil habentes, & omnia possidentes*; tanquam nihil habentes proprium, in hoc pauperes sunt; omnia autem possidentes, ut dispensatores bonorum omnium ipsius Ecclesiæ; sunt ergo sicut ille de quo dicitur Ps. 48.

L l l v. 3.

(5) Latum esse discrimen inter τὸ renunciare omnibus, & τὸ relinquere omnia docet Venerabilis Beda: *lib.* XIV. *in Lucam cap.* IX. *Paucorum*, inquit, *perfectorum est relinquere omnia, curas mundi postponere, solis desideriis æternis inhiare. Cunctorum autem fidelium est renunciare omnibus, quæ possident, hoc est, sic tenere ea quæ mundi sunt, ut tamen tota mente ad cœlestia tendant.* Clemens Alexandrinus *Lib.* III. *Pædagogi Cap.* VI. *pag.* 1745. *Edit. Oxonien. Divitiæ*, inquit, *sunt serpenti similes; quem si quis nescit inoffense accipere, is manu circumplicabitur, & mordebit: Sed si quis se magnificum præbens, scienter eis utatur, illæsus manebit.*

(6) Occuparat hoc objectionis genus multo ante Monetam Johannes Chrysostomus *Homilia* LXIII. *al.* LXIV. *in Matth. To.* VII. *Opp. n.* 2. *Non pecuniam vituperans*, inquit, *sed eos, qui detinentur ab ipsis.... Unde ostenditur, non parum mercedis parari divitibus, qui philosophari possint &c.*

(7) Sumpta hæc sunt a Petro Comestore, quem Magistrum Historiæ Scholasticæ vocant. Verum interpretes, qui in criticis versati sunt, negant ullam Urbis Hierusalem portam fuisse, quæ *acus foramen* appellaretur. Vide Calmetum in hunc locum Matthæi, & Maldonatum, & Grotium &c.

v. 3. *Simul in unum dives , & pauper* . Ad illud Jacobi, quod Dominus elegit pauperes, verum eſt , & tamen divites non abjecit, qui volunt bene uti divitiis ſuis , ut patet in Joſeph , de quo prius dictum eſt .

§. II.

Probatur quod liceat Succeſſoribus Apoſtolorum terrena poſſidere & in proprio , & in communi .

NUnc ad ſecundam partem capitis tranſeuntes oſtendamus quod Eccleſia Dei in Prælatis , qui ſunt prædicatores populi ſui , poteſt divitias habere , & tam mobilia , quam immobilia . Hoc autem patet in Joſepho nobili Decurione ut prius dictum eſt ſuper illud verbum *facilius &c.*

Item de Apoſtolis Marci 6. v. 37. legitur : *Et dixerunt ei , euntes emamus ducentis denariis panes , & dabimus illis manducare* . Sic ergo habebant ad minus ducentos denarios .

Item Johan. 4. v. 8. *Diſcipuli enim ejus abierant in civitatem, ut cibos emerent* . Sic ergo habebant ut eos emerent .

Item Johan. 13. v. 29. *Quidam enim putabant , quia loculos habebat Judas , quod dixiſſet ei Jeſus: Eme ea , quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum : aut egenis ut aliquid daret* .

Item 1. Timoth. 3. v. 2. dicitur, quod oportet Epiſcopum eſſe hoſpitalem ; officium autem iſtud non poteſt exerceri ſine facultatibus ; licet ergo Epiſcopo habere facultates .

Item 1. Petri 4. v. 9. *Hoſpitales invicem ſine murmuratione* . Et quod de perfectis iſtud velit, patet per illud quod eiſdem dicit 1. cap. v. 13. *Sobrii perfecte ſperate in eam , quæ offertur vobis gratiam, in revelationem Jeſu Chriſti* . Nonne Beata Virgo habens Dei filium in utero,domum habebat? Utique; dicitur enim Lucæ 1. v. 56. *Manſit autem Maria cum illa* (ideſt Eliſabeth) *quaſi menſibus tribus ; & reverſa eſt in domum ſuam* . Ergo habuit domum .

Item Matth. 8. v. 14. *Et cum veniſſet Jeſus in domum Petri ; vidit ſocrum ejus jacentem , & febricitantem* ; ergo Petrus domum habebat . Si autem dicant,quod Apoſtoli Chriſti poſt acceptionem Spiritus Sancti quinquageſima die non leguntur habuiſſe domum vel pecuniam .

Solutio : Nec camiſciam, nec caputium ; Nunquid propter hoc non habuerunt ?

Præterea : imo Actor. 4. v. 34. & 35. ponebantur pretia agrorum & domorum ad pedes Apoſtolorum ; ſic igitur Apoſtoli habebant illa pretia .

Item 1. Corinth. 13. v. 3. *Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas* . Ergo aliquid habebat .

[*] Item ad Philemonem v. 18. ait de Oneſimo . *Si autem aliquid nocuit tibi , aut debet : hoc mihi imputa* . (v. 19.) *Ego Paulus ſcripſi mea manu : ego reddam* . Veriſimile ergo eſt, quod aliquid habebat .

Item Act. 20. v. 35. *Quoniam ad ea quæ mihi opus erant , & his qui mecum ſunt miniſtraverunt manus iſtæ* ; ergo aliqua habebat [*] .

Præterea,Eccleſia Macedoniæ habebat poſſeſſiones aliquas , unde pauperibus provideret ; ut habetur 2. Corinth. 8. v. 2. & ſeq. Ibidem etiam patet quod Corinthiorum Eccleſia abundabat in rebus temporalibus ; unde ibi dicit Apoſtolus v. 14. *In præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat* ; de utraque enim Eccleſia dicitur , ſcilicet Macedoniorum , & Achajorum , ideſt Corinthiorum , quia in Achaja erat Corinthus Metropolis civitas ; *Probaverunt enim Macedonia , & Achaja , collationem aliquam facere in pauperes Sanctorum , qui ſunt Jeruſalem . Placuit enim eis ; & debitores ſunt eorum . Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt Gentiles : debent & in carnalibus miniſtrare illis* . Ad Rom. 15. v. 26. & 27. Ipſe etiam dicit 2. Corinth. 11. v. 7. Se Evangelizaſſe gratis Evangelium Dei Corinthiis , & ſubdit unde viveret v. 8. *Alias Eccleſias expoliavi , accipiens ſtipendium ad miniſterium veſtrum* . (v. 9.) *Et cum eſſem apud vos , & egerem ; nulli oneroſus fui ; nam quod mihi deerat , ſuppleverunt fratres , qui venerunt a Macedonia* . Ex hoc patet , quod illæ Eccleſiæ poſſidebant aliquid ; & Paulus etiam ſtipendia ab illis accepta habebat .

Item Actor. 11. v. 29. *Diſcipuli autem prout quis habebat , propoſuerunt ſinguli in miniſterium mittere habitantibus in Judæa fratribus* : (v. 30.) *Quod & fecerunt , mittentes ad ſeniores per manus Barnabæ , & Sauli* . (8)

Nunc autem alia teſtimonia Prophetarum traducemus , quibus manifeſtum ſit , quod ex Domini promiſſione Eccleſia eſſet poſſeſſura divitias . Legitur Iſaiæ 49. v. 23. quod Dominus dixit Eccleſiæ . *Et erunt Reges nutritii tui , & Reginæ nutrices tuæ* (9) . Quod completum eſt in Conſtantino , & Helena matre ejus : paulo ante in eodem cap. v. 7. dixerat ei : *Reges videbunt , & conſurgent principes , & adorabunt propter Dominum , quia fidelis eſt , & Sanctum Iſrael , qui elegit te* .

Item Iſaiæ 60. v. 6. , & in pluribus aliis . *Omnes de Saba venient, aurum , & thus deferentes* .

Item 61. v. 5. *Et ſtabunt alieni , & paſcent pecora veſtra : Et filii peregrinorum , agricolæ , & vinitores veſtri erunt* . (v. 6.) *Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini : Miniſtri Dei noſtri , dicetur vobis : Fortitudinem gentium comedetis , & in gloria*

[*] Quæ duobus aſteriſcis complexi ſumus , deſunt e *Cod. Bonon.*

(8) Conſule Severum *in Catena in Cap.* xx. *Jobi pag.* 473. Theophilactum *in Cap.* XXVII. *Matthæi* , & his longe antiquiores Chriſoſtomum *Homil.* II. *ad Populum Antiochenum* , & Baſilium Magnum *in Iſaiæ Caput* XI. & Clementem Alexandrinum *lib.* III. *Strom. pag.* 449 *Edit. Paris.* Ubi: *honeſte,* inquit, *divitem eſſe non prohibuit Deus , ſed eſſe divitem injuſte , & inſatiabiliter* .

9 Tametſi ea , quæ circumfertur facta a Conſtantino Romanæ Eccleſiæ donatio ab eruditis fere omnibus , tamquam commentitia exploſa ſit ; negari tamen non poteſt Conſtantinum ſumma liberalitate certaſse , ut Romanam Eccleſiam ampliſſimis donis ornaret . Id vero non ex Anaſtaſio Bibliothecario ſolum , verum etiam ex Scriptoribus Ethnicis conſtat , & cum primis Ammiano Marcellino *lib.* XXVII. *Cap.* III. *Vide Muratorium Tom.* V. *Antiq. Italicarum Diſſert.* LXIX. ubi , qui fuerit poſt Conſtantinum Romanorum Pontificum ſplendor , & Romanæ Eccleſiæ magnificentia , in pauperum tamen uſum derivata , luculenter oſtendit . Conſule Baronium quoque *ad ann.* 362.

ria earum superbietis. Idem habetur Daniel. 7. v. 27. *Regnum autem, & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter cœlum detur populo sanctorum Altissimi: cujus regnum, regnum sempiternum est, & omnes reges servient ei, & obedient.* Idem etiam patet in psalmo 2. de Christo capite Ecclesiæ v. 8. *Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. Idem patet in psalmo 71. v. 1. *Deus judicium tuum regi da, & justitiam tuam filio regis*. Ex his patet, quod Prædicatores, sive Prælati Ecclesiarum, quorum est prædicationis officium, multa habere possunt ad dispensandum. Posito etiam, quod Apostoli nihil possessionum immobilium habuerunt, hoc non fuit, quia illicitum sit, sed ut nullis temporalibus impediti facilius ad prædicandum Evangelium per totum mundum discurrerent; cessante autem causa, cessat & effectus, unde fundatis Ecclesiis per orbem terrarum, & per singulas Ecclesias Episcopis, & Præsbyteris, ut habetur Act. 14. v. 22. & aliis in locis; restat ut pascat unusquisque eos, qui sub manu sua sunt; ut dicitur Jeremiæ 6. v. 3.

Item Apostoli, & primitivi credentes prædia, & castella non habebant attendentes illud, quod Paulus, & Barnabas dicunt Act. 13. v. 46. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes*; tunc enim implebatur illa Scriptura psal. 2. v. 2. ut dicit Augustinus ad Vincentium: *Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus*; Supple in persona sua, & postea in membris. Sed tempore procedente licuit Ecclesiæ illa habere, & impleta est illa Prophetia ejusdem psalmi v. 10. *Et nunc reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram*. (v. 11.) *Servite Domino in timore: & exultate ei cum tremore*. Utrumque autem tempus in Nabuchodonosor præfiguratum fuit, & quod sub Apostolis habuit, & quod nunc habet Ecclesia; temporibus eorum illud impletum est, quod figuratum est, quando Rex ille cogebat adorare simulacrum, & recusantes mittebant in ignem, ut dicitur Daniel. 3. v. 6. nunc autem illud impletur, quod paulo post in eodem Rege præfiguratum fuit, quando conversus ad orandum Deum verum, decrevit, ut quicumque blasphemaret Deum Sidrach, & sociorum ejus, dispereat, & domus ejus vastetur, ut habetur Daniel 3. v. 96.

§. III.

An liceat propria relinquere, & de quæstu vivere?

DUabus partibus hujus capitis pertractatis accedendum est ad tertiam. Respondendum est quibusdam objectionibus Catharorum (10), qui statum paupertatis assumere abjectis divitiis propriis, & de eleemosynis quærere victum, & vestitum blasphemant. Ad hoc autem ostendendum inducunt illud, quod legitur in psal. 36. v. 25. ut dicit David: *Et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem*; Ex quo volunt, quod semen justi, idest Christi, non simus, cum panem quæramus.

Solutio: Non dixit David, si quis panem quærit non est semen justi, sed dixit se nunquam vidisse justum derelictum, nec semen ejus quærere panem: & si non viderit, tamen esse potuit; posito etiam, quod tunc non fuerit, tamen ita est, postquam Christus venit, & paupertatem consuluit dicens Matth. 19. v. 21. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*. Ipse etiam paupertatem assumpsit in se ipso; unde 2. Corinth. 8. v. 9. dicit Apostolus: *Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis*. Constat etiam ex Mat. 10. v. 9. quod Dominus noster mandavit suis discipulis, ut non possiderent aurum, vel argentum in zonis suis, sic voluit, quod pretium secum ferrent, quo panem emere possent. Marci autem 6. v. 8. mandavit eis, quod nec panem secum ferrent. Dixit autem eis Matth. 10. v. 11. *In quamcunque autem civitatem, aut castellum intraveritis, interrogate, quis in ea dignus sit; & ibi manete donec exeatis*. Sic ergo petebant hospitium. Dicit autem Luc. 10. v. 7. *In eadem autem domo manete edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt*. Cum ergo secum non ferrent, quis sani capitis est, qui dubitet, quin peterent cibum?

Præterea, nonne pauperes, qui erant in Jerusalem sancti erant, & tamen per Apostolos quærebant ab Ecclesia carnalia?

Objiciunt etiam illud Matth. 6. v. 25. *Ne soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini*. Si enim quærimus quotidie, inde soliciti sumus.

Solutio: Quid (11) dicent ipsi, cum ad nundinas vadunt, ut ea, quæ sibi opus sunt ad victum, & vestitum acquirant? Qualiter autem hoc intelligendum sit, dictum est in prima parte hujus capitis.

Similiter objiciunt illud Lucæ 12. v. 29. *Et vos nolite quærere, quid manducetis, aut quid bibatis*.

Solutio: Non prohibuit quærere cibum, aut potum absolute, sed cum prava solicitudine, de qua supra dictum est. Et quod ita solvendum sit, patet ex Matth. 6. v. 3. Ubi loco verborum Lucæ dicit: *Nolite ergo soliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus*. dicentes ait, idest quærentes, & ponit quæstionem, quid manducabimus &c.

Objiciunt etiam illud Matth. 7. v. 12. *Omnia ergo quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis*. Dicunt etiam, quod contra hoc manda-

(10) Monachos omnes ad victum sibi labore manuum comparandum teneri, omni quæstu semoto post Catharos, & Guillelmum Santamorium, effutierunt quoque Lutherus, Vviclefus, Zuinglius, Calvinus, eorumque sectatores.

(11) Apposite S. Thomas *Opusc.* XVIII. *Cap.* XVI. *Quis non videat*, inquit, *in immensum majoris sollicitudinis esse possessionibus procurandis curam impendere, ad quod vix seculares sufficiunt, quam acquirere simplicem victum .... ex fidelium pietate collatum, & clementia divina provisum.*

mandatum venimus, quia corporaliter cibos, & vestes nobis dari volumus, de aliis autem sic cibandis, aut vestiendis non curamus.

Solutio: Dicimus, quod in hoc mentitus est hæreticus, imo curamus de aliis cibandis, & vestiendis corporaliter, & prout possumus aliquando subvenimus pauperibus in utroque.

Præterea, nunquid peccabant pauperes Sancti, qui erant Jerosolymis, qui a gentilibus volebant sibi dari carnalia, cum ipsi non facerent hoc gentilibus, sed spiritualia dabant eis? Absit. Dicit enim Apostolus Rom. 15. v. 27. *Placuit enim eis: & debitores sunt eorum: Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles: debent, & in carnalibus ministrare illis.*

Ad idem inducunt illud 1. ad Thessalon. ubi dicit Apostolus v. 11. *Et nullius aliquid desideretis.* Dicunt enim, nos contra hujusmodi præceptum venire, quia cupimus aliena.

Solutio: Imo ipsi magis contra hoc veniunt, quam nos, vadunt enim ad nundinas, & quare? nisi ut lucrentur aliena bona; cupiunt enim ea lucrari. Ad hoc forte dicent, non cupimus ea, quæ ipsorum sunt, nisi demus eis, & nostra. Ad quod dico, si de tuis temporalibus cupis habere temporalia illius, multo magis de spiritualibus meis, quæ eis semino, possum capere, & sperare temporalia ipsorum, juxta quod Apostolus ait 1. Corinth. 9. v. 11. *Si nos vobis spiritualia seminavimus magnum est, si nos carnalia vestra metamus?*

Item 2. Corinth. 8. v. 14. *In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat.* Dicamus ergo, quod duplex est cupiditas rei alienæ; una habendi eam, vel per rapinam, vel per otium vitandi labores manuum; hæc intentio est prohibita: alia est cupiditas habendi rem alienam per misericordiam, hæc bona est; Ab hac laudatur Lazarus Lucæ 16. v. 19. & seq. Alia vero, quia seminat spiritualia, hæc fuit in Apostolis 1. Corinth. 9. v. 10. *Quoniam debet in spe, qui arat, arare: & qui triturat, in spe fructus percipiendi.*

Ad idem inducunt illud Act. 20. v. 33. Ubi Apostolus Paulus ait: *Aurum, & argentum, aut vestem nullius concupivi.*

Solutio: Propter hoc non removet, quin potuerit capere secundum prædictum modum. Similiter potuit circumducere sororem, sed non fecit. Nunquid propter hoc dices, peccatum esse circumducere eam? Non: alioquin peccassent alii: Nunquid & peccavit Paulus non utens illo ordinamento 1. Corint. 9. v. 14. *Qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivant*, quod Dominus voluit, & dixit Matth. 10. v. 10. *Dignus enim est operarius cibo suo*; sed alii Apostoli sunt usi; ipse non.

Item objiciunt illud, quod dicit Paulus Act. 20. v. 35. *Oportet meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare* (12), *quam accipere.* Minus ergo bona est conditio eorum, qui spretis propriis, & abjectis, aliena quærunt.

Solutio: Si ita esset, frustra dixisset Dominus Matth. 19. v. 21. cuidam Adolescenti: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.*

Item, ibi dicit Petrus v. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te &c.*

Item v. 29. *Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Dico ergo, quod Dominus non præponit divites eleemosynas de suis divitiis largientes illis, qui omnibus relictis pro Christo sequuntur eum; sed illos dicit beatiores, qui cunctis, quæ possident derelictis, Evangelium annuntiant gratis, non viventes de Evangelio, idest inde sumptus non quærendo, quam eos, qui inde sumptus accipiunt, attendentes, quod Dominus ordinavit his, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere (13), quo ordinamento Apostolus non est usus sicut ipse dicit 1. Corinth. 9. v. 15. licet alii Apostoli uterentur eo.

Ad idem inducunt illud Corinth. Epist. 2. Cap. 8. v. 12, *Si enim voluntas prompta est: secundum id, quod habet* (14), *accepta est, non secundum id, quod non habet:* Ergo qui sic dat sua, ut postea non habeat, non est a Deo acceptus.

Solutio: Dupliciter contingit dare sua, ut ostendit Apostolus. Uno modo secundum id, quod habet,

(12) Hoc item objiciebant Religiosis Mendicantibus, qui a Guillelmo Sanctamorio stabant. S. Thomas *Opusc.* XIX. *Cap.* V. *pag.* 181. *Edit. Lugd. an.* 1562. Sic eos inducit loquentes: *Actorum* XX. *super illud: beatius est magis dare, quam accipere, dicit glossa: illos maxime glorificat, qui cunctis, quæ possident in semet renunciantes, nihilominus operando, ut habeant unde tribuant necessitatem patienti: igitur omnes religiosi ad hoc debent tendere, ut manibus operentur.*

(13) Ita quoque S. Thomas *l. mox indicato Cap.* VII. *pag.* 180. *Vult*, inquit, *Apostolus, ut intelligat Evangelista*, (seu qui prædicat Evangelium) *quod necessaria sibi sumere licet ab eis, in quibus Deo militat, & quos tamquam vineam cultor exercet, vel tamquam gregem pascit.* Capite autem sexto dixerat *pag.* 185. *Ad ostendendum paupertatem actualem ad Evangelicam perfectionem pertinere, assumatur illud, quod dicitur Matthæi* XIX. Si vis perfectus esse vade, & vende omnia.

(14) Erat hoc etiam a Guillelmo Sanctamorio adhibitum, ut constat ex eodem S. Thomæ opusculo *pag.* 184. *Apostolus*, ait Sanctamorii nomine, *dat formam fidelibus eleemosynas faciendi, sic dicens si voluntas prompta est secundum id, quod habet &c.* Patet igitur Sanctamorium Vigilantio, & Catharis tribuisse auctoritatem, etsi Catholicum se esse jactaret. Audiendus S. Thomas *ibid. pa.* 184. *seq.* „ Nec solum, *inquit*, contentus fuit (Vigilantius) Jovinianum imitari, consilium de virginitate evacuans, sed superaddere ausus est etiam, ut consilium de paupertate servanda destrueret omnino. Unde Hieronymus de eo dicit (*Epist.* LIII. *Contra Vigilantium pag.* 86. *Edit. Roman. an.* 1575. *Tom.* II.) *Quod autem asserit eos melius facere, qui utuntur rebus suis, & paulatim fructus possessionum pauperibus dividunt, quam illos, qui possessionibus venundatis, simul omnia largiuntur, non a me ei, sed a Domino respondebitur, si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes &c. Matth.* XIX. Hic autem error per successiones errantium, usque ad hodierna tempora pervenit, & in hæreticis quibusdam, qui Cathari nominantur permansit, & adhuc permanet, sicut patet in quodam Tractatu cujusdam Desiderii hæresiarchæ Lombardi nostri temporis, quem edidit contra Catholicam veritatem, in quo, inter cetera, condemnat statum eorum, qui relictis omnibus egere volunt cum Christo. Nuper autem, quod est horribilius, antiquus error renovatus est ab his, qui fidem defendere videbantur; qui more errantium in pejus procedentes, non sunt contenti divitias paupertati æquare, ut Jovinianus, vel divitias paupertati præferre, ut Vigilantius; Sed paupertatem totaliter condemnare: dicentes non esse licitum sua omnia pro Christo relinquere, nisi talem religionem intret, quæ possessiones habeat, vel nisi talis sit, qui de labore manuum vivere intendat.

bet, quod contigit quando scilicet (15) quis dat aliis ita, ut etiam habeat sibi, quod opus est. Alio modo secundum id, quod non habet, quando quis ita dat, ut postea non habeat, quando scilicet omnia sua dat; nemo dubitat quin voluntas, & actio talis sit accepta a Deo, alioquin Dominus decepisset Adolescentem dicens Matth. 19. v. 21. *Si vis perfectus esse &c.*

Item v. 29. frustra dixisset: *Et omnis, qui reliquerit* &c. Imo ex verbis Domini patet, quod istud magis acceptum est Deo, unde quod dixit Apostolus, sic est intelligendum. Si enim voluntas prompta est ad dandum, secundum id, quod habet accepta est, non tantum secundum id, quod non habet.

Objiciunt etiam, & dicunt, quod contra verba Apostoli venimus, quia non laboramus manibus nostris (16); dicit enim Apostolus ad Ephes. 4. v. 28. *Qui furabatur jam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti.*

Item 1. Thessal. 4. v. 11. *Et operamini manibus vestris.*

Item 2. Thessal. 3. v. 10. *Quoniam si quis non vult operari, nec manducet.* Ad laborem etiam invitat per exemplum suum Actor. 20. v. 34. *Quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ* (v. 35.) *Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes, oportet suscipere infirmos.*

Item Actor. 18. v. 1. *Post hæc egressus ab Athenis, venit Corinthum* (v. 2.). *Et inveniens quemdam Judæum nomine Aquilam Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priscillam uxorem ejus (eo, quod præcepisset Claudius discedere omnes Judæos a Roma) accessit ad eos* (v. 3.). *Et quia ejusdem erat artis, manebat apud eos, & operabatur (erant autem scenofactoriæ artis).* Ideſt faciebat tentoria, vel funes; quia scenos græce, latine dicitur funis.

Item 1. Thessal. 2. v. 9. *Memores estis fratres, laboris nostri, & fatigationis: nocte ac die operantes, ne quem vestrum gravaremus, prædicavimus in vobis Evangelium Dei.*

Item 2. Thessal. 3. v. 7. *Ipsi enim scitis, quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos.* Idest non vagi, ut illi, qui se ipsos negligentes aliena negotia tractant. Unde 1. Thessal. 4. v. 11. dixit eis: *Et operam detis, ut quieti sitis, & ut vestrum negotium agatis.* Sequitur in secunda Epistola cap. 3. post illa verba v. 8. *Neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore, & fatigatione, nocte, & die operantes, ne quem vestrum gravaremus* (v. 9.). *Non quasi habuerimus potestatem, sed ut nos metipsos formam daremus vobis ad imitandum nos.* Hæc est illa potestas de qua ipse dicit 2. Corinth. 10. v. 8. *Nam, etsi amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram: non erubescam.*

Item 1. Corinth. 9. v. 12. *Sed non usi sumus hac potestate.*

Solutio: Etsi liceat laborare (17), non tamen præceptum est omnibus, non enim præceptum est Prædicatoribus, & seminantibus spiritualia; imo Dominus ordinavit, ut de Evangelio vivant, sicut sæpe dictum est; hoc autem ideo fecit, quia prævidebat, nullum terrenis laboribus implicatum posse libere prædicare. & spiritualia seminare, & ad hoc exhortatus est discipulos primitivos Matth. 6. v. 26. & seq. per similitudinem avium cœli, & liliorum agri; retraxit ergo eos a corporali labore, ut spirituali labori, idest prædicationi, & proximorum saluti liberius vacarent; spiritualis enim labor terreno præfertur, de quo dicitur Lucæ 10. v. 2. *Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.*

Item Matth. 10. v. 10. *Dignus enim est operarius cibo suo.*

Item David psalm. 127. v. 2. *Labores manuum tuarum quia manducabis.* Et sciendum, quod non dixit labora manibus tuis, quod manduces, sed tu qui manducabis labores manuum tuarum, *beatus es, & bene tibi erit*; quod de spirituali labore intelligitur, & de spiritualibus manibus ipsius prædicatoris, idest de verbis divinis, de quibus dicitur Proverb. 18. v. 21. *Mors, & vita in manu linguæ*, idest in verbis. Quod etiam Christus determinat Matth. 12. v. 37. *Ex verbis enim tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* De isto spirituali labore dicitur in Johanne cap. 6. v. 27. *Operamini non cibum qui perit, sed permanet in vitam æternam.* Concedimus autem, quod illi, qui non habent necessaria, nec sunt spiritualium seminatores, debent, prout possunt, intendere labori terreno, ne panem alienum gratis manducent. Non sic faciebant quidam Thessalonicenses, imo volebant esse in otio, & de alieno non tantum ad sustentationem, sed etiam ad voluptatem vivere. Unde 2. Thessal. 3. v. 11. *Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curio-*

(15) Consulendus *S. Thomas ibid pag.* 186.

(16) S. Thomas *ibid. cap.* v. *pag.* 180. *Item*, inquit, *inducunt hoc, quod habetur ad Ephes.* IV. *Laboret operando manibus suis &c.* refert porro testimonia cetera, quæ a Catharis afferebantur. Consulitor.

(17) S. Thomas II. II. *Quæst.* CLXXXVII. *art.* III. *Ad quintum* eodem fere modo hoc ipsum argumentum repellit: *Dicendum*, inquit, *quod hoc, quod Apostoli manibus laboraverint, quandoque quidem fuit necessitatis, quandoque supererogationis. Necessitatis quidem, quando ab aliis victum invenire non poterant: unde super illud* 1. *Cor:* IV. *laborantes manibus nostris:* dicit *glossa, quia nemo dat nobis: supererogationis autem, ut patet per illud, quod habetur* 1. *Cor.* IX. *ubi dicit Apostolus, quod non est usus potestate, quam habebat vivendi de Evangelio. Hac autem supererogatione utebatur Apostolus tribus de causis: Primo quidem, ut occasionem prædicandi auferret Pseudo Apostolis, qui propter sola temporalia prædicabant; unde dicit* II. *Cor.* XI. Quod autem facio, & faciam, ut amputem eorum occasionem &c. *Secundo ad evitandum gravamen eorum, quibus prædicabat, unde dicit* II. *Cor.* XII. Quid minus habuistis præ ceteris Ecclesiis, nisi quod ego ipse non gravavi vos: *Tertio ad dandum exemplum operandi otiosis* II. *Thessalon.* III. *dicit.* Nocte, & die operantes, ut formam daremus vobis ad imitandum nos. *Quod tamen non faciebat Apostolus in locis, in quibus habebat facultatem quotidie prædicandi, sicut Athenis, ut August. dicit in lib. De Opere Monach. Non autem propter hoc Religiosi tenentur Apostolum in hoc imitari, cum non teneantur ad omnes supererogationes, unde nec alii Apostoli manibus operabantur.* Consulitor idem ipse S. Thomas *Opusc.* XIX. *Cap.* v. Adeundus etiam Augustinus *lib. De Opere Monachorum*, ubi fuse hoc ipsum argumentum persequitur.

curiose agentes; sicut supra dixerat v. 10. *Nam, & cum essemus apud vos hoc denuntiabamus vobis; quoniam si quis non vult operari, nec manducet*; Et ponit causam hujus denuntiationis, ubi ostendit de quibus loquitur. *Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes*; idest victum sibi aquirentes quibusdam curiositatibus (v. 12. *Iis autem, qui ejusmodi sunt, denuntiamus, & obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducent*. Et paulo post v. 14. *Quod si quis non obedit verbo nostro per Epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur*. Hoc est illud verbum, hæc illa traditio, de qua dixerat v. 6. *Denuntiamus autem vobis fratres in nomine Domini Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non secundum traditionem quam accepistis a nobis*. Et subdit de traditione illa v. 7. *Ipsi enim scitis, quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos*. Ecce quibus præcipitur labor manuum ad Thessalonicenses. Ecce quare laborabat Apostolus, scilicet ne aliqui otiose viverent de alieno; item ne aliqui eorum gravarentur de expensis ejus; unde 1. Thessal. 2. v. 9. *Ne quem vestrum gravaremus*. Ad Ephes. vero 4. v. 28. præcipitur aliud, eis scilicet, qui per rapinam vitam suam sustentabant. Unde & dicitur, *qui furabatur &c.* [*]. Sciendum autem, quod Valdenses cum ostensi sint carere officio prædicandi, sic & carent privilegio Domini, quo ordinavit his, qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere [*].

CAPUT VIII.

Agitur de domo materiali, de figuris, & de imaginibus Ecclesiæ, & præcipue de Cruce; An licitum sit eis uti, & facere in Ecclesia, & de officio Ecclesiæ. & tonsura, & rasura, & thurificatione.

SEquitur Octavum Capitulum, quod in duas partes dividitur. In prima agitur de domo materiali, in secunda de imaginibus.

PARS I.

§. I.

De domo Materiali.

CIrca hoc (1) sciendum, quod hæretici accusant Ecclesiam Romanam de domibus materialibus, quas Ecclesias dicit. Primo, quia Apostoli hujusmodi Basilicas non habuerunt; dicitur enim Actor. 7. v. 48. *Sed non excelsus in manufactis habitat*. Secundo, quia non invenitur, quod domus materialis dicatur Ecclesia; inconvenienter ergo facit Ecclesia Romana hujusmodi Basilicas, & inconvenienter eas nomine Ecclesiæ vocat.

Ad primum potest responderi dupliciter: Primo, quia hoc, quod pro constanti ponunt, scilicet Ecclesiam primitivam hujusmodi (2) Basilicas non habere, nullo testimonio possunt ostendere; multa alia habuerunt, & fecerunt, quæ non leguntur. Nunquid propter hoc non habuerunt, vel non fecerunt illa? Secundo; posito, quod non habuerunt, tamen honestum est eas habere, maxime cum non sit contra prohibitionem Dei, vel Apostolorum ejus; quod enim Apostoli non habuerunt, si hoc verum est, ideo fuit, non quia esset malum, vel prohibitum eis, sed quia persecutionibus imminentibus non poterant eas habere. Adhuc durabat illa Prophetia psal. 2. v. 1. *Quare fremuerunt gentes &c.* Nondum venerat illa quæ in eodem psal. habetur v. 10. *Et nunc Reges intelligite: erudimini, qui judicatis terram*. Quod vero honestum sit habere hujusmodi Basilicas (3) patet: decet enim habere locum deputatum ad sumendum cibum mentis, & sequestrandum a communibus usibus; unde Johan. 2. v. 16. Dominus ostendit se velle locum orationis non debere esse locum negotiationis; Tu autem ubi negotiationes exerces, locum orationis facis, in quo patet te similem esse Scribis, & Pharisæis: Non tantum autem, quia honestum est, habemus Basilicas, sed propter exemplum antiquorum Sanctorum, qui habuerunt Basilicas, scilicet templum. Quod factum in Novo Testamento corroboratum legimus Matth. 21. v. 12. ubi dicitur. *Et intravit: Jesus in Templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes, & ementes in templo*. Idem factum legitur Mar. 9. v. 15. Lucæ 19. v. 45. Johannis vero 2. v. 16. dicitur: *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei,*

[*] Quæ duobus asteriscis complexi sumus, desunt e *Cod. Bon. & Neapol.*

(1) Jam usque ab Apostolorum temporibus fuisse ædes Deo dicatas, quæ Cœnacula, & Oratoria dicerentur, constat ex *Apostolo* I. *ad Cor.* XI. & ex Actibus *Apostolicis*, atque etiam ex *Epistolis* VII. Sancti Ignatii Martyris, qui Johannem audivit. Viguisse autem tribus primis Ecclesiæ Seculis Oratoria, nemo sanus negaverit. Nam & Ignatius, & Justinus in Priore Apologia, & Tertullianus, & Dionysius Alexandrinus, & Gregorius Neocæsarensis eorum meminerunt. Adeundi Cæsar Baronius Cardinalis *ad An. Chr. 57. num.* 100. & Ciampinus *in Veter. Monum.* iique Catholici Scriptores, quos numerat in *Bibliograph.* Johannes Albertus *Fabricius*. Negari autem non potest, quin IV. Seculo magnifice extrui templa cœperint eaque jam publica, quod persecutiones ab Ethnicis in Christianos excitatæ cessassent: Ut patet ex Eusebio Cæsareensi *Hist. Eccl & libro Vitæ Constantini*. Persecutiones porro in caussa fuisse, cur templa clauderentur, auctor est Dionysius Alexandrinus *apud Euseb. lib.* VII. *Hist. Cap.* XXII. *Cumque*, inquit, *ab omnibus fugaremur, atque opprimeremur, nihilominus tunc quoque festos dies egimus. Quivis locus, in quo varias ærumnas singillatim pertulimus, ager, inquam, solitudo, navis, stabulum, carcer, instar templi ad sacros conventus peragendos fuit.*

(2) Sacras ædes, quas Ecclesias appellamus, Bogomilii apud Euthymium *Parte* II. *Panopl. Tit.* XXIII. *Cap.* XVIII. Petrobusiani *apud Petrum Cluniacensem lib.* 1. *Epist.* 1. aliique, quos Cathari auctores sequuti sunt, per summam impudentiam, ac scelus maximum improbaverunt. His non injuria accenseri posse videntur Lutherus *in Evang. Dominic.* 1. *Advent.* Calvinus *lib.* III. *Instit. Cap.* XX. §. XXX. & Centuriatores Magdeburgenses *Cent.* VII. *Cap.* VI. Consulendus Jodocus Coccius *Thesaur. Cathol. Tom.* II. §. III. *Act.* V.

(3) S. Thomas II. II. *Quæst.* LXXXIV. *Art.* III. *Determinatus*, inquit, *locus eligitur ad orandum, non propter Deum, qui adoratur, quasi loco concludatur, sed propter ipsos adorantes; & hoc triplici ratione &c.* Consulitor.

mei, domum negotiationis. Ecce, quod Dominus approbat Basilicam, idest materialem domum orationis; tu autem detestaris: quare? Nisi quia Antichristus es. Quod autem de domo materiali, idest de templo Salomonis istud intelligatur, ostensum est ex 6. cap. 2. partis hujus operis in 2. parte circa finem (4). Ad illud, quod dictum est, quod Dominus non habitat in templis manufactis; dico, quod nec nos illas domos ei facimus, ut ibi habitet, sed ut ibi decentius colatur, ut habetur 3. Regum 8. v. 27. & 2. Paralip. cap. 2. v. 6.

§. II.

De Altaribus.

SIcut autem de domo materiali nituntur Ecclesiam Domini diffamare, ita etiam de Altari (5). Sed nonne honestius est habere proprium locum deputatum ad servitium Domini, quam sedem aliquam communem? Ecce nos Evangelium Christi in Altari cooperto, & ornato ponimus, quando nostrum servitium Deo facimus; ipsi (6) autem sedem aliquam, ubi prius sua posteriora posuerunt, panno aliquo operiunt, & deinde Evangelium Christi superponunt, quando suum servitium duodecies in anno non Deo, sed Diabolo faciunt, vel si sedem non accipiunt, discum sumunt, (7) & postea ibi Evangelium Dei cibum mentis reponunt. Sed quæ conventio Christi ad Belial? Nulla; teste Apostolo 2. Corinth. 6. v. 15. Dicamus ergo, quod Dominus eo, quod domum orationis est zelatus, ut præostensum est, juxta illud Psalm. 68. v. 10. *Zelus domus tuæ comedit me*; ita etiam zelatus est altare; unde sibi altare præcepit fieri materiale; vis videre sic esse ut dico? Legimus Matth. 23. v. 16. Quod Dominus dixit Judæis: *Væ vobis duces cæci qui dicitis: Quicunque juraverit per templum, nihil est: qui autem juraverit in auro templi, debet. &c.* v. 19. *Quid enim majus est, donum, an altare, quod sanctificat donum?* Constat autem, quod de templo, & de altari, & de domo materiali loquebatur; de illis enim Scribæ, & Pharisæi dicebant: *Quicunque juraverit &c.*

Objiciunt etiam nobis hæretici de altari dicentes, quod si Deus Veteris Testamenti Deus sanctus est, nos venimus contra Dei præceptum, ipse enim dixit, quod non fieret altare de sectis lapidibus, sed de terra.

Præterea dicunt, quod non ascendimus Dei altare contra præceptum ejusdem Domini; ut dicitur Exodi 20. v. 24. & seq.

Solutio: Testimonio Apostoli ad Rom. 7. v. 14. patet, quod lex spiritualis est. Item 1. Corinth. 10. v. 11. Dicit idem Apostolus, quod omnia in figura contingebant illis. Verum est, quod ad literam illud Judæi observare tenebantur: nos autem spiritualiter altare de terra facimus, quando Christum carnem materialem de Adam, qui de limo terræ secundum corpus formatus est, assumpsisse credimus, quod hæreticus non facit: Hoc est illud altare, de quo ad Hebr. 13. v. 10. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt*; (8) isti sunt Judæi, qui umbris, & figuris tabernaculi vel templi adhuc intendunt contempto Christo, qui dicitur altare, quia figurabatur per illud altare, sicut dicitur Agnus, quia per ipsum figurabatur. Dicitur autem illud altare, id est Christus fieri a nobis, non quoad essentiam ejus, sed quoad credere; sicut etiam dicitur habitare in cordibus fidelium non per essentiam, sed per fidem, ad Eph. 3. v. 17. Altare de sectis lapidibus faciunt hæretici, (9) ipsi enim sunt lapides secti, idest sequestrati ab Ecclesia Sancta Dei, ipsi sunt altare, idest congeries lapidum materialium. Ipsi etiam ad altare, idest ad Christum accedunt per gradus, quia credunt Spiritum Sanctum minorem eo, & ipsum esse in divinitate minorem Patre, quod improbatum est in tertia parte hujus operis.

§. III.

De nomine Ecclesiæ.

TErtio impugnant hæretici isti Sanctam Ecclesiam de nomine, quia dicunt quod male dicimus domum materialem Ecclesiam. (10)

So-

(4) Similia his opponebant Catholicis Bogomilii apud Euthymium loco superius laudato: *Neque enim*, ajebant, *in manufactis templis altissimus habitat, cum cœlum sit ejus domicilium*.

(5) Paria de Altaribus habent Contra Albigenses Pilicdorfius *Cap.* XXIV. *Tom.* XXVI. *Bibl. PP.* & Ermengaudus *Cap.* IX. *Tom.* XXIV. *Bibl PP.*

(6) Nempe Cathari. Suam hi Eucharistiam, seu cibum, quem tum sumebant, servitium appellabant.

(7) Post τὸ *discum sumunt*: addit Codex Vaticanus: *Ubi cibum corporis a diabolo, ut credunt creatum, vel factum sumunt*. Hinc constat quid *servitii* nomine sibi Cathari vellent.

(8) Altaris nomine hoc ipsum, quod in Ecclesia obtinet altare Paulum intellexisse putant Theologi magni nominis, qui contra hæreticos hujusce temporis commentarios ediderunt. Altare autem Christianorum agnovisse Patres, qui Apostolorum ætatem proxime attigerunt perspecta res est. Ignatius, qui Johannem audivit in suis Epistolis, atque in ea præsertim, quæ est ad Philadelphenos: *Una enim caro Domini*, inquit, ... *& unus calix in unionem sanguinis ipsius, unum altare, & unus Episcopus &c.* S. Justinus Martyr *in* II. *Apologia* diserte testatur oblationem Eucharistiæ sua ætate obtinuisse; oblatio autem nulla est sacrificii, ni simul una detur altare. Jam vero Sanctus Irenæus *Lib.* VII. *Cap.* XXXIV. *Sic & ideo*, inquit de Sacrificio novæ legis disserens, *offerre vult munus ad altare frequenter sine intermissione*. Irenæus autem institutus a Polycarpo fuit, Iohannis item Auditore. Viderunt hæc Hæretici Angli nonnulli ex ea secta, quam Episcopalium vocant, præsertimque Grabbius in hunc Irenæi locum, quæ suorum, qui veritatem percipere nolunt, in se iram, atque impetum concitaverunt. Verum nemo tam claræ, tamque perspicuæ rei tenebras potest obducere. Mitto Patres sequioris ævi. Nam de horum sententia nulla est apud eruditos heterodoxos concertatio.

(9) Nullum habebant altare Cathari. Alioqui cur tandem nobis vitio dedissent, quod altaria consecremus. Itaque hæc μυστικῶς a Moneta dicuntur, ἀλληγορικῶς, non autem κατὰ λέξιν. Catharis præiverant Petrobrusiani. Vide Petrum Cluniacensem *Contra Petrobr. Tom.* XXII. *Bibl. PP. Edit. Lugdun. pag.* 1048. *seqq.*

(10) Injuria id quidem. Nam Apostolus quoque *in* I. *ad Corinthios Cap.* XI. locum in quem congregari fideles consueverant, Ecclesiam appellavit. Animadvertit hoc Augustinus *Quæst.* LI. *in Leviticum*: *Quærendo*, inquit, *etiam locutiones per id quod continet id quod continetur &c. Sicut Ecclesia dicitur locus, quo Ecclesia congregatur. Nam Ecclesia homines sunt, de quibus dicitur, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam. Hanc tamen vocari etiam ipsam domum orationum idem Apostolus Paulus testis est, ubi ait.* Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis? *Et hoc quotidianus loquendi usus obtinuit &c.*

Solutio: Ecclesia dicitur dupliciter, vel congregatio fidelium constans ad minus ex Episcopo, Presbytero, Diacono, & Subdiacono; vel domus materialis in qua conveniunt. Quid enim mirum, vel inconveniens, si domus ista Ecclesia dicitur; nonne videmus quod templum Dei dicitur domus materialis Matth. 21. v. 12. *Et intravit Jesus in templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes, & ementes in templo*; sicut etiam ipsi fideles dicuntur templum Dei 2. Corinth. 6. v. 16. *Vos enim estis templum Dei vivi*. Dicitur ergo templum Dei tam continens, quam contentum.

Præterea, legitur 1. cap. Threnorum Jeremiæ v. 10. *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus: quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum*, scilicet templum, *de quibus præceperas ne intrarent in Ecclesiam tuam*. Istud non potest intelligi de Ecclesia, idest Synagoga Judæorum, ut patet in Proselytis, qui fiebant de Synagoga ipsorum; intelligitur ergo de templo Salomonis, in quo vidit gentes ingressas; ergo domus materialis dicitur Ecclesia. Item 1. Corinth. 11. v. 18. dicit Apostolus: *Primum quidem convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos*. His verbis Apostoli videtur, quod ipsi aliud sint quam Ecclesia, cum dicatur convenientibus vobis in Ecclesiam. Aliud ergo est coadunatio, aliud Ecclesia hic; & ita Ecclesia utitur pro materiali domo, de qua subdit v. 22. *Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? Aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent?*

Præterea, isti mali erant, quia non erat eis Dominicam cœnam manducare, ut dicitur eodem cap. v. 20. Ergo cum mali non sint intra Ecclesiam, spiritualiter non conveniunt in ea, ergo si conveniunt in Ecclesia, conveniunt in materiali Ecclesia, ergo Ecclesia secundum Apostolum venit pro materiali domo.

§. IV.

De Missa.

QUarto impugnant hæretici Ecclesiam de Missa in domo materiali celebrata, nusquam enim invenitur, quod Apostoli Missam aliquam celebrarent.

Præterea, istud ministerium vocat Apostolus Corinth. 11. v. 20. Dominicam Cœnam; sed Ecclesia Romana suum ministerium, quoad similitudinem illius Dominicæ Cœnæ se facere dicit, vocat Missam; unde habet hoc nomen? Nunquid illud somniavit?

Solutio: Ad primum dicimus, quod istud falsum (11) est, quod hæreticus dixit, scilicet quod Apostoli non celebrarent Missam; imo celebraverunt Missam quandocunque corpus, & sanguinem Domini consecraverunt, secundum, quod determinat Paulus 1. Corinth. 11. v. 23. & seq. Si autem dicis mihi, unde habet Ecclesia Romana hoc nomen (12) *Missa*, nunquid illud somniavit? Dico quod non, sed a Spiritu Sancto habuit, qui dicit Ecclesiæ suæ Matth. 10. v. 20. *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*. Nunquid Ecclesia Dei aliquod nomen novum posset invenire, nunquid decretum novum facere? Utique, ut ostensum est supra capite primo. Nonne vides quod dicitur Actor. 11. v. 26. quod discipuli primum cognominati sunt Antiochiæ Christiani? Unde & Petrus utitur illo nomine in prima Epistola cap. 4. v. 16. Licet igitur Ecclesiæ Dei novo uti nomine, & sicut discipuli dicti sunt Christiani a Christo, ita etiam ministerium istud dicit Missa a misso, idest Christo, qui ait Lucæ 4. v. 43. *Quia & aliis civitatibus oportet me Evangelizare regnum Dei; quia ideo missus sum*. Cumque enim panis consecratur, a Patre ad nos mittitur, ut probatum est in quarta parte hujus operis in capite de Sacramento corporis, & sanguinis Domini. Item post ejus assumptionem ad Patrem eum mittimus, ut intercessorem pro nobis; unde & populo dicimus, ite Missa est, ite scilicet post hostiam illam, idest Christum in mente, & imitatione, quæ ad Patrem Missa est pro vestra intercessione.

Adhuc obijciunt de tempore, quia Dominus vesperi fecit suum ministerium, ut dicitur Matth. 26. v. 20. vel nocte, ratione scilicet partis, ut dicit Apostolus 1. Corinth. 11. v. 23. *Quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem &c.* E contrario Ecclesia Romana non facit illud in nocte, nisi in nocte Nativitatis.

Solutio: O miser hæretice, qui non veritatem quærere, sed solum blasphemare sanctam Dei Ecclesiam intendis; Nunquid tu illud ministerium fractionis panis, quod ad illius similitudinem falso te dicis facere, in die non facis, & circa horam tertiam diei, & circa nonam? Nunquid te Christo contrarium dices, quia Christus illud ministerium in nocte, aut in vespere fecit? Ex ore tuo te judico, in quo enim alium accusas te ipsum condemnas. Sciendum etiam, quod Dominus noster non in nocte, sed in vespere illud fecit; sed dicitur in nocte fecisse propter vesperam, in qua fecit, quæ erat initium illius noctis. Non mirum igitur, si Ecclesia Romana instituit, quod non in nocte, sed in die fieret illud ministerium excepta nocte Nativitatis Christi, in qua celebrat ad honorem æternæ nativitatis, qua Deus ex Deo natus est, ideo autem in nocte, in signum quod illa nativitas obscura est nobis nunc.

De

(11) Apostolos Missam celebrasse satis certum est. Quandonam autem cœperit Sacri mysterii usus, non constat. Vero est quam simillimum, solum post Pentecostem Apostolos sacram rem fecisse, quod ante illud tempus nondum satis promulgata fuisset lex Evangelica. *Consule Cardinalem Bonam Rer. Liturg. Lib.* I. *Cap.* V.

(12) Non placet novis hæreticis hoc vocabulum, ut ut vetus, quemadmodum ne Catharis quidem placebat. Nempe digni Magistris tantis discipuli esse volunt. Fuerunt, qui Hebraicam vocem hanc esse pugnarent. Arrisit hæc Reuchlino sententia. Verum Latina est; quod fuse ostendunt Bellarminus *Lib.* v. *De Eucharistia Cap.* I. Cardinalis Bona *Lib.* I. *Cap.* I. *Rerum Liturg.* Le Brunius *Lib.* I. *Cerem. Missæ Cap.* I. *&* alii.

§. V.

De Sacris Vestibus.

IMpugnant etiam hæretici Ecclesiam (13) de vestibus, quoniam Christus Jesus in propriis vestimentis fecit illud ministerium; Ecclesia autem Romana instituit, quod in aliis particularibus vestibus fiat a Sacerdotibus suis.

Solutio: Etsi Christus tantum in propriis vestibus fecit illud, non tamen prohibuit, quin fieret in particularibus. Constituit autem Ecclesia, quod in quibusdam vestibus fieret non ad ostentationem, & gloriam inanem, sed in signum qualis debeat esse, qui vult illud ministerium celebrare digne; unaquæque enim illarum vestium significat virtutem aliquam necessariam Sacerdoti, qui vult illi ministerio se exhibere digne. Similiter dico de Pontificalibus ornamentis, scilicet de Mitra, annulo, & virga pastorali, auro, & gemmis.

Præterea ad decorem domus Domini, & honestatem; sicut David in spiritu dixit Psalm. 25. v. 8. *Domine dilexi decorem Domus tuæ*; Et tu si decorem domus Dei diligeres non blasphemares munditiam, & nitorem vestium, quibus Ecclesia Dei utitur in hoc ministerio. Quod autem dicit hæreticus, Christi discipulos non esse usos talibus, hoc non possunt ostendere.

Præterea, & si ipsi usi non sunt, sicut ipsi aliqua decreverunt tempore suo, ita successores aliqua suo tempore possunt ordinare, dummodo non inveniantur prohibita. Quod autem dicit hæreticus, nos esse successores Scribarum, a quibus Dominus dixit esse cavendum Marci 12. v. 38. *Cavete a Scribis, qui volunt in stolis ambulare, & salutari in foro &c.* In hoc mentitus est; Quæ enim sint illæ stolæ determinat Dominus Matth. 23. v. 5. dicens: *Dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias*; Istud nos non facimus. Lege literam Matthæi & Marci, & videbis quod de eadem re penitus loquitur: phylacteria erant chartæ quibus scribebantur mandata decalogi a philaxe, quod est servare, & torax, quod est lex, & quasi ipso facto dicentes se legis observatores, cum tamen ipsi relinquerent Dei mandatum propter Traditiones suas.

Dicunt etiam hæretici, quod Christus super ligneam mensam illud ministerium fecerit, e contrario Ecclesia Romana super lapidem; & instituit, quod amplius non fieret super lignum.

Solutio: Etsi super ligneam Christus fecit, tamen lapideam non reprobavit. (14) Instituit autem Ecclesia, quod modo tantum super lapideam fieret, tum quia lapis firmior, & solidior est quam lignum, & hoc ut calix Domini ibi positus firmius maneret. Item in signum quod manducans, & bibens digne a petra Christo accipit firmitatem; panis enim Domini cor hominis confirmat; iste panis Eucharistia Græce dicitur, idest bona gratia, de qua dicit Apostolus ad Hebr. 13. v. 9. *Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis*; & subdit v. 10. *Habemus altare*, idest corpus, & sanguinem Domini consecratum in altari, *de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.*

§. VI.

De modo celebrandi.

ITem dicunt, quod Ecclesia Romana non in abscondito, nec in silentio, sed in publico, & cum tumultu canticum suum celebrat; illud Christus vero in abscondito fecit, scilicet in quodam cœnaculo, & non in tumultu, nec coram aliis, exceptis discipulis. Item Christus decenter suam faciem ad discipulos habuit, nec avertit eam ab illis, quando fecit cœnam cum discipulis suis; e contrario Sacerdos dorsum vertit ad homines. Item præcepit Christus, quod omnes inter se dividerent, & omnes ex eo biberent, ut habetur Lucæ 22. v. 17. Sacerdos autem Romanæ Ecclesiæ id non facit; imo nulli dividens solus totum manducat & bibit.

Ad primum objectum patebit solutio parum post. Ad secundum dico, quod sicut colligitur ex verbis Lucæ loco cit. Christus primo comedit pascha cum discipulis; unde & ait v. 15. *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar*; idest agnum paschalem, ut ostensum est in tertia parte hujus operis cap. 3. Postea v. 17. *Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite, & dividite inter vos*: Istud totum pertinebat ad ritum Judæorum, & ad antiquam solemnitatem, & erat cibus materialis, & potus similiter; non erat enim tunc ille calix sanguinis Domini contentivus; quod autem postea sequitur in Luca, ad corpus, & sanguinem Domini pertinet; unde & ait v. 19. *Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem.* (v. 20.) *Similiter & calicem postquam cœnavit, dicens: Hic est calix Novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Hic non dixit, dividite inter vos; unde contra mandatum Domini non venit Sacerdos, qui aliquando totum bibit, aliquando vero illud misterium in plures distribuit; prius autem dedit discipulis agnum figurativum, deinde agnum per ipsum figuratum, quia figura præcedebat figuratum.

Præterea, ut ostenderet, quod figura agni materialis

(13) Sacrarum Vestium usum, quæ in Divinis Mysteriis a Romana Ecclesia adhibentur, non Cathari solum, sed etiam sequioris ætatis hæretici execrati sunt ad summam impudentiam. At injuria. Nam vetustissimas esse probant Bellarminus *Lib.* VI. *De Eucharistia Cap.* XIV. Bona, Martenius, Meratus, Josephus Catalanus vir doctissimus *De Codice S. Evangelii Lib.* II. *Cap.* VII. & *in Prolegom. ad Pontificalem Roman. Cap.* VI. Consulat etiam Lector Auctorem Constitutionum Apostolicarum *Lib.* VIII. *Cap.* XII. & Thomasinum *Discipl. Parte* I. *Lib.* I. *Cap.* III. & Parte II. *Lib.* I. *Cap.* XXXIII.

(14) Lignea ne, an lapidea fuerint Ecclesiæ altaria primis Ecclesiæ Seculis, satis compertum non est, Utraque persequutionis tempore in usu fuisse putat Cardinalis Bona *Lib.* I. *Cap.* XX. pro rerum locorumque opportunitate. A quo autem constitutum, ut lapidea essent, a Silvestro ne, an ab alio Pontifice, incertum pariter, & obscurum. Adisis Bonam *loco mox indicato.*

rialis terminabatur ad ipſum. Ex quo etiam patet, quare diſcipulis poſt eſum cibi materialis dedit eſum corporis, & ſanguinis ſui, cum modo non detur niſi jejunis, niſi in articulo neceſſitatis; ceſſante enim cauſa, quare illud fecit Chriſtus, ceſſat effectus. Unde Apoſtolus arguit Corinthios, qui poſt ſuam cœnam materialem ad Dominicam accedebant, exprobans eis 1. Corinth. 11. v. 21. *Unuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum*. Quod autem dixiſti, quod Chriſtus decenter & honeſte illud miſterium fecit, non dorſum, ſed faciem vertens ad diſcipulos. Dico verum eſt: ſed quando ipſum corpus, & ſanguinem ſuum eis dedit, & ſic facit Sacerdos Romanus, quando dat ipſum populo. Verum eſt autem quod Sacerdos Romanus, quando ipſum corpus, & ſanguinem Domini ſumit, ſe ad Orientem vertit, & ſic ſumit, ut ſicut populus ad Orientem (15) verſus ipſum ſumebat, ita & ipſe Sacerdos faciebat attendens, quod David per Spiritum Sanctum ait Pſal. 67. v. 7. *Deus in loco Sancto ſuo: Deus qui inhabitare facit unius moris in domo. Sciens etiam quod oportet ad Orientem lucis adorare* ut habetur 16. Sapient. v. 28. De Chriſto autem, quod corpus ſuum & ſanguinem ſuum ſumeret verſus ad diſcipulos, vel ad Orientem nihil ſcriptum eſt: Utrunque ergo poteſt fieri ſine peccato.

§. VII.

De Canticis materialibus.

(16) IMpugnat etiam hæreticus Eccleſiam de Canticis materialibus cum dicat Apoſtolus ad Epheſ. 5. v. 19. *Cantantes & pſallentes in cordibus veſtris*. Et Matth. 6. v. 6. *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora patrem tuum in abſcondito, & pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi*.

Solutio: Apoſtolus monet cantare, & pſallere in cordibus, per hoc autem non excludit quin etiam voce ſit cantandum, & pſallendum, ſicut etiam manibus orandum eſt, ut dicit Apoſtolus 1. ad Timoth. 2. v. 8. *Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus, ſine ira, & diſceptatione*; *ſine ira*, ideſt ſine odio ad proximum, & ſine *diſceptatione*, ideſt ſine diffidentia ad Dominum. Jacobi 1. v. 6. *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans*; ergo cor, & os, & manus in oratione debent obſequio Domini exhiberi. Ad illud autem quod Chriſtus dicit. *Tu autem cum oraveris* &c. ſic Reſpondeo: quod ſi non habet cubiculum, nunquid propter hoc non orabit? vel ſi orabit, nunquid contra præceptum Domini veniet propter hoc? Abſit.

Præterea, quid ſi non clauſum fuerit oſtium, nunquid tunc erit peccatum orare?

Præterea, nunquid Apoſtolus peccavit, qui dixit loco ſupracit. *Volo ergo viros orare in omni loco*? Videtur quod ſic, quia videtur eſſe contrarius Domino.

Præterea Actor. 3. v. 1. Dicitur: *Petrus autem & Johannes aſcendebant in templum ad horam orationis Nonam.* Ubi patet quod etiam Nonam dicebant; ergo & Tertiam, & Sextam, & Primam, & Veſperas, implentes illud David Pſal. 54. v. 18. *Veſpere & mane*, ideſt Primam, *& meridie*, ideſt Sextam *orrabo, & annuntiabo laudem tuam*. Item Matutinam horam ſecundum David Pſalm. 118. v. 62. *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi*. Credibile etiam eſt, quod & Tertiam non omitterent, & Completorium; unde dixit Pſalm. eod. v. 164. *Septies in die laudem dixi tibi*. Et licet nos alia addamus ad orationem a Domino inſtitutam, ſcilicet Pater noſter, quæ Apoſtoli non reperiuntur dixiſſe; quid obeſt, cum ad laudem Dei fiat, & prohibitum non ſit, & Eccleſia alia conſtituere poſſit. Nunquid & Cathari non addunt ad Pater noſter ante & poſt? Utique faciunt.

[*] Objiciunt etiam illud Iſaiæ 1. v. 15. *Et cum extenderitis manus veſtras, avertam oculos meos a vobis: & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* Item illud Amos 5. v. 23. *Aufer a me tumultum carminum tuorum: & cantica lyræ tuæ non audiam.* Item 8. v. 10. *Et convertam feſtivitates veſtras in luctum, & omnia cantica veſtra in planctum*.

Solutio patet in Iſaia: Dominus comminabatur eis captivitatem, ut ibi habetur, niſi pœniterent de peccatis ſuis; ne autem credant, quod ad preces ſuas Dominus liberaret eos ſine pœnitentia, dicit illa verba; quomodo autem poſſint liberari, ſubdit v. 16. *Lavamini, mundi eſtote &c.* Idem dico ſuper verbum Amos. Item Actor. 16. v. 25. Dicitur: *Paulus & Silas orantes, laudabant Dominum, & audiebant eos qui in cuſtodia erant*. Item Pſalm. 141. v. 1. *Voce mea ad Dominum clamavi*. Item Pſal. 33. v. 1. *Semper laus ejus in ore meo.* [*]

Si autem dicas quomodo intelligitur illud: *Tu autem cum oraveris &c.* Dico, quod Dominus, ut oſtenſum eſt, non intendebat iſtud ad literam præcipere, ſed tantum inanem gloriam a ſuis Oratoribus removere. Non vides quod etiam dicit Matth. 6. v. 7. *Orantes autem nolite multum loqui*. Sed nunquid multum loqui in oratione prohibuit, qui factus in agonia prolixius oravit, & in oratione etiam per-

(15) Vetus hæc fuit Eccleſiæ conſuetudo, ut Benea Eccleſiarum ad Orientem ſolem ſpectaret. Eo autem vertebant ſe fideles, ut orarent. Traditio Eccleſiæ hæc fuit jam uſque ab Apoſtolorum ducta temporibus. Baſilius Magnus *Lib. De Spiritu Sancto Cap.* XXVII. *Ad Orientem converſos eſſe nos dum oramus*, Apoſtolica tantum Traditione conſtare affirmat. Adeundus Tertullianus *Lib. Adv. Valentinianos Cap.* III. *& in Apologetico Cap.* XVI. Eo autem id ſancitum fuerat, quod Orientem ſolem figuram Chriſti eſſe dicerent. *Orientem*, inquit Tertullianus, *Chriſti figuram*. Orientis enim vocabulo ſæpe Servator noſter intelligitur in Scripturis, ut apud Zachariam: *Ecce ego adducam ſervum meum Orientem*: & Paulo poſt: *Ecce vir: Oriens nomen ejus*. Videſis Lucam Tudenſem *Lib.* II. *Contra Albigenſes Cap.* XXIII. *per tot.*

(16) De cantus Eccleſiaſtici antiquitate conſulendi Cardinalis Baronius *ad an.* LX. Cardinalis Bona *in Tract. De Divina Pſalmodia Cap.* XVII. §. III. & Catalanus *in Proleg. ad Pontificale Romanum Cap.* IV. Plinius in Epiſtola ad Trajanum horis antelucanis in unum locum congregari ſolitos fuiſſe Chriſtianos prodit, & Carmen Chriſto tamquam Deo canere. Id autem qui feciſſent, niſi ab Apoſtolis, qui paulo ante exceſſerunt ex hac ad beatam, atque immortalem vitam, habuiſſent? Mitto cetera, quæ laudati Scriptores ſapienter exſequuti ſunt.

[*] Quæ duobus aſteriſcis complexi ſumus, deſunt e *Cod. Bonon.*

pernoctavit (ut legitur Lucæ 22. v. 43. & seq.? Non: sed sicut Ethnici faciunt (Matth. 6. v. 7.) id est ea intentione, qua Gentiles: & exponit eorum intentionem loco cit. v. 7. *Putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur*; quod non putamus, sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi.

§. VIII.

De Thurificatione.

IMpugnant etiam Ecclesiam de Thurificatione propter illud verbum Isaiæ 66. v. 3. *Qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo*; idest veneretur ipsum. Item Isaiæ 1. v. 13. *Incensum abominatio est mihi.*

Solutio: Isaias loquitur pro tempore adventus Christi, in quo tempore si fiat thurificatio, eo quod a lege præcipitur, abominatio est Domino, & sicut idololatria. Ecclesia autem non utitur thure, quia lex præcipit. Nonne vides, quia Paulus circumcidit Timotheum? Act. 16. v. 3. Et tamen dicit ad Galat. 5. v. 2. *Quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*. Item eodem loco v. 3. *Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ*. Verum est hoc si facit quia lex præcipit, eadem enim ratione debent facere omnia alia præcepta legis; sed propter hoc non fecit Paulus, nec Timotheus, imo propter scandalum vitandum. Quare ergo (17) Ecclesia non thurificabit ad Dei laudem, & hominis ædificationem, qui per illum odorem materialem elevatur ad contemplationem cœlestis & divini odoris, & amorem suavitatis ipsius?

Præterea Apocal. 8. v. 3. dicitur: *Et alius Angelus venit, & stetit ante altare habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa &c.* In figura Angeli facti facit Sacerdos Ecclesiæ thurificationem.

§. IX.

De differentia Consecrationis inter Græcos, & Ecclesiam Romanam.

ALio modo impugnant Dei Ecclesiam tum propter discordiam (18) inter Græcos, & Latinos, tum etiam propter hoc, quod sal non apponimus dicentes, nos facere contra duo Testamenta; Contra Vetus, ubi dicitur Levitici 2. v. 13. *Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies*. Item contra Novum, quia dicitur Marci 9. v. 48., *& omnis victima sale salietur*.

Solutio: Quid ad nos de Græcis? Ipsi enim hæretici sunt; (19) unica est consuetudo Latinorum, scilicet conficere de azymo, sicut etiam verisimile est Dominum confecisse, cum celebravit Pascha Judæorum Vespera 14. die mensis primi, in qua non licuit apud Judæos habere fermentum in domibus suis.

Præterea, diversa consuetudo non removet nos esse Christi, & Apostolorum ejus successores: Nunquid enim potes ostendere, Apostolos uniformiter azymo tantum, vel fermentato tantum usos fuisse? (20) Non.

Præterea, tu ipse illam fractionem panis, quam ad imitationem Christi te facere dicis, non ne faceres indifferenter de azymo, vel fermentato? Utique.

Ad secundum solutio: Quoniam quod ad sonum literæ in Veteri Testamento fieri jubetur cum lex spiritualis sit ut dicit Apostolus ad Rom. 7. v. 14., in Novo Testamento debet fieri spiritualiter, & hoc vult Marcus qui post illa verba ait v. 49. *Habete sal in vobis*. Item ad Colosens. 4. v. 6. *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sciatis, quomodo oporteat vos unicuique respondere*. Salis ergo nomine scientia designatur ad Rom. 12. v. 1. *Obsecro*

(17) Solemne fuit omnibus gentibus, ut ut barbaris, ut nullam rem sacram fieri sine thure censerent, vel sine alio suffimento, quod efflaret odorem. Videndus Cardinalis Bona *Rerum Liturg. Lib.* I. *Cap.* xxv. Præterea hic usus a tempore Apostolorum obtinuit in Ecclesia; *sed non eodem ritu, nec eodem habitu, nec eodem apparatu, quo agitur apud idola*, ut inquit Tertullianus *Lib. De Corona Militis Cap.* x. exemplo nempe Angeli Apocalypseos, atque ut thuris suffitus ad orationem excitet, rerumque cœlestium contemplationem. Magno etiam erat auxilio thus iis, atque levamini, qui primis seculis metu persequutionum in cryptis delitescebant, ut non inscite observat Claudius Du Vertius *De ritibus Miss.* quamvis non omnino ejus mihi probetur sententia.

(18) Hæretici hujusce temporis hoc eodem argumento vexant Romanam Ecclesiam. Censent enim dissensionem, quæ Græcos ab Latinis divisit, magno sibi præsidio esse posse. Ita fit, ut ejus Ecclesiæ patrocinium sibi adsciscant per summam injuriam. Nam Ottingerus, Claudius Minister de Charanton, aliique de Lutheranorum, & Calvinianorum grege, ut suos errores confirmarent, fidem Græcorum appellaverunt. Quin etiam suis artibus impetraverunt, ut Cyrillus Lucaris Pseudo-Patriarcha Constantinopolitanus ad Calvinianismum accederet. Verum Synodis Græcorum Schismaticorum, & variis Conventibus, damnata fuit Cyrilli doctrina, & adserta fides Catholica, demtis tamen iis fidei articulis, quæ ad Spiritus Sancti processionem a Filio, ad Visionem Beatam, atque ad Primatum Pontificis Romani pertinent, in quibus Græci errant, deficiuntque a Veteris Ecclesiæ consensione. Consulendi Leo Allatius *Lib. De Consens. Eccles. Orient. & Occident. & Lib. Contra Ottinger.* Renaudot. in *Auctar. Perpetuit. Fidei.* Helladius *De Statu Præsent. Ecclesiæ Græcæ.* Josephus Angelus *De Stat. Eccl. Græc. &c.*

(19) Nempe non æque curamus, quid Græci agant, cum ab Ecclesiæ communione sejuncti sint. Ceterum non carpit, neque damnat Moneta Græcorum usum, quo fit, ut fermentatum panem consecrent. Etsi enim vero sit per quam simillimum a Christo panem azymum fuisse consecratum, non tamen inde sequitur, Græcorum consuetudinem esse taxandam, quæ ab Romani Pontificibus probata est, & a Synodis Oecumenicis. Nam *Leo IX.* Etsi Michaelis Cerullarii & Leonis Avidani errorem reprobavit, qui azymum panem adhiberi in sacrificio non posse jactabant, numquam tamen in fermentato consecrari fas esse Græcis negavit. *Vide Leon. IX. Epist.* I. *Cap.* v. *col.* 1322. *& Epist.* v. *col.* 1349. *Tom.* xi. *Concil. Edit. Venetæ.* Immo vero Synodus Florentina, ut alia documenta prætercam in *Decreto Unionis Græcor. col.* 526. *Tom.* xviii. *Concil. Edit. Venetæ statuit: In azymo, sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque, scilicet juxta Ecclesiæ suæ sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem. Adisis Epist. Michaelis Palæologi Imperatoris ad Gregorium X. col.* 509. *seq. Tom.* xiv. *Concil. Edit. Venetæ*, & quæ in *Cons. Eccl. Orient. & Occid.* collegit in hanc rem Allatius.

(20) Pulcre id quidem. Videndi Sirmondus, Cardinalis Bona, Ciampinus, & Mabillonius de *Azymo, & Fermentato*, qui de hac re fuse disputarunt. Etsi enim Mabillonius semper azyma in latina Ecclesia adhibita fuisse affirmet, cui adsentitur Ciampinus; Bona tamen promiscue azymorum, & fermenti olim usum viguisse defendit. Nam Sirmondus, qui fermentum tantummodo usurpatum dixit, magnis in erratis, mea quidem sententia versatur.

itaque vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, Sanctam, Deo placentem; & subdit de sale: *rationabile obsequium vestrum*. Unde Marcus dicit: *& omnis victima sale salietur*; prædixerat autem eodem vers. *Omnis enim igne salietur*, ignis, quia lucet, sapientiam significat; vel ideo hoc dicit, ut notet, quod si quis vult esse victima Dei oportet, quod in ipso sint duo, scilicet peccati, & pravæ delectationis consumptio, & sapor cœlestis, & divinæ conversationis: in igne consumptio, in sale sapor notatur. Igitur si in sacrificio altaris sal non ponimus, contra Marcum non venimus, quia de illo sale non intelligit, nec contra Vetus Testamentum, quod figura fuit Novi. Sal enim materiale, quo utebantur antiqui, figurabat sal spirituale, de quo prædiximus modo Marcum & Apostolum loqui.

Ad ultimum dico, quod nos illud observamus, quod Dominus ait: *Hoc facite in meam commemorationem* 1. Corinth. 11. v. 24. Et subdit Apostol. in commemorationem cujus rei, scilicet mortis ejus v. 26. *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*. Et verbis ejus, & manuum (21) extensione in modum Crucis, & calice Domini sepulturam consignante, & patena significante lapidem superpositum, & corporalibus pannis significantibus sindonem mundam, in qua involutum fuit corpus Jesu mortem Domini annunciamus. Tu autem Cathare nec verbis, nec aliquo modo annuntias ejus mortem in fractione panis quam facis, sicut patet scientibus totam orationem, qua benedicis, vel benedicere ostendis panem illum; ergo tu non imitaris Christum in Cœna sua frangentem panem, sed Ecclesia Romana. Sic ergo tu non es successor Christi, sed ego.

§. X.

De Imaginibus & Cruce.

NOn solum autem in prædictis impugnant Ecclesiam, sed etiam in picturis, & imaginibus dicentes, quod nos sumus Idololatræ, qui (22) imagines adoramus, istud autem objiciunt nobis & Judæi, & Cathari, & Valdenses.

Solutio: Exodi 16. v. 32. legitur quod Dominus præcepit Moysi, quod de Manna impleret gomor & quod custodiretur in singulas retro generationes. Item filii Israel conservaverunt serpentem æneum, quem fecerat Moyses ex mandato Domini Numer. 21. v. 8. & seq. servaverunt autem ipsum usque ad tempus Ezechiæ, ut habetur 4. Regum 18. v. 4. Si ista licuit servare, quare non licebit servare imaginem Crucifixi?

Si dicat, quod illa non fuerunt servata ad adorandum.

Nec imago Crucifixi, sed ad recolendum summum beneficium Dei, sicut illa fuerunt servata ob memoriam beneficiorum Domini. Quare ergo non faciemus imagines, & figuras depictas ob memoriam? ego video, quod præceptum fuit filiis Israel, quod non facerent sculptile aut aliquam similitudinem Exodi 20. v. 4. & tamen Moyses postea de mandato Domini fecit duos Cherubim aureos atque ductiles, ut dic. Exod. 37. v. 7. Fecit ergo aliquam similitudinem eorum quæ sunt in Cœlo desuper, & tamen non venit contra mandatum Domini. [*] etiam sculpsit imagines, & Cherubim in tabulis æreis, & non contra præceptum, dic mihi quare? quia non adorandum! De hoc autem dictum est 6. cap. 2. part. hujus operis in 2. part. cap. & in 2. radice. [*] Fecit autem duos Cherubim in figuram duorum generum hominum, scilicet antiquorum, & modernorum, inter utrosque enim fuerunt aliqui pleni scientia Dei, idest fide ejus. Unde 2. Corinth. 4. v. 13. *Habentes autem eundem spiritum fidei*. Similiter dico, quod & ego picturas & imagines, & hujusmodi in Ecclesia habeo tantum ad memoriam, non ad adorandum (23) eas. Ista possunt dici Judæis, & Valdensibus; sed Catharis non nisi ex parte; illa enim testimonia Veteris Testamenti non recipiunt; hoc autem possumus dicere eis, quod non venimus contra illud præceptum, quod legitur Matth. 4. v. 10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*, quia illas imagines non adoramus, nec servimus eis. Si autem dicat hæreticus,

(21) De his ceterisque Missæ ceremoniis earumque significationibus fuse disserunt Eruditi viri *Le Brunius*, *Bona*, & alii Rerum Liturgicarum Scrutatores. Quod autem adjungit Moneta non esse Catharos imitatores Christi, qui hoc genus Ceremoniarum non adhiberent, verum est. Etsi enim ad necessitatem Sacrificii illæ non spectent; is tamen qui eas negligit, ut refractarius, & iniquus, atque rebellis repellatur oportet.

(22) Judæi imaginum Sacrarum venerationem, ut idololatricam respuunt in Thalmud *Ord.* II. *Tract.* I. *Dist.* II. Quin etiam apud Leontium *in Dialogis* Judæus vitio dat Christiano, quod imagines Sanctorum colat. Adisis VII. *Synod. Act.* V. Sunt qui Marcionitas in eodem errore versatos fuisse putent, affirmentque Tarasium Patriarcham *Action.* III. *Synodi* II. *Nicænæ col.* 311. *& seqq.* *Tom.* VIII. *Concil* sibi esse præsidio. Verum inde colligi nequit, quidquid censeat Vasquezius in III. *P. S. Thomæ Disp.* CXI. *Cap.* I. Marcionitas Iconomachis præivisse, Sanctorum imagines rejiciendo; sed Simonem, Marcionem, &c. hæreticis prælusisse. Verba Tarasii sunt: *ϗ ἀσπάζομαι τὰς αὐτῶν εἰκόνας· ϗ πᾶσαν αἱρετικὴν ἐρεσχελίαν βδελλύσσομαι; ϗ τοὺς αὐτῶν ἡγήτορας τε ϗ προβολέας, λέγω δὴ Σίμωνα, Μαρκίωνα. Saluto eorum imagines, & omnem hæreticam contentionem abominor, & eorum ductores, & primores, Simonem videlicet, Marcionem &c.* Neque vero ullum extat monumentum vetus, quod suadeat Manetem, ejusque sectatores, qui III. IV. V. seculo Ecclesiam infestarunt, sacris imaginibus iniquos fuisse, velut sibi Sanderus, & Cardinalis Capisuccus persuaserunt; quamvis ex eorum, qui seculo IX. vixerunt, quique Pauliciani appellati sunt, dicendi sentiendique ratione, perisimile videatur esse primis quoque Manichæis, ut qui materiæ essent infesti, cultum imaginum minime placuisse. Ut ut tamen se se res habeat: VII. Seculo Iconomachi, atque VIII. quoque, ut ex *Synodo* VII. plane constat, IX. autem Pauliciani sacris imaginibus, imprimisque Cruci bellum intentarunt, veluti memoriæ tradiderunt Petrus Siculus in *Historia Paulicianorum*, Photius *Libro* I. *Contra Manichæos*, Euthymius in *Panoplia Parte* II. *Tit.* XX. Colligiturque ex ea Fidei professione, quam Manichæi sequiorum temporum edebant, cum Catholicæ Religioni dabant nomen, quæque vulgata fuit a Cotelerio *Tom.* I. *PP. Apostolicor.* & a doctissimo Tollio *In Itiner. Italic.* Bogomilii deinde Cruci infesti fuerunt, teste Euthymio in *Panopl. Parte* II. *Tit.* XXIII. *Cap.* XXIV. Ceteros autem hæreticos, qui imagines rejecerunt, quique etiamnum rejiciunt numerat Bellarminus *Lib.* II. *De Reliquiis Sanctor. Cap.* VI. *Tom.* II. *Controv.* quem adire poterit Lector. Ergo Lutherani, & Calviniani, qui nobis vitio dant, quasi colendo Sanctorum imagines idololatræ simus, Paulicianos, Bogomilios, Catharosque auctores habeant necesse est.

[*] Quæ duobus asteriscis comprehendimus desunt e *Cod. Bonon.*

(23) Quo sensu dicat noster picturas, & imagines in Ecclesia servari

ticus, imo tu adoras Crucem, & dicis: *Tuam Crucem adoramus Domine*. Respondeo, quoniam adorare idem est, quod petere aliquid ab eo qui adoratur, sic non adoramus Crucem. Item adorare idest venerari, sive honorare, & sic adoramus Crucem. Nonne dicit David Psalm. 98. v. 5. *Et adorate scabellum pedum ejus: quoniam Sanctum est*; sic igitur aliquid præter Dominum adoratur in prædicto sensu. Item Psal. 137. v. 1. *Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo*.

Contra autem hoc opponit (24), & dicit, quod ignominiam Christi adoramus, & ejus ignominiam nostræ fronti imprimimus; dicit enim nobis, si Pater vester suspensus esset in aliquo patibulo, ipsum patibulum abominaremini, & non honoraretis illud; ex hoc arguit quasi a simili, quod nos crucem Christi abominari debemus,

Solutio: Crux Christi ejus ignominia fuit, sicut enim in Cruce habuit inopiam, & molestiam, ita etiam ignominiam; & tamen sicut illius inopia, teste Apostolo 2. Corinth. 8. v. 9. divites facti sumus, ita etiam ejus ignominia nostra gloria est, sive honor, & sicut sua mors nostra vita est 1. Petri 2. v. 24. *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum; ut peccatis mortui, justitiæ vivamus*; Et sicut ejus livor nostra sanitas, ibid. *Cujus livore sanati estis*, sic ejus ignominia sumus glorificati. Vis videre quod dico? Dicit Apostolus ad Galat. 6. v. 14. *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus Crucifixus est, & ego mundo*. Dixi, quod ejus (25) ignominia fuit crux, hoc autem dixi quantum ad infideles & hæreticos quorum opinione ignominia, & stultitia fuit crucifigi; sed quantum ad fideles habentes oculos illuminatos, ipsa Crux gloria, & sapientia, & virtus fuit. 1. Cor. 1. v. 18. *Verbum enim Crucis pereuntibus quidem stultitia est: iis autem, qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est*; & iterum v. 27. *Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*; Crux enim Dei, quæ infirmum & stultum facit apparere Dominum nostrum est salus totius mundi, & victoria Diaboli, quod omnes homines sapientia, & fortitudine sua facere non possunt; unde eodem cap. v. 23. dicitur; *Nos autem prædicamus Christum Crucifixum: judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam* (v. 24.) *Ipsis autem vocatis Judæis, atque Græcis, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam*. Et ideo Crucis (26) signaculum non erubescimus, sed nostræ fronti imprimimus dicentes cum Paulo ad Roman. 1. v. 16. *Non enim erubesco Evangelium*, idest mortem Christi, & Crucem ejus Evangelizare, & frontibus etiam imprimere. *Virtus enim Dei est in salutem omni credenti*: propter quod & David in spiritu hoc prævidens futurum ait Psal. 4. v. 7. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*; vultus Dei Patris dicitur filius, quia in eo videtur voluntas ejus, & amor ad nos; lumen ipsius dicitur Crux, quia fides Crucis Christi illuminat credentes in eum.

Item Ap. 7. v. 2. & 3. Angelus ascendens ab ortu Solis clamat quatuor Angelis. *Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum*.

Item cap. 9. v. 4. *Et præceptum est locustis, ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem: nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis*.

Item Matth. 24. v. 30. *Tunc*, idest in die judicii, *parebit signum filii hominis in cœlo*. Apparebit autem ad terrorem Crucifixorum, qui tunc videbunt, quem pupugerunt. Item ad gloriam bonorum, & humilitatem, qui exemplo illius qui semetipsum exinanivit formam servi accipiens, factus obediens Patri usque ad mortem, mortem autem Crucis; humiliabuntur ei gratias agentes, & gloriabuntur in Cruce, tanquam in vexillo salutis nostræ.

[*] Ad illud etiam quod blasphemando dixit hæreticus, si Pater vester &c. Respondeo: Imo si aliquod patibulum esset, in quo Pater meus suspensus esset, per quod tot, & tanta bona recepissem, quot, & quanta bona recepi per Crucem, illud signum, illud patibulum mirabiliter honorarem, non odirem, non abominarer. [*]

Objicis illud Apoc. 13. v. 16. *Et faciet omnes pusillos & magnos, & divites, & pauperes, & liberos & servos habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis* [v. 17.] *Et ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus*.

Solutio: in primo capite partis hujus patet quid per bestiam designetur (27), & quoniam per bestiam falso intelligunt Ecclesiam Romanam, unde patet signaculum Crucis, quod nostris frontibus imprimitur, non esse characterem bestiæ, sed illud de

servari tantum ad memoriam, non vero ad *adorandum eas*, explicat paullo infra duplicem adorationem distinguens, eam scilicet, quæ absoluta a Theologis appellatur, propterea quod in *objecto* sistat, quasi ab ipso quidquam petatur, atque speretur, aliam respectivam, quæ in imaginis prototypon refertur, de qua re Theologi copiose disputant in III. *P. Summæ* Sanctæ Thomæ *Quæst.* XXV. *Art.* III. Et qui in *Dogmata Fidei* commentarios ediderunt.

(24) Hæc erat ratio, quæ inducebat Bogomilios, ut crucem negligerent. Audiendus Euthymius: *Parte* II. *Panopl. Tit.* XXIII. *Cap.* XIV. *Crucem*, inquit, *divinam despiciunt, quod in ea servator occiderit*. Sequebantur enim Paulicianos, qui, (teste Euthymio *Tit.* XX. ex Photio *Lib.* I. *contra Manichæos*) *veram Crucem*, ajebant, *lignum, & sceleratorum instrumentum supplicii execrationibus obnoxium, & idcirco non esse adorandum*. Consule Bellarminum *Lib.* II. *Cap.* XXVI. *de Reliq. & Imaginib. Sanctorum*. *Tom.* II. *Controv.*

(25) Eodem recidit responsum, quod adhibet Euthymius contra Bogomilios, quodque affert contra Paulicianos ex Johanne Damasceno *Tit.* XX. *pag.* 213. *Tom.* XIX. *Bibl. Patrum Edit. Lugdun.* Paria habent SS. Patres, quos *l. c. cap.* XXVIII. numerat Bellarminus.

(26) De Crucis signo fronti imprimendo veterem consuetudinem, & caussam indicatam a nostro, laudant Tertullianus *Lib. de Corona Militis cap.* III. Augustinus *Tract.* III. *In Johan.* Cyrillus Hierosolymitanus *Catech.* IV. Epiphanius *Hæresi* XXX. Chrysostomus *Homil.* XII. *In Priorem Epistolam ad Corinth.* aliique Patres, quos memorat Bellarminus l. c. *cap.* XXIX.

[*] Desunt hæc, quæ duobus asteriscis comprehendimus e *Codd. Bonon.*

(27) Etsi hæretici juniores Ecclesiam Romanam, per summam injuriam, Bestiam Apocalypseos esse pugnent; numquam tamen Crucis signum bestiæ signum esse putarunt. Quod si dicerent, nos tamen Ecclesiæ traditionem sequuti, facessere illos jubemus.

Nos Crucis invictæ signum, & confessio munit,
Armatque Deo mentem; non quærimus arma
Corporis.

S. Paulinus *Natali* VIII. *S. Felicis*.

de quo David ad Patrem ait Ps. 4. v. 7. *Lumen vultus tui*, idest filii, scilicet signaculum Crucis *signatum est super nos*, & dicitur lumen filii, quia in illo innotuit esse Dei filius, unde Johan.8. 2.28. *Cum exaltaveritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum, & a me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater hæc loquor*.

Item Matth. 27. v. 54. *Vere filius Dei erat iste*. (28)

CAPUT IX.

Agitur de illo mandato, Non assumes nomen Dei tui in vanum; & de juramento, & unde conantur hæretici probare non debere jurare.

Quædam prænotantur.

NUnc ad nonum Capitulum accedamus, & tractemus de hoc mandato, Non assumes nomen Dei tui in vanum; in vanum autem nomen Dei assumit qui falso jurat, vel pro nihilo Deum in se ipso, vel in creatura ad confirmationem sui sermonis testem inducendo. Ideo autem dixi in se vel in creatura, quia teste Domino Matth. 23. v. 22. *Et qui jurat in cœlo jurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum*, idest jurat per eum qui &c. Dupliciter potest intelligi. Primo sic, idest adducit Deum testem sub ista forma verborum, *per eum qui sedet super cœlum*, & hoc falsum est, vel idest adducit Deum in testem, & hoc verum est; Cœlum enim vel ejus creatura dicitur testis veritatis rei, quæ juratur non propter se, cum quantum in se est, non possit testari, sed propter Creatorem a quo habet esse suum. Cum quis falso jurat, ejus juratio est perversa; cum pro nihilo jurat, est juratio otiosa; utroque modo peccatum est jurare, quia, sic jurando, contemnitur Deus. Nonne Deum manifeste contemnit, qui eum in testem falsitatis scienter adducit? Utique. Similiter & qui ipsum inducit in testem alicujus veritatis inutiliter. Nonne diceres quod servus alicuius Regis ipsum contemneret, si eum testem suæ falsitatis esse vellet, vel etiam rei inutilis, atque vanæ? Ex his patet, quod jurare est Deum in testem inducere (1) ad suæ locutionis affirmationem. Sumitur etiam alio modo jurare, scilicet ad aliquid se oppignorare ad confirmationem locutionis suæ; Exemplum hujus habetur in Psal.7. v.5. ubi dicit David: *Si reddidi retribuentibus mihi mala: decidam merito ab inimicis meis inanis*. In primo modo jurandi adhibetur Deus testis; In secundo statuitur judex hominis falsum jurantis, propter hæc duo dicitur Jeremiæ 29. v. 23. *Ego sum judex & testis, dicit Dominus*; Utroque modo jurandi usus est Paulus in 2. Corinth. 1. v. 23. dicens: *Ego autem testem Deum invoco in animam meam, quod parcens vobis non veni ultra Corinthum*.

Multiplex autem invenitur forma jurandi; una, *per Deum sic est*, ista forma usus est Deus ad Abraham Genes. 22. v. 16. *Per memetipsum juravi dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo Unigenito propter me*. (v.17.) *Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum*.

Item Isaiæ 45. v. 23. *In memetipso juravi, egredietur de ore meo justitiæ verbum, & non revertetur*. In memetipso, idest per mem etipsum. Alia forma fuit, *vivit Dominus*; de ista forma habetur 1. Reg.20. v.3. *Quinimmo vivit Dominus, & vivit anima tua, quia uno tantum (ut ita dicam) gradu, ego, morsque dividimur*; Istam formam habuerunt antiqui ex verbo Domini Deuteron.32. v.40. *Levabo ad Cœlum manum meam, & dicam: Vivo in æternum*. (v.41.) *Si acuero ut fulgur gladium meum &c.* Tertia forma jurandi est qua usus est Apost. Rom. 1. v.9. *Testis enim mihi est Deus cui servio*.

Item Rom. 9. v. 1. *Testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu Sancto*.

Item 2. Corinth. 12. v. 19. *Coram Deo in Christo loquimur*; coram Deo, idest sciente & testante. Quarta forma jurandi est, in qua Deus testis non inducitur ut testis ejus quod dicitur, sed ultor falsitatis in dolo jurantis. Job. 31. v. 5. *Si ambulavi in vanitate, & festinavit in dolo pes meus* (v.6.) *appendat me in statera justa, & sciat Deus simplicitatem meam*. Ista forma usus est Dominus Isaiæ 14. v.25. *Juravit Dominus exercituum dicens: Si non ut putavi ita erit, & quomodo mente tractavi*. (26.) *Sic eveniet ut conteram Assyrium*; Supple non credatur mihi. Similiter Isaiæ 62. v. 8. *Juravit Dominus in dextera sua, & in brachio fortitudinis suæ, si dedero triticum tuum cibum ultra inimicis tuis &c.*

Sciendum autem, quod ad hoc ut juramentum sit tale, quale esse debet, tria sunt necessaria, scilicet justitia, veritas, & lima judicii; justitia necessaria est, justum enim idest licitum debet esse quod juratur; si enim

(28) Qui plura de Cultu Sanctorum imaginum, & Divinæ Crucis adoratione volet; legat ille quidem Dionysium Petavium *Tomo Extremo Theologicorum Dogmatum*, Clarissimi Trombellii Opus *de Cultu Sanctorum*, & Jacobi Gretseri *Libros de Cruce*.

(1) Instituit hanc disputationem Moneta contra Catharorum sectas omnes, quæ jurare licitum esse negabant. Vide Prolegomena, in quibus hunc ipsum Catharorum errorem ex Sachono retulimus. Peregrinus Priscianus, cujus verba allata in eisdem Prolegomenis sunt, hæc habet, dixisse Catharos affirmat, *Quod juramentum non debet fieri. A. B C.* In Synodo Constantiensi damnatus hic error Vvicleti est *Sessione* VIII. *Art.* 43. *Juramenta illicita sunt, quæ fiunt ad roborandos humanos contractus, & commercia civilia*. Hærent nunc in eodem luto, qui sunt de Secta Quackerorum & Anabaptistarum. Jurisjurandi autem definitio traditur a Scholasticis; estque hujusmodi: *Assumtio, seu imploratio divini testimonii ad aliquid confirmandum*. Duum generum est auctore S. Thoma II. II. *Quæst.* LXXXIX. *Art.* I. *ad* 3. *Arg.* Alterum *quidem est per simplicem contestationem; sicut cum aliquis dicit: Est mihi Deus testis, vel coram Deo loquor; vel per Deum; quod idem est*: aliud est *per execrationem &c.* Scio esse aliquos, qui non distinguant invocationem Dei in testem, ab imprecatione, seu execratione, qua sibi jurans, si fallat, imprecatur, ut sibi E. G. Deus iratus sit. Verum ex ea juramenti formula, quæ exstat in *Planti rudente*, atque ex aliis, quas Brissonius *in Opere de Formulis* recenset, plane constat unam ab alia distingui omnino oportere, si ulla est veterum latinorum in notionibus vocum statuendis auctoritas. Initio enim Gripus apud Plautum poscit, ut Labrax Venerem testem appellet, se daturum, si vidulum salvum investigaverit, Gripo eidem talentum magnum argenti: Deinde, roganti Gripo, *quod si fallis?* respondet Labrax sibi imprecans. Adi-sis Sigonium *Lib.* III. *De Republ. Atheniensium* quo loco refert jusjurandum, quo se obstringebant Heliastæ Atheniensium judices.

enim injustum esset, non liceret; veritas etiam necessaria est, verum enim debet esse quod juratur quoad conscientiam jurantis, debet enim scire esse ita sicut jurat, alioquin si tantum credit, non debet de conscientia, sed de credulitate jurare: judicium etiam necessarium est, ideft deliberatio discreta, ut non juret etiam quod verum sit & justum sive licitum, nisi propter suam necessitatem, aut proximi utilitatem.

PARS PRIMA.

§. I.

Unde probent hæretici juramentum esse illicitum.

HIs visis transeundum est ad aliud, & videndum utrum jurare sit licitum, aut non; Secundum autem viam istam dividimus hoc caput in duas partes. In prima respondebimus objectionibus hæreticorum, propter quas asserunt juramentum esse illicitum: In secunda autem parte ipsum licitum esse ostendemus.

Duabus auctoritatibus innituntur ad probandum suum propositum; una habetur (2) Matth. 5. v. 34. *Ego autem dico vobis non jurare omnino, neque per cœlum quia thronus Dei est.* (v. 35.) *neque per terram: quia scabellum est pedum ejus: neque per Jerosolymam: quia civitas est magni Regis* (v. 36.) *Neque per caput tuum juraveris: quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum.* (v. 37.) *Sit autem sermo vester, est, est: non, non: quod autem his abundantius est, a malo est.* Alia habetur Jacobi 5. v. 12. *Ante omnia autem fratres mei nolite jurare, neque per Cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque juramentum. Sit autem sermo vester, est, est: non, non: ut non sub judicio decidatis.* Tertiam etiam auctoritatem inducunt Leonistæ quæ habetur Sapien. 14. v. 31. *Non enim jurantium est virtus.*

His tribus auctoritatibus per ordinem & primo ei quæ habetur Matth. 5. Respondeo: Etiam hoc potest fieri duobus modis; primo (3) enim non potest fieri ibi punctum; *Ego autem dico vobis non jurare omnino*, & hoc vult hæreticus dicens: duo dicta erant Judæis, & unum prohibitum, scilicet non perjurabis; alterum vero concessum, scilicet reddes Deo juramenta tua, ideft per nomen Dei jurabis; per hoc autem quod ait: *Ego autem &c.* dicit quod Dominus prohibuit jurare per Deum. Cui dicendum, quod propter hoc non prohibetur universaliter omnis juratio per Deum, sed tantum aliqua; Nonne vides hæretice, quod quando dicit aliquis Dominus alicui de familia sua; ego dico tibi non facias hoc omnino, V. Gr. ne omnino bibas istum scyphum vini, & tamen vult quod idem aliquid bibat; similiter, ne aperias istud ostium omnino, & tamen vult, quod ex parte illud aperiat. Similiter cum dicit Dominus: *Ego autem dico vobis non jurare omnino*, non tollit omnem jurationem per Deum, sed tantum aliquam; aliquam vero jurationem per Deum concedit.

Præterea, aut tu vis sumere *omnino* pro penitus; ergo non jurare omnino, est non jurare penitus; hoc autem non est universale, sed particulare, quod probo per simile: Dicitur enim Levitici 5. v. 8. *Non penitus abrumpatur*, & loquitur de uno turture, aut uno pullo columbæ, qui offerebatur a Sacerdote in sacrificium; Sacerdos autem, ut ibi dicitur eod. vers. *retorquebit caput ejus ad pennulas, ita ut collo adhæreat, & non penitus abrumpatur.* (v. 9.) *Et asperget de sanguine ejus parietem altaris, quidquid autem reliquum fuerit, faciet distillare ad fundamentum ejus, quia pro peccato est.* Levitici 26. ubi loquitur de filiis Israel abjectis in captivitatem inimicorum, eo quod leges Domini despexerunt; & dicit Dominus v. 44. *Attamen etiam cum essent in terra hostili, non penitus abjeci eos*; & tamen alio modo objecerat eos. Et valent ista testimonia contra (4) Valdenses, qui Vetus Testamentum recipiunt.

Item 2. Paralip. 12. v. 12. *Nec deleti sunt penitus*; & tamen aliquo modo erant deleti. Et contra Catharos, qui ponunt duo principia potest induci, sicut & contra Valdenses illud Job. 30. v. 8. *Filii stultorum & ignobilium, & in terra penitus non parentes.* Tamen aliquo modo sibi apparebant, aliter non dixisset eis Job: *Filii stultorum &c.* Contra omnes hæreticos dicas, quod etiamsi esset penitus, tamen non propter hoc haberetur quod universaliter intelligeretur, sicut si dicam non bibas hoc penitus, & tamen volo, quod inde bibas, sed non totum. Si autem dicat, quod vult sumere secundum quod venit ab *omnis*; Dico ego, quod non venit universaliter, sicut cum dicitur: *Non omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitæ*, & tamen aliqui de eis erant Israelitæ; Unde Rom. 11. v. 1. dicit Apostolus: *Nam & ego Israelita sum.*

Item Johan. 1. v. 47. *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.* Similiter cum dicitur, quod non omnium est fides, & tamen aliquorum erat.

Contra hoc autem inducet illud, quod habetur Levitici 21. v. 2. ubi minoribus Sacerdotibus filiis Aaron prohibetur interesse funeribus, aliquibus exceptis, scilicet Patre, & Matre, filio, & filia, fratre, & sorore virgine nondum nupta, sed ex toto prohibetur Summo Pontifici interesse alicui funeri; unde v. 11. dicitur: *Pontifex* ideft Summus Sacerdos, *ad omnem mortuum non ingredietur omnino.* Ecce quod ibi

(2) Hoc idem argumentum sibi opponit S. Thomas II. II. *Quæst.* LXXXIX. *Art.* II. *Arg.* I. quod sciret Catharos omnes in eo præcipue vim fecisse.

(3) Paria respondent Pilichdorffius *contra Valdenses cap.* XXXVI. *Tom.* XXV. *Bibl. PP. Edit. Lugdun.* & Ebrardus *in Antihæresi Adv. Vald. cap.* XIV. *Tom.* XXIV. *Ejusd. Biblioth.* S. Thomas vero, Augustini nixus auctoritate: Loco mox indicato. *Sicut Augustinus,* inquit, *dicit in lib. de Mendacio cap.* XV. *Apostolus in Epistolis suis jurans ostendit quomodo accipiendum esset, quod dictum est:* Dico vobis, non jurare omnino; *ne scilicet jurando ad facilitatem jurandi perveniatur, & ex facilitate jurandi ad consuetudinem, & a consuetudine in perjurium decidatur. Et ideo non invenitur jurasse nisi Scribens, ubi consideratio cautior, non habet linguam præcipitem.* Adeundus Augustinus *Serm.* CLXXX. *al.* XXVIII. *de Verb. Apost. Tom.* V. *Opp.*

(4) Nempe Catharis assentiebantur Valdenses, nefasque esse putabant jurare.

ibi sumitur universaliter; ergo & Matth. 5. non omnino &c.

Solutio: Non est simile o hæretice, quia Levitici 21. illa universalitas aliunde intelligitur, quia dicit ad omnem mortuum non ingredietur omnino: etiam si ibi non esset *omnino*, tamen universaliter intelligeretur, quia dicit ad omnem non: Constat autem quod *omnis non* tantum valet, quantum nullus, & *omnem non* quantum nullum; illa ergo universalitas non intelligitur ex *non omnino*, sed ex *omnem non*: idem enim est ac si dicat, ad nullum mortuum ingredietur omnino.

Ad idem etiam inducunt illud Daniel. 3. v. 10. *Et non tetigit eos omnino ignis.*

Solutio: Non intelligitur universaliter hoc verbum, non enim sensus est, nullo modo tetigit eos, sed non tetigit eos omnino, tetigit quidem eos, cum in ipsum projecti sunt per applicationem, sed non quoad sensum ardoris ipsius ignis, quem non senserunt, nec inde molestiam habuerunt.

Præterea, proba tu, quod universaliter; ego dico quod non, quia non dixit, quod ignis non tetigit eos, sed quia non tetegit eos omnino.

Præterea, illa Scriptura non est sumpta ex veritate Hebraica ut dicit translator in præfatione in Danielem. Nunquid tibi sufficit divina Scriptura, nisi sumas Apocrypham?

Ad idem inducunt illud quod habetur Levitici 18. v. 23. *Mulier non succumbet omni jumento, nec miscebitur ei*, non omni dicit, idest nulli.

Solutio: Dico quod licet præponat negationem signo, tamen intelligitur post, idest omni jumento non succumbet: quod autem ita sit patet per hoc, quod præcessit eodem vers. *Cum omni pecore non coibis.*

Ad hoc autem, quod dictum est supra, objiciet hæreticus; quod si sic est, ut dicitur, non sumitur universaliter, nec prohibita est per Deum juratio, imo sicut tunc Judæi (5) reddebant juramenta sua Domino, ita & nos possumus facere; ergo Christus nihil addidit; Quomodo ergo Christus dixit Mat. 5. v. 17. *Nolite putare quoniam veni solvere legem: aut prophetas: non veni solvere, sed implere?* Istud autem non audebit Catharus dicere, qui non credit, quod venerit legem Moysis implere, sicut habitum est in quarta parte hujus operis in cap. de Lege.

Ad hoc dicendum est hæretico, unde habes, quod Dominus addidit legi? Si dicat, ex hoc quod ait, non venisse legem solvere, sed adimplere. Respondeo: implere non est addere; nonne vides quod ad Roman. 13. v. 8. dicitur: *Qui enim diligit proximum, legem implevit?* Utique; nec tamen aliquid addidit legi. Si dicat se habere ex hoc quod legitur Mat. 5. v. 20. *Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum Cælorum.* Respondeo: non dixit plusquam justitiam legis, sed plusquam justitiam illorum, qui abstinebant tantum ab opere malo, sed non a voluntate, mundantes tantum quod de foris erat, ut habetur Matth. 23. v. 25. pleni tamen erant intus rapina, & immunditia. De hoc autem adhuc dicetur capite 13. potest tamen secure dici, quod addidit aliud secundum pravam Judæorum intentionem; Judæi enim per Deum jurantes, si verum jurabant, in nullo credebant se venire contra illud mandatum: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum* Exodi 20. v. 7. secus autem est modo, quia contra illud mandatum venit, qui etsi verum jurat, tamen absque necessitate, & utilitate hoc facit; justitia illorum fuit per nomen Dei non pejerare, sed verum jurare, nisi necessitate vel utilitate interveniente; justitia enim illorum erat non jurare dolose, iustitia christianorum non jurare dolose nec superflue (6); unde Deuteronomii 5. v. 11. *Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra*, quia non erit impunitus, qui super re vana nomen ejus assumpserit. Et appellatur vanum non solum falsum, sed etiam inutile, & non necessarium, quod patet ex eo quod præmisit *frustra*; ut Deuto; loc. cit. *Non usurpabis &c.*

Notandnm autem ad prædictorum intelligentiam, triplicem esse jurationem, scilicet pravam, utilem, & superfluam, sive otiosam. Prava idem est, quod perversa juratio, quando scilicet non juratur justum, vel verum, vel certum, id est quando aliquod illorum trium defuerit, quæ diximus fore necessaria juramento, quæ sunt justitia, veritas, & judicium. Utiles sunt jurationes, quæ fiunt pro commodo sui ipsius, vel proximi. Superfluæ, quæ carent omni necessitate, & utilitate: Prima juratio ibi tollitur cum dicit Matth. 5. v. 33. *Iterum audistis, quia dictum est antiquis, non perjurabis:* Secunda ibi conceditur eod. vers. *Reddes autem Domino juramenta tua*; quod facimus, quando per nomen Domini non frustra juramus verum, & justum sive licitum, & certum: non enim reddimus Deo juramenta, ex hoc solo, quod verum per ipsum juramus, nisi, & in hoc Deum honoremus; si autem frustra juramus non honoramus eum, imo potius vituperamus, quia ipsum contemnimus, ideo, quia ipsum in testem alicujus rei frustra, & vane inducimus. Tertia ergo juratio, idest otiosa sive

(5) S. Augustinus *Sermone* CLXXX. *al.* XXVIII. *de Verbis Apost. cap.* IV. *Tom.* V. *Opp. si peccatum*, inquit, *esset juratio, nec in Veteri lege diceretur*; non perjurabis, reddes autem Domino jusjurandum tuum. *Non enim peccatum præciperetur nobis .... & cap.* V. *ut noveritis verum jurare non esse peccatum, invenimus & Apostolum Paulum jurasse &c.*

(6) Communis hæc Ecclesiæ Catholicæ Traditio est, Sacrarum Scripturarum auctoritate confirmata. Nam Deum appellare testem in rebus iis, quæ parvi intersunt, est in *vanum Dei nomen assumere*. Consulitor Johannes Chrysostomus *Homil.* XIX. & IX. *in Acta Apostolorum*. Quod si peccat, qui in re levi Deum testem appellat; multo magis peccet necesse est, si juret se facturum peccatum aliquod sive mortale, sive veniale. Peccat autem lethaliter. Vide S. Ambrosium *Lib.* I. *de Officiis Ministrorum cap.* I. & *lib.* III. *cap.* XII. Salvianum *Lib.* IV. *de Gubernatione Dei*; Concilium Toletanum VIII. *cap.* II. Ilerdense *can.* VII. Troslejanum *cap.* XI. & S. Thomam II. II. *Quæst.* XCVIII. *Art.* II. *ad* I. *argum.* quo loco ait: *Ille, qui jurat se facturum aliquid illicitum, jurando incurrit perjurium, propter defectum justitiæ.* Pejerat ergo, qui jure jurando promittit se facturum peccatum aliquod, etsi *veniale.* Quapropter Miror Sanchesium, & Escobarium in ea opinione versari, ut *veniale* piaculum patrari ab eo putent, qui *veniale* peccatum se facturum polliceatur. Sic enim habet Escobarius *Tract.* I. *Exam.* III. *cap.* VII. *pag.* 62. *Libri Theolog. Moralis. Edit. ann.* 1650. *juramentum promissorium de faciendo peccato veniali, quodnam peccatum est? Veniale tantum esse Sanchez idem affirmat.* Sed quid est obsecro? nisi hoc profanare Dei nomen est? Merito ergo Innocentius XI. an. 1679. hanc damnavit propositionem. *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.*

ſive ſuperflua, quæ ſit fruſtra, ibi tollitur cum dicit Chriſtus Matth. 5. v. 34. *Ego autem dico vobis, non jurare omnino*, ideſt in omni cauſa, ſed tantum in cauſa propriæ, vel fraternæ utilitatis; bene ergo poſtquam Dominus dixerat, *Dictum eſt antiquis*, quod redderent Domino juramenta, dixit: *Ego autem dico vobis*, ideſt præcipio vobis *non jurare omnino*, ſuperflua etiam, per nomen Domini. Non dixit Dominus, ego autem dico, ideſt præcipio vobis non jurare, ſi enim hoc dixiſſet, jurare ex toto prohibuiſſet; ſed appoſuit *omnino*, ut ſic oſtenderet, ſe non prohibere jurare, ſed prohibere, ne ipſum in omni cauſa faciamus; quia ſicut prædictum eſt, aliud eſt ſi dicam, ne aperias oſtium, & ne aperias ipſum omnino, ſive penitus. Sicuti autem non eſt omnino jurandum per Dominum, ita etiam non omnino eſt jurandum per creaturam; propter hoc dixit v. 34. *Neque per cœlum, quia thronus Dei eſt*. Quia enim dixerat, non eſſe jurandum omnino ſive penitus per Deum, ne quis crederet, quod liceret jurare omnino per creaturam, illud dixit Dominus, *Neque per cœlum, quia thronus Dei eſt*, ideſt non per creaturam ſuperiorem v. 35. *Neque per terram: quia ſcabellum eſt pedum ejus*, ideſt inferiorem; *neque per Jeroſolymam, quia civitas eſt magni Regis* (v. 36). *Neque per caput tuum juraveris*: quia non eſt tuum opus, quia nec etiam capillus tuum opus eſt; unde ſubdit eod. verſ. *quia non poteſt unum capillum album facere, aut nigrum*. Quaſi dicat, ſi non potes ei dare eſſe album vel nigrum naturaliter, multo magis non potes ei dare eſſe (7).

In omnibus verbis iſtis, in quibus innuit, quod omnia iſta opera Dei ſunt, intendit Dominus oſtendere, quod non eſt jurandum omnino per aliquod creatum, quia qui omnino per iſta juraret, juraret omnino per operatorem ipſorum, ſcilicet Deum. Sic enim ipſe ait Matth. 23. v. 22. *Et qui jurat in cœlo, jurat in Throno Dei, & in eo, qui ſedet ſuper eum*. Sequitur Matth. 5. v. 37. *Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt: non non: quod autem his abundantius eſt, a malo eſt*. Ex quo volunt omnes hæretici tam Cathari, quam Valdenſes, quod jurare malum ſit, quia amplius dicit, quam eſt, eſt, non, non (8).

Solutio: Iſtud verbum Domini, eſt, eſt &c. dupliciter poteſt intelligi. Primo ſic. Si eſt ita, dicatis, eſt; ſi non eſt ita, dicatis, non eſt; Monet autem verum dicere, & mendacium vitare, ſecundum hoc, id quod ſequitur, poteſt ſic exponi; Quod autem his abundantius eſt, quam eſt eſt, non non, ideſt id, quod eſt ultra veritatem, a malo eſt; ſed ultra veritatem non eſt niſi mendacium; ſic ergo non dehortatur a juramento vero, ſed a mendacio. Aliter poteſt exponi illud: *Sit ſermo veſter, eſt* &c. Dominus, ſicut oſtendimus, diſſuaſerat otioſum juramentum, quia malum eſt, modo autem dicit, quod cavendum eſt etiam verbum otioſum. Idem eſt ergo ac ſi dicat, non ſolum juramentum otioſum, ſed etiam verbum otioſum peccatum eſt; *Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt: non, non*; bis dicit eſt, & bis non, ut innuat, & moneat nos ad affirmandum verum tantum in duobus caſibus, ſcilicet cum ipſa affirmatio veritatis eſt utilis nobis, vel etiam proximo. Similiter vult, quod falſum negamus, quando ipſa negatio utilis eſt nobis, vel proximo. Quod autem his abundantius eſt, ſcilicet loqui verum ultra id, quod utile eſt nobis vel proximo, a malo eſt, & malum eſt quia peccatum eſt, quoniam otioſum verbum eſt, de quo oportebit rationem reddere in die judicii. Sed ne videamus ſubterfugere objectionem Cathari dicamus, quod cum Dominus dixit, ſit autem ſermo veſter eſt, eſt; non non; monet Dominus verum loqui ſine juramento; quod autem his abundantius eſt, ſcilicet jurare, a malo eſt, nec tamen eſt malum; non enim ſequitur hoc eſt a malo, ergo eſt malum; V.G. commendare ſe eſt a malo, ut patet 2. Corinth. 12. v. 11. ubi dicit Apoſtolus: *Factus ſum inſipiens; vos me coegiſtis. Ego enim a vobis debui commendari*; dicit autem Apoſtolus inſipientem, ideſt commendantem ſe, in quo apparebat illis inſipiens.

Præterea, quod dicitur *a malo*, ſic intelligitur, a malo ſcilicet exigentis (9), non a malo præſtantis juramentum, a malo dico a malitia, non a malo, ideſt a culpa, quia non peccat, qui exigit juramentum, ſicut nec, qui facit ipſum, illa malitia, ſive infirmitas ignorantia eſt, quia enim neſcit, qui exigit juramentum, an ille a quo ipſe exigit

(7) Præſtat huc Innocenti III. Pontificis verba transferre, ut quæ ad rem maxime pertineant. Expreſſa autem ſunt ex Epiſtola ad *Abbatem, & Capitulum Caſtellionis*, referunturque *Lib.* II. *Decretal. Titulo* XXIV. *De jurejurando Cap.* XXVI. *Et ſi Chriſtus*. „ Licet juramentum prohibuiſſe Dominus videatur, nuſquam tamen per Creatorem, ſed per creaturam jurare prohibuit, ne per hujuſmodi juramentum transferretur ad creaturam honorificentia Creatoris. Quare cum in Evangelio præmiſiſſet: *Dico vobis: Nolite jurare omnino*; ſtatim ſubjunxit: *Neque per Cœlum, quia Thronus Dei eſt, neque per Terram, quia Scabellum pedum ipſius eſt, neque per Hieroſolymam, quia Civitas regis magni: neque per caput tuum, quia non potes unum capillum facere album, aut nigrum*. Et quamvis non ſit per creaturam jurandum: ſi tamen juretur per creaturam, ſervandum eſt quidem, dummodo ſit licitum, quod juratur: quia teſte veritate, qui jurat in Cœlo, jurat in Throno Dei, & in eo, qui ſedet ſuper eum „. Hactenus Innocentius. Paria habet Hieronymus *Comment. in Matth. Cap.* V. Verum ſatis id non eſſe ait S. Thomas II. II. *Quæſt.* LXXXIX. *Art.* II. *ad* I. *Arg.* Sed quod ex Auguſtino adjungi oportere autumat S. Thomas, quod jam retulimus *Notatione* III. *in hoc Caput*, adjungitur mox ab Innocentio, quem conſulere poterit Lector.

(8) Hoc idem argumentum ſibi opponit S. Thomas *loco mox indicato ad* 2. *Arg.* Neque vero S. Thomas ſolum, ſed etiam ante ipſum S. Auguſtinus *Lib.* I. *De Sermone Domini in Monte Cap.* XXX. & Innocentius III. *loco citato*.

(9) Eodem ſpectat reſponſum adhibitum ab Auguſtino *loco indicato notatione ſuperiore*, quod Sanctus Thomas probat II. II. *Quæſt.* LXXXIX. *Art.* II. *ad.* 2. *Arg.* „ Si jurare cogeris, ſcias de neceſſitate venire infirmitatis eorum, quibus aliquid ſuades, quæ utique infirmitas malum eſt. Itaque non dixit: *quod amplius eſt, malum eſt*; ſed *a malo eſt*. Tu enim non malum facis, qui bene uteris juratione, ut alteri perſuadeas, quod utiliter perſuades; ſed a malo eſt illius, cujus infirmitate jurare cogeris „ Non diſcrepat Innocentius III. „ Etſi Chriſtus, *inquit*, præceperit ſecundum Evangelicam veritatem, *ſit ſermo veſter; eſt, eſt; non, non*; ut affirmatio, vel negatio, ſicut procedit ex ore; ita procedat ex corde; quia tamen hominum excreſcente malitia, ſimplici aſſertioni, vel negationi vix creditur; idcirco prudenter adjunxit: *quod amplius eſt, a malo eſt*. „ A malo quidem non tam culpæ, quam pœnæ, nec exhibentium, ſed exigentium juramentum. Nam incredulitas hujuſmodi magis eſt pœna, quam culpa. Unde non dixit *malum*; ſed dixit *a malo*.

git juramentum fidelis sit, ideft verax in promisso simplici, ideo exigit juramentum ab ipso, ut timore illius, quem testem induxit, & per consequens judicem, si non attenderet secundum promissum suum, non perjuret dicit enim Dominus Malach. 3. v. 5. *Et accedam ad vos in judicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris, & perjuris*, ideft contra perjuros. Supra etiam inductum est testimonium Jeremiæ 29. v. 23. *Ego sum judex, & testis, dicit Dominus*; & quod ita sit, ut dixi, patet Deuteron. 6. ubi locutus Moysi de juramento præmisit v. 13. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies*, & subdit eod. vers. *ac per nomen illius jurabis*. His autem testimoniis uti possumus ad Valdenses, sed non ad Catharos, qui Vetus Testamentum non recipiunt. Quod autem ista ignorantia appellatur malitia, sive infirmitas, habeo inde testimonium Apostoli ad Rom. 8. v. 26. *Similiter autem & spiritus adjuvat infirmitatem nostram*, ideft ignorantiam; unde subdit eod. vers. *Nam quid oremus sicut oportet nescimus*; Quomodo autem adjuvet subdit eod. vers. dicens: *sed ipse Spiritus postulat pro nobis*; ideft postulare facit, & dirigit nos ad postulandum, quod per nos nescimus. Si autem objicit, quod dicit quidam Sanctus, sermo fidelis pro juramento habendus est; dic: verum est, ubi scitur fidelis, ideft verax, sed hoc de nullo homine mortali scitur, unde non peccat, qui exigit juramentum quando utile est.

Secundo modo potest exponi de alio malo, scilicet de controversia, & de hoc habeo testimonium Apostoli ad Hebr. 6. ubi Apostolus determinat per quem proprie sit jurandum, quia per majorem, sicut dictum erat antiquis. Reddes autem Domino juramenta tua, ideft per nomen Domini Dei tui jurabis Deutor 6. v. 13. Ibi etiam dicit Apostolus, quo fine sit jurandum, scilicet ut controversia, quæ est inter aliquos, finiatur; unde ait v. 16. *Homines enim per majorem sui jurant: & omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem, est juramentum*. Quod ergo abundantius est, quam est, est, non, non, scilicet juratio, a malo est, ideft a (10) controversia est, scilicet, ut ipsa tollatur de medio. Ecce o hæretice evidentissime argumenta, & testimonia ejus, quod dico, scilicet, quod ibi Dominus appellat malum, cum dicit a malo est. Si autem aliud dicis, inde testimonium adducas; si non potes, obmutesce.

§. II.

Qualiter sit juramemtum præstandum, & quod juramentum sit obligatorium.

NUnc diximus jurationem otiosam prohiberi, cum dicitur Matth. 5. v. 34. *Ego autem dico vobis non jurare omnino*; Ad instructionem Catholicorum simplicium dicamus, quod ista juratio, aut fit subito, & sine deliberatione, & sic dissuadetur, venialis enim est, non mortalis; si autem deliberata est, mortalis est propter contemptum Dei, qui ibi est, ut patet ex eo, quod dictum est in principio hujus capitis (11).

Sunt autem aliqui, qui aliter intelligunt illud verbum: *Ego autem dico vobis non jurare omnino*; intelligentes illud sic, ideft in omni, vel fere omni verbo tuo, & sic prohibetur consuetudo jurandi, ut patebit cum loquemur de auctoritate B. Jacobi; vel omnino, ideft per omnem rem. Et subdit quasi exponens se, *neque per Cœlum, quia thronus Dei est &c.* in quo sensu fiat hujusmodi prohibitio jam dicetur. Si autem quæratur quid Dominus addiderit, dici potest, quod nihil addidit ipsi legi secundum rei veritatem, in Veteri enim Lege non fuit prohibitum jurare per creaturam, sed per nomina externorum Deorum, scilicet Baalim, & hujusmodi.

Quod autem Judæis non fuerit prohibitum jurare per creaturam (12), patet Genes. 42. v. 15. ubi dicitur, quod Joseph juravit per salutem Pharaonis.

Item 1. Reg. 20. v. 3. *Quinimo vivit Dominus, & vivit anima tua, quia in uno tantum [ut ita dicam] gradu, ego, morsque dividimur*.

Item 2. Reg. 14. v. 19. *Per salutem animæ tuæ Domine mi Rex, nec ad sinistram, nec ad dexteram est ex omnibus his quæ locutus est Dominus meus rex.* Et Judith. 11. v. 5. *Vivit enim Nabuchodonosor rex terræ, & vivit virtus ejus, quæ est in te ad correptionem omnium animarum errantium: quoniam non solum homines serviunt illi per te, sed & bestiæ agri obtemperant illi*.

Item Judith. 12. v. 4. ait ipsa ad Holofernem: *Vivit anima tua Domine meus, quoniam non expendet omnia hæc ancilla tua, donec faciat Deus in manu mea hæc, quæ cogitavi*. Capite vero 13. v. 20. juravit per Dominum dicens: *Vivit autem ipse Dominus, quoniam custodivit me Angelus ejus*.

Item Matth. 23. v. 16. & seq. habetur, quod ipsi jurabant per creaturam, scilicet per templum, & aurum ejus, & per altare, & per donum, quod super illud erat.

Quod

(10) Innocentius III. *loco indicato*: „Non dixisset, *inquit*, „Apostolus. *Homines per majorem suum jurant, & omnis con-* „*troversiæ eorum finis est juramentum*. In quo patenter ostendit „per quem sit jurandum, cum ait: *Homines per majorem suum* „*jurant*; id est per Deum; & cur sit jurandum; ut videlicet om- „nis controversiæ finis sit juramentum. Consule Synodum Tole- „tanam VIII. *Can.* II. celebratam *an.* 653. *Tom.* VIII. *Concil.* „*Edit. Venet. col.* 415.

(11) Consule S. Thomam II. II. *Quæst.* LXXXIX. *Art.* II. & III. & Natalem Alexandrum *Lib.* IV. *Theol. Moralis Cap.* IV. *Art.* III. *Regula* VII. *Estium in* III. *Sententiar. Dist.* XXXIX. §. 4. & Sylvium in II. II. *S. Thomæ Partem Summæ Theologicæ Quæst.* LXXXIX.

(12) Consulendus S. Thomas *Quæst.* LXXXIX. *Art.* VI. quo loco ostendit, quemadmodum jurare per creaturam liceat, & quemadmodum contra in casibus quibusdam nefas sit. Nempè non licet per creaturam jurare, ut ei divinus adhibeatur honor; licet autem, si juret quisquam per creaturam, non *secundum se, sed inquantum in eis veritas Divina manifestatur*. Id vero aliquanto inferius observat etiam noster.

Quod autem per nomina idolorum fuerit prohibitum eis jurare, patet Jeremiæ 5. v. 7. ubi dicit Dominus. *Filii tui dereliquerunt me, & jurant in his, qui non sunt dii*. Oseæ 2. v. 17. *Et auferam nomina Baalim de ore ejus, & non recordabitur ultra nominis eorum*.

Item Jeremiæ 12. v. 16. *Et erit*: *Si eruditi didicerint vias populi mei, ut jurent in nomine meo, vivit Dominus, sicut docuerunt populum meum jurare in Baal*; In quibus verbis patet, quod *vivit Dominus* juramentum est; & est sicut per Deum viventem (13).

Hæc allata testimonia Veteris Testamenti non valent ad Catharos, sed ad Valdenses; valent tamen testimonia Prophetarum contra Catharos, qui ponunt duo principia. Ad omnes autem valet illud testimonium, quod dictum est ex Matth. 23. Ubi sciendum est, quod Dominus non arguebat eos de juramento facto per creaturas, sed de falsa æstimatione, qua putabant non teneri, si per quasdam earum jurabant; quo ad istam pravam intentionem illorum aliquid est additum, quia expressum est, quod non licet jurare per creaturam putando se non teneri (14); sed secundum rei veritatem nihil est additum: quia in illo mandato, non assumes nomen Dei tui in vanum, comprehendebatur juramentum factum per creaturam dolose, vel pro nihilo, ut tactum est in principio hujus capitis, ubi habetur qualiter creatura in testem inducatur, quæ non potest per se testis esse; dictum est enim, quod non inducitur in testem per se, sed per Creatorem, a quo trahit esse suum. Ex hoc quod dictum est, manifestum est, qualiter Dominus prohibuerit jurare per Cœlum, & terram, & hujusmodi; isto enim modo prohibuit, ne scilicet jurent per hæc, putantes se non teneri, quia qui per hæc jurat, jurat & per creatorem, ut dicitur Matth. 23. v. 17. & seq.; unde si tenetur jurans per Creatorem, tenetur, & qui jurat per creaturam.

Alio etiam modo prohibitum est jurare per creaturam, scilicet reverendo eam tanquam Dominum, & credendo ipsam esse Deum suum (15). Hoc modo peccabant idolatræ, qui jurabant per creaturas, quas colebant, quibus serviebant tanquam Diis. In isto errore fuerunt illi de quibus habetur Rom. 1. v. 25. *Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium: & coluerunt, & servierunt creaturæ potius, quam Creatori*. De ista commutatione veritatis in mendacium habetur Jeremiæ 2. v. 11. *Populus vero meus mutavit gloriam suam in idolum*; idolum mendacium dicitur, quia non est illud, quod dicitur esse. Sed nunquid in isto intellectu prohibendo jurare per creaturam est aliquid additum legi? Dico quod non: ista enim prohibitio comprehensa est in illo mandato: *Et per nomen externorum Deorum non jurabitis*, ut legitur Exodi 23. v. 13.; qui enim jurat per creaturam in illa credulitate, jurat per Deum alienum.

§. III.

Qualiter intelligenda sit auctoritas B. Jacobi.

Viso qualiter intelligenda est auctoritas Domini in Matth. *Ego dico vobis &c.* ostenso etiam quod non est contraria omni juramento; videamus qualiter intelligenda est (16) auctoritas B. Jacobi 5. v. 12. *Ante omnia autem fratres mei nolite jurare neque per cœlum, neque per terram, neque per aliud quodcunque juramentum; Sit autem sermo vester, est est; non, non: ut non sub judicio decidatis*. Ubi dicit hæreticus: Vides, quia dixit simpliciter *nolite jurare*, & non apposuit *omnino*; voluntas igitur jurandi prohibita est, ergo & actus.

Solutio: Valdensi potest dici illud, quod habetur 1. Johannis 2. v. 15. *Nolite diligere Mundum*; & tamen meritorie possunt diligere illum in aliquo casu: a simili, licet dicat Jacobus: *nolite jurare*, non removetur propter hoc, quin possit jurari in aliquo casu.

Præterea, duplex est voluntas, una tracta vel a propria necessitate (17), vel fratris utilitate; illa non prohibetur; est etiam voluntas absoluta, hujusmodi prohibetur; non enim voluntas talis debet te ad juramentum movere, quia non debes jurare, nisi propria tua necessitate, vel proximi utilitate, & hoc omnibus dici potest. Secundo modo potest omnibus dici, quod B. Jacobus non addidit verbis Domini, nec plus prohibuit, cum discipulus non sit supra magistrum Matth. 10. v, 24.; unde ibi intellexit hoc ipsum *omnino*: nolite jurare, supple *omnino*,

(13) Ita quidem factum est, ut veteres Christiani per falsos Deos, vel per genium Cæsarum jurare vetuerint. Sanctus Hieronymus *Epistola olim* CXLVI. „ Absit, *inquit*, ut de ore Christia„ no sonet: *jupiter omnipotens*, & *Me Hercule*, *Me Castor*, & cetera, magis portenta, quam nomina. S. Polycarpus jussus, jurare per Cæsaris Genium; respondit: *Christianus sum*, ut memoriæ tradidit Eusebius *lib.* IV. *Hist. Cap.* XV. Adeundus Estius in *lib.* III. *Sent. Dist.* XXXIX. §. 6.

(14) S. Augustinus Sermone CLXXX. *al.* XXVIII. *Quia multi*, inquit, *& in hoc falluntur, & putant, quia nihil est per quod jurant, non teneri perjurii. Prorsus perjurus es; quia per id, quod Sanctum putas; falsum juras. Sed ego illum Sanctum non puto. Sanctum putat is cui juras... Non te audit lapis loquentem; sed punit te Deus fallentem*.

(15) S. Hieronymus *Commentar. in* V. *Cap. Evang. Matth. Hanc per elementa jurandi*, inquit, *pessimam consuetudinem semper habuere Judæi, sicut prophetalis eos frequenter arguit sermo... Judæi per Angelos, & Urbem Ierusalem, & templum, & elementa jurantes, creaturas, resque carnales venerabantur honore, & obsequio Dei*.

(16) Innocentius III. *loco indicato superioribus notationibus* hoc idem sibi e Jacobi Epistola objicit. Quin etiam Ebrardus *lib. contra Valdenses Cap.* XV. *pag.* 1556. *Tom.* XXIV. *Bibl. PP.* & ceteri, qui Catharos, atque Valdenses exagitarunt, fere omnes, cum perspectum haberent hæreticos illos niti Sancti Jacobi testimonio; illud sibi objecerunt, atque ita interpretati sunt, ut ostenderint nihil eo contineri, quod sententiæ Catholicæ non respondeat altera ex parte.

(17) Commodum transferri huc possunt Innocentii III. verba, ex laudata ad Abbatem Castellionensem Epistola: *Jacobus*, inquit, *non simpliciter prohibet juramentum, sed voluntatem jurandi, cum ait*: Ante omnia fratres mei &c. *quoniam ad juramentum non debet quemquam spontanea voluntas inducere; sed necessitas trahere importuna, & tunc potes sine culpa jurare, dummodo illos tres comites habeat juramentum, de quibus Propheta ait*: Et jurabunt vivit Dominus in veritate, & in judicio, & justitia. *Quod autem Jacobus subdit*, neque per cœlum, neque per terram, neque per quodcumque aliud juramentum: *jurare vetat per quamlibet creaturam, quodcumque sit illud: alioquin non dixisset Apostolus*: Homines per majorem suum jurant.

omnino, ut prius expositum est, vel idem est *omnino*, quod & ante omnia, ut sit sensus: nolite jurare ante omnia verba vestra; similiter ergo dico vobis non jurare omnino, idest in omni verbo, & sic prohibetur consuetudo jurandi (18).

Istud verum est, nec habet hæreticus, quod dicat contra hoc: nisi dicat, quod Jacobus præponit signum universale negationi, ergo sensus est, ante nulla velitis jurare.

Solutio: Licet Jacobus præponat signum quantum ad vocem, tamen intelligitur post, propter verba Magistri, idest Christi cui magis standum est. Potest autem istud confirmari testimonio manifesto ad Valdensem, & ad Catharum, qui duo ponit principia. Scriptum est enim Eccles. 23. v. 9. *Jurationi non assuescat os tuum*; & vide quomodo concordat cum B. Jacobo, qui dicit ante omnia, scilicet verba, nolite jurare: non est enim sensus, ante omnia alia peccata nolite &c. cum multa alia sint majora (19) quam hoc, ut idolatria, & hæresis.

Præterea, in Eccles. post illa verba jurationi &c. eod. vers. statim dicitur causa: *multi enim casus in illa*; Nonne hoc est, quod Jacobus ait: *Ut non sub judicio decidatis*? Utique. Sic igitur concordat doctrina Novi Testamenti doctrinæ, quæ fuit antequam Christus veniret. Ecce habes Valdensis, & tu Cathare, qui duo ponis principia, evidens testimonium expositionis, quam facio super verba Domini, & Jacobi; Quare ergo aliam audes facere expositionem, de qua testimonium non habes? Alia testimonia de hac prohibitione consuetudinis jurandi habentur Ecclesiast. 23. v. 10. *Nominatio vero Dei non sit assidua in ore tuo*.

Item v. 11. *Sic omnis jurans, & nominans, in toto a peccato non purgabitur*, scilicet eo, quod dicit Jacobus: *Ante omnia* &c.

Item v. 12. *Vir multum jurans implebitur iniquitate*.

Potest & aliter solvi, quia non dixit Jacobus ante omnia nolite jurare, sed dixit: *Nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram &c.* Sic ergo non tulit voluntatem jurandi, sed jurandi per creaturam in sensibus prædictis.

Sed dicet hæreticus, nec per aliud quodcunque juramentum, ergo per nullum.

Hoc argumentum non valet; non dixit, nec per aliud aliquod, sed nec per aliud quodcunque &c.; nonne vides, quia cum ego ob amorem tui aliquid facio, possum dicere vere loquendo, ego non facerem hoc pro alio quocunque, & tamen non sequitur, ergo pro nullo alio. Unde sciendum, quod juramentum dicitur hic illud, per quod juratur, scilicet Jerosolyma, caput, & hujusmodi, ut patet ex verbis Magistri, idest Christi Matth. 5. v. 34. & seq. quoniam per hujusmodi non debet jurari eo modo quo prædiximus; Homines enim per majorem sui jurare debent, ut dicit Apost. ad Hebr. 6. v. 16. Homo autem est major qualibet alia creatura (20) ab Angelo per naturam; & est major Angelo per gratiam in capite suo, idest Christo, qui secundum quod homo tanto major Angelis effectus est, quanto præ illis differentius nomen hæreditavit. Si igitur contingat aliquando jurare per creaturam; sciendum quod non absolute jurandum est per eam, sed habito respectu ad Creatorem, & sic verum est, quod ait Christus Matth. 23. v. 22. *Et qui jurant in cœlo, jurant in throno Dei, & in eo, qui sedet super eum*. Quod autem dicit Jacobus: Sit *autem sermo vester, est; est, non, non*; intelligendum est, quando non cogit necessitas propria, vel utilitas aliena.

§. IV.

Qualiter intelligantur verba Sap. 14. *v.* 31.

Viso qualiter intelligenda sint verba Domini, & Jacobi; accedamus ad testimonium, quod introducunt ex Sapientia 14. v. 31. *Non enim jurantium est virtus*. Istud autem testimonium pro nobis est, subjungitur enim eod. vers. *Sed peccantium pœna*; & est sensus non ex virtute, sed ex infirmitate, scilicet ex pœna peccantium, quæ pœna est ignorantia, an ille, qui promittit nobis aliquid, verax sit in promisso; hoc autem idem est ei, quod dicit Christus, *a malo est*, sive malitia, quam incurrimus propter peccatum primorum parentum, qui voluerunt esse sicut Dii scientes bonum, & malum, & facti sunt ignorantes cum tota posteritate sua, excepto Christo. Ex pœna ergo peccantium (21) est juramentum, & vere homines peccantes sunt, quia ut ibi dicitur eod. vers. ipsi semper perambulant injustorum prævaricationem, idest mandatorum Dei, quorum unum est prohibitio mandati; quoniam si nullus prævaricaretur, sed servaret verbum suum, & promissum simpliciter, nunquam ab alio exigeretur juramentum.

PARS II.

Probatio Ecclesiæ, quod juramentum in casu sit licitum.

§. V.

Quid sit jurare.

PErtractata prima parte hujus capitis, ad secundam veniamus, scilicet quod juramentum est licitum, & quia hoc maxime patet per cognitionem ejus,

(18) S. Augustinus *Sermone* CLXXX. alias XXVIII. *De verbis Apostoli* quo loco expendit Jacobi Testimonium: *Quare, inquit, ante omnia nolite jurare?.... Isto verbo, quod ait:* ante omnia, *cautos nos fecit adversus linguam nostram*. Ante omnia *ait: ut attendatis præ ceteris, ut vigiletis, ne surrepat vobis consuetudo jurandi &c.*

(19) Consule Augustinum *loco mox indicato*: ubi hæc habet: *Ante omnia nolite jurare. Jurare enim pejus est, quam furari? Jurare pejus est, quam adulterare? Non dico, falsum jurare: jurare dico, jurare pejus est quam hominem occidere? Absit. Hominem occidere, adulterari, furari, peccatum est. Jurare non est peccatum; sed falsum jurare, peccatum est. Quare ergo*: ante omnia? *Isto verbo, quod ait:* ante omnia: *Cautos nos facit &c.* ut scripsimus notatione superiore.

(20) Adeundus *Innocentius* III. *l. c.*

(21) Vide *Notationem* 9. *in hoc cap.* imprimisque verba Innocentii III. quæ ibi laudavimus.

ejus, quod eſt jurare, ideo illud prius inquiramus; non enim poteſt homo bene judicare quale ſit, niſi prius cognoſcat, quid ipſum ſit. Et hæc fuit maxima cauſa, quare quidam erraverunt in juramento, quia quid ipſum ſit non intellexerunt. Secundo videbimus, quare dicunt eſſe malum. Tertio oſtendemus, quod non eſt malum.

Quæro in primis, quid eſt jurare? Si dicat, quod hoc idem eſt, ac Deum in teſtem (22) ſuæ locutionis inducere, hoc faciebat Apoſtolus ad Rom. 1. v. 9., & in multis locis; Ergo Apoſtolus juravit, ergo non fuit ei prohibitum juramentum, vel aliis Apoſtolis per illud verbum eis dictum a Chriſto Matth. 5. v. 34. *Ego autem dico vobis, non jurare omnino*. Ergo jurare non eſt prohibitum Eccleſiæ Dei. Si autem dicat, quod jurare eſt alicui pœnæ ſe obligare, vel alicui damno; hoc etiam fecit Apoſtolus Act. 25. v. 11. ubi ait Judici ſeculari. *Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuſo mori*; quaſi dicat, ego non feci, & ſi feci, ego obligo me morti, ergo Paulus juravit.

Præterea, pauperibus Valdenſibus, & Catharis, qui ponunt duo principia, potes objicere illud, quod habetur Jeremiæ 5. v. 2. *Et jurabis, vivit Dominus, in veritate, & judicio, & in juſtitia*. Et in pluribus locis; Ergo *vivit Dominus* (23) juramentum eſt, & tamen ſic dicendo non obligatur quis damno vel pœnæ; quod autem illud ſit juramentum, patet per prædictum verbum Jeremiæ. Valdenſis etiam non audet illud dicere ad confirmationem ſuæ locutionis.

Præterea ad Hebræos 6. v. 13. dicit Paulus, quod ille, qui non habuit majorem ſe, juravit per ſemetipſum; Nunquid ille obligabat ſe alicui pœnæ vel damno? Abſit; ergo jurare non eſt idem quod obligare ſe &c. Si autem dicat, quod jurare idem eſt, quod veritatem affirmare; ergo ſi jurare eſt prohibitum, veritatem affirmare eſt prohibitum, quod falſum eſt, quia ſecundum hoc ſi quis diceret mihi, nunquid hodie comediſti? Si ego reſponderem etiam, ego jurarem, quia dicendo illud veritatem affirmarem.

Præterea, Paulus 1. Corinth. 5. v. 3. dicit: *Ego quidem abſens corpore &c. Quidem* hoc eſt certe; ſic ergo dicendo, affirmabat veritatem; ergo jurabat; ergo non eſt prohibitum Eccleſiæ Dei jurare; vel non eſt verum, quod dixiſti, quod jurare ſit veritatem affirmare, niſi plus addatur.

Præterea, nonne ad conductionem teſtium confirmatur veritas? Utique; unde 2. Corinth. 13. v. 2. cum dixiſſet Apoſtolus *non parcam*, ſubjunxit v. 2. *In ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum*, ſcilicet accuſatorum; ſic ergo affirmabatur veritas, ergo ſic jurabatur, ſi jurare eſt veritatem affirmare, & non plus; ergo jurare non eſt prohibitum Eccleſiæ. Quidam Hæreſiarcha inter Pauperes Lombardos dixit, quod juramentum eſt modus loquendi affirmativus ſimplici dicto adhibitus cum intentione jurandi. Sed contra: intentio (24) non mutat eſſentiam rei; ſi enim aliquis furatur, ſive intendat furari, ſive non, non minus tamen furatur; ergo ſi juramentum eſt modus loquendi affirmativus ſimplici dicto adhibitus, ſive intendat quis per illum modum loquendi jurare, ſive non intendat, non minus tamen jurat; Conſtat autem, quod Paulus dixit 2. Corinth. 1. v. 23. *Ego autem teſtem Deum invoco in animam meam, quod parcens vobis non veni ultra Corinthum*; conſtat etiam, quod iſte eſt modus affirmativus loquendi ſimplici dicto adhibitus, ergo cum intentio non mutet eſſentiam rei, ut dictum eſt, ipſe jurabat, ergo jurare non eſt prohibitum Eccleſiæ Dei, quod verum eſt.

Prætcrea dic mihi, juramentum importat ſimplex dictum, & modum loquendi affirmativum ei adhibitum, ergo hoc ipſum jurare importat ſimplex dicere cum modo loquendi affirmante, ergo cum dicis cum intentione jurandi, ſenſus eſt cum intentione dicendi aliquid cum modo loquendi affirmante; ſed in primo non eſt peccatum, ſcilicet in ſimplici dicto; ergo ſi peccatum eſt, non eſt niſi intentione loquendi affirmative, ergo qui intendit loqui affirmative peccat, ergo Paulus, & alii Apoſtoli ſæpe peccaverunt, qui affirmative locuti ſunt, & veritatem affirmare intenderunt.

[*] Præterea hæretice, quæſtio erat quid eſſet juramentum, & tu notificare voluiſti illud per hoc ipſum cum intentione jurandi; ſed ſi dubium eſt quid eſt jurare, dubium eſt quid eſt intendere jurare: Quomodo ergo potuiſti illud inducere ad oſtendendum quid eſt juramentum?

Præterea, nunquid jurare notificabile eſt per jurare, ideſt per ſeipſum? Non. Ergo male notificaſti quid eſſet jurare. Ex prædictis patet ignorantia hæreticorum circa eſſentiam juramenti, & per conſequens patet, quod erraverunt dicentes, ipſum eſſe prohibitum. Quid autem ipſum ſit, diximus in principio hujus capitis, ſcilicet Deum in teſtem invocare veritatis ſuæ locutionis, aut judicem falſitatis ejuſdem. [*]

Nunc videamus, quare quidam dicant ipſum eſſe peccatum, & præcipue Cathari; ipſi enim a Valdenſibus diſtinguuntur, quia Valdenſes dicunt, antequam diceret Matth. 5. v. 34. *Ego autem dico vobis, non jurare omnino* bonum fuit & licitum; poſtea vero

(22) Sapienter Moneta a definitione juramenti ſuam probare orditur ſententiam. Ac ſi jusjurandum nihil eſt aliud, quam Deum appellare teſtem, tum errare Catharos vehementer, negantes integrum Chriſtiano eſſe jurare, cum Apoſtolus Deum teſtem ad ſua dicta confirmanda appellaverit. Eodem ipſo argumento S. Auguſtinus Sermone CLXXX. *al* XXVIII. probat jurare licere. *Ergo*, inquit, *nemo dubitet juraſſe Apoſtolum Paulum, cum dixit*: Per veſtram gloriam Fratres. *Et ne putemus eum, per humanam gloriam juraſſe*, quam habeo in Chriſto Jeſu Domino noſtro. *Et alio loco juratio prorſus certa, & expreſſa*. Teſtem Deum invoco ſuper animam meam, quia parcens vobis, nondum veni Corinthum. *Et alio loco ad Galatas*; quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior.

(23) Videndus Eſtius *Commentar. In Cap.* XIV. *Epiſtolæ Pauli ad Hebræos v.* 11. *pag.* 166. *Tom.* 1. *Edit. an.* 1679.

(24) Negari nequit, quin plurimum valeat in actionibus humanis intentio. Verum, qui jurat ſcribens, is profecto intentionem, ſaltem virtualem jurandi habeat, neceſſe eſt. Alioqui cur juramenti adhibet verba? Parvi autem refert, ut vocant actualem habere intentionem, ut liceat, aut non liceat quidquam. Ridiculum autem eſt dicere eum, qui furatur, non habere intentionem furandi ſaltem virtualem; velut non minus abſurdum eſt ſcribendo jurare, nec tamen aliquam jurandi habere intentionem. Jurabat autem ſcribendo Paulus.

[*] Quæ duobus aſteriſcis complexi ſumus, deſunt e *Cod. Bononienſi*.

vero illicitum: Cathari vero ponunt, quod semper fuit malum, (25) ficut adulterium, & homicidium. Cathari dicunt in disputatione, quando ab eis quæritur, quare juramentum malum fit, quod ideo malum eſt, quia prohibitum eſt.

Sed contra: Ubi prohibitum eſt? Ad hoc dicunt, in Matth. 5. v. 34. *Ego autem dico vobis non jurare omnino*; hoc autem improbatum eſt; ergo antequam ibi prohiberetur non fuit malum, ergo antequam Chriſtus veniret, prohibitum non fuit: Dic ei quod perhibeat teſtimonium ejus, quod dicit, quod facere non poteſt. Si autem dicat, non eſt malum quia prohibitum, imo e contra prohibitum quia malum eſt, & ſemper malum fuit ſicut adulterium. Contra: Quomodo ergo Deus juravit? ut habetur ad Hebræos *6.* v. 13. & Angelus ejus Apocal. 10. v. *6*.

Valdenſis dicit, quia ideo malum eſt quia prohibitum, non e contra, quia ante Chriſti adventum fuit bonum. Cui ſtudeas dare probationem hoc modo; nullum malum eſt, quod non ſit prohibitum, ergo ſi jurare eſt malum, ipſum eſt prohibitum; oſtende ubi prohibitum ſit; ſed non habet quid dicat, niſi verbum Matth. 5. v. 34. Jacobi 5. v. 12. Sapientiæ 14. v. 31. per illa autem hoc non poteſt probare, quod prohibitum ſit, ut præoſtenſum eſt, & ſic deficiet in probatione. Ideo dixi, ſtude ei dare probationem propter difficultatem probandi, quod licitum ſit; e contra laborat, nobis dare probationem.

Præterea; tu dicis, & etiam Catharus ſolet idem dicere, ſcilicet quia ideo malum eſt jurare, quia prohibitum eſt; modo quæro, quare prohibitum eſt? Si dicat, ideo ne homo pejeret, qui enim non jurat non pejerat; ſimiliter dico qui non loquitur non mentitur, ergo ſi prohibitum eſt jurare, debuit etiam prohiberi ipſum loqui. Si dicat quod non eſt ſimile, quia loqui neceſſarium eſt. Similiter & jurare aliquando neceſſarium eſt, licet non ſemper, ſicut loqui non ſemper eſt neceſſarium; ergo ſi loqui non eſt prohibitum quia neceſſarium eſt, & quando neceſſarium; eadem ratione nec jurare eſt prohibitum, quia valde neceſſarium eſt quandoque & pro ſe, & pro proximo; imo etiam multo magis neceſsarium eſt, quam loqui ſimpliciter ſine juramento, cum homines nolunt credere, quod opus eſt.

Præterea, ſi ideo prohibitum eſt ne homo pejeret, dic mihi quid plus eſt in pejerare, quam in mentiri; qui pejerat, mentitur; nunquid plus facit? ſi facit plus, dic quid ſit plus, ſi ſcis: ſi non facit plus, ergo non eſt aliud pejerare, quam mentiri, ergo non eſt aliud jurare, quam verum loqui; unde & quidam hæreticus dixit, quod ſermo fidelis viri pro juramento debet haberi, quod verbum tamen fuit cujuſdam Doctoris noſtri. Sed ad hoc opponas ei: Ergo cum verum loqui non ſit prohibitum viro fideli, jurare non eſt prohibitum ei; vel ſi jurare eſt prohibitum, ergo ſermo viri fidelis eſt prohibitus.

§. VI.

Probatio Eccleſiæ contra ponentes duo principia, quod jurare in caſu non eſt malum.

TErtio oſtendemus, quod jurare verum, non eſt malum, quando eſt neceſſarium ſibi vel proximo. Primo autem objiciemus Catharis, qui ponunt duo principia, oſtendentes, quod Deus Prophetarum uſus eſt juramento, & populus ejus quicumque ille ſit. Prius tamen quærendum eſt ab hæretico, an jurare aliquo tempore fuerit bonum, ipſe enim credit, quod ſemper fuerit malum. Hoc autem dico, ne poſt teſtimonia inducta contra eum, velit ſubterfugere. Poſtquam autem habitum fuit ab ipſo, quod ſemper fuerit malum, oſtendendum eſt contrarium. Quod Dominus juravit, patet Iſaiæ 14. v. 25., & 62. v. 8. de quo dictum eſt ſupra in principio hujus capitis. Item David in Pſal. 109. v. 4. ait: *Juravit* (26) *Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*; Et hoc recolit Apoſtolus ad Hebr. 7. v. 20. dicens: *Alii quidem ſine jurejurando Sacerdotes facti ſunt*, (v. 21.) *hic autem cum jurejurando per eum qui dixit ad illum: Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu eſt Sacerdos in æternum*. Si jusjurandum malum erat, deterius factus eſt Chriſtus Sacerdos, quam alii: nec potes dicere, quod ſimplex Dei ſermo ibi dicatur juramentum; quia alii facti ſunt Sacerdotes ſimplici ſermone Dei, ergo jurejurando ſicut & ille, ſi ſimplex Dei ſermo dicitur ibi juramentum.

Præterea nota, quia dixit, *& non pœnitebit eum*, ſi malum fuiſſet, inde pœnituiſſet. De iſto Dei Sacerdote ſcilicet Chriſto, & de aliis Sacerdotibus ejuſdem dicit David Pſal. 131. v. 9. *Sacerdotes tui induantur juſtitia: & Sancti tui exultent* (v. 10.) *Propter David ſervum tuum non avertas faciem Chriſti tui* (v. 11) *Juravit Dominus David veritatem, & non fruſtrabitur eum, &c.* Quod recolit B. Petrus dicens de David Act. 2. v. 30. *Propheta igitur cum eſſet, & ſciret quia jurejurando juraſſet illi Deus, de fructu lumbi ejus ſedere ſuper ſedem ejus*. Quod teſtimonium expoſitum eſt in tertia parte hujus operis in capite de Chriſto. De juramento (27) etiam iſto in Pſalm. 88. ſcilicet *Miſeri-*

(25) Nota differentiam, quæ erat inter Valdenſes & Catharos. Illi malum eſſe juramentum ajebant, quia prohibitum; hi contra prohibitum, quia malum ſuapte natura.

(26) Audiendus Apoſtolus ad Hebræos VI. *Abrahæ*, inquit, *promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem juraret, majorem; juravit per ſemetipſum dicens: Niſi benedicens benedicam, & multiplicans multiplicabo te . . . Homines enim per majorem ſui jurant: & omnis controverſiæ eorum finis, ad confirmationem eſt juramentum: In quo abundantius volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit jusjurandum; ut per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus*. Conſtat ergo Deum juraſſe. Si juravit Deus, non erit nefas, nec peccatum jurare. Conſule Auguſtinum ſerm. CLXXX. *al.* XXVIII.

(27) S. Auguſtinus Sermone mox indicato: *Invenimus*, inquit, *juraſſe primitus ipſum Dominum, in quo non eſt omnino peccatum*. Juravit Dominus, & non pœnitebit eum &c. *Æternitatem Sacerdotii filio cum juratione promiſit. Habes etiam* per memetipſum juro, dicit Dominus: *& illud juratio eſt*: Vivo ego dicit Dominus. *Quomodo homo per Deum; ſic Deus per ſeipſum. Non eſt ergo peccatum jurare . . . . jurat Deus, qui peccatum non habet. Non ergo eſt peccatum jurare; ſed magis peccatum eſt pejerare*.

sericordias Domini &c. ubi pluries ponitur Dominum jurasse, & sub forma multiplici in illo versu 36. *Semel juravi in Sancto meo*, idest per eum. Item eodem vers. *Si David mentiar*, supple non credatis mihi, *semen ejus in æternum manebit*: Multa autem testimonia de Prophetis possunt induci ad probandum Deum jurasse, & per hoc juramentum non fuisse malum.

Nunc ponamus testimonia, quibus patet, quod populus Dei de beneplacito Dei juravit; quædam autem testimonia de Isaia prætermittimus, quia illa dicemus quando loquemur de juramento contra Valdenses. Legitur Jeremiæ 4. v.2. *Et jurabis*: (28) *vivit Dominus in veritate, & in judicio, & in justitia*. Ubi patet quod *vivit Dominus* fuit forma jurandi: Ideo autem sic jurabat Israel, ut ostenderet differentiam inter Deum verum, & idola, quæ non vivunt.

Præterea nota, quod istud faciebat Israel postquam offendicula, idest idola removerat a facie Domini, & postquam ad Dominum conversus fuerat; unde ait v. 1. *Si reverteris Israel, ait Dominus, ad me convertere*, idest non ad idola; postea subjungit eodem vers. *Si abstuleris offendicula tua a facie mea, non commoveberis*; & subdit v.2. *Et jurabis: vivit Dominus*; idest per Deum viventem, non per idola; & quid inde, *& benedicent eum gentes, ipsumque laudabunt*. Eodem vers. Istud ergo de juramento dicitur pro tempore conversionis gentium ab idolis ad Dominum; ergo pro tempore postquam Christus venit, juramentum bonum est, & licitum populo suo, & antequam Christus veniret. Aliud testimonium de eodem habetur Jeremiæ 12. v. 16. *Si erudite didicerint vias populi mei* &c. ut supradictum est in hoc capite, & discutietur cum loquemur contra Valdenses.

Item Jerem. 23. v.7. *Propter hoc ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicent ultra: Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Ægypti*: (v.8.) *sed vivit Dominus, qui eduxit, & adduxit semen domus Israel de terra Aquilonis*. Multa alia testimonia possunt ad idem induci, sicuti illud, quod habetur in Psalm. 14. v. 5. *Qui jurat proximo suo, & non decipit &c.*

Item in Psalm. 23. v.4. *Qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo*. Nunc autem aliter probemus, quod juramentum non fuit malum. Dicamus ei: ostende, ubi reperitur aliquid contra juramentum apud Prophetas? quod minime facere poterit. Ego autem ostendam tibi, quod in Prophetis nusquam vituperatur juramentum, nisi vel factum per idola, vel mendax. Contra hoc autem, quod diximus, nil inveniri contra juramentum in Prophetis, solent inducere illud quod habetur Zach. 5. v. 3. ubi dicitur: *Omnis fur judicabitur, & omnis jurans ex hoc similiter judicabitur*. Istud testimonium discutietur amplius contra Valdenses. Nunc autem dico, quod non loquitur contra jurantem, sed contra jurantem mendaciter, ut patet ex litera sequenti, v. 4. ubi dicitur: *Educam illud, dicit Dominus exercituum: & veniet ad domum furis, & ad domum jurantis in nomine meo mendaciter*. Quod autem vituperetur in Prophetis tantum juramentum factum per idola, vel mendaciter, patet Jeremiæ 5. v. 7. ubi Dominus conqueritur dicens: *Filii tui dereliquerunt me, & jurant in his qui non sunt dii*; Istud patet Jerem.12. v. 16. ubi habetur, quod jurabant in Baal. De vituperio juramenti mendaciter facti Jeremiæ 7. v. 8. *Ecce vos confiditis vobis in sermonibus mendacii, qui non proderunt vobis: furari, occidere*, (v.9.) *adulterari, jurare mendaciter*. Qualiter autem Dominus comminetur sic jurantibus, lege in prædictis capitibus & in Zacch. ubi loquitur contra jurantem mendaciter.

Item Zacch. 8. v. 17. *Et unusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris, & juramentum mendax ne diligatis. Omnia enim hæc sunt quæ odi, dicit Dominus*. [*] Nota quod non dicit simpliciter juramentum, sed juramentum mendax. Quod comminetur Dominus in Prophetis homini juranti in nomine suo sine dolo, hoc nusquam invenitur, sed quod promittat eis bonum, hoc in eis invenitur, ut patet in prædictis duobus textibus de Psalmis David. Item in prædicto testimonio Jeremiæ 12. statim subdit eodem vers. *Ædificabuntur in medio populi mei*, & in prædicto testimonio Jerem. 3. [*]

§. VII.

Probatio Ecclesiæ contra omnes hæreticos, quod juramentum sit licitum.

Viso qualiter objiciendum sit specialiter Catharis duo principia ponentibus, qui Prophetas recipiunt: Secundo videamus qualiter utrisque objiciendum sit communiter. In primis autem objiciamus illud, quod habetur ad Heb. 6. v. 13. *Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem juraret majorem, juravit per semetipsum* (v.14.) *Dicens: Nisi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te*. Ad hoc respondit aliquando hæreticus: Si juravit ut sonant verba Apostoli, quod fuit hujusmodi juramentum, & quæ forma jurandi? Constat quod ista: *Nisi benedicens*, &c. *nisi*, idest si non: & dixit quod istud non est juramentum proprie loquendo nisi per simile, quia verbum Dei immutabile est, sicut & juramentum (29) debet esse immutabile. Ad hoc dico, quod falsum dixit hæreticus, cum dixit hoc non esse juramentum, *nisi benedicens, benedicam te* &c. imo juramentum est, idest affirmatio alicujus dicti cum obligatione ad aliquid, si ita non est: nonne hoc est juramentum; Sic Deus me adjuvet, si ita est; & si non

(28) Ex hoc Hieremiæ ῥητῷ colligitur, juramentum partem esse divini cultus. Nam, ut observant interpretes: τὸ & *jurabis vivit Dominus*, sive & *jurabis per viventem Jehovam*, in idem recidit, atque *non coles alium Deum præter Jehovam*.

[*] Quæ duobus asteriscis conclusimus, desunt e *Codice Bonon.*

(29) Ita respondent Anabaptistæ, freti Johannis Chrysostomi auctoritate. Verum eos pro meritis exagitat Sixtus Senensis noster *Lib.* VI. *Biblioth. Sanctæ Annotat.* XXVI. Consulitor. Adeundus quoque Augustinus *ser.* CLXXX.

non eſt ita, non adjuvet me Deus? Utique. Similiter & iſtud eſt juramentum proprie, *Niſi benedicens, benedicam te* &c. ideſt ſi non benedixero te non credatur mihi. Item ſi quæris a me quod ſit ejus juramentum, ideſt quæ forma juramenti ejus; dicam tibi; hoc eſt per memetipſum niſi benedicens, benedicam te. Quod autem ita ſit, patet per literam Apoſtoli. Non ergo dicitur verbum Domini juramentum tantummodo per ſimile, imo & per rei veritatem, quia ſic eſt in rei veritate, ut patet manifeſte per formam jurandi per ſe ipſum; fac ergo & tu ſimiliter.

Præterea, quod non appelletur ibi juramentum ſimplex Dei promiſſio, ſed ejus promiſſio firmata juramento, patet non tantum ex forma jurandi, quam ponit litera Apoſtoli; imo etiam per hoc quod ſubdit v. 16. *Homines enim per majorem ſui jurant*. Ubi Apoſtolus oſtendit, quare Dominus juravit per ſe ipſum; quia homines jurant per majorem ſe, ideſt per Deum, qui ſolus major eſt homine, & ideo Deus juravit per ſe ipſum, ideſt per Deum: Conſtat autem quod Apoſtolus cum dicit, quia homines per majorem ſui jurant, ipſe ſumit jurare proprie. Ergo etiam quando dixit, quod Deus juravit per ſe ipſum, alioquin nullam rationem aſſignaret Apoſtolus ad oſtendendum, quod Deus juravit per ſe ipſum, ideſt per Deum, quia ſic eſt conſuetudo jurandi apud homines. Idem etiam patet ex eo, quod dicit Apoſtol. eodem verſ. *Et omnis controverſiæ eorum finis, ad confirmationem eſt juramentum*. Conſtat autem, quod hic ſumitur juramentum proprie, ergo & ibi cum dicitur, quod Deus juravit per ſemetipſum. Sequitur v.17. *In quo abundantius volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilii ſui*, ſupple, quam promiſerat ſimpliciter, interpoſuit jusjurandum, ad oſtendendum conſilium, ideſt decretum ſuum, quod ei dicebat eſſe immobile, ſcilicet ſimplicem promiſſionem, interpoſuit, id eſt inter illam promiſſionem ſimplicem, & ejus impletionem poſuit; ergo aliud eſt ſimplex promiſſio quam juramentum.

Præterea dicit, quod volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilii ſui interpoſuit jusjurandum; ergo ad confirmationem conſilii ſui, ideſt decreti, quod Abrahæ dicebat, appoſuit jusjurandum, ergo juravit proprie loquendo.

Præterea dicit v. 18. *Ut per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus*. Quæ ſunt duæ res immobiles? Dic ſi ſcis. Ego enim dico: quod hæ duæ res ſunt ſimplex promiſſio Dei facta primo Abrahæ, de qua dicit Apoſtolus: *Abrahæ namque promittens Deus*, ſupple, ſimpliciter: & hæc promiſſio habetur Geneſ. 15. v. 5. *Suſpice Cœlum* (dixit Dominus Abrahæ) *& numera ſtellas ſi potes*: *Et dixit ei*: *Sic erit ſemen tuum*. Alia res fuit juratio ejuſdem facta, Geneſ. 22. v.17. ubi juravit ſibi, quod ejus ſemen erit ſicut ſtellæ Cœli. Aliud ergo eſt juramentum Dei, quam ſimplex promiſſio ejus licet utraque ſit res immobilis, ideſt invariabilis, ſicut & Deus invariabilis eſt. [*] Ecce ego teſtimonium habeo illius, quod dico, & illarum duarum rerum immobilium, quas Apoſtolus dicit. Si alias duas res immobiles potes oſtendere circa Abraham, oſtende mihi teſtimonium, vel victus es. [*] Qualis autem Deus ſit iſte, qui ſic juravit, oſtenſum eſt in ſecunda parte hujus operis de Deo Veteris Teſtamenti, quia Deus bonus, & ſanctus; ergo juramentum factum per ipſum bonum fuit.

Præterea dic: *In quo abundantius* &c. in quo ſcilicet pro quo, ideſt quia ſic eſt conſuetudo apud homines, ergo juramentum hominum bonum fuit &c. quia dicit, *jurant*, quod eſt præſentis temporis: Apoſtolus hoc non arguit, imo dicit, quod Deus ad exemplum hominis per Deum, ideſt per ſe ipſum juravit; Cum ait, *in quo*, ideſt quia ſic faciunt homines. Conſtat autem quod Deus id, quod male fit ab homine, in ſe non ſervaret, ſervat autem, quia dicit *in quo*, ideſt pro quo ſervando &c.

Præterea, quod juramentum ſit bonum patet per fructum, quia eſt finis controverſiæ; cujus autem finis bonus, ipſum quoque bonum: arbor enim mala, malos fructus facit, ut dicitur Matth. 7. v. 17.

Aliquando autem dixit hæreticus aliam ſolutionem auctoritatis Apoſtoli; dixit enim quod licet jurare poſſit Deus, non tamen homo, quia Deus (30) homini prohibuit; & poſuit ſimile quoddam: Si Rex prohibet ſervo ne faciat illud, quod ipſe vult facere, & facit; ſi ſervus vult illud facere ad ſimilitudinem Regis, & facit, nonne cadit in iram Regis? Utique: ita eſt & in juramento.

Contra: Deus prohibuit ſervo ſuo jurare? dic ubi. Dicit, in Matth.5. v.34. *Ego autem dico vobis non jurare omnino*. Nunquid (31) Deus iſtud juramentum facit, quod prohibuit? Certe non:

Præterea, ſi dicas quod ſic: Contra: Ego poſſum oſtendere tibi per ſcripta tua, quod Deum Veteris Teſtamenti accuſas, quia jurabat, & jurare permittebat; quare ergo eum accuſas de hoc ſi bonum eſt? Et procede, ut proceſſum eſt ſupra in ſecunda parte ſecundæ partis hujus capitis. Omnibus etiam hæreticis, qui juramentum negant eſſe licitum, dici poteſt illud Apocal.10. v.2. quod Angelus (32) tenebat pedem dexterum ſuper mare, & ſiniſtrum ſuper terram. v. 6. *Et juravit per viventem* in

[*] Quæ duobus aſteriſcis concluſimus, non extant *in Codice Bononienſi*.

(30) Ita neſcio quis e Valdenſium ſecta, reſpondit. Nam Catharus, qui jusjurandum ſuapte natura non licere putabat, numquam eam adhibuiſſet reſponſionem. Objicit ſibi hoc idem S. Auguſtinus *Sermone* CLXXX. alias XXVIII. *De Verbis Apoſtoli*. „ Fortaſſe, *inquit*, quis dicat, non eſſe reſpondendum de Domino „ Deo jurationis exemplum. Deus enim eſſet, & forte illi ſoli „ competit jurare, qui non poteſt pejerare.

(31) S. Auguſtinus ita diſſolvit, quod ſibi oppoſuerat: Homines etſi falli poſſint, aut fallere; modo tamen ne reipſa fallant, animo decipiendi, jurare poſſe. Ream namque non facere linguam, niſi mentem ream. Quod ſi Deus vetuiſſet juris jurandi Sacramento rem vocatam in controverſiam confirmare, non concederetur in Veteri, Novoque Teſtamento mortalibus facultas jurandi. Conceditur autem: cum *Levitici* XIX. *Capite* præſcriptum ſit: *Non pejerabis; reddes autem Domino jusjurandum tuum*; conſtetque ſæpe ab Apoſtolo fuiſſe adhibitum jusjurandum.

(32) Adpoſite *Innocentius III. in Epiſtola ſæpius laudata ad Abbatem Caſtellionenſem*. „ Angelus, *inquit*, quem vidit in Apo-
„ calypſi

in sæcula sæculorum, qui creavit cœlum; & ea quæ in eo sunt: & terram, & ea quæ in ea sunt: & mare, & ea quæ in eo sunt: Quia tempus non erit amplius. Ubi potes videre formam jurandi ipsius Ecclesiæ, scilicet per Deum viventem, & levando manum, & applicando eam libro, quia ibi dicitur v.2. quod in manu sua habebat libellum apertum, & levavit manum suam, & juravit, ut dictum est; formam ergo jurandi dedit Ecclesiæ. Solutionem talem ad hoc dedit hæreticus: quia non est simile, quia jurare est prohibitum homini, non Angelo; quia homo fragilis est, qui si jurat, potest pejerare. Ad hoc autem potes objicere, si ideo prohibitum est homini quia potest pejerare; ergo prohibitum est tantum in illo casu, quando pejerare potest; ergo ubi non potest pejerare, licet ei jurare.

Præterea, si ideo prohibitum est homini, quia potest pejerare; ergo & eadem ratione prohibitum fuit ei loqui, quia potest mentiri; & procede ut prius habitum est supra in secunda parte secundæ partis hujus capitis.

Præterea, dicis quod non est prohibitum Angelo; Nunquid habes testimonium, quod licet Angelo aliquid facere quod mihi sit prohibitum? Scio quod non habes: Si dicas quod hic ita est; ostende hoc, cum in nullo alio simile invenias.

Præterea, nonne lex data est Angelo sicut & homini? Si dicat quod sic; ergo si licet ei jurare & mihi. Si dicat quod non est ei data, & ideo licet ei jurare, quod mihi prohibitum est; ergo eadem ratione poterit furari, & mæchari, & hujusmodi alia facere sine omni peccato, quod falsum est; similiter & falsum testimonium dicere sine peccato poterit.

Præterea, si licet Angelo jurare quod mihi prohibitum est; ergo jurare bonum est, licet non mihi, quare ergo mihi accusas Deum Veteris Testamenti, cum ei etiam non sit data lex de hoc.

Præterea, hoc non esset malum homini, nisi quia prohibitum est; de hoc autem objectum est supra in secunda parte secundæ partis hujus capitis.

Præterea, si Angelo non fuit data lex, ubi autem nec lex, nec prævaricatio; ergo non peccaverunt Angeli Dei.

Præterea, secundum hoc oportebit dicere quoddam falsum, scilicet quod Adam non peccavit si non fuit ei data lex; dicunt enim quod Adam fuit Angelus de cœlo.

Præterea, nonne tu dicis quod nostri spiritus traducti sunt ex Adam, idest ex spiritu ejus, sicut caro ex carne? Ergo si spiritus Adæ Angelus, & spiritus nostri Angeli sunt; sicut enim equus equum generat, ita si Angelus generat ex se ipso, oportet quod generet Angelum; si autem sumus Angeli, igitur si Angelis non est data lex, nec nobis, vel si data est nobis, data est Angelis.

Si dicat, quod quibusdam Angelis data est lex, scilicet illis qui in carne ista sunt, aliis vero non.

Contra: Secundum hoc non peccaverunt Angeli in cœlo, secundum te qui ponis unum principium, cum non essent tunc in carne sicut modo sumus.

Dixit quidam hæresiarcha Desiderius (33) nomine, credens per hoc fugere objectionem, quod illa verba Apostoli intelliguntur prophetice, quod etiam voluit probare ex eo quod dicitur Apocal. 1. v. 3. *Beatus qui legit, & audit verba prophetiæ hujus, & servat ea quæ in ea scripta sunt.* Sed quid ad rem de tua responsione? licet enim prophetice locutus dicatur, non minus tamen sic fuit, ut vidit, alioquin visio sua fuisset falsa; vis ne dicere quod visiones Johannis falsæ sint? Quomodo dicetur *Beatus qui legit & audit* &c.? Nonne David dixit Psal. 21. v. 18. Prophetice *foderunt manus meas*? Et tamen sic fuit? Similiter dixit, quod allegorice dicitur; ille enim Angelus Christum significat. Sed nec hoc facit ad rem, quia non minus fuit Angelus in veritate, licet Christum significet, & ille Angelus in tali specie apparuit, qualem describit Johannes, & dicit se vidisse quod habuit librum in manu, & levavit manum ad cœlum, & juravit per viventem in sæcula sæculorum, idest firmiter promisit, ut tu ipse exposuisti hæretice: Sed constat quod promisit sub forma jurandi, idest per viventem in sæcula sæculorum, vade & tu fac similiter.

Præterea, nunquid ejus jussio falsa? Absit. Sed objicit hæreticus: si ita dicis fuisse ut vidit; ergo fuit liber etiam in manu ejus, & comedit eum.

Solutio: Sicut Angelus apparuit ei in specie hominis, ita etiam doctrina Christi apparuit ei in specie libri, & Johannes vidit illam imaginem, idest doctrinam Christi, quæ per illam imaginem significabatur, imaginaria visione, idest in specie manus. Et vidit Angelum comedentem illam imaginem idest doctrinam Christi, qua per illam imaginem significatur sibi ipsi incorporare, & inde se nutrire sicut dicit Apostolus Timotheo, quod erat enutritus verbis fidei & bona doctrina 2. Timothei 3. Quidquid inde sit, hoc vidit, idest cognovit Johannes, quod juravit habens in manu, idest in specie manus librum, idest libri speciem sive imaginem, & levans eam ad cœlum juravit, idest firmiter promisit: hoc sine dubio ita fuit, quod ille Angelus sic promisit, quamvis illa omnia essent allegorica. [*] Unde

 sub

„ calypsi Johannes, stantem super mare, & super terram, levavit „ manum suam ad cœlum, & juravit per viventem in secula seculorum. Christus etiam plus legitur dixisse in Evangelio, quam „ *est est, non non*, cum sæpissime dixerit: *Amen, amen dico vobis*, quod ipse secundum Lucam exponens, cum præmisisset: „ *Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patria sua*; „ consequenter adjunxit: *In veritate dico vobis, quia multæ viduæ erant in diebus Heliæ in Israel*. Apostolus quoque jurabat, „ cum diceret: *Testis est mihi Deus*: & iterum: *Quotidie morior per gloriam vestram fratres*: quæ græca exemplaria manifestissimam jurationem esse ostendunt. Si etiam per se malum „ esset jurare, profecto Dominus non jurasset .... *Juravit Dominus David veritatem*. Immo & præcepit in Veteri Testamento: *Redde Deo juramenta tua*. Eo autem ait Innocentius *per gloriam vestram*, juramentum esse, idque jam constare ex Græcis exemplaribus, quo Apostolus, non *διὰ τὴν ἡμετέραν*, sed *νὴ τὴν ἡμετέραν καύχησιν* dicat. *τὸ νὴ* autem nota jurisjurandi apud Græcos est. Fortasse ab Augustino id accepit Innocentius. Videndus Augustinus *Sermone* CLXXX. *al.* XXVIII. *De Verbis Apost. Tom.* V. *Opp.*

(33) Non solum ab Auctore vitæ S. Petri Martyris, verum etiam a S. Thoma hujusce Desiderii hæretici Cathari fit commemoratio. Vide S. Thomam *Opusculo* XIX. *Cap.* VI. *pag.* 185. *col.* 1. *Edit. ann.* 1562. quo loco eum appellat *Hæresiarcham Lombardum nostri temporis*. Nempe *hæresiarcham* vocavit, quia filius major Catharorum erat, *sui temporis*, quod seculo XIII. quo floruit S. Thomas, Desiderius idem Ecclesiam infestarit. Fuit tamen Desiderius aliquanto antiquior Thoma.

[*] Non exstant hæc in *Cod. Bononiensi*, quæ duobus asteriscis conclusimus.

ſub iſta forma *per viventem in ſæcula ſæculorum*, *quod tempus non erit amplius*; Verum eſt poſt vocem ſeptimi Angeli ut jam dixi; fac & tu ſimiliter & noli juramentum deteſtari in cauſſa neceſſitatis propria vel fraterna factum [*]; Simile habetur Daniel. 12. v. 7. ibi enim jurat vir indutus lineis.

Nunc per Apoſtolum idem probemus omnibus hæreticis, quem conſtat juraſſe cognito quid eſt juramentum. Rom. 1. v. 9. *Teſtis enim mihi eſt Deus*; vel Rom. 9. v. 1. *Veritatem dico in Chriſto non mentior, teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea in Spiritu Sancto*. Item 2. Corinth. 1. v. 23. *Ego autem teſtem Deum invoco in animam meam*; ſenſus eſt, ideſt contra animam meam &c. Iſtud autem Juramentum gravius eſt quam ſi dicam, ſi Deus me adjuvet ita eſt; ideſt non me adjuvet Deus, ſi ita non eſt; Majus autem malum eſt contrarium eſſe alicui, quam non juvare eum. Et nota quod non dixit in anima mea; quia non intendebat dicere, ego in anima mea invoco Deum teſtem, ſed dixit *in animam meam*, ideſt contra eam; ſicut Matth. 10. v. 21. dicitur: *Inſurgent filii in parentes*, ideſt contra eos.

Item 1. Corinth. 8. v. 12. *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis*, ideſt contra fratres, & contra Chriſtum, Si alium ſenſum vis ponere in illis verbis *in animam meam*, oſtende per teſtimonium aliquod, ſicut ego oſtendo quod dico.

Item omnibus hæreticis dici poteſt: Quod ſi poſſunt oſtendere aliquam fieri comminationem jurantibus vere, & in neceſſitate; ego enim dico quod ſolis perjuris comminatur Scriptura, ut Malach. 3. v. 5. *Et accedam ad vos in judicio & ero teſtis velox, maleficis, & adulteris, & perjuris*; & loquitur de univerſali adventu ad ipſum; unde ſupra locutus fuit de primo adventu: *Ecce ego mitto Angelum meum* ideſt Johannem Baptiſtam, ut habetur Mat. 11. v. 11. Item 1. Timoth. 1. v. 9. & ſeq. lex poſita eſt mendacibus & perjuris, non dixit jurantibus; & loquitur de lege vindictæ.

Item Matth. 19. v. 17. dixit Chriſtus cuidam adoleſcenti: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*; (v. 18.) *Dicit ille, quæ? Jeſus autem dixit: Non homicidium facies, non adulterabis, non falſum teſtimonium dices*; ubi prohibetur falſum juramentum, quod comprehendit in falſo teſtimonio. Iſte nulla alia mandata ſciebat niſi mandata legis, in qua conceſſum erat juramentum; nec alia dixit ei per quæ veniret ad vitam, & tamen jam dixerat Mat. 5, v. 34. *Ego autem dico vobis, non jurare omnino*; Ergo ibi non prohibuerat juramentum; alioquin ſi ibi eſſet prohibitum, ſicut monuit quod caveret ab adulterio, ita etiam monuiſſet quod caveret ab juramento; hoc autem non dixit, ſed dixit quod caveret a falſo teſtimonio, in quo pejeratur quia teſtes (34) jurant.

Præterea Matth. 23. v. 2. dicitur: *Super Cathedram Moyſi* &c. iſtud dictum eſt diſcipulis, quibus dixerat, *ego autem dico non jurare omnino*; diſcipuli illud audierant, & tamen hic dixit, quod faciant omnia ſibi data a Scribis, & Phariſæis, quæ ſpectabant ad legem, quæ nondum ceſſaverat, ſed ad legem Moyſi ſpectat jurare per Deum in caſu neceſſitatis; ergo poterant tunc jurare non obſtante illo verbo; *Ego autem dico vobis &c.* Ergo & modo poteſt fieri juramentum licite, non obſtante eodem verbo: Valet etiam magis contra Valdenſes.

Item Matth. 5. v. 17. *Noliſe putare quoniam veni ſolvere legem aut prophetas: Non veni ſolvere, ſed adimplere*. Et ſubdit v. 33. *Iterum audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non perjurabis: Reddes autem Domino juramenta tua*. (v. 34.) *Ego autem dico vobis non jurare omnino*. Si Dominus caſſaſſet illud *non perjurabis*, ſolviſſet legem; ſimiliter ſi caſſaſſet illud *Reddes autem Domino juramenta tua*; ergo cum non ſolveret legem, ut ipſe ait, dicto illo verbo, *ego autem dico &c.* adhuc licitum eſt Domino juramenta reddere, ideſt per ipſum jurare, & quod juramus ejus timore attendere. Hoc autem argumentum etſi contra omnes ſit, maxime tamen contra Valdenſes.

§. VIII.

Probatur teſtimoniis Prophetarum, quod juramentum non eſt caſſum.

ULtimo ad confirmationem juramenti volumus inducere teſtimonia de Prophetis, quibus pateat juramentum non fore caſſandum, ſed confirmandum in Novo Teſtamento; & quia illi Cathari, qui unum principium ponunt (35), non recipiunt Prophetas, iſte modus non eſt tam efficax contra eos, ſed eſt contra alios Catharos, & contra Valdenſes. Jam autem unum teſtimonium induximus de Jeremia 3., ubi locuti ſumus in hoc capite contra illos qui duo ponunt principia ſpecialiter. Ad idem etiam valet illud verbum Jeremiæ 12. v. 16. *Et erit: Si eruditi didicerint vias populi mei, ut jurent in nomine meo, vivit Dominus, ſicut docuerunt populum meum jurare in Baal: ædificabuntur in medio populi mei*. Quod ergo loquatur de tempore gratiæ, patet in eodem capite v. 7. ubi dicit: *Reliqui domum meam*, ideſt templum, de qua dixerat cap. 7. v. 11. *Nunquid ergo ſpelunca latronum facta eſt domus iſta, in qua invocatum eſt nomen meum in oculis veſtris?* quod teſtimonium ponit Chriſtus Mat. 21. v. 13. unde 23. v. 38. ait Chriſtus: *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta*.

Item Jeremiæ 22. v. 5. *In memetipſo juravi, dicit Dominus: quia in ſolitudinem erit domus hæc*. Sequitur Jerem. 12. v. 7. *Dimiſi hæreditatem meam*, ideſt populum Iſrael, de quo ait Iſaiæ 19. v. 25. *Hæreditas autem mea Iſrael*. Sequitur eodem Ver. *Dedi dilectam animam meam in manum inimicorum ejus*; Johan. 10. v. 15. *Animam meam pono pro ovibus meis*. Sequitur v. 8. *Facta eſt mihi hæreditas mea, quaſi leo in Sylva, dedit contra me vocem*, ſcilicet crucifige, crucifige eum; unde in Pſ. 21. v. 14. *Aperue-*

(34) Cum ex Veteri Teſtamento, tum in Eccleſia, qui teſtes vocantur, ut fidem de re quapiam faciant; plerumque jurare coguntur. Quæ res, quoniam per ſe ipſa certa eſt; non eſt cur in ea probanda operam, ſtudiumque conſumam.

(35) Nempe Concorrezenſes.

ruerunt super me os suum, sicut leo rapiens, & rugiens: loquitur ibi Christus, ut patet si inspiciatur Psalmus, in quo ait v. 19. *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*. Et post pauca subjungit Jeremias v. 16. *Et erit: Si eruditi didicerint* &c. Ergo juramentum per Deum post adventum Christi licitum est secundum Prophetas.

Item Jerem. 23. v. 5. postquam de Christo prophetaverat dicens: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & suscitabo David germen justum: & regnabit Rex, & sapiens erit: & faciet judicium, & justitiam in terra*. (v. 6.) *In diebus illis salvabitur Juda, & Israel habitabit confidenter: & hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster*, statim subdit, v. 7. *Propter hoc ecce dies veniunt dicit Dominus, & non dicent ultra: Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Ægypti*. (v. 8.) *Sed: Vivit Dominus, qui eduxit, & adduxit semen domus Israel de terra Aquilonis*. Propter hoc dicit Dominus, idest propter Christi adventum: Istud germen David quod est, nisi illud de quo dicitur Lucæ 1. v. 32. *Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus &c.* de quo etiam Isaiæ 9. v. 7. *Super solium David, & super regnum ejus sedebit; ut confirmet illud, & corroboret in judicio, & justitia*. Idem dixit Jerem. 3. v. 5. *Et regnabit Rex & sapiens erit: & faciet judicium, & justitiam in terra*.

Item Isaiæ 19. v. 18. *In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti, loquentes lingua Chanaan, & jurantes per Dominum exercituum: Civitas solis vocabitur una*. (v. 19.) *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini juxta terminum ejus*. (v. 20.) *Et erit in signum, & in testimonium Domino exercituum in terra Ægypti. Clamabunt enim ad Dominum a facie tribulantis, & mittet eis Salvatorem, & propugnatorem qui liberet eos*. Istud igitur dicitur pro tempore adventus Salvatoris, & dicitur quod jurabunt per Dominum exercituum; Propheta igitur confirmat jusjurandum in tempore gratiæ, & laudabat ipsum factum per Deum.

Item Isaiæ 46. v. 23. ubi dicitur: *Quia mihi curvabitur omne genu, & jurabit omnis lingua*; quod dicitur pro tempore postquam Christus venit, ut patet ad Roman. 14. v. 11. ubi istud introducitur pro tempore adventus Christi, & ad Philipp. 2. v. 20.

Item Isaiæ 65., ubi loquitur de abolitione legalium per Christi adventum, dicit ad laudem gentium, & confusionem Judæorum, & desertorum v. 15. *Et dimittetis nomen vestrum in juramentum electis meis*. Nomen vestrum, dicit ad Judæos, quia nomen Dei solebant invocare, & per illud jurare. Qui sunt isti electi, dicitur Rom. 11. v. 7. *Quod quærebat Israel: hoc non est consecutus, electio autem consecuta est*. Id est genus electum, de quo 1. Petr. 2. v. 9. Isti electioni dimiserunt Judæi nomen suum, idest nomen Dei, quod nomen prius invocabant; Dimiserunt dico; ad quid? In juramento: De hoc nomine Malach. 1. v. 11. *Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus*. De hoc juramento gentium per nomen Domini Dei Isaiæ 65. post verba prædicta v. 16. *Et qui jurat in terra, jurabit in Deo, amen*.

Item Psalm. 62. v. 12. *Laudabuntur omnes qui jurant in eo*; idest per eum. De Christi adventu ad patrem ejus locutus David eodem Ps. v. 9. ait: *Me suscepit*, idest naturam humanam, *dextera tua*, idest filius tuus, & ponit præteritum pro futuro, sicut mos est Prophetis; & statim subdit de Christo v. 12. *Rex vero*, idest Christus, *lætabitur in Deo*, idest in Patre suo; & ponit postea eodem vers. *laudabuntur omnes, qui jurant in eo*. Quia dicit, illi laudabiles erunt. Obstruatur autem hæreticorum os iniqua loquentium de Christo, & de ejus doctrina dicentes, quod ipsum prohibuit Matth. 5. Ad idem valet illud Psalm. 14. v. 1. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* idest in Ecclesia; *aut quis requiescet in monte sancto tuo?* idest in cœlesti patria, quæ dicitur mons propter altitudinem, & firmitatem; & postea solvit dicens inter alia v. 4. *Qui jurat proximo suo, & non decipit* (36). Ergo Ecclesiæ non est prohibitum jurare. Simile habetur in Psalm. 23. *Domini est terra &c.*

CAPUT X.

De illo mandato: Memento ut diem Sabbati sanctifices. Exodi 20. v. 8.

§. UNICUS.

De Sabbato, & de die Dominico.

Transeamus ad decimum caput, & videamus de hoc mandato: *Memento ut diem Sabbati sanctifices*. Istud mandatum ad literam servabant Judæi; una causa quare Dominus præcepit eis Sabbatum observandum, fuit hæc, scilicet, ut essent memores inchoationis mundi, ne dicerent mundum coæternum Deo; unde Exodi 31. v. 16. *Custodiant filii Israel Sabbatum, & celebrent illud in generationibus suis. Pactum est sempiternum* (v. 17.) *inter me, & filios Israel, signumque perpetuum*; postea subdit causam quam dixi, eodem vers. *Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, & in septimo ab opere cessavit*. Secunda causa quare Dominus illud præcepit eis, fuit, ut essent memores illius beneficii quo eduxit eos Dominus de servitute Ægypti, in qua non poterant sabbatizare, idest quietem habere, ut habetur Exodi v. 18. & seq. Istam causam ponit Dominus Deutor. 5. v. 15. *Memento quod & ipse servieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento*; & addi-

(36) Præstat extremo loco Johannem Chrysostomum, ab ea, quam illi Anabaptistæ impingunt, calumnia liberare. Etsi ergo Johannes juramentis minus æquus fuisse videatur, prima quidem specie; non tamen jusjurandum ipsum, sed pessimam, quæ apud Antiochenos invaluerat, consuetudinem sine necessitate jurandi, execratur, pugnareque dixit cum Evangelio. Alioquin cur passus fuisset ipse, & qui tum erat Episcopus, ut ipso inspectante Antiocheni contendentes, ad altare accederent, ibique jurarent? Vide *Hom.* xv. ad *Pop. Antioch.* Cur non imposita fuit iis pœnitentia? cur non expellebantur a templo? si juramentum tam ingens, publicumque peccatum erat: quemadmodum pellebantur ii, qui peccatis publicis aliis sese implicarent?

addidit eod. verſ. *Idcirco præcepit tibi,ut obſervares diem Sabbati*.

Antequam ulterius procedamus, reſpondendum eſt cuidam objectioni Judæorum qui dicunt nos eſſe tranſgreſſores illius mandati; cum dicatur Exod. 31. v. 16. & 17. quod ſempiternum ſit atque perpetuum. Si autem dicamus eis, non eſſe datum illud mandatum nobis ad literam, quia tantum Judæis datum eſt; objicient de Apoſtolis, qui Judæi fuerunt, & tamen illud non obſervaverunt.

Solutio: Ubi nos habemus *ſempiternum*, ibi habent *in ſeculum*; quod autem iſtud finem habeat aliquando, patet Exodi 21. v. 1. & ſeq. ubi de ſervo hebræo, qui non vult egredi liber anno ſeptimo v. 6. *Et erit ei ſervus in ſeculum*; & eſt ſenſus uſque ad Jubilæum; ſic ergo habes o Judæe quod ſempiternum vel perpetuum non ſemper privat fine. Ita ſumitur Exodi 31. & Geneſ. 17. de circumciſione.

Præterea, Dominus ſabbati exemit nos ab illo mandato, ut patet Marci 2. v. 28. ubi dicitur: *Itaque Dominus eſt filius hominis, etiam ſabbati*.

Præterea, ſignum fuit & figura ſabbati ſpiritualis in populo Chriſtiano, unde ſignato veniente, debet ceſſare ſignum; quod autem ſignum ſit, patet ex prædictis verbis Exodi 31. Sciendum autem quod ſicut Judæi ſabbatum obſervant, ita etiam nos obſervamus diem Dominicum, hoc excepto, quod illi abſtinebant ab aliquibus in ſabbato, a quibus nos non abſtinemus in die Dominico: [*] quem diem nos obſervamus ex conſtitutione Eccleſiæ: & ob reverentiam Chriſti, qui illo die (1) natus eſt; illo die (2) reſurrexit; illo die Spiritum Sanctum miſit [*]. Si enim Judæis indictum eſt ſervare ſabbatum in memoriam beneficii liberationis materialis, ad honorem liberatoris: cur non licebit Eccleſiæ conſtituere illum diem eſſe feſtivum ad honorem Chriſti, & in memoriam liberationis ſpiritualis de ſervitute diaboli facta per Chriſtum? Item Judæi ſabbatizabant, ut Legi Veteri vacarent, quæ neminem duxit ad perfectum ſtatum æternæ liberationis, quare non vacabit Eccleſia Dei die Dominico, ut vacet Evangelio quod ducit ad perfectum, ideſt ſtatum æternæ beatitudinis? alias etiam feſtivitates ſervamus ex conſtitutione Eccleſiæ, ideſt veneratione ſanctorum & in memoriam ipſorum, ideſt ut memores ſimus operum eorum ad faciendum ea. Ecce quam rationabilis cauſa inſtitutionis Eccleſiæ; quod autem ipſa conſtituere poſſit, patet ſupra cap. 6. hujus partis.

Contra iſtud objicit hæreticus, ſcilicet Catharus & Valdenſis id quod habetur ad Galatas 4. v. 10. *Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos*; & ſubdit v. 11. *Timeo, ne forte ſine cauſa*, ideſt fructu, *laboraverim in vobis*; Ergo peccatum eſt obſervare dies.

Item ad Colloſſenſes 2. v. 16. *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbatorum*.

Solutio: Apoſtolus arguebat eos qui Judaizabant, (3) ideſt more Judæorum illa obſervabant, quæ præcepta erant in lege Domini, propter quod etiam obſervabant circumciſionem; unde eos arguens dicit cap. 5. v. 1. *Quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit*. Item v. 2. *Teſtificor autem rurſus omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ*. Dicit ergo eis increpans eos: *Dies obſervatis*, ideſt ſabbata, & neomeniam, ideſt novam lunam, initium, ſcilicet, lunationis, & decimam quartam diem a veſpera uſque ad vigeſimam primam ejuſdem menſis, quando azyma comedebant. Menſes etiam obſervabant, ſcilicet menſem ſeptimum, quia in eo obſervabant primam diem. Item decimam quintam uſque ad vigeſimam ſecundam diem, ut habetur Numer. 29. v. 1. 12., & ſeq. & dicitur iſta feſtivitas *Scenopegia*. Tempora etiam obſervabant, ter in anno venientes Jeroſolymam, credentes implere præceptum illud Exodi 23. v. 17. *Ter in anno apparebit omne maſculinum tuum coram Domino Deo tuo*. Annos etiam obſervabant, ſcilicet ſeptimum annum, & quinquageſimum, qui dicitur Jubilæus, de quibus habetur Levitici 25. v. 4. & 10. Similiter quod dicitur ad Colloſſenſ. 2. *Nemo ergo vos judicet in cibo aut in potu, aut in parte diei feſti*, ſcilicet Judaici; unde etiam diem feſtum per partem exponens ait: *aut neomeniæ*, *aut*

[*] Quæ duobus aſteriſcis comprehendimus, deſunt e *Codice Bononienſi*.

(1) Non conſtat, eo ne die Chriſtus reſurrexerit. Nondum enim convenit inter Chronologos in conſtituendo anno, dieque Natali Chriſti.

(2) Hæc eſt ratio, quæ Apoſtolos induxit, ut non ſabbatum, ſed diem Dominicum celebrarent. Diei dominicæ meminit Johannes Evangeliſta *Cap.* I. *Apocalypſ.* v. 10. appellatque *κυριακὴν ἡμέραν*. *Dominicum diem*. Apoſtolus Paulus I. *ad Cor. Cap.* XVII. *per unam ſabbati* collectas fieri jubet, ad ſublevandas Eccleſias; fiebant autem eo die conventus Chriſtianorum ad frangendum panem, ut auctor eſt Lucas *Actor. Cap.* XX. *una autem ſabbati*, dicebatur *Dominicus dies*, quod primus poſt ſabbathum ſequeretur. S. Ignatius Martyr, in ſinceris Epiſtolis nominat *Dominicum diem*. S. Juſtinus *Apologia* II. in calce hæc debet: *Solis autem die communiter omnes conventum agimus: quandoquidem is primus dies eſt, quo Deus tenebris, & materia, quam prius creaverat, verſa, mundum effecit: & Jeſus Chriſtus ſervator noſter, eo ipſo die a mortuis reſurrexit*. Videndi Plinius *Epiſt. de Chriſtianis ad Trajanum Imperatorum*. *S. Leo Epiſtola* XI. *al.* LXXXI. *ad Dioſcorum Alexandrinum*, & Concilium *Pariſienſe* VI. *lib.* I. *can.* I. Conſule Thomaſſinum *Lib. de Feſtis*. *Cap. de Dominica*. Quod addit Moneta de Spiritus Sancto miſſo die Dominico, conſonat iis, quæ habet S. Leo in mox laudata Epiſtola; quamvis multi Chronologi reſiſtant.

(3) Eſtius *in* IV. *Cap. Epiſt. ad Galatas* v. 11. „ Partibus explicat Apoſtolus, *inquit*, quod in genere dixerat, eos iterum „ converti ad infirma, & egena elementa. Locum hunc Ambro- „ ſianus accipit de ſuperſtitioſis obſervationibus dierum ac tempo- „ rum, dum ea fauſta, vel infauſta putantur. Quem errorem a „ gentilitate ad Chriſtianos permanaſſe, ſæpe queritur Auguſti- „ nus; qui etiam eodem ſenſu verba hæc accepit Enchiridii „ *Cap.* LXXIX. ſed & in Commentario ſenſum hunc affert priore „ loco. Verum mox alterum præfert, quo de Judaicis obſerva- „ tionibus exponitur, utpote ſcopo totius Epiſtolæ congruen- „ tem. Quæ eadem expoſitio eſt Hieronymi, Chryſoſtomi, Theo- „ phylacti, & aliorum. *Dies* ergo, quos obſervabant Galatæ a „ Pſeudo-Apoſtolis edocti, erant, verbi gratia Sabbatum, Neo- „ menia, Scenopegia, ceteræque ſolemnitates Judaicæ. *Men-* „ *ſes*, ut primus, & ſeptimus feſtorum cauſa celebriores. *Tempo-* „ *ra*, quale eſt, ait Hieronymus, ter per annos ſingulos Hieroſolymam venire. *Anni* denique, ut ſeptimus annus remiſſionis, „ & quinquageſimus Jubilæi. Ex his porro liquet, quam prave „ detorqueant hanc Apoſtoli ſententiam hæretici ad reprehenſionem „ ejus conſuetudinis, qua certos quoſdam dies feſtos annua cele- „ britate recurrentes . . . ex Eccleſiæ præcepto fideles obſervant. „ Hæc enim Eccleſiaſtica dierum ac temporum obſervatio, neque „ ad ſuperſtitionem gentilium pertinet, neque ad legem a Chriſto „ abrogatam, ſed ex Apoſtolica Traditione deſcendit.

aut Sabbatorum. Dies ergo festi Judaici non sunt observandi, sed dies ab Ecclesia instituti, ut dictum est. (4)

CAPUT XI.

De novitate mundi, & de rationibus, quibus Philosophi probant mundum esse æternum.

Sequitur undecimum caput de novitate mundi, quæ ex illo mandato intelligitur: *Memento ut diem sabbati sanctifices*; quia ad eam insinuandam datum est, ut ostendimus in principio capitis præcedentis. Istud autem caput hic ponimus propter quosdam Philosophis gentium adhærentes, (1) qui æstimant mundum ab æterno sic fuisse, & sine fine duraturum.

Opiniones hominum de æternitate, vel novitate mundi apud homines qui credunt, quod Deus est, sunt tres. Prima est catholicorum virorum, & recte credentium, & est quod totus orbis, & omnia quæ in ipso sunt per Creatorem habuerunt esse post non esse absolutum, idest non ens simpliciter, idest tam actu, quam potentia materiali sive passiva; Et quod solus Deus sit ens æternum sine causa, & sine initio, & sine inchoatione essendi; sed omnia alia duplicem habuerunt originem, scilicet causalem, & initialem, producta enim sunt de non esse in esse per virtutem causæ primæ cujus est causare, idest de novo aliquid facere, idest de non ente tam actu, quam potentia materiali, ut deducat ordinem in ratione ejus, quod est creare; negatio autem privat ordinem materiæ, ex qua non causam tamen, nec omnem privat ordinem materiæ secundum naturam, sive secundum causam, cum materia universaliter & causaliter prior sit materiato ex ea, licet non tempore; & sensus est: Deus de nihilo creavit, idest de non præjacente materia secundum tempus. Ex his patet in quo distinguatur creare ab eo, quod est generare, quia generare sicut vult Philosophus, & bene, in hoc est, de non ente simpliciter actu, sed de ente potentia, unde sic non privatur ordo materiæ ad materiatum, sed potius ordo subjecti, ut subjectum dicatur materia jam tracta in speciem, sicut si dicerem de non igne fit ignis, de non igne prius fit ignis posterius.

Secunda opinio, est sententia Philosophorum qui dicunt, quoniam vanum est credere, quod Creator faciat aliquid ex nihilo; secundum quos non potest aliquid corrumpi in nihilum; hoc est dicere, quod nihil fit ex privatione simpliciter & absoluta ipsius materiei, nec convertitur ad privationem simplicem & absolutam ejusdem materiei: privationem absolutam dicunt privationem esse actualis, & possibilis possibilitate materiali; dicunt enim quod hoc idem esset ac si crearet quadratum, cujus diameter esset æqualis lateri; & dicunt quod sicut non est ex impotentia Creatoris si id non facit, ita non est ex impotentia ejusdem si non potest facere aliquid de nihilo; istud enim est de universitate impossibilium. Ista autem opinio duplex est; una Platonis, (2) & sequacium ejus, ipse enim posuit materiam antiquam sive coæternam Deo, unde posuit, quod caret principio inchoationis, sed non principio causalitatis, ipse enim Deus est causa ejus, ut sol radii, nec præcessit materiam per moram aliquam temporis vel æternitatis, sed tantum per modum causæ, & ipsa est ei sicut argilla figulo, & creator quandoque creavit de illa Cœlos, & terram, quandoque alia. Ipse etiam posuit, quod cœli sunt generabiles, & corruptibiles, sed non sunt generati

(4) Jam inde ab Apostolorum temporibus dies quosdam festos fuisse, eosque jam observatos, Apostolica quidem certe auctoritate constitutos, probant Thomassinus *Tract. De Festis*, & Natalis Alexander *Lib.* IV. *Theolog. Moral. Cap.* V. *Art.* IV. Commodum autem huc cadit, quod habet Augustinus *Epist.* LIV. *al.* CXVIII. *ad Januarium Cap.* I. *Tom.* II. *Opp.* „ Illa, *inquit*, quæ non „ scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum „ Orbe servantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel a „ Plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, „ commendata, atque statuta retineri; sicuti quod Domini „ passio, & resurrectio, & adscensio in Cœlum, & Adventus de „ Cœlo Spiritus Sancti, anniversaria solemnitate celebrantur, & „ si quid aliud tale occurrit, quod servatur ab universa quacumque „ se diffundit Ecclesia.

(1) Fuerunt seculo XIII. quo noster florebat, homines quidam, qui cum dicerent se Catholicos esse; inter eas tamen opiniones, quæ defendi impune in Ecclesia posse censebant, eam quoque ponere non verebantur, quæ est de mundi æternitate. Horum dogma jure damnavit Stephanus Episcopus Parisiensis *an.* 1277. Atque in indiculo propositionum ab ipso proscriptarum *Cap.* V. *Tomo* XXV. *Bibliothecæ Patrum Editionis Lugdunensis pag.* 333. hæc *num.* 6. cernitur: *Mundus est æternus quantum ad omnes species in eo contentas: & quod tempus æternum, & motus, & materia agens, & suscipiens, quia est a potentia Dei infinita, & impossibile est innovationem esse in effectu, sine innovatione in caussa.* Videndus Bulæus *Hist. Acad. Parisiens.* Hos meo quidem judicio refellere aggreditur noster. Eo autem ab argumentis Aristotelis orditur, quod his maxime illud genus hominum fideret. Seculo VI. fuisse in Oriente aliquos, qui eumdem errorem defenderent, colligi quidem potest ex Disputatione Zachariæ Scholastici, qui Mitylenes deinde Episcopus creatus est. Exstat hoc opus *Tomo* XI. *Bibl. PP. Edit. Lugd. pag.* 795. *seqq.* Plerique Ethnici, qui Aristotelem sequuti sunt, mundum sempiternum esse dixerunt, atque inter ceteros Plinius senior initio I. *Lib. Naturalis*. Qui hac ætate vivunt *libertini Philosophi*, siquidem hos Philosophos appellare fas est; mundum se ipso semper fuisse jactitant.

(2) Hæc fuit omnium Philosophorum, Poetarumque Aristotele vetustiorum sententia. Id vero cum ex aliis Scriptoribus, tum ex Aristotele ipso constat I. *De Cœlo Textu* CII. *Cap.* X. Ergo Orpheus, siquidem unquam fuit, Hesiodus, & eos sequutus Plato, mundum initium habuisse, sed fine cariturum putarunt. Democritus, Leucippus, Epicurus fortuita atomorum, quæ semper fuerint, concursione, mundum conflatum dixerunt. Empedocles, & Heraclitus vicissim generari & interire mundi formam, eisdem consistentibus materiæ partibus, nunc amicitia congregante, nunc dissolvente lite. Paria sensere Stoici mundi nempe materiam numquam creatam, sed dispositam tamen a Diis fuisse. Adeundi Aristoteles *Lib. De Cœlo* I. *Cap.* X. & *Lib. De Mundo ad Alexandrum*, si quidem genuinus est, Cicero *in* I. *De Nat. Deor.* Plutarchus *de Placitis*, Laertius *De Vitis Philosoph.* Minucius Felix *in Octav. &c.* Xenocrates, Alcinous, Proclus, Apulejus, Crantor, Plotinus, Jamblicus, & alii: Platonem non ex animi sui sensu mundi originem tradidisse ajunt, sed illustrandæ doctrinæ gratia. Ceterum ab ipso mundum sempiternum fuisse creditum. Sed Cicero II. *Lib. Acad. Quæstionum*, Plutarchus, Atticus, aliique plures Platonem ab invidia tanta liberant. Etsi enim materiam æternam esse putavit, ut sapienter observat noster: negavit tamen mundum formatum non fuisse a Deo. Sic enim habet in Timæo. „ „ Primum consideremus, quod in omni quæstione ante omnia investigari „ debet, utrum hoc universum semper fuerit sine ullo „ generationis principio, an genitum sit ab aliquo principio sumens „ exordium? Id profecto cernitur, tangitur, & corpus habet; „ omnia vero hujusmodi sensus movent.... Hæc vero talia „ esse constat, ut gignantur, & genita sint. Patrem mundi invenire „ difficile; & cum jam inveneris, prædicare in vulgus „ nefas.

rati de nihilo absolute, imo de materia præjacente. Contra hanc opinionem disputavit Aristoteles ut patet in libris naturalibus; invenitur autem illa Platonis sententia in libro qui dicitur Timæus. Alia fuit opinio Aristotelis & sequacium ejus & eorum qui exposuerunt libros ejus; is namque dixit materiam coæternam Deo, non sine forma, sed sicut nunc distincta est per varias rerum species; & posuit, quod Cœli non cadunt sub generatione, & corruptione: hoc autem satis potest concedi, scilicet, quod non fuerunt generabiles & corruptibiles proprie, sumpto nomine generationis, & corruptionis, ut sumitur in Philosophicis; dicit ergo, quod Mundus sicut modo est fuit coæternus Deo, (3) & quod motus Cœli & tempus sunt æterni esse.

§. I.

Ponuntur rationes quibus Aristoteles mundum probat esse æternum.

NUnc videamus rationes quibus posuit Aristoteles mundum æternum, ut patet in 11. libro Metaphysicæ suæ, & in 8. Physicorum, & cum auxilio Dei dissolvamus eas. Prima ratio Aristotelis quæ habetur in principio 8. Physicorum (4), sumitur a motu primi mobilis: aut enim ille motus factus est, aut non: si non est factus, ergo est æternus, ergo & mobile est æternum, & ita mundus æternus: si autem factus est, & de non esse in esse productus est; motus ergo primi mobilis exivit de non esse in esse, de potentia in actum, exitus autem de non esse in esse, de potentia in actum, motus aliquis est; ergo ante primum motum fuit alius per quem fuit, & restabit eadem quæstio de illo, & sic erit via in infinitum, vel stabitur ad aliquem motum qui sit æternus, & non cæpit esse, secundum quam rationem potest stari in motu cœli; motus ergo cœli æternus ponendus est.

Solutio istius objectionis, & aliarum quam ponemus, paulatim detegit errorem Aristotelis & omnium sequacium ejus; sed plenius detegetur quando objiciemus contra alias rationes ejus. Dicamus ergo quod motus primi mobilis æternus non est, & quod motus ille cæpit esse, quando suum subjectum cæpit esse, scilicet Cœlum, & quod exivit de non esse in esse, non per motum alium naturalem sed per creationem; concedimus ergo quod primus motus factus est post non esse, sed non per viam naturæ, sive motus naturalis, sed per viam creationis sicut primum mobile. (5)

Sed contra: Cum creatio subita sit, oportet, quod magnitudo primi mobilis exivisset de potentia in actum subito, hoc autem esse non potest, quia tanta extensio non potest fieri sine successione, & ita non exivit in actum per creationem, & ita per generationem, & sic ante primum motum fuit alius motus, quod videtur impossibile. Igitur non est ponere primum motum esse factum, quia nec per creationem, nec per generationem factus est.

Solutio: Illa ratio (tanta extensio non potest fieri sine successione) vera operatione naturæ, quod supponit Physicus, & Aristoteles in eo libro ut Physicus loquitur; operatione autem simplici virtutis causæ primæ, quæ infinita est, subito potest fieri illa extensio. Unde Augustinus lib. 10. de confessione: *Sicut in principio Cœlum & terram fecisti sine varietate notitiæ tuæ; Ita fecisti in principio Cœlum & terram sine distensione actionis tuæ.* Dico ergo, quod primum mobile exivit in esse per creationem subito factam. Sed adhuc non videtur soluta objectio, cum enim mutationem primi mobilis præcedat aliqua mutatio, licet non naturalis, sed creatio, restat eadem quæstio de illa mutatione, & sic in infinitum, & cum mutatio omnis in mutabili sit, necesse est per infinitum spatium ponere ipsum mutabile, ita & aliquod creatum æternum. Eadem objectio fieri posset de quocumque alio motu, cum omnis alius motus sit prius in potentia, & postea in actu, & ita exivit de potentia in actum, & ita alius præcedit illum, & de illo eadem est objectio. At hoc solvi solet, quod sicut unitas se ipsa una est, (6) & quantitas se ipsa quanta est, & differentia se ipsis differunt, ita motus vel mutatio, vel exitus de non esse in esse, de potentia in actum se ipsa exivit. Sed quamvis hæc solutio utcumque posset stare in motu particulari, tamen in motu ipsius universi non videtur posse stare, motus enim ille non videtur ipsa creatio, cum creatio supra naturam sit, sicut & ipsi dicunt, & ita restat prior objectio de mutabili, cujus positio ante primum mobile necessaria est, posita mutatione ante motum primi mobilis. Si autem dicat, quod illa mutatio, quæ dicitur creatio, non est ante motum ordine temporis vel moræ alicujus, sed ordine naturæ, unde non est necesse ponere aliud mutabile. Imo necesse est ad minus secundum naturam, quia sicut motus ad motum, videtur ita mobile ad mutabile; vel ad minus, cum mutatio illa, quæ creatio dicta est, non sit per se ens, sed accidens delatum in alio, oportet quod sit in primo mobili ut in deferente: modo quæro: quando potuit dici hoc mutatur, demonstrato primo mobili, cum non esset? quod enim omnino non ens est, non est

(3) Consule Aristotelem *Lib.* VIII. *Physicorum*. *Lib.* I. *De Cœlo Cap.* X. *Lib.* II. *De Generat.* & *Lib.* XI. *Metaphysicorum*. Hinc Cicero *in* II. Quæstionum Academicarum Libro *Veniet*, inquit, *orationis aureum flumen fundens Aristoteles, qui Stoicum desipere dicat. Neque enim ortum umquam esse mundum: quod nulla fuerit, nullo consilio inito tam præclari operis incœptio*. Sanctus Thomas excusat Aristotelem, quasi non existimarit mundi æternitatem ab se demonstratam rationibus demonstrativis. I. *P. Quæst.* XLXI. *Art.* I. *In c.*

(4 *Cap.* I.

(5) Sophistica est Aristotelis ratio. Solvi autem commode potest. Nam dum corpus unum ciet aliud in motum, motus hic in corpore nunc moto, ante non inerat. Sic etiam dum Deus, qui mundum condidit, cum immobilis ipse sit, moveat tamen cetera, impressit suæ voluntatis efficacitate motum corporibus, qui ante in ipsis, cum condita non essent, non inerat; inest autem nunc, quin necesse sit in infinitum pergere. Nam si animus humanus voluntate sua imprimit corpori motum, nec oportet in infinitum procedere; quid impediebat, quo minus Deus omnipotenti virtute, creata a se corpora, & primum immota, in motum deinde cieret.

(6) Adeundus Sanctus Thomas. *I. P. Quæst.* XLVI. *Art.* I. *ad* 6. *Arg.*

est subjectum deferens aliquod accidens, & maxime cum est non ens tam materialiter, quam formaliter; si autem cum est mutatum diceretur mutari, hoc est impossibile, imo magis proprie dicitur mutatum est, cum esse sit terminus fieri. Ad hoc dico, quod exitus de potentia in actum motus vel mutatio est, potentia autem sive possibilitas super ens fundatur, super ens dico simpliciter, idest secundum speciem, vel quodamodo, idest secundum materiam, sicut vult Aristoteles in pluribus suis libris, secundum quem modum docet in principio 11. libri Metaphysicæ, omne quod transmutatur, ex aliquo in aliud transmutatur: Illud autem a quo transmutatur est motor, transmutabile autem est materia, illud ad quod transmutatur est forma: constat ergo quod diximus, scilicet quod omnis exitus de potentia in actum vere loquendo mutatio est, & hæc mutatio supponit mutabile esse: exitus autem de non esse omnino in esse non est motus, vel mutatio per rationem istam: motus vel mutatio est exitus de possibilitate in actum, de possibilitate dico passiva, & materiali; unde creatio proprie loquendo, non dicit mutationem, sed dicit essentiam illius quod creatur: in quantum ordinatur ad duo, scilicet ad non esse postquam habet esse; & ad fontem, & causam omnis esse, in quantum ab ea egreditur post non esse absolute: verum creare proprie non est nisi creare aliquid ex nihilo, vel creari ex nihilo; hoc autem idem est, quod accipere esse post non esse a causa prima: idem est dicendum de infusione animæ rationalis, quæ infundendo creatur: in qualibet enim simplici mutatione necessum est idem dicere, ex parte scilicet, quia generari est incipere, sive nunc primo esse in specie, quæ datur subjecto a prima causa; hoc excepto, quod generatio proprie dicta supponit generabile, & dicit exitum in actum de potentia possibili vel materiali; unde non est de non ente omnino, sed de non ente actu, ente autem potentia, ut dicit Aristoteles in fine primi Physic., sed creatio est ex non ente omnino. Ex his patet qualiter interimi possit ratio prima Aristotelis inducta ad adstruendam mundi æternitatem, & qualiter dicitur primus motus factus, scilicet quia creatur, & non per motum vel mutationem aliquam ex parte agentis, vel ex parte alicujus mobilis, sed per influentiam esse a causa prima.

Secunda ratio Aristotelis in principio Physicorum sumitur in tempore; (7) cum enim tempus comitetur motum, motus enim non est sine tempore, nec e contrario, sed tempus non habet principium nec finem, quare nec motus; ergo nec mobile; unde 11. Metaph. suæ ponit Cœlum æternum: quod autem tempus non habeat principium nec finem, videtur ex hoc; quod si aliquod est principium in tempore, cum nihil sit de tempore nisi nunc, ergo ipsum nunc est principium in tempore, hoc autem esse non potest, ergo tempus non habet principium: quod autem illud esse non possit; videtur per hoc, quia ratio ipsius nunc est, quod sit principium unius temporis, & finis alterius; ergo illud nunc quod positum est esse principium unius temporis, est finis alterius; ergo tempus fuit ante; sed tempus non potest esse sine suo principio, ergo ante illud tempus præcedens est sumere nunc, & ante illud nunc ut sit finis temporis, est sumere tempus; sic igitur erit via in infinitum, quod esse non potest; ergo non potest esse primum in tempore; ergo tempus est æternum ex parte ante, quare & motus, & mobile secundum istam rationem. Probatur etiam quod non finitur ex parte post, quia si finiretur, aliquid esset ultimum ipsius, scilicet nunc; sed ratio ejus, quod est nunc, ista est, quod est finis unius, scilicet prioris, & principium alterius temporis posterioris; ergo aliquod tempus erit post, & ita non definit in illo nunc, nec definet in alio eadem ratione, ergo tempus non finitur ex parte post, quare nec motus, nec mobile.

Ad hoc dici potest; quod tempus incipit esse, & definit esse, secundum quod dicitur mensura motus primi mobilis; non incipit tamen esse in tempore, sed in nunc; (8) & istud nunc in quo incæpit esse, tantum est principium temporis, & non finis, & illud nunc in quo definit erit finis temporis, & non principium ejus, & sicut in linea recta est invenire punctum terminans, initians, & continuans, ita & in tempore, quod ignoravit Aristoteles, ponens prædictam rationem ejus, quod nunc est, scilicet, quia est initium unius, & finis alterius; posuit enim tantum unum nunc, scilicet continuans, & hoc ideo facit, quia tempus est mensura motus circularis, sicut suum subjectum orbicularem formam habet; non consideravit autem Aristoteles, quod aliud est loqui de motu, & tempore completo, aliud autem de nondum completo: Aristoteles autem induxit probationem contra ponentes mundum esse novum: loquendo de mundo perfecto, & completo, & motu ejus, & tempore similiter completo. Dico ergo, quod concedimus, quod multo aliter se habent, quam in hora suæ creationis post privationem absolutam; nec est ibi invenire in statu generationis, vel motus completi aliquod nunc, quod non habeat rationem principii & finis ad

(7) Hec idem Sanctus Thomas sibi opponit *ibid. Art.* I. *ad* 7. *Arg.*

(8) Eodem recidit responsum adhibitum a S. Thoma loco mox indicato. Tanti autem fieri hæc ratio Aristotelis debet, quanti argumenta Pyrronicorum, qui lineas dari posse nullas pugnarunt; Cum enim, ut Sextus Empiricus opponit, linea infinitis partibus instructa sit, cum dividi in infinitum possit, nullam invenire partem possumus, quæ omnium prima sit, adeoque nullum exstabit initium lineæ. At nos respondemus, dari lineas, cum continenti experientia cernamus corpora limitibus, ac terminis conclusa esse. Extremum autem profundi dari necesse est, alioqui profunditas esset infinita. Hoc vero profundi extremum esse latum, & longum, quam nos longitudinem, & profunditatem superficiem dicimus. Porro superficies, ut quæ finita sit, terminos habeat necesse est. Termini autem superficiei longi tantum, non lati sint, oportet. Nam ni ita esset, non essent illi extrema superficiei. Rursum lineæ non sunt infinitæ. Ergo terminos habent. Termini autem linearum, non sunt longi. Etenim si ulla iis inesset longitudo, constarent partibus, adeoque ne extrema quidem essent linearum. Sunt igitur linearum termini partibus vacantes. Quare puncta dicentur. E puncto ergo ducendum lineæ exordium est. Quodsi nequirem explicare rationem cur e puncto ducatur exordium lineæ, negare tamen non possem, lineam duci e puncto. Sic etsi temporis initium evolvere ipse non possem, aut motus, quod ejus partes meam vim notionemque fugiant, non tamen inde colligere Aristoteles posset, nullum dari posse temporis motusque initium.

ad diverſa relatum, ſecus autem in hora creationis ſuæ ſe habent. Sciendum tamen, quod motum completum ab eodem in idem, & ejus menſuram dupliciter eſt conſiderare, ſicut patet per ſimile; motum enim alicujus mobilis dupliciter contingit conſiderare, de quo nulli dubium eſt quin habeat eſſe poſt non eſſe; poteſt enim conſiderari in comparatione ad cauſam ſuam extrahentem ipſum de non eſſe in eſſe, & ſic habet initium extra; ſed conſiderando ipſum in partibus ſuis, ideſt inter ſe, non habet initium; nihil enim de motu eſt ponere in eo primum, quia nec de tempore particulari menſurante illum, cum omnis pars temporis, vel motus diviſibilis ſit in prius, & poſterius. Secundum hunc modum motus primi mobilis, & tempus ipſum menſurans per ſuum complementum dupliciter poteſt conſiderari, ut dictum eſt; fundamentum autem rationis præmiſſæ differenter ſe habet in ente completo, & in nondum completo; & quod aliud convenit dici de eo ante complementum, quam poſt ipſum, patet per ſimile; in omni enim animali prius generatur cor, quam teſticuli, ut dicit Philoſophus, & ſicut oculis contingit videre; & nervi generantur antequam oſſa, quamvis per ſuam perfectionem non inveniantur, una ſine aliis, abſque quibus homo non deberet eſſe. Similiter dico, quod aliter eſt loqui de mundo in principio ſuæ conditionis, & poſt ejus complementum, ut patet in principio Geneſis; ſicut & aliter eſt loquendum de tempore, vel motu primo ante completionem, quam poſt.

Hic neceſſe eſt quærere: utrum in hora ſuæ creationis, ideſt ante ſui completionem, vel generationem ab eodem in idem initium habuit. Nec loquor de initio extra ſumpto, quod ſe habet ad ipſum per modum cauſæ, ſed loquor de initio intra ſumpto. Et eſt dicendum ad hoc, quoniam initium intra ſumptum dupliciter dicitur, vel de tempore, vel quia in tempore; primo modo non eſt ſumere ibi initium intra, cum quælibet pars temporis diviſibilis ſit, ſimiliter dicendum de motu; ſecundo autem modo non eſt ſumere ibi initium, ſcilicet inſtans initians ipſum motum, ut patet in motu molæ, illud enim inſtans in tempore eſt, ut punctum in linea; ſed nunquid in illo eſt tempus, aut motus? Non; nam probatum eſt in 6. Phyſic. quod motus non eſt (9) inceptibilis, quare nec ſtatus ſive quies; concede ergo quod in illo inſtanti incœpit ſolum moveri: Verbum tamen incæptionis adjunctum ſucceſſivo, quod non habet ſimul partes ſuas, privat reſpectu præſentis, & ponit reſpectu futuri, ut ſit ſenſus: Cœlum incipit moveri, ideſt non movetur nunc, ſed continuo poſt movebitur: eodem etiam modo dicendum, quod hoc verbum *deſinit* non ponit reſpectu præſentis, ſed ponit reſpectu præteriti; unde cum Cœlum deſinit moveri, ut ſupponit fides noſtra, ſenſus eſt, ideſt non movetur, & continue ante hoc movebatur. Et ex hoc patet qualiter reſpondendum ſit ad quandam quæſtionem, quæ ſolet fieri, ſi Cœlum cæpit moveri aut in tempore, aut in inſtanti? (10) & dicimus, quod in inſtanti primo, ut dictam eſt; poteſt etiam dici, quod incipit moveri in tempore, ideſt cum tempore; tempus enim, & motus in illo inſtanti incœperunt, non quod eſſent in illo, ſucceſſivum enim non eſt in ſui termino, ſed dicuntur incæpiſſe in illo, quia habuerunt continue eſſe poſt illud.

Ex his quæ dicta ſunt poteſt patere quæſtionis cujuſdam ſolutio, quæ ſolet fieri de exitu temporis in eſſe, ſcilicet an exierit in tempore, vel in inſtanti? in inſtanti non videtur, cum inſtans impartibile ſit, (11) tempus autem ſucceſſivum: ſi in tempore, aut in ſe, aut in alio, in ſe non poteſt, quia non eſt idem continens, & contentum a ſe; ſi vero in alio, eſſent duo tempora ſimul, ſcilicet, quod exit & id in quo exit, quod eſt inconveniens, & a nullo etiam datur.

Solutio: Cum exitus temporis in eſſe per creationem primi mobilis, & motus ejus idem ſit, quod ejus incæptio, non eſt inconveniens dicere, quod incœpit in inſtanti initiali modo jam dicto de tempore, & de motu: quidam tamen diſtinguunt duplicem menſuram, ſcilicet tranſcendentem, & propriam; ſecundum primum genus menſuræ dicendum eſt, quod ſicut tempus eſt excellens menſura rerum, quæ fuerunt in quadam parte temporis, ita illa duratio, quæ nec habet principium, nec finem, excellens menſura eſt ipſius temporis habentis principium & finem; & exitus temporis in eſſe, eſt in illa duratione; ſed quo ad menſuram propriam non fuit exitus temporis in eſſe pro aliqua menſura; menſura enim menſuram non habet ſecundum eandem ſpeciem. Similiter dicendum eſt, quod ultima ſphæra, quæ eſt omnium locus, non eſt creata in vacuo, vel in pleno, quia non in loco; vacuitas enim ſicut & plenitudo ſunt proprietates loci, ſed tunc creatum eſt id quod eſt locus aliorum; alia autem corpora ſunt creata in primo corpore tanquam ipſius plenitudo. Ex hoc patet ſolutio cujuſdam quæſtionis, quam quidam induxit ad probandum antiquitatem mundi, quærens utrum factum fuerit in vacuo, (12) vel in pleno? utrolibet enim

(9) Codex Vaticanus pro *inceptibilis* habet *impartibilis*.

(10) Neque fieri minus potuit, quam ut in inſtanti moveri inciperet mundus. Nam jam inde ab æterno motus dari nullus potuit. Cum enim materia ad motum *indifferens* ſit, ut patet ex corporibus, quæ modo quieſcunt, modo cientur in motum, atque id ſecum ferat materiæ notio; ſeipſam illa ad motum determinare non potuit. Nulla enim res, ſe ipſam determinat, ſi præſertim careat ratione. Nec vero præſtat mente materia, nec ſuapte ratione, atque natura motum habet, alioquin ad motum non eſſet indifferens. Itaque ſe ipſam determinare materia ad motum non potuit. Mota igitur ab aliquo eſt. At cieri in motum non potuit ab æterno. Nam motus ille æternus eſſet. Nulla igitur ejus pars extrema reperiri poſſet. Omnes ergo partes temporis aliam ante ſe ſupponerent præteriſſe partem: Adeoque nulla ſempiterna poſſet excogitari. Quod enim ante ſe quidquam ſupponit præteriſſe, ſempiternum eſſe nequit. Merito igitur S. Thomas *Opuſc.* XXVII. mundum ſempiternum eſſe potuiſſe negat, quod attinet ad res, quæ ſecum inferunt ſucceſſionem. Cœpit igitur motus in inſtanti, atque, ut noſter ait, *cum tempore*.

(11) Quaſi vero linea oriri e puncto nequeat, quod partibus prædita ſit. Quod ſi nihil impedit, quo minus linea partibus inſtructa e puncto oriatur; quid eſt, quod obſtet cur non ex inſtanti incipiat ſucceſſivum tempus?

(12) Coſtius, qui ex Anglico in Gallorum ſermonem vertit acutiſſimi Lockii opus, quod inſcribitur *Eſſais De l' Entendement Humain. in notis ad Lib.* IV. *Ejuſdem Operis Cap.* X. §. 18. *pag.* 521. *Edit.*

enim dato, sequitur aliquid esse coæternum Deo.

Tertia ratio sumitur a materia, de qua habetur in principio libri Physic. (13) quod ingenerabilis est, & incorruptibilis; ait enim sic: incorruptibilem, & ingeneratam necesse est ipsam esse; & hoc quoad essentiam suam, & etiam quoad potentiam: & dat rationem super hoc, quia si esset materia generata, idest si fiat, necesse est aliquod subjici primum ex quo est, hoc autem est ipsa natura, sive materia, quare erit materiam ex natura, idest materia fieri; quasi dicat: cum non generetur aliquid nisi ex materia, esset igitur materia ex materia, & sic in infinitum, hoc autem est inconveniens. Postea etiam dat rationem, quare non corrumpitur, ponens rationem materiæ, ex qua patet, quod ingenerabilis est, & incorruptibilis: Dico autem primum subjectum unuscujusque ex quo fit aliquid, cum insit non secundum accidens, etsi corrumpitur, in hoc habebit ultimum; quare corrupta erit antequam corrumpatur, idest si ponatur corrumpi, idem corrumpetur, & non corrumpetur; si enim ipsa est ultimum in quod abit corruptio, non est corrupta; relinquitur ergo, quod materia sit æterna, & cum non possit esse informis, sequitur ex hoc antiquitas mundi.

Solutio: Aristoteles tamquam naturalis Philosophus supponit suum principium, scilicet materiam generabilium, & corruptibilium, & ostendit impossibilitatem suæ generationis: & corruptionis, (14) quoniam ipsa est principium ex qua sunt omnia generabilia, & ultimum in quod resolvuntur generata ex ipsa, & hoc verum esse concedimus; non enim dicimus, quod generabilis sit, vel corruptibilis generatione, vel corruptione, quam considerat naturalis Philosophus, sed dicimus, quod creabilis est, & quod Creator fecit eam esse de nihilo. In quo patet Platonis error, qui posuit eam esse æternam, licet non poneret mundum æternum; licet enim non sit generata, non tamen est æterna, quia de nihilo ad esse deducta est a Creatore, qui si vellet, faceret eam non esse privatione perfecta & absoluta. Physice ergo loquendo ponimus materiam æternam esse in omni transmutatione naturali, & stabilem esse.

Quarta ratio Aristotelis habetur in principio de Cœlo, & mundo; ubi habetur, quod Cœlum, quod ipse dicit corpus nobile, non est generatum: omne enim generatum non est nisi ex aliquo ente, quod est ei contrarium, & omnis rei cadentis sub corruptione non fit corruptio nisi ex contrario suo; corpus autem nobile non habet contrarium, quod patet ex suo motu (15) circulari; motui enim hujus non est contrarius illius motus, ergo ipsum Cœlum non est generabile, vel corruptibile. Item quod non sit generatum probatur sic: Omne quod generatum est, vel est generatum per decisionem partis a toto, quæ dicitur generatio propagativa, ut in animalibus; aut per actionem contrarii in contrarium; ultimo modo non, ut ostensum est; nec etiam primo, quia talis generatio est in illis solum, quibus debetur alimentum, augmentum, vel diminutio; talia autem non debentur Cœlo; ergo non est generatum, & ita videtur, quod fuerit semper, & ita mundus æternus.

Solutio: Omnes rationes probantes, quod non cadit Cœlum sub generatione, vel corruptione con-

Edit. an. 1735. *Nota* 2. refert, sic ab eodem Lockio materiæ productionem fuisse explicatam voce quidem, non autem scriptis editis: *Posse nos aliquam formare creationis materiæ notionem; supponendo Deum sua omnipotenti virtute impedivisse, ut nihil in portionem quamdam puri spatii penetraret, quod spatium suapte natura penetrabile est, æternum, necessarium, infinitum.... Quemadmodum autem parvum spatium est omnino uniforme, satis est, si existimemus, Deum communicasse eam speciem impenetrabilitatis* (quæ proprietas materiæ est) *æquali cuidam portioni spatii. Hoc autem dare nobis aliquam notionem mobilitatis posse, quæ alia materiæ vis est, & proprietas.* Verum tantum abest, ut hæc ab Lockio adhibita ratio materiæ creationem explicet, ut eam magis implicet, atque involvat. Nam quod ille, veluti jure quodam suo, adsumit, spatium rem quamdam positivam esse; ridiculum est. Aliud quippe est imaginationis vi, quæ nihilum concipere nequit, aliud autem rationis ope res quasque metiri. Ratio autem dictat, nihil, ante materiæ creationem in rerum natura fuisse. Spatium autem positivum est res aliqua se ipsa consistens. Quæ si increata est, Deus erit. Deum autem partibus instructum dicere, nefas est. Nam Lockio ipso auctore, Deus tantum est sempiternus: spatium autem partes habet. Nec illud prætereundum silentio est, quod ad spatium attinet. Fac spatium sit aliquid extensione reipsa præditum, quod penetrari tamen possit. Fac etiam Deus impediat, quo minus aliquid in eam penetret spatii portionem. Hæc tamen spatii pars non amittit naturam spatii. Nam penetrabilis semper manet, ut reliquæ spatii portiones. Itaque eo obstaculo a Deo posito, ne minimum quidem, quod materiæ proprium est, impenetrabilitatis gradum sibi spatium comparat. Quare universa Lockii ratio nugatoria est; eaque jam omnibus suis partibus vacillat, & claudicat.

(13) Paucis hoc idem argumentum proponit S. Thomas. *I. P. Quæst.* XLVI. *Art.* I. *Arg.* 3. *Et Quæst.* III. *De Potentia Art.* XVII.

(14) Ita quoque existimarunt Philosophi Veteres, Græci, & Ægyptii, atque Arabes; Nullus enim fuit, qui materiam a Deo e nihilo conditam poneret. Hinc Lucretius Epicureus *Lib.* I.

Nam si de nihilo fierent; ex omnibus rebus
Omne genus nasci posset: nil semine egeret.
At nunc seminibus, quia certis quidque creatur:
Inde enascitur, atque oras in luminis exit,
Materies, ubi inest cujusque, & corpora prima.

Quare Lactantius *Lib.* II. *Divinarum Institutionum Cap.* IX. ,, Nec audiendi sunt, *inquit*, Poetæ, qui ajunt, Chaos in principio fuisse, idest confusionem rerum, atque elementorum: postea vero Deum diremisse omnem illam congeriem, singulisque rebus ex confuso acervo separatis, in ordinemque, instruxisse mundum pariter, & ornasse. Quibus facile est respondere: Potestatem Dei non intelligentibus, quem credunt nihil efficere posse, nisi ex materia subjacente, ac parata, in quo errore etiam Philosophi fuerunt. Nam Cicero de Natura Deorum disputans, sic ait: Primum igitur non est probabile, eam materiam rerum, unde orta sunt omnia, esse divina providentia effectam, sed habere, & habuisse vim, & naturam suam. Ut igitur faber, cum quid ædificaturus est, non ipse facit materiam, sed ea utitur, quæ sit parata, fictorque item cera: sic isti providentiæ divinæ materia præsto esse oportuit, non quam ipsa faceret, sed quam haberet paratam..... O quam multa sunt vitia in his decem versibus...... Non est, inquit, probabile materiam rerum a Deo factam. Quibus hoc argumentis probas?.... Itaque mihi e contrario vel maxime probabile videtur: nec tamen temere videtur cogitanti plus esse aliquid in Deo: quem profecto ad imbecillitatem hominis redigis, cui nihil aliud, quam opificium concedis.... Si autem fieri non potest, ut sit potentius Deo quidquam, necesse est perfectæ esse virtutis, potestatis, rationis: idem igitur materiæ fictor est, qui & rerum ex materia constantium.

(15) Eodem spectat, quod sibi opponit Sanctus Thomas *I. P. Quæst.* XLVI. *Art.* I. *ad* 2. *Arg.* Verum, ut a nostro, sic etiam a Thoma idem ipsum Aristotelis solvitur argumentum: & recte mea quidem sententia. Facilius autem se & hoc ipso momento expediret, qui corrumpi cœli partes posse, ut elementorum partes corrumpuntur, diceret. Nam quæ factæ recentiore memoria observationes Cœlestes a Philosophis sunt: probant, non carere probabilitate, quod nunc vulgo dicitur, Cœlos esse obnoxios corruptioni.

concedimus ſicut dictum eſt de materia prima, ſed tamen exit in eſſe per creationem, quod enim generatum eſt, ex aliquo ente generatum eſt; quod autem creatum eſt, ex privatione abſoluta exit in eſſe; licet enim habuerit eſſe poſt non eſſe omnino, non tamen verteretur in non eſſe, & ſi vertibile ſit Dei voluntate, ideſt ſi vellet; ſimiliter motus ejus ſicut & tempus, quod eſt ejus menſura, eſt ſtatus rerum, qui modo eſt; deſitio igitur iſtorum finis mundi appellatur, non corruptio univerſitatis, vel machinæ mundialis.

Quinta ratio, qua uſus eſt Ariſtoteles, & ejus ſequaces ad probandum antiquitatem, ſive æternitatem mundi, ſumitur a diſpoſitione materiali, quæ poſſibilitas dicitur; in omni enim mutabili præcedit poſſibilitas, ejus mutationem in tempore, unde in 8. Phyſic. circa principium dicitur, omnes confitentur neceſſe eſſe, ut omne quod movetur poſſibile ſit moveri, quod etiam patet ex ratione motus, quam ibi ponit, motus eſt eadem Endelichia, ſive actus mobilis ſecundum quod eſt mobile; & per hanc viam demonſtraverunt poſteriores, qui ſecuti ſunt eum, antiquitatem mundi, dicentes: Mundus antequam fuit, vel ejus incœptio fuit poſſibilis, vel neceſſaria, vel impoſſibilis: ſi impoſſibilis, nunquam potuit eſſe, ergo nunquam fuit; ſi fuit neceſſaria; ergo non potuit non eſſe, hoc autem pro inconvenienti habent, qui ponunt mundum cœpiſſe; reſtat ergo quod fuit poſſibilis: aut nihil eſt, & ſic non præcedit ipſum actum, cujus contrarium poſitum eſt: ſi autem aliquid eſt, aut ens per ſe, aut in alio; conſtat autem quod non eſt ens per ſe, ſic enim eſſet ſubſtantia, & ita aliqua ſubſtantia fuiſset ante mundum, quæ non eſset Deus; eſt igitur ens in alio ut in ſubjecto, vel in materia ſuſtinente eam, materia enim eſt principium quoddam fiendi in ipſa ipſum eſse in effectu, & ſecundum hanc viam neceſse eſt ponere materiam æternam (16) præcedere effectum eſsendi in ea; alioquin oporteret quod poſſibilitas eſsendi materiam, præcederet effectum eſſendi in ea, quare ipſa eſset materia, & hoc finem non haberet; vel tandem neceſse eſset venire ad aliquam materiam æternam; deinde ut proceditur in objectione tertia. Si autem dicatur, quod ipſa poſſibilitas non erat patientis vel receptibilis, ſed agentis, ideſt in operante, non in operato, iſtud nihil eſſe videtur; duplex enim debet eſſe poſſibilitas, una ipſius operati ad exeundum in eſse, alia operantis ad extrahendum de non eſse ad eſse.

Præterea, ſi illud operatum nullam habebat poſſibilitatem ad actum; ergo erat impoſſibile, vel ſi poſſibile abſque propria poſſibilitate primæ cauſæ.

Præterea, quidquid habet prima cauſa, actu habet; ergo non cadit in ipſa poſſibilitas iſta.

Solutio: Duplex eſt poſſibilitas ut prædictum eſt, hoc autem manifeſtari poteſt hoc modo: conſtat quod omne impoſſibile eſſe in quantum tale elongatum eſt ab eſſe, quod autem neceſſe eſt eſſe in quantum hujuſmodi, omnino conjunctum eſt ipſi eſſe, vel eſt ipſum eſſe, poſſibile autem in quantum poſſibile appropinquat ad eſſe ſecundum magis tamen & minus, nec ſolum propinquat ad eſſe per materiale principium, ſi illud habet, ſed etiam per principium activum, per utrumque enim eſt appropinquatio ſui creati ad eſſe; materialia quidem propinqua ſunt ipſi eſſe per materias, quæ aptæ ſunt recipere eſſe ipſorum in ſe, & etiam per principia agentia ſua: nulli autem dubium eſt propinquiorem eſse domum ipſi actuali eſsentiæ; cum ejus materia & principium agens ipſius, ideſt artifex, ſimul ſunt, quam cum non eſt niſi materia, ideſt lapides, & ligna: ſed etiam ſi non eſset hujuſmodi materia, haberet autem artifex (17) potentiam cauſandi eam, adhuc eſset poſſibile domum eſse, cum cauſa agens ſit una via appropinquationis domus ad eſse, quæ appropinquatio poſſibilitas eſt in aliquo, ſicut patet, quia in artifice, cum nihil aliud ſit, quam ſuſtinens ipſam: poſſibilitas igitur materialium potentia eſt efficientis, vel creatoris. Ex hoc patet ſolutio objectionum; Dico enim quod non ſemper eſt neceſſe omne poſſibile habere duplicem poſſibilitatem, imo quandoque ab una dicitur poſſibile. Ad aliud dico, quod ſi illud nullam haberet poſsibilitatem ad actum, impoſſibile eſset omnino; hoc verum eſt, quia ſi non haberet poſſibilitatem in materia, nec in agente, penitus eſset impoſſibile: ſed non ſic in materialibus, & corporibus ſuperioribus, vel primo creatis ſicut materia, & forma. Ad aliud quod dixit, quoniam ſi abſque poſſibilitate propria aliquid dicitur poſſibile, eadem ratione quodlibet aliud erit poſſibile; dico verum eſt quod ſi ſit aliud tale, habens ſcilicet poſſibilitatem in agente; quædam tamen non habent poſſibilitatem in agente; quædam enim prohibent ſuum eſse, ut affirmatio, & negatio de eodem, vel ut Chimera, in cujus intentione clauditur oppoſitio naturarum non compatientium ſe, talia ſunt ſimpliciter impoſſibilia; quæcumque autem hujuſmodi prohibitione ſui eſse privata ſunt, poſſibilia dici poſsunt, ſed ſecundum magis, & minus; V. G. ſi conſideres hominem, non invenies in intentione ejus quod prohibeat ſuum eſse, naturæ enim illæ, ex quibus homo habet eſſe, compatiuntur ſe invicem, ut anima, & corpus, & non eſt in eis repugnantia. Ad aliud, ſcilicet, quidquid habet prima cauſa actu habet, ergo non cadit in ea poſſibilitas, verum eſt materialis, activa tamen ſic quæ non eſt aliud quam virtus divina, & potentia ejus, imo eſsentia, ſed dicitur potentia comparatione ejus, qui inde fluit, ut effectus a cauſa; ut enim dicitur 11. Metaph. Omne agens per potentiam agit; diſtinctio autem activæ & paſſivæ potentiæ habetur 5. Metaphyſicorum.

Sexta ratio Ariſtotelis, qua uſi ſunt qui ſecuti (18) ſunt poſt eum, hæc eſt: Si enim Creator creavit

vit

(16) Vetus hæc argumentatio eſt. Placuit autem non iis ſolum, qui mundum æternum cenſebant eſſe, verum etiam aliis, qui erant ex Academia Philoſophis, ponebantque materiam ſempiternam. Nunc autem, qui *Libertini* vocantur, materiæ æternitatem defendunt. Verum hoc eſt inter veteres materiæ ſempiternæ, noſque ejus propugnatores diſcrimen: ut illi materiam a Deo diſpoſitam, conditumque mundum pugnarent, hi contra non item. Videndus Samuel Clarkius. *Tract. De Exſiſt. Dei Parte* I. *Cap.* IV.

(17) Conſule notam XIV. *in hoc Cap.*

(18) Profert hoc ipſum Argumentum S. Thomas I. *P. Quæſt.* XLVI. *Art.* I. *Argum.* VI. idque jam repellit in *Reſp. ad idem arg.* Velleſius Epicureus apud Ciceronem I. *De natura Deorum*, intelligere ſe non poſſe ait, quemadmodum ædificator repente exſtiterit, & innumerabilia pene ante ſecula dormierit. Sed cujuſmodi ſit hoc, oſtendit mox in argumenti ſol. Moneta.

vit mundum post privationem omnimodam tam materialem, quam formalem; ergo fuit ante mundi creationem operator in potentia, & cum creavit ipsum, factus est operator in actu, quod si ita est; ergo exivit de potentia in actum, & eget omnino extractore, qui extraxerit de potentia in actum, & ita non esset prima causa, vel ad minus mobilis esset, aut mutabilis, quod est inconveniens; ergo ipse nihil facit post privationem absolutam, & ita necesse est ponere materiam æternam, & sic formam, & ita aliquod creatum æternum est, quod ipsi concedunt.

Nos autem e contra dicentes concedimus, quod Deus creavit, mundum post privationem absolutam (19), & prius fuit creator in potentia, deinde in actu: distinguenda tamen est duplex potentia, una passiva, & alia activa; prima cadit sub intentione motus; secunda non: prima in Deo non est, hæc idem est quod receptibilitas actionis; secunda est, & est idem quod divina essentia, in quantum est potens ad actum producendum, se ipso enim potens est, sicut se ipso est, non alio; cum ergo sit potens potentia, & sua essentia, oportet essentia sua potentia sua sit. Ex his patet qualiter Deus dicatur operator in potentia; hoc enim dicitur, quia ex potentia sua, quæ est virtus agens universa, potuit elicere actus, sive quod ipse potens est producere actum ex sua virtute. Ex his etiam patet quod argumentatio ista non valet, prius fuit operator in potentia, deinde in actu; ergo de potente agere factus est agens actu, hoc sequeretur in potentia passiva, cui attestatur hoc ipsum factum, cum de potente agere factum est agens actu; sed istud bene sequitur ergo de operante in potentia est agens actu, ut *de* dicat ordinem, idest post potentem agere est agens actualiter. Similiter patet quod non valet, ergo de potentia exivit in actum, si *exivit* dicit exitum prout sumitur in ratione motus: posset tamen utraque concedi, Deus de potente agere fit agens actu, & de potentia exivit in actum, istud tamen fieri, vel exire licet quantum est in sermone respiciat *rem noti* præcedentis, tamen secundum intentionem sermonis cadit oblique ad ipsum, & dicitur fieri vel exire, quia actus fit, vel exit de potentia ipsius ad agendum; Unde Dionysius cap. 9. de divinis nominibus circa finem dicit, Deum mobilem dici posse prout omnibus omnia providet provisivis processibus, & operationibus: in medio autem tertii capitis, & aliis locis satis loquitur de hac materia.

Septima ratio sequitur ex præcedenti; quod si enim aliquis modo agit, & prius non agebat mutatus est, ergo a simili si causa prima egit mundum, cum prius non egerit mutata est, sed hoc est impossibile, ergo & illud quod dictum est, scilicet quod fecerit mundum esse post non esse, & ita mundus æternus.

Solutio: Non dicitur uniformiter agere de causa prima, & de creaturis, & maxime de materialibus; causa enim prima se ipsa agit, & sua essentia est sua actio comparata ad effectum suum, non enim est in eo accidens, ut in subjecto, nec aliquid ei advenit ex eo, quod aliquando egit, (20) cum prius non egerit, secus autem est in creatura, quæ agit aliquando cum prius non ageret, mutatur enim ab otio in actum, & hoc est, quod inest ei, quod prius non inerat, actio enim creaturæ accidens ei est.

Præterea, si volumus tenere opinionem illam, quæ ponit quod idem est actio & passio, ut dicit Avicennas dicens, quod non cogimur servare illam famosam sententiam, quæ ponit decem esse prædicamenta, sed dicitur actio comparatione principii a quo, passio vero comparatione termini: in quo planum est, quod ex eo quia Deus modo est agens, & prius non fuit agens, non dicetur mutabilis; non enim dicitur agens, quia in eo fit actio, sed quia ab eo est; secus autem est in creatura, & maxime materiali creatura, quæ non agit sine motu sui ipsius; unde quidam Judæus dictus Rabbi Moyses hanc objectionem solvens dicit, quoniam secus est in separatis a materia corporali, secus autem in conjunctis; Cum ergo Deus omnino separatus sit a materia, & possibilitate materiali, non est ei exitus de potentia in actum, nec mutatio, ex eo quod agit aliquando, cum prius non egerit; hujus autem rei probatio est, ut dixit ipse, intelligentia agens secundum sententiam Aristotelis, & sequacium ejus. Intelligentia namque agens est separata substantia, & possibile est ut agat in una hora, & non in alia, sicut ostendit Abumazer (21) in libro suo de intellectu. Dixit enim: *Scito, quod apparet de intelligentia agente, quod non semper agit, sed agit aliquando, aliquando non*; hæc sunt verba illius, & hæc est veritas. Nota enim quod quamvis hoc ita sit, non dicitur quod intelligentia agens mutetur, vel quod exierit de potentia in actum per motum sui, eo quod agit in una hora, & postea non agebat, nec est comparatio sive similitudo inter substantiam separatam, & corpus in hoc. Actio separatæ substantiæ, & actio formæ materialis differenter dicuntur actiones; una enim est sine motu vel mutatione agentis, alia non; Si autem dicat quis in verbis istis esse deceptionem, & dicat quod intelligentia agens agit in una hora, & non in alia ex debito substantiæ suæ; sed ejus actio semper in esse est, quia aptatur ut recipiat, & si est prohibens ne perficiatur ejus actio, hoc est ex parte receptibilis, & non ex parte intelligentiæ per se. Respondebimus quoniam undecunque hoc sit, hoc verum est secun-

 dum

(19) Paucis dici potest: Deum quidem sempiternum esse, necessarioque exstare: res autem ceteras non esse necessarias, quod alio loco ostendam luculenter. Fieri ergo potuit, ut mundus, & materia ipsa, cum non sint res necessariæ, cœperint aliquando esse, non vero semper fuerint, quasi ab æterno conditæ: nam creari ne ab æterno potuerint, nec ne, cum varia sint dogmata de hoc argumento philosophorum Christianorum; non quæro; Ex eo autem, quod cœperint esse, nulla inferri in Deo immutatio potest. Etenim quidquid agit Deus, omnipotenti sua voluntate agit, cujus summa est efficacitas. Voluit porro Deus jam inde ab æterno, & efficaciter quidem, ut *tali instanti* temporis mundus prodiret e nihilo. Ubi ergo instans illud advenit, non necesse fuit, ut Deus novam eliceret voluntatis actionem qua mundum conderet, cum sempiternæ illius, summeque efficaci vi satis fuerit, ut mundus prodiret e nihilo.

(20) Consulitor S. Thomas *l. c. in resp. ad* VI. *Argum.* quæ quidem responsio eodem atque hæc Monetæ nostri spectat.

(21) Fortasse *Albumasar*, aliis *Alboassar* Arabs Philosophus, Medicus, & Astrologus, qui vivebat circa A. C. 844. *Vide Konigium in Bibliotheca nova, & veteri.*

dum Aristotelem, & sequaces ejus, quod intelligentia agens agit in una hora, & non in alia sine sui mutatione; ergo multo fortius in causa prima idem poterit esse, & ita non tenet prædicta argumentatio, quæ inducta est ad probandum æternitatem mundi.

Præterea constat secundum plures Philosophos, maxime secundum Peripateticos, quod animæ de novo creantur; modo quæro: aut a Deo immediate, aut mediate; si primum, habeo propositum quod Deus de novo immediate aliquid agit; dicunt autem oppositum, & pro constanti ponunt, unde & supponunt quod animæ creantur ab intelligentiis, non a Deo immediate. Sed contra: demonstretur aliqua anima, quæ de novo creatur ab intelligentia; intelligentia de novo creat hanc animam, agit ergo cum prius non ageret, & sine aliqua sui mutatione, ut ipsi ponunt; multo fortius igitur potest dici, quod causa prima sine sui mutatione agit cum prius non ageret, ipsa enim magis distat ab omni permutatione, quam aliquod creatum suum.

Præterea, quod intelligentia non semper agat, sed aliquando sic, aliquando non, sine sui permutatione, sic potest videri: Tu qui ponis quod semper agit, dic mihi quid est intelligentiam semper agere? si enim hoc est eam semper paratam esse ad agendum, & per eam non stare quin semper agat, sed ex defectu susceptibilis, ex hoc non sequitur, quod semper agat; non enim sequitur semper parata est agere, ergo semper agit simpliciter: Exempli gratia, ponamus aliquam actionem particularem ejus, ut illuminationem animarum humanarum lumine scientiæ, sicut Philosophi posuerunt, & B. Dionysius in pluribus suis libris, nunquid proprie, & simpliciter loquendo intelligentiæ semper illuminant? Si dicant, utique. Contra: Creatur aliqua anima de novo, hanc animam modo illuminat intelligentia, prius non illuminabat, ergo illuminant aliquid quod prius non, sine sui mutatione.

Forte dicent, hoc argumentum non valere, & ponerent exemplum in Sole: qui semper illuminat spargendo radios suos, & tamen aliquid non recipit ejus radiationem; similiter dicent de intelligentia. Quod autem hoc simile nulli sit evidenter apparet; verum est enim quod Sol spargit lumen suum per aera, & quidquid susceptibile luminis illic se ei offerat, illuminatur necessario a sole; si autem non est, vel si est non venit ad lucem, non illuminatur; constat autem quod intelligentia non spargit lumen suum per loca, ad quæ si accedatur recipiatur lumen illius; ergo si spargit lumen susceptibile spargit per processum, & eductionem ejus in mentes humanas; constat autem quod non educebat prius illud in hanc mentem sive animam de novo conditam, nec in locum aliquem, sicut sol, ut per introitum in illum locum irradiaretur, ergo non fuit simile illud quod dictum est de sole, & intelligentia: Constat etiam quod intelligentia agit aliquid postquam non egerat, quia illuminat aliquid postquam non illuminaverat; multo fortius igitur dicere possumus in causa prima, quæ magis a permutatione elongatur. Quod etiam probatur hoc modo; nunquid idem est modo Deum agere, quod Deum esse? Constat quod non. Ergo aliquid plus: Modo quæro: illud additamentum, aut cadit ex parte Dei agentis, aut ex parte recipientis, constat quod non primum; cum secundum hoc alio esset, & alio ageret; tum quia si in ipsum cadit additamentum aliquod supra ejus essentiam, in eo esset aliud & aliud; cadit igitur solum ex parte recipientis; igitur Deum agere idem est, quod aliquid a Deo esse: Modo quæro ex quo idem est Deum agere, quod aliquid ab ipso esse, utrum possibile sit aliquid ab ipso esse, quod non fuit prius ab ipso, si hoc est, ergo Deus agit aliquid, & prius non egit illud absque ulla sui mutatione; nullum igitur est inconveniens, quod dicatur agens postquam non fuit agens: quod ipsi negant, & dicunt, quod non est possibile aliquid novum esse ab ipso immediate, sed mediate sic V. G. mediante aliqua creatura mutabili cadente inter primam, & creatum novum. Ex hoc autem sequitur quod nil possit modo facere per se.

Sed contra: aut aliquando potuit, aut non potuit per se aliquid facere, si non potuit, ergo nunquam fuit omnipotens, vel primum potens, prius enim est potens per se, quam potens per aliud, quod falsissimum est apud omnes: si autem aliquando potuit aliquid facere per se, & modo non potest; ergo desiit esse potens per se ipsum, quod est impossibile; reliquum ergo ex his est, quod vel nunquam per se aliquid potuit, vel si potuit aliquando, & modo potest facere aliquid per se; ergo per se aliquid est ab eo, & non fuit prius ab eo, quod secundum fidem catholicam, imo etiam nececessaria ratione fatemur. Unde Eliphaz dixit ad Job 22. v. 17. *Nunquid semitam seculorum custodire cupis, quam calcaverunt viri iniqui?* Verba Eliphaz sunt ad Job, ne caderet in opinionem eorum, qui mundum æternum putaverunt, & per infinita seculorum secula sic fuisse rerum species. Istud dixerunt Peripatetici, idest circumcalcantes, quos tangit ibi, *quam calcaverunt viri iniqui*; sedulis enim rationibus, illam semitam infinitorum seculorum custodiendam, idest tenendam esse probaverunt, quamvis sophistice, & similiter super falsa fundati essent, & ponit unam radicem falsam eorum cum subdit v. 17. *Et quasi nihil possit facere Omnipotens*; existimabant enim quod non posset aliquid novum facere per se.

Octava ratio est, quam ponunt aliqui, & dicunt, cum Deus una hora velit agere, vel voluerit, & in alia non, aperte videtur, quod in ipsum cadit mutatio voluntatis, hoc autem est impossibile, ergo & illud ex quo sequitur, scilicet quod Deus una hora velit agere, alia non, ergo ejus voluntas ad agendum sempiterna est, quare & actio, igitur & actum sive factum.

Solutio: Unitas divinæ voluntatis, & essentia ejus una & eadem semper & in omni hora; & una, & eadem voluntate vult aliquid (22) facere una hora, & non vult ipsum fieri in alia; sicut in una, & ea-

(22) Deus semper agit, ejusque actio sempiterna est: verum ejus actionis non semper respondet *ab extra*, ut ajunt, effectus aliquis, nisi Deus jam inde ab æterno voluerit.

& eadem scientia penitus scit aliquid esse una hora, & illud idem non esse alia hora, unum enim in Deo est scientia, & voluntas, scilicet divina essentia: voluntas divina est ut sit ordo in rebus, sicut enim providit rerum ordinem, ita & voluit tam secundum ubi, quam secundum tempus; secundum ubi dico corporale in substantiis materialibus, vel spirituale, ut sic loqui liceat in immaterialibus, secundum majorem accessum ad primam causam; accessum dico per participationem similitudinis divinæ secundum magis, & minus. Secundum tempus duplex, vel in se ipso ad æternitatem comparato, vel in partibus; si in se ipso, sic est ordo mundi ad factorem primum; si in partibus, sic est ordo unius rei conditæ in una parte temporis, ad rem conditam in alia, prout partes temporis ordinatæ sunt secundum prius, & posterius; Sic ergo providit, quod aliqua res esset una hora, & non alia, una & eadem providentia non mutata, ita & voluit; non oportet ergo mundum æternum esse, quia ipse non voluit, nisi ut esset cum tempore; tamdiu igitur necesse est unumquodque esse, quamdiu fuerit sibi beneplacitum, & tunc incipere, cum fuerit ejus beneplacitum ipsum incipere, & hoc est quod ait B. Augustinus in 12. libro confessionum. *Omne quod esse incipit, & esse desinit, tunc esse incipit, & esse desinit quando debuisse incipere, vel desinere in æterna ratione cognoscitur*; & appellat æternam rationem ipsum verbum; unde ante illa verba præmiserat loquens ad Deum Patrem: *Verbo tibi coæterno simul & sempiterno dicis omnia, quæ dicis, & fit quidquid dicis ut fiat, nec enim aliter quam dicendo facis, non tamen simul & sempiterna fuerunt omnia quæ dicendo facis.*

Ad evidentiam prædictorum notandum est, quod voluntas Dei simpliciter de re aliqua sic facit eam simpliciter esse, ita quod esse confundat tempus, sed voluntas essendi nunc facit eam esse simpliciter nunc, & voluntas essendi semper facit eam esse semper; sed quod Deus vult aliquam rem simpliciter esse non facit eam esse nunc; Deus ergo ab æterno simpliciter voluit mundum esse, sed non quod esset ab æterno, imo tempore determinato, scilicet post æternitatem.

Ex hoc patet solutio hujus objectionis; posita causa immediata ponitur effectus, sed voluntas Dei est causa immediata ad mundum; ergo cum voluntas Dei ab æterno fuerit, mundus etiam ab æterno fuit. Hujus solutio ibi habita est: *Ad evidentiam prædictorum* &c. Voluntas enim Dei non est causa ut mundus sit ab æterno, sed ut fiat in tempore, idest cum tempore.

Nona ratio est ista: Detur quod Deus moverit una hora, & non alia, & quamvis ejus virtus æterna, non tamen motus ab eo æternus. Contra: Si ergo operatus est per voluntatem, & propter finem, sicut alii voluntarii operantes, necesse ergo est aliquod istorum scilicet ut hoc, quod operatur una hora, & non alia sit propter aliquod impedimentum prohibens, aut retardans ipsum ab operatione, vel propter expergefactionem quam habet in una hora, & non in alia: V. G. aliquis vult ædificare domum, & non ædificat quia prohibetur ab hoc, vel retardatur propter defectum materiæ, vel defectum instrumentorum: potest etiam esse, quod non est prohibens, nec retardans propter defectum materiæ, vel propter defectum instrumentorum; quia ista ei præsto sunt, sed non vult ædificare; quia modo non indiget ipsa propter aeris temperantiam, sed adveniente tempore frigoris, vel caloris, aut pluviæ, expergefiet, & excitabitur, ut velit ædificare, & ædificet: apparet ergo quod renovatio intemperiei excitat voluntatem, & impedimenta prohibent vel retardant, horum autem nihil in primo est, ergo primum sicuti est æternæ virtutis, ita & voluntatis æternæ ad operandum, ergo & operatum æternum.

Hujus objectionis solutio jam patet ex solutione præcedentis objectionis, ut dictum est, quod voluntas Dei est, quod creatorum universitas ordinata sit ad factorem, idest post ipsum, non solum ordine causæ, sed etiam temporis ad æternitatem. Unde ex voluntate ejus simpliciter non est, quod res sit nunc, vel tunc, sed ex voluntate ejus, quod res sit nunc, vel tunc, est res nunc, vel tunc: tantum addimus, ut ex Rabbi Moysi habetur, quod non est simile de aliis voluntarie moventibus, & de Deo; alii enim motores moventur propter finem existentem extra substantiam voluntatis, & ideo ab extrinseco excitantur, ut patet in præfato exemplo, secus autem in Deo, cujus actio sequitur solam Dei voluntatem, & propriam electionem, & non respicit finem extra quod indigeat, nullo enim indiget, & ideo non recipit expergefactorem, vel excitatorem. Proverb. 16. v. 4. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus*. Item propter immensitatem potentiæ suæ prohiberi vel impediri non potest ab operatione, secus autem in aliis moventibus, quorum potentiæ per se non sufficiunt ad actum.

Decima ratio est, quia divina sapientia frustra non agit, quia nec natura quantum in se est agit frustra. Item in opere sapientiæ non est excessus, nec diminutio, imo operatur omnia in finem perfectionis, prout convenit rei, quam operatur; *Vidit enim Deus cuncta quæ fecerat: & erant valde bona*. Genes. 1. v. 31. Cum ergo non operetur frustra, ergo non est operatus mundum multo tempore postquam non fuit, hoc enim vanum videtur. Item quod honorabilius (23) est & decentius ei magis faciendum erat ab eo, decentius autem est ab æterno cuncta fecisse, quam aliquando, imo infinito moræ spatio nihil fecisse; honorabilior est actus bonus unicuique, quam otium, & dignitas laudis secundum pretium est operationis, in qua gloria consistit auctoris, cui etiam tanto indecentius est otium, quanto major est potestas ad agendum, ergo vel ab æterno Deus fecit mundum, vel in immensum reprehensibilis est, cui immensa est potestas ad agendum, & inutile infinito moræ spatio elegit otium. Item præesse decentius est, quam simpliciter esse, ergo Deus ab æterno mundum creavit,

(23) Simile quidpiam opponit Ethnicus Christiano apud Auctorem *Quæst. & resp. ad Græcos, inter opera S. Justini Martyris Quæst.* IV. quem Ethnicum refellit fuse lateque Christianus *in refutatione non recte instituti responsi*.

vit, vel non elegit, quod decentius fuit. Item bona sua quælibet aliis communicare ratio exigit justitiæ, ergo Deus ab æterno mundum fecit, vel infinito moræ spatio injustus fuit.

Solutio: Deus infinito moræ spatio præelegit otium, ut otium large sumitur pro cessatione quia non omnis cessatio est otium, sed privatio operationis quando esset operandum; & sicut non est in ejus operatione fatigatio, sic nec in cessatione otium, stricte sumendo otium. Large autem sumendo præelegit otium tanquam decentius, igitur & honorabilius, & quia nobis utilius; decentius enim fuit ei facere mundum post non esse, quam ipsum sibi coæternum, decens enim fuit, ut sicut creatura sua in nullo alio æquatur ei, ita nec in duratione æterna; unde Ambrosius in Hexameron. *Quid tam inconveniens, quam æternitatem operis creati, Dei æternitati conjungere?* Per hoc etiam summa ejus perfectio insinuatur, quia non fecit mundum ab æterno; per hoc enim datur intelligi quia non indiget alio, quia infinito moræ spatio fuit sine creatura. Utilitas etiam fuit quoad hominem per hoc enim instruitur homo, ut totum Deo attribuat, & abstrahitur ab idololatria, quia videt, & credit omnia alia entia non esse æterna. Verum supra 10. cap. dictum est, quod Deus præcepit populo suo, ut esset memor sanctificare diem Sabbati, ut esset memor inchoationis mundi, ne sibi coæternum crederent, ut ibi habitum est, & roboratum testimonio Exodi 31. v. 16. *Custodiant filii Israel Sabbatum, & celebrent illud in generationibus suis &c.* Et hoc totum cedebat in laudem & gloriam conditoris, contrarium autem vituperium ejus erit; si enim speciositas creaturæ, ut innuitur Sapient. 12. v. 2. & 3. erat homini via ad idololatriam, quis dubitat, quin æternitas creaturæ esset via hujusmodi ad illam; non ergo frustra operatus est mundum postquam non fuit, imo ad suam gloriam, & utilitatem nostram, qui videntes universa creata habere esse post non esse, cum non sit via in infinitum, venimus in apprehensionem causæ primæ, credentes illam omnium originem, & non originatam; ex quo patet, quod præesse possit simpliciter esse nobis utilius, & ei decentius, & in inchoatione operis prudentiam artificis admiramur; unde & Ecclesiast. 1. v. 10. Effudisse dicitur sapientiam suam super omnia opera sua; non dicit *fudit*, sed effudit illam; non solum enim dicitur effudisse, idest extra fudisse, quia quæ primo, & ab æterno erant in Dei sapientia, postea egressa sunt in esse actuale ab ipsa, sed etiam quia magnitudo sapientiæ ejus exterius in operibus se notificavit, cum ea de non esse omnino in esse deduxit; sic etiam primum bonum non ab æterno, sed postea in commune deductum pulchrius, & melius illuxit, & licet ratio justitiæ divinæ, idest providentiæ ejus, qua providit se cuncta facturum, exigeret, Deum communicare bona sua creaturæ, non tamen semper, sed tempore congruenti, nam & in nobis non exigit justitia nostra communicare aliis semper, sed tempore, & loco.

Undecima ratio sumitur ex illo verbo, quod habetur in fine libri de generatione, & corruptione, ubi dicitur: *Idem enim, & similiter se habens* (24) *semper idem inde natum est facere*, sed prima causa cum sit immutabilis, ab æterno se se habuit similiter ad mundum & eodem modo; ergo ab æterno fecit mundum. Ex illa ratione Aristotelis solet sumi illud verbum usitatum, intellectus purus & verus testatur: quod eadem re prorsus similiter se habente ad aliquam rem, si illa res modo exit a prima causa, & prius exivit, & inde ac prius.

Solutio: Hæc ultima falsa est omnino ut patebit in secunda parte capitis. Propositio autem Aristotelis dupliciter potest sumi, vel universaliter, vel particulariter; ultimo modo sumitur ab Aristotele, ut patet in litera; dicit enim continue ante illa verba: *Uno autem ante alterationem non contingit fieri ambo*, quæ sunt contraria, idest generationem, & corruptionem; & subdit: *Idem enim* &c. per alterationem autem intelligit motum localem; unde 11. Metaph. omnes motus sunt per localem; ibi etiam dicit circa finem: Alteratio est prima transmutationum, quæ est secundum circulationem: in libro autem de generatione, & corruptione ubi ponit verba prædicta, determinat, quod alteratio est causa duorum contrariorum, idest generationis, & corruptionis; sed quia contrariorum contraria est causa, ideoque non prima alteratio, idest motus octavæ sphæræ vel etiam nonæ est causa generationis, & corruptionis; sed quia circa obliquum circulum, idest motus solis; iste enim motus diversificatur, & secundum elongationem a tropico aquilonari est causa corruptionis, per accessum vero ad ipsum est causa generationis; intelligit ergo propositionem suam Aristoteles in materialibus, ubi ordo causæ ad effectum est per viam naturæ, non per modum voluntatis. Sed etiam si sumatur universaliter verbum Aristotelis verum est; non enim dicit, idem enim & similiter se habens semper idem facit, sed, semper natum est facere, idest naturaliter aptum facere; sed ex hoc non sequitur, quod semper faciat, commutatio enim sit habitus in actum; sicut si dicam: Scriptor est, ergo scribit.

Duodecima ratio est ista: Posita causa necessaria & immediata ponitur effectus, sed Deus ab æterno fuit causa necessaria, & immediata ipsius mundi, ergo mundus ab æterno factus.

Solutio hujus est: quoniam est falsa: Deus ab æterno fuit causa necessaria &c. (25) cum enim cau-

(24) Nullius ponderis hoc argumentum est. Nam Deus cum immutabilis sit, semper idem manet. Creatione autem mundi nulla in Deum redundat immutatio; Non enim Deus immutatus est, cujus sempiterna est actio, qua mundum condidit; sed mundus. Sapienter S. Thomas *I. P. Q.* XLVI. *Art.* I. *ad* X. *Arg. Ex actione Dei æterna*, inquit, *non sequitur effectus æternus, sed qualem Deus voluit, ut scilicet haberet esse post non esse.*

(25) Est hoc Spinosæ, ejusque assèclarum pronunciatum. Congerit enim Deum non liberam, sed necessariam caussam esse. Sed non intelligo, quemadmodum aliqua caussa summa intelligentia prædita esse possit, quæ summa non gaudeat libertate. Est autem summa intelligentia præditus Deus; gaudet ergo summa libertate. Nam qui res perspicit infinitas non repugnare, ut sint, nec tamen eas creare omnes potest; is impotens sit necesse est. Non repugnat autem, ut res infinitæ esse possint; nam alioquin necesse est ostendatur ratio cur repugnet; cognoscat ergo omnes illas Deus necesse

causa in quantum causa ad aliquid sit, & posito uno eorum, quæ ad aliquid sunt, ponitur alterum, sequeretur creatum ab æterno fuisse; & secundum hunc modum dicit Agazel, in divisione entis per necesse, & impossibile: si fuit factor æternus, erit factura æterna; sed falsum est, quod fuit factor æternus, ita quod factor dicat actum; potest tamen distingui: dicit enim Aristoteles, quod causæ quæ sunt potentes, dicuntur aliæ sicut operantes; secundum hunc modum dici potest, quod Deus ab æterno fuit causa mundi ut potens operari, sed non ut operans.

Tertia decima ratio est: Constat enim tam apud Sanctos, quam apud Philosophos, quod quia Deus bonus est, ideo mundus factus bonus est, sed ab æterno fuit bonus, ergo ab æterno mundus factus est.

Solutio: Bonitas secundum suam rationem activa est, duratio autem ad agendum impertinens, & ideo licet quia bonus est agit, non tamen quia ab æterno bonus, ideo æterne egit; quod etiam patet, quia cum sit omnium causa, scilicet generabilium, & corruptibilium, patet quod æternitatem Dei non comitatur æternitas effectus.

Præterea, etsi omnium causa immobilis sit, tamen primum corpus mobile est, unde immobilitatem causæ non sequitur immobilitas effectus, bonitas enim divina diffundit se ad creata sua per participationem, sicut & essentia, æternitas &c. incommunicabilis est pluribus.

Decima quarta ratio est: quia impossibile est bonitati summæ non influere; nam ut patet ex præcedenti propositione, quia Deus bonus est, ideo influit; igitur cum Deus ab æterno fuerit bonus, ab æterno influit, & ita creatura ab æterno.

Solutio: Duplex est influentia, una de substantia divina per generationem Filii, & spirationem Spiritus Sancti, hæc æterna est, & quoad istam vera est illa propositio, *impossibile est* &c. Est & alia influentia divina, non de Deo, sive ejus substantia, sed a Deo; quoad istam non est vera illa propositio.

Decima quinta ratio est: quod tota sufficientia mundi fuit ab æterno, quod probatur: Quia ad hoc ut Artifex exeat in actum nihil amplius exigit, quam ista tria, scilicet potentia, sapientia, & voluntas, nisi fortasse extrinseca adjuvamina, ut receptibilitas patientis, propinquitas ejus ad agentem, aut media ipsa; universalis autem artifex nunquam indiguit his adjutoriis quantum ad primas operationes suas, alioquin non essent primæ; prima igitur operatio primi factoris non est adjuta extrinsecus; ergo ipse primus factor fuit tota sufficientia eorum quæ exigebantur ad hoc ut prima ejus opera essent; ergo sicut tota eorum sufficientia fuit ab æterno, ita & ipsa.

Solutio: Ista argumentatio duobus modis ostenditur inefficax; uno modo per id, quod dictum est de divina voluntate, scilicet quod Deus vult aliquam rem esse simpliciter, non esse causam rei, quod nunc sit; sed quod vult eam esse, facit eam debere esse: Si autem velit Deus mundum ab æterno esse, hoc faceret quod mundus ab æterno esset, sed istud non voluit Deus; licet ergo tota sufficientia mundi fuerit ab æterno, non tamen mundus ab æterno fuit, quia Dei voluntas non fuit ad hoc, quod mundus ab æterno esset, sed ab æterno voluit, quod cum tempore fieret; istud autem magis declaratum est in nona ratione. Alio etiam modo ostenditur illa argumentatio inefficax: quia æque contra eos esset, sicut etiam contra nos; secundum enim rationem illam, necesse esset dicere omnia entia æterna, nec cadere aliquod de entibus sub generatione, & corruptione, sicut patebit in secunda parte hujus capitis.

Ex prædictis innotuit, quod nulla ratio Philosophica vel moralis cogit dicere mundum esse coæternum Deo; & licet quidam nitantur Aristotelem excusare, (26) ego tamen non excusabo eum, credam enim magis B.Ambrosio, qui in Hexameron expresse declarat, Aristotelem, & Platonem sensisse mundum esse coæternum Deo; credam magis textui ejus, qui in 11. libro metaph. pluribus in locis hoc dicit, scilicet Cœlum esse æternum &c. & in libro Cœli, & mundi V. G. impossibile est ut motus fiat, aut corrumpatur, semper enim est, nec tempore &c. Item ibidem, omnes substantiæ existentes extra materiam sunt æternæ. Item in principio de Vegetabilibus, loquens contra (27) Abrucalem, ait: Mundus totalis perpetuus & sempiternus est, & non cessavit unquam generare animalia, & plantas, & omnes suas species: dicebat enim Abrucal, quod planta habuit generationem modo diminuto, & non completo in complemento suo, & eo completo non generabitur animal; & dicit Aristoteles contra eum: hic sermo est inconveniens, quia mundus totalis &c. Credam etiam magis Philosophis, qui Aristotelem secuti libros ejus exposuerunt,

necesse est. Sin autem cognoscit, eas quoque creare potest; alias ne Deus quidem esset; cum Dei nomine intelligamus mentem infinitam; infinitaque præditam potestate. Jam vero si Deus necessitate ductus mundum hunc condidisset, adeoque libertate careret, nihil in universo moliri amplius potest, nihil substantiæ, nihil modi, nihil circumstantiarum. Scio hoc totum concedi a Spinosistis. Verum id demum ostendant necesse est, cur ita se habeat. Ego enim cum videam materiam determinatam esse, mundum finitum, finitum item motum corporum, neque repugnare, cur major esse non possit, aliquam causam esse facile arbitror, quæ hæc ad tanta determinavit. Nam si necessitas nulla fuisset impellens, non determinata, sed infinita fuissent. Si ergo determinata sunt, Deus sua gaudens libertate ad tantam molem, aut virtutem determinarit, necesse est.

(26) Verum quidem est S. Thomam *I. P. Quæst.* XLVI. *Art.* I. quod satius esse putaret Philosophi tanti dogmata, quoad ejus fieri poterat, trahere in meliorem partem, ut qui illi addicti essent, in errorem non pertraherentur, censuisse nihil in hac re sancitum ab Stagirita fuisse: sunt tamen etiamnum Philosophi Christiani, ut Veteres Ethnicos missos faciam, qui Aristotelem ipsum pro mundi æternitate pugnasse putent, inter quos non extremas partes obtinet Benedictus Pererius in suis *Physicis Institutionibus*, qui animadvertit, non quod obiter, sed quod data opera propugnatum ab Aristotele est, id demum esse proprium illius dogma; data autem opera Stagyritem pro æternitate mundi cum in *Physicis*, tum in *Metaphysicis*, atque in *Libris de Cœlo* certasse. Idem ipsum observat Clarkius Anglus hæreticus in *Opere De Existentia Dei: Parte I. Cap.* IV. *pag.* 44. *seqq.*

(27) Non est hoc opus acceptum referendum Aristoteli. Nam auctor oppugnat Abrucalem Philosophum Arabem, qui longe fuit Stagyrita recentior. Multa affert Fabricius *Lib.* III. *Bibliothecæ Græcæ Tom.* II. *Cap.* VI. *pag.* 136. *Edit. an.* 1716. quæ ad veritatem plane probant non esse librum de *Vegetabilibus*, qui alias inscriptus est *De Plantis* Aristoteli tribuendum.

runt, & ejus ſententiam hanc eſse dixerunt, quod mundus nec cæpit eſse, nec deſinet.

§. II.

Rationibus oſtenditur, quod magis ſtandum eſt de creatione mundi ſuppoſitionibus Theologorum, quam Philoſophorum.

PErtractata prima parte hujus capitis ad ſecundam accedamus, quam in quatuor partes dividimus; in prima oſtendimus, quod tam Philoſophi, quam Theologi, ideſt Apoſtoli, & Prophetæ procedant per viam narrationis; ſicut enim Philoſophi aliqua ſuppoſuerunt pro conſtanti, quibus ab illis oſtenditur æternitas mundi; ita etiam Theologi aliqua ſupponunt, quibus mundi novitas declaratur ab eis, ſed magis credendum eſt ſuppoſitionibus Theologorum, quam Philoſophorum. In ſecunda parte oſtendemus falſitatem eorum in illa ſuppoſitione, quod Deus non libera voluntate, vel electione agit, quæ agit. In tertia vero inducemus rationes, quibus certificabitur novitas mundi, & impoſſibilitas æternitatis ejus. In quarta autem agemus de cura Dei.

Circa primam partem hujus ſecundæ partis primo dicimus, quod ipſi Philoſophi ex quibuſdam ſuis ſuppoſitionibus proceſſerunt, quarum quædam veræ, quædam falſæ ſunt: & ſi qui volunt credere ſuppoſitionibus Philoſophorum, & nos volumus credere ſuppoſitionibus Apoſtolorum, & Prophetarum; quanto enim puriores, & mundiores ſunt Apoſtoli, vel amatores æternorum, tanto magis eis credendum eſt in iſtis ſuppoſitionibus, quam Philoſophis in ſuis; quod autem puriores, hoc patet ex vita, & operatione miraculoſa teſtimonium perhibente eorum ſuppoſitionibus, & doctrinæ juxta quod legitur Marci ultimo v. 20. *Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*: Si autem puriores, ergo luminoſiores, maxime ſecundum adhærentes Philoſophis, qui ponunt, quod ſecundum præparationes receptibilium ex neceſſitate fluunt illuminationes, & dona alia a Datore ipſorum; unde in Ethicis Ariſtotelis: *Bonus enim ſingula judicat, & in ſingulis verum ei videtur*.

Forte dicet, quod non eſt ſimile, quia illi probant, quod ſupponunt; Theologi autem non, ſed procedunt tantum per viam narrationis.

Ad hoc autem dicimus, quod ipſi ſecundum viam narrationis, non certæ probationis procedunt; ut patet in ſuppoſitione æternitatis ipſius materiæ, in qua convenerunt Plato, & Ariſtoteles, ſicut patet in prima parte hujus capitis in tertia ratione æternitatis mundi ſumpta a materia: ſi autem vellet dicere, quod iſtud verum eſt, ſcilicet, quod in ſuppoſitione æternæ materiæ proceſſerunt ſecundum viam probationis per poſſibilitatem materialem, quam in omni mutabili dixerunt præcedere ſuam mutationem, ut habitum eſt in prima parte hujus capitis in quarta ratione de mundi æternitate: jam oſtendimus quod iſta ſuppoſitio falſa eſt, & non eſt ibi via aliqua ad probandum illam; ergo in illa ſuppoſitione ſecundum viam narrationis proceſſerunt & falſo: cui ſuppoſitioni innititur illud uſitatum verbum Philoſophicum, quod Boetius commemorat in principio (28) quinti libri de conſolatione: *Ex nihilo nihil exiſtere vera ſententia eſt*, ſupple ſecundum ſententiam Boetii, qui ſumit hoc ipſum ex nihilo, in habitudine cauſæ efficientis: tamen ſecundum intellectum Philoſophicum, quia illud verbum non de operante principio, ſed de materiali ſubjecto intelligebant, falſum eſt; imo omnia ex nihilo ſecundum primam creationem: vel ſi verum eſt, intelligendum eſt hoc verbum ex nihilo, nihil per viam generationis; omne enim quod generatur, ex ente generatur; ſicut in pluribus locis poſuit Ariſtoteles, licet dicat aliquando, quod ex non ente, hoc intelligitur ſic, ex non ente illius ad quod mutatur per generationem.

Præterea, dico tibi qui Philoſophis vis adhærere, remove Philoſophos a tua aſſertione, & ego removebo a mea aſſertione Theologos; nec dicas ita dixerunt Philoſophi, nec ego dicam ita dixerunt Theologi, & videamus quis habeat jus, an ego vel tu.

Conſtat jam ex præcedentibus, quia ſine inconveniente aliquo poſſum negare verba a te inducta pro mundi æternitate; & ſi velles dicere quod poſſis negare omnia a me inducta pro mundi novitate; dico quod non eſt verum, imo viſis rationibus oſtendam tibi quod non fuit mundus æternus. In primis autem videamus rationes ejus quod eſt creare; hoc enim ſecundum Theologos non eſt aliud, quam virtute propria ex nihilo aliquid facere, ſecundum quam rationem creare idem eſt quod inchoare, ideſt aliquid omnino novum facere; conſtat autem quod ſic ſumpto creandi verbo impoſſibile eſt aliquid eſſe æternum præter primum; unde & ratio hujus quæſtionis, quare non creavit Deus aliquid ab æterno, eſt, quod repugnat creaturæ ratio æternitatis; ſed ratio hæc ſupponitur a Theologo, & a Philoſophis non admittitur, ut patet ex principio primæ partis hujus capitis; ideo alia via procedamus, oſtendentes prius quid ſit creare ſecundum eos. Hoc eſt idem quod in eſſe aliquid producere, ſive dare eſſe aliis propria virtute; unde licet Sol det eſſe lumini ab ipſo exeunti, non tamen dicitur creator luminis, qui non propria ſed aliunde accepta virtute dat eſſe lumini; verius tamen eſt, quod

(28) Boetius *Lib.v. De Conſolat. Philoſ. Proſ.* I. *pag.* 120. *Edit. an.* 1656. Sic inducit Philoſophiam loquentem: „ Nihil ex nihilo „ exiſtere, vera ſententia eſt, cui nemo unquam veterum refra„ gatus eſt. Quamquam id illi non de operante principio, ſed de „ materiali ſubjecto, hoc eſt, de natura omnium rationum, quaſi „ quoddam jecerit fundamentum. At ſi nullis ex cauſſis aliquid „ oriatur, id de nihilo ortum eſſe videbitur. Non negat Boetius a ſempiterno, infinito, omnipotentique principio creari quidquam e nihilo poſse. Sed hoc unum pugnat, natura fieri nequire quidquam e nihilo. Ceterum aut omnium, aut fere omnium veterum Philoſophorum opinio fuit: nihil fieri, aut prodire poſſe e nihilo, quavis adbibita poteſtate. Vide notas ſuperiores, quibus conſtat, quemadmodum repulſum ab Lactantio fuerit genus illud Philoſophorum.

quod nulla creatura dat alii aliquid boni, sed defert ad modum nuntii, unde nec proprie loquendo causa est si ad rem nominis attendamus, nisi proprium modum loquendi dixerimus, usitatum modum loquendi secundum primam impositionem vocabuli; controversiam ergo de nomine relinquentes ostendamus vivis rationibus mundum non fuisse æternum.

§. III.

Quod Deus non agat per modum necessitatis, & naturæ, sed libera voluntate, & electione.

NUnc veniamus ad secundam partem secundæ partis hujus capitis, ubi sciendum in primis quod Philosophi posuerunt Deum agere per modum necessitatis (29) & naturæ, non voluntate arbitrii, sive per electionem, sicut dicit B. Ambrosius in principio Hexameron. Hæc autem pars in duas dividitur; prius enim ponemus rationem eorum, qua moti sunt ad dicendum quod causa prima non agit per electionem, & intentionem: secundo ponemus rationes, quibus detegetur falsitas positionis eorum.

Differunt autem electio & intentio, quia electio est eorum quæ ad finem, intentio est ipsius finis; & hæc distinctio sumitur ab Aristotele in libro 3. Ethicor. c. 2. in fine; ubi diversificat inter voluntatem, & electionem; voluntatem sumit pro intentione, qua tendit in finem; quod autem voluntas dicatur intentio, sed respectu finis, habetur 2. lib. Sentent. dist.38. Nec contra hoc est illud quod dicit Joannes Damascenus 2. lib. cap.22. ubi ait: *Quæ circa aliquid est intelligentia, intentio nominatur*; sumit enim intelligentiam pro intellectu practico per voluntatem inclinato circa operationem propter aliquem finem. Intentio igitur de duobus, idest intellectu practico, & voluntate dicitur, sed de una propter alterum.

Ratio illorum talis est: Omne agens per electionem aliquid intendit; istud patet ex eo quod dictum est, electio est eorum quæ ad finem. Secundo ponitur, quod illud quod intenditur, si ratione recta intenditur ab agente, melius est agenti ejus esse, quam non esse, alioquin frustra intenderetur, sed agenti indifferens esset esse, vel non esse illius, imo non inclinaretur agens ad unum eorum potius, quam ad aliud. Tertio propter illa duo ponunt, quod omne agens propter aliquam intentionem imperfectum est, id enim quod ab eo intenditur, melius est illi quod sit, quam quod non sit; unde aliquid boni est quod non habet, & intenditur ut habeat, ut eo habito perficiatur. Ex his omnibus volunt habere, quod causa prima non agat per intentionem, vel electionem, cum summe bona sit atque perfecta in omnibus, quæ habet.

At hoc solvi potest sic: quia agens per electionem vel intentionem diversum est. Aliud enim est quod aliquid sibi intendit, & aliud quod non sibi sed alii, & suppositiones prædictæ veræ sunt quoad agens quod in actione sua aliquid sibi intendit; sed universaliter intellectæ non sunt veræ; agit enim causa prima propter commodum alienum, non suum.

Ad hoc autem ipsi objiciunt dicentes: hoc esse erroneum, quoniam hoc esse ex actione agentis advenire alii commodum melius est agenti, quam non advenire, alioquin non inclinaretur agens ad agendum illud, si enim per omnem modum æqualiter se haberent ad agens adventus illius commodi alieni, & non adventus illius, tunc vel utrumque esset ab eo, vel neutrum, quorum utrumque est impossibile; impossibilis enim est affirmatio, & negatio de eodem.

Solutio: Electio æquivoca est in Deo, & in nobis, electio enim prout in nobis est, dirigitur deliberatione, & consilio, sicut etiam vult Aristoteles in Ethicis, ubi ait: quod *non omne voluntarium eligendum, sed quod est ante consiliatum*, quod etiam exponit Johan. Damasc. 2. lib. cap. 24. in fine, ubi loquitur de quibusdam voluntariis, & subdit, quod non secundum electionem, propterea quia non consilio; oportet autem omnino consilium antecedere electionem; secundum modum hunc non cadit in Deum electio, quia nec deliberatio. Propter hoc etiam B. Dionysius cap. 4. de Divinis nominibus in principio dicit: *Sicut noster Sol non ratiocinans aut præeligens, sed per ipsum esse suum illuminat omnia, participare lumina ipsius secundum propriam rationem, idest capacitatem valentia; ita etiam summum bonum solem superans, sicut superat obscuram imaginem segregatum Archetypum, per ipsam essentiam omnibus existentibus proportionaliter immittit totius bonitatis radios*. Quod autem dicit de Sole, quod *non ratiocinans* &c. intelligitur, quod radiorum effusioni non præmittit deliberationem, aut etiam electionem, sive consiliatam voluntatem, quibusdam radios immittat, quibusdam subtrahat, sed omnibus capacibus sui luminis undique immittit eos secundum suum esse, idest per essentiam suam, quæ tota est lux; unde ibi dicitur totus splendidus; quod autem bonum quod supra solem est, imo supra omnem creaturam dicit *segregatum Archetypum*, intelligitur principaliter figuratum per ipsum solem, quam per alia signa corporea divinæ bonitatis: in hoc segregatur sol ab aliis signis corporeis, quia excellentius figurat bonum.

Alio autem modo sumitur electio in Deo; ad quod melius intelligendum notandum est illlud verbum Aristotelis in Ethicis, ubi ait: *quod electio est circa ea*, sive eorum, *quæ in nobis sunt*, supple ut fiant, vel non fiant a nobis. Unde Johannes Damascenus 2. libr. cap. 26. In nobis quidem sunt quæ possumus liberi arbitrii face-

Qqq re

(29) Fuerunt Philosophi, qui mundum quidem a Deo conditum dicerent, sed Deo tamen ipsi adimerent libertatem. Hos autem insectantur Basilius Magnus Homilia I. in Hexameron, & Ambrosius, quem noster laudat, *Lib.* I. *In Hexam. cap.* v. Benedictus Spinosa in eumdem errorem incidit, ut ex illius *Ethic. Part.* I. *Prop.* XVI. *seqq.* colligitur. Nonnumquam Petrus Bælius, qui Pyrrhonianus fuit, Deo detrahit libertatem. Videndus Crousazius *Exam. Pyrrhonismi sect.* VIII. *pag.*448.

re (30), & non facere: & propter hoc noſtra electio transfertur ad divinam voluntatem reſpectu univerſorum creatorum, quia in Deo erat ea agere, vel non agere, ut patebit inferius, eſt enim in nobis electio voluntas præconſiliata, voluntas dico eorum quæ in nobis ſunt; in Deo autem non ſic, ſed ſimpliciter voluntas eorum, quæ in Deo ſunt prædicto modo; Uno igitur modo dicimus, quia cauſa prima non eſt agens per electionem, & intentionem, alio modo ſic eſt. Similiter æquivoca intentio eſt; uno enim modo dicitur intentio, prout in nobis eſt finis movens efficientem ad agendum aliquid propter finem, quo habito perficitur agens, & ſic intentio eſt cauſa finalis agentis; ſecundum hunc modum ſignificat imperfectionem intendentis, ut Philoſophi dicunt; alio etiam modo ſumitur intentio pro tendentia in aliquod bonum, aut ſibi, aut aliis, ſicut cum quis intendit extrahere ſummerſum de aqua, non intendens bonum proprium, ſed aliquod bonum emanare a ſe; Sic ſumitur intentio in Deo; licet enim non ſibi intendat, intendit tamen aliis, & ſic non eſt intentio in ratione cauſæ finalis ad agendum, licet quoad id quod agit, ſic eſſe poſſit: Concedimus igitur primam propoſitionem, omne agens per electionem aliquid intendit, etiam cauſa prima; ſecundam autem propoſitionem negamus, ſi univerſaliter intelligitur, *omne quod intenditur, ſi recta ratione intenditur ab agente* &c. tamen particulariter verum eſt, ſcilicet in nobis, qui in actionibus noſtris aliquid intendimus nobis lucrari, unde & in nobis vera eſt. Tertia propoſitio: omne agens per intentionem eſt imperfectum; ſed in Deo non ſic, ipſe enim in actione ſua non ſibi intendit, ſed creatis ſuis; & illam diſtinctionem approbamus, agentium aliud intendit ſibi, aliud autem aliis: nec erroneum eſt hoc dicere: nec verum eſt quod in oppoſitione in contrarium facta dicebatur, ſcilicet quod ex actione agentis advenire alii commodum, melius quidem eſt alicui agenti, ſed non primo agenti, ideſt cauſæ primæ: & quod dicitur *alioquin non inclinaretur agens ad illud*, falſum eſt, & quod poſtea dicitur, ſi enim per omnem modum æqualiter ſe haberet ad agentem adventus commodi alieni, & ejuſdem non adventus [*] tunc vel utrumque eſſet ab eo, vel neutrum; dicimus verum eſt, ſi per omnem modum æqualiter ſe haberent ad agentem adventus commodi alieni, & ejuſdem non adventus; hic autem non ſe habet æqualiter per omnem modum, ſed tantum æqualiter ſe habet quoad hoc, ſcilicet quod neutrum eorum aliquid acquirit agenti [*]; quia utrumque in Deo eſt, ut fiat, vel non fiat, ideſt æque poteſt unum & aliud, & æqualiter unum & aliud cognitione ſimplici: ſed inæqualiter ſe habet ad agendum quoad hoc, quia unum eligit, alterum non, & ideo potentia agendi utrumque magis inclinatur ad alterum, hoc autem magis patebit in ſequenti objectione.

Ad idem etiam objiciunt ſic: Omnis qui in actione ſua intendit alii, ad illum ſe habet per modum miniſtri, omnis autem miniſter reſpectu ejus cui miniſtrat, in quantum ei miniſtrat, minor eſt eo; unde etiam poſuit Philoſophus, quod Paſtor minor eſt ovibus in quantum paſtor, Deus autem nullo minor eſt; ergo nulli aliquid intendit; igitur non agit per intentionem, qua aliquid intenditur alii; ergo nec per electionem, & hoc conceſſerunt Philoſophi.

Solutio: Cauſa prima agit, ut prædictum eſt per electionem, & propter intentionem, ideſt finem aliqua intendit non ſibi, ſed alii propter ſummam ſuam perfectionem; unde ille finis perfectio eſt illius cui intenditur, & in hoc caſu non concedimus illam propoſitionem phyſicam: *finis movet efficientem*, niſi intelligatur ſic, finis ſcilicet in ſe, vel in alio: & illud aliud quod dictum eſt, omnis qui in actione ſua intendit aliquid alii, ad illum ſe habet per modum miniſtri, dicimus verum eſt. Similiter & illud verum eſt: omnis miniſter in quantum miniſter minor eſt eo cui miniſtrat uno modo; dupliciter enim aliquis miniſtrat alii, vel ut inde acquirat aliquid quod nondum habet, & ſic concedimus illam propoſitionem: omnis miniſter in quantum miniſter minor eſt eo cui miniſtrat; minor dico in hoc, ideſt imperfectior, quia aliquam recipit perfectionem ab ipſo vel ab alio propter ipſum; ſecundum hoc non eſt verum, quod Deus ſe habeat per modum miniſtri; ſecundo modo dicitur aliquis alii miniſtrare, ideſt influere ex mera bonitate ſive largitate, quæ eſt collatio alicujus boni, ſine intuitu retributionis; hoc autem modo convenit cauſæ primæ; ipſa enim largiſſima eſt, quia iſto modo emanat ab ipſo eſſe bonum, ipſa enim nil commoditatis accreſcere ſibi ſciens ex rebus, oſtendit ſuperabundantiam bonitatis ſuæ ſupra omne quod eſt, ſicut oportuit, cui etſi laus quædam, & gloria exterius ex rebus ſubſecuta ſit, non in commodum tamen ipſius, ſed in commodum laudantium effunditur; alioquin mercenaria, & negotiatrix eſſet Dei benignitas, ſi velut quodam finis ſui pretio non veniſſet ad opera gratis; ergo voluit ut res eſſent ex mera bonitate ſua ſicut teſtatur B. Dionyſius cap. 4. Angelicæ Hierarchiæ, & cap. 4. de Divinis nominibus ubi ait: *Audendum autem & pro veritate dicere, quod ipſe omnium cauſa pulchro, & bono amore omnium, per abundantiam amativæ bonita-*

(30) Johannes Damaſcenus *Lib.* II. *de Fide Orthodoxa Cap.* XXII. in Deo agnoſcit quidem Βούλησι, hoc eſt *actionem volendi*, non tamen προαίρεσιν, nempe *electionem proprie ſumtam*. *Deus enim*, inquit, *non conſultat. Eſt quippe ignorantiæ proprium conſultare ... Itaque Deus, qui ſimpliciter omnia novit, non conſultat.* Verum hæc Damaſceni verba evolvit, atque explicat S. Thomas I. II. *P. Quæſt.* XIV. *Art.* I. *ad* 2. *arg.* Nullam ergo proprie dictam deliberationem agnoſcit in Deo, cujuſmodi in nobis eſt cum inſcientia, & ignoratæ rei inquiſitione conjuncta. Ineſſe tamen teſtatur liberam utriuſvis electionem. Potuit quidem certe Deus Judam ſuſcitare, ut Lazarum ſuſcitavit, ſed noluit; quia nullam neceſſitatem patitur. Adeundus Auguſtinus *Lib. de Natura, & Gratia, Cap.* VII. & *lib. de Fide contra Manich. cap.* XXVIII. Sapienter quoque Epiphanius *Hæreſ.* LXX. *num.* VII. *Deus*, inquit, *potens eſt, ut quod vult faciat, verum facit illa, quæ divinitati ſuæ congruunt.* Quæ ex Dionyſiaſtro paullo ante attulit exempla ſolis, explicantur a S. Maximo, ſeu ab Johanne Scythopolita in Scholiis hoc pacto, quod, ut ſol adventitium lumen non habet, ſed ingenitum, ita Deus non adſcititiam, ſed nativam habet bonitatem: immo eſt ipſa bonitas. Aliter exponit S. Thomas *I. P. Q.* XIX. *Art.* IV. *ad* I. *Arg.* quem conſule; convenit enim cum noſtro.

[*] Quæ duobus aſteriſcis concluſimus deſunt e *Codd. Bonon.* & *Neap.*

nitatis suæ extra se ipsum sit ad omnia existentia providens sit; quare ergo ista Deus fecit entia, determinatur ratione sumpta a causa efficiente, idest propter benignitatem suam, qua ad communionem sui existentia duxit secundum capacitatem ipsorum proportionalem, ut habetur cap. 2. Angelicæ Hierarchiæ; est autem hoc super omnia bonitatis proprium ad communem sui existentiam vocare, prout unicuique definitum est a prima propositione, idest proportionali capacitate. Potest etiam sumi ratio illius quæstionis a fine, sed a fine in alio, non in agente; sed tamen illa ratio ad primam reducitur, V. G. si dicatur quod Deus fecit hominem, ut ei serviret homo; restat adhuc quæstio, quare fecit hominem ut ei serviret, scilicet quia sic voluit; hic autem finis non est ut terminus divinæ voluntatis, & ejus objectum non causa finalis, est autem causa finalis ipsius facti.

Ex prædictis patet, quod nullum inconveniens sequitur, si dicatur quod Deus operatus est universa propter suam voluntatem, sive propter electionem, & intentionem? & determinatum est, quomodo sumitur electio, & intentio, aliter autem sumitur in Deo, quam in nobis, & quam sumeretur a Philosophis (31).

§. IV.

Ostenditur falsam esse suppositionem eorum qui ponunt Deum agere per modum necessitatis, & naturæ.

NUnc restat ostendere falsam esse suppositionem illam quam ponunt, quod Deus per modum necessitatis agit, & per modum naturæ, & non per modum voluntatis arbitræ; omne enim agens vel agit tantum per modum necessitatis, vel tantum per modum liberæ voluntatis, sive electionis, vel per modum utriusque, & quia hoc ultimum impossibile est secundum Aristotelem, qui ait in Ethicis: quod eligentia non est impossibilium, nec necessariorum, sed tantum eorum, quæ in nobis & in potestate liberi arbitrii sunt; unde restat, quod si Deus agit, vel agit per electionem solam, quo dato habeo propositum, scilicet quod nullum inconveniens est, si fecit mundum esse post non esse; vel per necessitatem tantum, quod ipsi posuerunt, falso tamen, dicentes quod si voluntate fecerit opera sua, tamen voluntate necessaria, non voluntate ad utrumque libera, quam Ambrosius dicit voluntatem arbitram. Contra hoc autem facit illud, quod dicit Johan. Damasc. 2. lib. cap. 7. *Nec gubernationem, nec creaturam fecit Deus providentia,* (32) *sed secundum necessitatem omnia feruntur*; ponit etiam aliam inconvenientiam illic contra istam positionem.

Præterea quæro: Quæ est ratio necessitatis? Si dicat quoniam capacitas illius receptibilis; necessitate ergo naturali ex parte receptibilis sic, vel sic influit; ergo omnium influxionum divinarum ratio erit natura receptibilium; igitur de omnibus ejus influxionibus reddenda est ratio naturalis: modo dic mihi; cum (33) Cœlum sit totum unius naturæ secundum Aristotelem & alios recte Philosophantes, unde est quod poli ipsius corporis primi sunt ab Aquilone, & Austro potius quam ab Oriente, & Occidente? Addunt, cum motus Cœli sit ab Oriente in Occidentem, necesse est polos esse secundum modum prædictum, ut motus ejus sit supra polos: sed eadem remanet dubitatio; quæ est enim ratio necessitatis, propter quam Cœlum moveatur ab Oriente in Occidentem? Hujus causam laboravit Aristoteles assignare in secundo Cœli, & mundi, & assignavit causam hujus, quia dextera Cœli est Oriens, sinistra autem ejus est Occidens, sicut ipse dixerat aliquantulum ante; dextera autem dignior est sinistra; ergo Oriens dignior est Occidente; cum ergo natura faciat, quod melius est, melius autem est ut res quæ movetur moveatur in loco meliori, & ex parte meliori, Cœlum igitur moveri debet ex parte Orientis.

Quod autem ista ratio non solum non sit per viam necessitatis, sed etiam fabulosa sit, patet primo, quia secundum Aristotelem Cœlum unigenium est; ergo una pars ejus naturaliter non est nobilior altera, cujus contrarium dixit Aristoteles, in quo sibi ipsi contrarius apparet, dicens ipsum esse unigenium, & quod una pars alia nobilior sit.

Præterea quæstio est, quare movetur ab Oriente in Occidentem: & solutio ejus est secundum Aristotelem, quia Oriens est dextera Cœli; si quis autem dicat, quod Cœlum secundum ejus naturam nec dexteram habet nec sinistram, cum totalitet sit unius naturæ; Quomodo hoc probabit Aristoteles per viam necessitatis naturalis? Si enim dicat, sicut etiam dicit, quod dextera rei est, unde incipit motus ejus, jam supponitur, quod quærebatur, & ita petitur principium.

Præterea, nonne quod est Oriens uni, est Occidens

(31) Argumenta, quibus Spinosa, ceterique juniores libertini Deum necessitate agere jactitant, refutantur a Clarkio *Tract. de Exist. Dei Parte* I. *Cap.* x. a Vvittichio *Commentar. de Deo, & Attribut.* & a Francisco Lamio Monacho Benedectino Congregationis S Mauri in Gallico opere, quod inscribitur: *Novus Atheismus refutatus: sive oppugnatio systematis Spinozæ.*

(32) Quemadmodum hæc sint intelligenda constat ex Johanne Damasceno tum *l. c.* tum *Cap.* XXIX. & ex Nemesio, a quo hæc Damascenus accepit *Lib. De Natura Hominis. Cap.* XLIII.

(33) Nempe hinc libertatem Dei facile intelligi posse, quod res pleræque ita sint constitutæ, ut de iis ratio nulla naturalis dari possit, sed a libertate alicujus mentis pendeant. Præter exemplum autem a nostro allatum, illa quoque adferri solent: Cur determinata materia sit, & non major, neque minor? cur motus item determinatus, & non intensior, non remissior? Hæc si natura, & necessitate ita se haberent profecto non determinata sed infinita fuissent. Nam agens necessario, non est actionum suarum Dominus, ut eas dirigat, quemadmodum sibi placet; Est ergo necesse, ut faciat, quod sua natura, ut agat, capax est. Est autem perspicuum quamlibet productionem infinitæ naturæ (sibi constantis, eodemque semper modo agentis quadam necessitate) debere immensam esse, & infinitam, vi, & extensione; atque ideo nullam rem creatam reperiri in natura rerum, quæ finita sit, qua re nihil dici potest absurdius. Præclare Dionysius Petavius *Lib.* I. *Theologicor. Dogm. Cap.* I. *numero* XIII. *Adde*, inquit, *rationem nullam idoneam suppetere, cur rerum naturæ certis limitibus finitæ sint: cum non majores, minoresve institutæ sint quam natura esse videamus... quorum si quis causam ac principium naturam esse, quoniam non sine summa prudentia, & incredibili arte, ac consilio fieri tam perfecta potuerunt, tantundem erit naturæ illorum omnium efficientiam tribuere, ac Deo; quod nos quærimus, & illi, si sani sunt, ac sobrii nobiscum, vel inviti, fatebuntur.*

dens alii, & e contra? Utique. Ergo quod eſt uni dextera Cœli, eſt alteri ſiniſtra, & e contra; ergo nulla eſt ratio Ariſtotelis, qua nititur oſtendere per viam neceſſitatis naturalis, quod Cœlum moveri debet ab Oriente in Occidentem; hoc etiam patet ponentibus Antipodas. (34)

Si autem dicatur, quod ratio hujus neceſſitatis eſt intelligentia ſeparata, a qua habet eſſe corpus Cœli, & motus ejus. Hoc ſtare non poteſt, tum quia Cœlum ingenitum eſt; unde ratio neceſſitatis non poteſt ſumi ex parte receptibilis; tum quia intelligentia, cum non ſit corpus, nullam habet comparationem magis ad Orientem, quam ad Occidentem: eadem objectio eſt, ſi hoc dicatur eſſe ab anima cœli, ipſa enim illocalis eſt, dato etiam quod animam habeat.

Præterea, cum una ſphæra moveatur ab Oriente in Occidentem, alia e contrario, unde hoc? Nunquid intelligentia quædam, aut anima eſt in parte Orientis, & alia in parte Occidentis, ut propter ſitum talem neceſſe ſit diverſimode moveri ſphæras? Non: quoniam ſecundum Philoſophos hujuſmodi ſubſtantiæ, ſcilicet intelligentia & anima illocales ſunt. Si autem dicat, ſicut ipſi etiam dixerunt, quia hoc eſt a diverſitate formarum ipſorum Cœlorum: dic mihi, materia Cœlorum aut eſt una, aut multiplex ſi una, ſicut & ipſi dixerunt, &? ſignificatur hoc per convenientiam omnium eorum in motu circulari, ſicut etiam diverſitas formarum ſignificatur ex diverſitate motuum ab Oriente in Occidentem, vel e contra; unde igitur eſt diverſitas formarum per viam neceſſitatis naturalis, cum materia ſit una? Non poteſt ratio aſſignari de hac re; ergo hoc eſt de libera electione: ſi autem materiæ ponerentur diverſæ, tunc unde eſſet prædicta convenientia, cum non ſit nec ex materia, nec ex forma?

Præterea, multæ ſtellæ ſunt in ſphæra octava, & omnes ſunt ſphæricæ, cum ſint unius naturæ, ſicut & Cœlum in quo ſunt, unde eſt ergo, quod quædam ſunt parvæ, quædam magnæ?

Præterea, eſt invenire aliquam partem, imo etiam magnam in Cœlo, quæ nullam habet ſtellam. Item aliqua ſtella eſt in quadam parte Cœli, & alia eſt remota ab illa per cubitum unum, ſicut apparet viſui; aliqua etiam pars Cœli eſt, in qua ſeptem vel decem, vel plures etiam ſtellæ ſibi propinquæ valde ſunt, (35) quæ ergo eſt cauſa quæ determinavit, & diſtinxit ſic loca ſtellarum, cum totum corpus Cœli unius naturæ ſit, in quo non eſt diverſitas? Item cum Zodiacus diſtinguatur in duodecim diviſiones, ſecundum duodecim ſigna, quæ fuit ratio & cauſa deputans iſtam partem Arieti, illam Tauro, & ſic de aliis, cum horum nulla ſit naturalis ratio, vel naturalis neceſſitas? reſtat quod horum ratio eſt libera electio Creatoris.

Ad idem etiam valet, quod terra propter ſui gravitatem eſt in centro mundi, aquæ autem locus eſt terræ, & aer locus aquæ, & concavitas ſphæræ nobis propinqua, ſive ejus ſuperficies concava locus eſt ignis, ut ponunt Philoſophi; conſtat autem quod aqua propter ſuam unigenietatem figuræ debet eſſe ſphæricæ, & probatum eſt hoc in 2. libro Cœli & mundi, de aqua, & terra; ergo ipſa ex omni parte naturaliter debet terram ambire; quæ ergo eſt neceſſitas naturalis, & cauſa efficiens, quod alicubi detecta eſt? Si enim dicat, ut inhabitetur, conſtat quod hæc ratio ſumitur a fine, ergo cauſa prima agit propter finem ad minus in altero; ergo per intentionem, & electionem, quorum quodlibet ipſi negant contra illud Iſaiæ 45. v. 18. *Quia hæc dicit Dominus creans Cœlos, ipſe Deus, formans terram, & faciens eam, ipſe plaſtes ejus: non in vanum creavit eam: ut inhabitaretur, formavit eam.*

Præterea, cum illa ſit finalis ratio, quæ electionem agentis reſpicit, quæ ratio efficiens per modum naturæ, & neceſſitatis? Nulla.

Oſtenſo, quod in corporibus cœleſtibus non eſt ordo, nec ſitus, nec magnitudo, aut parvitas ſtellarum, nec motus per modum neceſſitatis; ſimiliter oſtendamus hoc idem eſſe in corporibus aliis, ideſt elementis, quorum una eſt materia, licet ſit diſtincta per formas, quæ circa illam materiam viciſſitudinantur per generationem, & corruptionem elementorum ab invicem; unde neceſſe eſt eorum unam eſſe materiam; dicit enim Ariſtoteles in libro de generatione, & corruptione, ubi incipit agere de tactu, & de facere, & pati; in quibus autem facere & pati, neceſſe eſt unam horum eſſe materiam, omnia tamen alia dicere non verum ſed in quibuſdam, quod ab invicem; modo ſic dico: Ariſtoteles laboravit aſſignare rationem quæſtionis hujus, quæ fuit cauſa, quæ dedit primæ materiæ, quod in quadam ſui parte haberet formam ignis, & in alia formam aeris, & ſic de aliis elementis; hujus cauſam dedit Ariſtoteles dicens: quia diverſitas locorum hoc fecit; ipſa enim loca dederunt materiæ, quæ eſt una, diſpoſitiones diverſas; quanto enim magis propinqua fuit materia illa Cœlo circumdanti, tanto fuit habilior ſplendori, ſubtilitati, & velocitati motus, & inde fuit congruentior formæ igneæ; quanto magis elongata fuit materia a Cœlo circumdante, denſior fuit, & congruentior ad formam terræ; ſimilis quoque ratio eſt in aqua, & aere; appropinquatio igitur ad circumdans dedit materiæ aptitudinem ad formas diverſas: hoc autem concedi poteſt in particulis elementorum, ſecundum quas unum ex alio generatur, unum per aliud corrumpitur, motu ipſorum elementorum

recto

(34) Nam ætate Monetæ nondum detecti Antipodes fuerunt. Itaque in varias partes diſciſſi Scriptores erant, ut pars quidem, ſed pauci omnino, vigere antipodas dicerent; plerique autem contra negarent.

(35) Similibus argumentis exagitant Spinozam recentiores Philoſophi, ut non nova illorum argumenta, ſed jam longe ante a noſtro adumbrata fuiſſe videantur. Nevvtonus *Opticæ Lib.* III. *Quæſt.* XXXI. *pag.* 327. *Edit. an.* 1740., *Ope*, inquit, *principiorum iſtorum res corporeæ univerſæ compoſitæ fuiſſe videntur nutu, & conſilio agentis intelligentis ... Nam dum concretæ moventur in orbibus valde excentricis undique, & quoquoverſum in omnes Cœli partes; utique nullo modo fieri potuit, ut cæco fato tribuendum ſit, quod planetæ in orbibus concentricis motu conſimili ferantur eodem omnes: exceptis nimirum irregularitatibus quibuſdam vix notatu dignis ... Jam miram uniformitatem in planetarum ſyſtemate, neceſſario fatendum eſt intelligentia, & conſilio fuiſſe effectam*. Adeundus Clarkius *Lib. De Exiſt. Dei Part.* I. *Cap.* X.

recto secundum locum deservientem generationi, & corruptioni, ut ponit Aristoteles, & ejus sequaces: sed cum elementa secundum sui totalitatem non sint subjecta generationi, & corruptioni, considerando elementa simpliciter, idest secundum se tota, ratio sua quam præmisimus nulla est, quod probatur sic: materia quatuor elementorum, quantum in se est, non habet ordinem ad circumdans, nisi quia distincta per formas diversas; ipsa ergo formalis distinctio prior est naturaliter ordinatione ipsius ad circumdans, non e contrario; cujus contrarium posuit in prædicta ratione.

Præterea, materia secundum se simplex est, & impartibilis, esse enim sequitur formam, & quantitas sequitur esse, unde prius naturaliter est esse, quam esse quantum, extensio autem sequitur quantitatem; appropinquatio ergo ad circumdans, vel elongatio sequitur extensionem quantitativam; igitur sequitur formam; prior ergo est distinctio quatuor elementorum secundum illas suas formas, quam ordinatio materiæ ad circumdans secundum appropinquationem, vel elongationem, & inde ut prius; frustra ergo laboravit Aristoteles ponere rationem naturalis necessitatis in ordinatione elementorum secundum viam prædictam; relinquitur ergo quod ratio ordinationis non fuit naturalis necessitas, sed electio divina; & quia diximus elementa esse elongata a generatione, & corruptione secundum sui totalitatem, licet subjecta generationi, & corruptioni secundum partes suas; dicamus quod quædam sunt, quæ elongantur a generatione, & corruptione omnino, idest secundum totum, & secundum partes, ut corpora Cœlestia, ut probatur in 1. libro Cœli, & Mundi, quia elongata sunt a contrarietate; alia autem subjecta sunt generationi, & corruptioni omnino, idest secundum totum & partes, ut elementata, quia ex contrariis sunt composita; alia autem subjecta sunt generationi, & corruptioni secundum partem, & non secundum totum, ut elementa quæ ad invicem contraria sunt, unde unum ab alio corrumpitur, & unum ex alio generatur secundum partes, secundum quas movetur recto motu per appropinquationem generantis ad generatum, quæ causatur ex motu corporum superiorum, ut dicitur in fine Libri de generatione, & corruptione, ibi enim ait: alteratio facit generationem, & continue adducit generans ad generatum, & quia elementa in sui totalitate loco non mutantur, ideo non vertitur unum in aliud secundum se totum: Ecce habemus tres conjunctiones, quartam autem impossibile est habere, secundum illud, quod sit subjectum generationi, & corruptioni secundum se totum, & non secundum partes; si enim totum generabile, vel corruptibile est, & partes ejus quantitativæ tales erunt. Non solum autem nisus est Aristoteles ordinare corpora Cœlestia, & elementa secundum necessitatem naturalem, sed etiam ipsas intelligentias, & ex ipsis intelligentiis corpora Cœlestia secundum viam necessitatis; in tantum autem processit Aristoteles cum sequacibus, ut diceret quod ex prima causa, cum sit summa, una, & simplex non potuit procedere nisi unum & simplex immediate; unde ponebant illam propositionem, quasi communem animi conceptionem: *ab uno in quantum est unum non fluit nisi unum*, *quod si fuerit res composita*, *provenient tot ex ea quot sunt simplicia*, *ex quibus componitur*; Verbi gratia: cum ignis sit calidus, & siccus, per caliditatem calefacit, per siccitatem desiccat, eodem quoque modo ex composito de materia, & forma provenit quiddam ex parte materiæ, & quiddam ex parte formæ: ex creatione igitur proventu primo non provenit nisi unica intelligentia, sive Angelus; ex prima autem intelligentia provenit secunda, & primum Cœlum, & ex secunda tertia, & secundum Cœlum, & sic de aliis usque ad decimam intelligentiam, & Cœlum lunæ; & in omnibus istis nil præcessit aliud secundum suam opinionem, nisi per modum causæ agentis, non per electionem, sed per necessitatem. (36)

Contra hoc multipliciter objicitur: Secundum enim illam propositionem, *ex uno*, *& simplici non potest provenire nisi unum simplex*, necesse est unamquamque intelligentiarum simplicem esse; unde ergo est compositio quæ reperitur in multis entibus? cum enim non sit infinita pertransire, necesse est, quod composita infinita non sint, igitur necesse est aliquod compositum esse primum, illud autem ex simplici est, ergo prædicta propositio falsa est, *ex simplici non provenit nisi simplex*; imo compositum est ex simplici per electionem, non per necessitatem.

Præterea, cum omnis multitudo recurrat ad unum, eo quod non est multitudo infinita, unde est multitudo illa, quæ reperitur in quibusdam entibus, quæ ordinem non habent ad invicem, ordinem dico causæ, & causati? Licet enim verum sit, quod priora sunt corpora Cœlestia elementis, & elementa compositis ex eis prioritate causæ, tamen hoc non est verum in omnibus; Verbi gratia in quatuor elementis, quorum unum in sui totalitate ex altero non est; iste etiam ordo non est in speciebus animalium ad invicem, nec in speciebus vegetabilium, nec inter accidentia contraria ad invicem; quomodo ergo provenient ex uno? & si dicas quod veniant ex aliquo composito in quo est multitudo, tunc ipsa multitudo unde provenit? Ad ultimum enim necesse est ipsam multitudinem ad unum reducere; ergo falsa est illa propositio *ab uno in quantum est unum* &c. & multa ex uno sunt per electionem, non per necessitatem.

Præterea, intelligentia prima etiam una est, quomodo ergo ex ea duo, scilicet secunda intelligentia, & primum Cœlum? Item ipsa simplex est, quomodo ergo ex ea est corpus Cœli primi, quod composi-

(36) Ut ex hoc genere argumenti se expedire posset Spinosa, *Eth. Part.* I. *Prop.* XVI. Hæc posuit: *Ex necessitate infinitæ naturæ, infinita infinitis modis sequi debent*. Nomine autem rerum infinitarum res numero intelligit infinitas. Verum si hoc responsi genus quidquam evincit, probat etiam, res infinitas non numero solum, sed etiam extensione esse oportere. Res autem extensione infinitæ nullæ dantur. Corruit ergo responsum Spinosæ. Deinde si necessitate ageret Deus eodem modo, atque adeo rem unam, & eamdem infinitam fecisset.

positum est? Et quomodo ex immortali, & separato a materia est materiale & conjunctum materiæ?

Præterea, ex secunda intelligentia, quæ est una & simplex provenit tertia; & sphæra stellarum fixarum quoad substantiam ipsius spheræ unam habet materiam, & unam formam, quoad stellas aliam habet materiam, & aliam formam; igitur si per viam naturalis necessitatis est proventus rerum, necesse est ut talis compositio, & tam diversa causa habeat compositum, ex cujus una parte proveniat corpus Cœli, ex alia corpus stellæ, quod patet esse falsum, ergo propositio prædicta falsa est, & necesse est ponere electionem in agente absque necessitate naturali.

Præterea, nos videmus, quod natura stellarum multiplicatur; unde etiam quædam sunt lucidæ, quædam obscuræ: Unde hoc? si ex necessitate naturali? Sunt ista ab intelligentia secunda, ut prædictum est, vel ex causa prima.

Ad hoc autem nisi sunt respondere sequaces Aristotelis, errantes tamen in responsione sua, & alios in errorem mittentes; dixerunt enim, quod a primo non provenit nisi unum, sed quod consequitur quiddam tamen aliud, non tamen ex hoc, quod ipsum est ex primo, alioquin plura essent ex uno immediate, cum unum illorum non sit ex alio, licet unum sequatur aliud, ut ipsi ponunt; unde & quidam Christiani, sed solo nomine, ausi sunt exponere illud Johannis 1. v. 3. *Omnia per ipsum facta sunt*, quoad suam actualitatem, sive essendi necessitatem, *& sine ipso factum est nihil*, ipsa possibilitas, (37) scilicet ipsa materia: est igitur in eo, quod provenit ex primo multitudo; unde hoc unum per multitudinem, quæ in eo est, principium fuit multitudinis, quæ reperitur in entibus, & ab hoc multiplicata sunt ea quæ sunt; dixerunt enim quod primum creatum duo habet, scilicet possibilitatem essendi ex se ipso, necessitatem vero essendi ex primo; est igitur in ea dualitas, scilicet possibilitas, & necessitas essendi, quorum unum est ut materia, scilicet possibilitas, & alterum ut forma, scilicet necessitas essendi; ex intelligentia autem prima secundum considerationem necessitatis suæ provenit secunda intelligentia, & provenit ex ea Cœlum secundum considerationem possibilitatis; oportet enim, quod id, quod nobilius est, procedat ex nobiliori ipsius intelligentiæ; hoc autem est illud, quod est quidem ei ex primo, quod autem est ei ex se, minus nobile est.

Contra hoc potest objici sic: Si Cœlum primum habet esse ex intelligentia prima, ex parte suæ possibilitatis; quam non habet ex primo, & non ex parte necessitatis, quam ex primo habet; nullum ergo corpus ex prima causa est immediate, nec etiam mediate, cujus contrarium ipsi posuerunt; unde & sibi contrarii sunt in dictis suis.

Præterea Cœlum non est creatum de illa possibilitate, ergo illa possibilitas non habet se ad Cœlum per modum causæ materialis, ipsa enim non est causa dispositiva ad agendum, sed magis ad recipiendum, ergo non habet se ad Cœlum per modum causæ agentis; ergo cum non sit ejus finalis causa, vel etiam formalis, cum ipsi posuerunt Cœlum primum esse ex ipsa intelligentia ex parte possibilitatis ipsius, ipsi posuerunt non causam, ut causam.

Præterea, sic non solvunt objectiones factas de secunda intelligentia, & sphæra stellarum fixarum, & ipsis stellis.

Præterea, posuerunt Philosophi sequaces Aristotelis in agendo per viam necessitatis, quod secundum modum appropinquationis ad primum, & elongationis ab eo, necessario est diversitas entium, & ordo eorum, & secundum quod magis, & minus appropinquat, magis, vel minus recipit a primo, hoc dixerunt in intelligentiis, & in aliis entibus esse per viam necessitatis, non per viam divinæ electionis.

Sed contra: Nunquid substantia Dei est virtus Dei, sive potentia ejus? Utique. Non enim aliud est, & aliud potest, alioquin cum sit essentia, & possit potentia, potentia ejus non esset ejus essentia, & sic non esset summe unum, imo in eo esset aliud, & aliud.

Præterea, cum se ipso possit non alio a se ipso, ipse est sua potentia; & similiter sua essentia, cum non sit aliud a se, ergo ejus essentia est ejus potentia: modo procedo sic: Nunquid ejus essentia infinita est? Utique: ubique ergo est sua essentia, ergo & sua potentia, & tota, cum non sit divisibilis, sed summe simplex; ergo nulla res magis appropinquat, vel magis elongatur ab ipso secundum locum, sed solum secundum majorem, vel minorem assimilationem; ergo vel ipsa assimilatio creaturarum secundum magis vel minus est causa elongationis, vel propinquitatis majoris vel minoris, vel est ipsa elongatio, aut propinquitas: si autem est causa elongationis, vel propinquitatis, modo quæro: quæ est causa hujus diversitatis, idest assimilationis ad primum, secundum magis & minus? eadem est quæstio si dicatur, quod ipsa major, vel minor assimilatio sit ipsa propinquitas, & elongatio.

Si autem dicatur, quod capacitas major vel minor ipsius receptibilis est causa majoris, vel minoris assimilationis ad primum, sive propinquitatis, sive elongationis; restat quæstio, unde est, quod sit magis, vel minus capax? aut enim hoc est ei ex sei pso, aut ex primo? non ex se ipso, igitur ex primo est capacitatis diversitas. Ratio hujus diversitatis non sumitur ex parte receptibilis, sicut necessitas liquefaciendi, & indurandi aliqua per radium solis sumitur ex parte receptibilis; ipse igitur secundum se est ratio & causa hujus diversitatis, falsa est ergo illa propositio in causa prima, *ab uno in quantum est unum non fluit nisi unum*, imo ab uno & eodem secundum se est multiplex & diversum.

Ex quo etiam patet falsitas ipsorum dicentium, nullum ordinem intelligentiarum esse multiplicabilem, & in primo ordine non esse nisi unam intelligentiam, nec esse posse; similiter in secundo, & sic

(37) Fortasse præter alios nescio quos, Origenem indicat, qui mundum ab Angelis formatum dixit; materiam autem creatam a Deo, ut observat in *Origenem Huetius*.

sic de aliis; unde secundum numerum & ordinem Cœlorum posuerunt numerum & ordinem intelligentiarum, hoc excepto quod numerus intelligentiarum excedit numerum ipsorum: imo ex hoc patet, quod falsa est propositio prædicta, quod a causa prima sit causata per viam necessitatis; jam enim ostensum est, quod hæc necessitas ex parte receptibilis non est, igitur si esset ex parte causæ primæ, esset necessitas sic agendi, & impossibilitas ad oppositum, quod inferius improbabitur; restat igitur, quod agat per electionem, & voluntatem liberam ad agendum unum & multa, unum contrariorum & reliquum, uno tempore, & non alio.

Nunc restat probare, quod causa prima non agit per viam necessitatis ex parte sua, sicut nuper promisimus. Constat enim, quod prima potentia debet esse, quam non præcedit alia, & longius ab impotentia omnino, & debilitate, (38) quam aliqua alia; quare & perfectior omni alia; constat enim, quod potentia quando non est, nisi super alterum oppositorum, diminuta est comparatione potentiæ quæ est super utrumque. Verbi gratia: ignis non potest nisi semper calefacere, non enim est in eo ut calefaciat, vel non calefaciat, cum obviaverit calefactibili, sed necesse habet calefacere tantum; si autem esset ignis, vel aliquid aliud potens super utrumque oppositorum necessario potentius esset, eo quod haberet in potestate utrumque oppositorum; nec haberet necesse facere alterum; hæc igitur diminutio prohibet potentiam ignis, non longissime esse ab impotentia, arctatio namque ejus & diminutio inclinatio ejus est, & approximatio ad impotentiam. Alia etiam diminutio potentiæ & imperfectio est, quod prohiberi potest, vel impediri ab operatione sua, qualis etiam est eadem potentia ignis, quæ fortitudine contrarii sui prohiberi potest, vel impediri ab operatione sua, quia non est summe potens super operationem suam. Est etiam & alia diminutio potentiæ, & imperfectio, cum ipsa non potest super operationem, nisi adjuta per aliud, id est, aut per receptibile, aut per medium, aut per instrumentum. Est etiam alia diminutio, & imperfectio potentiæ, cum cogi potest, sic enim non est fortissima, eo quod coactio semper fit a fortiori; prima igitur & perfectissima, & fortissima potentia est, quæ per se potest super utrumque oppositorum, & quæ totam suam operationem facit de se sola, & per se solam absque adjutorio alieno, & quæ sua fortitudine nec prohiberi potest, nec cogi, hæc enim nihil habet admixtum impossibile, sed est potentissima, & remotissima ab impotentia, & talis potentia amplissima est, atque fortissima, in quibus duobus prædicta quatuor comprehenduntur: amplissima, scilicet ad utrumque oppositorum, & ad unum, atque multa quantum in ipsa est: fortissima, quia nec cogi potest ad agendum, nec prohiberi ab agendo, & quia nullius eget adjutorio.

(39) Ex his patet, quod ejus actio non est coarctata ad unum tantum per viam necessitatis ex parte ipsius causæ primæ; superius autem proximo loco ostendimus, quod nec ex parte receptibilis, ergo non agit per modum necessitatis, ergo per viam electionis, quod patebit in sequenti argumentatione. Ista etiam, scilicet summa amplitudo, & summa fortitudo potentiæ indicat apud ipsum esse electionem, & liberam voluntatem, ut cum velit, facere possit, & non facere: cujus probatio est, quia si per omnem modum æqualiter se haberet ad facere, & non facere, vel utrumque esset ab eo, vel neutrum; non potest tamen esse quod utrumque ab eo sit, quia tunc faceret, & non faceret idem; eadem ratio est si neutrum ponitur esse ab eo: quia tunc nec faceret, nec non faceret idem quod est impossibile; ergo præter potentiam necesse habemus ponere in eo voluntatem liberam, & electionem, eo modo quo congruit ei electio; posse enim ejus æquale est secundum se ad facere, & non facere, ut præostensum est; quod igitur facere fluit ab eo, & quandoque non fluit, cum coactionem, & prohibitionem ab eo removerimus, necesse est hoc esse per electionem, impossibile enim est apud ipsum aliam causam invenire; loquimur autem hic de operationibus ejus immediatis, quæ si nullæ essent, non essent etiam aliquæ operationes ab ipso mediate, impossibile namque est infinita invenire media, quæ omnia media habent se per modum causarum, quas impossibile est esse infinitas; tamen quantum ad illa quæ fluunt ab ipso per medium, est invenire extrinsecus media aliqua, & adjuvamenta, & receptibilia; sed nec ista cum adsunt, cogunt divinam potentiam operari, nec habet necesse operari propter ista, alioquin non esset tunc super utrumque oppositorum potens, nec etiam esset libera, & ita extrinsecus adjuvantia ejus minuerent libertatem, imo etiam tollerent eam, sicut contingit videre in potentia, quæ ad alterum determinata est; cum enim adsunt extrinseca, quæ exigit ad suam operationem, necesse est operari; ubi autem aliquid horum defuerit non operabitur; quæ igitur hujusmodi est, non est libera super utrumque oppositorum; ergo quæ potens est super utrumque oppositorum libera est operari etiam cum adsunt ea quæ suffragantur extrinsecus; quod igitur operatur, aut non operatur facit electio, aut voluntas libera, quæ potius eligit operari, quam e contra; primi igitur potentis operationes sunt per electionem sive liberam voluntatem, per ipsam inquam sunt & non per viam necessitatis ad alterum oppositorum. Item quod entia sint a Deo per viam electionis non necessitatis naturalis, ostendunt miracula, quibus etiam infideles, fidei Christi rebelles attestantur; V. Gr. Eclipsis solaris in passione Salvatoris, non enim potuit esse Eclipsis

(38) S. Augustinus *Lib. De Fide Contra Manichæos Cap.* XLVI. *Sic decet*, inquit, *omnipotentem facere quæ voluerit: sicut Catholica dicit*. Adeundus Crousazius *in Exam. Pyrrhon. Sect.* VIII. *pag.* 431.

(39) Hoc eodem ratiocinio probat S. Thomas III. *Contra Gentes Cap.* XXIII. *Deum non agere necessitate naturæ, sed voluntate, quod eorum, quæ potest facere quædam facit, & quædam non facit*. Adeundus Antipater Bostrensis apud Damascenum *In Eclog. Literr.* qui similia persequitur.

lis naturalis, cum esset luna decima quinta, unde non erat tunc coitus solis, & lunæ, sicut refert B. Dionysius in (40) Epistola ad Polycarpum: Quæ igitur fuit causa, ut solaris lux radios suos non spargeret, nisi quia ut spargeret, aut non spargeret totum cœlestis & divini erat arbitrii.

Ad idem induci posset illud quod legitur Josue 10. v. 12. & 13. ubi legitur quod ad verbum illud Josue: *Sol contra Gabaon ne movearis, & luna contra vallem Aialon, stetitque Sol in medio cœli, & non festinavit occumbere spatio unius diei*; stationem autem istam apellat Dionysius supernaturalissimam, tunc enim simul cum omni, idest universo, idest cœlo omnia continente in mensuram unius diei integre steterunt omnia in eisdem signis; vel si dicatur quod universum motum est, scilicet cœlum, & stellæ in eo fixæ, amplius mirandum est, quando melioribus, idest cœlo, & stellis sic evectis, hoc est motis, non sunt mota omnia contenta, sed solum sol, & luna, & ut legitur Ecclesiast. 46. v. 5. *Et una dies facta est quasi duo*. Si ergo possibile est motum illum cessare, quod quidem verum est, quis est qui audeat dubitare quin cœperit; nam etiam propositio Philosophica est, quod omne corruptibile est generabile, & omne finibile est inchoabile, etiam secundum positionem illorum; patet igitur falsitas positionis illorum, qui dixerunt: illum motum non habuisse esse post non esse, nec habiturum non esse post esse, sed æternum esse, & primum mobile similiter & tempus mensurans ipsum motum.

Et hoc etiam patet, quod principium, & radix omnium electio divina est, & ejus voluntas summa non alligata rebus, nec dependens ab eis; unde in Deo non per modum necessitatis naturalis, sed teste B. Dionysio supernaturalissima est ejus actio. Patet etiam falsum esse quod dixerunt, scilicet æternam fore rerum generationem, & corruptionem propter æternitatem motus circularis causantis mixtionem elementorum æternaliter, & generationem eorum quæ sunt ex elementis; imo si cessavit ad horam poterat semper cessare motus ille, & sic cessabit mixtio elementorum, unde etiam cessabit generatio, & corruptio.

Ad idem etiam inducit Dionysius illud quod legitur de Ezechia Isaiæ 38. v. 8. de reditu Solis decem lineis per quas jam descenderat in horologio Achaz, quo miraculo Rex Babylonis stupefactus misit ei munera, ut legitur Isaiæ 39. v. 1.

Ad idem facit illud quod de igne legitur Exodi 3. v. 2. ubi Moyses legitur vidisse rubum ardentem, nec aduri; & multa alia similia ad hoc idem induci possunt, ut credatur quod non per viam necessitatis, sed liberæ electionis agit Deus quæcunque agit, aut egit. Item quicunque operatur aliquid, vel est ejus mens ad consequendum aliquem finem, vel non: si autem ejus mens est ad finem aliquem, ille finis vel ei honorabilis, aut necessarius, aut utilis, vel non: Item vel acquiretur, vel non; quædam enim opera sunt recta quæ fiunt propter finem honorabilem; si autem operatur, & non consequitur finem, dicitur opus illud vanum sive frustra secundum Philosophos, & verum est; opus autem, quod non est propter finem aliquem, dicitur opus vanum & pro nihilo; sicut qui ludit cum manu sua, & non cogitat illud, & sicut opera sunt dementium, & cujuslibet, cujus animus versatur circa aliquid, & non attendit quid faciat. Est etiam aliud opus quod fit propter ludum, illud scilicet quod fit propter finem vanum, idest non necessarium, aut utilem; sicut qui facit aliqua, ut commoveat ad risum videntes, vel audientes: constat autem quod opus Creatoris non est ludus nec frustra, nec pro nihilo, ut patet ex jam dictis; est igitur opus factum intentione finis honorabilis, necessarii, vel utilis, & ita secundum electionem, & hoc est quod probare volumus.

§. V.

Rationibus mundi novitas demonstratur, & quod Aristoteles nunquam credidit probationes suas esse necessarias rationes ad demonstrandum mundi æternitatem.

SEquitur tertia pars secundæ partis hujus capitis, ubi intendimus ponere rationes, quibus mundi novitas demonstretur (41). Prius tamen ostendemus quod Aristoteles nunquam credidit, probationes suas esse necessarias rationes ad demonstrandum mundi æternitatem; sed propositiones probabiliores respectu aliarum propositionum; constat autem quod non est necesse, si aliqua propositio probabilis est, quod vera sit.

Istud autem quod diximus, patet ex verbis Aristotelis in principio Topicorum, ubi distinguit species problematum, & dicit, quod quædam sunt problemata, de quibus rationem non habemus, sicut utrum mundus sit æternus.

Si autem dicat respondens, quod istud verbum Aristotelis intelligendum sit hoc modo: quædam problemata sunt, de quibus rationem non habemus secundum viam rationabilis philosophiæ; sed hoc nihil est, quare enim potius hoc dixisset de philosophico problemate, quam de ethico, utrumque enim tantum dialecticum est, non materialiter sed formaliter; nam si dialectica in quantum talis est, non habet viam ad problema philosophicum, eadem ratione nec ad ethicum, utrumque enim dialecticum est non materialiter sed formaliter.

Præterea quod ista ratio nulla sit, patet ex ratione sui

(40) Non est genuina, quamvis nota sint, quæ de Eclipsi narrat Moneta. Sunt enim consona Evangelio.

(41) Hæc item fuit S. Thomæ sententia. Sic enim habet. I. P. *Quæst.* XLVI. *Art.* I. *in c. Nec rationes*, inquit, quas adfert Aristoteles, *sunt demonstrativæ simpliciter, sed secundum quid ad contradicendum rationibus antiquorum ponentium mundum incipere secundum quosdam modos in veritate impossibiles, & hoc apparet ex tribus: & 1. quidem, quia tam in 1. de Cœlo, quam in 8. Physic. præmittit quorundam opiniones, ut Anaxagoræ, Empedoclis, & Platonis, contra quos rationes contradictorias inducit: 2. quia ubicumque de hac materia loquitur, inducit testimonia antiquorum, quod non est demonstrantis, sed probabiliter loquentis. 3. quia expresse dicit in 1. Lib. Topicorum, quod quædam sunt problemata dialectica, de quibus rationes non habemus, ut utrum mundus sit æternus.*

fui dicti quam ponit Aristoteles dicens: de quibus rationem non habemus.

Præterea, ex litera Aristotelis patet hoc esse falsum, scilicet quod in quantum dialecticus non habet viam ad hoc, & ad illud, sic enim problema dialecticum est speculatio tendens ad electionem, & figuram, aut veritatem, & scientiam &c. In prima parte tangit ethicum problema, in secunda philosophicum, & loquitur de problemate dialectico dicens: problema dialecticum est &c. Ergo dialecticus in quantum hujusmodi viam habet ad ista, sicut patet ex verbis ejus in principio libri ubi proponit sui negotii esse methodum invenire, a qua poterimus syllogizare de omni problemate ex probabilibus, & postea distinguit ista problemata, cum describit problema dialecticum; constat igitur quod verbum Aristotelis cum dicit, de quibus rationem non habemus, intelligitur de rationibus demonstrativis & necessariis, & non de topicis, & probabilibus, quæ tamen falsæ esse possunt, licet aliquam habeant verisimilitudinem respectu rationum aliorum Philosophorum.

Præterea, quod ejus rationes non sint necessariæ, patet superius in secunda parte secundæ partis hujus capitis.

Hoc viso, ostendamus, quod positiones Aristotelis falsæ sunt; & primo ostendamus quod illa positio falsa est, quæ est totius erroris principium: videtur enim quod causa prima omnino immutabilis est, & posuerunt quod si aliquid modo est ab ipso, oportet quod prius fuerit ab eo, credentes, & pro certo habentes, quod si aliqua res omnino sic est modo, sicut erat prius, cum non erat ab eo aliquid, nec modo est ab eo aliquid, vel si modo est ab eo, & prius fuit ab eo, & ita necessario mundus æternus: similiterque ostendemus, quia illa positio falsa est, *si causa efficiens, & sufficiens ad esse alicujus rei est, ipsa res est*, per quam voluerunt mundum esse æternum. Similiter etiam ostendemus, quod ipse potest facere aliquid novum omnino, quod non pendet ex his, quæ sunt; cujus contrarium posuerunt dicentes, quod ejus potentia in hoc non est, sicut facere quod affirmatio, & negatio sint simul vera de eodem, aut facere quadratum cujus diameter sit æqualis lateri; & dixerunt quod sicut non est diminutio potentiæ Creatoris si non facit talia, ita etiam non est diminutio potentiæ ejus si non facit aliquid de nihilo: simul etiam cum hoc patebit quod principium, & causa omnium entium fuit libera Dei electio.

Et quidem rationes Aristotelis de æternitate creaturæ non fuerunt rationes demonstrativæ. Dicamus igitur, aut est aliquid novum, vel non, sed omnia sunt æterna; si hoc ultimum est, nihil est generatio, & corruptio, & cæteræ permutationes, nihil igitur tempus, nihil motus est, cujus contrarium patet, & ipsi hoc fatentur: si autem aliquid est novum, dicamus illud aliquid aut est novum, & habet modo esse, prius autem non: modo quæro, aut prius erat tota sufficientia eorum quæ exigebantur ad esse illius, aut non: (sufficientiam eorum autem, quæ exiguntur ad esse alicujus vocamus eam, cui nihil deest, nec pars, nec modus, nec comparatio, nec aliquid eorum, quæ juvant operationem ad suum effectum) si fuit tota sufficientia eorum quæ exigebantur ad esse ipsius A; ergo secundum positionem eorum erat prius; ergo non est novum; hoc enim dico novum quod prius non erat, & modo est: si vero non erat tota sufficientia eorum quæ exigebantur ad esse ipsius A, sit illud B, & de B eadem erit quæstio; aut enim sufficientia omnium eorum quæ exigebantur ad esse B erat prius, aut non, si erat; ergo si positio eorum vera est, B erat prius; si jam positum erat non esse; si vero tota illa sufficientia non erat; ergo aliquid prius non erat, quod exigebatur ad esse B. Sit illud C, & de C eadem erit quæstio, & sic in infinitum, aut ponetur in aliquo quod tota sufficientia sua fuerit prius, & tamen ipsum non fuerit per illam, & tamen postmodum erit per illam.

Item, verum est quod hæc sufficientia est ut prius omnino eadem, & tamen ab ea est hoc novum, quod prius non erat; si enim non esset omnino ut prius, aliquid deesset ex modis, qui exigebantur ad hoc ut ipsum creatum esset, quia ipse modus se habendi ad creatum est de ipsa sufficientia, positum autem fuit ipsam sufficientiam esse totaliter; ergo non deerat modus aliquis; quare relinquitur eis, ut vel ponant hoc ire in infinitum, aut falsum sit quod posuerunt, scilicet, aliqua res est omnino sicut erat prius &c.

Item quod hoc sit falsum, *si causa sufficiens, & efficiens* &c. si autem posuerunt hoc ut in infinitum, hoc stare non potest, alioquin esse creatum novum, indigebit infinitis causis ad hoc ut sit, hoc autem manifestum est esse falsum etiam secundum eos, quia probaverunt infinitatem non posse esse in causis.

Præterea, impossibile erit aliquid fieri de novo, cum ad hoc ut fiat, necesse sit fieri omnia illa, quæ infinita sunt; ad tale autem fieri exigitur tempus infinitum; nihil igitur novum posset fieri nisi in tempore infinito; imo secundum hoc nil novum posset fieri; falsum est igitur quod hoc in infinitum eat; ergo necesse est stare apud aliquam causam efficientem, & sufficientem ad hoc ut aliquid sit, & confitendum quod ab ipsa omnino una & eadem potest esse aliquid, nec tamen est; & quod ab ea est aliquid quod non erat prius.

Ex hoc etiam patet, quod non est necesse mundum semper fuisse propter illas positiones, quibus maxime moti fuerunt ad hoc ponendum; ergo non est impossibile quod Deus faciat aliquid de nihilo, & novum aliquid, non dependens ex aliquo eorum quæ sunt: ex hoc etiam patet libera Dei electio ad agendum; unde enim esset quod causa efficiens, & sufficiens esset, & tamen non esset creatum, nisi quia suspenditur esse ipsius creati per electionem, qua ab æterno elegit quando esset, & quando non, & quantum etiam in esse maneat? posita autem electione libera constat, quod mundus non fuit ab eo per modum necessitatis, alioquin non esset libera electio apud eum, si aliter facere non posset; ex hoc etiam constat, quod non est necesse mundum esse æternum, & quod rationes Aristotelis non fuerunt demonstrativæ, imo solum verisimiles, non veræ. *

Quod etiam illa poſitio falſa ſit, quod cauſa prima non poteſt facere aliquid de nihilo, patet; quia potentia manifeſtat ſe per actum (42); actus autem iſte, ſcilicet eductio entis de ente, non atteſtatur potentiam infinitam, quia hoc poteſt potentia finita; ergo infinita potentia ſcilicet divina manifeſtabit ſe per eductionem entis de non ente, ideſt de nihilo.

Quod etiam illa poſitio falſa ſit, ſcilicet quod a cauſa prima non poteſt procedere niſi unum immediate; & etiam quod ab ea poſſit eſſe aliquid omnino novum, ſic oſtenditur: conſtat quod potentia divina, quæ infinita eſt, principium eſt omnium quæ ſunt, & cauſa. Dicis quod ab ipſa fluxit immediate unica intelligentia; modo dico ſic: Potentia divina erat in una intelligentia tantum immediate, aut in hanc unam tantum, aut in unam ſimpliciter; ſi in hanc unam tantum, hoc patet eſſe falſum ex eo quod poſſe divinum eſt poſſe ſimpliciter & poſſe abſolutum, non poſſe hujus, aut illius; alioquin ejus eſſe, & poſſe, & virtus eſſet alligata, & coarctata circa hoc unum, quod tamen patet eſſe falſum; quia poſito quod alia intelligentia una tantum fluxiſſet a prima cauſa, nullum eſſet inconveniens ſecundum eos: ſalva enim adhuc eſſet prædicta ratio, quod a cauſa prima non eſt niſi unum immediate.

Præterea, unde eſſet illa alligatio, & coarctatio potentiæ divinæ ad hanc unam? Non eſt aſſignare unde ſit; æque enim, quantum in ſe eſt, ſufficit ad producendam unam, & aliam; niſi forte dicatur quod ſit ex electione; ſic ergo ſecundum electionem ageret, quod ipſi non credunt. Relinquitur ergo quod divina virtus & potentia, quantum in ipſa eſt, non ſit coarctata potius ad hanc unam (43), quam ad aliam; ergo ejus potentia, & virtus non eſt in hanc unam tantum, ſed in unam ſimpliciter quæcunque illa una ſit; ergo ſicut fuit poſſibile hanc unam fieri a cauſa prima, ita etiam quamlibet aliam unam; fluxit autem hæc a cauſa prima, fluxus autem iſtius non coarctat divinam potentiam, nec tollit poſſibilitatem fluxus alterius a cauſa prima, nulla enim eſt ratio quare tollat; ergo poſſibile eſt a cauſa prima plura eſſe immediate, quod eſt contra prædictam poſitionem, & quod poteſt facere omnino novum ſive de nihilo, quod ipſi negabant ſimiliter.

Item, potentia certi, & determinati finis alligata eſt aliquo modo aut inſtrumento, aut alia re, propter quod, vel quam trahitur ad illum finem, ſicut potentia gradiendi pedibus, aut aliis quibus potentia greſſus perficitur; potentia autem divina libera eſt ſumme, & abſoluta ab omni hujuſmodi; ergo non eſt certi & determinati finis: probatio illius: Potentia divina ſumme libera, & abſoluta eſt; iſta eſt, quod in præſcriptum finem nihil poteſt, aut prohibens facit, aut diminutio potentiæ; quod enim fortes, & copioſæ, & variæ exuberant fluxiones immediate a fonte, & de affluentia, & copioſitate fontis eſt; quod raræ, & invalidæ, ex defectu potentiæ; ergo a primo fonte ſcilicet Deo, cum non poſſit prohiberi ab operatione, & cum ſit ſumme potens, & valde copioſæ, & variæ fluunt influxiones, immediate autem fluere poſſunt, quod eſt contra prædictam poſitionem, quod ejus potentia ſit ad unum tantum immediate producendum.

Præterea, potentia divina infinita eſt; ergo nec eſt major, nec poteſt intelligi major: modo dico ſic: Potentia, quæ eſſet ad unum, & ad multa immediate producenda, major eſſet, quam potentia, quæ tantum ad unum eſſet, hoc dictat intellectus, ut patet ſuperius ubi oſtenſum eſt, quod cauſa prima non agit per viam neceſſitatis ex parte ſua: ſi autem hoc dictat intellectus; ergo vel potentia Dei non eſt infinita, quod falſum eſt; vel potens eſt in unum, & in multa immediate, & non tantum in multa ſecundum ſpeciem, imo & in multa ſecundum individualitatem in eadem ſpecie, ut in ordine primo intelligentiarum; ſi enim animæ humanæ multæ numero ſunt a corpore ſeparatæ, unum autem ſpecie, quare & intelligentiæ non erunt plures in primo ordine; licet enim animæ in principio ſuæ creationis multiplicentur ſecundum multiplicationem corporum, quibus infunduntur, tamen non minus ſine corporibus manent multæ numero convenientes ſpecie; ergo & a ſimili intelligentiæ primi ordinis plures poſſunt eſſe convenientes in ſpecie, diſtinctæ autem accidente, voluntate libera, & electione primæ cauſæ creantis plures intelligentias numero in unoquoque ordine ad multiplicem participationem bonitatis ſuæ, ut verum ſit quod habetur Danielis 7. v. 10. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.*

Item ut verum ſit quod habetur Matt. 26. v. 53. *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorum?* Non enim eſt multiplicatio individuorum ſolummodo ad ſalvandam ſpeciem, ut in habentibus materialitatem, ubi quia non poteſt ſe ſalvare ſpecies in uno individuo, data eſt vis naturalis ad multiplicationem individuorum, ut ſalvetur in continua ſucceſſione ipſorum uſque ad reſurrectionem, & tunc ceſſabit multiplicatio individuorum per actionem vis generativæ deſiſtentis a ſua operatione, quia corporibus exiſtentibus immortalibus poterit ſe ſalvare ſpecies abſque operatione vis generativæ; & hoc eſt quod ait Dominus Lucæ 20.

(42) Vide, quæ ſuperioribus notationibus attulimus e Lactantio *de Creatione e nihilo*. Adeundus etiam Tatianus *Orat. Contra Græcos pag.* 145. *Inter Opera S. Juſtini Edit. an.* 1736. quo loco omnia, immo & materiam ipſam e nihilo ab infinita Dei virtute condita fuiſſe oſtendit.

(43) Platonis ſententiam indicat, refellitque Noſter. Nam Plato in Timæo Deum, ſeu primam cauſſam mundi animam creaſſe ait; ab hac vero diſpoſitum mundum. Eodem ſpectat Numenii Pythagoræi opinio. Is enim apud Euſebium *Lib.* XI. *De Præp. Evang. pag.* 319. *Græc. Steph.* principem trium Deorum appellat *ταγαθὸν*, quam & *αἴτιον cauſſam* nominat, ſecundum *δημιουργὸν*, hoc eſt artificem, qui a primo creatus, mundum genuit. Nullam ergo aliam creaturam primo Deo, quam ſecundum tribuit Numenius. Mitto Platonicos aliquot, qui eadem fere ſenſerunt. Venio ad argumentum, quo ſententiam hanc refellit Noſter. Negari neqnit, quin ſolidum inprimis, ac grave ſit. Nam qui perfectiſſimam moliri creaturam poteſt, is multo magis, minus perfectas condere poteſt. Creavit autem Deus creaturam, ſeu mentem perfectam, quid ergo impedit, quo minus condere potuerit ceteras?

cæ 20. v. 35. *Illi vero, qui digni habebuntur seculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubunt, neque ducunt uxores*. [v. 36.] *neque ultra mori poterunt, æquales enim Angelis sunt*. Supra in hoc capite v. 34. dixerat: *Filii hujus seculi*, idest dum sunt in hoc seculo, *nubunt, & traduntur ad nuptias*, supple, propter prædictam causam, ut salvetur species per successionem individuorum, cum non possit salvare se in uno, cum sit mortale; non tamen tantum propter hoc multiplicatio individuorum, imo etiam ut diximus ad multiplicem participationem suæ bonitatis. Et nota quod in animabus humanis duplex est multiplicatio, una est secundum materialitatem earum in principio suæ creationis, alia est secundum distinctiones accidentium; ista semper est comes animarum, prima autem non; in Angelis vero est secunda multiplicatio in eodem ordine.

Ostensa falsitate positionum Philosophorum, attendamus ad ponendas rationes, quibus absque contradictione mundi novitas demonstretur, licet ad ejus ostensionem possent sufficere rationes jam dictæ. Primo autem dicimus illud quod Aristoteles in pluribus locis Philosophiæ commemorat, scilicet nullum infinitum pertransibile, illud enim dicit in libro Posteriorum, & in principio, & fine libri de Generatione, & Corruptione; Ratio hujus est, quia infinitum nec initium habet nec terminum, & in Metaphysica libro secundo dicit quod nec in continuo, nec in discreto intelligibile est, si aliquid est infinitum, quod aliquid sit majus eo, ut postea patebit. Secundo dico secundum Philosophos, quod esse mediatum ad id, cui est mediatum, reducitur per aliquod immediatum, sicut etiam habetur in libro Posteriorum. Modo dico sic: aut illud totum & solum quod fluxit de tempore finitum est, aut infinitum: si finitum; ergo est & motus finitus; ergo non est æternus, quare Cœlum non est æternum; ergo nec mundus: si autem infinitum est. Contra: pertransitum est, jam enim totum fluxit illud tempus quod fuit usque nunc: si pertransitum est; ergo infinitum non est per illam positionem Aristotelis: omne infinitum impertransibile.

Præterea si dicat: Pertransiens non prohibuit ejus infinitas, quin totum pertransiretur tempus illud quod fuit usque nunc; simili ratione non prohibebit in eo quod adhuc futurum est, quin totum transeatur, & quin etiam verum futurum sit aliquando illud totum transiisse, sicut verum est modo illud totum transiisse de tempore, quod usque in præsens nunc defluxit; si autem verum erit aliquando, totum quod futurum est de tempore transivisse, non igitur infinitum est, quod de tempore futurum est, cum sit ex utraque parte finitum; quod enim futurum est de tempore finalem terminum habebit illud nunc: in quo verum & erit illud transivisse, terminum etiam initialem habet præsens nunc.

Ex hac ratione irrefragabiliter patet, quod necesse est ponere tempus finitum, quare & motum, cujus mensura est, & ita habetur quod mundus non potest esse æternus: similiter etiam patet, quod ipse Aristoteles sibi ipsi contrarius fuit ponendo motum æternum, & tempus, & mobile, & tamen ponebat nullum infinitum posse transiri.

Item Boetius (44) in libro de Trinit. dicit: *Hoc inter nostrarum rerum præsens nunc est, & divinarum, quod nostrum nunc, quia currens, tempus facit, sed divinum nunc semper manens facit æternitatem*: modo dico sic: Istud nunc quod modo est præsens, mediatum est ad nunc æternitatis; constat autem quod istud nunc non est æternum, quoniam dies hodiernus non est æternus; ergo cum secundum Aristotelem omne mediatum reducatur ad id cui est mediatum per immediatum, necesse est ergo, ut aliquod nunc fluens immediatum sit ad nunc æternum; quo habito palam est aliquod nunc fluens sive temporale primum fuisse; ergo tempus non est æternum.

Item per numerum potest probari quod mundus non est æternus, quoniam nullus numerus est infinitus, unde & Boetius exponens illud verbum Aristotelis in libro Perhiermen: *quædam possunt esse, & nunquam erunt*, dicit in commento, ut nullus numerus est infinitus, quod ideo est quia quantumcunque magnus numerus ponitur, semper est additio ad illum possibilis, sicut etiam dicitur, quod divisio continui infinita est, non quod nunquam vere dici possit, quod infinities facta sit divisio, sed quia nunquam tantum est procedere in divisione ipsius continui actu, vel intellectu, quin possit amplius procedi, cum omne continuum compositum sit non ex impartibilibus, sed ex continuis.

Quod autem nullus numerus infinitus sit, sic probatur: Infinitus numerus si est, major est quolibet numero finito, cujus probatio est, quia omne totum majus est sua parte, nullus autem numerus finitus est, quicunque ille sit, qui non claudatur in infinito numero, ut pars in toto; ergo numerus infinitus, si esse ponatur, dicendus est esse major quolibet numero finito.

Nec obstat quod dici solet infinitum finito non esse comparabile; illud enim intelligitur de comparatione proportionali, quia finitum non est pars aliquota infiniti, vel aliquotæ ejus, sed quin sit ei comparabile secundum majoritatem, hoc non tollitur, sicut probatum est in numeris per id: *omne totum majus est sua parte*; constat ergo quod numerus infinitus si est, major est quolibet numero finito, ut continens contento, continet enim in se quemlibet numerum finitum, continet igitur centenarium, & millenarium; aut igitur continet pluries unum quam reliquum, aut non; quia de quolibet affirmatio vel negatio sine hoc impossibilis est; nec recipit hoc intellectus alicujus, quod aliquis numerus continens aliquem numerum subdecuplum ad alium non contineat plus ipsum subdecuplum quam ipsum decuplum ejus; pluries igitur continet unum quam alium, aut ergo continet minorem finities, aut infinities; si finities, ergo & majorem finities; omne autem quod ex finitis constat, finitur; ergo ille nu-

me-

(44) *Lib. de Trinitate Cap.* IV. *Tantum inter nostrarum rerum præsens, quod est, nunc, ad divinarum, quod nostrum nunc, quasi currens tempus facit, & sempiternum; divinum vero nunc permanens, neque movens sese, atque consistens æternitatem facit &c.*

merus finitus est, quem tu ponebas infinitum. Si autem dicat quod continet minorem infinities; ergo cum pluries eum contineat quam majorem, majorem continet finities, quia infinitum infinito non est majus; si enim majorem continet infinities, continentia igitur utriusque infinita esset, unde cum continentia minoris sit major continentia majoris, infinitum esset majus infinito quod esse non potest. Restat ergo quod majorem continet finities, quod autem finitum aliquid continet tantum finitis vicibus, finitum est; ergo ille numerus continens, finitus est, quem posuisti infinitum.

Præterea, quod infinitum non sit majus infinito istud probo in numeris manifeste. Detur aliquis numerus infinitus esse minor alio, minor dicatur A, major B; dico sic: A est minor B, quæ est ratio? nisi quia non tantum protenditur quantum B; ergo erit ipsum ita quod non ultra; ergo A finitus est per rationem finis, quam Philosophus ponit, finis est rei extremitas ultra quam res non protenditur, & in 5. Metaph. Aristotelis in capite de Fine, finis dicitur illud, quod est ultimum utriusque rerum, & illud a quo nil extra invenitur.

Item, quod in numero ita sit, quod numerus infinitus non est major numero infinito, probatur sic: Omnis numerus ex parte originis finitus est, scilicet ex parte unitatis, & per elongationem ab ea augetur, sit ergo infinitus numerus AB, sit major eo AC, & sit origo utriusque A; igitur si unus alteri superponitur, A B finitur citra C in ipso B, finitur etiam in A; igitur ex utraque parte finitur; diem ergo hodiernam, & diem crastinam pone initia duorum numerorum retrocidentium, & invenies eam, quæ ab hodie incipit, minorem ea quæ incipit a crastina.

Simili ratione sumpta a ratione finis probatur, quod continuum infinitum non potest esse majus continuo infinito, posito etiam quod in continuo sit infinitas; imo necesse est semper quod minus finitum sit. Viso quod nullus numerus infinitus esse potest, concludo: Numerus Eclipsium solarium, quæ præcesserunt, non est infinitus; ergo mundus non est æternus. (45)

Præterea, quod ille numerus non sit infinitus, probatur per illud quod dicit Aristoteles in primo libro Cœli, & Mundi: *Numerus cujus non est finis, est, cui non invenitur ultimum in multitudine*, sed in numero Eclipsium quæ præterierunt invenitur ultimum, Verbi gratia, hæc Eclipsis quæ nunc est; ergo iste numerus non est infinitus, & inde ut prius: eadem probatio fit per auges solares quæ præcesserunt circa 18. gradum Geminorum, & per oppositionem augium circa 12. gradum Sagittarii.

Item per Solstitia, in initio scilicet Cancri, & Capricorni; per ortus solares quoad nos, & occasus ejus qui fuerunt; similiter per girationem ejus ad Tropicum meridionalem, & reflexionem ad aquilonarem, & per accessum ejus ad æquatorem, idest ad initium Arietis, aut Libræ, quando facit duo æquinoctia, & multa talia possunt simili ratione induci.

Ad simplices, qui ista non intelligunt induci potest hoc aliud; aut numerus dierum qui præcesserunt infinitus est, aut non; si non, ergo tempus ex eis constans finitum est, ergo mundus non est æternus; si autem infinitus esse dicatur, hoc jam improbatum est.

Præterea, pertransitus est, ergo infinitus non est, nullum enim infinitum pertransibile; ergo mundus non est æternus.

Item, quod mundus non sit æternus probari potest per causas a quibus relegari potest infinitum secundum Philosophos: si mundus æternus est, efficientes causæ infinitæ sunt, sed non sunt infinitæ; ergo mundus non est æternus: Probatio primæ ista est: quia si mundus est æternus, generatio unius ex alio infinita est secundum Philosophos, qui posuerunt, quod æternitas motus primi mobilis causa est æternitatis unius ex alio, ut patet in fine libri de Generatione, & Corruptione. Si autem hoc est, infiniti sunt generantes; constat autem quod generans ad generatum est causa efficiens; ergo si infinitas est in generantibus, infinitas est etiam in causis efficientibus, hoc autem est impossibile, ergo & illud ex quo sequitur, scilicet quod mundus sit æternus.

Præterea, inconveniens est secundum eos dicere, quod A fuerit causa B, & B. causa C. & sic in infinitum; ergo inconveniens est dicere, quod A genuerit B, & B. C. & sic in infinitum, necesse autem esset hoc dicere, si mundus esset æternus, ergo mundus non est æternus.

Quod autem non sit infinitas in generantibus, probo per viam illam, qua nisi sunt probare, quod non est infinitas in causis. Universitas generantium, aut est tota genita, aut tota ingenita, aut partim genita, & partim ingenita; si tota genita dicatur, hoc esse non potest, quia vel erit genita ab aliquo de universitate generantium, quod patet esse impossibile, aut ab aliquo extra universitatem, quod iterum esse non potest, quia jam aliquod generans esset extra universitatem generantium; si autem extra universitatem eorum esset, non esset generans, & ita affirmatio, & negatio de eodem. Restat ergo, quod universitas generantium non sit genita tota, nec ingenita; ergo partim genita, & partim non genita, & ita stabitur in aliquo, qui ita erit generans, quod non generatus; ille autem non semper fuit, alioquin semper maneret; ergo generatio hominis ex homine non est æterna, sed necesse est primum hominem ponere, ergo mundus non est æternus, & male locutus est Aristoteles contra Abrucalem (46) in libro de Vegetabilibus dicens: mundus totaliter perpetuus, sempiternusque

(45) Id etiam evincunt observationes Astronomicæ. Nam quas ab Chaldæis factas observationes Astronomicas per nongentorum, & trium supra mille annorum tractum usque ad tempora, quibus direpta Babylon ab Alexandro Magno fuit, deductus Callisthenes in Græciam misit, ut auctor est Simplicius in *Commentar. in lib.* I. *Arist. de cœlo*, etsi fabulosas esse reor, evincere tamen puto, non æternum, sed temporarium esse mundum. Non enim antiquiores hæ observationes essent *an. ab Orbe condito*, juxta Usserii Calculos, 2584. Quod si mundus sempiternus fuisset, multo plures transmissæ fuissent in memoriam posterorum. Mitto argumenta de artibus, scientiis &c. a Lucretio, aliisque philosophis, imprimis autem junioribus, allata, ut mundum cœpisse aliquando suadeant:

(46) Non est hoc opus Aristotelis, ut ante animadvertimus.

que nunquam ceſſavit generare animalia, & plantas, & omnes ſuas ſpecies.

§. VI.

De Cura, & Providentia Dei erga creata.

(47) SEquitur quarta pars ſecundæ partis hujus capitis ubi agendum eſt de providentia, & cura Dei; conſtat autem, quod ipſe eſt fons, & origo omnis entis, unde & prima omnium cauſa a Philoſophis appellatur. Quod autem ita ſit, ſupra oſtenſum eſt in principio libri, ubi oſtenſum eſt unicum eſſe omnium principium: ſed ad videndum utrum ipſe ſit proviſor, & curator omnium, neceſſe eſt præcognoſcere an ipſe ſit omnium cognitor. (48)

Quod autem ipſe ſit univerſorum cognitor, probatur ex hoc, quoniam ipſe ſcit ſe ipſum, & ſcit ſe ipſum ſicut eſt, ipſe autem eſt purum, & verum ens, & fons eſſendi ſubſtantiæ & accidenti, & quidquid ipſa ſunt ſecundum ordinem ſuum; ſi ergo ſcit ſe ipſum eſſe principium, & fontem eorum, tunc ſcientia eorum includitur in ſcientia ſui; ſi autem non ſcit ſe ipſum principium eſſe eorum, tunc non ſcit ſe ſicut eſt, quod abſurdum eſt.

Præterea, ut dicit Dionyſius 7. de divinis nominibus, ipſa omnium cauſa ſe ipſum cognoſcens vacat alicubi, ſi ea quæ ſunt ab ipſa, & quorum eſt cauſa ignoraverit: iſta autem vacatio non eſt niſi averſio mentis ab uno ob curam alterius, hoc autem impoſſibile eſt Deo.

Præterea, ſicut ipſe potenter agit omnia, ita & ſapienter; nemo enim eſt, qui credere debeat, quod Deus agat ea quæ agit ignorans; igitur omnium habet ſcientiam; & tam ſubſtantiarum, quam accidentium, tam univerſalium, quam particularium ſcientia includitur in ſcientia ejus, qua ſcit ſe ſicut eſt, ſicut omnium eſſe cadit ſub ejus cauſalitate; unde & B. Dionyſius cap. 7. de divin. nomin. ait: *Divina mens omnia continet, ab omnibus ſegregata cognitione, ſed omnium cauſam ſe ipſam omnium ſcientiam præaccipiens*: & poſt pauca concludit: *Igitur ſe ipſam divina ſapientia cognoſcens, cognoſcit omnia.*

Sciendum autem eſt, quod multiplicatio ſcitorum non multiplicat ejus ſcientiam, quoniam ejus ſcientia non formatur a rebus ſcitis, imo potius e contra: & propter hoc dicit B. Dionyſius, quod divina mens omnia continet cognitione ſegregata ab omnibus, quoniam non dependet, vel formatur ab eis; & hoc eſt, quod ibidem dicit Dionyſius; non enim ex exiſtentibus exiſtentia diſcens novit divina mens, ſed ex ipſa, & in ſe ipſa, non ſecundum viſionem, ideſt ad videndum, ſingulis ſe immittens. Sed quemadmodum intelligendum eſt id, quod Dionyſius ait in fine myſticæ Theologiæ ubi dicit, quod Deus non novit exiſtentia ſecundum quod exiſtentia ſunt, ſecus autem in ſcientia humana: nec aliud intenderunt Philoſophi, qui voluerunt excludere ab eo ſcientiam præſentis, præteriti, vel futuri, niſi quod ejus ſcientia non ſigillatur, nec diſtinguitur differentiis temporum; quod autem ipſe ſciat Eclipſim futuram & præſentem, vel præteritam, evidenter oſtenditur per illam propoſitionem: prima cauſa, quæ Deus eſt ſcit ſe eſſe omnium principium, & cauſam, & fontem, cum ſciat ſe ſicut eſt pleniſſime; unde a Philoſophis dicitur ſibi manifeſtus; & Johannes Damaſcenus 2. lib. cap. 16. dicit, quod ipſe ſolus contemplator exiſtit ſui ipſius, ſupple plene, cognitio enim exiſtentiæ Dei omnibus inſerta eſt, etſi non plena; hoc patet in principio libri Johannis Damaſceni.

Quod autem non multiplicetur ejus ſcientia ex multiplicitate ſcitorum hujus ratio prædicta eſt, cujus rationis ratio eſt, quia ſcientia ejus eſt eſſentia ipſius, quæ a nullo dependet, idem enim eſt ei eſſe, quod ſcire; hoc autem tangit B. Dionyſius cap. 7. de divinis nominibus; ſe ipſam divina ſapientia cognoſcens cognoſcit omnia, immaterialiter materialia, indiviſibiliter diviſibilia, & multa unitive in ipſo uno, omnia & cognoſcens, & producens. Idem dicit Philoſophus, ſcilicet Avicennas 6. lib. metaphyſicæ ſuæ cap. 8. Neceſſe eſſe intelligit quidquid eſt univerſaliter, & tamen cum hoc non deeſt ei aliquod ſingulare; ſicut autem agit potenter, & ſapienter, ita & libenter, volens enim agit, non nolens. Unumquodque autem horum reducitur ad eſſentiam ejus; eſſentia autem ejus talis eſt ut ponunt Philoſophi, quod ex ea fluit omne, quod eſt ſecundum modum perfectiorem juxta ordinem qui eſt poſſibilis ibi eſſe a principio uſque ad finem, ſive a primo uſque ad ultimum.

Quod autem ipſe ſit omnium proviſor, poteſt probari per univerſalem ejus juſtitiam, quam tangit B. Dionyſius de divinis nominibus cap. 8. juſtitia laudatur Deus, ſicut omnibus ſecundum di-

(47) Commodum inſtituit noſter de Providentia diſputationem. Nam fuerunt Philoſophi veteres, qui aut eam funditus tollerent, velut factum eſt ab Epicuro, ejuſque aſſeclis, aut limitibus quibuſdam concluderent, ut infra Lunam extendi eam negarent, quod a Chalcidio *in Timæum Platonis*, ab Juſtino Martyre *Apol.* I. Tatiano *Orat. ad Græc.* Theodoreto *De Providentia* exprobratum Ariſtoteli eſt; quamvis cur moti fuerint, ut hæc Philoſopho adſcriberent Ariſtoteli, me ſane fugiat. Nam quæ *Lib.* II. *De Natura Deorum Cap.* XXXVII. ex Ariſtotele affert Cicero, providentiam rerum etiam noſtrarum admittere videntur. Ex hæreticis etiam fuerunt, qui negare etſi non omnium, harum tamen, quæ ſub adſpectum cadunt, providentiam viſi ſunt. Nam Marcion, Manes, Priſcillianiſtæ, Cathari, etſi qui alii fuerunt, qui res ſub ſenſus cadentes a malo principio conditas, aut formatas eſſe pugnarent, ii quidem certe negarint neceſſe eſt, rebus adſpectabilibus poſſe divinam naturam proſpicere. Ac Tertullianus quidem *Lib.* II. Contra Marcionem: *Nemo*, inquit, *te ſuſtinebit improvidentiam adſcribentem Deo ei, quem Deum non negans, confiteris providum.* Nollem autem Philoſophi quidam recentiore memoria eam introduxiſſent de *intelligentia ſupermundana* ſententiam, quæ providentiam Dei funditus evertere videretur. Sunt hi quidem de grege Lutheranorum, ſequunturque Leibnitium, qui nihil nunc Deum in natura agere, ſed vim eamdem primævam etiamnum vigere, ac de materia ſolum in materiam transferri ſecundum ordinem præſtabilitum contendit. *Epiſt.* V. *adv. Clark. Tom.* I. *Collat. Varior. Opuſc. Edit. Amſtel. an.* 1720. §. 87. *pag.* 129.

(48) Ex cognitione quam de rebus omnibus habet Deus, probat S. Thomas, Deum earum ordinem velle, ac ſtatuere, qua in re ſita eſt ratio providentiæ. III. *Contra Gentes Cap.* LXXVI.

dignitatem distribuens : & infra : omnia enim divina justitia ordinat , terminat , & omnia ab omnibus immutat , non confusa salvat & omnibus existentibus convenientia donat secundum dignitatem unicuique entium supervenientem ex eo , quod ipse est causa , & principium cujuslibet entis , & unicuique donat convenientia secundum dignitatem uniuscujusque existentium . (49)

Quod autem sit provisor animalium, patet secundum Philosophos , & rei veritatem ; dedit enim animalibus membra instrumentalia , & præter hoc intimavit eis modum utendi illis , alioquin essent supervacua , creavit enim pullo rostrum , quo percutiendo egreditur de ovo ; si enim natura non doceret modum utendi rostro , & colligendi cibum de terra , esset ei supervacaneum rostrum , in quo apparet Dei providentia etiam cum non utentibus ratione ; signum enim est hoc , quod ipse est procurator creaturæ suæ , scilicet quia novit expedientia unicuique , & ei tribuit quantum in se est prout expedit , sicut etiam volunt Philosophi ; hoc patet jam in brutis animalibus ; patet etiam in homine , novit enim quod homo eget instrumento facile agendi , quod expedit ad conservationem suæ naturæ : & quoniam si talis esset , idest sine instrumento tali imperfectus esset , & sic male esset ipsi homini ; novit etiam , quod hoc instrumentum debet esse manus , aut pes , aut aliquid hujusmodi , & quod ad hoc ut hujusmodi sit congruum operationi , necesse est extremitates sint distinctæ digitis , alioquin impediretur facultas agendi ; & quia possunt esse diversi situs ipsorum digitorum , quorum non quilibet aptus est ad operationem , elegit aptiorem , scilicet ut non sint quinque in uno ordine , sed quatuor , & pollex sit segregatus ab eis ; & sciens , quod situs iste aptior est ut aliquando tribuat , aliquando percutiat , aliquando repellat , aliquando constringendo aliquid teneat , providit hoc homini . (50)

Quod etiam ipse sit provisor creaturæ rationalis, probari potest per suam summam justitiam relatam ad rationalem creaturam ; constat enim , quod hæc ei deesse non potest ; si enim deesset ei justitia , deesset ei bonitas summa ; de ratione autem justi est , velle unicuique reddere secundum meritorum exigentiam , hoc autem est , quod sonant providentiæ rationes , quas ponimus ; ergo ipse est provisor creaturæ rationalis providens ei secundum , quod meretur . De hac autem justitia provisiva relata ad creaturam rationalem loquitur B. Dionysius cap. 8. de divinis nominibus solvens quæstionem quandam ; quomodo Deus justus est , (51) sinens justos affligi a malis : *At dixerit aliquis, non est justitiæ , permittere viros sanctos auxilio destitutos a pessimis quibusque conculcari* ; quasi dicat exponere bonos tribulationibus ; malos vero delectabilibus non videtur justitiæ consonum ; postea autem solvit ostendens , primo eos non debere exponi delectabilibus , quæ coluntur ab his , qui inhærent amore materialibus rebus ; ideo autem non sunt eis exponendi , quia ista non sunt eis, nec ab eis amanda : sic ergo ostendit , quod non debet his conjungi per amorem ; imo ait : *Cui respondendum , quod si quidem illi , quos appellat Sanctos , terrena diligunt , quæ ab amatoribus rerum materialium ambiuntur , vel hoc ipso jam a divino amore penitus exciderunt* . Neque sane intelligo quanam ratione Sancti dici possint , qui res vere amandas & divinas contumeliis afficiunt , dum ea rebus fugiendis & abominandis , quas nefarie insectantur , minime præferunt . Secundo ostendit , quod non solum non debent dolere , sed etiam lætari debent de ista separatione a mundi concupiscibilibus , si amant vere existentia , idest æterna bona , sicut lætantur , qui consequuntur quæ desiderant ; hoc sequitur ad præcedens , idest ad non amare materialia ; unde dicit : *Sin autem ea quæ vere sunt, amarent , gauderent , quod voti compotes fieri possint* , supple de separatione ab istis materialibus , quæ desiderant , hoc ipso quia ab istis desiderio tendunt ad æterna . Tertio ostendit , quod gaudere debent , quia pœnis & cruciatibus temporaliter exponuntur , quia per hoc magis & magis ab amore mundi hujus , & præsentis vitæ recedentes , propinquiores Angelis fiunt , non dico loco , sed similitudine amoris æternorum , & immaterialium bonorum ; unde subjungit : *Nunquid tunc magis ad Angelicas virtutes accedunt , cum rerum divinarum studio , quantum possunt , a materialium affectione recedunt , & ad hoc viriliter exercentur periculis , quæ honesti causa subeunt ?* Et ex hoc concludit : *Itaque hoc vere dici potest , divinæ justitiæ magis congruere , ut numquam patiatur proborum virorum virile robur rerum materialium largitionibus enervari , atque emolliri* ; idest fortitudine materialium donationum . Quarto dicit , quod istud non est dimittere non adjutos , sed hoc est collocare , idest firmare eos in pulchra , & inflexibili statione , idest constantiam eis dare per quam non flectantur a veritate ; unde iterum subdit : *Quin potius , si quis id tentaverit , divinis auxiliis suffultos in præclaro illo , & inconcusso statu solidare , nec non perseverantes pro meritis remunerare* , idest attribuere animosis sanctis secundum dignitatem . Actor. 5. v. 41. *Et Apostoli quidem ibant gaudentes a conspectu concilii . Hoc dico*

(49) Philo Judæus in *Opere de Mundi Opificio sub initium* , pitria habet . „ Qui mundum , *inquit* , factum negant , non animadvertunt se rem adimere omnium , quæ ad pietatem spectant , utilissimam , maximeque necessariam . Nam a parente , & opifice curam geri operis sui ratio ipsa dictat . Etenim pater liberorum , & opifex eorum , quæ fabricavit , conservationi studet , & quæcumque detrimenti aliquid afferre , ac nocere possunt , ea quantum in illo situm est , repellit ; quæ vero conducibilia , & utilia sunt , omni ratione comparare cupit .

(50 Multa in hanc rem disputant Nievventhigtus *De Exist. Dei per res admir. naturæ* . Guillel. Derhamus *in Opere De Exist. Dei* &c. Jacquelotus *In Dissertat. De Exist. Dei* . Robertus Boylius *in Exercitat. De utilit. Philos. Experiment.* Aliique .

(51) Vel Ethnici agnoverunt hominem divina providentia regi. Adeundus Hierocles . *Lib. De Provid.* Ut Platonem , ejusque asseclas omnes prætermittam . Videndi item Dionysius Petavius *Lib.* VIII. *Theologic. Dogmat. Cap.* IV. & Thomas Pfannerus , *instit. Theolog. Gentilis* . Verum quod sibi objicit Moneta , vetus libertinorum argumentum est : sed ut a nostro , ita quoque a Seneca Ethnico *Cap.* III. *Lib. De Providentia* , a Nemesio De natura hominis *Cap.* XLIV. Ambrosio *Lib.* I. *De officiis Cap.* XII. atque ab aliis solvitur, quos recenset Petavius *ibid. Cap.* V. §. 12.

dico convenit justitiæ divinæ si, ideſt, quamvis *aliquis conetur facere*, ideſt impingere, *Deo contrarium*. Loquitur autem B. Dionyſius de viris perfectis, de quibus ait Boetius in fine quarti libri de Conſolatione: *Alios duris agitari ſinit, ut virtutem animi patientiæ uſu, & exercitatione confirment*. Alia ratio eſt quam ſubdit, *alii plus æquo metuunt, quod ferre poſſunt, hos in experimentum ſui triſtibus ducit*. Tertia ratio eſt, quam ibidem ponit: *Quoſdam remordet, ne longa felicitate luxurient*. Quarta ratio eſt in exemplum patientiæ, unde ibi dicitur; *quidam ſupliciis inexpugnabiles, exemplum cæteris protulerunt, invictam malis eſſe virtutem*. Alia autem ratio eſt in imperfectis, unde Boetius ibidem dicit: *Alii plus æquo deſpiciunt, quod ferre non poſſunt, hos in experimentum ſui triſtibus ducit*; quandoque autem largitur eis proſpera ad remunerationem etiam quamdam vitæ præſentis. Alia etiam cauſa, quam ibi ponit Boetius eſt: *Aliquis enim animi viribus infirmus, ei ſi aliquid advenerit adverſi, deſinet forſan colere innocentiam, per quam non potuit retinere fortunam; parcit itaque ſapiens diſpenſator ei, quem deteriorem facere potuit adverſitas, ne qui non conſuevit laborare, patiatur*.

Similiter improbis rationabili providentiæ diſpoſitione nunc læta, nunc triſtia contingunt; ponit autem Boetius unam cauſam, ſcilicet ut eorum ſupplicia cæteros a ſceleribus deterreant: alia eſt quia aliquando eos quibus inferuntur, emendant. Læta etiam rationabiliter eis dantur. Primo in argumentum bonis, ſcilicet quid judicare debeant de hujus mundi felicitate, quam famulari ſæpe improbis cernunt; hoc autem judicium contemptus eſt ipſius. Secunda ratio eſt, coarctatio quorumdam malorum a ſceleribus, eſt enim alicujus tam præceps, importunaque natura, ut eum in ſcelera potius exacerbare poſſit rei familiaris inopia, hujuſmodi morbo providentia collatæ pecuniæ remedio medetur. Tertia eſt vitæ correptio, imo hac fiducia probi conſcientiam ſpectans, & ſe cum fortuna ſua comparans pertimeſcit, ne cujus rei locandus eſt uſus, ſit triſtis amiſſio, mutabit ergo mores, ac dum fortunam metuit amittere, nequitiam devitat. Quarta ratio eſt in præcipitium abutentium felicitate, unde alios in cladem præcipitavit merito indigne acta felicitas, Apocalyp. 22. v. 11. *Et qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc*. *Deus* igitur ut ait Boetius *ex alta providentiæ ſpecula reſpiciens, quid unicuique conveniat agnoſcit, & quod convenire novit, etiam commodat*.

Ex his quæ dicta ſunt patet illud verbum Boetii ibidem poſitum; *ſola eſt divina vis, cui mala quoque bona ſunt, cum eis competenter utendo alicujus boni elicit effectum*. Illud etiam conſtat, quod ait, omnem fortunam bonam eſſe, omnis enim fortuna eſt juſta, vel utilis, omne autem juſtum, vel utile bonum eſt, ergo omnis fortuna bona eſt. Probatio primæ propoſitionis eſt hæc: Omnis fortuna aut datur cauſa exercendi, aut datur cauſa remunerandi bonos, aut cauſa puniendi, vel corrigendi malos; omnis autem quæ talis eſt juſta vel utilis eſt; ergo omnis fortuna eſt juſta vel utilis: de his etiam agit Johannes Damaſcenus lib. 2. cap. 29.

Nunc autem probatum eſt, quod ipſe providet unicuique ipſum eſſe, quia eſt cauſa uniuſcujuſque eſſe potenter operando eſſe illius ſcienter, atque libenter: ita etiam probari poteſt, quod ipſe eſt proviſor permanentiæ uniuſcujuſque, ſive ad horam unam, ſive ad magnum tempus, ſive ſemper; cum enim permanentia in eſſe ſit de numero entium, (52) & creatorum, neceſſe eſt, quod ipſe ſit operator permanentiæ uniuſcujuſque eſſe, & eorum quæ ad hanc permanentiam exiguntur. Non pendet ergo Creatura a Creatore, nec eget tantum eo, quoad eſſe, ſed etiam quoad firmitatem ſui eſſe, quia non tantum ejus eſſe eſt ab eo, ſed firmitas ejuſdem.

Ex quo patet diverſitatis ratio, ex qua eſt, quod poſita prima cauſa non eſſe, omnia quæ ab ipſo ſunt eſſe deſiſtunt, poſito autem materiali fabro non eſſe, (53) non deſinet eſſe fabrica, ſed remanet; prima enim cauſa non juvat tantum ad eſſe, ſed ad continuationem, & permanentiam ipſius, ut oſtenſum eſt, ſecus autem eſt in materiali fabro, a quo non habet arca permanentiam ſui eſſe, aut firmitatem, licet eſſe ejus operante fabro de potentia in actum prodierit.

Rationem providentiæ ponit Boetius in 4. libro de Conſolatione: *Providentia eſt divina ratio in ſummo rerum Principe conſtituta, qua cuncta diſponit*. Eodem etiam libro, & eodem capite: *Providentia eſt immobilis, ſimplexque rerum gerendarum forma*: prius autem expoſuerat hoc in eodem capite dicens: *Sicut enim artifex faciendæ rei formam mente percipiens, movet operis effectum, & quod ſimpliciter præſentari æque perſpexerat per temporales ordines ducit; ita Deus providentia quidem ſingulariter, ſtabiliterque facienda diſponit*. Hoc etiam habetur a Johanne Damaſceno 2. lib. cap. 29. *Providentia eſt voluntas Dei, propter quam omnia quæ ſunt, convenientem deductionem ſuſcipiunt*: Modo dico ſic: Dei voluntate om-

(52) S. Proſper, ſeu quiſquis eſt auctor *Carm. De Provid.* ſic canit:

Omnem autem hanc molem mundi, qui condidit ipſe
Et regit: utque nihil non ortum ſumſit ab illo:
Sic nihil eſt, quod ſtare queat factore remoto.

Nec injuria. Nam res omnes cum limitatæ, finitiſque viribus ſint, ſi ſuo genio relinquantur, vires ſenſim earum minuantur, ac pereant neceſſe eſt. Conſervet igitur illas Deus, moveatque, vimque eamdem ſervet, oportet. Id vero fieri ſine inſpectione providentiæ nequit.

(53) Tam conſona hæc ſunt iis, quæ contra Leibnitium diſputavit Clarkius, ut a Moneta, cujus opus recens ille auctor non vidit, mutuatus hæc eadem fuiſſe videatur. Sic enim in ſua *priore ad Leibnit. Reſponſ. num.* 4. habet. *Collect. Var. Opuſc. Edit. an.* 1720. *Si inter homines Faber non immerito eo præſtantior cenſetur eſſe, quo machina ab illo facta diutius regularem quemdam motum ſervat, quin indigeat renovatione; id eatenus evenit, quatenus fabrorum virtus in eo conſiſtit ſolum, ut componant affabre, & conjungant partes quaſdam, quæ habent motum quemdam, cujus principia nulla ratione a fabro dependent ... Verum longe aliter in Dei reſpectu uſuvenit, qui non ſolum congregat, atque componit res, ſed etiam eſt auctor primitivarum potentiarum earumdem rerum, eaſque perpetuo ſervat. Quare ſi quis dixerit nihil ſine providentia fieri, tantum abeſt, ut deprimat opera Dei, ut potius oſtendat eorum præſtantiam, & excellentiam.*

omnia quæ sunt suscipiunt convenientem deductionem, ergo omnium provisor est: unde postea subdit: Si autem Dei voluntas est providentia, omnino necesse est, quod providentia fuerit secundum rectam convenientiam, & optima, & Deo decentissima fieri, & ut non est melius fieri: necesse est igitur eundem esse factorem, & provisorem eorum quæ sunt, nec enim dicens, & non exequens est, idest non convenit alium quidem factorem esse universorum, & alium provisorem; sic enim imbecillitate essent utrique, hic quidem faciendi; hic autem providendi. Deus igitur & factor est, (54) & provisor, scilicet & factiva ejus virtus, & contentiva, & provisiva est ejus voluntas bona, *omnia enim quæcumque voluit fecit in Cœlo, & in terra*. Psalm. 134. v. 6. Item dicit Johannes Damascenus: Quoniam autem providet bene, & rectissime, videri potest hoc modo: Solus Deus natura bonus est, & sapiens, ut igitur bonus est providet, qui enim non providet, non est bonus: Probatio hujus a minori sumitur; etenim homines rationabilia propriis filiis provident naturaliter, & qui non providet, exprobratur. Ut autem sapiens optime eorum, quæ sunt curam habet, oportet igitur his intendentes omnia mirari, omnia laudare, omnia imperscrutata acceptare, quæ providentiæ sunt opera, etsi appareant multis injusta.

Idem dicit Boetius in 4. lib. de consolatione: *Quamvis causam tantæ dispositionis (55) ignores, tamen quia bonus inde rector temperat, recte fieri cuncta, ne dubites*: hoc dixit respondens illi quæstioni quam aliquis potest facere, scilicet: cur sæpe Deus bonis jucunda, malis aspera, & e contra bonis tribuit mala, malis vero optata concedit, per hoc enim videtur, quod mundus non providentia, & cura regatur divina, sed potius fortuito casu: postea vero aliquantulum determinat æquitatem divinæ providentiæ in hujusmodi retributionibus, quam qui videre desiderat, finem quarti libri diligenter percurrat.

Fuit etiam alia causa, quæ plurimos movit, ut dicerent, mundum istum Dei providentia, & cura non regi; abundantia scilicet malorum. Istam quæstionem tangit B. Dionysius in medio quarti libri de Divinis nominibus, & in fine ejusdem. Providentia existente, quomodo est malum, aut factum aut non destructum? idest cum divina providentia omnipotens sit, & summe bona potens est omne contrarium, & offendiculum prohibere ne fiat, vel jam factum destruere facillime; quomodo ergo &c.

Eandem etiam quæstionem moverunt Philosophi dicentes: nos videmus mundum plenum malis, sive sumatur malum pro malo culpæ, (56) sive pro malo pœnæ. Veniuntne hæc mala ex primo principio, sive ex providentia ejus, quæ summe bona est, & summe potens? Hoc videtur esse non posse; si autem non veniunt ex providentia, aliquid igitur erit existens extra providentiam Dei & extra voluntatem ejus. Igitur ex quo erunt? Sic enim videbitur duo esse ponenda principia.

Istam quæstionem solvit B. Dionysius in fine quarti capitis dicens: *Non est malum secundum, quod est malum nec existens*, supple per se, quasi dicat non est substantia; *nec in existentibus*, quasi dicat, non est accidens habens esse aliquod: omne enim malum in quantum hujusmodi secundum communem opinionem tam Philosophorum, quam Theologorum in privatione consistit; istud patet 4. cap. de Divinis nominibus. Item 2. lib. Johannis Damasceni cap. 4. & 4. lib. cap. 12. Quod autem dixi, quod malum in privatione consistit, intelligo non tantum de malo culpæ, sed etiam de malo pœnæ; dolor enim in quantum malus privationem sonat ejus, quod convenit haberi, vel quod putatur conveniens, & ex hac privatione est dolor. Postea dicit quod providentia universaliter est omnium entium, unde ait, *& nihil existentium est improvisum*, idest providentia divina omnia entia sub se complectitur. In fine c.9. Angelicæ Hierarchiæ: Unde est omnis rei principium, & providentia, & infra: *ipsa quidem una universorum altissima providentia*.

Idem etiam patet ex ratione providentiæ, quam ponit Johannes Damascenus lib. 2. cap. 29. quam etiam supra posuimus; similiter ex ratione Boetii. Idem patet ex hac: vult B. Dionysius, quod malum in quantum malum non subsit providentiæ, quia providentia tantum entium est, sicut patet ex rationibus ejus; dicitur tamen malum multipliciter, ut Philosophi determinant, & ut habetur 4. libro Johannis Damasceni cap. 11. & ut determinavimus in prima parte hujus operis cap. 3. unde hic obiter transimus; hoc adjicientes, quod B. Dionysius ait post verba prædicta: *Sed & factis mali benigne providentia utitur, ad utilitatem aut aliorum, aut propriam*, supple ipsorum qui male faciunt; vel etiam ratione ipsorum bonorum, sive electorum; *hoc autem facit vel indulgendo si pœnitent, vel puniendo si pœnitere contempserint, in uno clemens, in alio justus, in uno contra desperationem, in alio contra præsumptionem, cum subditur; ut diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum: & verum sit, quod dicitur Psalm.* 24. v. 10. *Universæ viæ Domini misericordia, & veritas*, sive justitia; & omnis fortuna utilis sit vel justa; & sic est verum, quod Boetius ait: *Ordo enim quidam amplectitur cuncta, ut quod ab assignata ordinis ratione discesserit, hoc licet in alium tamen ordinem relabatur, ne quid in regno providentiæ liceat temeritati*; unde dicit *in alium*, non enim

(54) Adisis Dionysium Petavium *Lib.* VIII. *Cap.* I. *seqq. Theologicorum Dogmatum*. *Tom.* I.

(55) Eodem recidunt, quæ tractat Titus Bostrensis *Lib. De Provid. apud Johan Damasc. in Eclogis*. „ Non oportebat, ut „ videtur pervia omnibus esse divinornm operum argumenta, ne- „ que sermone, ac comprehensione omni majorem mentem peni- „ tus esse manifestam hominibus: quandoquidem regis etiam ho- „ minis, & magistratus interdum pleraque sunt occulta consilia; „ adeout quod geritur obscurum sit qua ratione geratur. Quocir- „ ca mirum non est, si homines non omnino capiunt rationem di- „ vinæ administrationis, quibus conveniens est absque ulla curio- „ sitate, cedere, ac quiete sese continere, nec inexplicabili gu- „ bernationi illi resistere &c.

(56 Consulitor Lactantius *Lib. De Ira Dei Cap.* XIII. Videndi quoque Dionysius Petavius *Lib.* VIII. *Theolog. Dogmat. Cap.* V. *Tomo* I. *Theologicor. Dogmat.* Et Crousazius Contra Bælium.

enim habet ordinem in ſe, ſed eſt ejus privatio, imo extra ſe; quo ordine dicitur ordinatum eſſe ad miſericordiam, vel juſtitiam. Item ad certos fines, quibus Dei providentia in regno ſuo illud permittit, & ſic quoad providentiam nihil temere in hominibus fit, ſed certo, & recto fine; unde Auguſtinus in libro de Correctione & Gratia: *Uſque adeo electis omnia cooperantur in bonum, ut ſi qui eorum deviant, hoc ipſum eis cedat in melius, quia humiliores redeunt atque doctiores, ut Petrus*; illa etiam mala, quæ ab iniquis fideles pii perferunt, ut ait Auguſtinus in libro de Trinitate, ipſis utique proſunt, vel ad delenda peccata, vel ad exercendam, probandamve juſtitiam, aut etiam demonſtrandam, ut habetur 2. lib. ſententiar. diſtinct. 47., & 4. libro diſt. 15. hoc etiam quod Boetius ait, ut ſupra poſuimus, *ſola enim eſt divina vis* &c.

Sequitur in verbis Dionyſii: *Et proprium unumquodque exiſtentium providet*, quaſi dicat, non ſolum omnia in univerſo providendo diſponit providentia Dei, ſed etiam providet proprium, ideſt provide gubernat, adminiſtrando ſingulis propria, quæ congruunt eis, ut habetur 8. cap. de divinis nominibus ut ſupra poſuimus; *omnia enim divina juſtitia* &c. Solvit etiam illam quæſtionem vanam; Quare non fecit nos Deus tales, quod nullo modo peccare poſſemus; dicit enim: *Non eſt providentiæ corrumpere naturam*, quaſi dicat, cum homo de natura ſua ſit liberi arbitrii, non eſt providentiæ divinæ ipſum in homine deſtruere, ſed potius ſervare.

Si autem dicas, quod ex hoc multa contingunt; Reſpondeo illud, quod præceſſit: *Sed & factis malis* &c. hoc etiam patet ſupra, ubi congregavimus rationes Boetii ſuper hoc articulo, cur exiſtente providentia, mala eſſe permittuntur in mundo: tamen Philoſophi ad hoc reſpondent, ut patet in Metaphyſica Avicennæ lib. 9. dicit enim, quod malum in mundo minimum eſt reſpectu boni, & hoc verum eſt, minima enim pars eſt homo reſpectu ipſius univerſi, eſſe minimum ei eſt, quid eſt univerſitas animalium cum homine reſpectu ipſius univerſi? Iſaiæ 40. v. 15. *Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ*. Minima ergo, & modica ſunt mala quæ in his ſunt, (57) comparatione bonorum univerſi eſſe.

Similiter reſpondendum eſt ad vanam quorundam quæſtionem, quare non fecit Deus ignem talem, quod non combureret veſtes pauperis, aut pluviam, quæ non dirueret domum viduæ, aut aquam, quæ immerſum non extingueret?

Ad hoc dico illud Dionyſii: *Non eſt providentiæ* &c. hoc enim eſſet facere ignem non eſſe ignem, vel aquam aut pluviam, quæ non eſſet aqua vel pluvia.

Præterea ut dicit Philoſophus; non fuit ſapientiæ divinæ dimittere utilitates communes propter privatas, non enim eſſet bonum hoc facere.

Præterea, ſive multa, ſive pauca eſſent mala, ſive culpæ, ſive pœnæ ea patet ad eſſe utilia, & ordinata aliquomodo, & ſic cadent ſub providentia per accidens teſte Philoſopho; ſicut etiam mala per accidens eſſe dicuntur ſæpe a B. Dionyſio cap. 4. de divinis nominibus circa finem, ubi dicit: *Malum omne ponendum eſt ſecundum accidens, & propter aliud, & non ex proprio principio*, ſcilicet malo, ſed ex oppoſito ſuo quodammodo, ſcilicet indirecte; unde parum ſupra dixerat: *Omnium malorum principium, & finis erit bonum, principium*, ſcilicet effectivum, per accidens tamen; unde ſubdit: *etenim boni gratia ſunt omnia*, & quæcumque bona, & quæcumque contraria. Finis etiam erit bonus, ideſt finalis cauſa; unde ſubdit: *Etenim iſta facimus, bonum deſiderantes*: bonum autem dicit bonum oppoſitione agentis, ut patet ex litera ſequenti; bonum ergo apparens finaliter commovet, finis autem providentiæ ut præoſtenſum eſt, eſt exiſtens bonum.

His viſis notandum, quod cura duplex eſt, ſcilicet abſoluta, & comparativa; abſolutam habet Deus curam de rationali creatura, comparativam vero de inferioribus, iſta in quantum ad illam ſunt in adjutorium ejus. De prima cura dicit Apoſtolus referens Deuteron. 25. v. 4. *Non alligabis os bovi trituranti*. 1. Corinth. 9. v. 9. *Numquid de bobus cura eſt Deo?* ſupple abſoluta, quaſi dicat non, ſed comparativa: unde & ſubdit v. 10. *An propter nos utique dicit? Nam propter nos ſcripta ſunt*,

 quo-

(57) Hoc illud eſt præcipuum argumentum, quo Epicurei primum, tum Manichæi conati ſunt providentiam tollere. Cum enim mala eſſe cernerent in natura, quæ, illorum quidem ſententia, ſi Deus proſpiceret rebus omnibus, non contingerent; primi quidem certe nihil Deum curare, poſtremi vero principium, neſcio quod malum, hæc quæ ſub adſpectum cadunt omnia moliri, atque diſponere cenſuerunt. Verum cum ſatis conſtet hanc tam admirabilem orbis univerſi molem tam affabre elaboratam, tantoque partium ſuarum concentu, atque ordine moveri non potuiſſe, neque diu conſiſtere, niſi præſtantiſſimæ mentis accederet, eamque regeret, ac moderaretur providentia; non erit cur nos argumentum *De Origine mali* tranſverſos agere ulla ratione poſſit. Fac enim ignoremus qua ratione malum permittatur a Deo, an inde ſequetur, ut funditus tolli debeat providentia? Quot ſunt in rerum natura res, quot phœnomena, quorum nos fugit origo? Sin autem nos prætereunt, quæ neceſſitate quadam naturæ contingunt, neque tamen inferre quiſquam poteſt, aut naturam non eſſe, aut nullam eſſe rerum ejuſmodi cauſſam, quid eſt, quod ſi ignoramus Dei conſilia, quæ libera ſunt, concludere nobis liceat, Deum ipſum neque noſtra omnino curare, neque poſſe nobis opem intendere, neque velle? An ergo quia minuti quidam Philoſophi contra *continui diviſibilitatem in infinitum*, multa opponunt, quæ ſolvi ἀποδικτικῶς nequeant, futiles eſſe ac vanas colligemus demonſtrationes eas, quibus evincitur corporis *in infinitum diviſibilitas* plane ad veritatem? Quod ſi hoc conſequens non videtur; multo minus ex origine mali, quam nos aſſequi minime poſſumus, concludere quiſquam poterit demonſtrationes, quibus providentia oſtenditur haberi numero σοφισμάτων oportere. Actum profecto eſſet, ſi hæc ratio argumentandi valeret, non de providentia ſolum, ſed etiam de cauſſis inferioribus rerum; cum earum effecta explicare nequeamus. Neque enim percipere animo poſſumus cujuſmodi ſit actio duorum corporum, quarum unum verſus aliud fertur. Nullam habemus vis illius notionem, quæ illa ciet, aut modi, quo ab uno in aliud corpus transfertur, aut cur tandem ipſa ceſſet agere. Myſterium hoc quiddam eſt, quod noſtram vim, notionemque excedit, ac ſuperat. Quid? ratio, qua animus movet corpus comperta ne nobis eſt? Neque Harmonia præſtabilita Leibnitii, neque ullum aliud Syſtema rem tantam, tamque difficilem explicare poteſt. Itaque, ut ſapienter animadvertit Muſſchenbrockius *in Spec. Phyſ. Præf. pag. 17. Edit. an.* 1739. fateamur neceſſe eſt, noſtram mentem, atque cognitionem multo, quam ipſi exiſtimare poſſimus, eſſe limitatiorem. His autem ita conſtitutis, dari etiam ratio aliqua poteſt, cur Deus mala permittat. Cum enim omnipotens, ſummaque ſapientia præditus ſit, novit ipſe quæ bona poſſit ex malorum permiſſione elicere.

quoniam debet in spe qui arat arare: qui triturat, in spe fructus percipiendi. Contra destruentes curam, & providentiam Dei loquitur David dicens Psalmo 93. v. 8. *Intelligite insipientes in populo: & stulti aliquando sapite*. [v.9.] *Qui plantavit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non considerat?*

Ad quæ verba quidam pessime respondent dicentes: qui fecit os non comedit; aut qui fecit pulmonem non vociferat?

Ad quod dicimus: Non fuit intentio Prophetæ in verbis illis ostendere Deum uti materiali sensu, idest visu, vel auditu, sed potius intellectu contra vanas eorum cogitationes de Deo; putabant enim Deum ignorare hæc infima propter inordinationem actuum omnium, & mala quæ in mundo hoc abundant; visum enim est eis minus inconveniens ponere in Deo sensibilium ignorantiam, quam impotentiam cohibendi mala: aut invidiam; si enim ponatur posse scire hæc mala, sed impedire non velle, videtur esse in eo invidia; sicut enim fieret in aliquo, qui potest alii benefacere, & scit quia indiget, sed propter invidiam non benefacit ei; unde ait v. 11. *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt*. Et quoniam isti sensus maxime via sunt ad scientiam intellectivam, ideo per eos intimare voluit, eam in omnium causa per causalitatem, sive comparationem organorum ostendere, quod non caret scientia sensibilium, quæ per illa organa apprehenduntur, sicut illi male putabant: nullus enim operator alicujus instrumenti faceret instrumentum illud, nisi adverteret ad quid esset; quod autem mala permittat, cum sciat, & possit cohibere, non est ad invidiam, ut ante dictum est.

CAP. XII.

De honore Parentum, & Eleemosyna pauperum.

SEquitur duodecimum caput de hoc mandato. Exodi 20. v. 12. *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus dabit tibi*. Ubi sciendum, quod ibi ponitur species pro genere, Pater scilicet, & Mater pro quolibet proximo, & honor pro omni eo, quod proximo fieri debet, alioquin non esset sufficiens numerus mandatorum; non solum enim debemus honorare Patrem, & Matrem, sed etiam alios homines: unde 1. Petri 2. v. 17. dicitur: *Omnes honorate*. Item Paulus Rom. 12. v. 10. *Honore invicem prævenientes*. Et quia non solus honor debetur proximo, ideo Apostolus Roman. 13. v. 7. ait: *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem*.

Circa hoc mandatum primo inquirendum est, an intelligatur tantum de honore temporali, & parentibus carnalibus, an tantum spirituali, & parentibus spiritualibus, an simul de temporalibus, & spiritualibus?

§. I.

Quomodo intelligendum sit illud mandatum.

PRimo igitur quæro, quare potius mentionem fecit de Patre, & Matre, quam de aliis personis, cum alias personas debeamus honorare, ut patet ex verbo Petri?

Si dicat: ideo hoc fecit, quia magis debemus honorare parentes, sicut verum est; habeo duo, scilicet, quod temporalis honor de imperio sancti Dei est, quod est contra ponentes duo principia. Item habeo, quod Patri, & Matri obligatus sum a Deo Sancto exhibere honorem, quia Pater & Mater carnalis est, idest quia me carnaliter genuerunt; ergo carnalis generatio non est contra Deum; quia si esset contra eum, numquam propter hanc præciperet, quod Patri, & Matri exhiberem honorem. Si autem intelligitur de utroque, eadem est objectio. Si autem de spirituali tantum, ergo non teneor honorare temporaliter parentes carnales ex Dei mandato, quod manifeste falsum est.

Præterea, Matth. 15. v. 3. Dominus dicit Pharisæis: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* & ostendit, quod trasgrederentur, cum subdit v. 4. *Honora Patrem, & Matrem; Et qui maledixerit Patri vel Matri, morte moriatur*. Exodi 20. v. 12. Item 21. v. 16. *Qui maledixerit Patri suo vel Matri, morte moriatur*. Ex verbis istis quæ alibi non reperiebantur tunc dicta, nisi in Veteri Testamento, patet, quod ipsa non intelliguntur, nisi de Patre, & Matre carnali.

Præterea idem patet ex Marc. 7. v. 10. qui dicit: *Moyses enim dixit: Honora Patrem tuum, & Matrem tuam*.

Præterea, si de Patre spirituali sit ibi sermo. Quis est Pater spiritualis? Si Deus: contra: Nonne dicitur ibi, quod Deus dixit: *Honora Patrem* &c. Ergo Deus non est ipse Pater de quo ibi loquitur.

Præterea, ibi dicitur Marci 7. v. 11. *Vos autem dicitis: Si dixerit homo Patri aut Matri: Corban (quod est donum) quodcunque ex me, tibi profuerit* [v. 12.] *Et ultra non dimittis eum quicquam facere Patri suo, aut Matri*. *Si dixerit*, supple benedicit; constat, quod ista verba: *Si dixerit homo Patri, aut Matri &c.* non intelligantur nisi de Patre, & Matre carnali, non de Deo; Pharisæi enim ista verba non docebant dici Deo; sed Patri, & Matri carnali a filiis.

Præterea ex eo, quod dicunt: *Donum quodcumque est ex me, tibi profuerit*, idem patet; Deo enim nihil potest prodesse, quia nullo indiget.

Si autem dicat, quod Pater spiritualis est Prælatus, Mater vero Ecclesia: Contra: numquid tunc erat Ecclesia? Non, secundum vos Catharos; nondum enim erat, ut creditis, spiritus datus; ergo nondum erat Pater, aut Mater spiritualis; venit ergo pro Patre, & Matre carnali, & ita honor ve-

venit pro honore temporali, qui consistit non tantum in salutando, aut reverendo, sed etiam in subveniendo temporaliter; sicut etiam in 1. Timoth. 5. v. 3. *Viduas honora; quæ vere viduæ sunt*; idest tribue eis necessaria de bonis Ecclesiæ. Similiter Proverb. 3. v. 9. *Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum*. Hæc est illa sententia de qua dicitur 1. Jo. 3. v. 17. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?*

Præterea, 1. Timoth. 5. v. 17. *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur*. Quis est ille duplex honor, nisi unus temporalis, & alter spiritualis? igitur licet pater veniret pro spirituali patre, idest Prælato, nihilominus honor veniret, non tantum pro spirituali, sed etiam pro temporali honore.

Præterea, si ille duplex honor spiritualis est, & qui bene præest eo dignus est; ergo melior est. Est igitur dignus majori mercede spiritualium, non ergo mercedes erunt æquales.

§. II.

De Eleemosyna pauperi exhibenda.

Postquam vidimus de intelligentia illius mandati, videamus de eleemosyna pauperi exhibenda, quæ in illo mandato videtur esse præcepta, quam quidam hæretici, scilicet Cathari negant utilem esse (1) illis, qui sunt mali. Sed contra legitur Daniel. 4. v. 24. quod Daniel dixit Nabuchodonosori: *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum*. Ubi patet, quod de materiali eleemosyna, & materiali misericordia loquebatur, quia Nabuchodonosor non erat spiritualis, sed totaliter temporalis: Ecce quod eleemosyna valet ei qui facit, etiamsi malus sit.

Item Lucæ 11. v. 41. *Verumtamen, quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*: & dicit unde debeant dare, cum ait, *quod superest, date eleemosynam*, idest de superfluo, temporali; quia ibi loquebatur Dominus Pharisæis qui mali erant. Item 14. v. 12. dixit Jesus quibusdam, qui invitati erant a Pharisæo, qui mali erant: *Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites: ne forte te & ipsi reinvitent, & fiat tibi retributio*; [v. 13.] *sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos* [v. 14.] *Et beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione justorum*. Constat autem, quod loquitur de materiali prandio; ad spirituale enim maxime vocandi essent amici, fratres, & cognati, & vicini, & bonum esset intendere reinvitari ab illis spiritualiter.

Item Lucæ 16. v. 9. dixit Christus: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*.

Item Lucæ 19. v. 8. Zachæus dixit ad Dominum: *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus: & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum*. [v. 9.] *Ait Jesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est*.

Item Actor. 10. v. 4. Legitur de Cornelio, quod dixit ei Angelus Domini: *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei*. Numquid iste adhuc erat bonus homo, scilicet Christianus verus & Sanctus? Non, secundum te, quia tantum postea ad verbum Petri cecidit Spiritus Sanctus super eum, ut dicitur in eodem cap. v. 44.; & tamen eleemosynæ ejus Deo placuerunt, ut patet ex textu.

Sunt autem qui putant eleemosynam materialem utilem esse bonis viris, sed si detur bonis, aliis autem numquam darent nisi propter vitandum scandalum, quia non est meritorium dare illis, qui mali sunt.

Contra hoc obijcitur illud, quod habetur Lucæ 6. v. 33. *Et si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt: quæ vobis est gratia? Si quidem & peccatores hoc faciunt*. [v. 34.] *Etsi mutuum dederitis his a quibus speratis recipere: quæ gratia est vobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia*. [v. 35.] *Verumtamen diligite inimicos vestros: benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes: & erit merces vestra multa, & eritis filii Altissimi; quia ipse benignus est super ingratos & malos*. Ecce quod meritorium est benefacere, & mutuum dare inimicis. Simile hujus habetur Matth. 5. v. 42. & seq. Constat autem, quod non loquitur hic de mutuo spirituali; ergo loquitur de temporali beneficentia: quod autem loquatur de mutuo temporali habetur ibidem.

Ad idem facit illud ad Galatas 6. v. 10. *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei*. Hoc autem dixit arguendo ex eo, quod præcesserat, ubi locutus fuerat de semine v. 8. nec dubium quin de materiali, ut patet 2. Corinth. 8. per totum cap. ut etiam dictum est in secunda parte hujus operis cap. 3.

[*] Idem etiam patet eo, quod ibi dixerat Apostolus ad Gal. 6. v. 6. *Communicet autem is, qui catechizatur verbo*, idest qui instruitur, *ei, qui se catechizat, in omnibus bonis*, idest de ipsis quæ habet; quod exponit Apostolus 1. Corinth. 9. v. 11. *Si nos vobis spiritualia seminavimus: magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* De ista autem communicatione laudat Apostolus 2. Corinth, 8. v. 4. Ecclesias Macedoniæ dicens: *Cum multa exhortatione obsecrantes nos gratiam, & communicationem ministerii, quod fit in Sanctos*. De qua communicatione Rom. 15. v. 26. *Probaverunt enim Macedonia, & Achaja, collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Jerusalem*. [v. 27.] *Placuit enim eis: & debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles: debent*

(1) Catharis vitio dabat Raynerus Sachonus *In Summ. de Catharis*, quod non largirentur pauperibus eleemosynam. Apud *Martenium in Extremo v. Tomo Thesauri Anecdot.*

[*] Quæ duobus asteriscis complexi sumus, desunt e *Codice Bononiensi*.

bent & in carnalibus ministrare illis. De hoc autem dixit Galat. 6. v. 9. *Bonum autem facientes non deficiamus ; tempore enim suo metemus non deficientes*. Quod autem sit illud bonum, dicitur 2. Corint. 9. v. 8. . . . *Abundetis in omne opus bonum* [v. 9.] *sicut scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus*: & ex illo verbo *metemus* &c. Concludit: *Ergo dum tempus habemus, operemur &c.* de hoc autem habetur 3. cap. 2. partis.

Ad idem etiam valet illud Lucæ 14. v. 12. *Cum facis prandium &c.* ut supra. [*]

Item Rom. 12. v. 20. *Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi.* Hoc autem non intelligitur de esurie, & siti spirituali, idest de esurie, & siti justitiæ, quia talis non esset inimicus; ergo intelligitur de materiali, & ita utilis est eleemosyna malis facta, & eis facienda est secundum doctrinam Apostoli.

Quod autem eleemosynæ a nobis factæ bonis valeant, patet 2. Corinth. 8. & 9. Item Galat. 6. v. 10. *Ergo dum tempus &c.*

Item Actor. 9. v. 36. *In Joppe autem fuit quædam discipula nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis, & eleemosynis quas faciebat &c.* Item Actor. 24. v. 14. *Confiteor autem hoc tibi, quod secundum sectam, quam dicunt hæresim, sic deservio Patri Deo meo &c.* & v. 17. *Post annos autem plures, eleemosynas facturus in gentem meam veni, & oblationes, & vota.*

Item 1. Johan. 3. v. 17. *Qui habuerit substantiam mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo Charitas Dei manet in eo?* Quod autem sequitur ex his, habetur 3. cap. 2. partis hujus operis.

CAPUT XIII.

De isto mandato: Non occides; & unde probent Hæretici persecutionem, & vindictam esse illicitam.

NUnc ad decimum tertium caput veniamus ad tractandum de hoc mandato: Non occides; & quia occisio persecutionis species est, prius videndum est de persecutione in genere; tripliciter autem persequitur quis alium, scilicet in re sua; de ista persecutione agitur in illo mandato *Non furtum facies*. Est etiam alia persecutio, qua quis alium persequitur lædendo ejus famam, scilicet maledicendo ei, vel de eo; de hoc dictum est 5. cap. hujus quintæ partis. Est etiam alia persecutio circa personam, cum aliquis alium personaliter affligit, vel de loco ad locum fugando, vel verberando, vel incarcerando, & maxime vitam corporalem ei tollendo. Dividitur autem hoc caput in duas principales partes. In prima ponuntur versutiæ eorum, quibus suadere nituntur non esse licitum alicui alium persequi in nullo casu: in secunda autem parte rationibus verissimis ostendemus contrarium.

PARS PRIMA.

§. I.

Unde probent hæretici, persecutionem & vindictam esse illicitam. (1)

SCiendum est igitur, quod hæretici Ecclesiam Dei, quæ est Ecclesia Romana, accusant de persecutione, dicentes (2) ipsam facere persecutionem, cum passura sit, non factura. Quod autem Ecclesia Dei non sit factura persecutionem alicui, volunt habere ex eo, quod nec Christus nec ejus discipuli inveniuntur fecisse persecutionem, sed potius sustinuisse; fugabantur, non fugabant; flagellabantur, non flagellabant; incarcerabantur, non incarcerabant; e contrario autem Ecclesia Romana, ut dicunt, se habet, quia expellit, & non expellitur, & sic de aliis.

Solutio: Non est necessaria persecutio ad salvationem; tamen quod Ecclesia Dei sit passura persecutionem concedo, sed non semper, nec ubique, nec hoc poteris ostendere o hæretice aliquo testimonio; alioquin si quis esset conversus ad Christum, quando, vel ubi talis persecutio non esset, non esset passurus persecutionem, igitur non esset salvus.

Præterea, si quis ad te converteretur, & statim moreretur, non esset salvus, quia nullam persecutionem habuisset.

Item, si persecutio necessaria esset ad salvationem, Apo-

(1) Nollent hæretici plerique omnes Ecclesiam uti vi ad compellendos ad veritatem amplectendam eos, qui a vera religione exciderunt. Donatistæ ætate Augustini in hoc errore versabantur, ut ex Augustino ipso liquet *Epistola* CLXXXV. *Cap.* V. *n.* 19. Cathari, & Valdenses deinde, ut ex hoc Monetæ loco plane constat, quod se ab Ecclesia, ut in bonam frugem converterentur, vexatos cernerent, Donatistarum probavere sententiam. Quare mirabile videri non debet, si hæretici hujusce temporis, iique imprimis, qui Remonstrantium sectam colunt, aut qui pulsi e Gallia jussu regis Christianissimi Ludovici XIV. fuerunt, cum alia pleraque Catharorum portenta, & monstra opinionum probent, hoc item amplexi sint, quod est contra *justam punitionem hæreticorum*. Ita factum est, ut post antiquiores, aliquot, a majoribns nostris vi summa argumentorum exagitatos, recentiore memoria prodierint aliqui, qui totis voluminibus Catholicos omnes conciderent, quod jus Ecclesiæ suæ putarent esse, hæreticos vi ad veritatem amplectendam adigere. Ac præter Johannem Clericum in *Not. ad Opera S. Augustini*, Barbeyracium *in Tract. de Morali Patrum Cap.* XII. Noodtum *in Orat. de Tolerant.* Petrus Bælius fusissime, copiosissimeque, sed impie tamen, ut solet, hoc de argumento disseruit. *In Commentar. Philosophico in verba Christi*: *Compelle intrare &c.* Verum erit cur rationes horum hæreticorum, ubi commodum cadet, solide, accurateque refellamus.

(2) Simile quidpiam objecerunt Catholicis Donatistæ; *apud Augustinum Epist.* CLXXXV. *ad Bonifacium Cap.* V. *n.* 19. Non discrepant juniores hæretici. Barbeyracius *Tract. de Morali SS. Patrum Cap.* XII. §. VIII. *Rogo*, inquit, *a Cellerio jure ne Dominus noster Jesus Christus discipulis suis minus adhuc illuminatis, negaverit, quod petebant, ut illis facultatem tribueret faciendi, ut ignis e cælo descenderet, & consumeret Samaritanos, genus hominum hæreticum, & Schismaticum? Verum juxta rationem dicendi Sancti Gregorii, & Censoris mei, hoc erat considerare dogmata cultumque Samaritanorum, ut verum, immo, ut veriorem cultu judæorum, quin potius, absolute loquendo, ut solum verum. Verum tam longe Servator ab hac cogitatione aberat, & a spiritu intolerantiæ, ut eos hac censura acriter damnaverit æque forti, atque suavi.* Nescitis cujus spiritus estis; Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare. *Luc.* XII. *Cap.* V. 54. *seqq.* Similia habent Bælius, ceterique, quos supra commemoravi.

Apoſtolus male fecit, quando rogabat pro pace Eccleſiæ 1. Timoth. 2. v. 1. *Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* (v. 2.) *Pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt: ut quietam, & tranquillam vitam agamus* (3) *in omni pietate, & caſtitate.* (v. 3.) *Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo.* Iſtud autem teſtimonium diſcutietur in ſecunda parte hujus capitis. Iſta etiam pax aliquando, & alicubi futura ipſi Eccleſiæ prophetata fuit per Iſaiam cap. 11. v. 9. *Non nocebunt, & non occident in univerſo monte Sancto meo, quia repleta eſt terra ſcientia Domini.*

Item Iſaiæ 35. v. 8. *Et erit ibi ſemita, & via, & via ſancta vocabitur* . . . . . (v. 9.) *Non erit ibi Leo, & mala beſtia non aſcendet per eam, nec invenietur ibi.* Et loquitur pro tempore adventus Chriſti, in quo Eccleſiam vidit in ſpiritu aliquando, & alicubi habituram pacem. Quod autem pro tempore poſtquam Chriſtus venit loquatur Iſaias, patet eod. cap. v. 4. *Deus ipſe veniet, & ſalvabit nos &c.*

Item Iſaiæ 60. & 62. idem patet, ibi enim agitur de pace Eccleſiæ. Valent autem iſta teſtimonia contra pauperes Valdenſes, & contra ponentes duo principia.

Item, quidam inducunt ad probandum perſecutionem non fore neceſſariam ad ſalutem, quod habetur Act. 9. v. 31. *Eccleſia quidem per totam Judæam, & Galilæam, & Samariam habebat pacem.*

Contra hoc inducunt illud, quod dicit Apoſtolus 2. Timoth. 3. v. 12. *Et omnes qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur.*

Item Act. 14. v. 21. *Et quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.*

Solutio: Licet omnes qui pie volunt vivere in Chriſto perſecutionem patientur, & licet per multas tribulationes oporteat nos intrare in regnum cœlorum, non tamen ſemper, nec ubique patiuntur eas, nec neceſſariæ ſunt ad ſalvationem; imo ſine eis poteſt eſſe ſalus; alioquin non liceret Eccleſiæ ſtudere, aut velle quod perſecutiones non fierent ei.

Præterea, cur laboratis ne perſecutiones vobis inferantur, ſi ſunt neceſſariæ, ut quis ſalvetur, & non poteſt aliter ſalvari?

Forte dicent: Non ſunt neceſſariæ tribulationes ad hoc ut ſalvetur Eccleſia, ſed neceſſariæ ſunt, ideſt non poſſunt non evenire.

Quod autem hoc falſum ſit, patet, quia illi qui eas inferunt, ex libero arbitrio eas inferunt, non ex neceſſitate, alioquin ſi ex neceſſitate hoc facerent, non peccarent. Poteſt etiam aliter ſolvi, & dici, quoniam duplex eſt tribulatio, & perſecutio, ſcilicet interior, & ſpiritualis; & exterior corporalis; Eccleſia Dei nunquam eſt ſine tribulatione, vel perſecutione hac vel illa, aut enim a dœmonibus tentatur, aut a pravis hominibus impugnatur, vel in re, vel in fama, vel in perſona.

Nunc redeamus ad illud quod prius objecit hæreticus dicens: quod Eccleſia Dei non ſit factura perſecutionem, ſed paſſura: & oſtendamus, quoniam & factura ſit, & paſſura perſecutionem. In primis autem dicimus, hæreticum contra veritatem fuiſſe locutum, cum dixit, quod Eccleſia Dei non expellebat, ſed expellebatur: conſtat enim ex verbis Apoſtoli, quod Chriſtus conſtituit Paſtores in Eccleſia, ut habetur ad Epheſ. 4. v. 12. Quomodo autem Paſtores eſſent, ſi paſtorale officium non exercerent. Nonne officium paſtorum eſt expellere lupos a grege ſuo? Utique; alioquin non paſtores, ſed mercenarii eſſent dicendi, teſte Domino Jo. 10. v. 12. qui ait: *Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cujus non ſunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit.* Nunquid dices, quod paſtor lupum perſequitur, quia fugat eum ab ovibus? Non, proprie loquendo; imo potius lupus paſtorem perſequitur, paſtor autem oves ſuas tuetur. Sed detur, quod perſequatur lupum, quia eum expellit: Nunquid etiam lupus ipſum paſtorem non perſequitur? imo; & non ne vides, quod una harum perſecutionum licita eſt, alia illicita? igitur non omnis perſecutio mala: falſum ergo dixiſti, dicens, quod Dei Eccleſia expellitur, non expellit.

Item, nonne Matth. 5. v. 29. dicit Dominus: *Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te.*

Item v. 30. *Et ſi dextra manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & projice abs te.*

Item ad Galat. 4. v. 30. *Ejice ancillam, & filium ejus*: iſta eſt vox liberæ: Quid per liberam niſi Eccleſia Dei ſignificatur? Ad Eccleſiam igitur Dei expellere ſpectat, & ipſa præceptum dat de expulſione

(3) Johannes Clericus, qui ſub nomine Pheroponi latere voluit, in ſuis ad *Epiſtolam Auguſtini* CLXXXV. §. 19. *animadverſionibus*, infamaſſe Auguſtinum, ait, univerſam Eccleſiam Chriſtianam, antequam eſſent Imperatores Chriſtiani, graviter ſemper de perſecutionibus, quaſi humanitati contrariis conqueſtam. „ Si „ enim, inquit, dicamus Chriſtianos antiquiores ea tantum de „ cauſſa vexationes damnaſſe, quod in ipſos exercerentur, non in „ Ethnicos . . . . habendi erant antiquiſſimi Chriſtianæ religionis „ patroni, callidi diſſimulatores; qui tempori dumtaxat ſerviebant; quam damnarent quaſi impia, & inhumana, quæ ipſi li„ bentiſſime feciſſent, ſi potuiſſent „. Verum vellem attuliſſet Pheroponus ullum veterum Chriſtianorum teſtimonium, quo omnem cujuſvis generis in incredulos perſequutionem damnarint. Nam Juſtinus, Athenagoras, aliique, qui pro Chriſtianis ediderunt Apologias, eo damnant perſequutiones in Chriſtianos excitatas, quod non juſtæ eſſent, ſed a calumnia ortæ; Juſtas autem perſequutiones non damnant. Quamobrem Athenagoras: *τρία*, inquit, *ἐπιφημίζουσιν ἡμῖν ἐγκλήματα, ἀθεότητα, θυέστεια δεῖπνα, Οἰδιποδείους μίξεις. ἀλλὰ εἰ μὲν ἀληθῆ ταῦτα, μηδενὸς γένους φείσησθαι.* &c. *Tria rumore quodam ſparſo nobis tribuuntur flagitia. Atheiſmus, Thyeſteæ cœnæ, & incerti concubitus: ſi quidem autem hæc ſunt, nulli generi parcite &c.* Quare Athenagoras, ultro tuliſſet perſequutionem, ſi quæ Chriſtiano excitata fuiſſet, ſi Atheiſmum revera coluiſſet. Non ergo damnabat juſtam perſequutionem. Multa generis ejuſdem offendere quiſque poteſt cum in *Legatione Athenagoræ*, tum in ceteris Chriſtianis Scriptoribus, qui primis tribus Eccleſiæ ſeculis floruerunt. Itaque Majores noſtri conquerebantur, non quod perſecutiones ſine ſummo ſcelere contra naturam, moveri non poſſe in quemquam cenſerent; ſed quod moveretur in eos, qui veram, ſanctamque colerent religionem. Iis enim pax danda erat, ut quemadmodum ait Apoſtolus, *tranquillam vitam agerent in omni pietate, & caſtitate.* Adeundus *Ludovicus Antonius Muratorius Lib.* II. *De Moderat. Ingenior. Cap.* X. ubi copioſe de hoc argumento diſputat.

ne quorundam, ficut ipfe Apoftolus docuerat 1. Corinth. 5., & ut verbis B. Auguftini utar: *Si bene difcutiamus veritatem, magis ancilla perfequitur liberam fuperbiendo, quam libera ancillam coercendo; illa enim Dominæ facit injuriam, ifta imponit ancillæ fuperbienti difciplinam.*

Præterea, nonne tu hæretice, fi quem in tua domo, & in tuo grege habeas, quem lupum exiftimares, nunquid illum tamen expelleres, & expelli faceres? in quo ergo alium judicas, te ipfum condemnas. Si tu ipfe aliquem de domo tua expellis, quare non licebit Epifcopo Ecclefiæ Sanctæ de domo Dei, ideft de Ecclefia lupos repellere?

Ad aliud autem quod dixifti, quod Ecclefia Dei flagellanda fit, & non flagellatura; & quod Ecclefia Dei flagellabatur, & non flagellabat.

Refpondeo: Nonne tibi videtur Chriftum membrum fuiffe Ecclefiæ? Utique; caput enim eft Ecclefiæ, unde 1. Corinth. 12. v. 27. dicit Apoftolus eis: *Vos autem eftis corpus Chrifti, & membra de membro.* Et nonne iftud membrum quod eft Chriftus, Johannis 2. v. 15. flagello facto de funiculis (4) quofdam de templo ejecit? Hic habes, quod Ecclefia, & ejiciebat, & flagellabat; falfum igitur dixifti dicens, quod Ecclefia Dei neminem flagellabat, & quod neminem flagellatura fit. Exemplum enim dedit Chriftus Paftoribus, ut ficut tunc ipfe & verbis, & verberibus de templo materiali illos ejecit; ita & paftores verbis, & verberibus utantur contra illos. Quod autem illud materialiter factum fit, evidens eft in quarta parte hujus operis in cap. de Deo Veteris Teftamenti in fine cap.

Adhuc objicit hæreticus illud Johannis 20. v. 21. *Sicut mifit me Pater, & ego mitto vos?* quod autem illis dixit, omnibus perfonis Ecclefiafticis dixit; ergo ficut Pater mifit Chriftum ad perfecutiones fuftinendas, non inferendas, ita Chriftus mifit difcipulos, & eorum fucceffores.

Solutio: Verum eft, quod Chriftus a Patre miffus eft ad perfecutiones fuftinendas; quod autem dixifti non faciendas, dico quod falfum eft: nonne tibi videtur, quod Chriftus improbos mercatores de templo expulit flagello facto de funiculis? nonne menfas eorum, ubi nummos tenebant, evertit, & eos duriffime increpavit? Nonne talia facere perfequi eft? Utique: nifi velis perfecutionem arctare ad perfecutionem injuftam: eft enim perfecutio jufta, & injufta; jufta eft quam facit Ecclefia inimicis fidei Chriftianæ, ut ab errore difcedant, & alios in errorem non mittant. De ifta perfecutione dicit B. Auguftinus (5) ad quemdam hæreticum: *Dic mihi; cujus vox eft ifta:* (Pfalm. 100. v. 5.) *Detrahentem fecreto proximo fuo, hunc perfequebar.*

Item Pfalm. 17. 2. 38. *Perfequar inimicos meos, & comprehendam illos: & non convertar donec deficiant?* Conftat quod vox Chrifti eft loquentis in Pfalmo illo. *Diligam te Domine &c.* ficut patet ex fine Pfalmi, ubi Chriftus in propria perfona dicit v. 50. *Propterea confitebor tibi in nationibus Domine, & nomini tuo cantabo*, ut dicit Apoftolus Roman. 15. v. 9.

Eft etiam perfecutio injufta, quam impii faciunt Ecclefiæ Chrifti, quorum etiam illa vox eft Pfal. 70. v. 11. *Perfequimini, & comprehendite eum: quia non eft qui eripiat*; de quorum etiam perfecutione Ecclefia ait ad Dominum: *inimici perfecuti funt me, adjuva me*: invenio igitur perfecutionem pati bonos a malis, & contra: miferi autem funt qui propter injuftitiam perfecutionem patiuntur; beati vero qui propter juftitiam, ficut Matth. 5. v. 10. veritas proteftatur; Et ideo ut verbis B. Auguftini utar (6) *Noli Hæretice perfecutiones generaliter arguere, non enim perfequor te, nifi eo modo quo veritas perfequitur falfitatem; tu vero e converfo me perfequeris, ut falfitas veritatem*; ex verbis enim Chrifti in Johanne non habes quod Chriftus & ejus difcipuli ad perfecutiones faciendas miffi non fint, fed ad eas faciendas miffi funt, fed juftas (7), ficut ad injuftas miffi funt fuftinendas, ut præoftenfum eft.

Inducunt etiam contra Ecclefiam illud quod habetur ad Galat. 4. v. 29. *Sed quomodo tunc is, qui fecundum carnem natus fuerat, perfequebatur eum, qui fecundum fpiritum: ita & nunc.* Ex quo volunt habere, quod ordo Romanæ Ecclefiæ fit fecundum carnem, non fecundum fpiritum.

Solutio patet ex jam dictis, in quibus oftenditur,

(4) En, ut coerceri improbi vi poffint. Nam fi Chriftus flagellis ejecit e templo nummularios, quod profanare domum Dei viderentur, fuit etiam exemplo Ecclefiæ, ut vi cogeret non credentes ad amplectendam fidem. Præftat autem hoc loco Barbeyracii argumentum *notatione fecunda* propofitum refellere. Non nego jure a Chrifto negatum fuiffe Apoftolis, quod petebant. Nam fi manfuetudine converti ad veritatem Samaritæ poterant; non erat cur oftentis illos perpetuo perire vellet fervator, qui in mundum, ut animos falvaret, defcenderat, *Melius eft, quidem*, ait Auguftinus *Epift.* CLXXXV. *n.* 21. *ad Deum colendum doctrina homines duci, quam pœnæ timore vel dolore compelli.* Ceterum rogo: jure ne Deus Petrum exaudierit, dicentem Saphiræ *Act.* V. *v.* 9. *Et ecce pedes eorum, qui fepelierunt virum tuum ad oftium, & efferent te.* Nam fi ex eo, quod Chriftus negavit Apoftolis facultatem *vocandi ignem e cœlo &c.* colligere licuit Barbeyracio, metu non effe trahendos ad fidem hæreticos; licere, concludet alius, morte etiam mulctare infidelem pervicacem, quod Petri verba exitum divina virtute habuerint. Jam vero multa funt in Evangelio, quæ ad veritatem plane fuadeant, compelli poffe, vi etiam adhibita, ad veritatem hæreticos. Sed hæc opportune alio loco a nobis difcutientur.

(5) Ex Epiftola XCIII. laudat Auguftini locum *Vide Tom.* II. *Opp.*

(6) Auguftinus *ibid.*

(7) Non probant hæc hæretici. Sed injuria. Scite Auguftinus: „ Ipfe Dominus, *inquit*, ad magnam cœnam fuam prius adduci „ jubet convivas, poftea cogi. Nam cum ei fervi fui refpondiffent: *Domine factum eft quod juffifti, & adhuc eft locus: Exite*, inquit, *in vias, & fepes, & quofcumque inveneritis, cogite intrare.* In illis ergo, qui leviter primo adducti funt, „ completa eft prior obedientia; in iftis autem, qui coguntur, „ inobedientia coërcetur. Nam quid eft *cogite intrare*; cum primo dictum effet, *adducite*, & refponfum effet, *factum eft quod juffifti &c.* „ Petrus Bælius *In Comment. Philofoph. in verba Chrifti: Compelle intrare. Tom. I. Cap. I.* ut hoc teftimonium Scripturæ eludat, *literali* fenfu intelligi illud non poffe contendit. 1. quod regula *explicandæ Scripturæ fit ratio; rationi autem diffonum fit, vim cuiquam ad religionem quampiam tuendam inferre.* Nam, ut ille ait, *in fpiritus actionibus confiftit adoratio: quare via infpirandi religionem, eft producere in animo fidem, & amorem. Negari autem non poteft vim non poffe hos effectus producere.* 2. *Pugnat Spiritum Evangelii fenfui literali hujufce textus adverfari; quod Character Chrifti fuerit humilitas, & patientia.* 3. *Senfum literalem* hujufce periochæ *funditus Ethicam omnem, divinam, atque humanam labefactare.* Verum quam hæc fint abfurda, quamque longe diftent a verita-

tur, quod dupliciter persequitur quis alium, juste scilicet vel injuste, unde non valet hoc argumentum: qui alium persequitur, est secundum carnem; sed ordo Romanæ Ecclesiæ alium persequitur; ergo est secundum carnem. Si dixisset, omnis qui alium persequitur, est secundum carnem; sed ordo Romanæ Ecclesiæ &c. bene sequeretur; sed hæc est falsa, omnis qui alium &c. nec Apostolus universaliter fuit locutus, sed dixit tantum *is qui*, non dixit *omnis qui* &c.

Præterea, nunquid omnis qui sustinet persecutionem est secumdum spiritum? Non: alioquin fures & latrones essent secundum spiritum, frustra igitur dixisset Petrus in cap. 4. Epistola 1. v. 15. *Nemo autem vestrum patiatur ut homicida, aut fur*.

Præterea ex isto Apostoli testimonio patet, quod Isaac secundum spiritum fuit, Ismael vero secundum carnem, & loquitur de Spiritu Sancto; igitur cum dicit Apostolus Rom. 8. v. 5. *Qui secundum spiritum sunt, quæ sunt spiritus sentiunt*; Isaac ille bonus erat, & Deus qui ei loquebatur, cujus præcepto, & promissione natus est ex Abraham.

Item objiciunt illud Matth. 5. v. 10. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam*, dicentes, se illos esse.

Solutio: Non patiuntur persecutionem propter justitiam, sed propter hæresim suam, qua & errant, & alios in errorem mittunt.

Præterea, o Cathari dicite mihi, de quibus loquitur Dominus cum dicit: *Beati qui persecutionem &c.* Nunquid de totali homine, scilicet interiori, & exteriori; si hoc est; ergo regnum cœlorum est interiorum, & exteriorum hominum; ergo corpora ista intrabunt in regnum cœlorum, & resurgent: Si dicatur ad illud de exteriori tantum loquitur, eadem est conclusio. Si tantum de interiori.

Contra: Interior tamen gaudet, secundum quod dicit Dominus Matth. 5. v. 12. *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis*.

Item Actor. 5. v. 41. *Et illi* (idest Apostoli) *quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*. Et merito gaudet, quoniam extrahitur de carcere; ergo non est ejus persecutio ista, sed exterioris; ergo loquitur de exteriori.

Præterea, nunquid hi qui in carcere aliquo sunt materialiter, & ibi durissime vivunt, dicerent se persecutionem pati ab his, qui carcerem frangerent, & inde eos liberarent? Constat quod non; ergo bonis hominibus non fuerunt persecutiones, cum de carceribus horum corporum extrahuntur, quia liberantur; ergo cum dicit: *Beati qui persecutionem patiuntur &c.* de totali homine fit sermo, & ita totalis homo beatus erit.

Similiter illud objiciunt Matth. 5. v. 11. *Beati estis cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversus vos mentientes*. Dicunt enim se ista pati a nobis.

Solutio: In persecutione ista, ut præostensum est, non est consideranda tantummodo ipsa persecutio, sed modus, & causa, utrum scilicet juste, vel injuste, an propter bonam vel malam causam; nos autem si malum de hæreticis dicimus, nec mendaciter illud dicimus, nec propter Christum, idest, quia ipsum credunt, vel ei serviunt, imo propter ipsorum sententiam perfidam de Christo, & de his quæ ad Christum spectant. Videmus autem Christum Matth. 5. v. 22. dicere: *Qui dixerit fratri suo fatue: reus erit gehennæ ignis*; & tamen ipse eos fatuos dixit, cum dicat Lucæ 24. v. 25. *O stulti, & tardi corde ad credendum*. Videmus etiam Paulum Galatas in locis pluribus stultos appellare. 3. enim cap. v. 1. dicit eis: *O insensati Galatæ*.

Item v. 3. *Sic stulti estis &c.* Nunquid propter hoc reus erit gehennæ ignis? Absit; & tamen vituperium eis faciebat, & sic eos persequebatur. Vides ergo, quod non quid fiat semper considerandum est, sed quo animo fiat; ergo non est prohibita persecutio quælibet, sed injusta, vel malo animo facta.

§. II.

Quod liceat malos punire, & ad bonum invitos cogere.

NUnc videamus de vindicta, quæ est una persecutionis species, an licita sit, & maxime de illa quæ fit per gladium. Quod autem vindicta licita sit, patet per illud quod legimus 1. Corinth. 5. v. 5. Paulum quendam Satanæ tradidisse (8) in interitum carnis, ut spiritus ejus salvus esset in die Domini nostri Jesu Christi. De quo testimonio quæro a te. Quid velit ibi Satanam dicere: Invenio

ritate, nemo est, qui non videat. Cetera namque, quæ mox adjungit argumenta, cum ratio postulaverit paucis repellentur. Interea hæc tria discutiamus, breviter quoad ejus fieri potest. Nego igitur Scripturam ratione una explicari oportere. Si ratio judex Sacrorum Bibliorum constituatur; magna orietur in Ecclesia rerum perturbatio, atque confusio. Quot sunt obsecro inter hæreticos dissensiones? quot Schismata? Tot hæreses sunt, quot capita. Non constat autem cui sit adjungenda fides; quippe cum universi ad suam provocent rationem. Sed hoc a Nostris Theologis, imprimisque a Bossuetio *in Collat. cum Claudio Ministro Calvinianorum*, copiose tractatum est. Nego rursum rationem cum sensu *literali* pugnare. Timor enim in caussa est, cur sæpe in se ipsos conversi homines ad meliorem se recipiant frugem. Alioqui minæ, terroresque, quos Deus Israelitis incutiebat, rationi fuissent contrarii. Pœnæ, & supplicia, quibus idololatriæ reos Judæos plectabant Principes in Veteri Testamento, rationi fuissent repugnantes, quo quid dici potest obtusius? Contra Spiritum Evangelii pugnare literalem sensum hujusce periochæ impium dictu est. Nam etsi Christus humilitatem, patientiamque coluerit, usus tamen aliquando rigore est, cum ejecit flagello ementes, ac vendentes de templo, quod *zelo domus Dei* duceretur. Nihil minus evertit, quam Divinam, humanamque Ethicam, hoc genus testimonii, si κατὰ λέξιν intelligatur. Nam quod ait, *qu' une chose injuste dans d' autres occasiones, devient juste, lors qu' elle est faite pour la bonne religion*; *Cap.* IV. Si quid probat, evertat necesse est funditus jus Sanguinis, quo fit, ut Principes vim, potestatemque obtineant animadvertendi in cives scelestos. Nam cum *Scelus* sit quemquam, *sine causa* interimere; *scelus* non est *cum causa*: adeoque *res alias injusta, justa fit*; cum adest causa.

(8) Rogo, num Bælio auctore *moralis divina, & humana* eversa a Paulo fuerit? Nam cum tradere Satanæ quemquam sine causa nefas sit; hoc fas tamen fuit in eo experiri, qui in incestum lapsus fuerat. Cum autem falsum sit Paulum Christianam Ethicen evertisse; falsum item erit sensum κατὰ λέξιν τῦ ῥητῦ *compelle intrare* humanam divinamque Ethicam labefactare.

nio enim Petrum dici Satanam. Matth. 16. v. 23. *Vade poſt me Satana*: invenio etiam ipſum Diabolum Satanam dici Apocal. 12. v. 9. Nunquid vis dicere quod Petro eum tradidit: hoc ſtare non poteſt: ſi enim illum Petro dediſſet, non præcepiſſet Eccleſiæ, ut eum de medio ſui tollerent (1. Cor. 5. v. 2.) nec poſtea dixiſſet v. 13. *Auferte malum ex vobis ipſis*. Si autem Satanam vis dicere ibi ſtatum ſuum pro ſtatu pœnitentiæ, interpretatur enim Satanas adverſarius; quare ergo illum præcepiſſet abjici, ſi ſtatui pœnitentiæ tradidiſſet eum?

Si autem dicis quod tradidit eum Satanæ, ideſt alicui adverſitati corporali, vel ipſi Diabolo propter interitum, ideſt gravem carnis afflictionem ei inferendam; ipſe igitur cum Eccleſia Corinthiorum eum afflixit, & ejiciendo, & corporaliter tribulando; licet ergo Eccleſiæ Dei hoc facere aliis, non tantum ſuſtinere.

Præterea 1. Timoth. 1. v. 20. Apoſtolus tradidit Satanæ Hymenæum, & Alexandrum, de quibus patet quoniam nec Petro, nec ſtatui pœnitentiæ tradidit eos; in fine enim 2. ad Timoth. 4. v. 15. præcipit Alexandrum vitari; igitur per Satanam intelligitur in Epiſtola ad Timotheum vel aliqua corporalis adverſitas, vel ipſe Diabolus; ergo & in Epiſtola ad Corinthios, & inde ut prius.

Si autem per Satanam ſermonem correctionis intelligas, quia vitiis hominis adverſatur; non curo; conſtat enim quod Apoſtolus tradidit eum in interitum carnis; ſed quomodo, niſi eum affligendo in carne: modo quæro, aut ille afflictionem ſuſcepit voluntarie, ſicut pœnitens de peccato ad mandatum Apoſtoli, aut non voluntarie. Primo modo non, quia non præcepiſſet ejici eum de medio Eccleſiæ, ſi vellet pœnitentiam agere; afflixit ergo eum in carne vellet, nollet; licet ergo Eccleſiæ affligere, & ejicere aliquos: nec habent propter hoc juſtam occaſionem conquerendi, ſicut nec filius de Patre, nec uxor de viro, nec ſervus de Domino affligente eum, ut compeſcat eum ab aliquo malo, & cogat ad aliquod bonum.

Præterea, nunquid bonus Satanas fuit iſte, cui Corinthius ille traditus eſt? ſi ille Satanas cui Paulus tradidit illum Corinthium bonus fuit, quia dedit eum illi, ut ſpiritus ejus ſalvus ſit in die Domini noſtri Jeſu Chriſti; ergo & ille qui datus eſt Paulo, quia propter bonum datus ei fuit, patet ibi: *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, ut me colaphizet* 2. Corinth. 12. v. 7. Ergo & ille cui ipſe tradidit Hymenæum, & Alexandrum, ut diſcerent non blaſphemare; quare ergo præcepit Alexandrum vitari?

Item, quod licitum ſit cogere aliquos ad bonum, ut vel ſic homines ſaltem coacti convertantur ad bonum, patere poteſt ex ſimilitudine poſita Lucæ 14. v. 17. & ſeq. ubi legitur quod Rex miſit ſervos ſuos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire, & ait ſervo ſuo: *Exi cito in plateas, & vicos civitatis: & pauperes ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc: Et ait ſervus: Domine factum eſt ut imperaſti: & adhuc locus eſt: & ait Dominus ſervo: Exi in vias, & ſepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea*. Vides quia de quibuſdam dixit Rex iſte *introduc huc*; de quibuſdam vero dicit, *compelle eos* (9) *intrare*: uſus eſt ergo lenitate primo, ſecundo ſeveritate, & coactione: Chriſtus autem ait Matth. 22. v. 2. Eccleſiam Dei, quam appellat regnum cœlorum eſſe ſimilem huic Regi, qui talia fecit; ergo & Eccleſia talia poteſt facere.

Sciendum autem, quod primum dictum eſt pro tempore Eccleſiæ adhuc parvulæ, antequam haberet vires compellendi: ſecundum vero pro tempore quo jam crevit, & habet vires conſtringendi in camo & fræno maxillas hæreticorum, qui non approximant ad Dominum. De hoc autem adhuc dicemus in ſequenti parte hujus capitis.

Item Actor. 9. v. 8. Paulus cæcitate percuſſus eſt corporaliter, ut per temporalem pœnam converteretur ad Chriſtum veram lucem, ut etiam corporaliter proſtratus, ſpiritualiter ſurgeret: ſi pœna non eſſet, non ab ea poſtmodum ſanaretur: [*] Et quoniam apertis oculis nihil videbat; ſi eos ſanos habebat, cur Scriptura commemorat Act. 9. v. 18. tanquam ſquammas inde cecidiſſe, ut poſſet videre? Vides igitur Chriſtum Paulum prius percuſſiſſe, deinde etiam docuiſſe interius. Exemplum ergo dedit Eccleſiæ ſuæ in hoc facto; ſicut etiam in parabola de Samaritano Lucæ 10. v. 34. qui infudit vinum & oleum vulneribus ſauciati. Vides Paulum utrumque ſe facturum Corinthiis prædixiſſe 1. Corinth. 4. v. 21. *Quid vultis? in virga veniam ad vos: an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis?* 2. Cor. 10. v. 9. comminans ait: *Ut autem non exiſtimer tanquam terrere vos per Epiſtolas*; [v. 10.] (*quoniam quidem Epiſtolæ, inquiunt, graves ſunt & fortes: præſentia autem corporis infirma, & ſermo contemptibilis*;) (v. 11.) *hoc cogitet qui ejuſmodi eſt, quia tales ſumus verbo per Epiſtolas abſentes, tales & præſentes in facto*; ideſt graves & fortes. Quibus

(9) Bælius ita eſt animo comparatus, ut ſemper κατὰ λέξιν hujuſce textus, eo falſum dicat eſſe, quod infideles inde merito anſam poſſent arripere ad impediendam Evangelii propagationem. At non negamus id fuiſse etiam Ethnicis perſuaſum, ut patriam ſuam religionem vellent arrepti armis defendere. Nulla enim gens fuit, quæ non animadverterit in eos, qui novos cultus introducere conarentur. Quod argumento magno eſſe debet; inſtinctu quodam naturæ duci homines ad ſuæ religionis conſervationem. Verum id quærimus, jure ne, an injuria perſequuti Chriſtianos Ethnici fuerint? His enim multa præſto ſunt documenta, quibus evidenter credibilem probant eſse Chriſtianam religionem: illi vero non item. Quo circa advertere debebant animum, atque in examen ſua dogmata revocare. Atque hoc quidem mecum Bælius fateatur neceſse eſt, ſi eſt Chriſtianus. Concedat enim oportet noſtram Religionem *evidenter* credibilem eſse, *evidenter* autem falſam illam *Ethnicorum*: Quod cum ita ſit, jam impie, ſceleſteque Ethnici in Chriſtianos, Catholici autem jure in hæreticos animadvertant oportet. Cum enim nos certo ſciamus veritatem a nobis propugnari, hæretici autem dubitent ſaltem de ſua fide oporteat, quod non rationi nitatur, quam ſcimus labi facile poſse in rebus præſertim obſcuris, quare tot excitantur inter illos diſsenſiones. Rurſum noſtræ originem a Chriſto; per Apoſtolos, & Patres ſucceſſionem oſtendimus, hæretici vero a Calvino, aut Luthero, vel ſi altius repetenda illorum primordia ſunt, a Petro Vualdo, ortum ducunt. Verum de his copioſe noſtri Theologi diſputant.

[*] Quæ duobus aſteriſcis complexi ſumus, deſunt e *Codice Bononienſi*.

bus autem comminetur, patet cap. 12. ejusdem Epist. ubi ait v. 20. *Timeo enim, ne forte cum venero, non quales volo inveniam vos: & ego inveniar a vobis, qualem non vultis: ne forte contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones sint inter vos* (v. 21.) *Ne iterum cum venero humiliet me Deus apud vos: & lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitia quam gesserunt.* (cap. 13. v. 1.) *Ecce tertio hoc venio ad vos: In ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum* (v. 2.) *Prædixi, & prædico ut præsens, & nunc absens iis, qui ante peccaverunt, & cæteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam.* Unde etiam cap. 10. v. 6. dixerat: *Et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam,* supple incorrigibilium, *cum impleta fuerit vestra obedientia*; idest plene obedientes mihi aliqui ex vobis; quasi dicat; per obedientes vindictam sumam de aliis, sicut etiam fecit de illo Corinthio, quem congregatis aliis sibi obedientibus, & suo spiritu in virtute Domini Nostri Jesu Christi tradidit Satanæ 1. Corint. 1. v. 5. Ecce videmus Christum caput Ecclesiæ ferientem, & consolantem: (10) similiter etiam Paulum idem facientem, ut præostensum est, & iterum ostendi potest ex eo, quod habetur Actor. 13. ubi v. 10. vituperatur a Paulo Elymas Magus, & tamen vituperium persecutio est; deinde quia homines Deo creditores a fide retrahebat, ad increpationem Pauli cæcitate percussus est per manum Domini super eum, non videns solem usque ad tempus. v. 11. Quod ideo factum est, ut cæteri territi, prædicationem ejus non impedirent, sed in Christum credentes animi fugerent cæcitatem: unde legitur v. 12. quod Proconsul cum vidisset factum, credidit admirans super doctrina Domini. Quod autem de materiali cæcitate intelligatur patet, quia Proconsul illud materialiter vidit, & quia prius illam cæcitatem non habuit, erat enim Elymas prius spiritualiter cæcus mala cæcitate, unde & confestim cecidit in eum caligo, & tenebræ, v. 11.

Præterea idem patet ex eo, quod ibi habetur v. 11. *Et circuiens quærebat qui ei manum daret.* Licet igitur Ecclesiæ Dei persequi blasphemos hæreticos, & alios malefactores exemplo Christi, & Pauli.

§. III.

Unde probent hæretici, quod bellando non licet se defendere, nec in alium vindicare, & quod Ecclesiæ non licet facere bellum.

Isti etiam hæretici omne bellum detestantur tanquam illicitum, dicentes, quod non sit licitum se defendere, vel alium per bellum, quare nec vindictam facere, maxime vindictam mortis.

Ad hoc inducunt illud, quod habetur Matth. 10. v. 23. *Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam*: dicentes, Papam non fugere, imo bellum indicere Imperatori, & auxilium belligerantium a multis quæsivisse, cum tamen non inveniatur in Evangelicis, & Apostolicis viris aliquid petitum a Regibus terræ pro Ecclesia defendenda contra inimicos ejus.

Solutio: Si istud non invenitur, non ideo est, quia fuisset illicitum, sed quia si fuisset petitum, non fuisset impetratum; ut enim dicit B. Augustinus adhuc implebitur illa Prophetia Psal. 2. v. 1. *Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati sunt inania* (v. 2.) *Astiterunt* (11) *reges terræ, & principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus*; nondum autem impletur illa Prophetia ejusdem Psalm. v. 10. *Et nunc reges intelligite: erudimini qui judicatis terram.* Quis enim Rex, vel Imperator, vel Dux tunc in Christum credebat? Quis eis pro pietate contra impietatem auxilium tulisset, aut bellando, aut legem contra impios promulgando?

Præterea, non ne Paulus impetravit auxilium brachii sæcularis a Tribuno, cum notæ factæ fuissent insidiæ quorumdam Paulo, qui devoverant se non manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum, ut habetur Actor. 23. v. 12. & seq.? Si Paulus ad tutelam propriæ personæ, ut se utilitati multorum servaret, ducentos milites impetravit armatos, & equites septuaginta, & lancearios ducentos, ut ibi habetur v. 23. Cur arguis Papam, si ad defensionem Ecclesiæ impetrat auxilium brachii sæcularis?

Si autem dicas, quod Paulus non impetravit tunc milites nisi ad terrendum: dicas, quid si studio occidendi eum, tunc insidiatores illi venissent contra Paulum, sicut poterat contingere, nonne in manus militum incidissent? Igitur bellare non

(10) Johannes Barbeyracius *Tract. De Moral. Patrum Cap.* XII. §. 12. Non obtinere ait virtutem a vi atque impetu, ut immutet ingenium, aut spiritus dispositionem. Nam si homo stupidus sit, non fit violentia perspicacior. Immo vero vis id habet proprium, ut homines reddat pervicaciores: illudque acriter post tueantur, quod ante verisimile tantum putarant esse. Verum non ita se rem habere, constat ex iis Scripturæ locis, quæ afferuntur a Nostro. Cur enim vi usus fuisset Paulus, cur rigore Apostoli, qui hæreticos pelli, qui redargui contumaces volebant? Experientia autem liquet rigore plerosque ad fidem reductos fuisse. Id quod etiam de Donatistis affirmat *Epist.* CLXXXV. Augustinus. Quid? quod præter alios multos, Johannes Veccius Patriarcha Constantinopolitanus, in carcerem ab Imperatore conjectus, ut ad veritatem Catholicam amplectendam cogeretur; tum demum in se reversus, Patrum commentarios petiit, quos ubi legit, continuo profiteri cæpit, ac subinde tutari Spiritus Sancti a Patre, & Filio processionem? Quod si iis non prodest timor, qui torquentur, proderit quidem certe illorum filiis, ac successoribus, quos non auderent pervertere. Quid quod Italia nostra, nisi is rigor fuisset adhibitus, non esset immunis ab hæresi; sed ita ut nunc Anglia, esset in factiones divisa? Vide ejus Orationem *De Unione Ecclesiarum.* I. *Græciæ Orthodoxæ apud Allatium.* Verum solverat multo ante hoc argumentum Barbeyracii Augustinus. *Epist.* CLXXXV. *ad Bonifacium.* Consulitor doctissimus Ludovicus Antonius Muratorius *Libro* II. *De Moderatione Ingeniorum, in extremo cap.* X.

(11) Augustinus *Epist.* CLXXXV. *ad Bonifacium num.* 19. non iisdem tamen omnino verbis.

est semper illicitum: alioquin Paulus erat reus, quia rei sunt mortis, non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus; ipse enim provocavit Principem, ut illos bellatores sibi daret, & voluit ut suæ defensioni per illos intenderet.

Si autem dicas, bene sciebat, aut firmiter sperabat illos insidiatores non esse venturos; Cur ergo milites voluit habere secum? quare eos non recusavit, & quare eos fecit laborare, & expensas frustra secum facere in via? Potest ergo uti Ecclesia militibus, & principibus ad defensionem Populi Christiani, & ut facultas delinquendi adimatur malis.

(12) Ad primum autem, quod dixisti Papam non fugisse; Dico, quod non semper debet fugere Pastor; sed quando solus quæritur; quare tunc potest fugere, & utilitati Ecclesiæ suæ se illæsum servare, sicut Paulus fecit; si autem quæruntur oves, tunc se opponat lupis non parcentibus gregi ejus; alioquin non est Pastor, sed mercenarius, ut habetur Johann. 12. v. 12. In primo casu, quando soli quæruntur, dictum est Prælatis primitivæ Ecclesiæ Matthæi 10. scilicet Apostolis, ut de una civitate in aliam fugiant, & ad utilitatem ovium se custodiant.

Obijciunt etiam illud, quod habetur Matth. 10. v. 16. *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*; Se enim oves dicunt, non autem lupos: Ecclesiam autem lupum esse, non autem oves. At quod dicunt, hoc esse mirabile, cum non inveniatur, quod oves persequantur, vel occidant lupos, nos e contra occidimus, & persequimur eos.

Solutio: Etsi non inveniantur oves lupos persequi, & occidere; invenimus tamen, quod Pastores ovium lupos persequuntur, & occidunt; unde dico, quod vos non patimini persecutiones a nobis, ut oves vel agni a lupis, sed ut lupi a Pastoribus, & canibus. De istis canibus ait David Psalm. 58. v. 15. *Convertentur ad vesperam, & famem patientur ut canes*. Per vesperam enim novissima hora significatur 1. Johan. 2. v. 18. *Filioli novissima hora est, & sicut auditis quia Antichristus venit: nunc Antichristi multi facti sunt, unde scimus quia novissima hora est*; nos autem a vobis patimur ut agni a lupis.

Præterea, nonne credis Christum agnum & ovem esse spiritualiter? Credis utique; dicitur enim Actor. 8. v. 32. *Tanquam ovis ad occisionem ductus est: & sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum*: Paulus etiam fuit ovis, & agnus, & tamen fugavit lupos ab Ecclesia, ut ostensum est.

Si dicas: ad minus non occidebat eos: Respondeo: Numquid si hoc non fecerunt, ideo non licitum est facere istud? imo teste Apostolo 1. Cor. 8. aliqua licita sunt, nec tamen expediunt, quæ licet non fierent a Paulo, non tamen illicita erant; aliqua enim licita fuerunt Apostolis, quæ tamen facere minime potuerunt, quoniam adhuc Ecclesia erat parvula. (13)

Præterea, si velles diligenter attendere, non negares Apostolos occidisse. Legitur enim Actor. 5. v. 1. & seq. quod Petrus defraudatores pretii agri venditi, Spiritui Sancto mentientes, ad verbum suum interfecit; Cum enim dixisset Petrus Ananiæ (v. 4.) *Non mentitus es hominibus, sed Deo*: statim sequitur v. 5. *Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expiravit*.

Præterea: Quare dixit ei Petrus, *non es mentitus hominibus, sed Deo*? nonne loquebatur Petro? Utique, quando illud mendacium dixit; ergo mentiebatur Petro; Quomodo ergo dixit Petrus, quod non erat mentitus hominibus, sed Deo? Videtur falsum dixisse, nisi ibi aliud intelligatur, quam verba sonant; & quid est illud, nisi quia non tantum hominibus, sed etiam Deo mentitus erat, quia Deus erat in Petro, & ejus fraudem, & mendacium revelavit ei, & ad verbum Petri punivit, ut sit verum (Psalm. 5. v. 7.) *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*, quosdam hic, quosdam autem in futuro; *qui loquuntur* dicit, ut notet perseverantes, & non pœnitentes de mendacio.

Si autem dicas mihi: Quomodo Petrus occidit eum, vel Deus per Petrum? Dico, quod per verbum increpatorium. Si dicis mihi, fac & tu similiter, non aliter. Respondeo: Dummodo quis occidatur, non differt an verbo, an gladio.

Nunc redeamus ad verbum Domini: *Ecce ego mitto vos &c.* Dicas mihi; quid appellat Dominus oves, numquid tantum interiores homines, vel tantum exteriores, vel utrosque simul? Si isto modo, vel secundo: quare igitur culpas exteriorem hominem, idest carnem?

Præ-

(12) Negari nequit, quin aliquando necesse sit Pastorem præsentem adesse, neque fugam arripere, si salus, & necessitas ovium id omnino postulet. Jam vero non ex Evangelio solum, verum etiam ex ipsa ratione res patet. Pastor enim animam suam pro ovibus suis ponat oportet. Verumtamen, si neque ovium salus id postulet, neque ipsi Pastori expediat, fas erit eidem vitare periculum, atque fugere persecutionem. Consule *Augustinum Epist. 180. ad Honoratum. Cyprianum Ep. 56. & Athanasium in Apologia pro fuga sua*.

(13) Hoc illud est profecto, quod maxime displicet hæreticis. Nollent enim Ecclesiæ, imo vero principibus Laicis jus esse interimendi eos, qui non recte de fidei rebus sentirent. Verumtamen errant vehementer. Nam quod ad Regum attinet Potestatem, quis nesciat eos vim obtinere afficiendi extremis suppliciis publicæ tranquillitatis perturbatores? Nulla autem res est, quæ pacem publicam magis labefactet, quam differentia religionum. Ac notæ quidem nobis sunt turbæ, & factiones in Gallia, & Germania ab Lutheranis, Anabaptistis, & Calvinianis religionis caussa excitatæ. Cum ergo Reges publicæ tranquillitatis vindices sint, si falsam introduci in Rempublicam religionem cernunt, quidni auctores sceleris tanti interficere jure poterunt? Ac factum sane id a Regibus in Vetere Testamento fuit, quin Deus illorum agendi rationem improbarit. Imo vero probavit Deus, quemadmodum memoriæ commendatum a Sacris Scriptoribus fuit. Rursum si Princeps cernat Populum in interitum sempiternum ruere, quidni impediet, siquidem potest? Cur obsecro, vi adhibita, pœnis, timore Israelitæ Reges, populum ab Idololatria avocare conati sunt probante Deo? Si hoc jus regibus adimendum est, quod ad illos non spectet de Religionis negotio judicare; adimendum quoque Regibus Veteris Testamenti fuisset; qui maximi sceleris rei fuissent animadvertendo in idololatras. Merito igitur Imperatores Christiani leges in hæreticos tulerunt. Venio ad Ecclesiam. Fateor mansuetam illam esse oportere. A si satis esse non potest suavitas, ne pervicaces æternum pereant, cum ipsi omnium salus plurimum cordi esse debeat, utatur necesse est vi, siquidem commodum fuerit. Non autem discrepat ab hoc argumento quod animadvertit Moneta de Ananiæ, Saphiræque interitu. Neque vero Christus damnavit eos, qui arbitrati fuissent obsequium præstare Deo, *ad Præsides, & reges ducendo* Apostolos, eosque interficiendo, nisi quia injuste egissent veram persequendo religionem. Ceterum id non agit Ecclesia; sed Principi tradit hæreticos pervicaces, & præcipuos, ut illos mulctet.

Præterea, cum Dominus dicat Ezech. 34. v. 11. *Ecce, ego ipse requiram oves meas, & visitabo eas;* (v.12.) *Sicut visitat pastor gregem suum in die, quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum: sic visitabo oves meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerant, in die nubis, & caliginis;* Corpora ista sua sunt, & ipse visitabit ea, & liberabit.

Præterea, cum Dominus dicit Johan. 10. v. 28. *Et ego vitam æternam do eis*, ipse dabit vitam æternam corporibus istis. Si autem primo modo vis sumere, ideft pro hominibus interioribus tantum. Dic mihi, quare dicantur aliqui homines lupi, nisi quia occidunt oves spirituales, sicut illi carnales? si autem hoc est, quare audes me lupum dicere, si te occido? non enim occido hominem interiorem; ergo non devoro Domini ovem; ergo non sum lupus rapax ovium Domini, sed tu ipse, qui homines interiores devoras, lupus rapax es intrinsecus. Valet autem maxime hæc objectio contra ponentes duo principia, imo etiam contra omnes Catharos, qui intrinsecus sunt lupi rapaces, a quibus Dominus cavere jubet Matth. 7. v. 15. *Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*; de quibus etiam Paulus ait Act. 20. v. 29. *Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.*

Objiciunt etiam illud, quod habetur Matth. 5. v.38. *Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo, & dentem pro dente* (v.39.) *Ego autem dico vobis non resistere malo.*

Sed istud solutum fuit in secunda parte hujus operis de Deo Veteris Testamenti in prima radice. Hoc tamen ad præsens dicimus, quod nomine mali homo malefactor significatur; sed nunquid si sine læsione ipsius possum coercere eum, ne me lædat, pecco? Verbi Gratia brachia ejus tenendo: Constat, quod non: & tamen videtur quod sic, cum ego resistam malo: nonne Paulus resistit illis malefactoribus, qui devoverunt se occidere ipsum? Act. 23. Constat, quod tunc restitit malo, tunc non dedit locum iræ illorum; numquid peccavit? Absit; ergo si ad sonum literæ accipiantur verba Domini, non est præceptum, sed consilium tantum resistere malo, ad quod consilium non obligamur, licet bonum sit: sicut etiam illud, quod sequitur eodem vers. *Sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*, ut ostensum est in cap. de Deo Veteris Testamenti. Si autem vis aliquem alium sensum ibi ponere, dic illum, & ostende per aliquod testimonium Scripturæ illum sensum esse verum, ego enim id, quod dixi, ratione, & testimonio confirmavi in cap. de Deo Veteris Testamenti.

Si vis dicere, quod resistere idem est, quod referre, sive revindicare. Dico, quod præceptum est hoc subditis, scilicet ut non vindicent, sed vindictam propriæ injuriæ relinquant superiori.

Si autem dicat Valdensis, quid additum est ad illud, quod dictum est antiquis, cum Dominus dixerit Matth. 5. v. 20. *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum Cœlorum.* Dico, quod in sensu primo quem posui, & quem aperte vult litera Evangelii: *Sed si quis &c.* aliquid est additum non per modum præcepti, sed per modum consilii: in sensu autem illo, *non resistere*, ideſt non vindicare se, non est aliquid additum, imo illud est sublatum subditis: *Oculum pro oculo &c.*

Ad quod melius intelligendum sciendum est, quod illud mandatum antiquis datum dedit Dominus per Moysen, & pro læsis, & lædentibus aliquem temerarie, & injuste: pro istis dedit illud, scilicet, ut eos timore pœnæ retraheret a proximi læsione temeraria, & injusta; pro læsis autem dedit illud, ne scilicet supra acceptam injuriam se vindicarent, sed pro pari parem redderent talionem; solent enim injuriati ira commoti non servare modum in vindicta, imo pro verbo injurioso, vel alapa, aut pro simplici vulnere injurianti mortem inferre; ne autem hoc faciant datum est eis oculum pro oculo tollere; non quod subditi benefacerent, sed quia non poterat Moyses manus læsorum omnino retrahere a vindicta, saltem voluit iram eorum contemperare; & erat permissum eis ut hoc facerent ad vitandum pejus; sicut & divortium fuit eis permissum quacumque ex causa ad duritiam cordis eorum, & sic credebant sibi licere divortium, ita & credebant sibi licere legem talionis per se sine judice: istud autem permissum erat eis, sicut & illud, quod habetur Numeror. 25. v.19. ubi habetur, quod ille qui solo casu occiderat aliquem, si extra civitatem refugii inveniebatur, propinquus occisi poterat eum occidere, non quia non peccaret, sed quia lex eum non puniebat. Quod autem peccet ille qui occidit eum extra urbem refugii repertum, patet, quia ille innocens erat, qui in civitate refugii manere debuerat, non enim erat homicida, quia non est homicida, nisi ex corde procedat, ut habetur Matth. 15. v. 19. Hoc autem modo sublatum est subditis, quia non sunt judices aliorum. Datum etiam fuit illud mandatum judicibus aliorum, ut erudiantur secundum modum culpæ servare modum vindictæ, quoad hoc, quod judicibus datum fuit, adhuc manet: etenim eis licet alienas injurias modo debito vindicare, & etiam proprias, non in quantum homines, alioquin omnibus aliis hominibus idem liceret, sed in quantum judices sunt, eorum enim injuria redundat in rempublicam, vindicant enim suam injuriam, ut injuriam, reipublicæ, & amore correctionis illius, & aliorum, non ex odio injuriantis personæ; in hoc etiam nostra justitia abundantior est, quam Scribarum, & Pharisæorum, quia ibi permissum erat eis vindictam sumere, etiam privatis personis, hic autem non; aliquid enim licet uni, quod non licet alteri: Istud patet omnibus etiam hæreticis: similiter dico, quod aliquid licet Judici, quod non licet non Judici.

Objiciunt etiam illud Matth. 5. v. 40. *Et ei qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere: dimitte ei & pallium*; quales erant illi, qui rapinas bonorum suorum cum gaudio susceperunt, ut habetur Hebræor. 10. v. 34. Numquid sic facit Romana Ecclesia? Certe non.

Solutio ad primum est: quod sicut de injuria personæ dictum est *si quis te percusserit &c.* non est præceptum sed consilium, ut patet in Paulo Actor. 23. qui alteram maxillam non præbuit; nec Christus Johannis 18. v. 22. Ita & istud, quod dicitur de injuria ablationis rerum. *Et ei qui vult &c.* Licet tamen repetere sua sine contentione, alioquin ut dicit Apostolus 1. Corinth. 6. v. 7. potius debemus pati fraudem, quam contendere cum fratre in judicio; propter hoc dicitur Lucæ 6. v. 30. *Qui aufert, quæ tua sunt, ne repetas*, scilicet cum contentione.

Præterea, hæretici repetunt sibi ablata, & si tunica eis tollitur, non dant propter hoc eis pallium.

Præterea, quod illud sit tantum consilium, patet ex eo, quod sequitur v. 41. de injuria servitutis, quando scilicet non lædit fidelem percutiendo, nec ei injuriatur res suas ei auferendo, sed cogendo eum sibi servire, ut in captivitate fieri solet, patiatur istud fidelis, & serviat ei etiam plus, quam præcipit: sed numquid peccaret fidelis si in media via aufugeret, & evaderet manus ejus, qui angariavit eum, dummodo possit hoc facere? Non.

Ad illud autem, quod dicit Apostolus, patet solutio: quia per illa verba non prohibetur repetitio rerum suarum sine contentione; constat enim judicia sæcularia fore necessaria in Ecclesia, ut patet 1. Corinth. 6. v. 4. ut probabimus in secunda parte hujus capitis.

[*] Contra illos, qui duo ponunt principia potes hoc dicere: Mirum est cum vos licitum asseratis Populum Dei rebellare, & defendere se in Cœlesti Patria contra inimicos suos, & occidere eos, in tantum quod sanguis effusus ascendit in altum, ut dicitis, usque ad frænos equorum, & cucurrit per stadia mille sexcenta, idest per ducenta milliaria in longum: quod negatis Populum Dei contra inimicos suos pugnare, & defendere se posse in hoc mundo; si enim in illo tam pulchro & sancto loco potest fieri bellum materiale licite, multo fortius in isto turpi, & iniquo. Hoc autem argumento potes uti contra illud, quod dicunt de bello materiali facto in Cœlo, super quo disputatum est 1. lib. cap. 1. in secunda parte cap. Cum enim eloquium Dei, & lex ejus data sit Populo suo, & Populus Dei sit æternus ut dicitur, qui nunquam fuit sine lege Dei sui, alioquin fuisset malus; lex igitur eis ab æterno fuit, & ita data illi Populo in Cœlo; ergo & *non occides* ab æterno ibi ei datum fuit, similiter & *diligite inimicos vestros*; ergo nunquam fuit ibi licitum occidere. Hoc eodem modo argumentandi potes uti cum inducunt illud verbum; *ego autem dico vobis non resistere malo*: item cum dicunt *non vos defendentes &c.* ipsi enim in Cœlo restiterunt, & se defenderunt. [*]

Objiciunt etiam illud Matth. 5. v. 44. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos*, (v. 45.) *Ut sitis filii patris vestri, qui in Cœlis est*. Quomodo istud observat Judex Ecclesiæ Romanæ, cum occidit malefactorem, vel etiam ille qui querimoniam facit apud Judicem?

Solutio contra Valdenses ista est: Si propter hoc quod tenemur inimicos diligere, non licet vindictam facere, aut petere de aliquo; ergo eadem ratione non licuit in Veteri Testamento; legitur enim Levitici 19. v. 17. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum*. Item v. 18. *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum*.

Præterea, est ne omnis occisio ex odio? Non: Abraham enim volebat occidere Isaac (Genes. 22. v. 10.); nunquid oderat eum? Non. Sicut igitur Abraham non odio personæ voluit illum occidere, sed desiderio obediendi mandato Dei 22. Genes. v. 1. & seq. Ita etiam modo Princeps, qui occidit aliquem malefactorem non ex odio debet hoc facere, sed amore justitiæ. Nonne Moyses quosdam de Populo Israel occidit gladio propter idololatriam? Exodi 32. v. 28. Nunquid hoc ex odio fecit? Non: quod ostenditur per verba orantis pro peccatis eorum, & dicentis v. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam: aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti*. Nonne Elias manu propria multos interfecit? 3. Reg. 18. v. 40. Item 4. Reg. 1. v. 10. & seq.? Sed nunquid ex odio? Absit, nisi forte velis dicere odium ultionem peccati eorum.

Solutio autem ad omnes hæreticos est: quia in prædictis verbis dilectio divina nobis imitanda proponitur; sic enim ait v. 45. *Ut sitis filii Patris vestri, qui in Cœlis est*, idest imitatores; Constat enim, quod Dominus quos diligit punit, & velint, nolint eos affligit: imo etiam occidit; unde David ait Psalm. 77. v. 34. *Cum occideret eos, quærebant eum*, quia quibusdam occisis de populo, alii convertebantur ad ipsum.

Item Matth. 22. v. 7. *Perdidit homicidas illos, & civitatem illorum succendit*. [*] Igitur si quæris a me quomodo diligit Princeps malefactorem? Dico quomodo dilexit Deus istos. Item quomodo diligit illum, quem Matth. 22. v. 13. ligatis manibus, & pedibus jubet mitti in tenebras exteriores, ubi est fletus, & stridor dentium: Nonne dicit David Psalm. 138. v. 21. *Qui oderunt te Domine oderam*. Simul igitur possum odire, & diligere inimicum, diligere affectu cordis, odire affectu ultionis. [*] Si igitur sic Dominus diligit inimicos, ut tamen ultionem sumat de eis; ergo cum nostra dilectio imitatrix esse debeat dilectionis divinæ, nostra dilectio non excludit ultionem inimicorum.

Præterea; nunquid Paulus illum non dilexit, quem Satanæ in interitum carnis tradidit? 1. Cor. 5. v. 5. Nunquid Alexandrum non dilexit, quem vitari præcepit? 2. Timoth. 4. v. 15. Nunquid illos non diligebat Johannes de quibus ait in 2. Epist. v. 10. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis?* Restat igitur, quod præceptum dilectionis potius ad cordis dilectionem, & benevolentiam pertineat, & non ad relaxationem impunitatis, sed ut

[*] Quæ duobus asteriscis complexi sumus, desunt e *Codicibus Bononiensi*, & *Vaticano*.

[*] Desunt hæc, quæ duobus asteriscis comprehendimus ex *Codd. Bonon.* & *Vatic.*

ut de inimicorum perditione doleamus, eorum salutem desideremus, pro eorum correctione laboremus, & oremus.

Contra illos Catharos, qui duas ponunt creationes potes dicere: Nunquid doctrina Christi generalis est *diligite inimicos vestros &c.*? Si dicat, quod non; ergo non teneor omnes inimicos diligere; si autem hoc est; ergo per hoc, quod dicit *diligite inimicos vestros, &c.* non prohibet occidere omnes, sed tantum illos, qui diligendi sunt; ergo licebit occidere aliquos.

Præterea, si non est universalis doctrina Christi, quomodo cognosces, qui inimici sint diligendi, & qui non? si autem generalis est doctrina de dilectione omnium inimicorum, quomodo ergo audes ponere duas creationes? Nunquid homines contrariæ creationis sunt diligendi? Non, cum diligere sit bonum ei, qui diligitur, velle.

Item contra hos Catharos, & etiam alios dic: quod Abraham licet diligeret Isaac, nihilominus tamen voluit eum occidere propter obedientiam, laudat enim Apostolus Hebr. 11. v. 17. & seq. Abraham de hoc facto; similiter Jacobus 2. cap. v. 21. & seq.

Præterea contra omnes Catharos dicas: Quid appellat Christus inimicos in verbis Matth.? aut homines exteriores tantum, aut interiores tantum, aut utrosque simul: si tantum interiores; ergo solum illi diligendi sunt; ergo per hoc, quod dicitur *diligite inimicos vestros*, non tollitur occisio hominum exteriorum, qui non sunt diligendi; si autem venit pro hominibus exterioribus, vel pro toto homine; ergo corpus diligendum est; ergo non est opus Diaboli.

Præterea, de qua dilectione loquitur ibi Dominus? si de spirituali tantum; ergo non de carnali; ergo non debeo eum diligere secundum carnem; si de carnali; ergo carnalis dilectio a Deo est, & ipsa caro ejus opus est.

Objiciunt etiam illud Matth. 5. v. 44. *Benefacite his qui oderunt vos.*

Solutio prima contra Valdenses: Quia idem præceptum erat in Veteri Testamento, ubi dicitur Exod. 23. v. 4. *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum.*

Item Exod. 23. v. 5. *Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo*; constat enim, quod illud erat benefacere inimico.

Item Prov. 25. v. 21. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere*; (v. 22.) *prunas enim congregabis super caput ejus, & Dominus reddet tibi.* Quod etiam repetit Apostolus Rom. 12. v. 20. Per hoc ergo non excluditur ultio, sicut nec in Veteri Testamento; exhortatio ergo de benefaciendo inimicis, de cibandis eis, aut potandis non excludit vindictam, sed requirit, ut delinquenti correctio, & naturæ subsidium ministretur, donec sententia de eis per judicem detur, uti dari debet.

Contra Catharos alia via incedendum est, & quærendum de quo benefacere loquitur ibi Dominus, de corporali, vel materiali, aut de spirituali; si de corporali; ergo per benefacere corpori inimici fit homo Filius Dei, sic enim, dicitur ibi, *ut sitis filii &c.*

Præterea; ergo cum dicit v. 45. *Qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos*, loquitur de isto materiali sole, & materiali pluvia; ista ergo non sunt opus diaboli, sed Dei.

Si autem loquitur de benefacere spirituali; non prohibetur ergo ultio corporalis, cum tantum de spirituali sit sermo. De illo autem verbo *si esurierit inimicus tuus &c.* disputatum est in secunda parte hujus operis cap. 3.

Præterea, nunquid omnibus inimicis benefaciendum est, vel tantum quibusdam? Si omnibus; ergo illis qui sunt malæ creationis; ergo dæmonibus præcipit Christus benefacere; si tantum aliquibus, quomodo discernam quibus sic, & quibus non? Istud opponendum est illis, qui duo ponunt principia.

Præterea, quomodo servavit hoc Johannes, qui dicit in 2. Epist. v. 10. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis.*

Objiciunt etiam illud Matth. 5. v. 44. *Et orate pro persequentibus, & calumniantibus vos*; & ponit hic duo genera inimicorum, quidam enim nocent manu, istos dicit persequentes; quidam nocent lingua, hos appellat calumniantes; prius posuerat aliud genus inimicorum, qui nocent corde, scilicet odientes:

Solutio: Sed propter hoc non excluditur, ne ultio fiat a Judicibus.

Præterea dic, quomodo Prophetæ, qui imprecabantur aliis, istud observabant? Item quomodo observavit Paulus hoc Actor. 23. v. 3. *Percutiat te Deus, paries dealbate.* Item hoc habetur in secunda parte hujus operis, in 1. parte de Deo Veteris Testamenti.

Præterea, quomodo observabat hoc B. Johannes, qui dicit in Epist. 1. cap. 5. v. 16. *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis?*

Præterea, de qua creatione est iste de quo ait, *non pro illo dico ut roget quis?* si enim de bona creatione est, videtur quod nunquam dabitur ei vita, si oretur pro eo; de alio autem dicit, quod non oretur pro eo, & quare, nisi quia non daretur ei vita; vel si daretur, malum esset non orare pro eo. Si autem alterius creationis est, quomodo dicitur, quod fecit peccatum ad mortem? Modo dic, de qua morte loquitur; nunquid de ista temporali? Non; quia utriusque creationis homines ad istam tendunt; si de spirituali; sic ergo videtur, quod possit mori spiritualiter: Contra: semper fuit, & erit mortuus spiritualiter; ergo non potest amplius sic mori.

Objiciunt illud Matth. 6. v. 14. *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum: dimittet & vobis Pater vester Cœlestis delicta vestra*; (v. 15.) *si autem non dimiseritis hominibus: nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra*: unde Luc. 6. v. 37. *Dimittite, & dimittemini.*

Solutio ad Valdenses est: quoniam idem habetur

tur in Veteri Teſtamento Levitici 19. v. 18. *Non quæras ultionem, nec memor eris injuſtitiæ civium tuorum*: Et tamen a Judice non tollebatur, quin poſſet facere vindictam; ergo nec modo propter hoc, quod ait *dimittite &c.*

Omnibus autem hæreticis dic: quod illud præceptum intelligitur de dimiſſione rancoris cordis, quod patet Levit. 19. v. 17. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo;* Et tamen nihilominus poterat fieri ultio a Judice. Hoc etiam idem patet ex eo, quod habetur Matth. 18. v. 28. & ſeq. ubi legitur v. 34. Quod Dominus quidam iratus tradidit ſervum tortoribus, quoad uſque redderet univerſum debitum, quia noluerat dimittere conſervo ſuo; unde Chriſtus ait v. 35. *Sic Pater meus Cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris*. De dimiſſione igitur rancoris cordis intelligitur illud dictum, & ideo non intelligitur de dimiſſione ultionis, cum Paulus ultionem fecerit, & paratus fuerit ulciſci omnem inobedientiam 2. Corinth. 10. v. 6. in fine autem ejuſdem Epiſt. v. 2. capitis ultimi, dicit, quod ſi iterum venerit, non parcet inobedientibus, qui non pœnituerunt; ſi non parcet, quomodo dimittet, quomodo igitur ſervabit mandatum Domini *dimittite &c.*? Quomodo etiam volebat ſervare mandatum Domini, qui 1. Corint. 4. v. 21. dicebat ſe venturum in virga niſi ſe corrigerent? Quomodo dimiſit illi, quem expelli præcepit & Satanæ tradidit 1. Corinth. 5. v. 5. in interitum carnis?

Præterea nonne & tu tranſgreſſores tuos corporaliter punis, cum gravi jejunio eos affligis?

Si dicis: Non occido eos, nec Paulus illos occidebat, quibus ultionem inferebat.

Reſpondeo: Tamen ultionem ſumebat, ut præoſtenſum eſt, & tu vindicas in eum qui offendit; quomodo ergo dimittis, quomodo obſervas mandatum Domini *Dimittite &c.*? Dico ergo, quod per illud verbum Domini *dimittite* non excluditur vindicta a Judice.

Si autem dicas mihi, quod non tollitur omnis ultio, ſed occiſio; oſtende hoc aliquo teſtimonio; hic enim non habes, quod magis tollatur hæc ultio, quam alia; aliud eſt peccatum, & aliud eſt ultio peccati, peccatum dimittendum eſt fratri ab Eccleſia ſi pœnitet; ultio tamen non eſt dimittenda. Quod autem dixi, ſi pœnitet, patet ex verbis Domini Lucæ 17. v. 3. *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum: & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi*; ſcilicet peccatum: non dixit vindictam, ut patet Matth. 6. v. 14. *Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum &c.* non dixit vindictam; tunc autem homo dimittit peccatum in ſe peccanti, cum dolet de peccato ejus, & deſiderat pœnitentiam, & converſionem ejus, & orat pro eo, & tamen vult quod puniatur ad ſuam vel aliorum correctionem.

Catharis autem qui duo ponunt principia, & Valdenſibus poteſt dici, quod Jeremias non dimittebat illis ultionem, contra quos dicebat cap. 11. v. 20. *Tu autem Domine Sabaoth, qui judicas juſte, & probas renes & corda, videam ultionem tuam ex eis.*

Item Iſaiæ 2. v. 8. *Opus manuum ſuarum adoraverunt, quod fecerunt digiti.* v. 9. *Et incurvavit ſe homo: & humiliatus eſt vir: ne ergo dimittas eis.*

[*] Objiciunt etiam illud Matth. 11. v. 29. *Diſcite a me quia mitis ſum, & humilis corde.* Quomodo ergo Princeps hoc addiſcit, qui occidit?

Solutio: Si non ex ſuperbia, nec ex iracundia hoc facit, mitis eſt, & humilis corde. Nonne Abraham volebat occidere Iſaac? Utique; non tamen ex ſuperbia, vel ira, ſed ut obediret Domini mandato. Geneſis 22. v. 21. & ſeq. Ergo licet quis occidat malefactorem, nihilominus tamen eſt mitis & humilis corde, ſicut etiam amat eum corde, ut Abraham Iſaac.

Item Sapient. 12. v. 18. loquens de vindictis Domini dicitur: *Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate judices.* Similiter & Princeps Dei miniſter facere debet. [*]

Objiciunt etiam illud Lucæ 6. v. 36. *Eſtote ergo miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.*

Solutio patet ex eo quod ſequitur: *Sicut & Pater veſter miſericors eſt.* Ipſe autem licet miſericors ſit, nihilominus poteſt ultionem ſumere de offenſis; quare licet Judex miſericors debeat eſſe reo, nihilominus tamen poteſt ultionem ſumere de ipſo.

Valdenſibus etiam dicas: quoniam & in Veteri Teſtamento præcipiebatur miſericordia, Levit. 19. v. 17. *Non oderis fratrem tuum*; & tamen ultio fieri poterat. Iſta igitur miſericordia ad effectum cordis referenda eſt, dolendo ſcilicet de peccato ejus &c. ut ſupra diximus.

Catharis autem & omnibus hæreticis poteſt induci illud quod dictum eſt ſupra de Paulo parato ulciſci &c. ut ſupra diximus.

Si autem vult dicere, quod hæc ultio ibi prohibetur, ſcilicet occiſio. Dico: proba hoc aliquo teſtimonio.

Objiciunt etiam illud Lucæ 6. v. 37. *Nolite judicare, & non judicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini.*

Solutio ad hoc ferenda eſt quærendo, utrum credat quod Dominus omne judicium ibidem tollat. Si dicat quod ſic; quomodo ergo ſtabit quod Dominus ait Johan. 7. v. 24. *Nolite judicare ſecundum faciem: ſed juſtum judicium judicate*?

Præterea, ſi tollit omne judicium; quare ergo Paulus 1. Corinth. 6. v. 4. conſtitui jubet judices in Eccleſia de rebus ſæcularibus? Dico ergo, quod non tollit judicium illis, qui officium habent judicandi, ſive qui ad hoc ſunt conſtitui, ſed tollitur illis, qui non habent hoc officium.

Sciendum autem, quod eſt judicium occultorum, & illud tollitur hominibus; unde 1. Corinth. 4. v. 5. *Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* De talibus, ideſt de occultis ibidem v. 4. dicit Apoſtolus: *Qui autem judicat me, Dominus eſt.* Eſt autem aliud judi-

[*] Hæc quoque deſunt e *Cod. Vat. & Bonon.*

judicium, quod sibi Dominus reservavit, scilicet illius, cujus crimen notum est judici, attamen illud probari non valet. Istud docet Dominus exemplo suo, qui Judam solus furem noverat, nec eum abjecit, sed eum usque in finem tolleravit; unde & Dominus Matth. 18. v. 15. & seq. modum judicandi statuens dicit: *Si peccaverit in te frater tuus: vade & corripe eum inter te & ipsum solum*. Est etiam judicium eorum quæ foris sunt; istud etiam tollitur nobis 1. Corinth. 5. v. 12. *Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare? Nonne de iis, qui intus sunt, vos judicatis?* v. 13. *Nam eos qui foris sunt, Deus judicabit*. De hoc etiam habetur Roman. 14. v. 4. *Tu quis es, qui judicas alienum servum?* Est etiam aliud judicium contra innocentem factum, & istud omnino tollitur Matth. 12. v. 7. *Si autem sciretis quid est, Misericordiam volo, & non Sacrificium: nunquam condemnassetis innocentes*. Prius v. 3. & seq. ostenderat discipulos excusabiles, idest innocentes de hoc, quod colligebant spicas in Sabbato, & fabricabant manibus, & edebant propter necessitatem: modo autem cum dicit: *Si autem sciretis* &c. excusabiles apud illos eos ostendit, propter misericordiam indigentiæ, quæ præfertur Sacrificiis animalium: ipsi autem quia immisericordes erant, discipulos judicabant: Tertio ostendit eos excusabiles, & ita innocentes, propter auctoritatem latoris legis de observantia Sabbati, cum dicit v. 8. *Dominus enim est filius hominis etiam Sabbati*. Unde & dispensare potest cum illis.

Objiciunt etiam illud Matth. 13. v. 24. *Simile factum est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo &c.* Quæ auctoritas disputata est contra utrosque in prima parte hujus operis cap. 8. Unde ad præsens videamus utrum hic sit prohibita eradicatio hominum.

Videtur enim quod sic, ex eo quod Mat. 13. v. 28. servis quærentibus a Domino: *Vis, imus, & colligimus ea?* v. 29. *Et ait: Non; ne forte colligentes Zizania eradicetis simul cum eis & triticum*. v. 30. *Sinite utraque crescere usque ad messem*. Quid autem sit messis, Dominus determinat v. 39. *Messis vero consummatio sæculi est. Messores autem Angeli sunt*. (14)

Ad hoc potest multipliciter responderi: Primo sic, ut per zizania intelligantur illi homines mali, qui sibi ipsis mali sunt, alios autem non corrumpunt a fide separando, vel corporaliter occidendo; hi enim zizania dicuntur, quia zizania non destruunt triticum, licet umbram faciant ei, & ipsum aliquantulum impediant; hoc autem potest colligi ex verbis Domini, qui ait servis: *Sinite utraque crescere*; non dixit zizania crescere, sed sinite utraque, idest zizania, & triticum: quasi dicat, nolite nunc eradicare zizania, quoniam salvo cremento tritici tollerari possunt.

Præterea, *Sinite utraque crescere*, idem est quod sinite zizania crescere, & sinite triticum crescere: modo dic mihi, nunquid præceptum est servis, quod sinant crescere zizania, vel tantum consilium? si tantum consilium, & non præceptum; ergo non obligatur servus ad observandum illud: si autem præceptum est, quomodo ergo stabit, quod legitur Apocal. 2. ubi arguitur Angelus Thyatiræ Ecclesiæ a filio Dei, qui ait ei v. 20. *Sed habeo adversus te pauca: quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit propheten, docere & seducere servos meos*: Constat quod per Jezabel intelliguntur falsi Prophetæ, qui alios corrumpunt & destruunt triticum, & convertunt illud in zizania, & sic augmentantur zizania ex tritico; Dominus autem arguit istum Angelum, idest Episcopum, quia sinebat zizania crescere; peccabat ergo quia sinebat hoc; ergo non debebat illud sinere. De eodem arguit Angelum Pergami. Apocal. 2. v. 12. Ergo quod dictum est: *Sinite utraque &c.* non intelligitur nisi in illo casu, quando salvo tritico tollerari possunt zizania, si sacris admonitionibus convertantur ad Ecclesiam; hodie enim hæreticus est, cras potest esse catholicus.

Et nota, quod non dixit Dominus, sinite lupos devorare oves, vel ignem comburere triticum; unde patet quod per zizania intelliguntur illi, quos dixi: nonne vides quod Judæi non interficiuntur a Christianorum Principibus, qui tamen in fide nobis sunt contrarii; hoc autem est quia sua doctrina Christianos non pervertunt. (15)

Potest etiam aliter solvi, & dici: quod eradicatio de agro, idest de mundo, quæ est idem quod occisio, non est prohibita omnibus servis, sed tantum Clericis; non est prohibita potentatibus, & principibus, nisi in casu; sic enim ait: *Sinite utraque crescere usque ad messem*; & dicit causam: *ne forte colligentes zizania eradicetis simul cum eis & triticum*. In duobus ergo casibus non licet eradicare; quando ibi est *forte*, & quando cum zizaniis eradicaretur triticum; ergo cum nulla alia sit causa nisi ista

(14) Et Cathari, & Valdenses negarunt, fas esse judicibus quemquam occidere, si deliquerit; quod, velut constituto generali quodam principio, concludere tandem possent; ne ratione quidem falsæ religionis licere cuiquam adimere vitam. Sed primam illam sententiam Catharorum, atque Valdensium negant hæretici juniores. Ultro namque fatentur jus esse regibus, iisque omnibus, qui publica gaudent auctoritate in reos animadvertere. At quod consequens ex ea opinione erat, facile quidem probant, velut ante animadvertimus. Commodum autem huc cadit, quod de *tolerantia* sentiunt hæretici novi. Eodem enim, atque hæc Catharorum oppositio recidit. Oportere siquidem ajunt, ut in pace, atque tranquillitate sinant vivere incredulos, quod Judex *vivorum, & mortuorum* separaturus sit *triticum a zizaniis*. Verum si hæc ratio valeret; quæ tandem esset pax? quæ tranquillitas in Ecclesia? Scio Bælium respondere, eo nasci perturbationes in republica, quod *intolerantia* in causa sit. At in omnibus Sectis dari tolerantia deberet, quod fieri experiundo non potest. Sua namque Sectæ quæque dogmata defendere volunt. Inde inimicitiæ oriuntur, dissensiones, bella &c. Hæc ut tollantur mala, excidendæ Sectæ universæ sunt, servandaque vera religio. Rursum continenti experientia constat, argumentis prima specie solidis, debilibus tamen reipsa, incautos plerosque transversos agi, atque ita perverti. Ne autem veræ religionis cultores detrimentum ullum patiantur sempiternæ salutis, caveat necesse est reipublicæ Princeps, qui *Dei minister est in bonum .... Non enim sine caussa gladium portat, Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit*. *Rom. Cap.* XIII. *v.* 4. Agit autem malum, qui veram fidem tollere ex animis credentium studet; quare plecti a vindice jure poterit.

(15) Atque hinc quidem solvi poterit, quod contra Cellerium ait Barbeyracius *Tract. de Morali Patrum Cap.* XII. §. 1. Pugnat enim numero *persequutorum* haberi non oportere *Da-*

ista quam Dominus ponit, cessante ista cessabit effectus, & ita tunc licebit eradicare quando crimen notum est, nec dubium est judici, nec simul cum eo eradicat innocentem. Quod autem ista sit bona solutio evidenter apparet in 1. Corinth. 8. v. 13. ubi dicit Apostolus: *Quapropter si esca scandalizat fratrem meum: non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Vide o Valdensis, quod Apostolus dicit, quoniam in æternum non manducabit carnem, idest nec usque ad messem, nec post eam: non dicit hoc absolute, sed ponit causam, & casum, in quo non manducabit carnes, scilicet ne fratrem suum scandalizet; si autem istud *ne* non esset ibi, liceret ei comedere; ergo si illud *ne* non fuerit, quod Dominus ponit in prædicta parabola, liceret eradicare.

Si autem contenderet, & diceret: quod *forte* non sumitur ibi quasi dubitative. Adminus habes unum casum, scilicet *ne simul*, in quo casu tantum prohibet Dominus eradicationem.

[*] Nonne vides quod Dominus prohibet quandoque servo suo, ne colligat zizania de agro materiali, non quia malum, sed quia servus ille tanquam minus cautus simul cum eis extirparet materiale triticum; sic est hic: Ergo eradicatio hominis malefici non est prohibita, quia mala sit, sed ne illud malum inde accidat, scilicet tritici eradicatio cum zizaniis; unde Genes. 18. v. 25. dixit Abraham: *Absit a te Domine, ut rem hanc facias, & occidas justum cum impio, fiatque justus sicut impius, non est hoc tuum, qui judicas omnem terram: nequaquam facies judicium hoc.* In hoc casu tantum prohibita est eradicatio zizaniorum, scilicet, cum triticum cum eis simul extirpatur: non enim otiose dixit *simul cum eis*, nullum enim Christi verbum otiosum.

Præterea, ut patet ex verbis illis *ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum*; patet quod Dominus illud non dixit, nisi ut parceretur tritico; ergo noluit parci zizaniis in tritici detrimentum; ergo quando non potest eis parci sine tritici detrimento, noluit eis parci. [*]

Huic autem casui magis adhærendum est propter vitandam contentionem hujus adverbii *forte*, & maxime propter illud quod ibi dicitur v. 26. *Cum autem crevisset herba, & fructum fecisset: tunc apparuerunt & zizania*; & loquitur de herba tritici, qua crescente in cognitione veritatis facile est discernere zizania, & cognoscere ea; tamen quandoque apparent aliqui esse zizania, qui non sunt zizania. unde Johannes (16) super libro judicum: ubi peccatum evidens non est, ejicere de Ecclesia neminem possumus, ne forte &c. Non tamen de eradicatione ab Ecclesia in illa parabola loquitur, sed de eradicatione a mundo; agri enim nomine non Ecclesia, sed mundus significatur, ut dicit Remigius (17) super Matth. etsi tamen eradicatio ab Ecclesia prohibita est, ubi crimen notum non est, multo fortius eradicatio de mundo.

[*] Præterea aliter, & valde rationabiliter solvi potest, quod loquatur de materiali collectione; istam enim prohibet Dominus, quod patet ex Domini expositione v. 38. *Zizania autem filii sunt nequam*, scilicet omnes illi, qui alligandi sunt in fine sæculi in fasciculos ad comburendum: *Bonum vero semen: hi sunt filii regni* in horreo patris familiæ collocandi; ergo per Zizania intelligitur numerus damnatorum, & per bonum semen numerus salvandorum, qui venturi sunt ad regnum patris eorum: prohibuit autem eis istam universalem collectionem propter duas causas, una causa est, quia non erat illorum servorum facere eam, nec velle tunc fieri, sed Angelorum; alia est quia non erat tempus collectionis hujus, aliqui enim de electorum numero nondum erat conversi, qui triticum sunt, & filii regni per providentiam Dei, qui simul cum zizaniis, idest simul cum filiis nequam, scilicet cum damnandis, & alligandis in fasciculos ad comburendum, tunc essent eradicandi; nonne vides quod dicitur de eo Apocal. 6. v. 10. a quibusdam: *Usquequo Domine, (Sanctus, & verus) non judicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra?* v. 11. *Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ: & dictum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum, & fratres eorum, qui interficiendi sunt, sicut & illi.* Nota, quia dicit *conservi*, ut manifeste appareat quod sicut Deus non excludit desiderium suorum occisorum pro Christo de vindicta universali eorum, qui habitant in mundo isto, sive de judicio mundi universali, ita nec desiderium suorum adhuc viventium exaudire vult adhuc de eodem.

Præterea, ex ordine posterioritatis boni seminis in agro hujus mundi ad zizania patet, quod ista parabola non intelligitur post adventum Christi tantum, sed ab initio sæculi usque ad finem. Ordo patet ex eo, quod dicit litera v. 25. *Venit inimicus ejus, & superseminavit zizania in medio tritici.* Antecedit enim seminatio superseminationem; ergo bonum semen antecedit zizania. Sed post adventum Christi e contra fuit, quoniam ipse Christus superseminavit bonum semen in agro mundi zizaniis jam seminatis; ergo non intelligitur parabola post adventum tantum. Idem etiam potest haberi ex eo quod Dominus in expositione parabolæ dicit v. 38. *Ager autem est mundus*, non distinguens an mundus ante adventum Christi, an post, sed simpliciter.

Præterea, idem patet ex expositione boni seminis,

Davidem, Salomonem, Oziam, Josaphatum, Ezechiam, Josiam &c. quod non punierint peregrinos paganos, sed tantummodo illos, qui cum addicti essent religioni Judaicæ, in idololatriam incidebant. Verum id quidem est. Non enim Ecclesia Ethnicos, aut Judæos nolentes cogit ad Christianam religionem tuendam; sed eos tantummodo, qui cum Catholici fuerint, in hæresim inciderunt, aut sese reddunt suspectos hæreseos. Quamobrem si juste se gesserunt Israelitici reges, juste se quoque gerat Ecclesia necesse est. Verum si Ethnici illi, qui tum erant, invadere in rempublicam voluissent, aut deterrere a fide Israelitas; nonne reges veri Dei cultores in eos jus, potestatemque suam exercuissent? Nos ergo Judæos, Ethnicosque non vi arbitramur, sed persuasione reducendos ad fidem; sin autem illi converti nolint, non eos plectimus, modo tamen nullam in rempublicam, nullam in Ecclesiam, nullam in membra Ecclesiæ nostræ inferant partem incommodorum. Atque hoc quidem argumentum ex regum Israelitarum exemplo petitum magni ponderis esse, ultro fatetur *Bælius* 1. *object.* 1.

[*] Non extant in *Cod. Vat. & Bonon.*

(16) Nescio quis hic sit Johannes, quem *super Judicum* Libro scripsisse affirmat noster.

(17) Altissiodorensis floruit an. 880.

[*] Desunt hæc e Codicibus *Bonon. & Vat.*

nis, quia ait v. 38. *Bonum vero ſemen : hi ſunt filii regni . Zizania autem filii ſunt nequam* . Conſtat enim quod per filios regni, non intelligit tantum ſalvandos, qui fuerunt poſt Chriſtum, ſed omnes ; & per zizania omnes damnandos : ſtatio ergo iſta a principio mundi eſt intelligenda ; parabola ergo de ſemine, & zizaniis totum tempus ab initio ſæculi uſque ad finem ejus comprehendit . Igitur ſi licuit ante adventum Chriſti occidere, etiam poſt ipſum non obſtante iſta parabola . [*]

Contra Catharos adhuc aliter poteſt dici : Conſtat quod ager eſt mundus ſecundum expoſitionem Domini v. 38. Aut iſte mundus, aut alius ; ſi iſte mundus ; ergo ipſe eſt creatura Dei boni, & in eo ſeminavit filios regni ; hoc autem non credit qui duo principia ponit ; ſcilicet quod iſte mundus a Deo bono ſit ; ſi vero alius mundus ſignificatur per agrum, de alio non eradico ; quare ergo me arguis de eradicatione, ideſt de occiſione per iſtam parabolam, niſi quia in hypocryſi loqueris mendacium ?

Præterea, ſi alius eſt, ideſt cœleſtis mundus ; ergo adhuc ibi ſunt zizania, ideſt filii nequam, & erunt uſque ad conſummationem ſæculi . De hoc autem plenius habetur 8. cap. primæ partis .

Si autem mundus eſt Eccleſia, ager igitur eſt Eccleſia . Contra : Secundum expoſitionem Domini, aliud eſt ager, & aliud ſemen, quod recipit ager ; ſemen autem eſt filii regni ; ſi filii regni ſunt ipſa Eccleſia ; ergo ſemen eſt Eccleſia ; ergo ager ſive mundus non eſt Eccleſia .

Præterea, ſi agrum ideſt mundum ſumis ſpiritualiter ; ergo & eradicationem de agro ſpiritualiter debes accipere ; ſed proba quod dicis aliquo teſtimonio, quod ager ſive mundus dicatur Eccleſia .

Præterea . Nonne de Eccleſia facienda eſt eradicatio ſpiritualis ? Utique, ut præoſtenſum eſt, & Paulus eam fecit, quando quoſdam tradidit Satanæ, ut habetur 1. Corinth. 5. v. 5. & 1. Timoth. 1. v. 20.

Præterea . Nunquid loquitur de extirpatione corporali ? ſi non; ergo non facit contra me, qui extirpo corporaliter ; ſi autem loquitur de corporali. Contra : Zizania ſunt filii nequam, iſti ſunt malæ creationis, ſicut filii regni bonæ creationis ſunt ; nunquid Dominus dedit mandatum de illis non eradicandis ? ſic ſic ; ergo illi ſunt proximi filiorum regni, dicit enim Apoſtolus Rom: 13. v. 9. *Non occides . . . . . . Et ſi quid eſt aliud mandatum : in hoc verbo inſtauratur : Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum* .

[*] Præterea ut patet ex verbis Domini, non prohibet eradicari zizania, niſi ſimul eradicetur & triticum ; ergo ſi iſtud non eſſet, liceret eradicare zizania . [*]

Præterea, Dominus dicit v. 39. quod meſſores ſunt Angeli ſui ; iſti autem metent in fine ſæculi zizania ; ergo eradicabunt ea ; ergo occident materialiter . Quomodo poſſunt hoc facere, ſi malum eſſet ?

[*] Præterea, ad claudendum os ejus poteſt dici Catharo : Aut hoc præceptum eſt Romanis, aut non . Sic ſic ; ergo ipſi ſunt ſervi patrisfamilias, & non ſunt zizania, ut patet ex parabola, quæ diſtinguit inter ſervos & illa ; ergo ipſi ſunt Eccleſia Dei ; ſi non eſt datum eis, dic ei : *Ubi enim non eſt lex, nec prævaricatio* . Rom. 4. v. 15. [*]

Catharus qui unum ponit principium dicit, quod ager eſt mundus iſte, & eſt boni Dei per creationem ; cui dicendum eſt iſtud, quod notatum eſt ſpecialiter contra eos 8. capite primæ partis hujus operis .

Contra omnes Catharos dic : Quid appellas tu eradicare ? ſi occidere materialiter ; dic ergo mihi quid tu appellas zizania, vel triticum ? Si animam tantum, non poſſum occidere ; ergo non poſſum illam eradicare, cum eradicare ſit occidere materialiter : fruſtra igitur dixit eis Dominus, quod non eradicarent zizania : *ne forte colligentes zizania eradicetis ſimul cum eis & triticum* . v. 29. Vel oportet quod verbum Domini non intelligatur de eradicatione materiali, quod ſi verum eſt, in illa ergo parabola non prohibetur eradicatio materialis .

Si autem dicas mihi, quod per bonum ſemen, & per zizania intelligitur hoc corpus, vel totus homo conſtans ex anima & corpore ; iſte ergo totus homo eſt filius regni ; ergo totus erit in regno ; ergo caro iſta poſſidebit regnum Dei .

Præterea : ergo corpus iſtud a Deo ſeminatum eſt, & factum ; inſuper oportebit dicere, quod corpora zizaniorum reſurgant, & ponantur in inferno, ut habetur ex fine parabolæ, ubi dicitur v. 42. *Et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, & ſtridor dentium* .

Item, dicit hæreticus : volo quod illud obſervetur quod habetur Matth. 18. v. 17. *Sit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus* .

Solutio : & ego idem volo ; ſed per hoc non tollitur alia vindicta, cum dictum ſit ſuperius, quod vindicta licita ſit Principibus, & Potentatibus .

Contra hoc nituntur dicentes : quod in Eccleſia Dei non debent eſſe hujuſmodi dominationes ; & hoc volunt habere ex eo quod legitur Matth. 20. ubi Dominus ait v. 25. *Scitis, quia Principes gentium dominantur eorum : & qui majores ſunt poteſtatem exercent in eos* . v. 26. *Non ita erit inter vos* . Ecce Dominus principatum, & poteſtatem ſæcularem prohibuit Eccleſiæ ſuæ ; unde ſi hoc eſt prohibitum, videtur quod vindicta, quam aliis licitam non eſſe dicimus, ſit illicita ex toto . (18)

[*] Non exſtat in *Codice Bononienſi*.

[*] Deſunt hæc item e *Cod. Bononien. & Vaticano* .

(18) Fuerunt etiam ex hæreticis novis, qui pugnarent nefas eſſe homini Chriſtiano gerere magiſtratum . Id enim memoriæ proditum video ab Epiſcopio . *Parte II. Opp. Theologicorum. pag.* 71. *Edit. an.* 1678. Abutebantur autem Chriſti teſtimonio, quod Cathari in rem ſuam afferebant, quodque jam extat *Matth.* xx. *v.* 25. *Principes gentium &c.* Verum nihil aliud Chriſtus &c. τὸ κατεξουσιάζειν, & κατακυριεύειν voluit, quam, ut ambitio, ſuperbia, & lubido dominandi a ſuis ſectatoribus vitarentur . Id enim poſtulat occaſio, ob quam lex hujuſmodi lata eſt . Ea namque fuit quæſtio aut *de primatu, & præeminentia inter Apoſtolus excitata, aut de ſuperiore gradu, quem affectabant filii Zebedæi* . Neque enim Chriſtus poteſtatem & imperium omnino damnavit: alio-

Solutio: Si hoc esset, quare ergo Paulus 1. Corinth. 6. v. 4. monet Corinthios constituere judices de sæcularibus negotiis, ut inferius dicetur?

Si dicis, non monet constituere Principes, & potestates, Reges, aut duces. Quid ad rem de nomine? Monet tamen constituere judices: prædicti autem scilicet Principes, & hujusmodi, judices tantum sunt.

Præterea, Dominus loquebatur duodecim Apostolis seorsim, bene autem concedo quod inter eos non fuit utens principatu sæculari, aut gladio; & tamen inter viros Christianos non prohibetur.

Unde etiam patet solutio cujusdam quæstionis, quæ aliquando fit ab hæreticis, qui dicunt, quod in ordine Apostolorum non fuit aliquis utens gladio: quomodo ergo Ecclesia Romana successit Apostolis?

Dico successit eis; licet enim in eorum ordine, idest inter eos non fuerit, tamen in corpore eorum idest in Ecclesia fuit utens gladio; sicut in ordine oculorum non est manus, & tamen in corpore est manus; non potest dicere oculus manui, opera tua non indigeo; similiter nec Episcopus potestati. Unde & Dominus dicit de istis, *quia benefici vocantur* Lucæ 22. v. 25. Quare? quia magnum bonum faciunt hominibus tenendo eos in pace, reddendo unicuique secundum quod meretur; gladius enim materialis juvat spiritualem, idest prædicationem, tunc enim possunt uti Prædicatores gladio suo, alias male possent uti eo: propter hoc cum dictum esset Lucæ 22. v. 38. *Ecce duo gladii hic*; Respondit Dominus: *Satis est*; in Ecclesia enim duo gladii sufficiunt, scilicet materialis, & spiritualis; propter quod Apostolus 1. Timoth. 2. v. 1. dicit: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus*. v. 2. *Pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt: ut quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate*. Imploravit auxilium gladii materialis. Actor. 23. v. 17. & seq.

Item, sciens per Domini revelationem se usurum gladio spirituali apud Romam, ut ei dixit Dominus Actor. 23. v. 11. auxilium humanarum legum implorans ait: *Cæsarem appello*. Actor. 25. v. 11. De ista etiam objectione aliud quiddam tactum est in secunda parte in cap. de Deo Veteris Testamenti.

Ad probandum etiam quod vindicta non est licita, & maxime illa quæ fit per gladium, inducunt illud Matth. 26. v. 52. ubi Christus ait Petro defendenti cum gladio: *Converte gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt*. v. 53. *An putas quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim letiones Angelorum?* Ad idem facit etiam illud quod habetur Johannis 18. ubi interrogatus a Pilato an Rex esset. v. 36. *Respondit Jesus: Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis*; Sic ergo videtur quod ad regnum mundi pertineant, qui ab injuria imminente defendere se laborant, multo magis qui vindicare volunt.

Solutio: Dicimus quod illud verbum Domini pro me est, *Omnes enim* &c. sicut dicit (19) B. Augustinus in 2. libro contra Manichæos: *Ille gladium accipit, qui nulla superiori ac legitima potestate, vel jubente, vel concedente in sanguinem alicujus armatur*. Loquitur Dominus de his, qui non habent officium utendi gladio, quibus non est commissus usus ejus, & confirmat legem contra tales datam Matth. 5. v. 21. *Qui autem occiderit, reus erit judicio*. Reus quidem mortis temporalis, judicio divinæ legis; unde Apocal. 13. v. 10. *Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi*; quasi dicat, opportunum est quod occidatur, idest jus est: timore enim hujus legis voluit Dominus compescere Petrum, & omnes alios qui ad hoc constituti non sunt ab usu gladii materialis contra aliquem. Et nota, quod quædam litera est, *sic oportet eum occidi*. Istud autem *sic* non erit in judicio universali; ergo non potest intelligi nisi hic, ubi non fit nisi per ministrum, qui a Deo habet portare gladium, & in hoc ipsum servientem ei, ut habetur Roman. 13. vers. 4.

Præterea. Nonne aliquid licet uni, quod non alii? Utique. Petrus autem, & alii Apostoli non erant Dei ministri in usu gladii materialis; unde Matth. 20. v. 26. *Non ita erit inter vos*; loquebatur enim Apostolis seorsim, quibus non licebat; unde & Petrum arguit postea de usu gladii in passione sua.

Ad illud quod dictum est: *An putas, quia non possum &c.* quasi dicat, defensores habere valeo, sed nolo; dico quod verum est, quod noluit, quod tamen licuit; causam autem subdit, cum dicit v. 54. *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri?* Ad quid autem *oportet*, satis notum est, scilicet ut solveret pretium nostræ Redemptionis.

Præterea, 1. Petri 1. v. 18. *Scientes quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis*. v. 19. *Sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati*. 2. Cor. 6. v. 32. *Empti enim estis pretio magno. Glorificate, & portate Deum in corpore vestro*.

Præterea, hoc decreverat Deus Pater, ut habetur Actor. 4. unde dicitur v. 18. *Quæ manus tua & consilium tuum decreverunt fieri*: cujus rei causa Petrum dicentem, *absit a te Domine*, arguit eum Matth. 26. v. 23. *Vade post me Satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum*.

Ad

alioqui, ut gentium, sic hebræorum reges, qui ante fuerant, condemnasset eodem crimine. Alioquin pugnantia loquutus fuisset Christus ipse; quippe cum alicubi dixisset, *non venisse ministrari se, sed ministrare*: Joh. 13. v. 13. de se ipso probavit dominium: *Vos, inquit, vocatis me magister, & Domine, & bene dicitis; sum etenim*. Ne autem ulla pugna in verbis Christi admittatur, fateamur oportet, priore quidem loco, de animi æqualitate loquutum fuisse, qua non lubidine dominandi, sed voluntate commodis, utilitatique nostræ prospiciendi ducebatur; secundo autem loco de dignitate, & potestate, quam jure obtinebat inter Apostolos, sermonem instituisse. Multa porro sunt; quæ probent fas esse viro Christiano imperium exercere. Consulitor Paulus *Epist. ad Romanos Cap.* XIII. v. 1. *seq.* & 1. *ad Timoth. Cap.* II. *v.* 1. & 2.

(19) Immo *Libro* XXII. *Contra Faustum Cap.* LXX.

Ad illud quod dictum est: *Regnum meum non est de hoc mundo* &c. Dico, quod Pilatus putabat quod Christus esset Rex, & venisset in propria persona temporaliter regnare, & quia sic esset Cæsari contradicens; unde Christus dicit v. 37. *Tu dicis quia Rex sum ego*. Cujus sensus est, tu dicis hoc, idest putas in corde tuo; sed regnum meum non est de hoc mundo, quasi dicat regnum meum non est mundanum; idest ego non veni regnare temporaliter, ut tu dicis in corde tuo; sicut regnant habentes mundanum regnum, sed veni regnare spiritualiter, ut Pastor, & Episcopus animarum; unde quod sequitur, *si ex hoc mundo esset regnum meum* &c. sic intelligendum est, idest si regnum meum esset mundanum, idest si regnarem in persona mea mundane, ut alii mundi reges, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis. Per hoc autem non tollitur, quin ministri regum temporalium possint eos defendere; licet Christus noluerit defendi a suis, quia pati venerat, & hominem redimere per passionem suam, ut Pater decreverat: sed non sic est in aliis Regibus temporalibus: nec ex hoc sequitur, quin regnum mundi sit a Deo, ut notatum est 7. cap. primæ partis, ubi distinguitur duplex ejus regnum ex testimonio Danielis. De hac enim auctoritate disputatum est supra in prima parte primæ partis hujus operis, & in 7. capite ejusdem partis, quod vide ad habendam ejus intelligentiam.

Hic objici potest illud, quod habetur prima Petri 2. v. 21. *Quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.*

Solutio: Et ego volo sequi vestigia ejus, & pro eo pati, quando opus est, sed non semper est opus (20). Paulus enim noluit pati, quando milites a Tribuno ad sui defensionem impetravit, contra illos, qui devoverant occidere eum. Actor. 23. v. 17. & seq. & quando Cæsarem appellavit Act. 25. v. 11. & vindictam sumpsit de malefactoribus ut prædictum est. Dico igitur quod per hoc quod Christus passus est &c. non prohibetur vindicta; unde & Christus qui pati venerat opus justitiæ exercuit, ementes, & vendentes de templo ejiciens Matth. 21. v. 12. dœmones in porcos mittens Matth. 8. v. 32. Judæos, qui eum capere venerant, sua potestate prosternens. Johan. 18. v. 6. Dicit etiam *væ vobis* Mat. 23. v. 13. & seqq.

Objiciunt etiam illud Lucæ 9. v. 54. ubi cum discipuli cœlesti igne vellent consumere illos, qui sibi non paraverunt hospitium, nec eos recipere voluerunt, prohibiti sunt a Christo dicente v. 55. *Nescitis cujus spiritus estis*. v. 56. *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare*. (21)

Solutio: hæc auctoritas disputata est in secunda parte hujus operis in cap. de Deo Veteris Testamenti contra Catharos. Ad præsens autem dicimus, quod Dominus videbat, quod Apostoli non amore correctionis, sed spiritu iracundiæ concitati, quærebant ab eo potestatem impetrandi ignem de cœlo, ad consumendum eos, qui sibi non paraverant hospitium, nec recipere voluerant; duplicem ergo ignorantiam in eis arguit, dicens: *Nescitis cujus spiritus estis*; quasi dicat vos ignoratis, quoniam vindicta non est sumenda spiritu iracundiæ: item nesciebant nimis esse crudele, quod pro tali peccato tanta multitudo Samaritanorum morti traderetur; non enim pro tali peccato determinata erat pœna mortis in lege.

Dicit etiam hæreticus: constat quod vindicta, si est facienda, fieri debet amore correctionis; Quomodo autem hoc observat judex cum aliquem occidit? (22)

Respondeo: ego invenio quod Deus occidit aliquos ad correctionem; sic etiam debet facere judex; non ne vides, quod David ait Psalm. 77. v. 34. *Cum occideret eos, quærebant eum, & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum?* ad quem autem convertebantur, & quis occideret eos, patet ex principio Psalm. 77. *Attendite, popule meus legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei.* v. 2. *Aperiam in parabolis os meum: loquar propositiones ab initio*; quod Matth. 13. v. 35. dicit esse impletum a Christo, quando locutus est ad turbas in parabolis, ut impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: *Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi*; loquitur autem ibi de uno populo, de quo quibusdam occisis, alii metu mortis convertebantur ad Dominum; ergo occisio unius a Deo fit ad correctionem alterius: vides igitur quod vindicta non fit ad correctionem patientis. Nonne Spiritus Sanctus, cui mentiebatur Ananias occidit eum ad verbum Petri? Act. 5. v. 5. Et tamen non ad ejus correctionem, sed Ecclesiæ utilitatem; nonne excœcavit Elymas Act. 13. v. 11. ad verbum Pauli?

Ad utilitatem etiam illius, qui a judice occiditur, cedit mors si vult; multi enim metu mortis quam sciunt sibi imminere, convertuntur ad Dominum, qui si scirent se diutius victuros, peccata peccatis adderent: mali enim homines, & seductores proficient in pejus 2. Timoth. 3. v. 13. Hoc patet in Ezechia Rege Juda, qui denuntiata sibi morte sua pœnituit, ut habetur Isaiæ 38. v. 1. & 2. & multipliciter ei utile fuit; si autem non converterentur metu mortis, tamen & mors cedit ad eorum utilitatem, quia si amplius viverent, amplius

(20) Exemplo quoque Pauli Episcopum Bagajensem defendit Augustinus Epistola clxxxv. *n.* 28. Nam postea quam ille ipse Episcopus salvere cœpit: „ Auxilium, *inquit Augustinus*, petivit ab „ Imperatore Christiano, non tam sui ulciscendi caussa, quam „ tuendæ Ecclesiæ sibi creditæ. Quod si prætermisisset; non ejus „ fuisset laudanda patientia; sed negligentia merito culpanda. Ne„ que enim & Apostolus Paulus vitæ suæ transitoriæ consulebat; „ sed Ecclesiæ Dei; quando contra illos, qui eum occidere con„ spiraverant, consilium illorum tribuno ut proderetur effecit . . . „ Itemque ne Judæis eum interimere cupientibus, Cæsaris oppo„ scit auxilium, Romani quidem Principis; sed non Christiani.

(21) Diximus *notis superioribus* Barbeyracium hoc item abuti Sacræ Scripturæ testimonio. Ita novi hæretici Catharos, & Valdenses auctores vehementer sequuntur. Nos autem etsi alia ratione hoc Lucæ ῥητὸν explicaverimus, fatemur tamen magnam vim huic a Moneta nostro adhibitæ responsioni inesse.

(22) Hujuscemodi argumento abutuntur hæretici novi, qui cum tollant omnem e Christiana Republica magistratum, tum nulli Christianorum fas esse defendunt quemquam occidere quavis tandem polleat auctoritate. Quare non injuria vexantur ab Episcopo hæretico ceteroqui de Remonstrantium Grege: *loco supra indicato*.

plius peccarent (23), unde & majori supplicio digni essent, quanto enim quis deterior est, tanto durius punietur, ut probatum est in 4. parte hujus operis in cap. de Judicio.

Objiciunt etiam, & dicunt: O quam malum fecisset, qui occidisset Paulum, quando persequebatur Ecclesiam.

Solutio: Non est verum quod malum fecisset, dummodo auctoritatem super ipsum haberet, & esset ejus judex.

Sed dicet hæreticus: imo, non enim factus fuisset fructus, quem postea fecit Dominus per eum.

Præterea ivisset in infernum.

Respondeo Valdensibus: Quid ergo dicetis de judicibus Veteris Testamenti? male enim faciebant secundum hanc rationem.

Præterea, dicam tibi, sicut dixit Mardochæus Esther. 4. v. 13. *Ne putes quod animam tuam tantum liberes, quia in domo regis es præ cunctis Judæis*. v. 14. *Si enim nunc silueris per illam occasionem liberabuntur Judæi*.

Præterea, si occidisset eum aliquis, quare ei imputas? Imputas Deo, a quo ordinatus fuerit ille judex impiorum hominum, & cujus minister, & servitor erat, ut habetur Rom. 13. v. 6.

Præterea, si dicas mihi de aliquo hæretico, qui punitur a Judice: forte adhuc convertetur.

Respondeo: Nescio quid continget, videamus de præsenti, utrum dignus sit morte, an non; & an occidendus, an non; & sic poterit trahi extra quæstionem suam, & venient ad Scripturam, per quam poterit probari, quod dignus morte occiditur a Judice sine peccato, qui ipsum occidit non ex odio, sed ex amore justitiæ, per quam providetur totius reipublicæ utilitati; sed utilitas reipublicæ melior propria illius utilitate, & ideo magis eligenda; sicut nocumentum plurium, idest totius reipublicæ deterius est & damnosius, quam nocumentum unius; quare magis cavendum; & ideo de voluntate summi judicis est, quod reus mortis occidatur a ministro ejus, ordinato ab ipso, serviente ei in hoc, Roman. 13. v. 6.

[*] Præterea: De tali certum est, quod est triticum suffocans, & quod lupus est oves devorans; subversionis damnum videmus, conversionem non videmus, unde bonum conversionis eorum, rarum, incertum, difficile, non debet præponi bono magno, & certo, & frequenter accidenti. Vis tu parcere lupo devoranti, quia forte lupus mutabitur in ovem? Vis tu leprosum flatu suo populum corrumpentem dimittere in medio populi, quia forte sanabitur? [*]

Ad idem objiciunt illud Matth. 5. v. 21. *Audistis quia dictum est antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio*. v. 22. *Ego autem dico vobis: quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio*. Si non licet irasci ei, multo minus non licet eum occidere.

Solutio ad Valdenses ista est: Quia sicut homicidium cordis, idest odium prohibitum est; unde Dominus ait: *Quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio*; ita etiam homicidium operis; de hoc enim intelligitur: *Non occides*, quod patet Matth. 19. v. 18. *Non homicidium facies*. Marcus autem 10. v. 19. Lucas 18. v. 20. agentes de eodem cum Matthæo ponunt, *non occides*; loquitur de mandatis legis quæ sciebat ille; unde Dominus ait in Marco & in Luca eod. vers. citat. *Mandata nosti: Non occides*. Concedo igitur quod occidere secundum quod prohibitum fuit antiquis, nunquam fuit licitum, nec modo licitum; Dominus enim, qui non venit solvere legem, sed adimplere, ut ipse dicit Matth. 5. v. 17. sicut non solvit istud mandatum: *Non mœchaberis*; sed addens illi mandato dixit Matth. 5. v. 28. *Ego autem dico vobis: quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*; ita etiam non solvit illud mandatum, *non occides*; sed addidit: *Ego autem dico vobis: quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio*. Quasi dicat: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo*, ut dicitur Levitici 19. v. 17. Ex quo patet, quod si in Veteri Testamento licebat judici occidere malefactorem & non odire: eadem ratione licet modo ei occidere eum, sed non irasci, idest non odire.

Præterea, Dominus cum dicit: *Ego autem dico vobis: quia omnis qui irascitur &c.* aut cassat illud mandatum *non occides*, aut confirmat; si cassat illud mandatum; ergo licitum est contrarium, scilicet occidere; si autem per hoc quod ait: *Ego autem &c.* ostendit quod nec odium habendum est ad fratrem, *quia omnis qui odit fratrem suum homicida est*, ut dicitur 1. Johan. 3. v. 15. Si non cassat illud quod antiquis dictum est: *Non occides*, imo confirmat; ergo sicut per illud mandatum non tollitur antiquis judicibus licentia occidendi personas determinatas in lege, scilicet maleficos, ita etiam nec modo tollitur.

Quod autem ita sit, probari potest per illud quod dicitur Marci 10. v. 17. & seq. & Lucæ 18. v. 28. & seq. Cum enim ille judex, imo etiam Princeps quidam, ut Lucas dicit, quæsivisset, quid faceret ut vitam æternam possideret, Christus dixit ei: *Mandata nosti: Non occides &c.* Ecce Dominus dixit ei, sicut novit mandata, ita servet ea, si vult possidere vitam æternam: ille autem noverat istud mandatum tantum dictum esse de innocentibus, & justis, ut habetur Exodi 23. v. 7. *Insontem & justum non occides: quia aversor impium*, & 22. v. 18. *Maleficos non patieris vivere*. Ergo post adventum Christi, & postquam prædicavit illud: *dictum est antiquis. Non occides &c.* Si quis Princeps, ut Christus ibi locutus est Principi, non occiderit justum, sed malefactorem, dummodo servet alia mandata potest possidere vitam æternam; ergo licitum est occidere. Cum autem dicitur *non occides*, solum homicidium prohi-

(23) Majoraque inferret in rempublicam incommoda. Nam qui occidi ob malefacta solent, ii quidem certe eo plectuntur, quod publico aut civitatis, aut Ecclesiæ bono incommodo sint. Quamobrem cum multorum utilitas, vita, ac sempiterna salus, unius comomodo prævaleat, tollatur oportet e medio, qui tanti sceleris reus est. Tunc enim deterrentur ab improbitate ceteri, feliciusque appellunt animum cum ad propriam, tum ad aliorum utilitatem.

[*] Quæ duobus asteriscis comprehendimus, desunt e Codicibus *Bononiensi*, & *Vaticano*.

prohibetur: unde etiam Matth.19. v.18. dicit: *Non homicidium facies*; homicidium in malam partem sonat; & sicut judex in Veteri Testamento malefactorem occidebat, nec homicidium committebat; ita & nunc non dicendus est homicida; unde non sunt contraria nobis ea, quæ dicuntur Apocal. 21. v.8.& 22.v.15. de homicidis. Per illa verba etiam: *Mandata nosti*, potest ostendi Catharo, quod occisio malefactoris licita est ministro.

Viso qualiter negotiandum est contra Valdenses circa illud mandatum, *non occides*; videamus similiter qualiter contra Catharos sit dicendum de illo mandato; non enim est contra nos, quia non fuit datum de omnibus universaliter, sed tantum de innocentibus & justis, & sic adhuc manet: & primo videamus de qua occisione; secundo de quibus; tertio quando datum fuit; & ad quid datum fuit.

Primo ergo videamus de qua occisione intelligatur, utrum de carnali, vel spirituali; si de spirituali; ergo per illud non prohibetur carnalis occisio; si autem de carnali intelligitur; de carne non occidenda datum est illud mandatum; sed ex verbis Apostoli Roman.13. v.8. *Qui enim diligit proximum, legem implevit*. v.9. *Nam non adulterabis, non occides &c.* patet quod dictum est de diligendis dilectione divina; ergo si illud mandatum datum est de ista carne corruptibili, ista caro diligenda est ex Dei mandato amore divino; ergo ipsa non est opus diaboli; vel si ejus opus est, nunquid divinus amor in opere diaboli ponendus est? Absit.

Præterea, aut diligenda est divino amore, aut non; si non, ergo non est datum a Deo præceptum de ejus conservatione, cum illud præceptum non sit datum, nisi de diligendis divino amore. Si sic, ergo cum in ea ponendus sit amor Dei, ipsa est bona, & a Deo bono fabricata.

Præterea, si est diligenda divino amore, eadem ratione & alia mundi opera, scilicet lapides, ligna, & hujusmodi; totus ergo mundus iste diligendus est; Quomodo ergo audes dicere, quod ejus amor prohibitus sit omnino 1. Johan. 2. v. 15. *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt*. Quomodo etiam audes dicere ipsum a Deo factum non esse?

Præterea, si Filius Dei apparuit, ut dissolvat opera diaboli, quare audes dicere, quod prohibuit carnem occidere, si est opus diaboli?

Viso quod de carnali occisione intelligatur illud mandatum, quidquid dicat hæreticus, videamus de quibus rebus. Constat autem quod de animalibus intelligitur. Nunquid de omnibus animalibus? Dicet non; quia ipsi occidunt pisces; ipsi etiam tenent murilegas ad occidendum mures. Sed nunquid de bobus intelligitur, & de passeribus, & hujusmodi? Dicit quod sic.

Contra: Dicit Apostolus 1. Corinth.9. v.9. *Nunquid de bobus cura est Deo?* Sic ergo non est datum de eis non occidendis.

Præterea absolute dictum est, *non occides*; ergo cum non inveniatur, quare ista animalia potius non sint occidenda, quam alia; si ista non sunt occidenda, nec alia; ergo cornipedes, & passeres, & mures, & pisces non sunt occidendi.

Præterea. Quare potius dicis quod ista non sunt occidenda, quam alia? Nunquid habes testimonium ejus quod dicis? Non: somnium est ergo quod dicis, & fides tua non vera sed ficta est; testificata enim debet esse a lege, & prophetis fides vera, unde & justitia.

Restat ergo, quod tantum de hominibus intelligendum sit; unde ubi Marcus 10. v. 19. & Lucas 18. v.20. dicunt: *Non occides*; Matth. 19. v.18. ponit: *Non homicidium facies*; per hoc significans, quod illud mandatum tantum de hominibus datum sit.

Præterea, si sub uno mandato prohibetur occisio hominis, & passeris; ergo æque magnum peccatum est occidere unum passerem, sicut unum hominem; & hoc ipsi credunt, quod unum non est majus peccatum quam aliud quoad Deum. Patet igitur quod illud mandatum non intelligitur, nisi de hominibus, nec de his omnibus, sed tantum de innocentibus, ut ostendimus, quando disputavimus contra Valdenses, & potest eadem ratione istis ostendi. Hæc est mea justitia, & testificata a lege, tua vero non, qui ponis quod de omnibus intelligitur; ergo mea justitia tuæ præferenda est, secundum dictum Apostoli ad Roman. 3.

Nunc videndum esset, quando datum est illud mandatum; sed istud ad secundam partem capitis hujus reservabimus.

Objiciunt etiam illud Matth. 7. v. 12. *Omnia ergo quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite, illis*; Si Judex esset in illo casu, nonne vellet sibi dimitti? Ergo & ipse debet dimittere.

Solutio: Nemo sani capitis est, qui non intelligat istud cum determinatione, omnia scilicet, quæcumque vultis rationabiliter ut faciant vobis homines &c.

Si dicitis, quod si Judex esset in illo casu, vult rationabiliter, quod sibi dimitteretur. Dico tibi: proba quod rationabiliter, quod quidem non potes facere. Ego autem ad tuam confusionem ostendam contrarium. Lege Actor.25. quod Paulus Festo sedente pro Tribunali dixit v. 10. *Judæis non nocui, sicut tu melius nosti* (v.11.) *Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori*. Ipse autem dicit 1. ad Corinth. 11. v. 1. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*. Ergo si quis fecit aliquid dignum morte, & est convictus coram judice, non debet recusare mori per judicem.

Si autem dicat hæreticus: Ipse bene sciebat, quod nihil dignum morte fecerat, & ideo secure illud dicebat. Concedo quod dicis; & tamen dicebat, quod non recusabat mori, si dignum morte fecisset. Fac ergo & tu similiter.

Præterea, ipse dicebat Festo judici, quod non recusabat occidi ab eo, si dignum morte aliquid egerat: Modo quæro a te: Si Festus peccasset mortaliter occidendo eum, nonne debuisset recusare, ne ille peccaret? Utique, quia debebat eum diligere sicut se ipsum. Matth. 19. v.19. Ergo si Paulus debebat recusare, ne ipsemet peccaret, debebat etiam recusare, ne Festus peccaret; ergo si occidere peccatum est, debebat recusare ne Festus eum occide-

cideret, etiamsi aliquid dignum morte fecisset; sed non recusabat illud; ergo non erat peccatum occidi ab eo, si aliquid dignum morte fecisset.

Ad idem etiam inducunt illud Johan. 8. v. 3. ubi legitur, quod Scribæ, & Pharisæi adduxerunt mulierem in adulterio deprehensam, & dixerunt Jesu v. 4. *Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio*. (v.5.) *In lege autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis?* Jesus autem quibusdam interpositis, mulieri dixit, (v.11.) quod non condemnaret eam. Ex quo videtur, quod lex vindictæ cessat postquam venit Christus, & maxime lex occisionis.

Solutio: Licet ei parceret, non sequitur ex hoc, quod juste occidi non posset. [*] Quod enim Dominus non judicavit illam, una causa fuit, quia non habebant eum pro Judice, sicut ipse dixit Lucæ 12. v. 13. cuidam dicenti: *Magister dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem*. (14.) *At ille dixit illi: Homo, quis me constituit judicem, aut divisorem super vos?* Judæi enim non duxerunt illam ad eum tanquam ad Judicem, sed tanquam tentatores, ut habetur ibi v.6. Secunda causa fuit, quia non occurrit ei casus, in quo posset hoc facere secundum ordinem judiciorum, quia fugerant accusatores ejus; unde dixit v. 10. *Ubi sunt qui te accusabant?* Tertia fuit, quia Christus tanquam summus Imperator non debuit per se judicare de inimicis ad modum elegantis Principis, sed per ministros. Roman.13. v.4. *Dei enim minister est tibi in bonum*.

Item in Johan. 8. v. 15. *Ego non judico quemquam*. (v. 16.) *Etsi judico ego, judicium meum verum est, quia solus non sum: sed ego, & qui misit me Pater*. [*]

Præterea, aliquando Dominus misericordia utitur, aliquando justitia; unde & Apostolus Rom.11. v.22. dicit: *Vide ergo bonitatem, & severitatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, severitatem; in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate*.

Sciendum autem, quod Dominus monet ibi ad digne, & juste, & discrete judicandum. Digne cum dicit v. 7. *Qui sine peccato est vestrum*, Ecce dignitas judicantis. Juste cum dicit eodem vers. *Primus in illam lapidem mittat*; idest in adulteram; dignitas autem respicit personam judicantis, justitia personam judicandam, alioquin non judicaret juste nisi justus. Discretio autem notatur ubi dicitur v. 6. quod *digito scribebat in terra*, ad denotandum, quod discretio in Scripturis, & per Scripturas habenda est ad judicandum terrenos. Illi autem, cum Dominus dixisset: *Qui sine peccato est &c.* tanquam indigni judicare eam, recesserunt, & non condemnaverunt eam, quia in æquali, vel majori peccato se esse sciebant. Ibi enim confirmavit legem de adulteris occidendis: adhuc enim hodie occidendi sunt secundum legem Moysi, quam Imperatores confirmaverunt, ministri Domini, & ordinati ab eo ad vindictas per gladium faciendas: & servientes ei in hoc, ut habetur Roman. 13. v. 4. & 6.

Quod autem confirmaverit illam legem patet, sic enim ait: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat*. Aut enim hoc verbum *mittat* sumitur imperative, aut consultive, aut hortative, aut deprecative, aut permissive; quinque enim modis sumitur imperativi verbum; unde versus. *Imperat, hortatur, permittit, consulit, orat*. Si primis quatuor modis, manifestum est, quod licitum erat, & bonum lapidare.

Si autem dicat, quod ponitur permissive; dicendum est ei, quare potius noluit permittere lapidare eam non peccatoribus, quam peccatoribus, si malum erat; potius enim dimitteret peccatorem & sibi contrarium cadere in tentationem, & in laqueum diaboli, quam non peccatorem, & amicum suum; sic enim dicit Apostolus 1. Corinth. 10. *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere*. Cum ergo Dominus permittat ei, qui sine peccato est, lapidare eam, constat quod illud non erat malum; & quod Dominus confirmat legem de lapidatione adulterarum, in quo etiam conveniunt ei leges Imperatorum, licet quandoque ex clementia parcatur ei, quia misericordia superexaltat judicium, idest altior est judicio.

Forte dicet, quod Dominus per impossibile loquitur, cum dicit: *Qui sine peccato est vestrum &c.* impossibile enim est aliquem esse sine peccato.

Dicendum: proba hoc. Præterea, quare dicitur 1. Johan. 1. v. 7. *Sanguis Jesu Christi, Filii ejus emundat nos ab omni malo*; si impossibile est aliquem esse sine peccato; constat enim ex verbo 1.Epist.Johan. quod non est impossibile aliquem esse sine peccato.

[*] Dicit hæreticus: conditionaliter intelligitur. *Qui* in Jo: 8. idest, si igitur.

Respondeo: dato hoc, nihilominus opus approbat, cum dicit: *mittat*; & a quo digne fieri debeat declarat, sicut enim minister spiritualium digne & indigne exequitur officium suum; Verbi Gratia prædicationis, ut patet; ita minister sæcularium judiciorum: Officium bonum est, quamvis ille indigne agat quoad meritum vitæ, licet digne ex auctoritate officii sui. 1. Timoth.6. v. 1. *Quicumque sunt sub jugo servi, Dominos suos omni honore dignos arbitrentur*. De hoc in secunda parte hujus capitis circa principium. [*]

Objiciunt etiam illud, quod legitur Roman. 8. v. 2. *Lex spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati, & mortis*; & dicebatur lex Moysis lex mortis, quia occidebat quandoque transgressorem, & ita lex occisionis abolita est.

Item Roman. 10. v.4. *Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti*.

Item ad Galat. 3. v.19. *Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est, donec veniret semen*; idest Christus; ergo cessat lex transgressionum puniendarum.

Solutio: Lex spiritus dicitur lex nova; dicitur autem lex spiritus vitæ, quia Spiritum Sanctum im-

[*] Quæ duobus asteriscis complexi sumus, desunt e *Codicibus Benon.* & *Vatic.*

[*] Ne hæc quidem, quæ contenta duobus asteriscis, exstant in *Cod. Benon.* & *Vatic.*

impetrat homini eam obſervanti, & per Spiritum Sanctum vitam gratiæ in præſenti, & vitam gloriæ in futuro: hæc lex quia vivificat, & facit juſtum, liberat ab ultionibus legis Moyſis, quæ dicta eſt lex peccati, quia judicat peccatum, & lex mortis, quia mortem intulit peccanti; liberavit autem ab illa lege ulciſcente, non quemlibet, ſed juſtum hominem, cui non eſt lex poſita; ut dicitur 1. ad Timot. 1. v. 9. Nonne vides, quia Paulus non dixit aliud niſi, *liberavit me*, quaſi dicat, liberavit juſtum; faciendo enim juſtum facit liberum ab ultione legis; illos autem quos non facit juſtos quia nolunt, illos non liberat ab ultionibus legis.

Ad illud, quod dictum eſt, *finis legis &c.* Reſpondeo: Non dixit totius legis, ſed tantum legis, quia figuratum legis fuit Chriſtus; quod autem ita ſit, patet ad Hebr. 10. v. 5. ubi dicit Apoſtolus de Chriſto: *Ideo ingrediens mundum dicit: Hoſtiam, & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi.* Unde ad Rom. 7. v. 4. dicit Apoſtolus, eos eſſe mortificatos legi per corpus Chriſti, corpus enim Chriſti per illas hoſtias legales figurabatur; unde poſtquam venit figuratum non placent Deo holocauſta etiam pro peccato, ideſt ſacrificia de animalibus, quæ non incendebantur tota.

Ad illud Galat. 3. v. 19. *Quid igitur lex? Propter tranſgreſſiones poſita eſt &c.* Dico, quod iſte non eſt ſenſus, lex poſita eſt propter tranſgreſſiones puniendas, donec &c. ita quod *donec* denotet tantum ultionem, cum Paulus paratus eſſet ulciſci omnem inobedientiam, ut dicitur 2. Cor. 10. v. 6. Sed ille eſt ſenſus, lex poſita eſt propter tranſgreſſiones (24) vitandas, ſaltem timore ſervili, licet non amore Dei; adveniente autem ſemine, ideſt Chriſto, vitantur tranſgreſſiones amore Dei, non ſolum timore ultionis; unde ad Hebr. 2. v. 14. *Quia ergo pueri communicaverunt carni, & ſanguini, & ipſe ſimiliter participavit eiſdem: ut per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, ideſt diabolum.* (v. 15.) *Et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti.* Dicitur autem diabolum imperium mortis habuiſſe, quia fuit habens auctoritatem ejus, fuit enim auctor peccati, ex quo mors.

[*] Dico etiam, quod illud verbum Apoſtoli *propter tranſgreſſiones* etiam ſic intelligitur, ideſt propter eas puniendas, & quod *donec* dicat terminum punitionis; non tamen tollitur ultio cujuſcumque tranſgreſſionis poſtquam Chriſtus venit, ſed tantum cujuſdam: unde ſenſus eſt: Lex poſita eſt propter tranſgreſſiones quaſdam, ſcilicet puniendas, non plus, ſed donec veniret ſemen: iſtæ ſunt tranſgreſſiones figuralium mandatorum; ut de colligente ligna in Sabbato. Lucæ 6. v. 1. [*]

Item Galat. 4. v. 4. *At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege* (v. 5.) *ut eos qui ſub lege erant, redimeret*; ſub lege tanquam ſervi, quia ex ſolo timore ultionis faciebant legem; unde ibi habetur v. 24. *Hæc enim ſunt duo teſtamenta*, ſcilicet Agar, & Sara. *Unum quidem in monte Sina*, ſcilicet datum, *quæ eſt Agar*, ideſt figurabatur per Agar: Ancillam, ideſt ſervam, & dicitur ibi *in ſervitutem generans*, ideſt quia generabat ſervos, ideſt ex ſolo timore ſervientes: ſed novum figuratum per liberam generat filios, ideſt ex amore ſervientes; propter quod ad Roman. 8. v. 2. dicitur: *Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberavit me a lege peccati, & mortis*; quia fecit me filium, & ideo non timeo legis ſupplicium. Ad Roman. 13. v. 3. *Vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa.* (v. 4.) *Si autem malum feceris, time.* Galat. 5. v. 22. *Fructus autem ſpiritus eſt: Charitas, gaudium, pax &c.* poſtea dicit v. 23. *Adverſus hujuſmodi non eſt lex.*

Ad idem objiciunt illud ad Roman. 12. v. 17. *Nulli malum pro malo reddentes.* Judex autem malum pro malo reddit, quando ultionem ſumit.

Solutio ad omnes hæreticos eſt, ut ei dicatur: Proba quod malum reddat: imo reddit bonum, quia juſtum, ut probabitur in ſecunda parte hujus cap.

Præterea; nonne Paulus paratus erat ulciſci omnem inobedientiam 2. Corinth. 10. v. 6.? Ergo paratus erat reddere malum pro malo, ſi ultio mala eſt.

Præterea; nonne tu vindictam aliquam infers fratri tuo peccanti?

Si dicat: non talem vindictam, ſcilicet occiſionem ei infero. Quid ad rem? Tamen ſumis vindictam de eo; ergo ſi vindicta mala eſt, tu venis contra illud, quod dicit Paulus: *nulli malum pro malo reddentes*. Si autem dicas, quod malum non reddendo pro malo dicitur ipſa occiſio. Dico tibi, proba hoc, quod dicis; quod facere non potes.

Pauperibus autem Valdenſibus, & Lombardis, & Catharis, qui duo principia ponunt, potes dicere: (25) Nonne David ultionem ſumebat de aliquibus? Utique, & tamen dicit Pſalm. 7. v. 5. *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis*, ideſt hoc, & hoc mihi eveniat; & eſt ſenſus; ſi reddidi mala retribuentibus, ideſt contrarium mihi facientibus; re enim notat contrarietatem, *decidam &c.* Ergo ultio non eſt malum, ideſt peccatum; cum David dicat, quod malum non reddidit facientibus ſibi contrarium, cum tamen ultionem de eis faceret.

Præterea: Nonne Chriſtus ultionem ſumit de aliquibus? Utique. Nunquid reddidit malum pro malo? Quod autem ultionem ſumeret, patet Joha. 2. v. 15. quando ejecit ementes de templo.

Item

(24) Ita quidem Clemens Alexandrinus *Lib.* I. Pædagogi *Cap.* XI. *pag.* 155. *Tom.* I. *Opp. Edit. Oxonien.* „ Quoniam, *inquit*, abſque „ ratione ſatiati, (Judæi abſque ratione ludebant, propterea, „ ipſos & lex, & timor ſequebatur, ut & peccata reſcinderet, „ & ad res ex virtute gerendas exhortaretur: aures præparans, „ ut vero Pædagogo obedirent, qui eſt unum idemque verbum, „ quod præſentibus accommodabat ſe, nempe legi. &c. Euſebius autem *Demonſtrat. Evangeliæ Lib.* I. Νόμος, inquit, οἷα τῶν νηπίων καὶ ἀτελῶν ψυχῶν ἐπίτροπος, καὶ οἰκονόμος, ἢ καὶ ἰατρός. *Lex quaſi tutor quidam eſt, & œconomus, vel etiam medicus imbecillarum, & imperfectarum animarum, &c.*

[*] Quæ duobus aſteriſcis complexi ſumus, deſunt e *Codic. Bononienſi*, & *Vaticano*.

(25) Omnes namque generis illius hæretici *Librum Pſalmorum* numero Canonicorum habebant; ut ſæpe ante animadvertimus.

Item Matth. 21. v. 19. quando arefecit ficulneam.

Item Matth. 8. v. 32. quando misit dæmones in porcos. Sed nunquid reddidit malum pro malo, idest injuriam pro injuria? Non, imo justitiam pro injustitia.

[*] Objicit etiam hæreticus: Si aliquis homo vult, ut Deus puniat inimicum, ubi est *diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos*. Matth. 5. v. 44. Nonne hoc est reddere malum pro malo? (26)

Respondeo: Uterque, idest bonus, & malus vult vindicari a Domino; sed ille qui bonus est, per ministrum, nec sine eo; sed malus ex odio personæ vult vindicari, & in pœna inimici delectatur; bonus autem amore correctionis, quam intuetur magis, quam pœnam illius, vel intuetur pacem publicam; non delectatur in pœna inimici, sed de justitia Dei; & quia diligit Deum, hoc ei placet, quod Domino; quia Dominus, quem in hoc sequitur, pluit aliquando super justos, & injustos, & in hoc sæculo malos corripit, & pertinaces in fine damnabit. Vir privatus exercens officium auctoritate, & licentia Judicis, non est judex, sed minister ipsius judicis, Judice tradente ministro. Matth. 5. v. 25. [*]

Item ad idem objiciunt illud Roman. 12. v. 19. *Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ, scriptum est enim: Mihi vindicta; ego retribuam dicit Dominus*. Ecce Apostolus prohibet defensionem, & dicit, quod Dominus vult sibi (27) reservari vindictam.

Solutio: Sensus verborum Apostoli hic est, *non vosmetipsos defendentes*, idest non vosmetipsos vindicantes Charissimi, sed date, idest nolite auferre locum iræ, idest vindictæ Domini, qui dicit: *Mihi vindicta* &c. locus autem aufertur ei, quando non relinquitur ei suus locus, qui est manus Principis, vel alterius ministri Dei in usu gladii, ut inferius ostendetur.

Quod autem defendere ponatur aliquando pro vindicare, patet Judith. 1. v. 12. ubi habetur, quod expulsis nuntiis Nabuchodonosor de quibusdam regionibus, ipse juravit, *quod defenderet se de omnibus regionibus his*, idest vindicaret: illæ enim regiones non veniebant contra eum, sed ipse volebat eas subjugare sibi.

Quod autem in verbis Apostoli sumatur pro vindicare, patet ex ratione Apostoli, cum dixisset enim: *Non vosmetipsos defendentes Charissimi*, subjunxit *sed date locum iræ; scriptum est enim*, &c. quasi dicat: Non sumatis vindictam de injuria vobis facta, quia est Domini. Dicitur autem istud illis qui non habent jurisdictionem, qui non debent se vindicare sed vindictam ei, cujus est, scil. Deo servare. Ei autem servatur, quando relinquitur ministro suo, idest potestati, vel alicui Principi; unde sensus est: O homo, qui non habes jurisdictionem, serva mihi vindictam injuriæ tuæ, & ego reddam per potestates.

[*] Et quod ita sit intelligendum, ostenditur Valdensibus per illud, quod dixit Dominus filiis Israel: Deuteron. 1. v. 15. *Tulique de Tribubus vestris viros sapientes, & nobiles, & constitui eos principes, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, ac decanos, qui docerent vos singula*. (v. 16.) *Præcepique eis dicens: Audite illos, & quod justum est judicate: sive civis sit ille, sive peregrinus*. (v. 17.) *Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum: nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est*. [*]

Omnibus autem hoc ostendit Apostolus, quia statim dicit cap. 13. v. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* &c. usque *Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes*.

Ex his patet, quod vindicare se, subditis prohibetur; sed defendere, idest vim vi repellere cum moderamine, istud eis concessum est: in hoc enim funguntur vice potestatum; potestates enim, & Principes hoc sibi concedunt, qui ministri Dei sunt, & jura expressa sunt de hoc.

Præterea, si eis licet auctoritate superioris Principis alium defendere, ut patet Actor. 23. v. 23. & seq. in militibus qui a Tribuno dati sunt Paulo ad ejus defensionem, quare non liceret eis defendere se auctoritate Principum: quod autem liceat alium defendere, per illud, quod habetur Actor. 23. superius ostensum est.

Nunc ostendere volumus per illud verbum Roman. 12. v. 19. *Mihi vindicta: ego retribuam, dicit Dominus*; quod non tollitur vindicta a Principe, constat enim verbum esse scriptum Deuter. 23. *Audite Cœli quæ loquor*, in versu 35. Constat etiam illud verbum inde sumi, ut patet ad Hebr. 10. v. 30. Ubi Apostolus repetens illud verbum ait: *Scimus enim qui dixit: Mihi vindicta, & ego retribuam*; & statim subdit eodem vers. *Et iterum: Quia judicabit Dominus populum suum*; quod testimonium post unum versum interpositum sequitur post illa verba v. 35. Deuteron. *Mea est ultio, & ego retribuam in tempore, ut labatur per eorum: juxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora* (v. 36.) *Judicabit Dominus populum suum, & in servis suis miserebitur*. Sicut modo scriptum est, ita scriptum erat & tunc, sed tunc non prohibebatur vindicta Principibus per illud verbum, imo concedebatur; ergo nec modo prohibetur, sed conceditur eis; unde & Apostolus statim de Principibus ait cap. 13. v. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita*

ta

[*] Quæ duobus asteriscis comprehendimus, non extant in *Codic. Bononiensi, & Vaticano*.

(26) Petrus Bælius *in suis Diverf. Cogitat. Articulo* CXLI. *pag.* 90. eo negat Christianam Religionem utilem esse Reipublicæ; quod multa præcipiat, quæ componi cum multitudinis felicitate possint, cujusmodi sunt: *bonum pro malo reddere, diligere inimicos, benefacere his qui oderunt nos &c.* Ita is auctor modo nefas esse, hæreticis bellum indicere ait, quamvis merito puniri scelestos homines putet, qui contra publicum civitatis bonum quidquam moliti sint; idque jam non pugnare cum Evangelio; modo contra, ne hoc quidem postremum cum Evangelio ipso componi posse: quæ sane pugnantia sunt, & nonnisi hominem Pyrhonicum, atque impudentem decent. Verum quemadmodum ea Scripturarum loca intelligi debeant, quin Evangelium cum publico civitatum commodo pugnet, accurate ostendit noster hoc loco.

(27) Hoc eodem argumento utuntur hæretici quidam novi, quos vexat Episcopius *l. supra indicato*.

[*] Quæ sunt his duobus asteriscis contenta, desunt e *Codicibus Vaticano, & Bononiensi*.

ta sit. Valet autem istud argumentum maxime contra Valdenses: sed etiam contra omnes Catharos. Hoc autem testimonium contra Catharos disputatum est in secunda parte hujus operis, in secunda parte cap. de Deo Veteris Testamenti.

Sciendum autem, quendam hæreticum ut vitaret objectionem, dixisse, cum quærebatur ab eo, ubi esset scriptum illud verbum, & ubi Dominus diceret istud: *Mihi vindicta*, &c. dixit, quod illud verbum erat scriptum in Epistolis Pauli, & Dominus in ipsis hoc dixit; quod nullo modo stare potest; Apostolus enim cum dixisset: *Non vosmetipsos defendentes Charissimi, sed date locum iræ*, volens ostendere, quod suæ doctrinæ standum est, induxit: *scriptum est enim*: *Mihi vindicta; ego retribuam dicit Dominus*.

Præterea constat, quod Paulus scripsit Epistolam suam Romanis, & in Scriptura sua dicebat: *Non vosmetipsos defendentes Charissimi*, & dicit quare; *scriptum est enim*; vel ipse mentitus est, vel oportet, quod prius sit scriptum, alioquin si non esset prius scriptum, dixisset: Scribo enim vobis.

Præterea ad Hebr. 10. patet, quod alibi scriptum, & alibi dictum, cum dicat ibi Apostolus v.30. *Scimus enim qui dixit: Mihi vindicta; & ego retribuam*; ergo alibi scriptum, & alibi dictum erat, quam in Epistolis Pauli, alioquin diceret: Scimus, qui dicit.

Præterea dic mihi o Cathare, de qua vindicta loquitur ibi: si de corporali vindicta, constat, quod Dominus prohibet homini, ut tu credis, & dicit, quod ea relinquatur sibi, quia ipse faciet eam; ergo vindictam sumet de corporibus: Modo quæro, quando? si in futuro; ergo resurgent; si in mundo isto; ergo supplicia corporalia in hoc mundo ab ipso sunt, quod tu non credis. Si autem dicis, quod loquitur de spirituali vindicta; ergo per illud verbum non prohibetur corporalis: Quare ergo dicis credentibus tuis, Ecclesiam Romanam venire contra verbum illud propter vendictas corporales, quas approbat, nisi quia in hypocrisi loqueris mendacium?

Præterea, si loquitur de vindicta spirituali; ergo tu es transgressor illius verbi, quia facis spirituales vindictas, ut dicis, & non relinquis eas Domino.

Propter hoc quidam hæreticus dixit, verbum Pauli sic intelligendum, *mihi vindictam*, scilicet corporalem, *& ego retribuam* idest faciam spiritualem.

Contra: Ipse non dicit, quod ego dimittam ei corporalem vindictam, sed dicit, quod dimittam & illam; ergo aliquando corporalem facturus est, alioquin non dixisset dimittite eam, sed dimittite mihi illam, idest ne faciatis eam; Cum enim Dominus dicit in Matth. 5. v. 40. *Dimitte ei & pallium*, constat, quod ille usurus est pallio, cum ipsum dimittit.

Præterea ex loco, unde sumitur testimonium illud, patet, quod illa sua est, & ad ipsum pertinet; sic enim ait: *Mea est ultio; & ego retribuam*. Deuteron.32. v.35.

Item objiciunt illud 1. Corinth. 10. v. 32. *Sine offensione estote Judæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei*. Judex autem sine offensione non est illius quem occidit.

Solutio: Quid vis tu intelligere per offensionem? si per offensionem dicit scandalum ciborum, sicut ad Rom. 14. v.20. sic non prohibetur vindicta per illud verbum Pauli: *Sine offensione &c.* Si autem vindictam intelligis dici per offensionem. Contra: Paulus paratus erat *ulcisci omnem inobedientiam* 2. Corinth. 10. v.6. Si dicat, quod per offensionem intelligitur occisio. Dico, proba hoc, & cum non possis hoc facere, obmutesce.

Præterea, si ego sum ejus judex ordinatus, non offendo eum, cum vindictam sumo de eo, licet ille offendatur, idest pro offensa habeat id quod ei facio. Nonne vides hæretice, quod Matth. 15. v. 12. dicunt discipuli Christo: *Scis, quia Pharisæi audito verbo hoc scandalizati sunt?* At Jesus respondit v. 14. *Sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorum*. Christus tamen non scandalizabat eos.

Præterea Valdensibus dici potest, quod cum aliquis judicabatur a judice in Veteri Testamento, ipse offendebatur, & tamen Judex non offendebat eum, quia non injuriabatur ei, offendere enim idem est, quod injuriam facere, & sic sumitur a Paulo in verbis prædictis, *sine offensione*, idest sine injuria.

Item ad Ephes.6. v.12. *Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed adversus Principes*, (28) *& potestates*. Quomodo ergo sunt ministri Dei?

Solutio: Apostoli contra Principes mundi, & contra Potestates luctam habebant, & repugnabant eis in illis, quæ erant contra fidem, & doctrinam Christi, sed in vindictis de malefactoribus non erant eis ipsi contrarii, quod patet Roman. 13. & in illis vindictis teste Paulo eodem cap. v.6. sunt ministri Domini, & servientes ei in illis.

Si autem dicas, quod in vindictis erant contrarii Apostolis, & contra. Dico: Proba hoc.

[*] Præterea, si per Principes, & Potestates & mundi rectores intelligis homines principatum tenentes, & regimen mundanorum, & tenebrosorum hominum, & per spiritualia nequitiæ dæmones: Dico tibi: ergo Principes, & Potestates, & rectores mundi sunt a Deo constituti, quia dicitur ad Roman. 13. v. 1. *Non est enim potestas nisi a Deo: quæ autem sunt a Deo, ordinata sunt*.

Præterea ad Colossens. 1. v. 16. *Quoniam in ipso condita sunt universa in Cœlis, & in terra, &c.*

(28) Digna sunt hæc portenta argumentorum Phanaticis, & Anabaptistis, qui in legitimos Principes arma moverunt, ita instigantibus Magistris. Neque vero his tantum, sed etiam Calvinianis; qui Regi suo in Gallia acerrimum indixerunt bellum. Videndus *Bossuetius in Defens. Hist. Variat. Contra Basnagium*. Sed negari nequit, quin hic locus alia ratione intelligendus sit. Cadit enim in cacodæmonas, quos II. *ad Corinth. Cap.* IV. v.4. κοσμοκράτορας τοῦ σκότους appellat Paulus: nempe *illos qui in hunc mundum tenebricosum imperium habeant*. Atque hoc plane sensu sumi hic locus ab Interpretibus solet, non a nostris tantum, sed etiam ab eruditioribus Heterodoxis.

[*] Desunt hæc e *Codicibus Bonon. & Vatic.*

ut habetur 1. lib. cap. 8. Si ista omnia constant in ipso; ergo ista omnia bona dicenda sunt.

Præterea. Quid intelligis tu per carnem, & sanguinem, ibi: *non est colluctatio, &c.*? Si corpus humanum; quare ergo dicis illud malum, si non est nobis colluctatio adversus ipsum spiritum?

Præterea; quomodo dicit, quod non possidebit regnum Dei, secundum tuum pravum intellectum hujus verbi 1. Corinth. 15. v. 50. *Quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt.*

Præterea, quomodo audes inducere illud ad Galat. 5. v. 17. *Caro enim concupiscit adversus spiritum: spiritus autem adversus carnem*, ad probandum, quod corpus humanum sit a diabolo, non a Deo?

Si autem malos homines intelligis per carnem, & sanguinem, ibi: *non est nobis colluctatio, &c.* Nonne Principes, & Potestates, & mundi rectores sunt caro & sanguis secundum te? Utique. Quomodo ergo stabit verbum Apostoli: *Non est nobis colluctatio, &c.* De hoc etiam habetur 1. lib. 1. parte cap. [*]

Item ad Hebr. 12. v. 14. *Pacem sequimini, cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit. Deum.* Hoc non facit Judex.

Solutio: Judex pacem sequitur, licet puniat. Nonne tu punis transgressores tuos? Utique. Quomodo ergo pacem cum eis habes?

Si dicis: Non sic punio, quod occidam eos.

Respondeo: Quid ad rem? Nunquid de tali pace, & cessatione a vindicta sanguinis loquitur Apostolus ibi? si dicit sic; Dic ei, proba hoc, quod non potest facere.

Valdensi autem dicas: Judex Veteris Testamenti, nonne occidebat maleficos? Utique. Nunquid pacem habebat ad eos? imo: sicut etiam & amorem: nunquid Abraham non pacem habuit cum Isaac, quando voluit eum occidere ex Dei mandato Genes. 22. v. 2. & seq?

Præterea o Cathare dic mihi qui duo ponis principia; de qua pace loquitur? Nunquid de temporali, & mundana pace? Non audebis hoc dicere: Quare ergo dicis per illud verbum Pauli tolli materialem usum gladii?

Ista ad hæreticos sufficiunt, tamen ad instructionem rudium in Ecclesia hoc dico, quod Judex digne, & juste vindicans, pacem sequitur, idest pacem habet præ oculis, idest tranquillitatem Ecclesiæ, vel Reipublicæ, quæ præferenda est paci, idest quieti unius qui turbat pacem multorum. Sic autem dico de Principe, qui justum bellum contra aliquem alium habet, quod ad pacem debet intendere, & ideo bellare, ut pacem acquirat, & ut hostem vincendo ad pacem perducat. Unde Augustinus (29) ad Bonifacium. *Esto bellando pacificus, ut eos, quos expugnas ad pacis utilitatem vincendo perducas.* Sic enim dicere poteris: *cum his qui oderunt pacem eram pacificus.* Psalm. 119. v. 6. Item Johannes Chrisost. hom. 17. (30) super Matth. *Occidit Phinees hominem, & reputatum est ei ad justitiam; Abraham vero occidendo non quemcumque hominem, sed filium; Petrus vero Actor. 1. v. 5. & seq. geminos occidit, fuit tamen opus sanctum, quod factum est. Non solum igitur respiciamus ad opera, sed ad tempus, & causam & voluntatem, personarum differentiam; non enim possumus ad veritatem aliter pervenire.*

Item objiciunt illud Actor. 5. v. 16. & seq. ubi legitur, quod Apostoli replebant doctrina Christi Jerusalem; unde (v. 33.) Principes Sacerdotum dissecabantur, & cogitabant occidere illos. Dixit autem eis Gamaliel legisdoctor honorabilis v. 38. *Discedite ab hominibus istis, & sinite illos: quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur.* (v. 39. *Si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud.* Dicunt hæretici, quod similiter debemus dimittere eos, & non intromittere nos de eis, quia si ex hominibus est opus eorum, dissolvetur.

Solutio: Quare ergo Paulus intromittebat se, & pugnabat contra eos? Quare Apocal. 2. v. 18. & seq. arguitur Angelus Thyatiræ, quia permittebat mulierem Jezabel, quæ se dicebat Propheten Domini, docere, & seducere servos Dei?

Præterea, nunquid simile est de Apostolis, & hæreticis? Nunquid si Apostoli dimittendi erant, & illi similiter? Certe non.

Objiciunt item Ezechiel. 33. v. 11. *Vivo ego dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, & vivat.*

Solutio ad Valdenses hæc est: Quoniam hoc dictum est antequam Christus veniret, & tamen tunc licebat occidere, sicut etiam tu credis; per illud igitur verbum non tollitur vindicta sanguinis; & si aliud vis intelligere hic, quod sit contrarium vindictæ; dico tibi, proba hoc.

Catharis autem aliter respondendum est, & quærendum de qua morte intelligatur verbum prædictum: *Nolo mortem, &c.* Si enim de morte corporali intelligitur; ergo cum dicitur, *sed ut convertatur, & vivat*, intelligitur de vita corporali; ergo ista vita corporalis de voluntate Sancti Dei (31) existit; ergo est opus Dei Sancti, quod tu non credis.

Dicimus igitur, quod illud verbum de morte spirituali, idest de peccato intelligitur; unde dicitur cap. 18. v. 20. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Constat autem, quod anima non potest mori nisi spiritualiter; istam mortem nullo modo vult Dominus, sed mortem corporalem vult; unde cap. 21. v. 2. dicit Dominus Ezechieli: *Propheta contra humum Israel* (v. 3.) *Et dices terræ Israel: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, & ejiciam*

(29) Epistola CLXXXIX. *al.* XCV. *num. 6.* „ Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas. Non enim pax quæritur, ut bellum excitetur; sed bellum geritur, ut pax adquiratur. Esto ergo etiam bellando pacificus, ut eos, quos expugnas ad pacis utilitatem vincendo perducas. *Beati enim pacifici*, ait Dominus &c.

(30) Homilia XVI. *in Matthaum Tom.* VII. *Opp. Edit. Monfauconianæ. Paris.*

(31) Sapienter sane S. Johannes Chrysostomus contra Catharorum prodromos Manichæos disputans Homilia XVI. *in Matth. num. 6. pag.* 211. *Tom.* VII. *Opp.* Lex volebat, *ut nemo proximum suum occideret. Igitur oppugnatorem legis*, quem Manichæi Deum bonum ajebant esse, *homicidia oportuerat imperare. Nam occidere, & non occidere contraria sunt: si vero ne irasci quidem permittat, illud perfectius statuit, quod lex volebat &c.*

ciam gladium meum de vagina sua, & occidam in te justum & impium.

Hic videndum est de via ultramarina, (32) quam prædicat Ecclesia, & injungit, & indulgentiam facit facientibus illam contra Saracenos, cum tamen dictum sit 1. Corinth. 10. v. 32. *Sine offensione estote Judæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei*; Per gentes autem Saraceni intelliguntur.

Solutio: Terra illa Christianorum fuit hominum, scilicet ad Christum conversorum ibidem, & possessa fuit a Christianis; hoc autem sic esse patet per Monasteria, & Ecclesias in tota terra illa ædificatas. Saraceni autem postea expulerunt Christianos, & occiderunt eos, & terram illam occupaverunt injuste, moniti autem ab Ecclesia ut cessarent ab ista violentia, noluerunt resipiscere; unde sicut Paulus Actor. 23. v. 17. & seq. ad sui defensionem impetravit a Tribuno per Nepotem, & accepit milites armatos; ita Ecclesia ad sui defensionem pro illa terra impetrat, & recipit auxilium a Principibus terrarum, & aliis hominibus, & indulgentiam facit eis merito hujus auxilii.

Præterea legitur Genes. 12. v. 7. Deum dixisse Abrahæ: *Semini tuo dabo terram hanc*; sed nos sumus semen Abrahæ, ut dicit Apostolus ad Galat. 3. v. 29., nobis igitur data est terra illa in possessionem; unde de officio judicis est laborare ut terram illam habeamus, & Ecclesiæ Dei est prædicare, quod officium suum impleat Judex, qui non sine causa gladium portat, ut dicitur Roman. 13. v. 4. & sicut Paulus Act. 23. v. 17. & seq. non intendebat injuriam facere illis, qui devoverant se non manducaturos, nec bibituros, donec ipsum occiderent, sed tantum suam defensionem intendebat, & jus suum conservare, idest vitam propriam ad utilitatem aliorum: Tribunus etiam non peccavit milites ei dando ad hoc; alioquin Paulus non consensisset, & tamen si illi venissent, aut non destitissent a violentia Pauli, aut a militibus Tribuni fuissent impugnati, & forte occisi. Ita etiam Ecclesia non intendit injuriari Saracenos, nec occidere eos; nec Principes Christiani hoc intendunt, & tamen si illi a violentia, & injuria Ecclesiæ nolunt desistere, & opponant se gladiis Principum, occidentur. Est ergo Ecclesia Dei sine offensione, idest sine injuria in hoc facto, quia non facit injuriam alicui, sed suum jus tuetur.

Objiciunt etiam Cathari (33) illud Genes. 4. v. 14. Cum Cain occidisset Abel, quod Cain dixit Domino: *Omnis igitur, qui invenerit me, occidet me* (v. 15.) *Dixitque ei Dominus: Nequaquam ita fiet: sed omnis qui occiderit Cain septuplum punietur*. Ecce quod Cain homicida fuit, & tamen Dominus noluit, quod occideretur.

Solutio: Ille idem Dominus postea legem dedit de homicidis occidendis. Igitur si ejus voluntati standum fuit de Cain non occidendo ante mandatum datum de occidendis homicidis, standum est etiam ejus voluntati de eis occidendis post datum mandatum.

Præterea, nonne tu credis, quod fuit Satan, qui noluit Cain occidi; quare tu audes dicere, quod obediendum sit ejus voluntati de non occidendo alios homicidas?

Præterea, etsi illi pepercit, non tamen prohibetur justitia, & vindicta de aliis; sed dici potest illud ad Roman. 11. v. 22. *Vide ergo bonitatem, & severitatem Dei*. In Cain bonitatem, idest misericordiam, in aliis autem severitatem, idest justitiam.

Præterea, non erat adhuc Judex aliquis constitutus, quod possit ostendi testimonio Scripturæ, sed vindicta per judicem fieri debet, vel cui Judex commisit; non est ergo mirum, si noluit ab aliquo Cain occidi, cum Judex non erat.

Valdenses dicunt, (34) quod ante legem, & post Christum non licet alicui aliquem occidere propter illud verbum Genes. 9. v. 5. ubi dicit Dominus: *Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis*; *requiram* dicit, quasi dicat, non alius se intromittere poterit; & voluerunt illud esse observandum ante legem, & post Christum.

Sed per hoc non probant aliquid, sed tantum dicunt, sic esse intelligendum, quia Dominus dixit; non autem sic est intelligendum ut dicunt. *Requiram* dicit, idest non alius, quando enim minister requirit, est ipse; quia ut habetur Roman. 13. v. 2. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*; (v. 4.) *Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit*.

Præterea, quod falsum dixit hæreticus patet, quia statim inducit legem ultionis dicens: *v. 6. Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis ejus*; non dixit effundam, sed fundetur, & debet illud intelligi per ministrum.

Præterea, quod falsum dixerit patet, quia postquam hoc dictum est, & ante, idest ante legem datam, Abraham occidit. Genes. 14. v. 14. & seq. Moyses etiam percussum Ægyptium abscondit sabulo. Exodi 2. v. 12. Ut etiam habetur Actor. 7. v. 25. *Existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis*.

Objiciunt etiam illud Deuteronom. 18., ubi de tempore gratiæ loquens Dominus de Christo ait: v. 19. *Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit; ego ultor existam*. Et per hoc volunt, quod alius ultionem inde sumere non debeat.

Solutio: Sicut dictum est, ipse ultor est, quando

(32) Loquitur hic Moneta de Sacris contra Saracenos expeditionibus, quæ suo tempore fieri consueverant. Eas autem quemadmodum Cathari, & Valdenses, sic qui a Catharis, & Valdensibus formam acceperunt disciplinæ, Lutherani & Calviniani, vehementer improbant. Atque eisdem omnino, ac his, quibus noster, rationibus rem constituit S. Thomas.

(33) Etsi Cathari Geneseos Canonicorum librorum numero non haberent; nihil tamen obstabat, quo minus illum objicerent Catholicis, siquidem in eo quidquam continere putarent, quod esset, illorum quidem sententia, nostris dogmatibus adversarium. Itaque nobis opponunt, quod in *Genesi* scriptum de *Caino* est.

(34 Hoc igitur erat discrimen inter Catharos, & Valdenses, ut illi numquam fuisse, aut esse posse cuiquam integrum interimere hominem aliquem, quod natura prohibitum cujusvis generis homicidium esse censerent; hi vero legis tempore licuisse, ante legem autem, & post Christum non licere, non licuisse arbitrarentur.

do minister ejus ulciscitur: Nonne vides hæretice, quod Dominus Jeremiæ 51. ultor dicitur Babylonis, ibi enim dicitur v. 56. *Quia fortis ultor Dominus reddens retribuet*. Hoc tamen fecit per Cyrum, & Darium.

§. IV.

Probatio Ecclesiæ, quod usus gladii materialis, & vindicta licita est.

NUnc accedamus ad secundam partem capitis ostendentes, quod usus gladii materialis, est licitus, & vindicta licita est. Prius autem ostendamus, quod jurisdictio sæcularis, & dominium sæculare, & subjectio sæcularis (35) a Deo est; quia usus gladii materialis inde pendet.

§. V.

De jurisdictione temporali absolute.

SCiendum enim quosdam esse, qui negantes vindictas debere fieri materialiter in Ecclesia Dei, negant hujusmodi jurisdictionem; de quibus dicit Apostolus Petrus 2. Epist. cap. 2. v. 10. *Dominationemque contemnunt*. Hoc autem faciunt propter illud verbum Domini Matth. 20. v. 25. *Scitis quia Principes gentium dominantur (36) eorum: & qui majores sunt potestatem exercent in eos.* (v. 26.) *Non ita erit inter vos*. Istud autem determinatum est supra in præcedenti parte hujus capitis. Alia causa est quia vindictas materiales negant posse fieri in Ecclesia.

In primis ostendamus, quod jurisdictio sæcularis debet esse in Ecclesia per illud, quod dicit Apostolus 1. Corinth. 6. v. 1. *Audet aliquis (37) vestrum habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, & non apud sanctos*? In hoc capite non dixit Apostolus relinquenda esse negotia causarum civilium tanquam mala, sed dicit eas esse agendas apud sanctos Judices, & non apud iniquos; & quod homines sancti possunt de hujusmodi rebus sæcularibus ferre judicium, probat Apostolus dupliciter. v. 2. *An nescitis, quoniam sancti de hoc mundo judicabunt? Etsi in vobis judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis?* Item v. 3. *Nescitis quoniam Angelos judicabimus? quanto magis sæcularia?* Et loquitur de Angelis Apostatis: ex hoc autem concludit judices Catholicos constituendos, qui ista judicia sæcularia dijudicent v. 4. *Sæcularia igitur judicia si habueritis: contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum*: & appellat contemptibiles illos, qui sunt minoris pretii, a quibus nequeunt magna impleri, idest spiritualia, scilicet prædicare, & docere.

Si autem dicat hæreticus, quod Apostolus ironice loquitur.

Contra: Nunquid eodem modo locutus est in principio capitis dicens: v. 1. *Audet aliquis, &c?* Constat, quod non; ergo nec hic; quos enim prius appellaverat *Sanctos*, modo appellat *contemptibiles* propter assignatam rationem, quia minus sunt (38) appretiandi, talis enim modus loquendi in Scripturis reperitur: Quod ostendo per illud 2. Petri 2. v. 21. *Melius enim erat illi non cognoscere viam justitiæ*, idest, minus malum.

Præterea: Nonne isti sunt in Ecclesia? Utique; sic enim ait: v. 4. *Qui sunt in Ecclesia*; ergo, quod sancti sunt oportet te dicere, qui ponis, quod Ecclesia non habet maculam, & quod mali non sunt in Ecclesia Dei, & si mali sunt, extra sunt: Ecce habemus, quod Apostolus præcipit constitui judices Sanctos, qui de sæcularibus negotiis judicent; ergo jurisdictio sæcularis in Ecclesia Dei est, & esse debet, exercenda tamen per Sanctos, ut dictum est: item per sapientes unde v. 5. ait: *Ad verecundiam vestram dico: Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum?* Quasi dicat: Imo est: sic ergo arguit, quia tractabant sua judicia apud infideles; non enim poterant se excusare propter penuriam fidelium sapientum.

Sed contra hoc opponit hæreticus illud, quod dicit Apostolus statim post illa verba: v. 5. *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos.*

Solutio: Non loquitur Apostolus de quibuscunque judiciis, sed de contentiosis; unde dixerat: v. 6. *Sed frater cum fratre judicio contendit: & hoc apud infideles?* Item fraudulentis; unde dicit: v. 8. *& fraudans*, idest fraudem facitis: *& hoc fratribus*. Judicia igitur Ecclesiæ debent a partibus amicabiliter tractari, non contentiose; item juste, non fraudulenter.

§. VI.

Quod Jurisdictio sæcularis a Deo est, & fuit ante adventum Christi.

NUnc veniamus ad secundam partem hujus secundæ partis capitis, quæ in tres partes dividitur; in prima ostenditur contra Catharos, quod

(35) Hoc ipsum argumentum acute, solideque versat Simon Episcopius homo de Remonstrantium grege, in ea, quam de *Christiano viro, utrum gerere Magistratum possit*, edidit Disputatione, quamque nos ante appellamus.

36 Quemadmodum hoc testimonium intelligi debeat, egimus nos quidem priore parte hujusce Capitis, atque eo sane Lectorem transmittimus.

(37) Adeundus Jo. Chrysostomus *Homil.* XVI. *in* I. *Epistolam ad Corinth. n.* 2. *pag.* 136. *Tom.* X. *Opp. Edit. Montfaucon. Paris.*

(38) Ita hunc locum interpretatur *ibidem* Chrysostomus „ Volens nos docere quodcumque tandem fuerit, non oportere nos „ externis committere, cum objectionem, vel quæ talis esse videbatur, movisset; prius illam solvit. Hoc enim vult significare: „ Fortasse dicet quispiam, nullum esse apud vos Sapientem, neque „ ad judicium ferendum aptum, sed contemtibiles omnes. Et quid „ hoc? Etiamsi enim nullus sit sapiens, *inquit*, vos minimis per„ mittite. *Hoc autem verecumdiam vestram dico, &c.*

quod jurisdictio sæcularis a Deo sancto fuerit ante adventum Christi; Potest autem hoc ostendi Catharis, qui duo ponunt (39) principia per Daniel. 2. v. 27. ubi Daniel dicit Nabuchodonosor: *Tu rex Regum es: & Deus Cœli regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi, &c.* Constans autem est, quod illud de spirituali regno, & imperio non potest intelligi, quia de illo postea dicit eidem Regi v. 44. *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus Cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur.* Ista etiam patent Daniel. 5. v. 18. ubi Daniel loquitur Baltassar filio Nabuchodonosor: *O Rex, Deus altissimus regnum, & magnificentiam, gloriam, & honorem dedit Nabuchodonosor patri tuo.* (v. 19.) *Et propter magnificentiam, quam dederat ei, universi populi, Tribus, & linguæ tremebant, & metuebant eum: quos volebat interficiebat: & quos volebat percutiebat, & quos volebat exaltabat, & quos volebat, humiliabat.* (v. 20.) *Quando autem elevatum est cor ejus, & spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, & gloria ejus ablata est.* (v. 21.) *Et a filiis hominum ejectus est, sed & cor ejus cum bestiis positum est, & cum onagris erat habitatio ejus: fœnum quoque ut bos comedebat, & rore cœli corpus ejus infectum est, donec cognosceret, quod potestatem haberet Altissimus in regno hominum: & quæcunque voluerit, suscitabit super illud.*

Item Proverb. 8. v. 15. *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* (v. 16.) *Per me Principes imperant; & potentes decernunt justitiam.* Ista autem de spiritualibus Regibus, & Principibus non potest intelligere Catharus, quia ponit, quod Ecclesia Dei incæpit ab adventu Christi.

Item Sapientiæ 6. v. 2. *Audite ergo reges, & intelligite; discite judices finium terræ.* (v. 3.) *Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum.* (v. 4.) *Quoniam data est a Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur.* (v. 5.) *Quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis.* Ex quo constat, quod de spiritualibus Regibus non loquitur: nec obstat sive hic, sive alibi hoc intelligatur ab hæretico ponente duo principia: quia regnum temporale a Deo esse constat per hæc verba, & materiales Reges, & judices, & potestatem, & virtutem eorum super turbas.

Item Ecclesiast. 47. ubi loquitur de David dicitur: v. 10. *De omni corde suo laudavit Dominum, & dilexit Deum, qui fecit illum: & dedit illi contra inimicos potentiam:* De ista potentia dicitur: v. 4. *In juventute sua nunquid non occidit Gigantem?* idest Goliam 1. Reg. 17. v. 10. Item eodem cap. Eccl. habet v. 8. quod contrivit hostes per potentiam sibi a Deo datam: ubi etiam patet, quod usus gladii licitus est non obstante eo, quod dicunt hi Cathari, qui de alio David, quam de David Veteris Testamenti hoc intelligunt, quod tamen nullo testimonio probant. Idem etiam potest ostendi per multa alia quæ de laudibus antiquorum dicuntur a 48. capite, quasi usque ad finem libri.

Omnibus autem Catharis potest opponi illud, quod habetur Actor. 13. v. 16. *Surgens autem Paulus, & manu silentium indicens ait: Viri Israelitæ, & qui timetis Deum audite.* (v. 17.) *Deus plebis Israel elegit Patres nostros: & plebem exaltavit, cum essent incolæ in terra Ægypti, & in brachio excelso eduxit eos ex eadem.* (v. 18.) *Et per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto.* (v. 19.) *Et destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum.* (v. 20.) *Quasi post quadringentos, & quinquaginta annos: & post hæc dedit judices usque ad Samuel Prophetam.* (v. 21.) *Et exinde postulaverunt Regem, & dedit illis Deus Saul filium Cis, virum de tribu Beniamin, annis quadraginta.* (v. 22.) *Et amoto illo suscitavit illis David regem: cui testimonium perhibens dixit: Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* (v. 23.) *Hujus Deus ex semine secundum promissionem eduxit Israel Salvatorem Jesum.* Istam auctoritatem disputavimus in secunda parte hujus operis in fine cap. de Deo Veteris Testamenti: item in tertia parte in cap. de humanitate Christi. Ecce dicitur hic, quod Deus plebis Israel dedit ei judices, & Saul in Regem, & David post Saul, ex cujus semine fecit Jesum; istud autem non potest intelligi nisi de materialibus judicibus, & materialibus Regibus; ergo ante Christum jurisdictio sæcularium regum, principum, & judicium a Deo sancto fuit. Ad quid autem illi judices darentur patet in Libro Judicum, quoniam ad usum gladii contra hostes plebis Israel exercendum. Hoc etiam patet ad Hebræos 11. ubi de illis judicibus Apostolus loquens ait v. 33: *Qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones:* & loquitur de fide, sine qua impossibile est placere Deo, & dicit, quod per illam fidem *vicerunt regna.* Gedeon Judicum 6. 7. 8. Barac Judicum 4. Samson Judicum 14. & 15. Jephte Judicum 11. David 15. primi Regum usque ad principium tertii. Samuel a principio 1. Regum usque ad 15. caput. Dicit etiam Apostolus ad Hebr. 11. v. 33. quod per illam fidem *obturaverunt ora leonum*, sicut in Samson patet Judicum 14. v. 6. Item de David 1. Regum 17. *Effugerunt aciem gladii*, scilicet inimicorum, *fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum*; ista autem de bello materiali, & de hostibus materialibus ab eis devictis intelliguntur etiam secundum Catharum, qui unum ponit principium. Alii autem Cathari de aliis judicibus illud intelligunt, quam fuerunt illi, qui in Veteri Testamento fuerunt, de quo non habent testimonium; quod autem de David Veteris Testamenti intelligatur, probatum est in prædictis partibus, quare & de aliis similiter intelligendum est.

Ex prædictis patet, quod regalis potestas, & judiciaria ante adventum Christi licita fuit, & ejus usus,

(39) Balasinansæ sectatores indicat, qui Prophetas, & libros *Sapientiales* in Canonicis ponebant, ut initio hujusce operis vidimus.

usus, idest materialis gladii exercitium; si autem tunc, & modo; quia non est major ratio, quare tunc liceret, & postea, quam modo quoad Catharos.

Quod autem jurisdictio regum, & principum, ducum, & aliorum dominorum sæcularium a Deo sit, & licita sit, & in Ecclesia Dei necessaria, licet possit haberi ex eo quod dictum est supra: *Audet aliquis vestrum &c.* 1. Corinth. 6. v. 1. potest tamen aliter adhuc ostendi; si enim dominium sæculare licitum est infidelibus, multo fortius his, qui fideles sunt; quod autem licitum sit infidelibus habetur 1. Timoth. 6. v. 1. ubi dicitur: *Quicunque sub jugo sunt servi, Dominos suos in omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini, & Doctrina blasphemetur*; istud enim intelligitur de Dominis infidelibus; quod patet ex eo quod sequitur statim: v. 2. *Qui autem fideles habent Dominos, non contemnant, quia fratres sunt: sed magis serviant, quia fideles sunt, & dilecti, qui beneficii participes sunt.* Nulla autem esset ista adversatio. *Qui autem &c.* si superius de Dominis fidelibus loqueretur; unde per hoc quod ait *qui autem &c.* innuit quod prædicti habebant Dominos infideles; ergo de Dominis materialibus, non de spiritualibus loquitur, & tamen dicit de servis, quod ipsi eos arbitrentur dignos omni honore, non vitæ merito, sed officio. Iste honor temporalis erat, & per ipsum vitabatur blasphemia nominis Dei; ergo bonus est, & a Deo; constat autem quod non monet eos ad arbitrandum falsum; igitur illi Domini infideles omni honore digni sunt, si honorem merentur habere in omnibus quæ præcipiunt non contra Dominum, constat quod non sunt digni honore obedientiæ ex bonitate vitæ, quia sunt infideles; ergo ex potestate quam habent; sed non essent digni honore propter illam potestatem, si a diabolo esset, non a Deo; ergo eorum potestas a Deo est etiam super fideles; ergo si dominium infidelium est licitum, multo fortius dominium fidelium licitum est, & a Deo; licet igitur infidelibus dominari carnaliter fidelibus, & hoc est quod conclusit Apostolus: *Qui autem fideles habent Dominos, non contemnant, quia fratres sunt &c.*

Si autem dicat, quod loquitur de Dominis spiritualibus, hoc esse non potest, quod patet ex eo quod dicit: *Non contemnant, quia fratres sunt*; si enim essent spirituales Domini, idest Prælati; ergo & servi spirituales sunt; ergo non contemnunt Dominos spirituales. Hoc autem magis patet per illud quod dicitur ad Colossen. 3. v. 22. *Servi obedite per omnia Dominis carnalibus.* Isti autem Domini intra Ecclesiam erant, & fideles, quia dicit eis cap. 4. v. 1. *Domini, quod justum est, & æquum, servis præstate, scientes quod & vos Dominum habetis in cœlo.* v. 2. *Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione.* v. 3. *Orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi*; non moneret eos orare pro se, nisi essent fideles.

Idem patet ad Ephes. 6. v. 5. ubi ait: *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo.* v. 6. *Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo.* v. 7. *Cum bona voluntate servientes. sicut Domino, & non hominibus.* v. 8. *Scientes, quoniam unusquisque, quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino sive servus sive liber.* Ubi patet, quod de servitute materiali loquitur; si enim de spirituali, per quam quis est Christi servus, iste est liber qui talis est, frustra adderet: *sive liber*; postea subdit: v. 9. *Et vos Domini eadem facite illis, remittentes minas: scientes quia & illorum & vester Dominus est in cœlis.* Prius autem dixerat v. 8. *Scientes, quoniam unusquisque, quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino sive servus, sive liber.* Carnales ergo Domini in dominio suo salvantur, quia recipiunt a Domino mercedem bonorum quæ faciunt.

Ad tuam etiam confusionem nota hoc, quod dicit Apostolus de duobus dominationibus, una fidelium, altera infidelium, post prædicta verba 1. Timoth. 6. v. 3. *Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & ei, quæ secundum pietatem est doctrinæ*: v. 4. *Superbus est nihil sciens.* Tu autem aliter doces, quia dicis quod illa dominatio temporalis a Deo non est, quare non est ei obediendum. Apostolus autem docet obedire utrique dominationi; ergo tu es superbus, & contrarius doctrinæ Apostoli; & de his, de quibus dicit Apostolus Judas in Epistola v. 8. *Dominationem autem spernunt*; & Petrus 2. Epist. cap. 2. v. 10. *Dominationemque contemnunt.* Loquitur autem Petrus de dominatione materiali, quod patet in Epistola sua cap. 2. v. 18. ubi dicit: *Servi subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis, & modestis, sed etiam discolis*, idest indisciplinatis, sive infidelibus; unde & Judas loquitur de dominatione materiali, propter quod & Paulus ad Titum 2. v. 9. dicit: *Hortare servos Dominis suis subditos esse, in omnibus placentes non contradicentes.* v. 10. *Non fraudantes*; unde constat quod de materiali servitute loquitur 1. Corinth. 7. v. 21. *Servus vocatus es? non sit tibi curæ: sed & si potes fieri liber, magis utere*: constat autem, quod sicut de circumcisione, & præputio materiali ibi loquebatur, ita etiam & hic loquebatur de servitute materiali; de servitute enim spirituali debet unicuique esse cura; unde Petrus in 2. Epist. cap. 1. v. 5. *Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam &c.* (40) Dicit ergo

(40) Clarissima sunt Scripturarum documenta, quæ ad Catharos, & Valdenses refellendos hactenus recensuit noster. Eadem ipsa intorqueri merito in Anabaptistas, aliasque pestes generis ejusdem possent, qui nefas esse Christiano viro contendunt gerere magistratum. Neque vero Catharis, aut aliis hæreticis licet hæc in alium sensum trahere, quam verba ipsa postulent: nam cum alia documenta Scripturarum id, quod vult noster, omnino flagitent; tum continuata Ecclesiæ universæ traditio ad nos transmissa a Patribus, qui acceperunt ab Apostolis disciplinam, nullum quidem certe relinquit de re tanta dubitandi locum. Audiendus Theodoretus in *Cap.* XIII. *Epist. ad Romanos*: *Ipse Deus*, inquit, *communis Ordinis curam gerens, alios quidem imperare, alios vero parere instituit, veluti quoddam frœnum iis, qui injuste agunt, imperantium timorem incutiens.* Oecumenius autem *in* I. *Petri Epistolam Cap.* XIII. *Potestates*, inquit, & *magistratus a Deo dati sunt.*

ergo Apoſtolus : *Non ſit tibi curæ* , ſcilicet effugere illam ſervitutem : ſed potius ſi potes fieri liber, magis utere illa ſervitute , quia hæc eſt humilitas , cujus autem uſus bonus , ipſum bonum eſt ; ergo ſervitus materialis bona eſt , ad cujus uſum præeligendum non moneret Apoſtolus , niſi eſſet bonum; non enim eſt ſenſus , magis utere libertate , ideſt præelige eam , quia ſit eſſet contrarium ei , quod dixerat : *Servus vocatus es ? Non ſit tibi curæ* .

[*] Præterea poteſt oſtendi per illud quod Chriſtus ait Johannis 19. v. 11. ubi dicit Pilato : *Non haberes poteſtatem adverſum me ullam , niſi tibi datum eſſet deſuper* . Nec poteſt dici *deſuper* ideſt a Cæſare , ita quod non a Deo , ut patet ſupra proximo loco allato , ubi inductum eſt illud verbum Sapient. 6. v. 2. *Audite ergo reges, & intelligite &c.*

Item , ſecundo capite Daniele & 5., ut ibi diximus .

Ad omnes autem valet illud teſtimonium Apoſtoli ad Roman. 13. v. 21. *Non eſt enim poteſtas niſi a Deo*, in quo concordat cum Daniele,& libro Sapientiæ. (41)

Nec contrarium eſt quod Chriſtus ait : *Sed hæc eſt hora veſtra , & poteſtas tenebrarum* Lucæ 22. v. 53. Hoc enim non dixit Pilato, ſed Judæis , qui officium judicandi non habebant ; verum tamen eſt, & poteſtas Pilati , & eorum in Chriſtum, non Dei erat propter abuſum ejus ; ipſe enim poteſtate illa abuſus eſt condemnans innocentem ; unde dicit ſe nihil inveniſſe in eo cauſæ Lucæ 23. v. 4. Ipſi etiam poteſtate abuſi ſunt, *quia propter invidiam tradiderunt eum*, ut dicitur Matth. 27. v. 18. alii vero propter ignorantiam, ut habetur Act. 3. v. 17. non eſt autem dubium ignorantiam tenebras eſſe , & ea quæ fiunt per eam fieri in tenebris ; ſimiliter & quæ invidia ; unde 1. Johannis 2. v. 11. *Qui autem odit fratrem ſuum in tenebris eſt , & in tenebris ambulat , & neſcit quo eat : quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus* . [*]

Item Actor. 25. v. 9. Feſtus volens præſtare gratiam Judæis dixit Paulo : *Vis Jeroſolymam aſcendere , & ibi de his judicari apud me ?* v. 10. *Dixit autem Paulus : Ad tribunal Cæſaris ſto , ibi me oportet judicari* ; & v. 11. *Cæſarem appello* ; ergo poteſtas ipſius Cæſaris non eſt a diabolo , (42) alioquin ad ipſius tutelam non confugiſſet Paulus ; bona igitur eſt , & a Deo Sancto .

§. VII.

Probatur quod vindicta materialis licita eſt.

NUnc veniamus ad ſecundam partem ſecundæ partis hujus capitis, & oſtendamus quod & poteſtas ſæcularis , & uſus vindictæ materialis , etiam illa quæ fit per gladium,licita eſt . Primo enim inducimus ad hoc illud 1. Petri 2. v. 13. *Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum : ſive Regi , quaſi præcellenti* ; v. 14. *Sive ducibus tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum* (43) ; Vide quia Apoſtolus præmonet , *ſubjecti omni humanæ creaturæ propter Deum* , exponit humanam creaturam , cum dicit : *ſive Regi &c.* Intelligit ergo per humanam creaturam eos qui ſunt conſtituti in ſublimitate, ſicut etiam Paulus ad Roman. 13. v. 1. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit* . Cur autem ſubjiciendi ſint, ponit , cum dicit : *propter Deum* , ideſt propter Dei ordinationem ; ſicut & Paulus dicit poſt verba prædicta : *Omnis anima &c.* eod. verſ. *Non eſt enim poteſtas niſi a Deo : quæ autem ſunt a Deo , ordinata ſunt* . v. 2. *Itaque qui reſiſtit poteſtati , Dei ordinationi reſiſtit* ; ergo quod aliquis ſit ſublimior alio temporaliter , ſicut Rex his qui in regno ſuo ſunt, & Dux eis qui ſunt in ſuo ducatu, eſt a Deo ordinante hoc ; ergo dominatio iſta Principum ſæcularium eſt a Deo ſecundum utrumque Apoſtolum . Item vindicta, quam exercent, a Deo eſt , quia dicit quod a Deo *miſſi ſunt ad vindictam malefactorum* (44) , *laudem vero bonorum* , & ita vindictam facere non eſt peccatum .

Forte dicet, quod illud quod ibi dicitur, *ab eo miſſis* , non eſt intelligendum quod ab eo, ideſt a Deo miſſi ſunt , ſed ab eo ideſt a Rege . Inde non habent teſtimonium Scripturæ; quod autem e contra ſit intelligendum ab eo , ideſt a Deo , inde teſtimonium habeo ex eo quod Apoſtolus Petrus dicit : *Ut ſint ei ſubjecti propter Deum* : ergo a Deo miſſi : alioquin non eſt neceſſe eis ſubjici ; Igitur a Deo ſunt miſſi , cum Paulus exponat verbum Petri , *propter Deum*, ideſt propter Dei ordinationem .

Præterea , quod ſubjici eis ſit opus, eo quod a Deo miſſi ſunt , & ad vindictam ; etiam patet ex eo , quia Petrus dicit : *Quia ſic eſt voluntas Dei , ut ſubjiciamini eis tanquam ab eo miſſis ad vindictam &c.* unde Paulus ait v. 6. *Miniſtri enim Dei ſunt , in hoc ipſum ſervientes* ; ſi iſtud factum , ſcilicet vindicta , eſt voluntas Dei ; ergo non eſt peccatum .

Præ-

[*] Quæ duobus aſteriſcis complexi ſumus , deſunt e *Codice Bononienſi* .

(41) In hunc Apoſtoli locum, hæc adnotavit Oecumenius : „ Poteſtates , & magiſtratus a Deo dati ſunt , alii quidem ad juſtitiæ „ conſervationem , ad correctionem , & utilitatem ſubditorum ; „ alii vero propter timorem ad pœnam , & increpationem delin- „ quentium &c. „ Eodem recidunt , quæ in eumdem Apoſtoli locum obſervant Johannes Chryſoſtomus , & Theodoretus .

(42) Fuerunt præter Catharos alii vetuſtiores hæretici , qui magiſtratum a diabolo eſſe pugnarent ; atque id quidam inde colligebant , quod diabolum eſſe arbitrarentur poteſtatis originem , & ut ait Oecumenius *in* 1. *Petri Cap.* III. exiſtimarent : τοῦ διαβόλου εἶναι τὴν ἐξουσίαν τῶν ἐπὶ γῆς . *Diaboli eſſe poteſtatem in res , quæ ſunt ſuper terram* .

(43) His iiſdem teſtimoniis Scripturarum utitur Epiſcopius ad comprimendam novorum quorumdam hæreticorum audaciam , qui nefas eſſe jactant Chriſtiano viro gerere magiſtratum . Verum quid ego Epiſcopium dico, qui fuit de Secta Remonſtrantium? Sancti Patres , ut integrum eſſe Chriſtiano in principatu verſari oſtenderent, ad hæc ῥητὲ Scripturarum adverterunt animum . Adeundi Johannes Chryſoſtomus *Homilia* IV. *ad Populum Antiochenum* , *Homilia* XXIII. *In Epiſtolam ad Romanos* , & *Homilia* VI. *in* I. *ad Timotheum* . Gregorius Nazianzenus *Epiſt.* XLVI. & Theodoretus *in Cap.* XIII. *Epiſt. ad Romanos &c.*

(44) Gregorius Nazianzenus *Epiſtola* XLVI. Τοῦτο ὁ ἄρχων μοι φαίνεται εἶναι , βοηθὸς ἀρετῆς , καὶ ἀνταγωνιστὴς κακίας . *Hoc mihi videtur eſſe magiſtratus : Virtutis adjutor , & vitiis adverſarius* . Vide quæ ex Theodoreto attulimus 36. *notatione* .

Præterea, quomodo poteſt intelligi *ab eo*, ideſt a Rege, cum Rex terrenus tunc mitteret etiam ad vindictam bonorum, & eorum perſecutionem, & non eorum laudem, imo vituperium. Quare autem hoc eſt voluntas Dei, ſubdit B. Petrus v. 15. cum dicit: *Ut benefacientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam*; hoc eſt quod dicit Paulus 1. Timoth. 6. v. 1. *Quicunque ſunt ſub jugo ſervi, Dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini, & doctrina blaſphemetur*.

Sciendum autem hæreticos, qui Cathari dicuntur, & Valdenſes, & Lombardos iſta velle intelligere ſpiritualiter, ſcilicet de Rege ſpirituali, & ducibus ſpiritualibus, ideſt prælatis Eccleſiæ, & de vindicta ſpirituali.

Sed contra: Nonne B. Petrus ſtatim ſubjungit dicens v. 18. *Servi ſuditi eſtote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis*. Iſtud non potes tu intelligere ſpiritualiter, quia ſi diſcoli ſunt, non ſunt Prælati ſecundum te, vel ſi Prælati ſunt; ergo in Eccleſia ſunt mali Prælati & boni, & utriſque obediendum eſt in omni timore, quod tu non credis. Intelligitur ergo de Dominis carnalibus; ergo intelligebatur de regibus, & ducibus materialibus, cum dicebat: *Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi &c.* (45)

Præterea, quod loquatur de ſubjectione carnali cum dicit: *Subjecti igitur eſtote &c.* Item, *Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis &c.* patet ex eo, quod ſequitur cap. 3. v. 1. *Similiter & mulieres ſubditæ ſint viris ſuis*; & loquitur hoc de ſubjectione temporali, ut probatum eſt in tractatu de Matrimonio in quarta parte hujus operis; ergo cum dicat: *Similiter &c.* prius locutus eſt de ſimili ſubjectione, ſcilicet temporali, & materiali; ergo de Regibus, & ducibus materialibus.

Præterea, oſtende o Cathare aliquo teſtimonio Scripturæ, quod Prælati Eccleſiæ dicuntur Reges, aut duces.

Præterea, Regem ponit in ſingulari, duces in plurali, quare non de Prælatis loquitur; reſtat ergo quod loquatur de Rege materiali, qui habet ſub ſe plures duces.

Quod autem non intelligatur ibi per Regem Deus Pater, patet ex eo quod monet v. 12. ſubjici propter Deum; item ex eo quod dicit v. 17. *Deum timete, Regem honorificate*.

Forte dicet, Prælatos dici Reges eod. cap. 2. v. 9. *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium*, ideſt regales Sacerdotes: in quo conſtat mendacem eſse hæreticum, nam & milites alicujus Regis dicuntur regales, nec tamen ſunt Reges; nunquam enim in Scriptura poteſt oſtendere, quod Rex, vel Dux ſumitur pro ſpirituali Rege, vel Duce in bona parte, niſi pro Chriſto, aut Patre ejus. Patet igitur quod dominium ſæculare malum non eſt, nec a diabolo, alioquin opus Dei non deberet ſubjici tali dominio.

Item ad Rom. 13. v. 1. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*.

Dicunt autem Valdenſes, quod de poteſtatibus materialibus loquitur, ſive temporalibus non ſpiritualibus; ſi autem hoc concedunt, quare non credunt quod punire malefactorem ſit licitum, & facere alias materiales vindictas, & appellat poteſtates homines, qui in ſublimitate ſunt conſtituti ſuper alios; Primum eſt, quod ordinati ſunt a Deo v. 1. Secundum, quod ſunt miniſtri ejus in hoc facto v. 6. Tertium, quia in hoc ei ſerviunt v. 6. Facio hoc argumentum; ergo iſtud non eſt peccatum; ſi enim aliquid eſt quod non poteſt non eſſe peccatum, nunquam aliquis ordinatus eſt a Deo ad illud faciendum; facere enim peccatum aliquod, eſt facere contra mandatum Dei; & nunquam Deus ordinavit, quod aliquis contra ſuum mandatum veniat; imo quod illud impleat, alioquin ſibi eſſet contrarius.

Præterea, ſi ſunt miniſtri Dei in hoc; ergo hoc non eſt peccatum.

Ad hoc autem dixit hæreticus, quod diabolus etiam eſt Dei miniſter in vindictis, & tamen peccat; ſimiliter eſt de poteſtate. Quod autem diabolus ſit ejus miniſter, patet Mat. 5. v. 25. *Et Judex tradat te miniſtro*, ideſt diabolo.

Solutio: Diabolus non peccat in facto, ſed in intentione facti; factum eſt in ſe bonum, ſed intentio diaboli mala, quia non vindicat intuitu, & amore juſtitiæ, ſed intuitu exſaturandi odium ſuum contra homines. Quod autem ita ſit, patet per ſimile Iſaiæ 10. ubi Dominus ait de Rege Aſſur v. 5. quod ipſe eſſet *virga & baculus in manu Domini*. Dominus enim miſit eum ad flagellandum populum ſuum, ut corrigerent ſe, ipſe autem in flagellando populum Domini non hoc intendebat, ſed potius conterere, & occidere populum; unde ibi dicitur: v. 7. *Ipſe autem non ſic arbitrabitur, & cor ejus non ita exiſtimabit: ſed ad conterendum erit cor ejus, & ad internecionem gentium non paucarum*. Non ne vides quod Chriſtum annuntiare quantum in ſe bonum eſt; ſed per invidiam, & contentionem annuntiare malum eſt? Vides igitur quod ſola intentio facit illud malum, & in facto poteſt eſſe miniſter Chriſti, intentione autem miniſter Diaboli.

Si autem dicis, imo peccat in facto, quia infligit pœnam, non tantum in intentione.

Contra: Ergo Angelus Domini, qui occidit Herodem, (46) peccavit Actor. 12. v. 23. quod non poteſt eſſe, quia iſte Angelus parum ante liberaverat Petrum de carcere v. 7. & ſeq. Ex quo conſtat, quod non eſt malum pœnam infligere, niſi depravetur prava intentione; unde dico, quod poteſtas, quæ vindictam ſumit de malefactore, non peccat, niſi ex odio, vel mala intentione faciat.

Præterea; dic mihi: Nunquid in adulterio eſt aliquis miniſter Chriſti, in furto, in falſo teſtimonio, in perjurio, & hujuſmodi, quæ non poſſunt eſſe niſi

(45) Plenæ ſunt harum rerum Sacræ Scripturæ. Quare merito colligebant Patres cujuſvis generis perſonas ſubjectas eſſe magiſtratibus oportere. Hinc Theodoretus in *Cap.* XIII. *Epiſtolæ ad Romanos* „ Sive Sacerdos eſt aliquis, *inquit*, ſive Antiſtes, ſive Monaſticam vitam profeſſus, iis cedat, quibus mandati ſunt principatus.

(46) Non innuit Scriptura eumdem fuiſſe Angelum, qui Herodem occidit, & Petrum liberavit. Verum nihil obſtat quin idem fuerit.

nisi mala? Certe non; ergo si vindicta corporalis de necessitate mala est, in illa non potest esse aliquis Dei minister.

Præterea dicit Apostolus, quod non tantum sunt Dei ministri in hoc, sed etiam servientes. Rom. 13. v. 6. Sed quomodo? Numquid in adulterio aliquis servit Deo, vel in furto? Non; ergo nec in vindicta corporali, si est illa peccatum ex necessitate.

Dixit autem iste hæreticus, quod Nabuchodonosor servivit Domino in Tyri expugnatione, & tamen peccavit expugnando Tyrum. (47)

Ad quod dicimus sicut supra, quod non peccavit in facto, sed in intentione facti.

Præterea, ego video, quod quidquid dicitur hic de Potestatibus, totum est ad laudem ipsorum; quomodo ergo audes dicere quod vindicando peccent.

Ad hoc dixit, quod hoc est ad laudem mundanam, non divinam, quod de Potestatibus dicit Apostolus.

Sed contra: Nonne Apostolus dicit ibi v. 4. quod Potestas est Dei minister, & dicit in quo, cum ait eod. vers. *vindex in iram*, scilicet Dei vindicandam, unde prius dixerat cap. 12. v. 19. *Sed date locum iræ*, scilicet Dei; postea subjungit Apostolus c. 13. v. 5. *Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*; propter iram dicit vitandam, & propter conscientiam conservandam; ergo si non subjiceret se quis potestatibus terrenis, deturparet conscientiam suam; ergo tenentur homines subjici eis ex præcepto Dei, alioquin peccant, & damnationem æternam sibi acquirunt; ergo illa dominatio, & a Deo est, & bona est secundum divinam bonitatem; ergo laudabilis secundum divinam laudem.

Cathari autem illud testimonium Pauli de Prælatis Ecclesiæ intelligunt, & de vindicta spirituali, & gladio spiritus quod est verbum Dei, ad Ephes. 6. v. 17. Hoc autem improbatum est 1. Petri 2. ubi dicitur v. 13. *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum &c.* de quo parum ante diximus.

Præterea ubi habent ipsi, quod Prælati Ecclesiæ dicantur potestates? Ego tamen testimonium habeo, quod rectores sæculares dicuntur potestates, communis enim sermo hominum rectores civitatum potestates appellat.

Item secundum eos ad Ephes. 6. v. 12. *Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed adversus principes, & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus*. Per potestates, & principes intelliguntur (48) rectores terrarum; Magis igitur credendum est doctrinæ meæ, quam tuæ, quia mea testificata est, non tua.

Præterea: Nonne dicit Apostolus de potestate, & principe, quod *vindex est in iram ei, qui malum agit*? (49) Ad Rom. 13. v. 4. Nonne parum ante cap. 12. v. 19. dixerat: *Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus*; ibi autem locutus est de corporali, sive materiali vindicta, ergo & proximo loco, cum dicit de ministro, quod *vindex est in iram ei, qui malum agit*. Loquitur enim de vindicta materiali, ergo & de gladio materiali, & potestate similiter, atque Principe materiali, maxime cum nusquam inveniamus aliquem Prælatum Ecclesiæ, excepto Christo principem appellari vel regem, ut dictum est supra illo verbo Petri: *Subiecti igitur estote &c.* Sed potius in scriptura nominibus humilibus nominantur, ut pastores, ministri, servi; ut sicut in officio, ita & in nominibus differentia appareat inter eos, & judices temporales, ut principes sacerdotum; si autem aliquis invenitur dici Princeps, vel Rex, hoc fieri dicitur propter usum materialis gladii, vel quia secundum carnem est ex principibus natus materialibus, ut Christus.

Præterea loco cit. v. 6. Apostolus dicit: *Ideo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes*. Ex quo patet, quod loquitur de materialibus potestatibus, quibus tributa dantur, ut curam Reipublicæ habeant compescendo malefactores, quæ etiam tributa a quibusdam salaria vocantur.

Præterea: Nunquid aliquo testimonio Scripturæ potes ostendere, quod tributum spiritualiter sumitur? Non: Ego autem invenio tributum materialiter sumi, sicut & reges. Matth. 17. ubi Christus ait v. 24. *Reges terræ a quibus accipiunt tributum, vel censum? a filiis suis, an ab alienis?* (v. 25) *At ille dixit: Ab alienis*.

Item Marci 12. v. 14., & Lucæ 20. v. 22. *Licet nobis tributum dare Cæsari, an non? &c.*

Præterea ipse dicit inferius cap. 13. v. 7. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem*: distinguens illa debita secundum diversas personas. Ostende aliquo testimonio, quod vectigal sumatur spiritualiter; quod facere non potes. Venit ergo materialiter, sicut consuetudo hominum, & Scripturarum habet; ergo & tributum similiter; ista autem nunquam inveniuntur debita, nisi principibus materialibus, ergo potestas, & principes ab Apostolo Domini sæculares dicuntur, ergo gladius dicitur ab eo gladius materialis.

Præterea, secundum Apostolum patet, quod alicui debetur honor, cui non debetur tributum, vel vectigal, vel timor, ne ab eo puniatur: sic enim ait: *Cui tributum tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem*. Sed si potestas, vel princeps est Prælatus Eccle-

(47) Negari nequit, quin Deus pleraque juste permittat. Quando vero permittit, ut faciant homines mala in alios, quæ merentur pœnam, non excusat malum inferentes ab scelere. Quamobrem etsi juste permissa sint, scelestè tamen exequtioni ab improbis mandari solent.

(48) Dæmones per principes hujus seculi a Patribus intelligi, animadverti alio loco. Ceterum S. Johannes Chrysostomus Homilia VII. *in* 1. *Epistolam ad Corinthios*. Nostri interpretationem probat. Jam vero quod attinet, ad rectores tenebrarum, eodem modo se res habet. Nam potest in eos cadere, qui in tenebris considebant, & veritatem Christianam oppugnabant Imperatores.

(49) Hinc a Gregorio Nazianzeno *Epistola* XLVI. appellatur potestas regia: *ἀρχὴ μετὰ, ξίφος, καὶ τελαμῶνος. Imperium cum ense, & loco.*

Ecclesiæ, cui debetur honor spiritualis, de quo intelligis verbum Apostoli, constat, quod eidem debetur tributum spiritualiter, vel vectigal; male ergo distinxisset Apostolus, *cui tributum, tributum: cui vectigal &c.*

Præterea: Quæ differentia est inter tributum spirituale, & honorem spiritualem; nonne honor spiritualis tributum spirituale est?

Præterea, nonne timor spiritualis etiam tributum spirituale est? Male ergo diversificavit Apostolus inter tributum, honorem, atque timorem.

Præterea, quæ differentia est inter tributum, & vectigal spirituale? Ostende si potes.

Præterea, cum dixisset: *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum &c.* subjunxit v. 8. *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis*; quod dicit propter tributa, & vectigalia, quasi dicat absolvite vos a debito tributorum, & vectigalium, non a debito dilectionis. Si autem tributum, & vectigal spirituale esset, quod deberent exhibere Prælato, ab illo non possent se absolvere; illud enim semper reddendum est, sicut & dilectio; a materiali autem tributo, vel vectigali potest quis se absolvere; ergo tributum venit pro materiali tributo, & vectigal similiter; hæc autem Principibus sæcularibus danda sunt, ergo Apostolus Principes, & potestates pro sæcularibus sumit; ex quo habeo, quod & gladius pro materiali gladio, & vindicta pro materiali vindicta sumitur.

Sciendum autem, quod Cathari nobis objiciunt de auctoritate illa Apostoli dicentes: Cum tunc temporis Principes, & potestates infideles essent, non præcepisset Apostolus Christianis, quod eis subjicerentur, maxime cum ab eis persecutionem paterentur.

Solutio: Nunquid potes probare, ò hæretice, quod omnes Principes, & potestates essent infideles, & persecutores Ecclesiæ, quando Apostolus istud dixit? certe non: quid dicis de Centurione Matth. 8. v. 5. & seq.? Quid etiam de Regulo Jo: 4. v. 46. & seq. cujus filio resuscitato *credit ipse, & domus ejus tota?* Quid dices de Zacchæo principe publicanorum. Lucæ 19. v. 1. & seq.? Quid etiam dices de Proconsule converso ad fidem Christi, qui miratus est super doctrina Christi, quam audierat per os Pauli. Actor. 13. v. 7. & seq.?

Præterea detur, quod nulli Principes essent fideles, tamen Apostolus præcipit Christianis eis subjici in his, quæ non sunt contra Dominum (50), sicut & Christus Matth. 22. v. 21. dixit: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo*; ubi patet, quod Cæsari materiali jubet solvi materialia tributa; Igitur cum Apostolus esset Christi imitator, idem jussit cum dixit: *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum &c.* & ita loquebatur de principibus, & potestatibus materialibus.

Item 1. Timoth. 6. v. 1. *Quicunque sunt sub jugo servi; dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur* (v. 2.) *Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt.*

Item 1. Petri 2. v. 18. *Servi subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis, & modestis, sed etiam discolis*. Ecce monet subjici infidelibus uterque Apostolus, quare ergo dixisti contrarium, nisi quia es doctrinæ Apostolicæ contrarius?

Item objicit hæreticus contra nos dicens, quod nos Clerici illud non observamus, non enim volumus subjici potestatibus paganis.

Respondeo: Imo volumus alicubi; alicubi autem non (51); sicut hic, quia nullum jus habent hic in nobis; unde Apostolus caute loquens ad Rom. 13. v. 1. non *ait omnis anima*, idest omnis homo subjectus sit potestatibus, sed addidit *sublimioribus* supra se ad comparativi illius determinationem, hic autem non sunt sublimiores nobis.

Præterea, ex vi comparativi patet, quod non loquitur de quolibet homine, cum dicit *omnis anima*, sed tantum de illo, qui habet sublimiorem, & ei dicit, quod suo sublimiori se subjiciat; unde & Clerici non subjiciunt se sæcularibus Principibus, quamvis Catholicis, quia Principes non sunt eis sublimiores, & non præsunt eis. A Constantino enim, & aliis Imperatoribus (52) sunt exempti, quorum vicarii sunt Potestates, & alii Principes; poterant enim eis dare jus suum; propter quod nullus admirari debet, si quando Sæcularis de Clerico conqueritur, si Clericus fungens privilegio, facit ei rationem non sub Principe, vel Potestate, sed sub Episcopo suo tantum, sicut facit laicus econtra contra Clericum.

Si autem objicias, quod Papa sæculares homines Imperatori subjici non permittit aliquando. Dico, quod facit sicut Pater prius flagellans filium suum ad correctionem; de subjectione enim Imperatorum, & principum sæcularium ad Ecclesiam prophetat Isaias cap. 60. v. 10. ubi ait: *Et ædificabunt filii peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi.*

Item 49. v. 23. dixerat: *Et erunt reges nutritii tui, & reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent*; & loquitur ibi ad Jerusalem, idest ad Ecclesiam.

Item induci potest illud 1. Timoth. 2. v. 1. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus* (v. 3.) *Pro regibus, & omnibus qui*

(50) Pulcre Theodoretus *ad v. 1. Cap. III. Epistolæ ad Titum*. „ Neque magistratibus, *inquit*; omnibus parendum est. „ Sed vectigal quidem, & tributum conferendum est, & honor, „ qui eis convenit, tribuendus. At si ut impie agas jusserint: „ aperte contradicendum. „ Id vero non Christiani solum cognorant, verum etiam Ethnici. Quamobrem Arrianus in *Epictet.* 1. 3 „ Si ad quempiam illorum, *inquit*, qui in eminentia „ sunt constituti, ingrediaris, memento etiam alium superne intueri ea, quæ fiunt, & oportere te ei magis placere, quam „ illi &c.

(51) Videlicet si in eorum regionibus versemur, tum iis esse parendum, adhibendumque honorem præscribit Moneta; sin autem Christianorum Principum ditioni subjecti simus, non esse cur eis obtemperemus, qui nullam in hæc regna Christianorum, adeoque ne in nos quidem obtinent potestatem.

(52) Multa quidem sunt privilegia Clericorum. Ceterum fateamur oportet Clericos si perturbent Reipublicæ tranquillitatem, tum esse puniendos, etsi non a Rege, ab Ecclesia tamen. Sed in his consuli debent jura Episcoporum, ac Summi Pontificis, a nostris Canonum Interpretibus vindicata.

qui in sublimitate sunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus, in omni pietate, & castitate. Modo quæro: aut monet orare pro regibus, ut convertantur, & omnino cessent a regno & vindictis; sic non haberemus quietam, & tranquillam vitam a persecutoribus; sic enim prædones, & adulteri libere nos invadent, & hoc maxime volunt, ut non sint homines facientes justitiam istam; aut ut convertantur, & inde exerceant officium suum, scilicet sumere vindictam malefactorum, & conservare bonos in statu, & jure suo; quo dato patet quod volo.

Si autem dicas, quod de regibus loquitur, idest prælatis Ecclesiarum.

Contra: Hoc dictum est in aliis, quæ parum ante dicta sunt.

Præterea, quomodo potest hoc esse? nonne loquitur Apostolus cuidam Prælato, scilicet Timotheo, & de se, & de illo dicit in prima persona, ut quietam, & tranquillam vitam agamus; de regibus autem dicit in tertia persona. Pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt constituti, ergo vel ipse, & Timotheus non erant spirituales reges, vel reges appellat reges sæculares.

Præterea, quod loquatur de Regibus istis, patet Jeremiæ 29. v. 7. ubi dicitur: *Et quærite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci: & orate pro ea ad Dominum: quia in pace illius erit pax vobis.*

Item ad Titum 3. v. 1. *Admone illos, principibus, & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omme opus bonum paratos esse. Illos* dicit, idest senes, & juvenes, servos, & liberos, viros, & uxores, hoc dixit Tito, qui erat spiritualis princeps Ecclesiæ suæ, quam debebat docere, ut subditi essent principibus, & potestatibus; principes, & potestates, dicuntur principes, & potestates sæculares; quia non sic appellaret eos, sed potius Episcopos Presbyteros, vel Diaconos, sicut etiam facit in principio Epistolæ v. 5. *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi &c.* v. 7. *Oportet enim Episcopum sine crimine esse.*

Si autem vis dicere, quod illos appellat principes, & potestates postea, jam dictum est in præcedentibus, quod nullo testimonio Scripturæ divinæ potes ostendere, quod Prælati Ecclesiæ Dei dicantur principes excepto Christo, qui fuit Rex, & Sacerdos, descendit enim de tribu regia. In Veteri autem Testamento licet dicerentur principes, o Valdensis, hoc erat propter usum materialis gladii, quem ipsi exercebant in propria persona, ut patet in Phinees. Numer. 25. v. 13. Et Moysi Exod. 2. v. 21. & seq. & filiis Levi Exodi 32. v. 26. *Si quis est Domini: jungatur mihi. Congregatique sunt ad eum omnes filii Levi &c.* Et Numeror. 3. v. 12. *Eruntque Levitæ mei.*

Præterea, o Cathare, illi nunquam fuerunt spirituales secundum te, qui in Veteri Testamento principes sunt.

Item, quod dominari corporaliter, sive carnaliter habere subditos liceat, patet Matth. 8. ubi Centurio dixit Jesu v. 9. *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic: Vade, & vadit; & alii: Veni, & venit; & servo meo: fac hoc, & facit.* Hoc autem dixit ad confirmandum quoddam verbum, quod de Jesu dixerat v. 9. *Sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus*; quasi dicat: præcipe infirmitati, ut vadat, & vadet, idest recedet; præcipe sanitati, ut veniat, & veniet; quo audito Jesus eum magnifice laudans ait v. 10. *Amen dico vobis: Non inveni tantam fidem in Israel.* Signoria (53) ergo sua de qua locutus erat, & quam posuit in testimonium signoriæ Christi super infirmitatem, & sanitatem, nunquid illicita erat? Si sic, cum ille esset corrigibilis, magnæ enim humanitatis erat, ita ut diceret v. 8. *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum*, & magnæ fidei, ut patet ex testimonio Christi de eo; quare Dominus non correxit eum de illo malo, & illicito? Videtur ergo quod consenserit ei in illo. Relinquitur ergo quia non correxit, cum esset corrigibilis, quod licitum erat, & bonum habere sub se milites, & servos.

Idem, potest haberi de Centurione, de quo habetur Actor. 10. v. 1. & seq. de Cornelio, qui erat centurio cohortis, quæ dicitur Italica, & tamen religiosus, ac timens Deum.

§. VIII.

Probatio Ecclesiæ quod usus gladii materialis sit licitus.

IN hac tertia parte hujus secundæ partis capitis decimi tertii specialiter intendimus probare, quod usus gladii licitus est. In primis autem per illud Matth. 5. v. 21. *Non occides*; Istud superius, disputatum est, & probatum Valdensibus, quod sicut in Veteri Testamento, ita nunc non intelligitur, nisi de innocentibus; Non occides innocentem o Judex. Vel dictum est personæ non habenti jurisdictionem aliquam. Disputatum etiam fuit contra Catharos, ostendendo de qua occisione, & de quibus intelligitur, quia non de animalibus brutis, nec de omnibus hominibus, per illam rationem, quæ contra Valdenses posita fuit. Nunc a Catharis inquirimus tertium, quod ibi dimisimus, scilicet quando fuerit illud datum mandatum. Procedendum est autem prius hoc modo: Tu dicis quod occidere malum est. Quæro: Quare? Dices mihi, quia prohibitum. Modo quæro: quando prohibitum est, & ubi? Dices mihi: quando Christus dixit in Novo Testamento Matth. 5. v. 21. *Non occides*; ergo peccatum est quia prohibitum est a Christo in Novo Testamento; ergo ante Novum Testamentum non fuit peccatum occidere; ergo non peccabant occidendo illi, qui fuerunt in Veteri Testamento, eadem ratione non peccabunt mæchando, vel furtnm faciendo, vel falsum dicendo, & sic de aliis;

 ergo

(53) Pro *dominio*. Adicor Cangius *in Lex. Med. & Infima Latinit. ad v. Signoria*.

ergo erant ſine omni peccato, quod tu non credis.

Præterea, ſi peccatum fuit occidere antequam Chriſtus veniret; ergo cum peccare non ſit aliud, quam contra legem Dei venire, veniebant contra legem Dei Sancti; ſed non veniebant iſti niſi contra legem Moyſis, ergo illa erat lex Dei Sancti, quod tu non credis.

Forte dices: Imo credo, quod ad aliqua, quæ ibi erant, ſcilicet *non occides*, & hujuſmodi. Sed nunquid Deus Sanctus dedit illud mandatum Moyſi? Si ſic; ergo Deus Sanctus loquebatur Moyſi, quod tu non credis. Si alius dedit, ſicut tu credis, ſcilicet Satan, non tenebatur illi obedire; ergo non peccabant veniendo contra hoc: *Non occides*.

Si autem dicas, quod peccatum fuit, quia contra legem naturalem fuit.

Contra: Illa lex naturalis non eſt niſi ratio hominis dictans homini in corde, quid faciendum ſit, & quid non: Dic mihi, quis dedit homini illam legem, quis eam ſcripſit in anima ejus niſi ille, qui facit animam ex anima, ut tu credis, qui unum ponis principium, & credis animam ex anima traduci opere Satanæ, ut habetur 2. lib. cap. 4. Nunquid legi a diabolo datæ ſtandum eſt? Nunquid illa obligat aliquem, ſi Deus illam non dat? Conſtat quod non. Quod autem lex mentis ſit ratio, Deſiderius hæreſiarcha notavit in cap. ſuo de reſurrectione.

Præterea, proba hoc quod occidere malefactorem, qui turbat bonum commune ſit contra legem (54) naturalem, quod facere non potes, naturalis enim lex, quæ eſt in mente uniuſcujuſque dictat, quod communis utilitas præferenda eſt privatæ, & bonum totius reipublicæ bono unius hominis. [*] Conſtat enim quod Apoſtolus comparat Eccleſiam corpori naturali, ad Roman. 12. v. 4. 5. Conſtat autem quod corpus naturale præfertur uni membro; & ut a medico membrum aliquod præſcinditur, ne totum corpus ejus putredine inficiatur, ſic facit in corpore Eccleſia non crudeliter quidem agens, ſed miſericorditer, ut bonus medicus, ne malefactor contagione peſtifera plurimos perdat, ſi non puniatur. [*]

Ex his quæ dicta ſunt modo, & prius, conſtat, quod iſtud mandatum *non occides*, nec ſecundum naturalem legem, nec ſecundum legem Moyſi, nec ſecundum Chriſti intelligitur univerſaliter.

Quod autem *non occides* non intelligatur univerſaliter, poteſt adhuc probari naturali ratione; ex fructu arbor cognoſcitur (Matth. 12. v. 33.) fructus autem juſtitiæ ſæcularis eſt vitatio multorum malorum, quæ ex ejus abſentia inducuntur, fructus igitur juſtitiæ ſæcularis bonus; ergo ipſa bona, & a Deo; fructus autem abſentiæ ejus intelligis eſſe multa mala; ergo abſentia juſtitiæ ſæcularis mala eſt.

Præterea juſtitia iſta ordinata eſt, ut vitetur majus malum. Quæro a quo ordinata ſit? a diabolo non, quia non vellet, quod majus malum propter minus vitaretur; ergo a Deo ordinata eſt, ergo bona, & licita.

[*] Aliter etiam poteſt procedi contra eos qui inducunt iſtud per ſe. Matth. 5. v. 21. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non occides; qui autem occiderit reus erit judicio*. Nunquid idem eſt, qui dicit antiquis *non occides*, & qui dicit v. 22. *Ego autem dico vobis: quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio*? Si idem, Chriſtus ergo loquebatur Moyſi in monte Sina, quod non audet dicere; ſecundum hoc enim ille, qui dedit Moyſi tabulas lapideas ſcriptas digito Dei erat Chriſtus. Si autem dicat alius fuit, ſcilicet Satan, non tenebatur ei obedire, & inde ut prius. [*]

Præterea, quod uſus gladii materialis licitus eſt jam probatum eſt ex illo teſtimonio ad Roman. 12. v. 19. *Mihi vindictam: ego retribuam, dicit Dominus* contra Valdenſes.

Item ex illo teſtimonio Actor. 24. v. 11. *Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuſo mori. Si vero nihil eſt eorum, quæ hi accuſant me, nemo poteſt me illis donare. Cæſarem appello*. Contra omnes hærereticos negantes uſum gladii per illud Johannis 8. v. 7. *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat*.

Item per illud quod habetur Apoc. 13. v. 10. *Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi*.

Item Act. 3. v. 14. *Vos autem ſanctum & juſtum negaſtis, & petiſtis virum homicidam donari vobis*; verba ſunt Petri ad Judæos, quos arguit de duobus, quia *juſtum & ſanctum* negaverunt, contra illud mandatum Exodi 23. v. 7. *Inſontem & juſtum non occides*.

Item, quia petierunt Barrabbam virum homicidiam, contra mandatum legis de homicida occidendo; peccabant igitur quia petebant ut parceretur homicidæ; ergo juſtum, & licitum erat contrarium, ſcilicet ipſum occidere.

Item Actor. 12. v. 23. habemus, quod Angelus Domini occidit Herodem, *eo quod non dediſſet honorem Deo*: de hoc habetur in capite de judicio in tertia hujus operis parte.

Si autem dicat quod lex non eſt poſita Angelo, ſed homini; de hoc etiam contra hoc diſputatum eſt in capite de juramento,

Præterea, ſi lex non eſt data Angelo; ergo cum peccare ſit facere contra legem datam, Angelus non peccavit; male ergo dicit Johannes in prima Epiſt. cap. 3. v. 8. cum dicit: *Quoniam ab initio diabolus peccat*. Patet ergo quod Dominus per Angelum ſuum tanquam per miniſtrum ſuum occidit.

Item,

(54) Bonum commune præferatur privato cujuſque commodo neceſſe eſt. Pax autem, & tranquillitas reipublicæ maxime ob bonum commune conſtat. Jam vero pax obtineri nequit, niſi ſint magiſtratus, qui perturbatores publicæ tranquillitatis puniant. Appoſite Johannes Chryſoſtomus *Homilia* VI. „ ſi judi- „ ciaria, *inquit*, ſuſtuleris tribunalia, omnem vitæ noſtræ or- „ dinem ſuſtuleris; & ſicut ſi gubernatorem a navi ſeparave- „ ris, ſcapham ſubmerſeris; & ſi ducem ab exercitu remove- „ ris, vinctos hoſtibus tradideris milites: ita ſi magiſtratus de „ civitatibus abſtuleris, ipſis brutis animalibus magis irratio- „ nabilem degemus vitam, alii alios mordentes, & devoran- „ tes, pauperiorem ditior, infirmiorem potentior, manſuetio- „ rem audacior &c.

[*] Deſunt hæc, quæ duobus aſteriſcis comprehendimus ex Codicibus *Bononienſi*, & *Vaticano*.

[*] Ne hæc quidem, quæ duobus rurſum aſteriſcis complexi ſumus, extant in Codicibus *Bonon.* & *Vatic.*

Item, excæcavit Elymam cum manu sua Act. 13. v. 11. de quo etiam dictum est in quarta parte hujus operis in capite de judicio pœnarum sæcularium; an sit a Deo: hoc autem tantum factum est in signum, quod ministri ejus, idest Principes, & occidere possunt, & excæcare malefactores.

Item Actor. 22. v. 25. *Si hominem Romanum, & indemnatum licet vobis flagellare?* Romanum, idest Romanæ libertatis participem; hæc est civitas (55), in qua dicit se natum; non arguit eos Paulus, quod eum flagellaverunt, sed quia hoc fecerant non observato ordine juris; flagellaverant enim eum inconvictum, & inconfessum de eo quod objiciebant; unde patet quod condemnatio facta juris ordine non est mala, cum innuat eam licitam dicens: *Si hominem Romanum, & indemnatum licet vobis flagellare?*

Item, Roman. 1. v. 32. *Quoniam qui talia agunt digni sunt morte: non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*; morte scilicet non solum æternitatis, sed temporis; quod patet ex eo quod dicit Apostolus Act. 25. v. 11. *Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori*. Quare ergo tu negas ultionem mortis corporalis factam per judicem, & recusas, & reprobas, cum dicat Apostolus, quod ea *digni sunt*, & latro Lucæ 23. v. 41. idem dicat, scilicet se digna factis recipere, & non mentiebatur?

Præterea, quare diceret Apostolus, *quod digni sunt morte*, nisi ab aliquo essent eam recepturi propter peccatum suum? a quo autem recepturi sunt eam, nisi a Judice ordinato a Deo ad vindictam malefactorum, ut ait Paulus Rom. 13. v. 4.? Ergo illa ultio non est ei peccatum.

Præterea, est digna retributio pro factis, ut patet per latronem; ergo non est peccatum, quantum in se est.

Item Lucæ 23. v. 41. *Et nos quidem juste; nam digna factis recipimus*. Duo dicit, se dignum morte, & ideo juste occisum a Judice, non esset juste occisus ab eo, si prohibitum esset ei; quod enim non licet alicui, non juste ab eo fit; ergo istud juste fiebat a Judice.

Præterea, dicit se juste occisum in condemnatione facta a judice, & dicit quare, *nam digna factis recipimus*; pro se dicebat, quod digne patiebatur, pro judice dixit, quod juste, non dixit digne, quia malus homo erat. Judices ergo pagani juste condemnabant maleficos; ergo illa condemnatio non est peccatum etiam post Christum.

Præterea, dicit se digna factis recipere, & non mentitur, quia sic non mereretur audire v. 44. *Hodie mecum eris in Paradiso*. Modo quæro; illa pœna aut debebat fieri, aut non? Si non; ergo non erat dignus ea; ergo mentiebatur. Si autem debebat ei fieri, illa ergo ultio non erat mala quantum in se; vel si erat mala, ergo indebita.

Præterea, debebat recipere istam ultionem; quæro a quo? Catharus non audet dicere quod a Deo, Valdensis autem sic, sed dico ei, quando? nisi nunc per ministrum suum, consueta enim morte, etiamsi non peccasset, dignus erat per peccatum primi hominis.

Item, Matth. 15. dixerunt Pharisæi Jesu v. 2. *Quare discipuli tui trasgrediuntur traditionem seniorum? non enim lavant manus suas cum panem manducant*. v. 3. *Ipse autem respondens ait illis: quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* Quod autem mandatum transgrederentur ipse ponit, cum ait v. 3. *Nam Deus dixit*: v. 4. *Honora patrem, & matrem, & qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur*; hoc autem testimonium habetur in secunda parte hujus operis in 2. cap. de Deo Veteris Testamenti, in quo testimonio arguit eos Christus de hoc, quia nec patrem, nec matrem honorabant: item de hoc alio, quia nec istud observabant, *qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur*. Istud ergo observandum erat ex Dei præcepto; constat autem quod de morte temporali ait, quæ fiebat in Veteri Testamento per judices, ergo usus gladii materialis licetus erat judicibus.

Item, Matth. 21. v. 23. habetur: *Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificavit turrim, & locavit eam agricolis: & peregre profectus est*. Vinea ista domus Israel est, ut dicit Isaias cap. 5. v. 7. Et Psalm. 79. v. 9. *Vineam de Ægypto transtulisti: ejecisti gentes & plantasti eam*; Populus enim ille vinea Domini, & hæreditas, & regnum Dei Patris fuit. Postea dicitur v. 34. *Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus*. v. 35. *Et agricolæ apprehensis servis ejus, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt*. v. 36. *Iterum misit alios servos plures prioribus, & fecerunt illis similiter*. v. 37. *Novissime autem misit ad ad eos filium suum* . . . . . v. 39. *Et apprehensum eum ejecerunt extra vineam, & occiderunt*. Postea vero facta Judæis quæstione, cum venerit quid faciet agricolis? Dixerunt ei v. 41. *Malos male perdet: & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis*. Idem affirmavit, & dixit Christus Marci 12. v. 9. Lucæ 20. v. 16. Modo quæro: hoc quod dicitur: *Cum ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis* v. 40. Nunquid iutelligitur istud de adventu ultimo ad judicium universale? Non; quia vineam non locabit tunc aliis agricolis, idest gentibus; intelligitur ergo de adventu ad particulare judicium, de quo habetur Lucæ 19. v. 41. *Et ut appropinquavit Jesus, videns civitatem, flevit super illam, dicens*: v. 42. *Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis*. v. 43. *Quia venient dies in te: & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undique*. v. 44. *Et ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te, sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem: eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ*; & de quo etiam dicit Matth. 21. v. 41. ubi ajunt Christo, *quod malos male perdet*; idest occi-

(55) Alii Codicis habent *civilitas*. Civitate Romana donabantur, qui alibi etiam nati essent. Ita accidit Paulo. Tarsensis enim erat, ut ipse testatur *Actor*. XXII. *versu* 3.

occidet morte temporali per exercitus suos, ut tangit Matth. 22. v. 7. Ergo Dominus per ministros occidit; ergo occidere non est peccatum judici, vel ministro, nisi fiat mala intentione (56). Nunquam enim legi quod Deus fornicetur nec per se, nec per aliquem, nec quod furetur, cum tamen Christus dicat in Matth. *quod malos male perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis*; idest gentibus, quæ postea factæ sunt Domini vinea, & regnum, & hæreditas, & impletum est illud Ps. 2. v. 8. *Postula a me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*; propter quod dicit Judæis Matth. 21. v. 43. *Ideo dico vobis: quia auferetur a vobis regnum Dei*, supple, *esse*, idest desinetis esse regnum Dei, *& dabitur genti facienti fructus ejus*; idest gentes incipient esse regnum Dei.

Item, Matth. 22. v. 2. *Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo &c.* usque ad *exitus viarum, & quoscunque inveneritis, vocate ad nuptias*. Simile dicit esse regnum cœlorum, idest Regem regni cœlorum, homini patrifamilias in facto quod narrat; & est quasi eadem sententia, quæ & in præcedenti parabola. Et nota quod servi missi vocare ad nuptias occisi sunt, ut dicitur v. 6. *Rex autem cum audisset, iratus est: & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & civitates illorum succendit* v. 7. Istud totum intelligitur materialiter de Jerusalem, & populo Judæorum.

Idem, habetur Lucæ 19. v. 12. *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reverti*. Dixerunt autem quidam v. 14. *Nolumus hunc regnare super nos*; & post pauca dicit Christus v. 27. *Veruntamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me*. Quod testimonium, quia ab hæreticis intelligitur de ultimo judicio; ad confirmandum illud quod diximus, inducas illud Matth. 22. v. 7. *Rex autem cum audisset, iratus est; & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos*; idest occidit per exercitus suos. Istud autem non potest intelligi de die judicii universalis, quia postea v. 9. non mitteret alios servos vocare ad nuptias; post factum autem illud *missis exercitibus perdidit homicidas illos*, & alios misit; unde ait v. 9. *Ite ergo ad exitus viarum: et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias*. Huic est contrarium quod habetur Lucæ 19. v. 10. *Venit enim filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat*; quia verum est quod non venit eos perdere, qui voluerunt eum super se regnare, ut patet Lucæ 19. v. 14. Si autem noluerint, dicit v. 27. *Veruntamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me*. Ex quibus patet, quod occidere licitum est, & potest bene fieri, alioquin sicut Deus nec per se, nec per alium peccat, ita nec per se, nec per alium occideret.

[*] Hic nota concordantiam illam in 1. Petri 2. v. 13. *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum: sive Regi, quasi præcellenti*. v. 14. *Sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum*. v. 15. *Quia sic est voluntas Dei*: Idem est enim quod hic dicitur: *missis exercitibus perdidit homicidas illos*; missis scilicet ad vindictam malefactorum.

Item, Roman. 13. v. 14. *Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram, ei qui malum agit*. [*]

Item, Matth. 23. v. 23. *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ: quia decimatis mentam, & anethum, & cyminum, & reliquistis, quæ graviora sunt legis, judicium, & misericordiam, & fidem*: Ecce cominatur eis væ, propter derelictionem judicii. Quod sit illud judicium, habetur Matth. 15. v. 3. *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit*. v. 4. *Honora patrem, & matrem. Et qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur*; quod reliquerant propter traditiones humanas, ut dicitur Marci 7. v. 8.

Præterea, tu non habes testimonium, quod alia judicia legis reliquerint.

Præterea, non habuerunt aliam legem, nec ex alia lege determinationes fiebant; ergo non reliquerunt judicia alia, nisi illius legis veteris, de quibus ego habeo testimonium, quod erant judicia legis illis data. Exodi 21. v. 1. *Hæc sunt judicia, quæ propones filii Israel*. v. 12. *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur*. v. 14. *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias; ab altari meo evelles eum, ut moriatur*. v. 15. *Qui percusserit patrem suum, aut matrem, morte moriatur*. v. 17. *Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur*. v. 16. *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, convictus noxæ, morte moriatur*. Et multa alia leguntur in illo capitulo; ubi etiam ponitur illud judicium, quod relinquebant Scribæ, & Pharisæi. *Qui maledixerit patri suo &c.* Unde patet quod loquitur de judiciis materialibus; istud autem testimonium; *Væ vobis &c.* disputatum est in cap. de Lege in secunda parte hujus operis.

Præterea, quod illa judicia veteris legis reliquerunt, patet ex primo judicio ibi posito v. 2. *Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi: in septimo egredietur liber gratis*. v. 3. *Cum quali veste intraverit, cum tali exeat: si habens uxorem, & uxor egredietur simul*. v. 4. *Sin autem Dominus dederit illi uxorem, & pepererit filios, & filias: mulier, & liberi ejus erunt Domini sui: ipse vero exibit cum vestitu suo*. De cujus derelictione arguuntur Jerem. 34. v. 12. *Et factum est verbum Domini ad Jeremiam a Domino, dicens*: v. 13. *Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego percussi fœdus cum Patribus vestris, in die, qua eduxi vos de Terra Ægypti; de domo servitutis, dicens*: v. 14. *Cum completi fuerint septem anni, dimittat unusquisque fratrem suum Hebræum, qui venditus est ei, & serviet tibi sex annis, & dimittes eum a te liberum, & non audierunt patres vestri me, nec inclinaverunt aurem suam*. v. 15. *Et conversi estis vos hodie, & fecistis* quod

(56) Seu *injuste*.
[*] Quæ duobus asteriscis complexi sumus, desunt e *Codicibus Bonon.* & *Vatic.*

quod rectum est in oculis meis, ut prædicaretis libertatem, unusquisque ad amicum suum: & inistis pactum in conspectu meo, in domo, in qua invocatum est nomen meum super eam. v. 16. Et reversi estis, & commaculastis nomen meum: & reduxistis unusquisque servum suum, & unusquisque ancillam suam, quos dimiseratis, ut essent liberi, & suæ potestatis: & subjugastis eos, ut sint vobis servi, & ancillæ. Unde etiam potest trahi argumentum efficax, quod Deus prophetarum non est, nisi Deus legis Moysi contra illos, qui duo ponunt principia, qui accusantes Deum legis, approbant, ut dicunt Deum prophetarum.

Item, Lucæ 3. v. 14. Johannes Baptista non dixit militibus, qui interrogabant eum quid facerent, relinquere stipendia principum, sed dixit: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti estote stipendiis vestris.* Quod si exponis sic, idest nullum bellum faciatis, male dixisset, quia sic docuisset eos decipere principes, a quibus accipiebant stipendia dicens: *Contenti estote stipendiis vestris*; Quomodo enim acciperent stipendia a Principibus pro defensione terræ, si nollent eam defendere cum opus esset?

Item, enumeratis quibusdam judicibus de quibus habetur Actor. 13. v. 22. & seq. dicit Apostolus Hebræor. 11. v. 33. *Quod per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum &c.* De ista fide dicitur Apocal. 13. v. 10. *Hæc est patientia, & fides Sanctorum*; patientia in perferendis majoribus si opus; & fides, ut qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.

Contra Valdenses potest induci illud 1. Timoth. 1. v. 8. *Scimus autem, quia bona est lex, si quis ea legitime utatur* (v. 9.) *sciens hoc, quia lex justo non est posita, sed injustis, & non subditis, impiis, & peccatoribus, sceleratis, & contaminatis, parricidis, & matricidis, homicidis,* (v. 10.) *fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, perjuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur,* (v. 11.) *quæ est secundum Evangelium gloriæ Beati Dei.* Duo dicit se scire, unum, quia lex bona est; aliud, quoniam non est posita justis, sed injustis. Apostolus prius dixerat v. 7. de quibusdam, quod volebant esse legis Doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant; de se autem & de aliis Catholicis dicit: *Scimus autem &c.* quasi dicat, illi non intelligunt, & ideo non possunt dare judicium de ea; nos autem scimus, & ideo judicium damus, quia bona est, non dixit fuit, sed est, & subjungit: *si quis ea legitime utatur*; postea exponit de qua lege loquatur, & quid sit uti legitime lege, & sic determinat ad quid fuerit data, quia ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, cum dicit: *sciens hoc, quia lex justo non est posita, sed injustis* contra legem agendo, *non subditis* Dominos spernendo, *impiis* contra Dominum, *peccatoribus* in se contaminatis, *& sceleratis* in proximum; sed scelerati dicuntur qui contra proximum agunt, contaminati dicuntur, qui consentiunt, & favent eis; exponit autem per partes, qui sunt isti, cum ait: *parricidis, & matricidis*, idest cedentibus patrem, & matrem. Exodi 21. v. 15. *Qui percusserit patrem suum, aut matrem, morte moriatur*; unde ibidem v. 14. *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias: ab altari meo evelles eum: ut moriatur. Fornicariis*, idest adulteris. Levitici 20. v. 10. *Si mæchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui, morte moriantur & Mæchus, & adultera. Masculorum concubitoribus*. Levitici 20. v. 13. *Qui dormierit cum masculo coitu fœmineo, uterque operatus est nefas, morte moriantur. Plagiariis*; plagium est cum quis furatur hominem liberum, & vendit eum. Exodi 20. v. 17. *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, convictus noxæ morte moriatur. Vel plagiariis*, idest plagas aliis facientibus, quibus fiebat secundum quod aliis fecerant. Exodi 21. v. 23. *Sin autem mors ejus fuerit subsecuta, reddet animam pro anima,* (v. 24.) *oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu,* (v. 25.) *adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore. Mendacibus*. Deuteron. 19. v. 16. *Si steterit testis mendax contra hominem accusans eum prævaricationis,* (v. 17.) *stabunt ambo quorum causa est, ante Dominum in conspectu Sacerdotum, & judicum, qui fuerint in diebus illis.* (v. 18.) *Cumque, diligentissime perscrutantes, invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium* (v. 19.) *reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit, & auferes malum de medio tui. Perjuris*; Levitici 6. v. 1. & seq. De inficiante depositum, & insuper pejerante, quia si deprehenditur, tenebitur restituere depositum domino depositi, & insuper quintam partem. Ecce habemus quod malefactores puniebantur. Sequitur de falsis doctoribus. *Etsi quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, quæ est secundum Evangelium gloriæ Beati Dei, quod creditum est mihi.* De hoc habetur Deuteron. 13. per totum caput & 18. v. 20. & seq. & 29. v. 18. & seq. De ista lege vindictæ dicit Apostolus quod *bona est*, non tantum fuit, *si quis ea legitime utatur*, scilicet ad vindictam talium, non ad vindictam justorum; lex enim ista non est posita justo, idest ad pœnam ejus; imo dicitur Exodi 23. v. 7. *Insontem, & justum non occides*, sed injustis, & prave docentibus, idest ad vindictam eorum.

Item dixit Rom. 13. v. 3. *Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa.* (v. 4.) *Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit.* In utroque dicit eum ministrum Dei.

[*] Item ad Galat. 5. v. 18. *Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege*: idest sub onere vindictæ legis, & dicit quare, cum ait v. 22. *Fructus autem spiritus est: Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas* (v. 23.) *mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Adversus hujusmodi non est lex*; Et sic lex non est posita justo, idest adversus justum. Prius dixerat v. 19. *Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria &c.*

Ecce

[*] Desunt hæc ex Codice *Bononiensi*.

Ecce habemus, quod Apostolus confirmat legem vindictæ dicens, quod bona est, & quod ejus usus legitimus bonus est; quare igitur audes dicere, quod vindicta sit illicita?

Si autem dicas, quod usus ejus dicitur bonus secundum sæculum, quia utilis est ei, sed non est utilis secundum Deum; hoc improbatum est supra illo verbo Apostoli Rom. 13. v. 1. *Omnis anima &c.*

Præterea si hoc est, quod secundum Deum malus est ejus usus, ergo non est a Deo usus justitiæ, sed a diabolo, absentia autem ejus a Deo, & minus tamen utilis est, quam usus justitiæ, imo damnosus sæculo secundum animam & corpus. Hoc satis mirabile est, quod Christus, cujus oculis omnia nuda sunt, & aperta, ut dicitur Hebr. 4. v. 13. veniens in mundum hunc, illud quod prius non erat peccatum, & tamen magis utile sæculo secundum corpus, & animam, prohibuit, & illud quod minus utile est, ordinavit, & præcepit, scilicet quod ista justitia sæcularis non fieret. Si vir sapiens, & bonus scienter non eligeret minus utile, spreto etiam magis utili, cum utrumque esset in ejus potestate, scilicet ut quod vellet eligeret; quanto magis summa Dei sapientia, quæ est Christus non faceret istud?

Nunc videamus qualiter negotiandum sit in prædicta auctoritate contra Catharos, qui verbum illud Apostoli 1. Timoth. 1. v. 8. *Scimus autem quia bona est lex*, de lege nova intelligunt; quod autem sæquitur, *sciens hoc quia lex justo non est posita* intelligunt de lege Moysi, nec dicit de ista, quod bona sit, nec ejus usus.

Contra hoc sic objicitur: Si illa lex non est posita justo, scilicet ad conservandum; Quomodo ergo posita fuit Zachariæ, & Elisabeth de quibus dicitur Lucæ 1. v. 6. quod *erant justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela?*

Præterea: Rom. 3. v. 15. *Ubi enim non est lex, nec prævaricatio*; ergo si illa lex non data fuit justo, poterit occidere, & alia facere, quæ in illa lege prohibita erant.

Si autem dicat, quod istud non intelligitur de tota lege veteri *lex justo non est posita*, sed de judiciali, idest de lege vindictæ, & dicat, quod non est posita justo active, hoc modo scilicet ad faciendum eam; dico etiam nec parricidis, nec aliis, quos nominat Apostolus posita est ut eam faciant, imo ut fiat ab eis; male ergo dixisset Apostolus *non est posita justo, sed injustis &c.* si ita esset, ut dicis, quia nullis posita est, ut eam faciant.

Item si lex vindictæ non est posita justo, ut eam faciat; ergo male dixit Johannis 8. v. 7. *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Quod testimonium supra disputavimus in præcedenti parte hujus cap.

Restat ergo, quod mala fuit expositio tua, lex vindictæ non est posita justo, idest ut eam faciat; imo sic est intelligendum, non est posita justo, ut de eo fiat, sed injustis, ut scilicet fiat de eis, & sic intelliguntur verba Apostoli passive, lex non est posita justo idest, ut de eo fiat, sed injustis, ut scilicet fiat de ipsis: hic est usus legitimus legis, ergo cum dixit: *Scimus autem, quia bona est lex, si quis ea legitime utatur*, ipse intellexit de lege vindictæ.

Præterea, illa lex, de qua dicit Apostolus, *quod bona est*, cui posita est? Dicet, quod justo. Nunquid & non justo? Si dicat, quod non: ergo si veniat contra eam, non peccat, quia ubi non est lex, nec prævaricatio. Si dicat, quod data est non justis, ergo eadem lex data est parricidis &c. quæ & justis.

Quod autem de lege Moysi loquatur Apostolus, cum dicit: *Scimus autem quia bona est lex*, probari potest per hoc, quod prius dixit Apostolus v. 5. *Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*; (v. 6.) *A quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium*, (v. 7.) *Volentes esse legis Doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Modo quæro: cujus legis volebant isti esse Doctores, nisi legis Moysi? Si alterius; monstra hoc, quod non potes; ego autem testimonium habeo, quod volebant esse figurarum legis Doctores, idest sacrificiorum de bestiis, & avibus, & de circumcisione. Quod autem ita sit, patet, quia parum ante illa verba *Finis autem præcepti est charitas &c.* dixerat Apostolus v. 3. *Sicut rogavi te, ut remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam, ut denunciares quibusdam ne aliter docerent*, (v. 4.) *neque intenderent fabulis, & genealogiis.* Quæ sunt istæ fabulæ dicit Apostolus ad Titum 1. v. 13. ubi ait: *Quam ob causam increpa illos dure, ut sani sint in fide* (v. 14.) *non intendentes judaicis fabulis, & mandatis hominum aversantium se a veritate.* Idem dixerat Timotheo de istis scilicet, quod conversi sunt in vaniloquium, idest ad loquendum quæ vana sunt, scilicet circumcisionem esse observandam post Christum, & alia legalia sacrificia; volentes esse Doctores legis observandæ, scilicet figuralis, non intelligentes neque quæ loquuntur, idest quæ docent esse servanda post Christum, esse figuras tantum. V. G. Circumcisio carnalis figura erat spiritualis faciendæ per Christum; & omnia illa sacrificia figura erant Christi; nec etiam intelligunt Scripturas Prophetarum, de quibus, idest per quas affirmant illa esse observanda post Christum. Istæ sunt Judaicæ fabulæ; ista sunt mandata hominum post Christum, quia ea observant non ex Dei mandato, sed ex hominum institutione ea observant; postea dicit: *Scimus autem quia bona est lex &c.* quasi dicat, illi non intelligunt legem, sed nos intelligimus, & scimus quoniam bona est, ad utendum, & servandum eam legitime. Vides ergo ex testimonio quod ego habeo, quia de illa lege, cujus illi volebant esse Doctores, dicit Apostolus: *Scimus autem &c.* Prius dixerat de legalibus figuris, quod vaniloquia sunt post Christum; modo autem ne idem videatur in aliis præceptis legis, approbat legem, & dimissis moralibus, *non mœchaberis, non occides &c.* quia illorum bonitas omnibus nota est, subdit de judicialibus, sciens hoc quod lex, scilicet judicialis &c. Cesset ergo tua impudentia, & legem judiciorum post Christum approba mecum.

Item, quod vindicta temporalis bona sit, & a bono Deo, & maxime hæreticis, qui sunt in fide contrarii Evangelio Beati Dei, potest probari Valdensibus

denſibus maxime, & Catharis, qui duo ponunt principia per Zachariam 13. ubi loquitur de tempore gratiæ, ut patet ex eo quod ait parum ante, cap. 12. v. 10. *Et aſpicient ad me, quem confixerunt*: quod teſtimonium ponitur Joannis 19. v. 37. Item v. 1. cap. 13. *In die illa erit fons domui David, & habitantibus Jeruſalem*, ſcilicet Baptiſmus; & poſt pauca verba v. 3. dicit: *Et erit: cum prophetaverit quiſpiam ultra, dicent ei pater ejus, & mater ejus, qui genuerunt eum: Non vives, quia mendacium locutus es in nomine Domini, & configent eum pater ejus, & mater ejus, genitores ejus cum prophetaverit*. Iſtud intelligitur de confixione corporali, ſicut & illud quod dixit Chriſtus: *Et aſpicient ad me, quem confixerunt*, quod antecedenti capite v. 10. habetur. Ecce quod Propheta in tempore gratiæ dixit hæreticos configendos, confirmans illud quod habetur Deuteron. 13. v. 1. & ſeq. & 19.

Nec valet Valdenſibus dicere, quod eundem Deum nobiſcum invocant, eundem Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Nonne Core, Dathan, & Abiron eundem Deum colebant cum Moyſe, & Aaron? Utique; & tamen quia contra Aaron Sacerdotem legitimum ſacrificandi ſibi licentiam vendicabant, divinitus ſunt percuſſi. Numer. 16. v. 1. & per tot. cap. quod, & vos Valdenſes a patre, ideſt Summo Pontifice, & matre, ideſt Romana Eccleſia, unde initium habuiſtis, merito patimini; & completa eſt prophetia Zachariæ 13. v. 3. *Et configent eum pater ejus, & mater ejus, genitores ejus cum prophetaverit*.

Item Pſal. 47. v. 11. *Lætabitur juſtus cum viderit vindictam, manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris*. Iſtud non poteſt intelligi de die judicii, quia tunc nullus lavabit manus ſuas viſa pœna alterius: intelligitur modo, & dicitur, quia *lætabitur juſtus, cum viderit vindictam* ſcilicet ſanguinem malefactoris (v. 12.) *Et dicet*, ideſt quæret aliquis, *ſi utique eſt*, ideſt an ſit *fructus juſto*? Et Reſpondetur: *Utique eſt Deus judicans eos in terra*: non tantum in Cœlo, quando ſcilicet veniet ad judicium, & apparebit in Cœlo ſignum ejus, ſcilicet quando veniet filius hominis in nube judicare filios hominum. Lucæ 21. v. 27.

Item Pſal. 2. v. 10. *Et nunc reges intelligite: erudimini qui judicatis terram.* (v. 11.) *Servite Domino in timore*. Prius v. 2. *Aſtiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus*. Sed modo impleta eſt illa prophetia: *Et nunc reges intelligite*, ſcilicet terræ. Dixit Auguſtinus ad Bonifacium: (57) *Quomodo ſervient in timore reges Domino, niſi ea quæ ſunt contra Domini juſſa, religioſa ſeveritate prohibendo, & plectendo?* quaſi dicat, non alio modo. Quod etiam oſtendit ibi Auguſtinus: *Aliter ſervit homo, quia homo eſt, & aliter quia Rex eſt. Quia homo eſt, ſervit vivendo fideliter; quia Rex eſt, ſervat leges juſta præcipientes, & contraria prohibentes ſanciendo, & convenienti rigore puniendo*: ſupple, & maxime contra hæreticos (58) qui ſunt Vulpes vineam Domini demolientes, qui vindictas regum contra ſe cauſantur, qui occidere volunt, ſed occidi nolunt; de quibus Auguſtinus ſupra Joannem dicit: *Videte homines qualia faciunt, & qualia patiuntur; occidunt animas, affliguntur in corpore, ſempiternas mortes faciunt, & temporales ſe perpeti conqueruntur*. (59)

Contra Catharos induci poteſt illud quod de Abraham habetur ad Hebr. 11. v. 17. & ſeq. & Jacobi 2. v. 21. & ſeq. quod ipſe Deo placuit, & Dei amicus eſt appellatus, quia voluit occidere filium ſuum ex obedientia Domini; iſtud autem placuit Domino, quod propter hanc rem meruit audire, imo quod ei juraretur a Deo non habente majorem ſe, ut habetur ad Hebr. 6. v. 13. Et Genes. 22. v. 16. quod in ſemine ſuo benedicentur omnes familiæ terræ. De hoc autem habetur in cap. de Deo Veteris Teſtamenti.

Item poſt cædem 4. Reg umfactam Geneſ. 14. v. 12. ad defenſionem quorundam Regum qui invadebantur ab ipſis meruit benedici a Melchiſedech Sacerdote Dei ſummi, ut habetur Hebr. 7. v. 1. de quo etiam dictum eſt in cap. de Deo Veteris Teſtamenti.

(57) Epiſtola CLXXXV. *n.* 19. „ Quomodo ergo Reges Domino „ ſerviunt in timore, niſi ea, quæ contra juſſa Domini fiunt re- „ ligioſa ſeveritate prohibendo, atque plectendo? Aliter enim „ ſervit, quia homo eſt, aliter quia etiam rex eſt. Quia homo „ eſt, ei ſervit vivendo fideliter; quia rex eſt, ſervit leges juſta „ præcipientes, & contraria prohibentes convenienti vigore ſan- „ ciendo &c.

(58) Id jam ſæpe ac multum inculcat Auguſtinus. Scio Iohannem Clericum huic tanto Doctori vitio dediſſe, quaſi ſententiam immutarit ſuam tempori parendo. Verum Auguſtinum a calumnia tanta vindicat Doctiſſimus Muratorius *libro* II. *de moderatione Ingeniorum Cap.* IX. Eodem ſpectant, quo hæc Monetæ verba, quæ exſequitur Gregorius Nazianzenus *Oratione* XLVI. Neque vero Gregorius ſolum ſed ceteri quoque veteres Patres. Barbeyracius *Cap.* XII. *de morali Patrum Doctrina* §. XL. opponit quædam Patrum teſtimonia, ut nefas eſſe probet quemquam ratione vanæ religionis perſequi: Tertulliani *Apologetici cap.* XXIV. *ad Scapulam cap.* II. qui dicit priore loco: „ Videte, ne & hoc „ ad irreligioſitatis elogium concurrat, adimere libertatem re- „ ligionis, & interdicere optionem divinitatis, ut non liceat mi- „ hi colere, quem velim, ſed cogar colere, quem nolim. Secundo „ autem loco: „ Humani juris, & naturalis poteſtatis eſt uni- „ cuique, quod putaverit, colere, nec alii obeſt, aut prodeſt, „ alterius religio. Sed nec religionis eſt, cogere religionem, „ quæ ſponte ſuſcipi debeat, non vi. &c. Multa congerit in Rem eandem Grotius *lib.* II. *de jure Belli, & Pacis Cap.* XX. §. 48. *ſqq.* Sed miror Barbeyracium tam impudentem fuiſſe, ut aliorſum verba Tertulliani acceperit, atque ratio poſtularet. Nam idem ipſe Tertullianus, qui hæc dixit, libro *Scorpiaci* hæc habet: *Cap.* II. *Ad officium hæreticos compelli, non inlici dignum eſt: Duritia vincenda eſt, non ſuadenda*. Multa deinde ex ſcripturis producit, quibus confirmet hæreticos, & eos, qui nos avertere a fide conantur, puniri merito debere. Paria habet S. Cyprianus *Epiſt.* LII. *ad Antonianum Edit. Pamelii. n.* 72. *& lib. De exhort. Martyrii Cap.* V. Libertas ergo, quam prædicat Tertullianus, & alii Patres, aut in eos cadit, qui numquam profeſſi Chriſtianam religionem ſunt, neque ullam in rempublicam Chriſtianorum inferunt perturbationem quod etiamnum obſervat Eccleſia; aut in eos, qui recte ſentiunt. Nam alioqui, cur hæreticos plectendos eſſe diceret Tertullianus? Rurſum ſi nefas eſſe cenſuiſſet in eos animadvertere, qui male de Deo ſentiunt; cur obſecro puniri merito poſſe Chriſtianos adfirmaſſet, ſi veri eſſent Dii, quos illi falſos eſſe pugnabant? Sunt enim verba illius *Cap.* X. *Apologetici* hujuſmodi. „ exigere debetis, uti probemus, non „ eſſe illos deos, & idcirco non colendos, quia tunc demum co- „ li debuiſſent, ſi Dii fuiſſent. Tunc & Chriſtiani puniendi, ſi „ quos non colerent, quia putarent, non eſſe, conſtaret illos „ Deos eſſe. Viden, ut eatenus Chriſtianos injuſte vexari affirmet, quod non exigeretur ab iis ratio, cur ita cenſerent? Ceterum jure illos puniri oportuiſſe; ſi quos negligebant Deos, conſtitiſſet verorum Deorum numero eſſe habendos.

(59) *Tractatu* XI. *In cap.* III. *Johannis Evang. n.* 15. *Tom.* III. *Parte* II. *Edit. Monach. S. Mauri*; quem locum conſulat Lector volo.

Item ad Heb. 2.v. 2. *Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prævaricatio, & inobedientia accepit justam mercedis retributionem*: (v.3.) *Quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem?* Ecce quod Paulus ultiones legales justas dixit: imo Christus in Paulo loquens: si justæ fuerunt, ergo licitæ, quod enim non fit licite, non fit juste.

Contra Catharos, qui duo ponunt principia, possunt induci testimonia Prophetarum, in quibus agitur de ultionibus a Deo Sancto factis per se, & ministros suos; unde patet quod ultiones illicitæ non sunt modo, quia secundum Catharos non fuit major ratio, quod tunc liceret quam modo: secus est de Valdensibus, qui usque ad Christum eas licitas fuisse concedunt.

CAPUT XIV.

De illo mandato, Non furtum facies: *& de Usura, & ejus restitutione; & an sint propria auferenda hæretico.*

AD decimum quartum caput accedentes videamus de hoc mandato: *Non furtum facies*. Exodi 2. v. 16. ubi prohibetur quælibet rapina rei alienæ. Circa istud mandatum videndum est primo; an intelligatur de rapina rei temporalis, vel spiritualis? Secundo; utrum prohibita sit usura? Tertio; an sit restituenda? Quarto; utrum ab hæretico licite auferantur res ab ipso proprio labore aquisitæ.

§. I.

De intelligentia hujus præcepti.

PRimo igitur videndum est, an hoc præceptum *Non furtum facies*, quod invenitur in Evangelio Matth. 19.v.18. Marci 10.v.19. Lucæ 18.v.20. intelligatur de furto rei spiritualis, vel de furto rei materialis? Si primo modo, Ergo per illud mandatum non prohibetur furtum rei materialis; licet ergo materiale furtum facere, cum nusquam alibi prohibitum reperiatur magis quam ibi.

Præterea, nonne dicit Apostolus Ephes. 4. v. 28. *Qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti*; de qua necessitate, & eleemosyna facienda ei qui habet necessitatem 1.Joan.3.v.17. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: Quomodo charitas Dei manet in eo?* super quo verbo superius disputavimus (1) Res igitur materialis subest ejus imperio, & dispositioni, & non alterius; Ergo ipse est Creator, & dispositor rerum materialium.

Præterea, si de re materiali intelligitur, nunquid qui prohibuit furari rem alienam, concessit tenere eam, & non reddere eam ei, cujus fuit? Nunquid ipse non prohibuit offendere proximum, & ei nocere? Nonne magis offendis eum, tenendo rem ejus, quam tollendo? (2)

(3) Præterea, quomodo diligis proximum tuum, si ei malum facis? Dilectio proximi malum non operatur; & nonne malum ei facis, si tenes ei rem suam, sicut cum furaris ei illam? Imo magis: quare prohibuit Deus ne fureris rem suam proximo (4) nisi quia non vult, ut teneas rem alienam invito Domino, cujus fuit?

Præterea cui datur illud mandatum? Aut tantum illi, qui intra Ecclesiam est, aut cuilibet? Si cuilibet, Ergo quilibet veniens contra, peccat, quod verum est; sed non peccat, nisi quia facit malum proximo suo, quem deberet diligere sicut se, quia offendit eum, & nocet ei, & inde procedit ut prius: Si autem tantum ei qui intra Ecclesiam; ad minus habeo, quod de rebus istis habet disponere, & ejus subsunt imperio, & sic sunt ejus facturæ.

Præterea, si datur tantum eis, qui intra sunt, eadem ratione *non occides*, *non mæchaberis*, *non falsum testimonium dices*, & si quod est aliud mandatum, tantum ei, qui intra est datur; Ergo nullus alius potest venire contra mandatum; ergo cum peccare non sit, nisi contra mandatum Dei venire, nullus alius peccat. Quomodo ergo dicit Apostolus Rom. 3.v.9. *Causati enim sumus, Judæos, & Græcos omnes sub peccato esse* (v.10.) *Sicut scriptum est: Quia non est justus quisquam*. (v. 11.) *Non est intelligens, non est requirens Deum* (v.12.) *Omnes declinaverunt simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*. Vide quia declinaverunt; unde dicit David psal.118.v.21. *Maledicti qui declinant a mandatis tuis*; omnes ergo receperant mandatum ejus, non tantum illi, qui sunt intra Ecclesiam tuam, ut falso dicis.

Præterea, eos redarguit, quia *simul inutiles facti sunt*, idest invicem nocent; iste autem qui furatur inutilis est, idest nocet proximo, rem suam ei tenendo; nonne tu peccares, qui furem reciperes cum furto, si ad tuam Ecclesiam venire vellet, & furtum illud teneres, & cum eo divideres dummodo scandalum non esset?

Si autem dicat qui duo ponit principia, quod in alia patria datum est hoc mandatum, & de aliis rebus; Ergo non est peccatum de istis facere furtum.

Præterea; ergo in cælesti patria furta materialia sunt de rebus illis, & rapinæ, & homicidia, &

alia

(1) Res exteriores duobus modis considerari possunt, ex S. Thoma II. II. *Quæst.* LXVI. *Art.* I. *in c.* uno modo quantum ad earum naturam, quæ non humanæ, sed Divinæ tantum potestati subjacet, cui omnia obediunt; alio modo quantum ad usum rerum earumdem, atque hoc quidem pacto homo obtinet in res externas dominium. Priore autem sensu defendit Moneta res exteriores, & *materiales* subesse Dei, non alterius cujusquam imperio.

(2) Eo affirmat noster offendi magis proximum tenedo ejus rem, quam tollendo, vel quod raptor retinendo rem, non solum usurpat usum, verum etiam jus detinendi, seu perfectum rei dominium; vel quod majus damnum infert plerumque ex ea detentione, quam ex simplici ablatione.

(3) Ex præcepto charitatis, ad quam pertinet, ut proximo bonum afferamus, furti malitiam probat S. Thomas II. II. *Quæst.* LXV. *Art.* VI. *in c.*

(4) S. Thomas *loco mox indicato Art.* II. *ad* 2. „ Detinere, „ *inquit*, id quod alteri debetur, eamdem rationem habet cum „ acceptione injusta; & ideo sub injusta acceptione intelligitur injusta detentio.

alia peccata. Item; ergo malus eſt populus cæleſtis ſicut terreſtris.

§. II.

Utrum dare ad Uſuram ſit peccatum?

SEcundo videndum eſt, utrum dare ad uſuram ſit peccatum; dicunt enim, quod non eſt peccatum (5) mutuare ad uſuram pecuniam. Hoc autem dicunt multiplici de cauſa. Prima & principalis cauſa eſt hæreſis ſua; quia credunt viſibilia iſta a diabolo fabricata; hoc autem per Dei gratiam ſuperius eſt oſtenſum eſſe hæreticum. Secunda cauſa eſt Scripturæ Sacræ ignorantia; licet enim ſimplicibus ſcioli videantur, eo quod literam habeant in promptu; ipſam tamen literam non intelligunt; quibus dici poteſt quod ait Dominus Judæis Mat. 22. v. 29. *Erratis neſcientes Scripturas*. Tertia cauſa eſt, quia licet locare (6) domum ſuam, aut vineam alii, intuitu alicujus rei temporalis, quare & mutuare. Quarta cauſa eſt, quia dicunt, uſuram eſſe voluntariam, ideſt voluntarie datam. Quinta cauſa eſt, quia non inveniunt, quod Matthæo præcepit reſtituere aliena, quando eum vocavit.

Contra iſtos primo inducendum eſt illud teſtimonium Ezech. 18. v. 5. & ſeq. ubi determinat, quis juſtus eſt; & inter alias partes juſtitiæ iſtud enumerat dicens v. 8. *Ad uſuram non commodaverit, & amplius non acceperit*; & poſt pauca ſubdit v. 9. *Hic juſtus eſt, vita vivet, ait Dominus Deus*. Quod autem iſtud dicatur de uſura materiali, evidenter apparet ex aliis, quæ ibi dicuntur, quæ materialiter, & non ſpiritualiter intelliguntur. Sic patet ex eo quod primo dixerat v. 6. *In montibus non comederit*, ſcilicet in veneratione idolorum ad modum idololatrarum; unde ſubdit: *& oculos ſuos non levaverit ad idola domus Iſrael*.

Item, dicitur ibi eodem verſ. *Et uxorem proximi ſui non violaverit, & ad mulierem menſtruatam non acceſſerit*. Quæ omnia, & alia ſequentia ad ſonum literæ, & materialiter accipiuntur. David etiam ait in Pſalm. 14. v. 5. *Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram, & munera ſuper innocentem non accepit*. v. 6. *Qui facit hæc, non movebitur in æternum*. Super innocentem munera accipere, idem eſt, quod in cauſa aliqua, muneribus ſibi datis ab adverſariis, ipſum opprimere, ut dici poſſit illud Iſaiæ 1. v. 23. de eis: *Pupillo non judicant: & cauſa viduæ non ingreditur ad illos*; cujus cauſa præmiſsa eſt parum ante, eodem verſ. ubi loquitur de Principibus: *Omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones*: ubi patet de muneribus materialibus loqui, & ita de uſura materiali.

Item, in Pſalm. 54. v. 12. exprobrat Dominus civitati Jeruſalem dicens: *Et non defecit de plateis ejus uſura & dolus*. (7)

Et quoniam iſta teſtimonia Prophetarum non omnes recipiunt, niſi tantum illi, qui duos aſſerunt creatores, accedamus ad auctoritates Novi Teſtamenti, quas recipiunt alii Cathari inducentes primo illud Matth. 7. v. 12. *Omnia ergo quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis*; & ſubauditur, rationabiliter. Modo procedo ſic: Si tu eſſes in neceſſitate, & ego commode poſſem te juvare, nonne deberem hoc facere, non ſolum mutuando, ſed etiam libere dando? Utique; alioquin mentitur Johannes, qui in Epiſt. 1. cap. 3. v. 17. dicit: *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo: Quomodo Charitas Dei manet in eo?* Quaſi dicat, non manet. Nonne tenetur qui habet hujus mundi ſubſtantiam facere quod Charitas Dei in eo maneat? Utique ego teneor aperire viſcera mea proximo neceſſitatem habenti. Obligatus ſum ergo ei vel ad mutuandum, vel ad dandum ex toto; jus ergo illius eſt, quod ego ad minus ei mutuem, ſi commode poſſum. Quid igitur tibi videtur ſi non facio ei iſtud jus, imo compello eum redimere jus ſuum certo pretio; nonne tibi videtur, quod de neceſſitate peccem ſecundum Scripturas Divinas? Utique: alioquin in errore es.

Præterea, nonne vides quid Dominus dicat Lucæ 6. v. 35. *Et mutuum date* (8), *nihil inde ſperantes*; ſi de mutuo prohibet alicui Dominus ſpem ſuperabundantiæ; quanto magis ipſam ſuperabundantiam? Si prohibet voluntatem, quanto magis ipſum actum?

Forte dicet iſtud non eſſe præceptum.

Contra: Nonne ſtatim dicit eodem verſ. *Et erit merces veſtra multa, & eritis filii Altiſſimi?* alias igitur non eſſent filii Altiſſimi, neque eſſet merces eorum multa, igitur præceptum eſt.

(5) Hæc erat opinio Catharorum. Hæretici plerique omnes hujuſce temporis uſuras licere contendunt. Atque in hac quidem ſententia verſantur Salmaſius, Noodtus, Barbeyracius, aliique, quos nunc recenſere non vacat.

(6) Hoc illud eſt argumentum, quo plurimum contra Cellerium utitur Barbeyracius in *Tractat. de Moral. Patrum Cap.* IX. §. VII. & in Notis *ad Opus Pufendorfii De J. N. & G. Lib.* V. *Cap.* VII.

(7) Barbeyracius *loco mox indicato* ceterique omnes uſurarum patroni non moventur hiſce teſtimoniis Scripturarum. Ajunt enim uſuram apud Judæos fuiſſe prohibitam. Ceterum Deum permiſiſſe, ut Iſraelitæ uſuram exercerent exteris gentibus. Id autem, aſſumunt, non feciſſet Deus, ſi uſuræ eſſent jure naturæ prohibitæ. Verum neſcio quid inde poſſit concludere. Nam, ut ſapienter animadvertunt Patres, imprimiſque Ambroſius, τὸ *fœneraberis gentibus multis*, quod extat *Cap.* XV. *Deuteronomii* etiamſi proprie intelligatur, quod plerique tamen in dubium revocant, nihil contra nos facere. Etenim quemadmodum Deus juſſit, ut gentes exſcinderentur quæ incolebant Palæſtinam, & præſcripſit Judæis, ut aurea vaſa, atque argentea ab Ægyptiis tollerent, quod rerum omnium Dominus ſupremus ſit; ita etiam poterat permittere, ut uſuram exercerent contra Ethnicas illas nationes, quin tamen integrum ſit ſine ea facultate exercere uſuram. An quia Deus facultatem judæis largitus eſt, tollendi Theſauros Ægyptiorum, ideo cuiquam licebit alterius rem ſurripere? Minime gentium. Itaque ne ex ea quidem ratione, quod attinet ad uſuram, elicere jure poterimus, fas eſſe homini uſuris indulgere.

(8) Tertullianus *Libro* IV. *Contra Marcionem Cap.* XVII. „Hic „nunc de fœnore cum interponit: *Etſi fœneraveritis a quibus* „*ſperatis vos recepturos, quæ gratia eſt vobis?* Percurre ſequen- „tia Ezechielis de eodem viro. *Pecuniam*, inquit, *ſuam fœnori* „*non dedit* fœnoris ſcilicet redundantiam, quod eſt uſura &c." quæ per ſe ipſum videre poterit Lector. Negari nequit, quin ceteri Patres in eamdem conſpirarint ſententiam. Id vero ne hæretici quidem negaverint, qui contra ſentiunt. Itaque Barbeyracius *loco mox indicato* rem ita, uti ſe habet, fatetur apertis verbis. Quare Patres inſectatur, quod uſuris infeſti fuerint. Sed injuria. Eodem ipſo Chriſti teſtimonio ex Evangelio Lucæ utuntur ceteri Patres.

Forte dicet, quod intelligitur spiritualiter, *mutuum date*, scilicet verbi Dei.

Contra: Nonne si quis mutuat alii verbum Dei, & prædicat ipsum Deum, debet sperare a Domino mercedem? Constat quod sic.

Si dicat a Deo sic, non ab homine cui mutuat.

Contra: Nonne dicit Apostolus Rom. 15. v. 27. *Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles: debent & in carnalibus ministrare illis?* nonne dicit Apostolus 1. Corinth. 9. v. 10. *Quoniam debet in spe, qui arat, arare: & qui triturat, in spe fructus percipiendi*: & statim subdit v. 11. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Quasi dicat, non: ut dictum est per auctoritatem præmissam ad Rom.

Nunc ad tertiam causam accedamus, ex qua videtur, quod licitum sit ad usuram dare; quia licitum est domum suam, vel rem suam alii locare, intuitu alicujus lucri.

Solutio: Non est simile (9), quia in locatione dominium rei locatæ remanet apud locatorem, quare & periculum rei locatæ; naturale est autem quod de re sua manente sua, possit aliquis fructus habere; secus autem in mutuo, quod non spectat ad dominium mutuantis, sed illius qui accipit. Quod patet, quia etiam periculum ejusdem est. Quod non spectet ad mutuantem dominium mutui, patet, quia non potest idem exigere, nec alius tenetur illud reddere, sed potest facere inde quod vult: cum ergo non sit ejus dominium, qui mutuat, non est justum, quod inde percipiat fructum.

Accedamus etiam ad quartam causam, qua volunt usuram non esse peccatum dicentes eam esse voluntariam; quia voluntarie dat superabundantiam, qui mutuum accipit. (10)

Solutio: Falsum est quod voluntarie det; non enim dat voluntate libera, imo potius coacta, quia aliter tu non vis mutuum dare, nisi tecum faciat pactum de certa quantitate usuræ.

Si autem objicias mihi de usura, quæ non datur ex pacto; dico, quod nec illa datur voluntate libera, imo dat, quia scit probabiliter, quod usurarius alio tempore sibi minime subveniret; si autem pure, & libere daret, credo quod ipse in re data postea nullum jus haberet.

Si autem quæris, an ille, qui accepit ab eo, qui dedit libere (11) sibi aliquam superabundantiam propter mutuum sibi factum, teneatur ad illius restitutionem? Distinguo; si dedit mutuum ei absque spe recipiendi aliquod lucrum, licet alias dedisset etiamsi sciret, quod ille nullum lucrum ei daret, credo quod non tenetur ad restitutionem; si autem alias non dedisset, nisi speraret; credo, quod tenetur restituere, quod non possidet de jure, quia possidet contra præceptum nostri Domini. Sed nunquid illi? Dico quod sive illi, sive pauperibus det, sufficit in illo casu, quo pure, & libere dedit, tali enim voluntate dominium rei a se transtulit, sed non in illum propter præceptum Domini superioris, qui prohibuit.

(9) Vide S. Thomam 2. 2. *Quæst.* LXXVIII. *Art.* I. *in c.*
(10) Aditor S. Thomas *l. mox indicato. ad* 7. *Arg.*

Nunc veniamus ad causam quintam, propter quam dicunt restitutionem non esse necessariam, quia Dominus non invenitur præcepisse Matthæo, quod restitueret aliena; & ideo, ut dicunt, usura non debet restitui. Ad quod dico ei: Ubi habes, quod Matthæus haberet aliena? nusquam habes.

Præterea, etsi non inveniatur, verisimile est, quod ad restitutionem eum monuit, si habuerit, ut patere potest per alia argumenta jam posita.

§. III.

Utrum usura restituenda sit.

Tertio videamus utrum usura sit restituenda, & per consequens idem habeatur de alia rapina. Dicunt quidam, etsi peccatum sit, non tamen debet restitutio fieri, idest non est necesse quod quis restituat; sed potest salvari, & pœnitentiam agere sine tali restitutione.

Contra: Iste tenet rem alienam invito Domino; ergo facit quod sibi nollet fieri rationabiliter; ergo tenetur restituere eam. Quod res illa aliena sit, & non raptoris, probatur ex eo quod habet eam contra præceptum Domini universalis, qui ait Lucæ 6. v. 35. *Et mutuum date, nihil inde sperantes*. Et etiam Matth. 7. v. 12. *Omnia ergo quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis*. Si habet eam contra ejus præceptum; ergo non potest possidere eam de jure; ergo non potest eam tenere.

Præterea, tenetur agere pœnitentiam de peccato; peccatum fuit auferre a me rem istam; quomodo ergo ages inde pœnitentiam, nisi mihi restituas eam, vel equivalens si potes? Nonne vides, quod Dominus arguit filios Israel dicens Isaiæ 3. v. 14. *Vos enim depasti estis vineam meam, & rapina pauperis in domo vestra*.

Item Michææ 6. v. 10. *Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis, & mensura minor iræ plena*.

Item, Proverb. 15. v. 8. *Victimæ impiorum abominabiles Domino*. Isaiæ 61. v. 8. *Quia ego Dominus diligens judicium, & odio habens rapinam in holocausto*. Proverb. 21. v. 7. *Rapinæ impiorum detrahent eos, quia noluerunt facere judicium*. Tu autem lector jam scis ex præcedentibus, ista testimonia valere contra eos, qui duo ponunt principia.

Præterea, nonne vides quid fecit Zachæus 19. Lucæ v. 8. *Ecce dimidium bonorum meorum Domine de pauperibus: & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum*. Per exemplum ergo patet alienum esse restituendum.

Ad idem facit illud verbum Domini Mat. 5. v. 23. *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te*. v. 24. *Relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum*: Sed iste a quo usuras exegisti, vel aliquo modo læsisti, habet aliquid adver-

(11) Consulitor idem S. Thomas *ibid. Art.* II.

versum te; ergo si vis vivere secundum doctrinam, & præceptum Domini, & si vis ut munus tuum Domino sit acceptum oportet te reconciliari; hoc non potest fieri nisi ei satisfacias, in quo eum læsisti; ergo teneris ei satisfacere de usuris, vel de alia rapina.

Ad idem facit illud quod habetur 1. Corinth. 6. *Nolite errare: Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri*. v. 10. *Neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt*. Sed quis est ille rapax, vel fur, nisi ratione damni illati proximo, quod fit, quando res sua ei tenetur, non solum cum aufertur per usuram, vel aliam violentiam rapax est, vel fur (12); ergo non possidebit regnum Dei, nisi abluat se. Quomodo se abluet, nisi reddat quod male tenet? Donec enim tenet, raptor, aut fur est.

Præterea, nonne vides, quod habere rem alienam violenter, vituperatur a Domino in Prophetis ut prædictum est?

[*] Ad idem etiam induci potest, quod habetur Roman. 6. v. 19. *Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem*; ergo si injustitiæ exhibuistis manus, usuras accipiendo, justitiæ debetis eas exhibere, usuras restituendo. [*]

§. IV.

Utrum peccatum sit auferre sua hæreticis?

QUarto videndum est utrum liceat auferre hæreticis res, quas proprio labore aquisiverunt; videtur enim, qui eos propriis rebus privat, hoc præceptum, *Non furtum facies*, violare.

Solutio ad Catharos, qui ponunt creationes duas, hæc est: Nunquid Deus Sanctus & verus imperium dedit de his rebus transitoriis populo suo? Non audebit dicere, quod hoc fecerit; ergo illa prohibitio non obligat populum.

Ad omnes autem Catharos est dicendum, quoniam non privat eos Ecclesia rebus suis, nec eos persequitur in hoc; Ut enim dicit Augustinus ad Vincentium Ep. olim 48. *Et quamvis res quæque terrena non recte a quoquam possideri possit, nisi vel jure divino, quo cuncta justorum sunt, vel jure humano, quod in potestate regum est terræ: ideoque res vestras falso appellatis, quas nec juste possidetis, & secundum leges regum terrenorum amittere jussi estis, frustraque dicatis, nonne eis congregandis laboravimus, cum scriptum legatis, & labores impiorum justi edent*.

Item, 1. Corinth. 3. v. 22. ait Paulus Sanctis Dei, qui sunt Corinthi, idest Ecclesiæ Dei, quæ illic erat: *Omnia enim vestra sunt*; & dicit quæ: *sive præsentia, sive futura: omnia enim vestra sunt*. Si terrena præsentia bona sunt Ecclesiæ; ergo nulla talia sunt hæreticorum. Proverb. 13. v. 22. *Et custoditur justo substantia peccatoris*. Job. 27. v. 16. *Si comportaverit quasi terram argentum, & sicut lutum præparaverit vestimenta*: v. 17. *Præparabit quidem, sed justus vestietur illis: & argentum innocens dividet*. Non spoliat igitur Ecclesia hæreticos bonis eorum, sed propria bona Ecclesiæ eis auferuntur.

[*] Tamen ad satisfaciendum populo, hoc sufficit dicere, scilicet quod per statuta Principum (13) non potest hæreticus aliqua possidere de jure; Principes vero hoc jus rationabiliter statuerunt, ut homines ab hæresibus sibi caverent, & si lapsi essent in hæresim inde resilirent, alioquin in ultionem divinæ injuriæ res aliquas non possiderent, imo etiam vitam perderent. Roman. 13. v. 4. *Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit*. [*]

CAPUT XV.

De præscientia divina contra eos, qui Scripturas recipiunt.

SEquitur decimum quintum caput, ubi videndum est de prædestinatione, de qua quidam male sentiunt, credentes quod quidam homines creati sunt, qui ex necessitate salvabuntur, quidam vero ex necessitate damnabuntur; unde non credunt quod ex Dei intentione vita æterna communis sit omnibus, nec quod omnes salvare proposuerit; intelligunt autem prædestinationem esse Dei ordinationem, quorundam ad supplicium, quorundam ad præmium (1). Istud caput in tres partes dividitur;

(12) Nemo negaverit rapacem esse eum, qui rem aufert alienam. Aufert autem rem alienam invito domino, qui usuras exercet, ut ante ostensum est. Hinc Patres & Concilia usuras veluti jure divino vetitas prohibuerunt, non solum Clericis; verum etiam laicis. Immo vero communione Ecclesiastica prohibuerunt eos, qui genus hoc fœnoris exercerent. Adeunda Synodus Eliberitana canone xx. Itaque tam est certum usuras illicitas esse, adeoque ad restitutionem cogi oportere usurarios, ut Scriptores Ethnici hoc idem pro rato habuerint. *Majores nostri*, inquit Marcus Cato De re Rustica, *sic habuerunt, & ita legibus posuerunt, furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli*. Videntor *Cicero lib.* 1I. *de Offic. in calce*. & Ulpianus *Enarrat. in Orat. de Falsa legat. pag.* 378. *Edit. ann.* 1604. Quamobrem Barbeyracius id negat, quod non Evangelium solum, sed etiam Scriptores Ethnici, ut certum constituerunt.

[*] Quæ duobus asteriscis complexi sumus, desunt e *Codicibus Bononiensi & Vatic.*

[*] Non exstant hæc in *Codice Vaticano*.

(13) Ostendimus quippe, jure posse Principem contra hæreticos vim suam exercere. Consequens inde est, licere principi pœnam transgressoribus proponere, nisi se ad fidem convertant. Si autem in aliis rebus, quæ ad rempublicam pertinent, transgressores legum bonis jure privare licet principi, quidni etiam in hac, quæ pertinet ad summam religionis, licebit; siquidem lege caverit, hæreticos, nisi se convertant, bonis suis esse mulctandos? Adi-sis S. Thomam 1I. 1I. *Quæst.* LXVI. *Art.* VIII. ad 2.

(1) Catharorum hæc fuit sententia. Convenit autem Catharis cum Gnosticis antiquis, & Manichæis. Clemens Alexandrinus, *Libro* v. *Stromateon* Valentinianorum refert opinionem; qui ajebant, quosdam esse φύσει σωζομένους *natura salvandos*, & Basilidianorum, qui pugnabant alios esse φύσει πιστοὺς *natura fideles*, καὶ ἐκλεκτοὺς, *& electos*. Videtor S. Irenæus *Lib.* IV. *Cap.* LXXII. *Ant. Edit.* Ecclesia Lugdunensis *Lib. contra Johannem Scottum. Tom.* 1I. *Auctar. Biblioth. PP. col.* 264. *Antiquissimi*, inquit, & *im-*

ditur; in prima parte agitur contra eos, qui Scripturas recipiunt. In secunda contra quosdam, qui eas respuunt. In tertia vero ostendemus, quod Dei præscientia non aufert liberum arbitrium.

§. I.

De præscientia divina contra eos, qui Scripturas recipiunt.

[*] CIrca primam partem primo videamus testimonia eorum, quibus utuntur ad subversionem sui, & aliorum. Ad hoc inducunt illud Matth. 13. v. 11. *Quia vobis datum est nosse mysteria regni cælorum: illis autem non est datum*; quod determinatum est 1. lib. in prima parte 1. capite.

Ad idem inducunt illud Matth. 20. v. 28. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.*

Item, 26. v. 8. (2) *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Item Hebræor. 9. v. 8. *Sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.*

Respondeo 1. Johan. 2. v. 2. *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

Item 1. Timoth. 2. v. 6. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Quod ergo dixit *pro multis*, ideo dixit, quia etsi sufficit omnibus, non tamen (3) omnibus profuit; quod enim dicunt Christum non sumpsisse carnem, nec mortuum esse pro omnium salute, hoc catholica detestatur Ecclesia; quoniam Apostolus 1. Corinth. 15. v. 22. *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Hic non potest dici pro parte totum accipi; nam sicut prima pars auctoritatis, *omnes in Adam moriuntur*, sine exceptione mori ostendit, ita & secunda pars, *in Christo omnes vivificabuntur*, universaliter accipienda est; nam etiam impii per Christum resurgentem resuscitandi creduntur, licet puniendi resurgant.

Item, pro universis Christum venisse ostendit Apostolus 1. Timoth. 4. v. 10. *Qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium*; Quod dixit *omnium hominum* (4), ad propositum divinæ voluntatis aspexit, quod autem dixit *maxime fidelium*, illos pronunciavit, atque distinxit, qui per fidem, atque obedientiam, & per subditam voluntatem redemptionis munus susceperunt.

Ad idem facit illud 2. Corinth. 5. v. 14. *Charitas enim Christi urget nos: æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt.* v. 15. *Et pro omnibus mortuus est Christus: ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit*; Quia ergo & resurrectio generalis ad virtutem pertinet redemptionis, si redemptio non ad omnes pertinet, nec resurrectio ad omnes pertinebit, hoc autem falsum est; ergo & illud, scilicet quod redemptio non ad omnes pertinet; quod autem dixit *pro omnibus mortuus est*, intelligitur pro omnibus redimendis a morte; unde patet, quod omnes mortui sunt. 1. Timoth. 2. v. 6. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*; ergo redemptio universalis est, quantum est de benevolentia Redemptoris.

Ad idem facit illud Johann. 6. v. 52. *Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Dubitare ergo penitus non debemus, quoniam pro toto mundo se impenderit. Sicut & B. Johannes in prima Epistola capite 2. v. 2. ait: *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

Contra hoc respondent, & dicunt: quomodo totum mundum redemit, cum videamus multos homines vivere in peccatis, quomodo putabimus redemptos, quos videmus esse captivos?

Respondeo: Si Legatus aliquis intercedens pro populo aliquo captivato, largum pretium deferat, & universum populum de manu captivantis accipiat, & omnis lex relaxetur, & necessitas servitutis: si forte illic aliquis de captivis delectatione consuetudinis, vel blanditiis prædonis illic elegerit remanere, & gratuitum beneficium propria voluntate recuset, nunquid minorabit gratiam beneficii contemptus ingrati? Nunquid benevolentiæ Redemptoris aliquam intulit diminutionem iste qui respuit libertatem? Non sic est, imo de contemptu reus est qui remansit; sicut redemptor iratus potest esse, qui sine illo, pro quo pretium dedit, rediit. Justus arbiter Deus voluntarium cupit

impiissimi hæretici Marcion, & Manichæus, qui vel duo, vel tria principia introduxerunt, & ideo duas naturas vel Angelorum, vel hominum asseruerunt, idest unam bonam, & alteram malam, illam ita esse bonam, ut aliud esse non possit, istam e contrario ita esse malam, ut similiter aliud esse non possit; nihil omnino de gratia Dei dixerunt. Fuerunt deinde alii quidam, qui dicerent necessitate quadam illata a Deo, alios prædestinatos ad vitam, alios contra prædestinatos ad mortem. Hos autem *prædestinatianos* vocant; qui magno ne, an vero exiguo numero fuerint, aut an unquam fuerint, magna est inter criticos concertatio. Ceterum negari non potest quin simile quidpiam defenderint Calvinus, atque Lutherus, Stoicos potius, qui Fatum introducebant, quam Scriptores Sacros sequuti. Vide Petavium *Tom.* I. *Theolog. Dogm. lib.* IX. *Cap.* II. & Notas nostras *in cap.* IV. *lib.* I.

[*] Non exstant, quæ duobus asteriscis conclusimus, in *Cod. Vatic.*

(2) Hisce testimoniis abutuntur, qui Christum pro omnibus omnino hominibus passum nullo pacto fuisse putant, sed tantum pro prædestinatis ad vitam. Sunt autem hi Janseniani, quorum error similis est errori, quem hic refellit Moneta.

(3) Castigatius loqui non poterat noster si hac ætate viguisset: Sufficienter pro omnibus, efficaciter autem pro multis passum fuisse Christum affirmat. Repellit autem dogma hæreticum Jansenianorum, multo ante, quam Jansenius prodiisset, & quod Seculo superiore definierunt Pontifices Romani, hoc ipsum esse ait Ecclesiæ Catholicæ doctrinam. *Quod enim dicunt*, inquit, *Christum non sumpsisse carnem, nec mortuum esse pro omnium salute, hoc Catholica detestatur Ecclesia.* Quid ergo jactant Janseniani novi aliquid fuisse ab Romanis Pontificibus constitutum? Viden, ut Ecclesia Catholica idem ipsum defenderit, quo tempore florebat Moneta, & adeo jam usque ab Apostolorum temporibus, quod evincunt testimonia Scripturarum?

(4) Qui *vult omnes homines salvos fieri*; sed eo pacto, quo nostri Theologi explicant, explicavitque paulo ante Moneta. Quod autem mox adjungit, de fidelibus, ita intelligendum est, *Salvatorem esse Christum omnium, maxime fidelium*, quod fideles jam fidem profiteantur, quæ necessaria est ad salutem, atque adeo initium muneris redemptionis consequuti sint. Ceterum non satis est fides, quum & opera ex charitate manantia, & perseveratio in bono usque in finem ad salutem reipsa consequendam necessario requirantur.

pit (5) redire, qui non invitum meminit corruisse. Alia quæ inducunt, quibus veritatem fidei impugnant in hac eadem parte, & qualiter intelligenda sint ostendemus. [*]

Circa primam partem primo negotiandum est per ea quæ dicta sunt de libero arbitrio in 5. cap: primæ partis, ubi probatum est quod liberum arbitrium est in hominibus; frustra autem esset liberum arbitrium, si homo ex necessitate salvaretur.

Præterea, quod nulli ex necessitate salventur, vel damnentur, ostensum est in secunda parte 4. cap. primæ partis hujus operis.

Adhuc tamen pauca inducemus, & primo illud Ezech. 18. v. 21. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & justitiam: vita vivet, & non morietur.* (v. 22.) *Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor: in justitia sua, quam operatus est, vivet.* (v. 23.) *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur a viis suis, & vivat?* (v. 24) *Si autem averterit se justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid vivet? Omnes justitiæ ejus, quas fecerat non recordabuntur: in prævaricatione, qua prævaricatus est, & in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur.* In operibus ergo liberi arbitri consistit salus, & perditio, non in tali prædistinatione, qualem isti ponunt. (6)

Item Jeremiæ 18. v. 8. *Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam: agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei.* (v. 9.) *Et subito loquar de gente, & de regno, ut ædificem, & plantem illud* (v. 10.) *Si fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam: pœnitentiam agam super bono, quod locutus sum, ut facerem ei.*

Item Roman. 2. v. 6. *Qui reddet unicuique secundum opera eius.* Ecce quod in observantia mandatorum ponit salutem, vel damnationem, non in ordinatione, quam ponis. (7)

Item Roman. 11. v. 18. dixit Apostolus populo gentili converso ad Christum: *Noli gloriari adversus ramos. Quod si gloriaris: non tu radicem portas, sed radix te* (v. 19.) *Dices ergo: Fracti sunt rami, ut ego inserar.* (v. 20.) *Bene propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas: noli altum sapere; sed time.* (v. 21. *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne forte nec tibi parcat.* (v. 22.) *Vide ergo bonitatem, & severitatem Dei; in eos quidem qui ceciderunt, severitatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris.* (v. 23.) *Sed & illi si non permanserint in incredulitate, inserentur: potens est enim Deus iterum inserere illos.*

Item ad Ephes. 5. v. 6. *Propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ*; idest propter peccata: quod non esset verum, si ita esset, ut isti dicunt, imo etiam propter Dei ordinationem; [*] (8) Non enim ab hominibus justitiam exigeret terribilem, nisi eam misericorditer omnibus obtulisset; justitia ergo non particulare, sed generale, & publicum Dei munus est, aditus paradisi, quasi fons quidam in medio hujus mundi positus est, & concessus communiter ad hauriendum, universis patet, ut merito reus sit, qui haurire neglexerit. Circa salutem hominis, si specialis est dispensatio, nescio quo jure generalis possit esse discussio. [*]

Item Apocal. 2. dicit Dominus Angelo, idest Episcopo Ephesi v. 5. *Memor esto itaque, unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.*

Item cap. 3. v. 11. dicitur Angelo Philadelphiæ: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam*; quod esset impossibile, si prædestinatio esset, secundum quod quidam putant esse præordinationem quorundam ad interitum, quorundam ad regnum. (9)

Item

(5) Non necessitate quadam adactum, veluti pugnabant hæretici illi, quos noster vexat. Neque vero Moneta solum, sed etiam Augustinus divinæ Gratiæ vindex sæpe, ac multum hæc eadem adhibet. Ratio autem hæc est, quam adfert Augustinus ipse *libro de Gratia Christi Cap.* XLVII. Ista quæstio, *inquit*, ubi de „ arbitrio voluntatis, & Dei gratia disputatur, ita est ad discer„ nendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, „ negari Dei gratia videatur, quando autem asseritur Dei gra„ tia, liberum arbitrium putetur auferri. Cum autem noster contra illud hominum genus scriberet, qui necessitate quadam nos ferri arbitrarentur, mirabile videri non debet, si quæ exempla attulit Augustinus de libertate, & ipse attulerit, quin gratiam commemorarit; ne in eam induceretur disputationem, quæ plena esset difficultatum. Ceterum *lib.* II. *Cap.* VI. §. 3. statuit, quæ ad gratiam, prædestinationemque gratuitam pertinent. Respondet quippe argumento Catharorum, qui rogitabant, quid caussæ fuerit, cur Deus Veteris Testamenti, qui norat homines quosdam malos futuros, eos tamen condiderit? respondet, inquam: *Vide quod tuæ quæstioni respondet Paulus*: Annon habet potestatem figulus luti „ ex eadem massa facere aliud quidem vas in ho„ norem, aliud vero in contumeliam? *Et quis est iste figulus?* „ *Nonne ille, de quo prius dictum est*: Deus cujus vult misere„ tur, & quem vult, indurat? Consule quæ sequuntur cætera, quæ similia sunt Augustini sententiæ.

(6) Nempe non in ea fatali prædestinatione, quæ libertatem tolleret, qualem Cathari ponere censuerant. Illi enim tollendo libertatem, tollebant quoque opera quæ ad salutem conducunt. Etsi enim electio ante prævisa merita consideretur esse, salus tamen ex meritis est. Ergo non contra eos, qui prædestinationem utcumque ponebant, sed contra hæreticos, qui necessitantem quamdam introducebant, disputat noster; quare laudandus est, si ratione illos exagitat. Jam vero, ut ante animadverti, *lib.* II. prædestinationem nostram a voluntate Dei pendere autumat. Non aliam ergo Moneta reprobat, sed eam, quam *isti*, hoc est *hæretici Cathari ponebant prædestinationem*.

(7) Sapienter hic noster Catharos exagitat. Illi enim salutem, non operibus nostris, quæ gratia Dei fecerimus, sed una necessitate Prædestinationis aliquos homines assequutos esse pugnabant. Quare, ut hoc eorum dogma falsum esse Noster evincat, in operibus etiam, & exsequutione mandatorum salutem poni a sacris scriptoribus ostendit. Nec opus erat integrum systema de gratia, & libero arbitrio proponere, quum res ipsa hoc idem non postularet

(8) Quæ duobus asteriscis, complex sumus, desunt e codice Bononiensi. Quæ antem his verbis continentur vera sunt. Non enim Deus pœnas homini infligeret, nisi hic libertate peccaret. Patere vero omnibus gloriam si bene se gesserint, certa & explorata res est. Verum non negat Moneta gratia Dei opus esse cui liberum cooperetur arbitrium ad vitam æternam consequendam. Sed illud unum evincere studet, falsam nempe esse Catharorum sententiam, qua fatali necessitate quadam alios ad vitam, alios ad mortem esse prædestinatos jactabant, nulla habita operum ratione, quo nihil dici potest absurdius.

(9) Qualem Cathari ponebant, ut ante animadvertimus. Nam prædestinationem ad vitam non negat noster, cum eam a Paulo passim prædicari nosceret, & post prævisionem malorum reprobationem ad mortem.

Item Matth. 11. v. 20. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*. Omnes dicit sine distinctione. *Non est enim distinctio*, ut dicitur Roman. 3. v. 22. ubi ante dicitur eodem vers. *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi: in omnes: & super omnes qui credunt in eum*. Hoc est propositum de quo ad Rom. 9. v. 11. *Ut secundum electionem propositum Dei maneret*; per quod propositum non intelligitur violentum (10) constitutum circa aliquos, ut quidam opinati sunt, sed illud primum propositum justificandi omnem hominem per fidem. De hoc autem habetur 1. lib. cap. de libero arbitrio.

Item 3. ad Roman. v. 28. *Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis*. v. 29. *An Judæorum Deus tantum? Nonne & Gentium? Imo & Gentium*; per fidem dicit non per ordinationem, aut per scientiam violentam: & subdit: *An Judæorum Deus tantum? Nonne & Gentium?* Similiter tibi dico de isto, quem de necessitate ponis salvandum, & de illo quem ponis damnandum necessario: An illius est Deus tantum, nonne & istius? Imo; & per hoc vult ostendere Apostolus, quod justitia Dei ita parata est uni, ut alteri, quantum est ex Dei intentione; ergo nulla est præordinatio, quam tu ponis, & vita æterna omnibus est communis ex Dei voluntate.

Istud autem ostendit Apostolus Rom. 10. v. 12. dicens: *Non enim est distinctio Judæi & Græci: nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum*.

Item 1. Corinth. 3. v. 8. *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*. v. 9. *Dei enim sumus, adjutores*.

Item 2. Corinth. 5. v. 10. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum*. Ergo universalis est, & commuuis secundum opera retributio: si enim specialis est dispensatio, non invenio quomodo generalis possit esse discussio, quam Apostolus innuit in verbis prædictis: unde patet quod non uni concessit velle (11), & alteri negavit, sed voluntatem omni homini, ut eam in quamlibet partem versaret, indulsit.

Item 1. ad Timoth. 2. v. 4. *Qui omnes homines vult salvos fieri*.

Item Petrus Actor. 10. v. 34. *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus*. v. 35. *Sed in omni gente, qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi*. Ecce ponit salutem in opere justitiæ, sive mandatorum Dei; ponit etiam illam omnibus communem, cum dicit *in omni gente &c.*

Item 2. Petri 3. v. 9. *Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant: sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*. Si ita esset quisque prædestinatus, ut dictum est, Dominus non omnes invitaret, sicut facit Matth. 11. v. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*; nec omnes vellet salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire, nec omnes vellet ad pœnitentiam reverti, alioquin ejus voluntas esset contraria suo proposito, & esset divisus in se ipso, quod absit.

[*] Item, quod nullus bonum agat necessario, nec salvetur ex necessitate patet ad Philem. v. 14. *Sine consilio autem tuo nihil volui facere, ut ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium*.

Item 2. Corinth. 9. v. 7. *Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus*.

Item ad Hebr. 10. v. 26. *Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia*. Si libertatem arbitrii non habemus, quomodo cum voluntate peccamus? Qua etiam de causa reus fit, ibidem dicitur, quia post acceptam notitiam veritatis, ad spiritum voluntarie declinavit erroris.

Quæri etiam potest ab eis, qui unum ponunt præordinatum ad vitam (12), alium autem ad mortem, si curam impendendam existimant orationi, vel non. Si non, ubi est illud Lucæ 21. v. 36. *Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, & stare ante filium hominis*.

Item, Matth. 17. v. 20. *Hoc autem genus dæmoniorum non ejicitur nisi per orationem, & jejunium*.

Præterea, si oratio non est necessaria, cur ille qui mundus est, formam orationis instituit, & oravit?

Si vero dicat, quod oratio est necessaria; dicat, ad quid? si unus ad vitam, alius ad mortem adjudicatus est?

Si dicat, quod oratio est necessaria, quia ex qua parte sit, nescit.

Contra: Licet ad quam partem sit deputatus ignorat, utramque tamen partem fixam esse, & immutabi-

(10) Viden quam noster damnet prædestinationem. Eam scilicet, *Violentam*, quam hæretici introduxerant. Huc spectat, quod mox adjungit „ Similiter tibi dico de isto, quem de necessi„ tate ponis salvandum, & de illo, quem ponis damnandum ne„ cessario... ergo nulla est prædestinatio, quam tu ponis &c. „ Hoc nempe erat nostro propositum, ut evinceret fatalem hæreticorum prædestinationem cum Scripturis Sanctis pugnare. Non negaverim tamen quædam a nostro adjungi, quæ duriuscule, minusque proprie dicta esse videantur. At non inde quisquam concluserit errasse Monetam. Nam quæ regulæ a Petavio adhibentur ad excusandos a nota semipelagianismi Patres, eædem ipsæ usurpari ad liberandum ab erroris invidia Nostrum possunt, quem quisquam fortasse censuerit omnem funditus sustulisse prædestinationem. Nam aliquando, qui oppugnant hæreticos, ita eos exagitant, ut quæ sunt e regione illorum doctrinæ, opposita afferant, nullam autem eorum faciant mentionem, quæ *directe*, ut ajunt, ad rem *non* pertinent, quare prima specie ferri in oppositum errorem videntur.

(11) Tenendum præ oculis est systema hæreticorum, quod noster refellit. Inferri enim ex eo Apostoli testimonio, quod illi negabant: præditos nempe esse homines libero arbitrio, neque necessitate salvari. Omnibus enim hominibus concedit facultatem Deus, ut si velint, possint recte agere, & vitam æternam adipisci. Verum constat quibusdam speciali Dei munere concedi *velle, & perficere, pro bona voluntate*, aliis contra non item; atque ob eam quidem rationem, quam innuit ex eodem Apostolo Noster *Lib.* II. *Cap.* IV. §. 3.

[*] Desunt quæ duobus asteriscis complexi sumus e *Codice Vaticano*.

(12) Eo nempe pacto, quo ante explicavit; videlicet *necessitate quadam*, & ut noster Catharorum sententia ait: *bonum agendo necessario, ita ut desit liberum arbitrium*, & homo *salvetur ex necessitate*.

tabilem non ignorat, ut credis; Quid igitur ei orare proderit, in una harum duarum conditionum omnimode (13) constituto? Quod enim locum suum non novit, nil facit ad id quod dixisti, cum nullum possit vel ad dexteram deputatus, vel ad sinistram periculum incurrere; si enim ita est, neuter orationis adjutorio indiget, imo præordinato ad vitam necessaria non erit oratio, deputato ad mortem prodesse non poterit, & in uno supervacua, & in altero infirma dicitur.

Item: si unus ad vitam necessario, & alter ad mortem deputatus est, non judicandi nascimur, sed judicati: nec ulla erit judicii æquitas: nam si Dominus nil famulo dedit, unde sibi serviret, quid posset ab eo exigere? unde etiam redderet familiæ rationem?

Item: si unus ad vitam necessario, & alter ad mortem deputatus est (14) nullam Christus moriendi causam habuit.

Item 1. Timoth. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii*. Vides quia non præscientiam, sed negligentiam obesse posse designat.

Item 2. Corinth. 11. v. 2. *Timeo autem ne sicut serpens Hevam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant a simplicitate, quæ est in Christo*. Timet Apostolus Christi periculum jam redemptis, & tu dicis quod ex voluntate Dei sit perditio hominis. Ad Ephes. 4. v. 30. *Et nolite contristare Spiritum Sanctum Dei; in quo signati estis in diem redemptionis*. Quomodo per illius ordinationem peccare te dicis, ad cujus tristitiam pertinet quod delinquis?

Item Lucæ 19. v. 41. *Videns Jesus civitatem flevit super illam*. Si Dominus perjuris clauserit iter salutis, falso eorum flevit exitium. [*]

Objiciunt autem contra istud, illud quod dicit Apostolus Roman. 9. v. 21. *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?*

Item 2. Timoth. 2. v. 20. *in magna autem domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam*.

Solutio ad primum est, quod Dominus facit vas, sed illud non est vas in contumeliam ex Dei facere, sed ex hominis proprio vitio (15), vel originali, vel actuali, quod vitium nominat Apostolus per massam luti, non dicit auri; unde Lucæ 9. v. 26. *Nam qui me erubuerit, & meos sermones: hunc filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, & Patris, & Sanctorum Angelorum*. Prius dicit *qui erubuerit*, quia hæc est causa prima. In honore autem est ex Dei gratia, sed cum libero arbitrio; unde ad Roman. 2. v. 7. *Iis quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam*. v. 8. *Iis autem, qui sunt ex contentione, & qui non aquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio*. v. 9. *Tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum, & Græci*.

Item 1. Petri 2. v. 7. *Vobis igitur honor credentibus: non credentibus autem, lapis, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*. v. 8. *Et lapis offensionis, & petra scandali his, qui offendunt verbo, nec credunt in quo & positi sunt*. Item 1. Corinth. 15. v. 10. *Non ego autem, sed gratia Dei mecum*. Item 1. Corinth. 3. v. 9. *Dei enim sumus adjutores: Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis*. Item 2. Corinth. 6. v. 1. *Adjuvantes autem hortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Ex gratia autem sine libero arbitrio est vas in honorem parvulus baptizatus.

Ad secundum habetur solutio in 1. parte hujus operis in cap. de libero arbitrio.

Quod autem ita sit ut dicunt, volunt etiam habere per illud, quod legitur Actor. 13. v. 4. *Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*.

(16) Solutio: Non negamus quod aliqui sint a Deo præordinati ad vitam æternam, sed non sunt ordinati ad eam habendam nisi salvo libero arbitrio. Unde 1. Corinth. 3. v. 9. *Dei enim sumus adjutores &c.* & est ratio præcedentis verbi, v. 8. *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*. Item 2. ad Timoth. 2. v. 21. *Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, ut utile Domino, ad omne opus bonum paratum*. Item 1. Corinth. 11. v. 10. *Non ego autem, sed gratia Dei mecum*. Item Isaiæ 1. v. 19. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis*.

[*] Vel aliter, & efficacius ad satisfaciendum populo (17): Omnes sunt ordinati ad vitam æternam habendam, quantum est ex intentione Dei, ut patet in tribus auctoritatibus, una 1. Timoth. 2. v. 4.

(13) Hoc est necessario, quin ulla ratione bonum possit operari, & ita queat salutem assequi.

(14) Nulla quidem certe caussa fuisset, cur Christus extremo afficeretur supplicio, si aut homines alii natura boni, alii contra natura mali essent, veluti Basilidiani pugnabant, aut fato quodam, necessitateque destinati quidam ad vitam, quidam contra ad mortem essent. Sed nos qui credimus ita esse quosdam prædestinatos, ut operibus, quæ auxilio Dei perficiunt, æternam consequantur salutem, alios ex prævisis malis operibus reprobatos ad mortem, ita tamen, ut possint recte agere, si velint, & hoc pacto possint potiri æterna beatitate; Christum non frustra passum fuisse adfirmamus; quod passione sua auxilia efficacia electis pararit, concesseritque, quibus reipsa vitam æternam consequantur; sufficientia autem iis, (quos peccaturos, atque in peccato perseveraturos præscivit) ut possent recte, si velint agere; si autem male agant, perpetuo juste damnentur.

(15) Hem Tibi Systema nostri de Prædestinatione, & Gratia, quod Catholicum imprimis est. Ex proprio quidem vitio homines malos fieri vasa in contumeliam, ex gratia autem vasa bonos in honorem, quin tamen libero arbitrio cooperatio adimatur. Etsi enim Deus gratia, & electione quosdam destinarit ad vitam, voluit tamen, ut ad eam consequendam gratiæ liberum arbitrium eorum adjutum auxilio divino cooperaretur. Sed parvulos comparare ait salutem, sola gratia, quin ullam habeat illa adjunctam arbitrii cooperationem.

(16) Hæc item animadvertant ii, qui fortasse ob ea, quæ prævertunt verba, mordere audebunt Monetam.

[*] Desunt hæc e Codice *Vaticano*.

(17) Notanda diligenter hæc verba sunt. Moneta identidem utitur ea interpretandi ratione, quæ accommodari facile vulgi intelligentiæ possit. Quamvis enim ea, quam paullo ante adhibuit, verior sit, & Apostolicæ sententiæ maxime consentanea; cum tamen

v. 4. *Qui omnes homines vult salvos fieri*. Secunda Actor. 10. v. 34. *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus*. v. 35. *Sed in omni gente qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi*. Tertia, Matth. 11. v. 18. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis; & ego reficiam vos*. Sed divinæ ordinationi multi resistunt ad malum suum; unde Roman. 13. v. 2. *Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*. Ordinatorum igitur ad vitam æternam, quidam resistunt Dei ordinationi (18), & de illis non intelligitur illud verbum Act. Apostolorum. Alii autem non resistunt, sed coadjuvant, sicut Paulus qui ait 1. Corinth. 3. v. 9. *Dei enim sumus adjutores*, & de istis loquitur ibi Actor. 13.

Idem etiam volunt habere per illud Matth. 24. v. 24. *Surgent enim Pseudochristi, & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi*; ergo aliqui sunt qui non possunt sic seduci.

Respondeo: Non possunt induci in errorem, verum est (19), quia viriliter agunt contra tentationes; possent tamen si vellent consentire. Isaiæ 1. v. 19. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis*. v. 20. *Quod si nolueritis, & me ad iracundiam provocaveritis: gladius devorabit vos*. De hoc habetur 1. libro 5. cap.

Præterea, ad Galat. 4. v. 15. dicit Apostolus: *Testimonium enim perhibeo vobis, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi*; ergo non poterant sibi eruere? Constat quod non valet; similiter nec primum, nisi intelligatur sicut dixi; non possunt esse, donec tales sunt, idest resistunt.

Item, objiciunt illud Matth. 22. v. 14. *Multi sunt vocati, pauci vero electi*. Ergo facit distinctionem inter homines, ordinando, & eligendo aliquos, alios vero non.

Responsio hujus jam patet in expositione auctoritatis Apostolorum, & patebit infra §. VII. qui incipit. *Nunc autem restat*.

Præterea, dic tu mihi: *multi vocati*; ad quid, nisi ad nuptias cœli? Quare ergo vocavit eos ad eas, si eis dare nolebat?

Item, objiciunt illud Apocal. 7. v. 4. & seq. de quibusdam signatis.

Respondeo: Præter illos multi salvi facti sunt; unde ibidem v. 9. *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis: stantes ante thronum, & in conspectu Agni*.

Præterea, signati dicuntur non signo necessitatis salvandi, sed signati, idest distincti ab aliis non bene usuris (20) gratia. De hoc autem melius patet §. VII. qui incipit. *Nunc autem restat*.

Item objiciunt illud Matth. 19. v. 11. *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est*.

Respondeo: de Matrimonio loquitur, & de continentia verum est, quod aliquibus non est datum continere omnino, quia aliter possunt salvari.

Item, objiciunt illud Matth. 19. v. 12. *Qui potest capere, capiat*; ergo aliquis non potest capere.

Respondeo: idest non est idoneus ad continendum ex toto, verum est.

§. II.

Probatio Ecclesiæ de eodem contra illos, qui non recipiunt Scripturas.

Circa secundam partem videamus de eodem contra illos (21) qui non recipiunt Scripturas, nec Christum recta fide credunt. Primo, autem dic eis, quoniam Deus est justus & bonus; quomodo ergo audes dicere quod ordinaverit eos sine rationabili causa? Nulla autem causa rationabilis alicujus damnationis est, nisi culpa; ergo non ordinavit quod aliquis damnetur sine culpa sua: hoc autem bene potest esse, quod Deus ordinet aliquem damnandum, quia peccabit, & offendet eum. Modo sic; Iste homo fornicatur vel furatur: quæro an hoc facere sit a Deo ordinatum, an non? Si dicat quod sic; ergo Deus ordinavit, quod iste fornicetur, vel furetur; ergo fornicando, vel furando non resistit Dei ordinationi, sed aquiescit ei; ergo non peccat, nec offendit eum; ergo si propter hoc eum damnat, injuste damnat, & irrationabiliter.

Præterea; ubi non est lex, adminus naturalis, non est peccatum; unde tu non diceres, quod lapis peccaret, si descensu suo aliquem occidit; nec diceres, quod brutum animal peccaret; ergo si homo peccat, oportet quod legem habeat naturalem in mente scriptam, contra quam veniendo peccet: Modo dico sic: Iste homo occidit illum sine causa, nunquid iste peccat occidendo? Utique dices; ergo venit contra aliquam legem, & contra aliquod mandatum naturaliter scriptum in corde suo; nonnisi contra hoc: *quod tibi non vis, alteri ne feceris*. Quis illud mandatum scripsit in corde ejus? Nullus nisi Dominus; ergo illud prohibuit; ergo vel Deus non

men a Catharis eas artes adhiberi cerneret, quæ vulgus transversum agere facile posse viderentur, opportunas maxime sibi esse putabat illas explicandi rationes, quæ populares essent, vulgique intelligentiæ accommodatæ. Idque jam initio operis sibi esse propositum adfirmavit. Nam cum in Procœmio operis, tum *Cap.* I. *Lib.* I. §. 4. rogat, ne Lector miretur, si infimo, ac populari sermone utatur, cum se subdole Hæretici, quibus cum pugnabat, in rude vulgus insinuarent? quod in *Præfat. pag.* 5. animadvertimus.

(18) Hoc est voluntati generali salvandi omnes homines.

(19) En ut electos non posse in errorem induci, quod gratia Dei adjuti resistant tentationi, autumet, tametsi possint consentire, si velint, eidem tentationi, quod purum putum Thomisticum est.

(20) Electos, quibus auxilia suppeditat efficacia Deus, non necessitate, sed voluntate salvari, adjuta tamen gratia movente, & faciente, ut voluntas ipsa bene operetur; non electos autem reprobari ait, quia Deus ipse prævidit, eos non recte usuros gratia sufficiente.

(21) Erat, ut ex hoc nostri paragrapho colligo, genus quoddam hominum XII. Ecclesiæ seculo, qui Stoicam philosophiam colerent, & fatum admitterent, sublata libertate, nec Scripturis putarent ullam esse adjungendam auctoritatem. Fallor autem quinam fuerint, & quo nomine appellati sint, scio hac nostra ætate Anglos aliquot esse, qui necessitate duci hominem arbitrentur, inter quos recenseri merito debet Collinsius qui tractatum edidit *de Libertate*, extatque in extremo *Tom.* I. *Collectionis Varior. Opusculor. Leibnitii, Clarkij; Nevvtoni &c.*

non ordinavit, quod iste illum occideret, vel si ordinavit illud, & postea idem prohibuit, ipse venit contra suam ordinationem primam.

Præterea, si ordinavit illud; ergo voluit quod fieret; si prohibuit, voluit quod non fieret, nunquam enim prohiberet fieri, quod placeret ei fieri; ergo simul voluit sic, & non; ergo in se ipso divisus est.

Item, ecce una ordinatio est ab ipso, qua ordinavit illud fieri, & si idem prohibet, ordinat illud non fieri; idem ergo ordinat, & non ordinat fieri; ergo divisus est in se ipso, & duplex.

Præterea, aliquis facit homicidium, vel furtum, vel hujusmodi; aut necessarium est ei, idest inevitabile facere hoc, aut non; si est inevitabile ei, quare magis dicis hunc peccare hoc faciendo, quam lapidem in descensu aliquem interficiendo. Si autem non est inevitabile ei; ergo potest illud vitare, & alia peccata similiter; ergo potest esse quod non damnetur, cum Deus non damnet aliquem sine culpa sua, vel sine causa rationabili.

Præterea, si potest illud facere, & vitare, dummodo velit; in voluntate ergo sua est, vel hoc, vel illud; ergo liberum arbitrium habet & ad bonum, & ad malum; ergo si damnabitur. vel salvabitur, ex libero arbitrio erit, non ex ordinatione, quam tu posuisti.

Præterea, aut iste habet liberum arbitrium, aut non. Si non; dico quod Deus non potest eum juste damnare; potest enim dicere Deo, quare tu punis me? Si dicat Deus, quia sic fecisti; ipse potest respondere ei rationabiliter: ego non habui arbitrium aliud faciendi: arbitrium autem ab alio, quam a te habere non potui; ergo injuste me damnas.

Præterea: Quid est malum facere, nisi facere illud, quod indebitum est fieri? Modo dico sic: Iste qui furatur aliquid proximo, facit illud quod ordinatum est a Deo ut faciat, ut tu dicis; omne autem quod ordinatum est a Deo fieri, debitum est fieri; nihil autem quod debitum est fieri ex ordinatione, malum est fieri; quod patet ex eo quod diximus, quoniam malum facere, est facere id, quod indebitum est fieri. Si autem vellet hæreticus hic uti aliquo testimonio Scripturæ; dic ei, non potes hoc facere, quia Scripturas non vis recipere, earumque testimoniis non vis stare.

(22) Ex his patet quod de prædestinatione male sentiunt, quicumque intelligunt eam esse Dei ordinationem ab bonum, vel ad malum, ad supplicium, vel ad præmium.

§. III.

Probatio Ecclesiæ quod Dei præscientia non aufert liberum arbitrium, & quod cum eo possit stare. (23)

IN hac tertia parte capitis quæramus, quomodo possit esse Dei præscientia cum libero arbitrio hominis. Quod autem non possint simul esse, videtur ex hoc: Si Deus præscius est, quod iste peccabit, necesse est istum peccare; & si hoc est, non est ergo in peccato voluntatis arbitrium, sed potius inevitabilis, & fixa necessitas. (24)

Hoc autem argumentum communiter solvitur per distinctionem, quia necessitas potest includere contradictionem, vel contradictio necessitatem, primo modo vera est ista; si Deus præscius est &c, secundo modo, falsa. Vel aliter, hoc ipsum necesse potest respicere tantum, scilicet istum peccare, & sic falsa; tunc enim modus pars est consequentis; & est sensus: necessario est istum peccare, hoc sequitur ad Deum esse præscium peccati ejus. Potest etiam respicere hoc totum, scilicet istum peccare, si Deus est præscius peccati; & sic vera, & modus non est pars consequentis; sed est sensus, necessario si Deus est præscius peccati hujus, iste peccabit. Eodem modo consuevit dici hic; si Deus præscivit istum esse salvandum, necesse est, quod ipse salvetur.

Quod prædicta solutio nulla sit, videtur ex hoc. Hæc conditionalis est vera; si Deus est prescius peccati hujus hominis, iste peccabit; antecedens est necessarium, quia si est præscius non potest non esse præscius; ergo consequens est necessarium, quod prænegatum est.

Solutio: Illa hypothetica vera est, & antecedens est necessarium, non tamen sequitur; quod consequens sit necessarium, nisi uniformiter sumatur utrobique necessitas. Deum enim esse præscium peccati istius hominis non est necessarium, nec etiam verum, nisi iste homo sit peccaturus. Vel ut idem aliis verbis dicam, non est necessarium, nisi cum circumstantia istius; *iste peccabit*; ista autem necessitas conditionata est, sive determinata, sic sumpta necessitate, & pro constanti habito, quod iste peccabit, concedo quod antecedens est necessarium, scilicet Deum esse præscium quod iste peccabit; ad conditionatam autem necessitatem non sequitur absoluta necessitas; quare non valet argumentatio, antecedens est necessarium; ergo & consequens,

 nisi

(22) Prædestinatio, ut noster *hoc capite* passim adfirmat, est ordinatio ad bonum, sed non *necessitans*, ut volebant impii, quos refellit, homines; ad malum autem, seu ad pœnam, non datur prædestinatio, seu reprobatio, ut fides Catholica docet, quin Deus ante mala præviderit opera hominum sceleratorum. Non enim juste damnari quisquam, sine culpa potest. Atque hoc quidem hisce verbis concludit Moneta.

(23) Plerique veteres Philosophi, veriti ne liberum arbitrium Dei præscientia tolleretur, ignarum esse futurarum actionum humanarum divinum Numen existimarunt. Atque in hoc quidem errore, non Epicurei solum, verum etiam Cicero *Lib.* II. *de Divinatione* versatus est. Gnostici deinde aliqui ab hoc opinionis portento minime abhorrere videntur, ut Marcionitæ apud Tertullianum *Lib.* II. *Adv. Marcionem Cap.* V. Sociniani hoc tempore in eodem luto hærent. Arminiani vero, etsi Deum, illæsa libertate hominum, actiones humanas præscire statuant, negant tamen id spectare ad fidem; quod idem defendit Episcopius *Institut. Theologic. Libro* IV. *Cap.* XVII. vir de grege Arminianorum.

(24) Hoc idem est argumentum præcipuum Socinianorum, quod hæretici etiam veteres Catholicis opponebant. Respondent autem Theologi nostri, necesse esse peccare hominem, necessitate consequente liberam voluntatis determinationem, non necessitate antecedente, quæ tollat liberum arbitrium. Deus enim, etsi præsciat mala hominum opera, prævidet tamen futurum, ut homines illi mali libere se determinaturi sint ad idem malum.

nisi sumatur eodem modo necessitas cum circumstantia ipsius, quod iste peccabit; sicut & prius sumebatur, cum dicebatur: necessum est Deum esse præscium hujus, scilicet, quod iste peccabit; cujus sensus est: si iste peccabit, hoc non potest Deum latere; idest necesse est Deum scire si hoc eveniet.

Et notandum, quod si hoc evenire esset simpliciter necessarium, Deum scire illud esset eodem modo necessarium; sed quia non sic est, ideo non est necessarium Deum scire illud absolute, sed cum conditione, si illud eveniet.

Contra hoc quod dictum est, sic objicitur. Dictum est quod Deus cum scit aliquod contingens quod scit illud contingenter; si vero scit aliquod necessarium, scit illud necessario; sic ergo videtur, quod multiplex est ejus scientia, & quod ejus scientia a rebus formetur, & sit contingens ejus scientia, si res scita contingens est, & necessaria, si res scita fuerit necessaria.

Solutio: Divina mens, ut dicit B. Dionysius 7. cap. de Divinis nominibus, non accipit scientiam suam a rebus. Unde dicit: *Non enim ex rebus ipsis res discens, novit eas divina mens, sed ex se ipsa, & in se ipsa, secundum causam omnium scientiam, & notionem, & essentiam præhabet, & ante comprehendit, non singulis secundum cujusque speciem intendens, sed secundum unicam causæ complexionem cuncta sciens, & continens: sicut & lux secundum causam tenebrarum notionem anticipat, non aliunde, quam ex luce tenebras noscens.* Et est sensus; sicut lumen si videret tenebras, ita Deus non aliunde, sed se ipso videt umbras creaturarum; non enim in videndo eas egreditur se ipsum, idest suam essentiam: & hoc est quod dixit: *Non secundum cujusque speciem intendens.* Ex hoc concludit Dionysius: *Se ipsam igitur divina sapientia noscens, sciet omnia materialia, sine materia, & indivise divisibilia, & unice multa, ipso uno*, idest se ipsum videns, *omnia, & cognoscens, & producens.* Unde in 8. lib. Metaph. Avicennæ dicitur: *quod ipse intelligit res simul. Item necesse esse*, idest Deus intelligit quidquid est universaliter, & tamen non deest ei aliquod singulare. Dico ergo, quod unica est ejus scientia, licet multa scita, & illa scientia in se est immaterialis, indivisibilis, & unica; unde dico quod contingentia scit necessario, sicut dicit B. Dionysius, quod materialia scit sine materia; necessario dico quoad se, sed non necessario quoad hæc; unde si dicam contingens est Deum scire, hæc contingentia ad scitum refertur, non ad scientem, vel scientiam ejus; idest Deus scit hoc quod contingens est esse; sicut etiam dicitur, quod ipse incipit creare hanc animam inchoative, non attingit ipsum, sed creatum ab ipso, idest hæc anima incipit, & nunc primo incœpit esse ab eo. Ex his patet etiam, quare ejus esse, vel ejus scientia non varietur varietate scitorum.

Sed contra hæc objiciunt sic: Quia videtur ex dictis, quod ipse apprehendit materialia, & contingentia, & divisibilia, & multa aliter esse, quam se habeant; ejus ergo scientia, vel providentia falsa est.

Solutio: Si hoc ipsum *aliter* determinat hoc verbum *apprehendit*, verum est, & non sequitur; ergo ejus prævidentia est falsa, ut etiam patet intellectu, & consideratione Mathematicorum; si autem determinet hoc verbum *esse* sub intellectu, idest comprehendit res esse aliter quam sint, falsum est.

§. IV.

Probatio quod præscientia Dei non inducit necessitatem.

[*] NUnc ostendamus quod præscientia Dei non est causa peccati præsciti, & quod necessitatem non inducit eveniendi quod præscitur. Quod non est causa peccati præsciti patet. (25) Quod se aspectui suo obtulit, materialis oculus hoc videbit, nunquid fecisse creditur, quod deprehendisse cognoscitur? Non. Similiter intellige de oculo divinæ præscientiæ. Item si peccantem quempiam conspexerit materialis oculus: non videntis, sed committentis flagitium judicabitur: ita etiam non ad præcognoscentis, sed ad præcogniti pertinebit reatum fecisse delictum: quare & supplicium merito, & delictum homini exhibendum, non præcognoscenti imputandum, sed delicto præcogniti.

Item si viderem aliquem in foveam ruere, palam est, quia ex meo aspectu ruina ejus non oritur: & tamen si videam eum ruere; ipse ruit. Similiter est in visu divino ad futurum hominis peccatum. Item sicut res objecta oculis quodammodo efficit, ut eam oculi videant, non autem efficit oculus, ut res videnda nascatur; ita præscientia Dei merita hominum evenire non facit: sed potius ea quæ ventura ex hominis opere, atque industria, quodamodo faciunt, ut præsciantur: quia & aptitudo præsciendi ea, & ordo eorum ad scientiam Dei ex eorum causatur eventu: nec valet argumentatio hæc: Præscientia Dei idem est, quod ejus scientia; Ergo si præscientia causatur a rebus futuris; similiter & scientia inde causabitur: & est ibi fallacia accidentis. Dixit autem quidam Sanctus, non Dei violentia prævidendi imponitur homini causa pereundi: sed magis de futuris hominum meritis ordo nascitur prænoscendi. Ex his, quæ dicta sunt, patet, quod non inducit necessitatem. Si

[*] Desunt, quæ duobus asteriscis complexi sumus e codice *Vaticano.*

(25) Utuntur hac explicandi ratione plerique Patres. Origenes *Philocaliæ Cap.* XXIII. *Quemadmodum si quis videns quemdam propter ignorantiam temerarium, & propter temeritatem inconsiderate incedentem per viam lubricam fœde prolapsurum, nequaquam illi causa lapsus est: sic intelligendum est, Deum, qui prævidit qualis quisque futurus sit, & causas, cur talis futurus sit, videre, & cognoscere, quod peccaturus sit hoc vel illud*, causa mali non est &c. S. Fulgentius *lib.* I. *ad Monimum: Fidelibus, congruit credere, & fateri, Deum bonum, & justum præscisse quidem peccaturos homines, quia nihil eum latere potuit futurorum, neque enim vel futura essent; si in ejus præscientia non fuissent; non tamen prædestinasse quemlibet hominem ad peccatum; quia si ad peccatum aliquod hominem Deus prædestinaret, pro peccatis hominem non puniret.*

Si enim non inducit eventum mali præsciti; Ergo nec necessitatem eventus ejus.

Alio etiam modo potest videri quod non est præscientiæ Dei imputanda malitia præsciti. Nunquid enim vitio speculi imputabitur, si in eo aspicientis persona deformis apareat? Constat quod non. [*]

Adhuc etiam alio modo videri potest, quod præscientia Dei necessitatem non inducit. Si enim vis dicere, quod omnia, quæ ventura sunt necessario evenient, quia Deus præscit illa; necesse est illa evenire: hoc qualiter intelligendum sit prædictum est, & ostensum quod non est necesse illa evenire simpliciter, sive absolute, sicut etiam Deus non præscit illa absolute: Modo ostendo, quod illa data in sensu in quo est vera; *si Deus præscit aliqua, necesse est illa evenire*; propter hoc non sequitur quod sit necessarium, & inevitabile quod illa eveniant; si enim hoc esset, ostenderetur tibi quod eadem ratione tua præscientia induceret necessitatem, quia si tu aliquid præscires, necesse esset illud evenire; Ergo si propter hoc tua præscientia non inducit necessitatem inevitabilem; nec divina similiter inducit eam.

Sub eadem forma potest ostendi, quod divina præscientia non cogit aliquem ad peccandum, nec ad faciendum bonum. Nunquid tu peccare cogeres, quem peccaturum esse præscires? Et tamen si tu præscires eum peccaturum, necesse esset ipsum peccare; Ergo a simili non est dicendum quod divina præscientia cogat aliquem ad peccandum, licet si Deus est præscius peccati ejus, necesse est ipsum peccaturum; non sunt ergo ista incompossibilia, scilicet tua præscientia de peccato alicujus, & voluntas ejus ad illud; Ergo a simili nec ista sunt incompossibilia, scilicet quod Deus præsciat aliquem peccaturum, & ipsum voluntarie peccare; Ergo Dei præscientia non tollit voluntatem. Deus igitur licet præsciat peccatum alicujus, ipse tamen neminem ad peccandum cogit, præscit tamen eos peccaturos, qui ex voluntate peccabunt; propter hoc dicit Augustinus libro 3. de libero arbitrio cap. 4. *Cur ergo non vindicet justus, quæ fieri non cogit præscius?* Item subsequitur Augustinus: *Sicut enim tu memoria tua non cogis facta esse quæ præterierunt; sic Deus præscientia sua non cogit facienda, quæ futura sunt. Et sicut tu quædam, quæ fecisti, meministi, nec tamen quæ meministi omnia fecisti: ita Deus omnia quorum ipse auctor est, præscit, nec tamen omnium quæ præscit ipse auctor est. Quorum autem non est auctor, justus est ultor.* Ex quibus patet, Deum esse præscium futurorum, & tamen futura esse voluntate, non necessitate cogente, & ideo justum esse malorum operum ultorem.

Adhuc etiam potest patere, quod Dei præscientia non excludit voluntatem hominis in faciendo aliquid. Dicit Augustinus lib. 3. de lib. arbitr. cap. 3. *Si meorum operum præscium Deum dico, multo fidentius eum dixerim præscire opera sua: & quid sit facturus certissime prævidere. Ergo si ideo quia meorum operum præscius est, mea opera non fiunt voluntate, eadem ratione opera, quæ fiunt ab ipso, non voluntate, sed necessitate fiunt ab eo.* Item dicit Augustinus loco cit. *Sicut autem voluntatem beatitudinis, cum esse cœperis beatus, non aufert præscientia Dei, quæ hodie de tua futura beatitudine certa est; Sic etiam voluntas culpabilis, si qua in te futura est, non propterea voluntas non erit, quoniam Deus eam futuram esse præscivit* Ergo a simili, non aufert tibi voluntatem in peccando, licet præsciat te peccaturum.

Item dicit Augustinus loco cit. *Non possumus aliud sentire esse in potestate nostra nisi quod cum volumus facimus. Quapropter nihil tam in nostra potestate, quam ipsa voluntas est. Ea enim prorsus nullo intervallo, mox ut volumus, præsto est*; mox enim cum volumus, adest voluntas; Ergo ipsa voluntas maxime est in potestate nostra.

Item si Deus præscientia aufert voluntatem; Quomodo potes dicere. Si Deus præscivit me velle, necesse est me velle? Si enim necesse est me velle aliquid, volo illud; sed quomodo illud volo, si voluntas non est, propter præscientiam Dei? *Et ideo* (subjungit Augustinus) *recte possumus dicere: non voluntate vivimus, sed necessitate: & si quid aliud hujusmodi. Non voluntate autem volumus, quis vel delirus audeat dicere? Quamobrem, quamvis præsciat Deus nostras voluntates futuras: non ex eo tamen conficitur, ut non voluntate aliquid velimus.*

§. V.

Probatio quod præscientia Dei non aufert libertatem voluntatis:

NUNC ostendamus quod præscientia Dei non aufert libertatem voluntatis; ne quis dicat, etsi voluntatem non tollit, tamen ejus libertatem excludit; non enim aufert potestatem ejus a nobis, sed eam in nostra potestate relinquit; Constat quod illud non est nostræ potestatis, quod cum volumus habere, non habemus: si enim in nostra potestate esset illud habere, statim haberemus cum vellemus, dummodo scientia non deesset. Modo dico sic: Ponamus quod vellemus, hoc enim tu concedis esse posse, licet neges voluntatem esse in nostra potestate. Modo procedo sic: Non volumus; hoc posito, aut voluntas deest, aut præsto est. Si deest voluntas, Ergo non volumus; deficiente enim albedine deest album; si autem voluntas non deest cum volumus, præsto ergo est cum volumus. Ipsa igitur voluntas maxime inter alias res in nostra potestate est; Ergo præscientia Dei non aufert voluntatis liberam potestatem, si non aufert ipsam voluntatem.

Ex quibus omnibus constat, quod præscientia Dei potest esse cum libero arbitrio, & quod futura non necessario sunt futura, licet Deus præsciat illa, & quod Deus iuste judicat de peccatis, cum ipsa non necessitate fiant, sed libera voluntate.

Sciendum enim, quod B. Augustinus dicit: sicut est

est quidam motus descensivus in corpore, ita etiam & in spiritu; sicut enim lapis relicto superiori loco descendit ad inferiora, ita etiam animus, deserto Deo & rebus cœlestibus ad ista inferiora prædiligenda se flectit. Ait enim Augustinus lib. 3. de libro arbitrio cap. 1. *Motus animi similis est illi motui, quo deorsum versus lapis fertur, quod sicut iste proprius est lapidis, sic ille animi. Veruntamen in eo dissimilis, quod in potestate non habet lapis cohibere motum, quo fertur inferius; animus vero dum vult, non ita movetur, ut superioribus desertis inferiora deligat: & ideo lapidi naturalis est ille motus, animo vero est voluntarius. Hinc est quod lapidem siquis dicat peccare, cum pondere suo tendit in infima, non dicam ipso lapide stolidior, sed profecto demens judicatur; Animum vero peccati arguimus, dum eum convincimus, si superioribus desertis ad fruendum inferiora præponere*; & propter hoc subjungit Augustinus: *Propterea quid opus est quærere, unde iste motus existat, quo voluntas avertitur ab incommutabili bono ad commutabile bonum, cum eum non nisi animi, & voluntarium, & ob hoc culpabilem esse fateamur.* [*] Eccles. 39. v. 30. *Bona bonis creata sunt ab initio*, idest ab æterno, *sic nequissimis bona, & mala: bona* supple, si pœniterent: *mala* si non pœniterent.

Unde notandum, quod in sacris Scripturis invenitur, quod gloria æterna præparata est fidelibus quibusdam, scilicet in pœnitentia manentibus; quibusdam pœna æterna, sed illis solis qui decesserunt sine pœnitentia, si adulti sunt: præparatio autem ista hoc modo fit: Qui fecerit sic, & sic, puniatur hoc modo; qui autem se inde custodierit, remuneretur; sed ordinat Deus liberum (26) arbitrium alicujus ad bene agendum ipsum adjuvando ad illud, ut prænotatum est in prima parte hujus capitis; ad male autem agendum nullo modo adjuvat liberum arbitrium hominis. Nonne & temporalis Rex volens gubernare regnum suum, honeste, & bene sic facit? Utique. Joannes Damascenus lib. 2. Orthodoxæ fidei cap. 30. *Illud scire interest: Deum omnia quidem præscire, sed non omnia præfinire. Præscit enim ea, quæ in nostra potestate, atque arbitrio sita sunt: at non idem ea præfinit. Nec enim vitium admitti vult; nec rursus virtuti vim affert. Quocirca divina jussio cum præscientia conjuncta præfinitionem efficit. Deus porro ea quæ nostri arbitrii minime sunt*, idest non sunt opera liberi arbitrii nostri, *pro sua præscientia præfinit. Etenim juxta eam omnia jam in bonitate, ac justitia sua prius decrevit.* Hæc sunt remunerationes bonorum, & malorum; unde ipse dicit cap. 28. ejusdem libri: *Eorum autem quæ in arbitrio nostro minime consistunt, alia ex iis quæ arbitrii nostri sunt, originem seu causam ducunt. Quo in genere sunt ea, quæ actionibus nostris tum in hac vita, tum in altera rependuntur.* Unde Fulgentius ait: *Præparavit Deus malis ignem æternum.* Isaiæ 30. v. 33. *Præparata est enim ab heri Thopheth, a rege præparata, profunda & dilatata. Nutrimenta ejus ignis, & ligna multa: Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.* Ecclesiast. 26. v. 27. *Deus paravit eum ad rhomphæam.* Apocal. 2. v. 12. *Hæc dicit, qui habet rhomphæam utraque parte acutam.* Proverb. 16. v. 4. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus; impium quoque ad diem malum.* Præparavit etiam bonis præmia; unde Isaiæ 64. v. 4. *Oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te.* Idem refert Apostolus primæ Corinth. 2. v. 9. Præparavit ergo quosdam ad supplicia, nec tamen præparavit ad facienda peccata; præparavit Deus, quod divina æquitas redderet, non quod humana iniquitas faceret. Augustini hæc regula inconcusse tenenda est, peccatores in peccatis præscitos esse non præparatos; pœnam autem esse præparatam, sicut præsciti sunt.

Nota etiam, quod dicit Augustinus ad Simplicianum lib. 1. q. 2. super illo verbo Apostoli Rom. 9. v. 16. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Et ob hoc dicitur obdurare peccatores quosdam, quia non eorum miseretur, non quia impellit, ut peccent. Eorum autem non miseretur, quibus misericordiam non esse præbendam, æquitate occultissima, & ab humanis sensibus remotissima judicat.* Non sic ergo dixit: non est volentis, nec currentis, sed Dei indurantis; non indurat aliquid mali largiendo, sed bonum gratiæ non conferendo; miseretur tamen largiendo gratiam, ex qua cooperatione liberi arbitrii est omne bonum hominis, sive sit bonum volentis, sive bonum currentis, idest operis ad Deum tendentis. De hoc habetur 2. libro cap. 6. in fine primæ radicis.

§. VI.

De causis prædestinationis, & reprobationis Dei.

NUNC ad quartam partem hujus capitis accedamus, & prout possumus esse prædestinationis, & reprobationis divinæ declaremus, & quare unum prædestinat, & alium reprobat, & quomodo reprobatio divina stare possit cum eo, quod dicit Apostolus 1. Timoth. 2. v. 4., quod Deus *omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

Ad primum dicit Ambrosius, quod prædestinare aliquem, idem est, quod *præscire illum esse salvandum*; prædestinatio igitur est præscientia salvationis; eodem modo Deus reprobat aliquem, sensus est, idest *præscit illum esse damnandum*, unde reprobatio est præscientia damnationis.

Ex hoc patet, quod secunda quæstio, quare scilicet unum reprobat, & alium prædestinat, potest esse

[*] Desunt, quæ complexi sumus duobus asteriscis, e Codice *Vaticano*.

(26) Viden ut gratia ordinari ad bene agendum liberum arbitrium autumet? Lege diligenter, quæ mox ex Augustino adjungit. Quod autem observat, præfiniri ea tantum a Deo, quæ nostri arbitri non sunt, sic intelligendum est; bona, quæ in nobis sunt sine nobis, quibusque Deus facit, ut faciamus, a Deo præfiniri, atque inde sequi etiam actiones nostras bonas, quæ ex ipsa gratia profluunt, etsi fiant libero arbitrio cooperante, præfinitas esse a Deo; malas vero actiones, non positive definitas, sed permissas, quod Deus subtrahat efficax auxilium.

esse aliqua, & nulla; quoniam hoc ipsum *quare*, potest quærere causam præscientiæ, vel causam salvationis, aut damnationis, per gerundium designatæ. Primo modo nulla est quæstio; secundo modo aliqua, quoniam non salvat, neque damnat sine causa, non enim salvat, neque (27) damnat sine inclinatione liberi arbitrii ad bonum, vel malum; de adultis loquor.

Ex hoc patet solutio tertiæ quæstionis, quomodo reprobatio divina stat cum eo quod dicit Apostolus, quod Deus *omnes homines vult* &c. Vult quidem hoc, idest per eum non remanet, quin omnis homo salvetur, quin veniat ad agnitionem veritatis, & tamen damnat aliquem, & scit illum esse damnandum, sed ex culpa sua.

§. VII.

Quare Deus dat gratiam suam uni, & non alteri, cum æque digni sunt.

NUNC autem restat quæstio talis, quare Deus dat gratiam isti, & illi, cum æque digni sunt propter illud verbum Domini Malach. 1. v. 2. & Roman. 9. v. 13. *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.*

Ad cujus solutionem ponit Apostolus ad Roman. 9. v. 15. *Miserebor, cujus misereor; & misericordiam præstabo, cujus miserebor*; Et est sensus, *miserebor*, idest gratiam meam dabo, *cui misereor*, idest cui miserendum esse scio; *& misericordiam præstabo*, idest vitam æternam, in qua erit liber ab omni miseria, *cujus miserebor* prædicto modo. Ita vult B. Ambrosius, qui vult, quod misereri cujus miserendum, idem est quod dare gratiam illi, cui est danda, & non dare cui non est danda.

Apostolus autem Roman. 9. aliter respondet huic quæstioni, cum dicit v. 21. *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, alud vero in contumeliam?* Similiter & Deus potestatem habet miserendi, cujus voluerit, idest non apponendi ei gratiam per quam emolliatur. Dicit ergo Apostolus, quod hujus rei causa est, quia vult; unde & dicit v. 18. *Ergo cujus vult, miseretur, & quem vult indurat*; voluntatis autem ejus nulla est causa, sed ipse est omnium causa. Causa autem quare sic solvit Apostolus, non fuit inopia reddendæ rationis, sed ut præsumptuosos inquisitores argueret, qui volunt erigere oculos ad opes quas habere non possunt, ut dicitur Proverb. 23. v. 5. Solutionem tamen, quam posuimus, innuit cum dicit v. 15. *Miserebor, cujus misereor; misericordiam præstabo, cujus miserebor.* Istud tamen tenendum, & nulli dubium esse debet, quod si Dominus dat gratiam alicui, ex misericordia est; si subtrahit, vel non dat, ex justitia, quia vel ex culpa propria hominis, vel ex peccato totius humani generis, de quo dicit Apostolus Romanor. 5. v. 12. *Propterea, sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransit, in quo omnes peccaverunt.*

Ex hoc patet solutio hujus quæstionis: Hæretici duo sunt, unus orat devote Deum, ut eum illuminet, & alius similiter; unus vadit ad Catharos, alius ad nos: unde hoc, si prædestinatio non est, cum dicatur Matth. 7. v. 7. *Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis?*

Respondeo: quod si unus non illuminatur, ex culpa ejus est, quam novit ille, cujus oculis omnia nuda sunt, & aperta, teste Apostolo ad Hebræos 4. v. 13. & Job. 34. v. 25. *Novit enim opera eorum.*

Præterea, quare unum illuminat, & alium non, Apostolus dicit ad Rom. 9. v. 18. *Ergo cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat*; idest in duritia sua eum permittit, gratiæ suæ datione eum non emollit.

Si autem quæras, quare potius istum illuminet, quam illum, cum æque sit peccator, & magis etiam, ut patet in Paulo, qui major peccator erat, quam illi, qui comitabantur eum. Actor. 9.

Respondeo: Non potest esse injustum, quod justus facit; & dico tibi illud Roman. 9. v. 21. *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?*

Item, Roman. 11. v. 33. *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!*

Præterea, istud solutum est prius per illud Apostoli 1. ad Timoth. 1. v. 12. *Gratias ago ei, qui me confortavit, Christo Jesu Domino nostro: quia fidelem me existimavit, ponens in ministerio.*

Ad illud de pulsatione, dico: quia non perseveravit pulsans, ut debebat. Nonne vides de Paulo Actor. 9., quia pulsans ad ostium idest Christum, dixit v. 6. *Domine, quid me vis facere?* Et dictum est ei v. 7. *Surge, & ingredere civitatem; & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* In civitate enim Ecclesiæ, de qua dicitur Matth. 5. v. 14, *Non potest civitas absondi supra montem posita*, quærendum est, idest pulsandum; ibi dicetur, quid oporteat facere; illic enim mandat Dominus benedictionem & vitam usque in seculum.

Item,

(27) Etsi Deus non salvet reipsa, neque damnet sine inclinatione liberi arbitrii; tamen, ut noster constituit, prædestinavit ad gloriam eos, quibus auxilia gratiæ efficacis dare decrevit, non autem eos, quos prænovit male facturos. Præscientia enim malorum operum, causa est reprobationis. Jam vero, homines male faciunt, quia volunt, eisque Deus non confert gratiam, qua emolliantur. Cur autem aliorum Deus misereatur, aliorum non item, Augustiniano more explicat noster aliquanto inferius: *Deus*, inquit, *potestatem habet miserendi, cuius voluerit, & obdurandi, quem voluerit, idest non apponendi ei gratiam per quam emolliatur. Dicit ergo Apostolus, quod hujus rei caussa est, quia vult.. Voluntatis autem ejus nulla est caussa, sed ipse est omnium caussa*, nempe vel activa, vel permissiva ... *Istud autem tenendum, & nulli dubium esse debet, quod si Dominus dat gratiam alicui, ex misericordia est; si subtrahit vel non dat, ex justitia, quia vel ex peccato totius humani generis ... Præterea quare unum illuminat, & alterum non, Apostolus dicit ad Romanos* IX. v. 18. *Ergo cujus vult, miseretur &c.* Consule quæ sequuntur cetera.

Item, ibidem v. 15. *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.*

Ex prædictis etiam patet, quod vita æterna communis est omnibus ex Dei intentione, non impediente prædestinationem aliquorum, & reprobationem aliorum.

§. VIII.

Quid sit vita æterna ex parte animarum.

NUnc autem restat videre, quid sit vita æterna ex parte animarum. Ipsa enim utrique parti hominis communis est. De hac dicitur Johannis 17. v. 3. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Non dixit noscant, sed cognoscant; sicut enim vita animalis non consistit tantum in vi apprehensiva, sed in motiva, ut dicit Avicennas in Metaphysicis; ita & vita æterna consistit in clara apprehensione intellectuali (28) ipsius Trinitatis in unitate, & unitatis in Trinitate; & in affectione dilectionis fundata super ipsam apprehensionem, quæ dicta est, super utraque vero istarum fundatur fruitio; visio enim Dei unius &c. affectum Spirituum beatorum ad delectandum in Deo viso, & amato excitat. Hæc est vita æterna ex parte animæ, ad quam non contingit venire, nisi mediante fide. Hæc est lux animæ dirigens pedes ejus, idest intellectum, & affectum in viam pacis. Qui sine hac est, in tenebris est, & nescit, quo vadat. Infelices autem hæretici istud lumen extinguere conantur errantes, & in errorem mittentes; ad defensionem autem hujus lucis ingrati existentes non accinguntur, qui per eam divites sunt effecti: hæc enim est, quæ decimas, & primitias, agros, & vineas, arces, & oppida dedit eis, & Regum colla subjecit. Quid mirum si non accinguntur hæretici ad defendendam fidem, in quibus ipsa defecit; ingrati enim hæretici fides tanquam glacies tabuit & defecit; dico amittendo essentiam, & perdendo vitam, idest motum ad opera bona; unde & necesse est eos deficere, ut sicut per fidei præsentiam divites facti sunt, ita per ejus absentiam pauperes, & inopes fiant; & reges, atque principes, qui prius eis colla subjecerant, eos sibi subjiciant, atque contemnant, ut compleatur prophetia Malachiæ 2. v. 8. *Irritum fecistis pactum Levi* (idest fidei Christi, quam in Catechismo promisistis, & alios promittere fecistis) *dicit Dominus exercituum*. v. 9. *Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis.*

Accingantur saltem pauperes, qui per fidem Christi omnia reliquerunt, quorum Ordo ob salutem animarum, & prædicationem contra hæreticos dicitur institutus.

Et si quid plus, aut aliter, quam dicendum esset, conscripsi, propter amorem fidei Jesu Christi veniam mihi præbeant; & quod corrigendum viderint, corrigant; & quod minus dictum est, suppleant; suarumque orationum auxilium mihi præbeant, ut Christus, pro cujus fide, & amore istud opus aggressus sum, imperfectum etiam, & insufficiens, & tamen memoriale, & adjutorium qualecumque mihi cum ipsis sic accingi pro fidei tutela præstare dignetur, ut non ingrati simus ei, qui nos eduxit de lacu miseriæ, & de luto fæcis, & statuit supra petram solidam pedes nostros; sed aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta, atque in dextera Dei sedet, ad eandem dexteram de sinistra præsentis miseriæ transferamur, benigno Jesu duce, qui cum Patre, & Spiritu Sancto unus est substantialiter Deus, cui est honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Explicit Summa Venerabilis P. MONETÆ *Ord. Prædicatorum, Adversus Catharos, & Valdenses.*

INDEX

(28) Sapienter Augustinus *Lib.* LXXXIII. *Quæstionum* XXXV. „ Quid aliud est beate vivere, nisi æternum aliquid cognoscendo „ habere? . . . Omnium enim rerum præstantissimum est, quod „ æternum est, & propterea id habere non possumus, nisi ea re, „ qua præstantiores sumus, idest mente. Quidquid autem mente „ habetur, noscendo habetur. „ Quod autem ait noster, vitam æternam in clara Trinitatis apprehensione, & affectione dilectionis consistere, id accipiendum est ordine quodam, ut quamquam in beatitudine plures sint actus, & facultates omnes bonis omnibus repleantur, earum tamen operationum prima sit ipsa visio, cui sociæ se adjungunt dilectio, & fruitio. Sed hæc ad Scholasticos in 1. 2. *Quæst.* III. *Art.* IV.

INDEX
RERUM MEMORABILIUM
QUÆ IN OPERE UNIVERSO CONTINENTUR

Numerus paginas ; Littera A. primam Columnam, B. ſecundam ; N. vero Notationes deſignat.

A

D

L

M

Præ-

R

S

FINIS.

